
8
6 F
3



REVERENDI PATRIS

GAUDENTIJ

BONTEMPI, BRIXIENSIS,

ORDINIS CAPUCINORUM

Sacræ Theologiæ Professoris.

PALLADIUM THEOLOGICUM,

SEU

TOTA THEORIA SCHOLASTICA

Hoc tertio Tomo seorsim discussa.

AD INTIMAM MENTEM D. BONAVENTVRÆ SERAPHICI DOCTORIS.

Cuius eximiæ Doctrinæ raptæ restituuntur, sententiæ impugnatæ propugnantur.

In qua diuinæ Sapientiæ Thesauri, dudum depositi, jam recèns effossi, erutique, mundo elucent.

Tomus Tertius, De Hexaëmerone, & Anima.



LVGDVNI,


Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, IOAN. & PETRI ARNAVD.

M. DC. LXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.







IN EXCUSSIONE POSTHUMÆ THEOLOGIÆ

R. P. GAUDENTIJ

A BRIXIA

CONCIONATORIS CAPVCINI, ET MORTE SVBLATI

IN D. BONAVENTURAM,

AUGUSTISSIMO GALLIARUM REGI

LUDOVICO XIV.

DICATÆ

Sic loquebatur Comes Franciſcus Brembatus.

LVCTVM hominibus, gaudium Angelis datum crede Lector:
Quando GAVDENTIVS Sapientiæ Sol clariſsimus deceſsit,
Tenebræ obtinuerunt Solum, LVMEN tanſiit ad Polum;
Olim Apollo de Cœlo ad Terram, nunc de Terra iuit ad Cœlum:
GAVDENTIVS adeò in ſtadio virtutis cucurrit, vt comprehenderet, 1.Cor.
Tenebit, nec dimittet. Cant.3.
Dic à morte tantùm proſtratum;
Vt alter Antæus è puluere ſui corporis fortior reſurgeret.
Et Empyreum penetraret immortalis, abſorpta morte in victoria. 1.Cor.15
Plenè gaudet GAVDENTIVS inter gaudia beata,
Gaudium quoque in ſua conſpicuâ Theologia reliquit vniuerſo Orbi;
Nec poterat ſibi, & omnibus non eſſe gaudium,
Qui GAVDIVM fuit vel in NOMINE.
Beatitudinem ſpeculatus in terris, beatitudinem conſequutus eſt in Cœlis,
Hanc & guſtandam nobis dedit in ſua inſigni Theologia:
Qui ex hac Sapientiæ aqua bibet,
Fiet in eo Fons ſaliens in vitam æternam: Ioan.4.
FONTEM HVNC PRÆCLARVM & Hippocrene dulciorem;

In Gallia voluit CHRISTIANISSIMVS,
Cœlesti hac vnda SVA LILIA irrigaturus.
Quis enim tantæ virtutis PATRONVS, & ATLAS fieri meritò debuit,
Quàm qui totius penè Orbis ATLAS MAGNANIMVS fulget?
Vt LVDOVICVS REX, PROXIMVS DEO,
THEOLOGICVM COELVM sustineret, æquum fuit;
Et si Iosephus Sanctus, vt Pater putatiuus, Christum in carne portauit,
LVDOVICVS quoque, vt REX PIISSIMVS, eundem portat DEVM
In Seraphica DOCTORIS MAGNI GAVDENTII Theologia.
Et quid mirum?
Cant. 2. *Qui pascitur inter LILIA in Cœlis,*
Et in terris voluit inter LILIA pasci.
Lilium maduit jam lacte Iunonis, & nunc LILIA madent LACTE COELESTI,
In LILIIS semper residet DIVINITAS;
Et si in illis DEVS est, quis contra LVDOVICVM?
Rom. 8. *Feliciter ergo, & fortiter nunc regnat,*
FOELICIVS adhuc VBIQVE CORONANDVS.
Lilium flos eminens est;
Hinc Lilium Conuallium dici voluit Christus,
Et LILIVM TERRARVM dicetur CHRISTIANISSIMVS,
Cant. 2. *Ad radices HVIVS LILII PRÆCLARISSIMI*
Laborans Avus meus FRANCISCVS BREMBATVS spiritu ad Cœlos abiit.
Sed Parisiis reliquit sui corporis cineres
Ignem sui amoris ERGA TANTVM REGEM perpetuò fouentes:
FRANCISCVS quoque Nepos, ô LVDOVICE FORTISSIME, in colle
Bergomensi manens
Ætnam ERGA TE suo nutrit in pectore;
Et vbi Cupidinem facibus tantum, dixit antiquitas inflammare corda.
Mihi incendium TVA suscitauit REGIA DOMINATIO.

FACVLTAS

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

NOS F. Stephanus à Cæsenna totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum Generalis minister, licèt immeritus, virtute & tenore præsentium concedimus, vt seruatis seruandis, Typis mandetur Opus, cui titulus: PALLADIVM THEOLOGICVM *seu tota Theologia Scholastica ad mentem D. Bonauenturæ*, à R. P. GAVDENTIO BONTEMPO, ex Prouincia Brixiensi, olim Ordinis nostri Concionatore, & Sacræ Theologiæ Prælectore compositum; & in septem Tomos distributum: Opus quippè ad stateram reuisionis per aliquos Theologos, à nobis depntatos, ita sedulò appensum, & approbatum; vt nihil sic minus habens inuentum, quinimò Seraphicam Doctrinam, præclarè elucidatam, omnium oculis objicere censeatur: In quorum fidem, his, solito nostro sigillo, firmatis, manu propria subscripsimus.

Datum Parisiis in Conuentu nostro Assumptionis, die 20. Maij 1674.

F. STEPHANVS MINISTER Generalis.

Approbatio Theologorum Ordinis.

E Commissione mihi à R. P. Stephano à Cæsenna Ordinis nostri Generali Ministro demandata, legi & relegi de Hexaemerone, & Animâ Tractatus, hoc Tertio Tomo, clarè & diluicidè ad mentem D. Bonauenturæ digestos, Authore R. P. GAVDENTIO BONTEMPO, Prouinciæ Brixiensis Concionatore Capucino, & Sacræ Theologiæ Prælectore; Et cum nullibi huius operis aliquid offenderem, quod vel minimum à fide discederet, morumuè institutis aduersaretur, verùm vbique miram Authoris eruditionem, lucidam absque ambagibus profunditatem, abditam abs obscuritate indaginem, facile sine ruditate eloquium, altas absque fastu speculationes, longas, exactasque sine tædio Disceptationes passim perspicerem; & quod cæteris Caput est, cùm Seraphicum Doctorem, Classicis Scholasticorum fastis præcalculatum, priscumque fœdus cum Angelico Doctore in multis renouasse, notarem: Dignum planè censui, quod Tomus hic, prælo pressus, publicique factus iuris, Deo cedat in honorem, Religioni in splendorem, Scholis in ornamentum, veritati in firmamentum; sic iterum obtestor, & judico.

Brixiæ 28. Iulij 1672.

F. ELISEVS, ab Oriano, Prouinciæ Brixianæ Capucinus, Exprouincialis, & Sacræ Theologiæ Professor.

APPROBATIO.

A Reuerendissimo Patre Stephano à Cæsenna, totius Odinis Minorum S. Francisci Capucinorum Generali Ministro, demandata mihi reuisione operis, cui Titulus: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica ad mentem D. Bonauenturæ, Doctoris Seraphici*: Authore R.P. GAVDENTIO BONTEMPO, Brixiensis Prouinicæ Concionatore Capucino, & Prælectore Theologo; Testor, Tomum hunc, eiusdem operis tertium, *De Hexaemerone, & Anima*, tota animi attentione à me toties reuolutum, & relectum, ad Orthodoxæ fidei Apicem, totum esse conscriptum, nihilque Christianis moribus habere aduersum; quin potius penitius inspectum vernaus videri viridarium, ita florum, & fructuum varietate conspersum, multifariæ scientiæ arbore, nulli vetita, & nusquam serpente errore, sic consitum, sic omnigenæ naturæ secretis conspicuum, vt hic, aut Scholarum nullibi, sciendi appetitus sit satiandus; Vniuersam enim exhibet creaturam, à creatore mille modis pendulam, totamque ponderat Philosophiæ Theoriam, ad Theologiæ stateram fixius appensam: Quam ob rem, quod mei est calculi, Tomum istum, omni loco, luce, & laude dignissimum Sancio, & Censeo.

Lugduni in Conuentu nostro S. Andreæ, die 30. Februarij 1674.

F. ANDRÆAS NVGENTIVS, ab Hybernia Concionator Capucinus, & Apostolicus Missionarius.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

CAutum est Authoritate Regis, nequis in regno suo, aliisvè locis suæ ditioni subditis, intra decem proximos annos, librum, qui inscribitur: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica ad mentem D. Bonauenturæ in septem Tomos distributa*, Authore R.P. GAVDENTIO BONTEMPO, Ordinis Capucinorum Brixiensis Prouinciæ, absque LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, JOANNIS, & PETRI ARNAVD, Bibliopolarum Lugdunensium permissu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium. Qui secùs fecerit, pœna indicta, pro vt amplius in Diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Versalliæ die 16. Martij anno Domini 1674. De mandato Regis. Signatum LE NORMANT.

Prima editionis prælum cessauit die prima Nouembris, anno 1676.



INDEX

DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, Sect. &c. quæ in hoc Tertio Tomo, DE OPERIBVS SEX DIERVM, in ſex Tractatus diuiſo, continentur.

TRACTATVS PRIMVS, *DE PRINCIPIIS INTERNIS RERVM CORPOREARVM.*

DISPVTATIO PRIMA.

De materia prima.

DISPVTATIO II.

De Forma.

DISPVTATIO III.

De Priuatione.

DISPVTATIO IV.

De Vnione.

DISPV

DISPVTATIO V.

De Composito.

DISPVTATIO VI.

De Natura.

DISPVTATIO VII.

De Causis.

DISPVTATIO VIII.

De Quantitate.

DISPVTATIO IX

De infinito.

DISPVTATIO X.

De Motu.

DISPVTATIO XI.

De Loco.

DISPVTATIO XII.

De Vacuo.

DISPVTATIO XIII.

De Duratione.

DISPVTATIO XIV.

De Tempore.

DISPVTATIO XV.

De motu locali.

DISPVTATIO XVI.

De Mobili.

DISPVTATIO XVII.

De Motòre.

DISPVTATIO XVIII.

De Generatione.

DISPVTATIO IX.

De Alteratione.

INDEX



INDEX
DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM,
ac Dubitationum, quæ in Tractatu de Cœlis habentur.

DISPVTATIO PROOEMIALIS.
De Cœlis.

DISPVTATIO PRIMA.
De Cælo Empyreo.

DISPVTATIO II.
De Cœlis Mobilibus.



INDEX
DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM,
quæ in tractatu de Elementis continentur.

DISPVTATIO PRIMA.
De Elemento Terræ.

DISPVTATIO II.

De Aqua.

DISPVTATIO III.

De Aëre.

DISPVTATIO IV.

De Igne.

DVBITATIO VNICA.

INDEX

DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, & Capitum, quæ in Tractatu de Corporibus Mixtis habentur.

DISPVTATIO PRIMA.

De Corporibus Mixtis in genere.

DISPVTATIO II.

De corporibus animatis.

DISPVTATIO III.

De Corpore Humano.

Index Disput. Quæst. ac Cap.

DISPVTATIO IV.

De Anatomia corporis Humani.

QVÆSTIO PRIMA.

De Anatomia corporis Humani in genere, quæ partitur in octo capita.

QVÆSTIO III.

De Neruis.

QVÆSTIO IV.

De Arteriis.

QVÆSTIO V.

De Venis.

QVÆSTIO VI.

De Musculis.

QVÆSTIO VII.

De externis operimentis.

DISPVTATIO V.

De physionomia Hominis.

DISPVTATIO I. PROOEMIALIS.

De Hominis temperamento; vnde ipsius physionomia eluceat. pag. 357

QVÆSTIO postrema præcedente corollaria.

De varia hominis cum vegetatiuis comparatione. pag. 392

INDEX DISPVTATIONVM QVÆSTIONVM,

Quæ in tractatu de Anima continentur.

DISPVTATIO PRIMA.

De Anima in genere.

DISPVTATIO II.

De potentiis animæ in communi.

DISPVTATIO III.

De Anima Vegetatiua.

DE NVTRITIONE

Prima Pars disputationis.

II. An

PARS SECVNDA DISPVT.

De Accretione.

PARS TERTIA DISPVT.

De Potentia Generatiua.

DISPVTATIO IV.

De Anima Sensitiua.

CAPVT. I.

De Sensibus in genere.

DISPVTATIO V.

De sensibus externis.

CAPVT. I. DISPVTATIONIS

De sensibus externis in genere.

CAPVT II. DISPVTAT.

De Sensu Visus.

CAPVT III. DISPVT.

De Auditu.

CAPVT. IV. DISPVT.

De Olfactu.

CAPVT V. DISPVTAT.

De Gustu.

CAPVT. VI. DISPVTAT.

De Sensu Tactus.

DISPVTATIO VI.

De Sensibus internis.

DISPVTATIO VII.

De Appetitu Sensitiuo.

DSIPVTATIO VIII.

De potentia loco motiua Animalis.

DISPVTATIO IX.

De Anima rationali.

CAPVT I. DISPVT.

CAPVT II. DISPVT.

De Memoria intellectiua.

CAPVT III. DISPVT.

De Experientia.

CAPVT IV. DISPVT.

De Intellectu.

SECTIO II.

De intellectu adepto, seu acquisito.

SECTIO III.

De habitibus intellectus.

INDEX

INDEX
DISPVTATIONVM ET QVÆSTIONVM
Quæ in Tractatu Decimo, de primis Parentibus continentur.


DISPVTATIO PRIMA.
De Priuilegiis primi Hominis.

DVBITATIO VNICA.

DISPVTATIO II.
De lapsu primorum Parentum.

DISPVTATIO III.
De Statu Filiorum Adæ in Iustitia Originali.

Finis Indicis huius Tertij Tomi Primæ Primæ.




TRATATVS QVINTVS PRIMÆ PARTIS THEOLOGIÆ,

DE OPERIBVS SEX DIERVM.

PROOEMIVM.



TIAM atque etiam vereor, ne mihi, æquo nimium fidentis notam atro carbone ocyùs inuram, quippè qui Theologica Philosophicis præiaciam. Hoc mihi perpetuò fuit in optatis; vt è creatorum specie, Creatorem exhiberem contemplandum. Angelici,& Seraphici DD. vestigiis, ne transuerso quidem vngue,insistam. Hexaëmero *hic* ideò prælegatur; ita verò nunquam excidat, Philosophiam de Conditoris agere operibus. Pagani Stagyritæ Amethodus iam tramites stomachatus, declinare constitui. Eia hic Antonomastico Sapientiæ amatoris elogio decoratus fulget. Eam apud homines gratiam iniuit, estimationem suffuratus, vt eius authoritas veritatis sedem rapuerit. Pythius hic draco ænigmaticis mentes consulentium fatigat æquiuocis. Qui verò inaniter OEdippi è Cathedris lustra insumunt,in huius noctuæ vlulatibus,auguriisque clamorosis interpretandis; qui studiosorum ingenia, æquè ac cudentium torcularia premunt; deridendi ne? an deplorandi, vestris relinquo mentibus iudicandum? Deplorandi sunt dubio procul ad insaniam, quæ Catholica fidei dogmata in huius Ethnici lance pensitanda deponunt; quasi verò plurimum referat; num spiritus nostri immortales à Peripatetico idolatrâ definiantur? VAH! illum consulite: num Diuinarum sit Trinitas Personarum? Quod si Aristoteli visum fuerit, Athei efficiamur. Horret animus horribilem hinc pestem latè grassantem. Philosophum non renuo; sed infidelem, in cuius Lycæo nequaquam iuraui. Parcite, si ipsius methodum adamussim haud seruo. Philosophia præeat, sed inter Dei opera, è quibus ad Deum nostrum Opificem assurgentes, in eius summa bonitate conquiescamus. Philosophum tamen venerabor, maximè inter Peripateticos differens.



DE PRINCIPIIS INTERNIS

RERVM CORPOREARVM.



QVÆSTIO PROOEMIALIS.



PRINCIPIVM quidem creaturis intrinsecum, in primo è Conditoris manibus exitu, nullum inuenies, cùm è nihilo prodeant; non enim ibi materia; vt claret, neque carentia formæ cum aptitudine naturali; hæc enim neque in creatione, latiori modo sumptâ, reperitur, qualis est productio altilium, quadrupedum, *&c.* è luto ab initio acta Diuino Imperio, ex obediente potentiâ elementorum; vt dixi *tractatu* 3. *disp.* 1.

PRINCIPIA autem à Conditore concessa naturæ sunt *hîc* tradenda.

1 HÆC à Philosophis antiquis discussa, & adhuc decertantibus varia, apud Aristotelem inuenies. Hic verò propiùs veritatem assecutus tria *in fieri* principia tradit. Cùm enim res physicæ producantur non è nihilo, sed è subiecto; per huius mutationem oportet materiam supponas, in qua natura operetur; vt ostendi *tract.* 3. *disp.* 1. Cùm autem generatio sit productio rei, & eductio de potentia naturali ad actum, oportet, subiectum carens formâ, aptum esse eam habere: & hæc carentia est Priuatio, cui succedit forma contraria, vt terminus ad *quem*, quo physica fiunt.

HORVM autem in *facto esse* (vt aiunt) principia, sunt materia, & forma, quibus non modò corpora componuntur, sed etiam aliæ substantiæ, quæ à Deo creantur, vt anima nostra; de qua disseram *tract.* 9. *disp.* 1. Et Angeli; vt dixi *tract.* 4. *disp.* 1. *quæst.* 2.

2 HINC Physicus, substantiam è materia, & forma compositam in obiectum assumit. Hæc enim cùm sit subiectum motuum, sicuti & materia mutationum, quæ sunt præcipua passio obiecti physici, locum obiecti obtinet. Quare ens non mobile obiecti locum non habet; nam hoc facit vnum per accidens, quod nequit esse obiectum scientiæ, cuius esse debet vna definitio, vt ait Aristot. 7. *Metaph. text.* 12. *ad* 20. ipsumque vnum per se; at verò materia, è carentia formæ cum aptitudine, transit ad actum formalem, & vnum per se componit substantiale; ita physica rerum Principiia ostendi, ait D. Bonau. *in* 4. *distinct.* 22. *artic.* 2. *quæst.* 3. *in argumentis*, sic lignum fit ignis.

VTITVR verò Aristot. hac ratione. Principia sunt contraria; at non potest esse contrarietas positiua; quia substantiæ nil est contrarium: ergo est priuatiua; & ecce forma, cui contraria est priuatio: contraria verò debent esse in subiecto: & ecce materia; atque adeò tria Principia generationis. Porrò hæc contrarietas ab Aristot.
3 1. *Phys cap.* 6. *text.* 10. *&* 16. lato modo dicitur, quæ reperitur etiam in aliis contrariis: nam etiam positiuè contraria opponuntur priuatiuè; Ita album, quod opponitur
4 nigro, est etiam non nigrum, cum aptitudine ad nigredinem. Hinc vocatur hæc *prima contrarietas*, siue quia in aliis etiam contrariis reperitur, siue quia reperitur in substantia, quæ est primum *ens*.

HÆC verò definiuntur ab Aristotele *text.* 42. dum ait: *Oportet etiam Principia neque ex alterutris esse, neque ex aliis, & ex his omnia.* Et primò quidem, cùm principia sint prima, non habent aliud prius, per quod definiantur positiuè; vnde à negatione definiuntur. Præterea quòd non fiant ex aliis, intellige, in eo genere principij

DISPV

DISPVTATIO I.

De MATERIA prima.



QVONIAM inter creaturas quatuor Coæua narrantur primò condita, vt docent multi, præcipuè Beda relatus à D. Bonau. *in 2. disp. 2. p. p. q. 1. argum. 2. ad opp. & art. 2. q. 1. fund.* 1. nempè Angeli, Materia prima; Cœlum empyreum, & Tempus; Postquam de Angelis actum est, agam de materia. Debuissem (non ignoro) priùs agere de materia, quæ est principium etiam Angelorum; attamen de iis seorsim, deque eorum materia latiùs egi, ad hæc Lectorem remittens.

QVÆSTIO I.

An detur MATERIA *prima.*

7 MATERIÆ nomen multipliciter accipitur, primò pro materia, ex qua res componuntur, ac fiunt, quæ duplex est; nempè naturalis, seu prima, ex qua formæ naturales educuntur: & secunda nempè accidentium, putà alterationis, ex qua mox formæ artificiales efformantur; tametsi diuersi sint modi harum productionum, vt docetur communiter cum D. Bonau. *in 2. disp. 7. p. 2. art. 2. q. 2. in corpore.* Sumitur secundò pro materia in qua formæ sustentantur, etsi ex ea non eductæ, quale est corpus animam nostram sustinens. Tertiò pro materia circa quam, & dicitur obiectum. Vide Seraphicum *in p. 1. q. 1. Prol. ad 2.* hic autem ago de duobus primis modis.

ASSERO, dari primam Materiam. Est sententia SS. Patrum apud Masium *hic.*

8 PROBATVR à D. Bonau. *in 2. d. 3. p. 1. art. 1. q. 1. fund.* 1. ratione D. Aug. *l. 12. Confes.* Vbi est propria mutatio Physica ibi est materia; sed in rerum natura sunt multæ huiusmodi mutationes: ergo. Maior probatur, quia in mutatione re aliter se habet, quam priùs; sed hoc euenit, manente eodem subiecto sub vtroque termino: ergo vbi est mutatio, debet esse subiectum, seu materia.

9 PROBATVR secundò à D. Bonau. *ibi*, ratione Boët. *l. 3. de Trin.* circa finem & incidit in rationem Arist. quam vnicam aliqui concedunt, ad hoc probãdum) ex mutatione accidentali, vel naturali, vel artificiali. Vbi est mutatio accidentalis, ibi debet esse aliqua materia, seu subiectum, in quod agens operetur, sed multas mutationes accidentales, naturales, & artificiales habemus: ergo. Maior probatur, nam cùm accidentia nequeant stare per se; quia sunt entis entia, egent subiecto; hoc verò non est forma: ergo materia. Minor probatur; nam dum ex aëre fit aqua, deperditur calor, & acquiritur frigus: tunc illud frigus debet habere subiectum, hoc autem non potest esse sola forma, quia & ipsa eget subiecto: ergo, *&c.* Clariùs hoc apparet in artefactis, in quibus semper materia supponitur formæ artificiali, v. g. lignum scamno, maximè statuæ. Hinc autem per analogiam, ascendit Arist. ad probandum necessariam esse materiam in productionibus, etiam naturalium formarum. Hoc confirmatur è D. Aug. *12. confes. c. 7.* 10

PROBATVR tertiò è D. Bonau. *fund. 2.* Vbi est 11 propria actio, & passio, ibi debet esse aliud principium actionis, & aliud passionis; sed multas actiones proprias Physicas videmus: ergo; sed principium agendi est forma; principium patiendi materia. Respondet Valent. *tom. 1. d. 4. q. 1. p. 1. col. 785.* formam, quà finita est, esse capacem passionis. Contrà arguit D. Bonau. nam actio propria Physica vniuoca requirit distinctum agens à passo; vt concedit etiam Fauentinus *in 2. d. 10. n. 12. §. ad secundum*, aliàs idem secundùm idem ageret in se ipsum. Quomodo autem potest quid, absque contradictione calefacere secundùm octo gradus lignum; & calefieri? haberet enim calorem, & non haberet.

PROBATVR quartò à D. Bonau. *fund. 3.* Vbi 12 est indiuiduatio substantialis, ibi est materia; sed multa sunt talia indiuidua; ergo. Maior probatur ex Arist. *1. Cœli, t. 95.* vbi ait: *Cùm dico Cœlum, dico formam: dico hoc Cœlum, dico materiam.* RESPONDET Fauentius *disp. cit. ad finem*, negando maiorem. Sed hoc ostendetur clarè *d. 594.*

PROBATVR quintò *è fund. 4.* Vbi est genus, & 13 differentia in aliqua substantia, ibi est materia respondens generi; & forma differentiæ. Sed multa sunt talia: ergo. Maior est Aristotelis. Probatur verò; quia genus se habet, vt potentia substantialis ad formam, à qua sumitur differentia: talis autem potentia substantialis est materia. Hoc argumentum clariùs habetur in corpore quæstionis. Ibi enim ait. Vbi est essentialis compositio substantiarum, ibi debet esse actus, & potentia substantialiter distincta; altera verò est perficiens, altera perfectibilis. At perfectibilis est materia; perficiens est forma: ergo.

VNICAM, ait Poncius *d. 3.* Agens naturale nequit formam producere, quin aliam destruat, sanè quia eget, vt maneat aliqua pars substantiæ corruptæ, quà agens nitatur.

QVÆSTIO II.

An MATERIA *inter primò creata in principio ante dies primos numeretur.*

{ D. Bonau. d. 12. dub. 1. & art. 1. quæstione 2.
{ D. Thom. q. 66. art. 1.

14 VOLVITVR quæstio circa ea verba Genesis. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*; de quo multas S. D. sententias affert. Primò quidem aliqui, nomine Cœli, & terræ conditorum, intelligunt Mundi fundamenta, quæ toti mundo ædificando iacta sunt, ita vt solùm innuat vniuersum Cœlo, terràque conclusum, initio temporum conditum; veluti si quis vrbis ædificium enarrans exordiatur, dicens, vrbs illa condità est initio talis Olympiadis; ita D. Chrysost. *homil. 1. in Genes.* cui videtur adhærere D. Aug. *l. 1. de Genesi, contra Manich. c. 5.* Eam verò S. Basil. *hom. 3. in Genes.* dicit fuisse etiam maiorum. Huic affinis est, quam primo loco refert D. Bonau. per hæc exprimi materiam seu massam materialem, ex qua erigenda erat moles orbis, siue Cœli, siue elementa, & videtur

arridere Scripturâ sacrâ; vt notat S.B. quia statim incipit narrare fabricam distinctè. Ita D. Aug. 1. *de Genes. contra Manich. c. 7.* vbi loquitur de materia rerum corporearum. *Sicut* (inquit) *si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, & folia, non quia iam sint, sed quia inde futura sunt. Sic dictum est, In principio fecit Deus Cœlum, & terram, quasi semen Cœli, & terræ, cùm in confuso adhuc esset Cœli, & terræ materia. Sed quia certum erat inde futurum esse Cœlum, & terram: iam ipsa materia Cœlum, & terra nominata ex tunc est.* Enim verò *l. 5. super Genes. ad lit. c. 1.* materiam spiritualem, id est naturam Angelicam, vt nondum gloria formatam, intelligit nomine Cœli.

15 Alii secundò relati à D. Bonau. per Cœlum, Angelos, per terram, materiam primam interpretantur; imò omnia corpora, adeò vt spiritualia, & corporea simul referat. Ita D. Aug. 12. *Confess. c. 7. 8. & 9.* D. Greg. 32. *Moral. c. 24.* ex quo licèt videre, fieri mentionem etiam creationis Angelorum, quod aliqui Patres negant, relati à Suarez *l. 1. de vniuerso, c. 6.*

16 Tertio, alij per terram intelligunt hoc elementum; per Cœlum verò reliqua elementa. Ita Hugo, qui vult ea elementa fuisse permixta, & in modum nebulæ expansa, quæ eò vsque in altum protendebantur, quò vsque peruenit natura corporea. Id probabile censet Marsil. *in 2. q. 8. art. 2.* eamque adscribit Magistro 2. *d. 12. c. 5. & 6.* Idem sentit Eugubinus, 3. *de perenn. phil. c. 5. & 6.* & quoad terram, ita exponit etiam D. Bonau. *in Psal.* 118. in illis verbis: *Fundasti terram, & permanet.*

17 Quarta sententia asserit, per Cœlum ibi intelligi Cœlum empyreum, in quo Angeli creati sunt; per terram verò, materiam omnium corporum, intra ipsum contentorum, siue cœlestium, siue elementarium: & sanè videtur historia arridere; nam statim subdit; ex ea facta esse elementa; *Apparuit arida*; similiter & Cœlum: *Fiat firmamentum.* Videtur autem hac diuisione non inferre etiam Empyreum è materia factum; sed corpora distinguere omnia, quatenus, sic per diuersas mensuras ea metimur: Empyreum sanè per Æuum; reliqua per tempus. Hanc refert Suar. *lib. 1. c. 8. n. 2.* cum D. Bonau. & quidem per Cœlum intelligi Empyreum, est sententia Bedæ *initio Hexaëm.* & tribuitur Iunilio, & allegatur D. Hieron *ibi*, & Damasc. *l. 2. de fide, c. 6.* vbi ait: *In vniuersitatis huius procreatione Cœlum illud conditum fuisse, quod ij, qui apud exteros sapientiæ laude floruerunt, Mosis dogmata sibi vendicantes, orbem siderum expertem vocant.* Ita quoque refert Seraphicus *in 2. d. 2. q. 1. in corpore.*

18 Verum Suar. *l. 1. c. 4. n. 4.* dicit Damascenum, intelligere Cœlum chrystallinum, seu primum mobile. Attamen dicit, sine fundamento, intelligi primum mobile, atque includi alios Cœlos; nam dicit, Posteros asserere, illud Cœlum esse, quod sine sideribus est. Quòd verò Cœli simul omnes initio conditi sint probat Suarez his verbis Damasceni, quæ nil tale olent. Cæterùm quoquo modo hæc se habeant, omnia certè Diuino iussu facta, ac stabilita sunt, Diuinamque voluntatem, atque consilium pro fundamento habent. Itaque solum Empyreum intelligere oportet; cùm probabile non sit, primum mobile seorsim ab aliis conditum fuisse, nec simul cum hoc (de quo in Damasceno est mentio) conditi sunt alij, vt latiùs infrà. Nunc sufficiat, quòd secunda die creati sint Cœli; dum dicitur, *Fiat firmamentum.* Nec valet responsio Pe-
19 terij *l. 1. in Gen.* ad hæc verba, aut Valentiæ *d. 5. q. 3. p. 2. col. 948.* Suar. *l. 2. c. 5. n. 2.* aliorumque, firmamentum illud esse expansionem aëris; cùm habeatur שמים *Samaim.*

Hoc vanum est, vt notat D. Bonau. *d. 14. q. 1.* 20
nam Cœli illi ipsi, qui dicuntur firmamentum conditum secunda die; fuere quarta die ornati sideribus. *Fiant* (inquit) *Luminaria, & posuit ea in firmamento Cœli.* Quis autem dicat, sidera posita in aëre? Cùm igitur historia hæc sit expressa, populo rudi, debuere absque æquiuocatione hæc enarrari; vt sæpè zelantur Suar. *l. 1. c. 6. & 8.* Valent. *d. 5. q. 2. p. 1.* & alij aduersi. Itaque nomine Cœli intelligi solum Empyreum, sentiunt Orig. *homil. 1. in Gen.* Ansel. *l. de imagine mundi, c. 28.* Hugo de S.V. *in Summa 2. c. 1.* Glossa ordin. Strabonis relata à Seraphico *d. 2. p. 2. q. 1. in corpore*, Abulensi. *in explicatione operis quinti diei*, & *c. 23. Exod. q. 52. & 53.* & alij relati à Pererio *l. 1. in Genes.* Id verò acriter defendit Molina *tract. de opere sex dierum, d. 2.* Salmeron, *2. Petri 3. d. 4.* Ex his multi, qui per Cœlum intelligunt Empyreum, accipiunt per terram, materiam primam, siue Cœlorum, siue elementorum: Ita Magist. *d. 12.* Abulens. *hic* post D. Greg. 30. *Moral. c. 10.* cum D. Bonau. *d. 12. 13. & 14.* & aliis Scholasticis; & Calada *de benedictionib. Patriarcharum, benedict. 1. n. 9.* ibi refert D. Clementem Romanum *l. 1. recognitionum*, vbi ait, id se ex D. Petri ore accepisse; Orig. *hom. 1.* Diodor. Tarsf. *in catena*, Theodoret. Procop. Alcuin. Rabbanum, Lyram ibi, Philonem de opificio mundi, Hilarium, *Psal. 135.* Theophil. Antiochenum ad Autholychum *l. 2.* Tunilium, Bedam, Abulens. *ibi*, Anselm. *l. 1. de imagine mundi, c. 28.* Rupert. *l. 1. in Gen. c. 6.* D. Bonau. *in 2. d. 12.* Strab. Fuld. *in Glos.* Guliel. Paris. *l. 1. de vniuerso, c. 31. & 40.* Alens. *c. 2.* Molin. *p. 1. q. 86.* Cath. Delrium, Corn. Menoch. Gord. Tirinum, Salian. *tom. 1. in Apparatu ad annales, c. 6.* qui SS. PP. & cæterorum Authorum verba referunt. Vide etiam Glossam magnam Martinengi.

Affert autem Suar. *l. 1. c. 3.* hoc argumentum 21
ad probandum, includi nomine Cœli, etiam alios Cœlos; quia omnes Cœli non possunt aliter produci, quàm per creationem propriè; at verò cætera illis quinque diebus è materia condita sunt. Hæc tamen coniectura inualida est, esto enim Cœli sint materialiter ingenerabiles; attamen quis negabit, eos produci à Deo posse è præiacente materia? Hinc habemus aliam sententiam: per cœlum in principio creatum, intelligi veros Cœlos, etiam Empyreum: per terram verò, elementum terræ, & reliqua elementa. Itaque aiunt intelligi omnem substantiam corpoream Cœli, terræque extremis conclusam. Ita D. T. *q. 66. art. 3.* & *q. 67. art. 4. ad 1.* & *q. 68. art. 1. & 3.* & *q. 74. art. 2.* & *art. 3. ad 2.* quem sequuntur Thomistæ, ac Valentia *d. 5. q. 2. p. 1. col. 931.* Suar. *l. 1. c. 3. n. 5.* & *c. 8.* Vide Martinengum in Glossa magna.

Assero primò; per terram *hic* intelligi primam materiam.

Probatur primò è D. Philastrio Episc. Bri- 22
xiæ *l. 1. de hæres. c. 45.* vbi inter hæreses ponit, quod præter hanc terram elementarem, aliam non admittant, quæ est materia, & quæ velut matrix omnium rerum, vniuersa continet; quæ, quasi *Hyle*, seu *prima mater*, reperitur in Scripturis, quæ est inuisibilis, & incomposita; quæ à Deo facta est in primo die: hic enim eruitur ratio. Illa terra primò facta; erat inuisibilis; vt habent LXX. & Sap. 11. *Omnipotens manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuisa.* Terra autem elementaris est visibilis; vt notat Seraphicus ad eum locum. Hic moneo & ego

ego, non rectè Amicum *tract. 5. de cœlis, q. 5. art. 5. n. 25.* carpere D. Philastrij dictum, quasi damnet dicentes, per terram, accipi elementum terræ.

23 Qvod verò ait Suarez *l. 1. c. 8. n. 3.* solum orbem terrarum sublunarem *Sap. 11.* recenseri. Quid quid sit; non excludit Cœlos; ibi autem ad rem faciebat, allegare orbem terrarum; quia intendebat probare, Deum posse Vrsis, & aliis feris vastare hostes. Confirmatur secundò ex illo Heb. 11. *Fide aptata sæcula, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* Hoc est Seraphici argumentum *d. 12. art. 1. q. 3. fund. 1. & 2.* Ad hoc alludit D. Aug. *l. 12. Confess. c. 2. tom. 1.* relatus à D. Bonau. *d. 12. art. 1. arg. 2. addito resp.*

24 Probatvr secundò à S.D. *d. 12. q. 2. arg. 2. fund. 1.* è D. Aug. 2 *de Genes. c. 5. in fin. tom. 3.* Imò est expressa sententia D. Aug. multis in locis relatis à D. Bonau. *tota dist. 12.* incipiendo *à dub. 1. lit.* vbi etiam notat, eandem vocari terram, quia est deformis; & quia dat formæ stabilitatem, seu basim. Dicitur aqua, quia veluti aqua est fluxa, transmutabilis ad varias formas, & figuras: ita materia in manu Dei aptabilis est, & fluens ad formas. Dicitur quoque tenebra, & abyssus, quia difficile agnoscitur. Ita D. Aug. *l. 1. de Genes. cont. Manich. c. 5. & 7.* vt refert D. Th. *q. 66. art. 1. ad 12.* & Suar. *l. 1. c. 8. n. 4.*

25 Probatvr tertiò à D. Bonau. *in 2. d. 2. dub. 1. lit.* ex illo Psal. 111. *Initio tu domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt Cœli*; vbi terram initio factam, ait, esse subiectum, & basim aliorum operum; hæc autem proprietas non conuenit terræ, sed primæ materiæ, tametsi & terra sit quasi orbis fundus, cùm sit centrum. Rationem verò addit aliam *2. p. Breuil. c. 5.* cur nomine Cœli, & terræ distinxerit omnia: quia per terram, opacam; per Cœlum, luminosam accipere volebat, nomine aquæ, naturam perspicuam; & sic etiam populo rudi erudiendo conferebat.

26 Probatvr quartò à D. Bonau. *d. 12. q. 3. ad 1. & d. 14. p. 2. dub. 1. lit.* ex illo Genes. *Congregentur aquæ in locum vnum: & appareat arida*: terra tunc dicitur apparere, quando exit ad esse; nec valet dicere apparuisse, cùm iam dudum fuisset aquis operta; nam priùs vocata est inuisibilis, nedum inuisa; vt notat D. Aug. supra: ergo non eò solùm apparuit, quia erat operta, sed quia, cùm non haberet formam terræ, erat natura sua inuisibilis. Quod autē tertia die facta sit substantialiter, sentit D. Aug. *l. 1. de Genes. cont. Manich. c. 5. & 12.* & *in l. Imperfect. Gen. c. 10.* & *l. 1. super Genes. ad lit. c. 15.* & *l. 4. c. 22. & 34.* Philo *l. de opificio mundi*, Gregor. Nyss. *in Historia sex dierum*; Abulens. *in Genes.*

27 Enim verò Suar. *l. 2. c. 6. n. 3.* ait sine fundamento hæc à Scriptura deduci, quia verbum *congregandi* non significat productionem. Deinde, quia dicitur: *Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt*; atque adeò iam præexistebant. Præterea secunda die dicitur: *Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis*; & posteà distinxit aquas. Quoad terram verò probatur validè: nam dicitur: *Appareat arida*: ergo iam præexistebat. Eadem obiicit Valentia *d. 1. q. 3. p. 3. col. 952.*

28 Hæc tamen facilè soluuntur à D. Bonau. sibaris locis: nam priùs quidem naturâ productæ sunt aquæ, & data eis grauitas, quâ inclinantur deorsum: attamen statim Deus distinxit eadem die aquas, naturâ prius creatas; Sic & in terra, quæ ideò nunc nomen accepit; quia nunc producta est, & apparuit; cùm in potentia materiæ prius delitesceret.

Assero secundò, materiam fuisse creatam antè omnem diem. Patet ex dictis.

Probatvr adhuc. Quæ facta sunt ante creationem Lucis, facta sunt ante omnem diem; talis est materia: ergo. Maior probatur: nam post creationem lucis expressè incipiunt dies *in Genes.* Maior patet ex primo asserto. 29

Probatvr secundò à S.D. ex Aug. *in Conf. c. 8.* vbi ait, Informem materiam fecisti ante omnem diem. Confirmatur à Seraphico ex Hugone de S. V. *l. de Sacram.*

Dices Genes. 20. habetur: *Istæ sunt generationes Cœli, & terræ in die, quâ creauit Deus Cœlum, & terram*, sed per terram intelligit materiam. Ergo creata est in aliqua die. 30

Respondet S. D. ad primum è D. Aug. 5. *de Genes. ad lit.* ibi recapitulari formationem orbis completam, quæ quoad productionem formarum è materia, est impropriè creatio.

Obiicies adhuc. Vos vrgetis proprietatem verborum *Cœli, firmamenti*, & vt historia populo rudi clara esset; & tamen per terram exponitis primam materiam, eis ignotam; non elementum.

Dico, terram primò inchoatam describi in eius materiâ; ob multam cum ea similitudinem in rudi; & obscura massa, mox formatam à Deo appellari nomine, quo vocata est ob similitudinem materiæ. Sic rudis populus instruebatur: at vero aduersarij nomen *firmamenti* dant æquiuocè disparatis; seu essentialiter diuisis, vt aëri, & sphæris Cœlorum.

QVÆSTIO III.

An Materia fuerit creata informis omninò.

D. Bonau. d. 12. q. 1.
D. T. q. 66. art 1.

Oritvr quæstio ista è variis dicendi modis Sanctorum Patrum. Aliqui enim dicunt, prius naturâ solùm eam fuisse ante proprias formas. Sic D. Aug. 12. *Confess. c. 12. & l. 2. Gen. ad lit. c. 11.* apud Seraphicum ad argumenta. Alij volunt, materiam priùs tempore rudem, posteà formatam: ita D. Basil. *homil. 2. Hexaëmer. Chrysost. hom. 2. in Gen.* Ambros. *l. 1. Hexaem. c. 8.* vt notat valentia *d. 5. q. 2. punct. 1. col. 932.* post D. Bonau. *in 2. d. 12. passim*, & *d. 14. art. 2. q. 2.* 31

Marsilivs quidem *in 2. q. 8.* putat, materiam omninò informem fuisse conditam: inclinat Gabriel *in 2. d. 12. q. 1.* qui tamen sapientiam appellat ad hoc definiendum.

Secvnda sententia vult, creatam materiam, cum aliqua forma corporeitatis; ita Abulensis, & Lyranus, Strabo, & Beda in Glossa.

Tertia sententia est, creatam fuisse materiam cum propriis formis accidentalibus mutandis, eò quòd mixta essent corpora, seu lutosâ quadam congerie confusa. Eam verò confusionem Chaos appellant antiqui: ita Marsil. allegans Magistrum *d. 12.* Eugubin. *l. 7. de peren. phil. c. 9.* & in Cosmopœia *in Genes.* eandem verò tuetur Suar. *l. 1. de vniuerso, c. 8. à n. 15.* Valentia *d. 5. art. 2. p. 1. col. 932.*

Sententia Seraphici in hac quæstione supponit, materiam spiritualium substantiarum, concreatam formis Angelicis apparuisse: at materiam corporalium aliqua forma indutam, fuisse creatam. 32

Assero cum hac sententia.

Probatvr à D. Bonau. primò ex Hugone de S. V. *l. 1. de Sacram. p. 1. c. 4.* & ex Magistro, atque

Boëtio *de Vnitate,& Vno*; *& de Trin.ad Simmacum*; vbi ait: *Omne esse est à forma.* Et ex Aristot. 1. *phys.t.xt.59.& 3.phys.text.*18. vbi ait: *Impossibile est, materiam separari ab omni forma.*

PROBATVR secundò. Vnitas, Bonitas, Veritas: siue Modus, Species, & Ordo sunt in rebus ex parte principij formalis; sed impossibile est aliquid esse, vel produci, in quo non sint vestigia hæc Creatoris: ergo non potest esse aliquid carens omni forma: ergo & omni accidente. Tunc enim talis moles non posset extendi, aut locari, vel esse in motu, vel in quiete; sed nil tale est in rerum natura: ergo natura in sui conditione non potuit carere omni formâ.

34 PROBATVR tertiò, præcipuè *fundamento vltimo,& in corpore.* Id, quod habet intrinsecam habitudinem ad aliud, non potest esse sine illo; sed materia est talis ad formam: ergo. Maior probatur in accidentibus, quæ, quia habent habitudinem ad subiectum, non possunt naturaliter esse sine eo, sed tantùm, miraculo; vt probatur in Sacratissima Eucharistia. Minor patet. Hinc miror Suarez *l.*1.*c.*8.

35 *n.*11. Valentiam *l.c.col.*933. ex hac ratione inferre, D.Bonau. velle, neque per Dei potentiam posse materiam esse sine omni formâ; cùm satis sit ad hanc rationem, si naturaliter non possit stare; vt concedit Suarez *n.*12. & D.Bonau. nil amplius inferat, nisi repugnantiam innatam ex habitudine materiæ ad formam, quæ non est maior, quàm accidentis ad subiectum; vt concedit Suar.*l.c.* Neque aliquid ampliùs prætendit Seraphicus. Nam 1.*dist.*19.*p.*2.*q. penult ad vltim.* docet, materiam habere esse entitatiuum, distinctum à forma, eaque prius. Vnde Scotus *dist.*12.*q.*2. decerpsit argumentum, quod S.D. vrget hic *tertiò loco*, atque nostro sensu admittit vt efficax. Possibile est prius esse sine posteriori per Dei potentiam; sed materia est prior omni forma: ergo. Soluit autem argumentum quatenus prætendere visum est, id naturaliter fieri posse, & ait; maiorem fallere, quando prius est imperfectum à natura ordinatum ad posterius, vt ab eo actuetur, & in hoc pendeat ab isto. Talem ait esse materiam. Et *in* 2.*dist.*3.*p.*1.*q.*3.*ad* 2. concedit materiæ actum entitatiuum, quod probat etiam è D. August. *de vera Religione*, idque resticante *l.*12. *confess.cap.*3. Qui autem sustinent, non posse materiam separari, etiam per Dei potentiam à forma, negant materiæ existentiam, & actum entitatiuum, vt notat Suarez, & Valentia, vbi suprà, & alij.

36 TANDEM *in responsione ad* 1. id conuincam. Ratio igitur Seraphici sumitur ex natura. Id, quod est abhorrens à natura rerum, non est seruatum à Deo in creatione; vt notat Suarez *n.*21.*adducto*; sed tale esset, materiam esse sine forma: Ergo. Minor est communis Philosophorum, & S.T. vt notat Suar.*l.c.* quia est peior vacuo: est enim res inanis, vt dixit suprà *q.præced.* D Bonau. ergo non est hoc asserendum, nam asserere miracula in creatione, absque singulari fundamento, malum est; vt notat D. Aug. 2. *de Genes. ad lit.c.*1. & sequitur Suar.*l.*1.*c.*8.*n.*2.

37 PROBATVR tandem à Valent. *l.*1.*col.*932. ex illo Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*; ergo materia, quæ per terram intelligitur, sub aliqua formâ creata est. Confirmatur è Later. Concilio, c Firmiter. *Deus ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, corporalem, & spiritualem; visibilem, & inuisibilem*; ergo creatura corporea initio temporis fuit visibilis, & non nuda materia, & quæ est inuisibilis. Hoc argumentum deductum est è D.Bonau. *d.*12.*q.*3.*art.*1. *additis responsis*, modo etiam expresso *n.*28. vt priùs naturâ concedatur inuisa, imò inuisibilis, seu priùs etiam tempore, vt dixi *n.*26. quatenus sub forma rudi indistinguibilis; etsi Valentia nimium inferat, scilicet eam fuisse verè formam terræ elementatem, quod suprà confutatum est.

OBIICIES primò è D.Aug. *l.de Symbolo*, vbi ait: *Primò omnium formarum capacitas facta est, vt ordinatissimo Dei munere formarentur, quæ formata sunt*; ergo videtur, quòd in materia primò condita, fuerit sola formarum capacitas, & nulla forma. 38

DEINDE D.Aug. 12. Confes. c.3. ait: *Nonne Domine tu docuisti me, quia priusquam istam informem materiam formares, atque distingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non Spiritus: non tamen omninò nihil; erat informitas sine vlla specie*, & postea ait c.8. *Illud totum propè nihil erat, quoniam adhuc informe omninò erat, iam tamen erat, quod formari poterat*: ergo materia omninò deformis est creata.

RESPONDET D.Bonau. quòd D.Aug. concedit, materiam prius naturâ fuisse informem. Hinc arguit Suar.*n.*11. materia præcisè, ex D.Aug.*l.*12. *Confess.* adducto, non erat nihil, sed erat aliquid potens capere formas, & 1.*de Genes.ad litt.c.*15. prius materiam, ait, fuisse informem; ergo habet actum entitatiuum, & potuit à Deo informis creari. Si ergo Suarez legit Seraphicum, cur ei imputat negasse, posse separari etiam per Dei potentiam; Nam quod subdit; non posse stare aliquid sine forma, loquitur modo naturali: cur ergo carpit Doctorem Seraphicum? 39

QVÆSTIO IV.

An MATERIA creata fuerit formis specificis vestita.

{ D. Bonauentura d.12.q.2.
{ D.T.2.sent.d.12.q.1.art.4.& p.1.q.77.

QVÆSTIO ista percelebris aliam inuoluit: An sex dies recensiti in Genesi creationis fuerint verè dies temporarij: An verò Deus omnes creaturas perfectas sub eodem momento condiderit: est autem necessarium quædam prælibare de operibus sex dierum, vt sciamus, quo ordine condita sunt. 40

D. AVGVSTINVS, quâ præcellebat ingenij perspicacitate, perpendens diuinæ potentiæ infinitatem, nec vllam videns suggeri rationem moræ in creandis rebus: vt notat D. Bonau. *in corpore*, voluit sex illos dies tropicè interpretari, & omnia asseruit condita eodem momento; vt videtur Eccles. 18. astrui. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Hæc tamen expositio primò Scholam habuit apud Philonem *loco alleg.initio*, vbi ait; *Rusticanæ simplicitatis esse, putare sex diebus, aut vtique certo tempore mundum esse conditum.* Hunc imitatus est Clemens Alex. *l.*6.*Strom.*§.8. Citat Ascanius Martinengus Procopium Græcum, in Genesim dicentem, Moysen descripsisse mundi opificium sex diebus, quia ob imbecillitatem ingenij nostri, non valemus tantam varietatem rerum aliter concipere.

ADDVCIT & Hilarium 12.*de Trin. circa fin.* Allegatur & Orig. 4. *Periarch. c.*2. *& Homil.* 1.*in Genes.* Denique D.Bonau. & alij Scholastici, ob singularem erga D.Aug. obseruantiam, non audent hanc opinionem refutare, vt videre est in D.Thoma *p p.q.*66.& sequentibus, præsertim verò *q.*74. &

& q.4.de Potent.art.1.& 2.Alensf.2.p.q.44.n.3.& q.46. per totam; Albert. in 2.d.12.art.1. vbi in sententiam D.August.descendit, eamque latius sequitur in Summa de quatuor Coæuis.

Consentiunt Eugubinus, & Caietanus in Genes.1. & refertur etiam Cano: aliquo tamen modo discrepant hi; vt refert Suarez c.12.leg.1. & Molina. de operibus sex dierum, Arriaga disput.28. Hæc est sententia de August. l.1.de Genes. ad litt. cap.13. & l.4.c.34. & l.5.c.4. & 5. & l.11.de ciu. Dei, cap.9. & sæpe alibi, & si non omnia illa vult D.August, fuisse producta actu in seipsis, sed quædam tantùm potentialiter in suis quasi seminibus, nempe illa, quæ tertiâ, quintâ, & sextâ die sunt condita; vt disserit 6. Genes.ad litt.cap.5.& 6.subscribit Valentia quæst.2.p.2. Si hæc vera essent; iam creasset Deus simul masculum, & fœminam; & tamen Adam iam conditus obdormiuit in horto Eden, quo fuerat deductus; mox eruta costa; & inde extructa Eua, vt notat Arriaga sect.1.subsect.1.

41 Sententia igitur opposita omnium ferè Patrum astruitur calculis apud Suarez lib.1.c.12. Amicus tract.2. de mundo, q.4.disp.3. Religiosâ in sacram Genesis historiam adiguntur omnes obseruantiâ cum Seraphico Doctore.

Hanc latius prosequitur Arriaga, quam sequi profiteor cum Seraphico.

42 Probatur primò à D.Bonau. fund.1. quod est præcipuum, cui innituntur SS.PP. Scholastici, post D. Bonau. Genes.1. vbi historicè res enarrantur per sex dies: vbi multa quæ asseruntur tali die creata, supponuntur antea non extitisse; vt notat S.Bonau. & fund.7. Sic prima die facta est Lux, cùm primò tenebræ essent; & tertiâ die, congregatæ sunt aquæ in locum vnum: & apparuit Arida: ergo prius non erat: ac proinde nec videbatur; postea verò terra, priùs nuda, mox vestita est tertiâ die floribus. Tandem, vt notat Seraphicus, Scriptura resumens dicit, sex diebus factas esse creaturas: Maior autem est huius Scripturæ authoritas, quàm omnis neruus ingenij, vt ait D.August. 2. de Genes.cap.5. in fin.tom. tertij. Vbi aduertit D. Bonau. Moysen historiographum extitisse apud populum rudem, cui non debuit res falsas, vel alienas recensêre. Quis autem, etiam inter Doctores, potuisset in animum inducere suum, sex dies illos fuisse cognitionem Angelorum; & manè cognitionem matutinam beatam; vesperè autem vespertinam: eò maximè, cùm vix inueniatur aliquid de Angelorum creatione subobscurum? Hanc verò rationem Seraphici vrget Suar. l.1.de vniuerso,cap.10.num.6. & amplectitur Valentia disp.5. quæst.2. punct.vlt. col.63.& 940.

43 Confirmatur, multa enim ibi recensita in vno instanti nequiêre fieri; vt congregatio aquarum in vnum locum, & similia, quæ successionem postulant, motui locali necessariam, vt dicam etiam argumento octauo.

44 Probatur secundò à S.D. contra id, quod ait Philo, & Procopius suprà allegati, nam licèt non posset Moyses omnia simul nobis aperire; & enarrare; tamen potuit distinctè omnia referre addendo, omnia simul condita esse: itaque ex hoc capite nulla fuit historico necessitas hoc faciendi.

45 Probatur tertiò à D. Bonau.ex vnanimi sensu SS. PP. Chrysost. Homil.22. in Ioan. Ambrof.in Hexaemer. vna cum Dionisio,Damasceno, & aliis Græcis, ac Latinis, quos è D. Bonau. refert Suarez num.6. Valentia col.939. Martinengus in Genes.tom.1.

Probatur quartò à S. D. destruendo rationem D.Aug. nam potuit, & hominem statim in beatitate collocare, & vniuersum in ea perfectione, qua post iudicium nitebit, condere: maluit tamen ordinem temporum plurimorum admittere; quia sic decet eius sapientiam. Cur ergo id absonum erit in rerum creatione?

Probatur quintò à S. D. congruentia oppositâ ratione D. August. ostendendo, sic magis Diuinam declarari, & definiri potentiam. Potentia Dei non modò in eductione formarum ostenditur, sed & in productione materiæ: materia autem, secundum sui maiorem capacitatem, magis declarat efficientis potestatẽ; sed tantò maior apparet capacitas materiæ, quantò priùs informis apparuit, ex quo agens præpotens ostendatur, qui è tam vili seminario tot speciosissimas formas mirâ condidit sapientiâ, & virtute: ergo videtur, Deum debuisse creare materiam priùs informem, quantùm naturaliter potest subsistere. 46

Probatur sextò, quia impossibile est, dies materiales simul esse; sed illi fuere dies materiales; nam dicitur: Factum est vesperè, & manè dies vnus, dies secundus, dies tertius, sed in his seiunctim successiuè res narrantur factæ: Ergo. Confirmo, nam Exod.20. præcipitur quies Sabbatto; eo quod sex diebus fecit Deus Cœlum, & terram; & Sabbatho quieuit. 47

Probatur septimò eodem fundamento. Si illi sex dies non sunt proprij: Ergo metaphorici. Tunc sic. Per Cœlum intelligit naturam Angelicam; per lucem, gloriam; quâ bonorum Angelorum natura conuertens se ad suum Creatorem formata est, & segregata à malis, qui tenebræ nomine referuntur; si ergo hoc Cœlum, & hæc lux simul in eodem instanti facta sunt; sequitur hoc magnum absurdum, Angelos eodem instanti creatos, & beatificatos, cæterosque damnatos: & in primo instanti Angeli fuere boni, & mali: Hoc argumentum magni pendet Valentia col.40. & est D.Bonau.in 2.d.3.p.2.q.2.arg.2.addito responso.

Probatur octauò à S. Doct. Vel Scriptura seruat, in illis sex dierum operibus narrandis, ordinem naturæ, vel dignitatis, vel durationis; si dignitatis, debuit primo loco efferri homo: si naturæ, prius Sol, & Luna, & Stellæ, quàm plantæ: ergò cùm non seruet aliquem ex his ordinibus, seruauit ordinem durationis. Ponit autem vltimo loco hominem, post durationem. Nam cap.2. dicitur. Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio. Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram. Præterà formauit Dominus de limo terræ hominem; vt ibidem narratur: ergo priùs illa materia fuit sub forma terræ. Idem habetur de animantibus. Prætereà dicitur. Plantauerat Deus Paradisum à principio. Tulit ergo Deus hominem, quem formauerat, & posuit in Paradiso, ergo priùs tempore erat Paradisus. Tandem: Adæ non inueniebatur adiutorium. Ideò tulit costam, & formauit Euam: ergò priùs tempore creatus est Adam; postea sopori immersus, & inde costa eruta. In his verò motus aliqui locales successiuè sanè interueniunt. 48

Obiicies primò Genes.2. dicitur, Istæ sunt generationes Cœli, & terræ in die, quâ creauit Deus Cœlum, & terram: & omne virgultum agri ergo eodem die producta sunt.

Respondet Valentia, idem esse in die, ac in

tempore, vel in die, quo compleuit opera ista. Melius Seraphicus Doctor. Quod cùm per recapitulationem hæc dicta sint, particula singularis Dies Zeugmaticè confunditur, vt singulis diebus propria dies distribuatur, quasi dicat: in die, quâ creauit lucem; in die, quâ creauit virgulta agri, &c. Hic mos est Scripturæ, breuitatis gratiâ: sic etiam dicimus nos; in die Natiuitatis Christi, Virginis, & Ioannis fit hoc, vel illud, significat distributiuè, die natalis Christi, die natalis B. Virginis. Hanc responsionem amplectitur Suarez *l.1.c.vlt.n.25.* refutata responsione D. Thomæ, Celada *de Benedictionibus, benedict.1.n.29.* Amicus suprà, qui aliam addit cum Arriaga. Omnia simul producta virtualiter in die creationis Cœlorum, & Elementorum. Ideò dicitur: *Et omne virgultum antequam oriretur.* Est autem Seraphici responsio *in 2.d.12.q.penult.ad 1.*

Obicies secundò *Eccl.18.* habetur. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.*

51 Respondet S. Bonau. Scripturam vim facere in verbo faciendi, & curandi; nam creatio est productio ex nihilo: factionem autem vocat distinctionem? & hoc benè signatur *Genes.2.* cùm dicitur; *Requieuit ab omni opere suo, quod creauit vt faceret.* Omnes igitur Sancti concordant in hoc, omnia simul producta in materia; & ideò omnia esse simul creata, sed tamen non simul facta. Ita respondet etiam D.Gregor. 21. *Moral. cit.* 8. & D.Thom. *quæst.74.art.2. ad 2.* Valentia *l.cit.col.941.* Suarez *num.22.* eodem modo respondet Seraphicus *2.part.Breuil.cap.5.* Arriaga *loco citato.*

52 Obicies tertiò *Iob.40.* dicitur. *Ecce Behemoth, quem feci tecum*; sed Behemoth est Angelus primò factus; & homo vltimò factus: ergo omnia simul facta sunt.

Respondet D.Bonauent.è D.Gregorio, particulam, *tecum*, indicare simultatem, non temporis; sed cognitionis: quasi dicat: *Ecce Angelus, quem feci tecum, communicantem in rationis capacitate.*

53 Obicies quartò cum D. Thom. *quæst.66. art.1.* Si illa materia habebat illam formam; ergo erat ens actu; ergo non fiebat aliquid in ea præter alterationem.

Respondet Seraphicus *in corpore*, illam formam fuisse ens imperfectè, & admodum in potentia; vnde poterant per generationem educi aliæ formæ. Deinde, esto fuisset ens actu, nonne poterat destrui illa forma, & induci specifica ignis, vel aëris per generationem? Itaque hæc ratio, quam magni facit etiam Valentia *disp.5.quæst.2.puncto 1. col.931.* corruit.

54 Obicies quintò, magis potentia Dei ostendatur, si omnia producta sint simul, sicuti verè potuit Deus.

Respondet D. Bonauent. *in corpore*; tametsi posset Deus omnia producere simul: attamen sic voluisse sex dierum decursu omnia condere. Hanc autem fuisse eius voluntatem, habemus in Genesis historia. Nobis verò sufficere debet id, quod Deus voluit. Ità respondet etiam Suarez *num.25.* Nam, *Omnia, quæcumque voluit, Deus fecit.* Sic & Valentia respondet, *col.942.* Potentiam prætereà Dei etiam sic declarari patet *è quinto argumento allato.*

55 Quadruplex verò ratio affertur à Seraphico, cur Deus voluerit hæc successiuè producere. Prima litteralis suprà allata: quia Deus non modò facit id quod potest, sed etiam quod nobis adaptatur. Vnde cùm possit dare beatitudinem absque meritis, vult tamen, vt eam mereamur; sic cùm posset statim perficere materiam, voluit tamen ipsam sub quadam informitate facere, vt ex suâ imperfectione, veluti clamaret materia ad Deum, vt perficeretur; & hoc idem voluit per senarium numerum differre dierum, vt in perfectione numeri, simul ostenderetur perfectio vniuersi.

Hoc attigit ex parte Philo. *loco citato* dum ait: *Ergo cùm audis: compleuit sexta die opera, intelligere debes de senario perfecto numero.* Tametsi, hoc mysterio contentus, neget veritatem historiæ: verè tamen senarius numerus est perfectus apud Arithmeticos; vt notat Seraphicus, quia constat omnibus suis partibus aliquotis; ita vt nec deficiat, nec excrescat; partes autem aliquotæ sunt, quæ sumptæ aliquoties, reddunt totum. 56

Secunda est ratio moralis, vt discamus, quòd sicut materia per seipsam informis existit, formatur verò à Diuina Trinitate per formam; sic anima formari non potest per seipsam; formatur verò à Deo per gratiam, cui etiam senarius numerus sex dierum attestatur: quia tempus est merendi per vniuersum tempus vitæ præsentis, vt postmodum detur homini quies Sabbatho; quia non peruenitur ad perfectionem meriti vsque ad consummationem gratiæ finalis, post quam nulla sequitur vespera, & ideò dies septimus non habet assignatam sibi vesperam in Scriptura. Hanc rationem attigit Suarez *num.25.* Ideò sex diebus operari permittitur, & festum in Sabbatho præcipitur *Exodi 20.* in memoriam Sabbathi post creationem: ergo verè numerandi sunt dies. Textus enim Scripturæ eos computat; vt vidit Valentia *d.5.quæst.2.puncto 2.col.940.* Arriaga suprà. Malè ergo Caiet. sex dies, per sex rerum conditarum explicat ordines. Malè & Cano dicit, poni sex dies, quia exigerentur, si distinctè omnia forent condenda. Certè illi dies veri cum mane, & vespere, actu asseruntur. 57

Tertia ratio est allegorica. Sex enim diebus prælibatæ sunt sex mundi ætates; vt ostendit D. Aug. *Genes. ad lit.* præcipuè *lib.4.* & *l.vltimo, de ciuit.c.vlt.* 58

Quarta ratio est Anagogica, vt in illa dierum distinctione intelligatur perfectio cognitionis in Angelica natura beatifica: vt ostendit D. Aug. *super Genesim ad litt.* præcipuè *lib.4. per totum.* Vide Seraphicum *ibi* præclara docentem.

Alias rationes habet S.Bonau. *ad vlt.* voluisse primò in creatione ostendere potentiam, in distinctione sapientiam, in ornatu bonitatem. Id quoque tangit Suarez *lib.1.* 59

Tandem, quia sicut altissimos Scripturæ thesauros rudi, vulgarique stylo expressos nobis pandit, adaptans se nostræ capacitati: ita etiam in creatione rerum, naturali earum conditioni, sicut & nostræ eruditioni mirâ condescensione se conformauit.

Hîc agendum esset de spirituali interpretatione illorum dierum, quâ D. Augustin. distribuit cognitiones Angelicas in Matutinam, & Vespertinam; sed de hoc latè actum est *Tract.1. d.11. quæstione 23. & tractatu 4. disput. 2. quæstione 26.*

QVÆS

QVÆSTIO V.

An Materia *corporalium creata sit sub aliqua diuersitate formarum.*

{ D. Bonau. d. 12. q. 3.

60 FVit opinio quorundam, materiam primò creatam sub multitudine formarum confusarum, quam Chaos dicebant. Huius Authores latè refert Ascanius Martinengus *in Glossa magna*, ad ea prima verba, *In principio*, &c. *Terra autem erat inanis.* Hæc tamen opinio redolet poëticas fictiones. Hunc Chaon rectè describit Ouidius *l. 1. Metam.* & tangit S. Bonau. *in corpore.*

Secunda opinio est, creatam fuisse materiam sub forma Cœlorum, & elementorum. Hanc Theologis esse communem ait Amicus, *tract. 2. q. 5. d. 2. de Cœlo*: & *tract. 6. Phys. q. 3. dub. 2.* vbi Doctores recenset.

Tertia sententia est, materiam creatam sub quadam forma imperfecta, sicut embrio. Authores relati sunt *quæst. 3.* & hæc est sententia Seraphici Doctoris.

61 Assero primò, non priùs extitisse Chaos è quatuor elementis mixtum, ac formatum; sententia est D. Clementis Papæ, & Martyris, qui, eam à D. Petro se didicisse testatur; vt refert Martinengus *l. c.* & Ioannes de Haye, *hic.*

Probatvr à D. Bonau. *in corpore*; quia illa opinio poneret elementa illa sic producta confusè, ante massam illam naturaliter extitisse, quod est absonum, & Scripturæ dissonum. Probo sequelam. Partes præcedunt totum; & simplicia priora sunt compositis, vt causæ effectibus: at elementa sunt
62 partes simpliciores componentes illum Chaon. Minor claret. Tum quia distinctio ad Chaon confusum fuisset deordinata; confusio verò illa ad generationum species oppositas inepta; & ad pugnam destructiuam aptior. Tum quia elementa extra sua loca rapta ad eam congeriem violenter venissent, atque morata fuissent. Tum quia massa illa fuisset visibilis perfectè; at erat inanis, & vacua, seu inuisibilis, iuxta LXX. mox formata dicuntur ex hâc elementa. Tandem D. Clemens Papa Chaon fabulosum vocat, testimonio Diui Petri.

63 Probatvr secundò à S. D. in fund. 1. ex Genes. 1. *Terra autem erat inanis, & vacua*; si autem fuisset formarum diuersitas, non esset inanis, & vacua formis. Confirmatur; quia LXX. transferunt, *inuisibilis, & incomposita*: at si ibi fuisset forma elementorum, atque Cœlorum, nec esset inuisibilis, nec incomposita: ergo.

64 Probatvr tertiò: si ibi erant plures formæ, aut erant permixtæ, aut distinctæ; si distinctæ: ergo non erat materia illa deformis, chaos, inanis, *&c.* si permixtæ: ergo habebat illa materia formam mixtionis; & ita magis perfectam, quam si haberet suas formas elementares.

Probatvr quartò: Miscibilia præcedunt mixtum, ex Aristotele 1. *de Gener. text. 90.* est enim mixtio miscibilium alteratorum vnio: ergo si ibi erant formæ permixtæ, naturâ priùs sunt elementa, quàm illa materia, quæ primò est condita, & dicitur Chaos, ergo est ordo præposterus; quando Deus ex materia illa fecit elementa sequentibus diebus.

Probatvr quintò. Si permixtæ ibi erant 65
formæ: ergo materia illa approximabat se magis mixtis perfectis, quàm approximetur elementum: ergo magis se approximabat ad opera quinti diei, quæ sunt volatilia, & pisces: & ad opus sexti diei, quod est quadrupedum, & aliarum bestiarum terrestrium. Ad hæc inquam magis accedebat mixtum illud, quàm elementorum distinctio. Cur ergo illud mixtum, ex quo alia componuntur, fuit posteà dissolutum in elementa, ac separatæ sunt aquæ in locum vnum ab arida, vt ex omnibus elementis producerentur mixta? Videtur ordo sanè inuersus; potius debebant elementa componi, & misceri; ad præparandam materiam mixtorum viuentium, quæ è quatuor elementis componuntur.

Probatvr sextò. Si erat ibi formarum di- 66
uersitas: ergo erat ibi actiò, passio, reactio, generatio, & corruptio: ergo realiter adducebantur formæ; neque illa materia erat informis; cùm ibi essent operationes conuenientes formis distinctis.

Obiicies primò. Formæ sunt elementares, è quibus, mixto dissoluto, rursus dissolutio fit ad materiam primam: ergo non erat ibi alia forma rudis. Antecedens est Aristotelis 2. *de Gener. text. 6.*

Respondet S. Bonau. *ad 3.* veram esse maiorem de formis, dantibus materiæ esse completum: at forma illa dabat materiæ esse incompletum.

Obiicies secundò. Lux primo die condita 67
faciebat noctem, & diem; sed diem non poterat facere, nisi esset corpus transparens, & illuminabile: noctem non poterat facere, nisi esset corpus opacum, quod vmbram obiiceret; opacitas autem, & diaphaneitas sunt qualitates elementares: ergo.

Respondet S. D. non fuisse ibi perfectam opacitatem, vel transparentiam; fuisse tamen in illo composito aliquam dispositionem, saluâ formæ vreitate.

Obiicies tertiò. Nil est in aliquo genere, 68
quod non sit in aliqua specie illius: ergo si illa forma erat corporea, erat in aliquo genere: ergo vel elementare, vel mixtum. Anteced. est Aristotelis 2. *Topic.*

Respondet S. Bonau. verum esse de eo, quod est in genere, tanquam ens completum; sed materia illa non sic erat completa.

QVÆSTIO VI.

An Materia *prima habuerit alicubi situm.*

{ D. Bonau. d. 12. q. vlt.

ASsero primò materiam illam fuisse in loco.

Probatvr à D. Bonau. *fund. 2.* & *in corpore.* 69
Empyreum fuit materiæ concreatum ex Beda; sed Cœlum empyreum continet omnia, quæ sub se sunt, corporea. Tunc igitur vel intra concauum empyrei erat vacuum, vel erat corpus replens; sed non erat vacuum, à quo natura abhorret: ergo erat corpus; hoc autem erat materia illa corporea.

Assero secundò, materiam habuisse situm sursum, & deorsum.

Probatvr à D. Bonau. *fund. 3. & 4.* & *in* 70
corpore: quia habebat distinctionem quandam in

partibus

partibus : ita vt eſſet inferiùs groſſior, leuior ſuprà, vt ait Magiſter, & porrigebatur, vt dicit Hugo, quouſque nunc ſummum corpore pertingit.

Obiicies primò. Nil eſt in loco, quod non ſit hîc, & nunc; atque adeò hoc aliquid, & ens completum; ſed materia illa erat incompleta: ergo.

Respondet S. Bonau. falſam maiorem;
71 nam & embryo eſt in loco, & tamen incompletus.

Obiicies ſecundò. Illa materia erat inanis, & vacua, *Geneſ.* 1. ergo locum non replebat.

Respondet S.D. materiam dictam vacuam, quippè carentem actu formali completo; non autem vniuocè cum priuatione corporis contenti.

Obiicies tertiò. Materia magis pendet à forma ſubſtantiali, quàm ab accidente ſitus, *&c.* At per te non potuit ſtare ſine hoc: ergo multò minùs ſine forma, quod negas *num.* 151.

Respondet Petrus à S. Ioſeph. Fulienſis, 1. *Phyſ.c.2. art.* 2. negando maiorem. Nam eſſe alicubi, eſt de intrinſeco eſſe creati; non autem materiæ, eſſe ſub forma. Sic D. Bonauentura *ad primum.*

QVÆSTIO VII.

An etiam Coeli *conditi ſint ex materia.*

D. Bonau. d.12.
D. Thom. q.66. art. 2.

NEGAT quidem Durandus *in* 2. *d.* 12. poſt Auerroem *l.* 1. *de ſubſtantia orbis*, *c.* 2. & 1. *Cœli, tom.* 5. quem ſecuti ſunt Zabarella *de natura Cœli, c.* 3. Picolom. 2. *Phyſ. ad textum* 3. Fauent. *Theor.* 59. Suarez *in Metaph.d.* 19. *ſect.* 10. Scotus *in* 2. *d.* 14. *q.* 1. vbi docet, ſi Philoſophicis rationibus vtamur, Cœlos nequaquam compoſitos ex materia dicendos; tametſi (Theologice loquendo) ſint compoſiti. Alios referunt Ruuius *l.* 1. *de Cœlo, c.* 2. *q.* 5. Maſtrius *d.* 2. *q.* 2. Rabeſan. 1. *Phyſ.d.* 5. *q.* 10.

72 Secvnda opinio eſt D. Bonau. *in* 2. *d.* 12. *q.* 1. poſt Platonem, & omnes Philoſophos; vt refert D. Thom. *hîc*, Cœlos materiâ, & formâ eſſe compoſitos. Hanc ſuſtinent D. Thom. *p.* 1. *q.* 66. *art.* 1. *&* 2. Capreol. *in* 2. *d.* 12. *q.* 1. *art.* 1. Valentia *tom.* 1. *d.* 5. *q.* 2. *p.* 1. Amicus *tract.* 4. *q.* 2. *d.* 2. Vaſquez *tom.* 2. *d.* 218. *n.* 4. poſt Origenem *l.* 1. *Periarch. c.* 7. Ferchius de Cœli ortu *l.* 1. *c.* 3. Cremoninus, Euſtarch. *p.* 2. *tract.* 1. *q.* 1. eſt SS. Patrum *ad* 1. *Geneſ.* apud Salianum *T.* 1. *diſ* 2. *&* 4. Aſcanium *ad* 1. *Geneſ.*

Fvndamentvm autem D. Bonau. *in* 2. *d.* 12. *art.* 2. *q.* 1. *fund.* 3. *& d.* 3. *p.* 1. *art.* 2. *arg.* 4. *addito reſponſo, & d.* 8. *p.* 1. *dub.* 3. *litt.* ex Ariſtotele 1. *Cœli, tom.* 11. & 8. *Metaph. text.* 31. & *lib.* 12. *text.* 10. quælibet ſubſtantia corporea conſtat ex materiâ, & formâ: nam certum eſt, corpus omne contractum eſſe à ſubſtantia, ad eſſe corpus per differentiam poſitiuam corporeitatis, quæ differentia contrahens non poteſt eſſe aliud, quàm actus, & forma corporea, induta quantitate; forma autem corporea reſpicit aliud principium primæ materiæ, cui vnita componit corpus phyſicum: nam forma corporea eſſentialiter eſt actus materiæ, actu ab ea inſeparabilis. Hoc timens Poncius *d.* 22. mutat, & negat Scoto, quod ipſi ſuprà adſcriptum retuli.

73 Assero cum hac ſententia Cœlos è materia, & formâ compoſitos. Patet ex fundamento.

Probatvr primò à D. Bonau. *d.* 12. *art.* 2. *q.* 1. *fund.* 1. ex omnibus illis Patribus, qui exponunt initium Geneſis. *Creauit Deus Cœlum, & terram*, per Cœlùm exponunt Empyreum ſolum: per terram, materiam primam. Hi ſunt Beda initio Hexaëmer. & tribuitur Iunilio. Allegatur etiam D. Hieron. & Damaſc. *cit. q.* 2. Strabo, Beda, Alcuinus, Abulenſis *ibi*, Magiſter 2. *d.* 12. D. Gregor. *l.* 32. *moral. c.* 10. Idem probatur à D. Bonau. *dub.* 1. *lit. diſt.* 12. vbi ſententiam ſuprà allatam dicit eſſe communiorem inter expoſitores Scripturæ. Quò fit, vt communiter aſtruantur è materia, & forma compoſiti: eam refert *quarto loco.* In eodem verò dubio referuntur idem ſentire omnes, qui per Cœlum, & terram intelligunt materiam, ex qua omnia, etiam cœleſtia, debebant fieri. Ita D. Aug. *l.* 1. *de Geneſ. contra Manichæos*, *cap.* 7. Similiter qui per Cœlum, naturam Angelicam: per terram omnia corporea accipiunt: ita D. Aug. 1. *de Geneſi, ad litt. c.* 1. & *c.* 20. & *l.* 11. *de ciu. c.* 19. & *l.* 12. *confeſſ. c.* 7. *&* 9. Vide D. Bonau. *d.* 12. *dub.* 1. *lit.*

74 Tandem hanc aſſertionem ſupponunt D. Auguſt. *l.* 12. *confeſſ.* ſæpè, Ambroſ. *l.* 1. *Hexaëmer. c.* 6. Chryſoſt. *homil.* 10. *ad populum*, Baſilius *homil.* 1. *Hexaëmer.* vt notat Ruuius *l. c.* & Scotiſtæ, & probant è *Sap.* 11. vbi omnia è materiâ aſſerit.

Confirmatvr ex Ariſtotele 1. *Cœli, text.* 92. vbi ait. *Cùm igitur Cœlum ſenſibile ſit, ſingulare vtique erit. Senſibile enim omne, in materia exiſtit. Aliud igitur eſt Cœlum, & hoc Cœlum: & hoc quidem vt ſpecies, & forma; illud autem, vt cum materia mixtum.* Intelligens quidditatem per Cœlum ſimpliciter: per hoc Cœlum verò, compoſitum ex materia. Textu verò 95. ait; *Cœlum autem eſt eorum, quæ ſingularia ſunt; & eorum, quæ ex materia.* & l. 2. Metaph. c. 2. ait; *Cuncta verò, quæ mutantur, materiam habent, ſed diuerſam: Nam & ipſorum ſempiternorum quæcunque non ſunt generabilia, ſed latione mobilia; attamen non generabilem, ſed vnde, quo.* &c. Hunc locum habet Seraphicus d. 12. *art.* 2. *q.* 1. *argumento* 1. & nobis confert *addita reſponſione.*

Respondet Fauentinus *c.* 2. per formam intelligi quidditatem; & per materiam ipſum compoſitum. Subſcribunt alij Scotiſtæ.

Contra: quia Ariſtoteles, ait, *Cum materia mixtum*, & ſubdit; *non eſſe neceſſarium ponendi alios mundos; ſi hîc conſtat ex tota materia*: ergo. per materiam intelligit materiam partis; & ſubdit exemplum, quod ſic, caro eſt materia naſi ſimi; & carnes, & oſſa ſunt materia in homine, & ſubdit concludens epiphonemate; *Cœlum eſt eorum, quæ ex materia.* Hunc fatetur Rabeſanus 1. *Phyſ. d.* 5. *q.* 10. eſſe probabilem ſenſum.

75 Probatvr ſecundò. Omne corpus naturale conſtat materiâ, & formâ, è Fauentino *Theor.* 20. vbi propterea nititur oſtendere, corpus naturale eſſe ſubiectum Philoſophiæ; quia componitur ex principiis materiâ, & formâ; & eſt Ariſtotelis 2. *de anima, text.* 2. vbi diuidit ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum, quod corpus eſſe aſtruit; ſed Cœlum eſt corpus naturale, è 1. *Cœli, text.* 96. vbi ait: *Dicamus autem primùm,* &c. *Vno autem modo cœlum dicimus ſubſtantiam extremæ vniuerſi circulationis: aut corpus naturale, quod*

in

in extrema est circulatione vniuersi. (intelligit primum mobile) *Insuper Cælum dicitur id corpus, in quo Luna, & Sol, & quædam astrorum sunt collocata. Prætereà Cælum dicimus contentum corpus ab extrema circulatione*, & subdit. *Tripliciter igitur, cùm dicatur Cælum, necesse est, ex omni constare naturali, & sensibili corpore.* Hanc rationem esse principium inexpugnabile, ait Ruuius; estque D. Bonau. *dist.* 12. *art.* 2. *quæst.* 1. *in fund.*

Respondet Fauentinus, omne corpus naturale, corruptibile, constare ex materia, & forma. Quod verò Aristotel. 2. *de anima, loco cit.* diuidit substantiam in materiam, formam, & corpus, intelligit corpus corruptibile.

76 Contra: Nam Aristoteles *lib.* 1. *Cæli, text.* 11. & *lib.* 8. *Metaph. cap.* 31. & *lib.* 12. *text.* 10. generatim affirmat, omnes substantias corporeas constare ex materia: neque dubitandum, quin loquatur de materia, vt est altera pars compositi, iuxta corporalis substantiæ diuisionem, quam idem diuidit 7. *Metaph. text.* 7. in formam, materiam, & compositum, quod est corpus, vt notat Valentia *columna* 933.

At 12. *Metaph. text.* 6. subdiuidit substantiam corpoream, & formam in sensibilem corruptibilem, sensibilem incorruptibilem; & in insensibilem incorruptibilem: Vnde illa non est prima diuisio substantiæ.

Instat Fauentinus Aristotel. 1. *Cæli, text.* 20. eximit Cœlum à compositione, ex materia, & forma.

77 Respondetvr, eximere Cœlum à contrarietate; ait enim. *Si igitur huic nihil est contrarium: rectè à contrariis excepisse videtur natura id, quod est ingenerabile, & incorruptibile.* Igitur eximit Cœlum à subiecto, & forma, habente contrarium: non autem à materia, & forma in genere substantiæ. Ideò 1. Cæli, text. 95. ait. *Cùm dico hoc Cælum, dico materiam*; vt notat Seraphicus 2. *d.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3.

Obiicies primò Aristoteles 1. *Physic. text.* 20. è sola mutatione substantiali docet, veniri in cognitionem materiæ; sed Cœli non sunt substantialiter mutabiles: ergo.

78 Respondetvr è D. Bonau. relato *tract. de Angelis, d.* 1. *quæst.* 2. ex Aristotele ibi adducto, quem sequitur Ruuius *loc. cit.* etiam è mutatione accidentali, veniri in cognitionem materiæ: nam, licèt ex generatione, seu mutatione substantiali colligatur, quia tunc res aliter se habent substantialiter nunc, & priùs; atque supponi debet subiectum, permanens sub eodem termino: attamen ex motu etiam colligitur: nam qualitas v. g. ad quam est alteratio, requirit subiectum; nec potest esse sola forma; cùm ipsa etiam egeat sustentari.

Obiicies secundò. Substantiæ æniternæ sunt à materia immunes, ex 12. *Metaph. text.* 30. Sed Cœli sunt substantiæ æniternæ: ergo.

79 Respondeo. Aristotelem *ibi* ostendere, Intelligentiarum substantiam esse actum sine potentia ad non esse, atque adeò eas esse sempiternas; vnde deducit non habere materiam secundùm esse eiusdem dispositionis cum sublunaribus, quæ possunt non esse; imò subiungit, debere dari ante omnia primam causam omnium motricem; *non enim materia se ipsam mouet.* Quæ ratio esset diminuta, nisi saltem & Cœli mobiles haberent materiam; imò & omnes causæ secundæ. Idem concedit 8. *Metaph. text.* 12. ex eo quod mouentur, vt fatetur Faber *cap.* 3.

Obiicies tertiò. Si Cœli haberent materiam, haberent principium sui motus; sed hoc non habent; nam mouentur ab intelligentiis: ergo.

Respondeo, habere principium motuum lationum in potentia; mouentur tamen regulariter ab intelligentiis, cùm à se non determinentur ad hos motus eclipticos, &c.

Obiicies quartò. Si Cœli constarent materiâ, essent corruptibiles. 80

Respondeo, constare materia eiusdem rationis secundum esse; nec tamen corruptibiles, vt dicam *sequenti quæstione* sicuti diximus, *tract.* 4. *d.* 1. *p.* 2. Angelos constare materia, quæ est eadem secundum essentiam cum materia corporeorum; sed varia secundùm existentiam; & tamen illos esse incorruptibiles sustinuimus.

QVÆSTIO VIII.

An Materia *Cælorum, & sublunarium sit eadem.*

S. B. d. 3. p. 1. art. 1. q. 2. & d. 12. art. 2. q. 1.
D. T. q. 66. art. 2.

Prima sententia est, materiam Cœlorum esse diuersam à materia sublunarium. Ita D. Thom. *hic*, & Thomistæ; Alensis 2. *part. q.* 44. *membr.* 2. Capreol. *in* 2. *d.* 12. *q. vnica.* Soncin. *Metaph. quæst.* 9. Richardus 2. *d.* 12. *art.* 1. *quæst.* 8. Collegium 1. *Cæli, cap.* 2. *quæst.* 5. *art.* 2. Perer. *lib.* 5. *cap.* 10. Suarez *in Metaph. d.* 13. *sect.* 11. Amicus *tract.* 3. *quæst.* 3. Valentia *tom.* 1. *d.* 5. *quæst.* 2. *punct.* 1. Cremonin. & alij, quos refert, & sequitur Ruuius, *in* 1. *Cæli, lib.* 1. *cap.* 2. *quæst.* 96. Auers. *quæst.* 33. *sect.* 6.

Secvnda sententia est, esse eandem materiam. Ita D. Bonau. *hic, d.* 12. *art.* 2. *quæst.* 1. Ægid. *in* 2. *d.* 12. Abul. *in cap.* 1. *Genes.* Argent. *tract. de Materia Cæli*, Eugubinus, *in Cosmopæa*, & alij citati à P. Galitio cum Platone in Timæo: adducitur & Scotus à Mastrio *d.* 2. *quæst.* 2. *art.* 2. Rabesano *d.* 3. *q.* 8. *Phys.* Ponc. 1. *Phys. d.* 3. *quæst.* 8. sic & Iunet. *cap.* 3. *de Cælo*, Colleg. 1. *Cæli, cap.* 2. *q.* 6. vbi & plures alij.

Assero primò cum hac sententia, eandem fuisse materiam sub esse primo rudi, ex qua Cœli, & elementa educta sunt à Deo. 81

Probatvr primò à D. Bonau. è Patribus relatis *quæst. præcedenti* ad ea verba Genesis; *In principio creauit Deus Cælum, & terram*; vbi per Cœlum, solum Empyreum sumunt; per terram, materiam omnium inferiorum infra Empyreum. Nobiscum etiam sunt Patres multi, secuti Platonem: Ambrosius 1. *Hexaëmer. cap.* 3. Aug. *lib.* 1. *de Genes. contra Manich. c.* 7. Chrysost. *homil.* 10. *ad populum*, Basil. *hom.* 1. *Hexaëmer.* & illi etiam, qui exponunt per Cœlum, Angelos: per terram, materiam, vbi includunt etiam Empyreum: similiter quoque, qui per Cœlum, & per terram interpretantur materiam, ex qua debebant fieri omnia; vt dixi *quæst. præcedenti.* omnes hi supponunt Cœlos, & elementa ex eadem materia conflari.

Probatvr secundò à S. D. Subiectum, quod habet formam communem, communicat; sed materia primò habuit formam communem, indifferentem ad species; vt ostensum est *quæst.* 3. 4. & 5. ergo. 82

Proba

Probatvr tertiò. Vbicunque est quantitas, ibi est communicatio materiæ secundum esse; sed tum in Cœlis, tum in elementis, est quantitas ab initio creationis: ergo ibi est materiæ communicatio. Maior patet ex Aristot. *de ortu, & interitu.* Minor sensu claret, sic metimur magnitudines Cœlorum; & syderum demetimur superficies eisdem vniuocis mensuris, & eadem physica quantitate, vniuocè definita secundùm trinam dimensionem. Sic & Cœlestes superficies sunt longitudines, latitudines sine profunditate; ita & reliqua.

Hinc attrita vide responsa aduersariorum, Cœlos habere quantitatem nobiscum physicè analogam, vel vniuocam metaphysicè, non physicè; vt ait Faber *loco cit.* cum Mercenario fabellas intexens. Sanè mensuramus oculis Solem, Lunam, & Stellas eisdem regulis physicis perspectiuis.

83 Probatvr quartò à S. Doctore *vltimis fundamentis.* Quæ communicant iisdem accidentibus, communicant in materia, secundùm aliquod esse: sed Cœli, & elementa sic communicant: ergo Maior probatur. Nam accidentia sequuntur materiam compositam. Minor patet. Nam habent claritatem, raritatem, densitatem, *&c.* eadem, non quidem specificè (quod Fabro, & Picolomino do,) sed tamen accidentia eadem genericè, & physicè extensa, sensum mouentia; atque adeò non solùm abstracta metaphysicè. At esto, si abstracta sint vniuoca: Ergo vel etiam contracta, sunt vniuoca; vel illa abstractio mendax est chimæra; vt ipse faber vrget *Theor.* 93.

84 Assero secundò eandem esse materiam horum omnium, quoad essentiam.

Probatvr à Bonau. *dist.* 3. *cit. in fundamentis*: primò è D. Aug. siue Gennadio *de mirabilibus Scripturæ, lib.* 1. *cap.* 1. & super Genes. *Omnipotens Deus ex informi materiâ, quam ipse prius de nihilo condidit, cunctarum rerum, hoc est sensibilium, & insensibilium, species multiformes diuisit.* Hæc vide *tract.* 4. *disput.* 1. *quæst.* 2. latiùs ostensa.

85 Probatvr secundò à S. Doctor *fund.* 4. Abstrahatur materia corporalium ab omni forma, quæro: tunc aut distinguitur ab illa, aut non; si non: ergo sunt idem per essentiam. Si sic, cùm omnis distinctio sit ab actu, è 7. *Metaph. text.* 40. & ex D. Thoma: ergo habet formam, contra nostram suppositionem. Hoc argumento vtuntur Ægidius, aliique *loco cit.*

Respondent aliqui, materias illas abstractas distinctas esse per modum agendi.

86 Contra: quia nouum est in Philosophia, quòd pura potentia determinet sibi modum agendi; nam determinatio est ab actu, à quo est esse determinatum, non à materiâ, quæ est principium passiuum; vt ait Faber.

Addit Caietanus ad locum citatum D. Thomæ, materiam differre per actum relatum primò, seu per commensurationem ad actum primum, idest formam.

Contra primò: ergo materia est intrinsecè composita ex actu, & potentia.

87 Deinde verò, commensuratio illa, siue proportio debet fundari in aliqua entitate priori & proxima, quæ sit principium talis commensurationis; vt notat Seraphicus *d.* 3. *cit. ad* 3. alioqui materia erit nuda relatio.

Respondet Caietanus, quòd ista commensuratio est formaliter ipsa essentia puræ potentiæ ad actus adæquatos. Hanc responsionem tulit à D. Bonauentura *fund.* 4. Arguit verò sic S. D. contra responsionem Caietani. Materia non est sua capacitas per essentiam: ergo contingit eam abstrahi à capacitate; abstrahatur ergo à materia capacitas formarum: quæro, per quod differat; nullam sanè omninò est assignare differentiam: ergo est vna materia per essentiam.

Probatvr tertiò à S. Doctor *fund.* 2. In quolibet genere est reperire vnum primum, quo mensurantur omnia illius generis, ex Aristotele 10. *Metaph. text.* 3. *&* 10. & *lib.* 11. *cap.* 4. sed substantia est vnum genus: ergo habet vnum primum, quo reliqua mensurantur; sed non est extrinsecum, cùm secundùm participationem intrinsecam huius generis, res maior, vel minor sit; ergo est principium intrinsecum: ergo vel materia, vel forma: si materia, habeo intentum; si forma, vnitas formæ necessariò supponit vnitatem materiæ: ergo. 88

Hoc argumentum, malè intellectum, conantur soluere dicendo; id, quod est primum in quolibet genere, mensuraque cæterorum, esse perfectissimum, & ideò in genere substantiæ non posse esse materiam, quæ est imperfectissima.

At verò non capiunt Seraphici rationem, quam explicat *in responsione ad vlt.* Ibi primò astruit, ac probat, quod ab aduersariis assumitur *ex* 10. *Metaph. text.* 24. vbi primum, quod est reliquorum mensura, definitur, esse debere actualissimum. Deinde ait, non poni materiam, vt ipsa sit mensura in genere perfectionis, sed in genere vnitatis & 2. *metaph. text.* 2. quia in generibus causarum, sicut datur vnum primum efficiens, vnusque finis: ergo nec plures materiæ primæ. 89

Probatvr consequentia; quia causæ sunt sibi inuicem proportionatæ, & eodem modo multiplicantur ex Aristotele 2. *Physic. text.* 32. ergo si darentur plures materiæ primæ, darentur etiam plures primi efficientes. 90

Confirmatvr *ex* 2. *Metaph. text.* 2. vbi dicitur, deueniendum esse ad vnum primum. Hoc argumentum clarius habetur, *d.* 3. *p.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *fund.* 3. quod sibi adscribit Scotus, *loco citato*, cique à Caietano adscribitur, & à Fabro.

Confirmatvr ibi à S. Doctore; quia sicut reducuntur ad vnum primum efficiens, ne abeatur in infinitum; ita cùm in resolutione sit status in materia prima, videtur vnam esse debere numero.

Respondet Caietanus negando paritatem; nam causæ intrinsecæ multiplicantur, cùm de sua entitate ponant ad productiones rerum; non sic extrinsecæ.

Contra: ergo dabuntur tot materiæ distinctæ essentiales, quot res diuersæ, quæ ex partibus diuersis constare debent, vel deueniendum ad vnam primam materiam. Hanc autem assignandam ostendit Seraphicus *loco cit. ad vlt.* quia, si non datur prima materia vna; implicat sanè ponere aliud vnum mensurans, cùm illud præsupponat illam in ratione vnitatis; nam forma vnificatur in materia. 91

Probatvr vltimò à quibusdam ad hominem, contra Iesuitas: materia Cœlorum est in potentia transmutationis ad formas: nam formæ cœlestes, vt ipsi asserunt, eductæ fuerunt de potentia materiæ, & nunc quotidie lumen, & alia accidentia educuntur. Ideò materia illa est eadem cum sublunari. Quæ enim communicant in materia, sunt inuicem transmutabilia, vt ait Aristoteles & Boëtius *de duabus naturis, cap.* 5. relatus à D. Bonau. *dist.* 3. *quæst. cit. argum.* 2. Attamen Seraphicus 92

phicus hoc argumentum non approbat in responsione; nam non mensuratur natura materiæ ab eo, quod de ea potest facere Deus: potest enim de lapide facere Angelum; vt notat Seraphicus Doctor *disp.* 3. *p.* 1. *articulo* 1. *fund. vlt.* sed loqui debemus de materiâ secundùm transmutabilitatem naturalem.

93 PRO responsione ad argumenta, obseruare oportet, quòd materia appetit formam, quantùm per eam completur: ita vt simul aliam non subordinatam excludat; sicut locus per vnum locatum completur. Itaque quæcunque forma sufficienter actuat materiam proximè; quòd si modo inseparabili actuet; redditur corpus incorruptibile. Itaque incorruptibilitas prouenit ex modo, quo forma inest materiæ, non ex perfectione formæ; nam sic materia vnita animæ, non deberet aliam appetere; cùm anima nostra includat perfectiones omnium aliarum formarum; & ita homo esset naturaliter incorruptibilis. Hoc igitur prouenit, quia materia non vnitur animæ, modo inseparabili.

94 IGITVR appetitus magis attenditur penes modum, quo materia possidet formam: tunc enim, cùm eam possidet inseparabiliter, delectatur, & conquiescit. Origo ergo corruptibilitatis, vt ait Diuus Thomas *in* 2. *d.* 16. *quæstione* 1. *articulo secundo*, & Diuus Bonauentura *hîc*, est, quia constat ex contrariis; non autem ex appetitu materiæ. Ita habet Aristoteles 1. *Cœli, text.* 20. vbi, Ideò eximit à contrariis Cœlum: quia debet esse incorruptibile.

95 NEQVE verò satis rectè Fauentit *loc. cit.* inducit, forè violenter formam sub illa materia in perpetuum; nam illa materia naturaliter amplectitur formam illam, multo tempore, quod exemplifico in substantiis corruptibilibus, quæ multo tempore stabiles durant, secundùm Scotum, mensuratæ ab æuo; vt diximus *tract.* 4. *disp. vlt. q.* 2. Æuum autem dicitur, secundùm Scotum, mensura permanens: sic ipse probabiliùs censet; vt vidimus *Tractatu primo, disputatione nona, quæstione* 4.

VEL ergo dicendæ, sunt omnes materiæ violenter toto tempore inesse sub formis; cùm semper habeant aptitudinem ad alias; vel concedere debent, naturaliter manere sub formis Cœlorum, toto tempore, quo ab agente contrario non destruantur.

96 OBIICIES primò ex Aristotele, 8. *Metaph. text.* 14. & *libro* 1. *de ortu, & interitu, textu quadragesimo quinto*, non vnam esse omnium materiam corruptibilium, & incorruptibilium.

RESPONDET Sanctus Bonauentura *d.* 12. *articulo* 2. *quæstione* 2. *ad* 1. non esse vnam materiam secundùm esse, quod habet sub diuersis formis: cùm enim à formis habeat materia actum complementi, ab eis etiam mensuratur; est enim eadem secundùm essentiam, & secundùm esse, quod habuit sub forma rudi primæua. Aristoteles verò, vt Philosophus, locutus est de statu naturalium materiarum; non de illo, quo fuit in manibus Creatoris ab initio formata imperfectè.

97 OBIICIES secundò. Si Cœli constarent materiâ, eaque eadem cum elementari, sequeretur, eos esse corruptibiles; sed hoc est contra sensum omnium sapientum: ergo. Probatur sequela; quia materia habet aptitudinem insatiabilem ad omnes formas, nec satiatur aliquâ, quæ omnes alias non contineat, sed forma Cœli non continet perfectiones aliarum: ergo.

HOC argumentum vrgent Scotus, Fauentinus, Valentia, & alij, *locis adductis*. At Mastrius, & Rabesanus respondent, sat esse, incorruptibiles extrinsecè illos sustinere.

RESPONDENT plurimi concedendo sequelam, sed hoc, *tractatu de Cœlis, disputat.* 2. discutietur.

RESPONDET Sanctus Bonauentura, negando sequelam, vt patet *ex fundament. s*, materia enim quandiù pacificè fruitur illa forma, quam habet, non habet aptitudinem proximam ad aliam: quia melius est bonum, quod habetur, quàm quod non habetur: neque verò quies materiæ sub vna forma venit ex nobilitate formæ, alioquin materia, quæ est subiectum animæ rationalis perfectissimæ, nunquam dissolueretur: & sic corpus organicum, quod est materia eius, debuisset fieri incorruptibile naturaliter; vt ita homo esset naturaliter immortalis. Neque venit incorruptibilitas ex ipsa substantia formæ, sed ex modo indissolubilis connexionis: atque adeò materia proximè non appetit aliam formam, quandiù finitur frui illa: neque corruptibilitas formæ venit à materia, ac si ipsa forma, naturâ æuiternâ esset corruptibilis, neque potest destrui à materiæ insatiabilitate: vt patet de anima rationali. 98

DICITVR ergo corruptibilitas, vel dissolubilitas nexus, inter materiam & formam, ob passibilitatem à contrariis; & si materia appetit aliam formam, hoc euenit, quia forma illa talis non est bonum perpetuum, aptum actuare perpetuò materiam, quæ tametsi appetitu remoto feratur ad alias formas: tamen efficaciori, & actualiori appetitu proximo delectatur præsenti, quâ actuatur. Cùm ergo corruptibilitas non veniat ex appetitu materiæ, sed è dissonantia contrariorum; frustra aduersarij inducunt Cœlos fore corruptibiles; si materia constarent. Neque ex potentia, & appetitu remoto materiæ, benè inducunt corruptibilitatem Cœlorum, aut violentiam materiæ; vt clarè ostendi in fundamento. Neque illa potentia remota est frustrà, eò quòd non reducatur ad actum, quando debet: alioquin inferendum, frustrà esse potentiam materiæ corporis humani post resurrectionem, eò quòd non poterit vnquam satiari innumeris formis, ad quas habet aptitudinem: imò omnes aliæ partes elementarium materiarum erunt frustrà; quia non possent habere innumeras formas, quas haberent etiam post diem iudicij, sanè cessantibus generationibus, cessabunt etiam mutationes formarum ac proinde omnes istæ partes materiæ perpetuâ violentiâ opprimerentur, quod est absurdum, ab aduersariis inductum contra nos. 99 100

INSTAT Ruuius: vel hæc indissolubilitas formæ respicitur essentialiter à materia, vel accidentaliter, si essentialiter. ergo est materia diuersa ab elementari, quia essentialiter respicit alias etiam formas: si accidentaliter: ergo poterit accipere formas dissolubiles. 101

RESPONDETVR è D. Bonau. materiam, secundùm

cundùm esse accidentaliter respicere eam formam indissolubili modo; at secundùm essentiam substantialiter, (licèt posset aliis formis vniri dissolubiliter) contra tamen, habet esse indissolubile ibi: quia nulla naturalis agentis vi potest auelli, vt monet etiam Eustach. *parte 2. Physic. tractatu primo, disputatione secunda, quæstione 2.*

QVÆSTIO IX.

An MATERIA *sit vna numero omnibus materiatu.*

S. Bonau. in 2. distinct. 3. p. 1. art. 1. quæstione 3.
D. Thom. q. 66. art. 2.

PRIMA opinio, est materiam omnium esse vnam specie. Sic Alens. 2. *parte, quæst.* 44. *articulo* 2. Albert. 4. *d.* 6. *art.* 8. Rich. 2. *d.* 12. *art.* 1. *q.* 9. Scot. 2. *d.* 11. *quæstione tertia*, & *in* 2. *d.* 12. *quæstione* 1. *cum Schola*, Fabro *Theor.* 27. Ponc. *disput.* 3. *quæstione* 8. Liuio 1. *Physic.* Ferr. 3. *congen. cap.* 20. Fonsec. 2. *Metaph. capite* 3. Suarez *d.* 13. *sectione* 1. Colleg. 1. *Cœli, capite secundo, quæstione* 6. vbi Ruuius, Amic. *tractatu quinto, quæstione* 8. Auersa *quæstione* 20. *sectione* 2. Fuliens. 1. *Physic. art.* 5. & alij apud istos.

PLVRES tamen recentiores volunt, vnam esse specie, non actu, sed potentiâ, quâ respicit diuersas formas, à quibus potest distingui specie. Ita Ruuius 1. *de Cœlo, capite secundo, quæstione* 6.

102 VERA autem sententia est, materiam omnium esse vnam numero: ita Sancti Doctores, quos sequuntur Thomistæ. Idem sentiunt omnes Philosophi, ante Aristotelem, vt testatur Theodoretus, *libro de materia, & mundo*; & Plutar. *libro* 2. *de placitis Philosoph.* sic aiunt, dixisse Trismegistum, Empedoclem, Heraclitum, Thaletem, Xenophanem, Anaximandrum, Xenocratem, Platonem, quos sequitur Auicenna *libro* 1. *sua suff. capite* 3. Auerr. apud Zimar. *th.* 96. Ægidius *d.* 12. Argentina *tract. de materia Cœli*, Molina *p. p. tract. de operibus sex dierum, disp.* 5. & alij, cum Abulensi, *in capite* 1. *Genesis*, Titel. *lib.* 1. *Phil. c.* 12.

103 FVNDAMENTVM primum. Materia habet sanè potentiam ad formas; non ad formas genericas, vel specificas, sed indiuiduas suscipiendas; hæ enim sunt, quæ possunt actuare realiter, & informare materiam: nam formæ genericæ sunt entia magis per intellectum: hinc verò fit, vt nequeat materia dici vna genericè, vel specificè in potentia per ordinem ad formas, quas respicit potentiâ: nam potentia materiæ respicit formas existentes quidem sub generibus, & speciebus; at verò eas respicit vt indiuiduæ sunt. Ideò potentia potiùs vna numero dicenda est: ergo & remota, & proxima potentia respicit formas indiuiduas.

104 FVNDAMENTVM secundum ex Aristotele 2. *Metaph. text.* 7. Vnum dicitur dupliciter, primò per se: secundò per accidens. Per accidens, dicitur omne accidens de subiecto, vt Musica, albedo, &c. de Christophoro: similiter quoque vnum accidens de alio; vt disgregatio de albedine; congregatio visus de nigrore. Per se dicitur, quod per se conuenit; & hoc euenit quadrupliciter. Primò vnum genere; vt Homo, & Leo sub genere animalis. Secundò, specie; vt Petrus, & Paulus sub specie hominis. Tertiò numero; vt Petrus in se. Quartò dicitur vnum continuatè; vt linea continuata. Ex his ea, quæ vnum numero sunt, nullo modo distincta sunt. Hæ autem vnitates dicunt perfectionem secundùm formam; sic vnitas specifica Leonis cum 105
Leone, dicit perfectionem à forma Leonina. Quæ vnum numero sunt, ab vnitate formæ indiuiduæ tales sunt. Cùm autem materia præcisè careat omni formâ, caret etiam omnibus talibus vnitatibus; & quò maiores vnitates sunt, magis sunt formales, ac actuales; sic vnitas numerica est maxima. Hinc indiuiduum dicitur prima substantia, & ideò magis alienum à materia. Ex his habes Aristotelem 5. *Phys. text.* 31. non omnes recensere vnitates per se, sed solas tres primas suprà; in quo errat Faber.

IGITVR fundamentum tertium est, dari quandam aliam vnitatem, quæ dicitur Homogeneitatis, quæ manet etiam in partibus massæ diuisæ, v.g. in annulis ex eadem massa auri conflatis; est enim vnum aurum. Talis fuit materia initio creationis, scilicet vna numero massa: ex hac verò massa, vasa plurima composita sunt, nempè elementa, & Cœli. Fuit ergo primò vna, vnitate imperfectâ Homogeneitatis, non genericâ, vel specificâ, aut propriâ indiuidualiter, ex differentiis formalibus: nunc autem est vna homogenea, tamen diuisa in plura segmenta, ex ratione formarum numero distincta; quæ tamen distinctio numerica est formæ, non materiæ; si veram rationem distinctionis indiuiduæ spectes.

ASSERO primò. materiam, quæ reperitur in diuersis corporibus, esse vnam, vnitate numerica imperfecta Homogeneitatis.

PROBATVR primò à Diuo Bonauent. Quod 107
ita est vnum, vt nullam admittat distinctionem, est vnum numero; talis est materia; nam omnis distinctio est à forma: ergo. Hoc vtitur Faber *Theor.* 59. *c.* 2. dicens, esse validissimum argumentum.

PROBATVR secundò *ex corpore, & fund.* 1. Quod est vnum, aut est vnum genere, aut specie, aut numero actuali, aut continuatione, aut numero homogeneitatis; sed materia non est vna aliqua è primis recensitis vnitatibus: ergo vltima. Maior patet *ex fundamentis, & corpore quæstionis.*

PROBATVR tertiò à Diuo Bonau. Status 108
perfectionis non potest esse nisi in vno, ex Aristotele 12. *Metaph. vlt. &* 8. *Physic.* ergo sicut est status in vno efficiente, & vno fine; ita debet esse & in vna materia. Minor probatur *ex argum.* 3. *quæst. præcedentis*, quod est Scoti & Fabri.

PROBATVR quartò. Cùm dicitur, materia lapidis est materia; & materia Cœli est materia; aut dicitur vniuocè, aut æquiuocè, aut idem dicitur de se. Non æquiuocè; alioqui Cœlum, & lapis essent substantiæ æquiuocè. Non vniuocè: quia vniuocatio est solùm in formis, & in his, quæ dicunt formam: ergo idem prædicatur de se.

PROBATVR

109 PROBATVR quintò. Intelligamus materiam abstractam ab omnibus formis, intelligitur materia, vt simplex & vnica, vt suprà; quia distinctio est à forma; sed formæ superuenientes non mutant essentiam materiæ, sed solùm esse illius: ergo si priùs erat materia vnica numero, quoad essentiam, talis erit & posteà. Minor probatur: nam id, quod est priùs non habet essentiam à posteriori; sed supponitur; vt docent
110 Scotus, & assectæ relati *quæstione tertia, numero 35*.

PROBATVR sextò à Sancto Doctore. Intelligamus, quòd Deus lapidem mutet in Angelum, tunc mutaretur esse materiæ, sed essentia esset salua: ergo materia, cùm sit vna per essentiam, etiam in hac transmutatione est illius mutationis subiectum: sed illa mutatio est vna numero: ergo materia per essentiam manet vna numero. Tunc, si in Angelo sic producto maneret eadem materia, quæ erat in lapide præexistente: ergo multò magis esset eadem in transmutatione corporalium. Tunc igitur sic. Eorum, quæ inuicem transmutantur, materia est vna numero; vnum enim numero, subiectum est manens sub termino *à quo*, & sub termino *ad quem* transmutationis; eadem enim materia, cùm vnitur diuersis formis, inuariabilis perseuerat, ex Aristotele 1. *Phys. textu 62.* & 5. *Phys. textu octauo*. Omnia naturaliter corruptibilia, saltem sunt transmutabilia ab inuicem, vt patet ad sensum: ergo materia est vna numero in rebus generabilibus, & corruptibilibus.

RESPONDET Fauentinus primò, Aristotelem *in allegatis locis* velle dari aliquod subie-
111 ctum; sed non dicit, illud subiectum debere esse vnum numero.

CONTRA: nam 1. *Phys.* ait: *Oportere semper aliud subiici, quod fit, & hoc, etiamsi numero sit vnum: at forma quidem non vnum; forma enim dicitur*, &c. *Et illud quidem permanet: hoc verò non permanet*.

RESPONDET secundò. Esto, maneat materia vna sub forma ignis geniti, quæ erat sub forma ligni corrupta; non sequitur esse vnam numero materiam duorum genitorum, & multò minùs omnium existentium; alioqui vnum esset numero subiectum formarum contrariarum, *v.g.* albi; & nigri in summo rationalis & irrationalis; vt arguit Scotus, & multò magis hæc materia staret sub aëris, & ignis formis simul.

HIC subtilior sæpè ludit, ad instar auium Cœli. Scit quidem Diuus Bonauentura, plurima esse debere segmenta materiæ pro multitudine formarum; neque deceptus est Sanctus Doctor, & cum eo omnes præclari nostræ assertores sententiæ deducentes, materiam vnam numero esse, eò quòd sit vna essentia; cùm hæc vnitas in specie soleat clarè videri; neque ignorauit Seraphic. Doctor, cum cæteris differentiam vnitatis specificæ à numerica; vt altè Faber insonat; sed dicunt, materiam è sua essentia non habere eam sectionem, sed ab agentibus; neque eam multiplicationem indiuiduam perfectam esse primarum substantiarum constituendam; sed à formis actuantibus hoc obtinere; cùm essentia sua imperfecta, actu quidem prædita entitatiuo, vnitatem actu illo imperfectam habeat; vt explicui è Seraphico Doctore. Hæc sanè vnitas positiua nixa actu entitatiuo nititur; vt norunt Scotus, & Faber à Diuo Bonauentura concedi, quem sequuntur; vt dicam *quæstione decima secunda*. Vnitas igitur imperfecta sequitur talem entitatem, quæ priuationem, seu carentiam includit perfectæ vnitatis formalis, quæ aduenit à formis; vt dixi. Quare frustrà vrget Faber; quo positiuo ea priuatio nitatur? Rectè verò ait, nostram sententiam sibi videri Aristotelis 1. *Metaph. textu vndecimo*. Male tamen sequelam eam inducit, forè, vt plures formæ in eadem numero materia starent; hoc quidem non sequitur ex antedictis, neque defectus oritur ex materia, nisi quatenus est finitæ capacitatis; sed ex formis, quæ proprias, & sæpè oppositas exigunt dispositiones. Quare aptè Seraphicus Doctor, ex eo quòd formas oppositas, successiuè dispositionibus acceptas, hospitatur, infert eius vnitatem numericam Homogeneitatis; non autem inuersè argumentatur; vt dicit cum Scoto Faber. 112

ASSERO Secundò, materiam esse vnam numero negatiuè: est enim vna sine numero; quia, cùm non habeat formam indiuiduam, non potest esse indiuiduum perfectum. Est igitur vna numero, sine perfecto numero; sicut ouis illa centesima dicitur signata, eò quòd inter nonaginta nouem signatas, ipsa caret signo. Quod si numeratur sub formis, hæc numeratio non conuenit materiæ, ratione propriæ naturæ; sed ratione formarum; vt ait & Petrus Iouet. c. 2. *Phys.*

OBIICIES primò cum Scoto, & Fauentino. Aristoteles 12. *Metaph. capite quinto, textu vigesimo septimo*, loquens de principiis, per se, ait. Quòd sicut principiata sunt alia, sic eorum, per se, principia: & hoc secundùm genus, & speciem, & numerum; & subdit. *Eorum, quæ in eadem specie, sunt diuersa, (supple principia) non specie, sed quoniam singularium aliud; & tua materia, & forma, & quod mouet, & forma, ac mea materia; vniuersali verò ratione, eadem.* Itaque infert sic principium meum, & tuum sunt distincta numero. 113

RESPONDET Sanctus Bonauentura ex Aristotele 1. *Phys. textu 89.* quòd materia differt numero, ratione formæ diuersæ: Sic autem ait Aristoteles. *Vnum quid, igitur principium est, non sic vnum existens; neque sic, vt hoc alterum vnum, aut secundùm quod, ratio.* Per rationem autem intelligit vltimam differentiam, ex eodem Fabro, qui citat Aristotelem in Metaphysica.

QVÒD si vera esset ratio Scoti, eo sensu, quo vsurpatur; sicut se habent principia, ita etiam principiata: subsumerem; sed principiata multa sunt diuersa genere; vt lapis, & Leo; ergo etiam materiam eorum erit diuersa genere, contra Scotum, qui solam differentiam indiuiduam astruit. Non loquitur ergo Aristoteles de materia secundùm essentiam, sed secundùm esse. Id verò testatur Aristoteles, *loco citato*; à Fabro, vbi ait. *Singulare principium eorum esse, quæ singularia sunt*, & subdit; *Eorum quoque quæ in eadem specie sunt diuersa, non specie, sed quoniam, quæ singularium, aliud est tua materia, & forma, ac mea*. Intellige, differunt, id est ratione formarum singularium per accidens, id est quatenus habent distinctam materiam à forma 114 per

per se autem duæ materiæ non differunt, vt dictum est.

Obiicies secundò cum Scoto. Si eadem materia esset sub forma aeris, & ignis, non requireretur transmutatio corrumpens præcedens, vt materia fieret sub alia forma. Id vrget Poncius.

115 Respondetur, negando sequelam, quia necessariæ sunt dispositiones propriæ, vt materia indifferens ad hanc potiùs formam disponatur, quam ad aliam: similiter quia materia infecta est qualitatibus contrariis, nouæ formæ debent pelli.

Imò retorqueo contra Scotum, & Fauentinum. Aut volunt generari nouam materiam numero distinctam, vel eandem numero manere; si alia numero generatur: ergo tollitur natura transmutationis, quæ est, vt idem maneat numero secundùm aliquid; & secundùm aliud varietur. Deinde: ergo materia est generabilis. Tertiò: ergo generatio est creatio, quia ex nihilo est; at ex nihilo naturaliter nihil fit. Deinde si materia generatur; vel ex alio, vel ex nihilo generatur: non ex nihilo, quia esset creatio, quæ soli Deo conuenit: si ex alio; idem quæro de illo, & sic daretur processus in infinitum.

116 Vrgeo adhùc; si materiæ differunt numero in pluribus hominibus ex distinctione formarum: ergo in Leone, & adamante differunt genere, quod est contra Scotum.

Dices, Ita differunt plures materiæ sub formis, sicut plures partes auri eiusdem massæ, sub diuersis annulis; sed hæ differunt numero: ergo & materiæ. Id premit Poncius.

117 Respondeo ad Maiorem, non ita rem se habere: nam distinctio partium auri est multitudo partium actuatarum per formam; at verò plures illæ materiæ differunt distinctione, quantum est in se, imperfectâ Homogeneitatis; vt dixi.

QVÆSTIO X.

An materia sit Corpvs, *seu habeat formam corporeitatis sibi intrinsecè coæuam.*

118 Nota duplex esse corpus, nempè substantiale, quod est species substantiæ subalterna; & accidentale, quod est quantitas continua, trina constans dimensione. Sunt hæc prædicamento diuersa. Quæstio est; An materia sit intrinsecè corpus substantiale.

Prima opinio asserit affirmatiuè. Hanc secuti sunt Stoici, quibus adhæsit Pericles Lydius apud Simplicium *text.* 69. *Phys.* Auicenna 1. *suffic. capite* 2. Auer. *epit. Metaph. Tractatu* 2. His adnectunt aliqui D. Bonauenturam *in* 2. *d.* 12. *art.* 1. *quæstione* 2. & alios relatos *quæstione* 3. dicentes, materiam creatam sub quadam rudiori forma; sed immeritò; non enim hanc formam censet intrinsecè coæuam, ideoque inseparabilem; sed eam deperditam in rerum distinctione asserunt.

119 Falsò itidem infarciunt admittentes formam corporeitatis in mixto animato: hæc enim neque coæua est, neque inseparabilis. In his deceptus est valdè Amicus, *Tract.* 6. *Phys. quæst.* 3. *dub.* 2.

Sententia Peripatetica ea est negantium materiæ formam intrinsecè coæuam: Sic Diuus Bonauentura *in* 2. *distinct.* 3. *parte* 1. *articulo* 1. *quæstione* 2. & 3. post veteres Aristotelis Sectatores, quos recenset, & sequitur Amicus. Est Diui Thomæ *p. p. quæstione* 76. *articulo* 6. Scoti apud Fabrum *Theor.* 31. Zanardi 8. *Phys. quæstione* 6. Aresij 1. *de Generatione, disputatione* 2. *quæstione* 10. Toleti 1. *Phys. quæstione* 15. Pererij *libro* 5. *à capite* 15. Suarez *disputatione* 13. *Metaph. sect.* 3. quos sequitur Pater Galitius; *parte* 1. *libro* 1. *tractatu* 2. *quæstione* 6. Est autem Aristotelis, cuius loco recenset Amicus.

Assero cum hac sententia materiam non esse intrinsecè corpus. 120

Probatur primò à Seraphico Doctore *citata quæstione prima, & secunda.* Id, quod est indifferens ad formas spirituales, non minùs quàm corporeas, non est intrinsecè corpus. Talis est materia indifferens ad formam Angeli, atque animæ: ergo. Quòd Angeli constent materiâ, ostensum est *tractatu quinto, disputatione* 1. *quæstione secunda.* Quòd etiam anima nostra; ostendam *Tractatu octauo, disputatione* 1. *quæstione* 7.

Probatur secundò à Diuo Bonauentura. Omne corpus substantiale est compositum actu, quod ponitur directè in prædicamento substantiæ; tanquam Genus, quod in species diuiditur; at materia est simplex incompleta, actum vix habens entitatiuum, & secundùm aduersarios ens in potentia: ergo. Est argumentum Aristotelis, qui veteres in hoc reprehendit 1. *Phys.* & 2. *Gener. ac* 1. *Metaphysicè*; & 7. *Metaph. text.* 1. diuidens prædicamenta, dicit, substantiam esse *Quid*; at *textu octauo* ait, *materia non est Quid*, addit, *nec Quantum*, quo elidit Ioannem Grammaticum dicentem, materiam esse corpus Mathematicum. Sanè, cùm sit substantiæ principium, ac subiectum generationum, non est accidens. Huius errorem mitto. 121

Argumenta opposita iacent pedibus Patris Galitij, Amici, aliorumque obuoluta. Id vnicum obserua, materiam nunquam nudam absque formis inuentam; sed ab exordio mundi, sub forma rudi embryonica fuit: vnde singulares formæ productæ, nunc verò semper alicui composita est formæ: atque adeò subiectum agenti naturali præparatum. 122

QVÆSTIO XI.

An Qvantitas *soli inexistat materiæ.*

Præcedenti hæc affinis est quæstioni; si enim quantitas soli inest materiæ, hæc erit corpus physicum. Solet aliis titulis poni:

ni: An materia habeat dimensiones indeterminatas sibi coæuas: An quantitas sit cum materia ingenerabilis, incorruptibilis.

PRIMA opinio est Auerr. 1. *Phys. com.* 63. quem imitatur Aureolus, 2. *distinctione* 12. *q.* 1. *art.* 3. Gregor. *ibi q.* 2. *art.* 1. Bacconius 1. *d.* 42. Tostatus *in Matth.* 22. *quæst.* 23. Fuliens. 1. *Phys. art.* 5. Pererius *l.* 5. *c.* 18. Zabarella *l.* 2. *de prima materia, c.* 9. Picolom. *l.* 3. *de prima materia, c.* 10. Conimbr. 1. *de Gener. c.* 4. *q.* 4. *art.* 1. Hurtad. *in Phys. d.* 6. *sect.* 6. Amicus *tract.* 5. *Phys q.* 3. *d.* 7. Inclinat Suarez *in Metaph. d.* 14. *sect.* 3. & *in* 3. *p. tom.* 3. *d.* 52. *sect.* 2. & Vtinensis noster, *tract.* 3. *q.* 12. *art.* 2. *sect.* 3. referentes Alensem, D. Thomam & Scotum. Hi dicunt quantitatem immediatè inhærere materiæ. Sic Auersa *quæstione* 21. *sectione* 7. Arriaga *d.* 5. *sect.* 2. qui hanc acclamat sententiam communem. Sequitur Eustach. *p. p. Phys. tractatu* 1. *quæstione* 8. Iuuet. *capite* 2. *Phys.*

123 PATER Galitius adducit Diuum Bonauent. 2. *d.* 2. *parte* 1. *art.* 1. *quæstione* 2. vbi ait, omnes quantitates habere esse incompletum in materia, quia sunt in materia dimensiones innumeræ.

SANE ibi videtur pro prima sententia stare; vt mox dicam, & ita tenet Pater Vlmus Bergomensis.

124 IGITVR secunda sententia est D. Thomæ *p. p. quæstione* 76. *art.* 6. quem sequuntur discipuli, Capreol. 2. *d.* 18. *quæst.* 1. *artic.* 1. *concl.* 3. Zanard. 8. *Metaph. quæst.* 5. Bannes 1. *de Gener. quæst.* 9. *c.* 4. Caietanus 3. *p. quæstione* 78. *art.* 1. Ferrar. 4. *contra Gentes, cap.* 81. vbi ait, Diuum Thom. primis annis cum Auerroe sensisse; at maturius deflexum. Richard. *in* 4. *d.* 12. *art.* 2. *q.* 2. & *art.* 4. *quæstione* 2. Scotus, *quæstione* 5. Faber *Theor.* 30. Ponc. *d.* 6. *q.* 4. Iulius Iornata *quæst. de constitutione indiuidui*, Durandus 1. *d.* 8. *q.* 3. & 4. & *in* 2. *d.* 12. *q.* 2. Ægidius *Theor.* 44. & 45. Toletus 1. *Phys. quæstione* 15. Vasquez *in* 3. *puncto, disputatione* 129. *numero* 3. Ruuius 1. *de Gener. capite* 4. *tractatu* 3. *quæstione* 8. Hi censent, quantitatem hærere composito.

HÆC videtur sententia Diui Bonauenturæ 2. *d.* 3. *parte* 1. *articulo* 1. *quæstione* 2. & *d.* 12. *articulo* 2. *quæstione* 1. & *d.* 30. *art.* 3. *quæstione* 1. vbi constanter repetit, materiam ex se carere actuali extensione. Ita exponit P. Galitius *p. p. l.* 1. *tract.* 2. *q.* 7.

AD eum verò locum contrà allatum, dicit Pater Galitius, materiam sub illa forma prima incompleta asseri à Diuo Bonauentura, habuisse quantitates illas, cùm formandæ ex ea erant tot creaturæ; quod collegit *è distinct.* 22. *art.* 1. *q.* 3. & *quæstione vltima*, & *art.* 2. *quæstione* 1. Quare arbitratur, Seraphicum esse pro secunda sententia. Idem sic explicat R. P. Eliseus ab Oriano, eruditissimus Theologus.

125 ASSERO primò probabiliter, quantitatem nudæ materiæ inhærere, non autem composito.

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *distinctione* 3. *citata, quæstione* 2. *ad* 4. Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur: sed forma diuisibiliter recipitur in materia: ergo recipiens materia est diuisibilis, sed hoc non habet à se: ergo à quantitate.

NEQVE dicat Galitius, formam esse diuisibilem; nam diuisibilitas est proprius effectus formalis quantitatis, & aliorum per ipsam, ex Aristotele 5. *Metaph. textu* 18. Confirmatur: quantum; & diuiduum, non fit è pluribus non quantis, & indiuiduis, ex Aristotele 6. *Phys. textu* 2. Nemo enim dat, quod non habet; sed materia, vel forma non sunt diuiduæ, & quantæ: ergo. Magis re in hoc vrget Seraphicus Doctor *in* 4. *d.* 12. *art.* 1. *q.* 1. *argument.* 2. *opposito.*

HOC argumentum, quod creditur Zabarellæ, negotium aduersis graue facessit, ad quod multiplicat Faber responsa, *capite secundo.*

RESPONDET primò, diuiduum non posse fieri ex indiuiduis additione; & hoc velle Aristotelem, probantem, non posse lineam è punctis fieri; posse tamen fieri consecutiuè, & originatiuè, & sic quantitas (ait) consequitur substantiam compositam. Vel dic (subdit) materiam esse diuiduam virtute. 126

CONTRA: quia effectus formalis diuisibilitatis est quantitati proprius, & communicatur informando, non efficiendo tantùm: quod si materia cum forma corporea recipiunt quantitatem, dantque ei esse diuisibile formaliter; quomodo quantitati est proprium facere diuisibile? & si forma est priùs diuidua; vt dicebat Pater Galitius; iam quantitas superfluit; imò à forma recipit id, quod ipsa dat. Quòd verò quantitas sit in potentia materiæ, eiusque virtute effectiua, primò efficit, vt in ea recipiatur modo ei insolubili ab initio.

RESPONDET secundò, quod sicut agens potest de non substantia generare substantiam; ita potest producere quantum de non quanto: quia potest generare substantiam, quam consequitur quantitas, quam potest quantum generare. Hæc responsa elicuit è Diuo Bonauentura *in* 4. *d.* 12. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2. 127

CONTRA: quia effectus formalis est à forma, non ab agente solo. Cùm igitur compositum sit formaliter quantum, debes assignare, quæ sit hæc forma; sanè est quantitas in Classe Peripatetica.

PROBATVR secundò. Quia vix percipi potest generatio; cùm enim agens expulit dispositionem formæ veteris, corrumpitur forma, puta, ligni ab igne; Iam destruitur etiam quantitas, quia, corrupto aliquo, corrumpuntur omnia; quæ sunt in illo; vt docet Aristoteles *capite de substantia*, & 2. *Topic. capite* 22. S. Doctor 1. *d.* 5. *art.* 2. *quæstione* 1. *argumento* 3. atque adeò non est necesse *hic* contrarium corrumpens. Eia igitur: Vel noua quantitas producitur in subiecto quanto, & ideò per partes distincto; vel in non quanto: non in quanto; alioqui quantitates se inuicem penetrabunt, vel compositum ante quantitatem erit quantum: si in non quanto: ergo in subiecto improportionato. 128

CONFIRMATVR à Pererio. Agant duo ignes æqualiter in duas medietates baculi: tum in primo instanti, quo forma ligni vtrinque cedit, aut inuenient materiam distinctam, aut non; si sic: ergo erit distincta per quantitatem, si non: ergo duæ illæ formæ in eadem parte materiæ erunt; cùm non expellantur per aduenientem quantitatem. Multas rationes, aduersantium iudicio graues, vide in Doctoribus nostræ sententiæ; & in aduersis non solutas. 129

Ex his constat in generationibus non produci nouas quantitates, sed solas extensiones rarefactionibus, vel condensationes, quæ sunt quantitatis accidentia. Potest tamen sustineri, produci nouam.

In Augustissimo pariter Sacramento non corrumpitur quantitas, cum aliis accidentibus; sed manet eadem, & materiæ aduenienti vnitur: est enim subiectum in illis mutationibus; in omni autem mutatione oportet assignare subiectum, quod idem sub formis maneat, vt docet cum Aristotele Seraphicus *in* 4. *d.*12.*p.*1. *art.*2. *quæst.* 3. *ad* 1. Suarez 3. *p. loco cit.* & alij apud eum.

131 Argumenta nulla in aduersariis inuenio ponderosa, præter vnum.

Obiicit primò Faber, quem præ cæteris argumentosum video. Substantia est prior accidente, tempore, naturâ, cognitione; ex Aristotele 7. *Metaph. t.*4. Id premit Ponc. quia actus per se, præcedit actum per accidens.

Respondetur, non intelligi collectiuè, sed distributiuè diuersis modis; accidentia nimirum sunt posteriora; aliqua naturâ; alia etiam tempore; sic in anima nostrâ; visibilitas non est posterior tempore; sicuti habitus acquisiti, & risus ipse.

Obiicit secundò. Materia per se non existit existentiâ singulari, quæ est subsistentia; ac proinde nequit recipere accidentia, quia ad hoc debet esse ens completum.

132 Respondetur, verum esse de accidentibus particularis formæ, quam supponunt, non de præparatario ad ipsam formam.

Obiicit primò Pater Galitius. Corpus Physicum corrumpitur: ergo & quantitas; Probatur consequentia: quia forma, vt extensa, est talis corporis constitutiua.

Respondetur, corpus Physicum corrumpi, dum destruitur forma extensa; at non requiritur corrumpi quantitatem, quæ formam extendebat.

Obiicit secundò. Cùm producitur forma, vel producitur extensa, vel inextensa; si primum: ergo producitur quantitas; si secundum: ergo indiuisibilis.

133 Respondetur, educi è materia extensa formam extensam ab eadem quantitate.

Obiicit tertiò. Si quantitas non generatur; sequitur viuentia augeri solo extrinseco additamento particularum quantitatum: consequens toti philosophantium scholæ aduersatur; sequela probatur: quoniam augeri per additamentum non est aliud, quàm materiam quantam apponere materiæ quantæ; sicut augentur inanima, dum v. g. igni noua materia, & quantitas applicatur. Hoc vrget Galitius *numero* 11. Quod si dicas, vniri quantitates: En penetratio.

134 Hoc sanè argumentum, quod est D. Bonau. vt referam *disp.*1. *q.*2. *tract.*9. efficax est; non videtur tamen ineuitabile, concedendo quantitatem corrumpi ad corruptionem formæ: quia subsequens aliam exigit quantitatem, & iactæ sunt ad eam iam dispositiones; quamuis autem quantitati nil contrarium sit, vt docet Aristoteles *c. d. quanto*; atque adeò per se non corrumpatur; potest tamen corrumpi ex mutatione subiecti. Enim verò non satisfacit argumento; imò aduersi supponunt satis consequenter quantitatem ingenerabilem, &c. ob rationem infrà ferendam. Igitur sequela negatur, & modus augmenti exponetur *Tract.*9. *d.* 3. *p.*2. *q.* 3.

Loca D. Bonau. allata pro posteriori sententia, non videntur cogere; nam Seraphicus Doctor iuxta sua principia, negat materiæ secundùm essentiam actuales extensiones: quia potest poni etiam sub forma spirituali. Habet igitur extensionem, provt suscipit formam corpoream, quæ non est nata esse in materia, nisi cum extensione: quamuis ipsa simplici essentiâ in se sit consistens. Hæc S. D. Videtur ergo velle, extensionem dari materiæ ad formas corporeas suscipiendas; atque adeò quantitatem præcedere formas, quæ alioqui simplices sunt. 135

Hinc habes, quid velit *d.* 12. *art.* 2. *q.* 2. dicens: *Materia quadam est subiecta formæ substantiali, & quantitati*; distinguit enim statum diuersum materiæ sub formis spiritualibus, à statu ipsius sub formis corporeis, quas primò nominat ante quantitatem; quia hæ faciunt diuersitatem substantialem horum statuum, non quia præcedant quantitatem in materia. 136

E regione videtur sanè pro prima sententia ille locus Seraphici 2. *d.* 1. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 2. vbi ait, omnes quantitates habere esse incompletum in materiâ, quia sunt in materia dimensiones infinitæ. Mox addit. Tamẽ esse completum ipsarum est à materia existente sub forma. Hæc vltima verba à Galitio non scripta, videntur litem pro prima sententia definire in Schola Seraphici. Quare non erat cur emendicaret responsum dicendo, loqui pro statu primæuo mundi nascentis; de quo egimus *quæst.* 3. *& sequenti*: est enim inutilis responsio; quia loquitur de præsenti. Vult igitur dicere S. D. materiæ portionem hanc habere quantitatem, atque dimensiones innumeras; at non determinari, nisi tali sub forma substantiali sit constituta; formæ enim peculiares exigunt extensiones aptas. Eodem modo expone locum *d.* 3. suprà. Itaque probabilem censet Seraphicus etiam primam sententiam, quæ tamen, maximè vltima obiectione, concutitur. Neque responsum est satis: nam quantitas in prima sententia conceditur ingenerabilis, & incorruptibilis: eò quòd omne, quod corrumpitur, vel à contrario corrumpitur, vel ad corruptionem subiecti; cùm autem quantitati nil contrarium sit, & subiectum eius asseratur materia ingenerabilis, & incorruptibilis: sequitur quantitatem eandem permanere. Quod vltrò supponunt. 137 138

Assero igitur probabile esse, ac Seraphico non minùs consonum, quantitatem non nudæ materiæ; sed toti composito inhærere. Videtur D. Bonau. *in* 2. *d.* 12. *quæst.* 1. *fund.* 5. vbi infert, quòd si materia creata est omni formâ carens: neque habuit quantitatem.

Probatur argumento suprà allato in tertia obiectione, quod validum est; vt ostendam *tract.* 9. *quæstione* 2.

Probatur etiam à Diuo Bonauentura *in* 4. *d.* 12. *art.* 1. *quæstione* 3. *ad* 2. Vbi est quantitas, est aliqua extensio præcisa, non confusa. Ad argumenta in contrarium satis responsum est. 139

QVÆST.

QVÆSTIO XII.

An MATERIA sit pura potentia.

HÆc quæstio aliis terminis agitur: An materia habeat existentiam sibi propriam, actumque entitatiuum, seu aliquam actu entitatem. Huiusmodi actus differt à formali, qui rebus conuenit ratione specificâ formarum; ille verò conuenit cuicunque enti existenti extrà.

PRIMA opinio est, materiam nudam esse potentiam nullo actu præditam. Ita D. Thom. *p. p. q.7. art.2. ad vlt. & q.44. art. 2. arg.3. & q. 66. art.1. & 3. contra gent. c.* 20. & Thomistæ ad ea loca. Capreolus verò *3. d.13. q.1. art.* 1. Bannes 1. *de Gener. c.3.* Ægid. *in 2.d.12. q.3. art.*1. Argent. *ibidem,q.* 1. *art.*1. Durand. *q.* 2. Baccon. *q. vn.art.*2. Aureol. *q.*1.*art.*1. Conimbr. 1.*Phys.c.9. q.3.* Ruuius *tract.*1. *de materia, q.*2. Zanardus 8. *Metaph. q.*1. *&* 2. *de anima,q.*3. Zabarella *l.*2. *de materia prima, c.*4. Complut. *q.*2.

140 SECVNDA sententia est, materiam habere proprium actum entitatiuum. Ita Richard. 2. *d.* 12. *art.*1. *&* 4. *ad* 1. Henric. *quodl.*1.*q.*10. *&* 4.*q.*16. Scotus passim cum tota Schola, apud Ponc. *d.3. q.3.* Fabrum *Theor.*22. Tolet. 1. *Phys. q.* 13. Peret.*l.5.c.13. & tom.*1. *in Genes.l.*1. Suar. *in Metaph. d.*13. *sect.*4. *&* 5. Valentia *tom.*1. *d.3. q.*1. *p.*2. Hurtad. *d.*2. *sect.*2. quos sequuntur Amicus *tract.5. de materia, q.4. dub.* 2. Galitius *p.p.l.* 1. *tract.*2. *q.*8. Eustach. *p.p. tract.*1. *quæst.*3. dicens, eam esse ens, & actum metaphysicum, qui à forma datur. Debet tamen esse actu subiectum: Iuuet. *c.*2. *Phys.*

141 QVOAD Seraphicum, multi pro priori sententiâ eum adducunt, cui videtur fauere *in 2. d.3. p.* 1. *art.1. q.3.* vbi refricat materiam nullum habere actum, nullamque formam. Hic tamen locus nil sanet. Vbi nota, non esse synonima hæc duo; vt velit dicere, non habere alium actum, id est nullam formam; vt putat Galitius, *num.* 8. sed posterioris rationem reddi, cur non habeat actum, nempe formalem, quia omni caret formâ. Attamen actum entitatiuum materiæ dat *in 2.d.1.art.1.q.1. ad* 2. vbi entitatiuam profectò bonitatem, & pulchritudinem ei concedit, & si imperfectam, *& d. 3. p.1. art.1. q.3.ad* 2. Idem asserit; *& d. 3. p.2. q.1.arg.4. opp.* addita solutione, concedens materiam præcisè esse ens actu, tametsi incompletum. Quare malè adducitur *in contr. 2.d.12.q. ast.1.& dub.*1.

142 ASSERO materiam actum habere entitatiuum.

PROBATVR à D.Bonau. 1. *locis primis allatis.* Quod magis vrget, *d.2. p.1. art.1. q.1. arg. 4. ad opp. addita explicatione.* Id, quod est terminus Diuinæ creationis, est ens actu; talis est materia: ergo. Maior est clara: nam id, quod creatur, transit à nihilo actu, enteque in potentia obiectiua, tanquam à termino *à quo*: atque adeò transit à contrario in contrarium; nempe ad esse ens actu. Minor conceditur, etiam à Thomistis; est ratio etiam Scoti: Confirmatur ex D. August. *locis allatis,a. 3. & sequentibus*, probante eam terram, *Genes.*1. conditam, fuisse materiam; & locis latis *hîc*, ait, illam habere bonitatem.

143 PROBATVR secundò à S.D. ex hoc D. Aug. effato. *Omne bonum actu,est ens actu*: nam ens, & bonum conuertuntur, sed materia est actu bona, ex Diuo Augustino *loco citato*, & D. Dyonisio apud Molinam *q. 5. in D. Thom. disp. vn.* Hoc argumento nititur Faber cum Scoto, & Picolomi. *l.2. de prima materia.* Sanè omnis entitas est aliqua actualitas: vt constat *ex Metaph.*

PROBATVR tertiò à D. Bonau. Id, quod est subiectum actu, ex quo formæ educuntur, supponitur actu ante ipsas formas; quippe quæ ab eo etiam sustentantur; sed materia est tale subiectum: ergo. Minor est clara. Maior patet. Ita enim se habet subiectum naturale, sicut artis subiectum; sed artis subiectum supponitur ante formam artis; putà lignum ante formam scamni: ergo. In hoc enim est similitudo; vt subiectum supponatur, in quod agens actu agat ad formam inducendam. In hoc verò est tantùm dissimile, quod subiectum artis est ens actu completum; atque adeò forma artis adueniens facit vnum per accidens: at subiectum naturalis generationis est materia, in potentia ad esse formæ substantiale, quod sanè formæ acceptum fert; vt monent omnes cum D. Bonau. 2. *d.3. p.* 2. *art.* 1. *q.*1. *post Aristotelem, in Metaph.* Subscribit denuò Petrus à S. Ioseph. Fuliensis *lib.*1. *Phys. c.*2. *art.*1. 144

VIDEO Ruuium *loco citato*, & alios apud Amicum *tract.5.q.4. dub.*1. *art.*2. negare talem actum entitatiuum à formali seiunctum; eò quòd omnia existant sub aliquo esse formali specifico, & indiuiduo, & nulla sit res existens existentiâ vniuersali. 145

FALLITVR tamen quisquis ex illis: nam imperfectum ad formas distinatum subiectum non potest habere esse formale; alioqui nullæ fierent generationes è subiecto; & tamen cùm sit actu subiectum, & pars compositi actu substantialis, debet esse ens actu substantiale; vt notat D. Bonau. *in 2. d. 3. passim*, & *d.* 12. *art.* 1. *q.3. ad* 5. & passim *ea dist.* Debet igitur subiectum actu esse, non in sola potentia obiectiua, sed esse extra causas actu in potentiâ subiectiuâ: sicut enim potentiæ subiectiuæ respondet actus formalis; ita obiectiuæ actus entitatiuus: omni enim potentiæ datur actus respondens.

OBMVRMVRANT Thomistæ, Aristotelem nunquam actus entitatiui meminisse, quod concedit Amicus *n.* 22. sed ibi meminit hoc, vbi ens per se, ait, fieri, ac componi, tanquam ex partibus, ex potentia, & actu formali: ibi enim concedit materiæ, quæ est potentia subiectiua extra causas, esse ens; atque adeò esse entitatiuum. Vt autem rerum distinctionem naturalem, quam tractabat, magis ad intima essentiarum, quæ à formis solis distinguuntur, edoceret, distinctiùs ens materiæ substantiale nominat potentiam, nè res confundat. 146

CÆTERVM, materiam esse partem essentialem actu compositi Physici, constanter asserit, 1. *Phys.* sæpius & Thomistæ concedunt, materiam esse partem quidditatis substantialis compositi; vt refert P. Galitius *p. p. l.*1. *tract. 6. q.* 2. cum D. Bonauentura *3. d.2. art.2. per tres quæstiones*, & *d.6.q. 5. & 6.*

HINC ruit Hector Thomistarum. Quòd cùm omnis actus sit è forma, si materia esset ens actu, iam esset actus sine actu.

HINC etiam licet agnoscere; cur Aristoteles cum Philosophis, materiam, potentiam perpetuò nuncupauerint: eam enim considerant vt ordinatam ad formas, atque compositam. Vide Patrem Galitium *num.*17.

Facile est etiam aliam inde quæstionem soluere: An materia habeat propriam existentiam: atque adeò saltem Dei potentiâ possit sine omni formâ stare.

Avthores negantes materiæ entitatiuum actum, denegant & existentiam. Eos retuli quæstionis initio; & si Hurtadus D. Thomam ab hac sententia recedentem clamet. Nimis tamen apertè stat Angelicus pro hac sententia *p. p. q.6. art.1.q. 7.art.2.ad 3.q.15. art.3. ad 7. de potentia, q. 4. art.1.* & *in 2. d. 17. q.1. art. 4.* & *quodl. 3. q.1. art.1.* Quare negat, materiam produci sine forma: sequuntur plurimi apud Amicum *tract.5. q.4. dub. 2.* Complutenses *q.5.*

149 Opposita sententia est Scoti *in 2. d.12. q.1. & 2.* vbi discipuli, & alij plurimi, apud Amicum *num.13.* & Galicium *num.2.* Ita verò id asserunt; vt negent, materiam pendere essentialiter, aut tanquam à conditione, à forma: ac proinde concedunt illam posse Dei potentiâ, seiunctam stare. Sic & Arriaga *d. 2. sect. 6.* Auersa *quæst. 20. sectione 10.*

Seraphicvs Doctor pro priori sententia adducitur à Ruuio, Valentiâ, & Zenardo *in 2.d.12. q. 1.* vbi non dicit, materiam, ab omni forma separatam, esse tantùm ens dependens ab anima; vt citatur à multis, & ab ipso Galitio *q.9. num.2.* sed posse considerari; quia eius essentia est sine forma; at verò prout est in natura, non posse esse sine aliquâ formâ. Quare solùm vult, id verum esse naturæ viribus; & hoc sensu videtur esse locutus D. Thom. vt monent Hurtadus, & alij. Idem accinit S. Bonau. *in 2. d. 30. art.3. q. 1.* contra tertiam opinionem.

150 Assero cum hac sententia, materiam à se habere existentiam.

Probatvr primò ratione ducta à D. Bonau. *loco citato*, id, quod habet essentiam propriam substantialem, habet & existentiam: talis est materia: ergo. Maior est clara: nam essentia actualis est idem cum existentiâ; maximè in sententia D. Bonau. Minor probatur à S. D. quia essentia materiæ est, vt sit substantia incompleta, ordinatam ad formas: hoc autem non habet à formis, sed à se, ante illas: ergo.

151 Hinc etiam infero, saltem per Dei potentiam, posse à forma segregari. Id videtur Seraphici, *loco vltimo allegato*; vbi id naturaliter fieri tantùm negat. Quare falsò à multis apud Amicum *Tract.5.q.5.d.5.* detorquetur: dum enim concedit *d.12.q. 1.* posse intelligi materiam esse sine forma, infertur, à Deo ita posse collocari. Vnde *in 4. d. 12. q.1.* infert, posse Deum separare accidentia à subiecto; quia possumus ea separata intelligere; cùm Deus plus possit facere, quàm homo intelligere: ex D. Basilio *in Hexaëmer.*

152 Assero cum hac sententia, materiam à forma esse diuinitus separabilem.

Probatvr euidenter è principiis S. D. ea, quæ realiter differunt essentialiter, possunt à Deo separari; vt ostendit S.D. *in 4. loco citato*, sed materia, & forma differunt maximè realiter essentialiter; cum altera sit actus, altera potentia; altera perficiens, altera perfectibilis; vt ostendit S. D. *d.12. q. 1. citata, in 2.* ergo.

153 Probatvr secundò è D. Bonau. *loco citato argum. 3. ad oppositum, addito responso.* Id, quod est prius, potest Dei potentiâ stare sine posteriori quando in actu secundo ad posterius non ordinatur essentialiter; sed habet suam essentiam cum sola ordinatione in actu primo. Ideò enim *in 4. loco citato* ostendit, accidentia, etsi ordinata ad subiectum, posse diuinâ virtute separari ab eo: etiam si esse accidentium sit inesse aptitudine; vt notat *in 4. loc. cit. ad 3.* sed materia est prior naturâ, quàm forma; nec magis ordinatur ad eam, quàm accidens ad subiectum: ergo. Hoc argumento nituntur Scotistæ, & alij, præsertim Fuliens. *1. Phys. c. 2. art. 2.* Minor probatur, quia accidens est posterius substantiâ, & magis ordinatum ad aliud; cùm sit entis ens; vt dixi: ergo minùs pendet materia à formâ, quàm accidens à subiecto. Vide *n. 35.* hoc argumentum. 154

Respondent, materiam in genere subiecti priorem esse; formam autem in genere causæ formalis.

Contra: quia, licèt forma sit prior in ratione perficiendi, vt concedit S. D. *ad illud tertium argumentum*, & cum eo Amicus *num. 6.* atque Scotistæ: habet tamen materia essentiam priùs origine. Vnde simpliciter est prior; vt ait S.D. *in corpore*: quia ordo originis est simpliciter prior ordine perfectionis: vnde quæ sunt priora generatione, sunt imperfectiora: quia natura procedit ab imperfecto, ad perfectum: cùm immediatè nequeat attingere ordinem perfectum, ob limitatam virtutem. Igitur, cùm materia sit simpliciter formâ prior, estò naturaliter nequeat, potest tamen Dei virtute esse sine eâ. Hoc nititur & Eustach. *p.p. Phys. tract.1.q.4.* 155

Neqve negatur aptè paritas cum accidentibus, eò quòd ea sint actus, & materia sit potentia. Quia ostendi esse ens actu substantiale. Alia responsa latè refellit Amicus *art. 2.*

Probatvr tertiò ex D. Bonauentura *ad prima argumenta.* Id, quod priùs terminat realiter productionem creatiuam, saltem Dei potentiâ, potest stare sine eo, quod sequitur: dummodo non sit eius entitas; sed materia priùs naturâ creata est à Deo, ex D. Augustino *lib. de Symbolo*, & *lib. 12. Confess.* ergo. Confirmatur è D. Bonauentura, quia materia ex natura sua habet capacitatem, & ordinationem ad formas: hæc autem potentia est ei pro actu, estò incompleto; vt ait S. D. *in corpore.* Esto autem non necessariò sequatur prioritas tempore; vt notat S. D. *ad 6.* tamen non repugnat. 156

Proinde S. D. negat quidem, priùs origine posse stare sine posteriori naturaliter; si ab eo pendeat in perfectione, ad quam extrà ordinatur: atque adeò in ratione finis est posterius. Et ita totum applicat materiæ. Sed ex doctrina totius quæstionis habes, posse id fieri per Dei potentiam. 157

Respondent Thomistæ, dependentiam materiæ à forma esse intrinsecam: atque adeò, eam cogere, vt sit cum forma.

Est D.Bon. responsum *ad 3.* ostendens, clari inseparabilitatem naturalem; non autem absolutissimam: quia materia non pendet essentialiter; sed habet suaptè natura essentiam præcisam à forma, & suum esse actu, estò ordinatum ad perfectionem recipiendam à forma, vt arguit S.D. *in corpore*: vbi doctrinas, extra latas moderatur. Ordinatio enim estò actualis, sit; non est tamen ad esse, sed ad perfici. Imò sustinent multi, data etiam dependentia materiæ à forma, in genere causæ formalis ad existendum, posse eam efficienter à Deo suppleri; sicut supplet subsistentiam humanitatis; imò etiam existentiam in via Thomistarum. Ita Amicus *tract. 1. q.4. dub.6.* adducens Hurtadum Murciam, Platum 158

tum, & alios: subscribit Fuliens. 1. *Phys. c. 2. art. 2.* docens, non posse eam informari sine forma; posse tamen sine actuali informatione à Deo seruari.

QVÆSTIO XIII.

An POTENTIA *sit materiæ essentialis.*

159 PRIMA opinio est, potentiam, non modò proximam ; sed etiam remotam non esse essentialem materiæ sumptæ in sua prima notione; tametsi essentialis sit, si consideretur, vt est generationis principium. Ita Zabarella *loco citato, de prima materia, c. 11.* Nec abest Fauent. *Theor. 23.* dicens, potentiam non esse ei essentialem in primo modo. Tribuitur etiam aliis, apud Amicum *Tract. 5. q. 3. d. 6.* præsertim Pererio, *lib. 1. c. 7.*

160 COMMVNIS tamen sententia est, potentiam materiæ remotam, quæ est ad omnes formas, esse ei essentialem. Ita Diuus Bonauent. *in 1. d. 3. p. 2. art. 1. q. 3. & in 2. d. 3. p. 1. art. 1. q. 2. & serm. 4. Hexaëmer.* D. Thom. *p. 1. q. 66.* allatus, *q. 12.* & eius commentatores, Zanard. 8. *Metaph. q. 3.* Richard. *in 2. d. 12. q. vlt.* & alij Theologi ibidem: Suarez, *d. 13. Metaph. sect. 3.* Tol. *lib. 1. q. 14.* Perer. *lib. 5. c. 21.* Colleg. *lib. 1. c. 19. q. 3. art. 1.* Piccol. 1. *Physic. a* 1 *text.* 82. Ruuius 1. *Phys. tract. 1. q. 6.* Hurtad. *d. 2. sect. 2.* Amicus *loco cit. art. 3.* & alij apud istos; atque Eustach. *p. p. Phys. tract. 1. quæst. 3.*

161 ASSERO primò potentiam remotam esse materiæ essentialem.

EST Aristotelis, vbique nominantis materiam potentiam in abstracto, 2. *de materia, text. 2. 7. Metaph. text. 8. &c. & 1. Phys. text. vlt.* definit; *materia est subiectum primum cuiusque &c.* at subiectum includit essentialiter potentiam, vt notat etiam Fuliensis 1. *Phys. cap. 2. art. 4.*

NOTA tamen ex Diuo Bonauentura *loco citando*, potentiam non adeò propriè in abstracto dici de materia; vt hæc sit tota materiæ essentia. Vnde sæpius monet S. D. materiam non esse suam potentiam. Idem exemplificat S. D. *in 1. d. 3. p. 2. art. 1. q. 2. ad 1.* de anima, quæ dicitur sua potentia; non tamen adæquatè.

162 PROBATVR secundò à S. D. *loco cit. ad 4.* Id, quod in ratione entis, metaphysicè sumpti, dicit intrinsecam ordinationem passiuam; vt aliquid constituat essentiale per se, & sine eo habet intrinsecam deformitatem priuationis, est essentialiter in potentia sibi intrinseca. Talis est materia: ergo. Maior probatur à S. D. nam id, quod ordinatur passiuè, vt pars intrinseca, ordinatur ex propria entitate, ad intrinsecam communicationem, atque adeò in suo intrinseco includit ordinem ad aliud. cùm autem materia, ita ex intrinseco ordinetur ad formam, ad constituendum vnum essentiale, ex potentia, & actu; sequitur, potentiam esse ei essentialem; cùm per eam ab actu distinguitur. Itaque nequit materia sine potentia intelligi. Ideóque ab Aristotele in eius ponitur definitione: *est subiectum*, &c. ergo est ei essentialis; iuxta distinctiones entis essentialis datas à S. D. *ad 1. l oco citato.* Confirmatur à S. D. Potentia passiua est magis intima, quàm actiua, quæ egreditur; sed potentia actiua est essentialis; vt patet in potentiis animæ, & ostendetur *tractatu 9.* ergo multò magis passiua.

NEQVE solues, dicendo materiam esse substantiam absolutam; etsi nequeat percipi, nisi in ordine ad formam. Sane hæc ordinatio, cum sit transcendentalis intrinseca, est de essentia materiæ; vt monet Amicus *art. 2. n. 15.* cum Vasquez *p. 1. d. 104. n. 25.* Hurtad. *d. 2. Phys. sect. 2. n. 27.* post D. Bonauent. supra. Hinc non recte arguit Faber, potentiam esse passionem materiæ: atque adeò positam in secundo modo dicendi per se, non in primo, eò quòd ipsa est ens in se reale, & absolutum. Profectò materia, cùm intrinsecè sit pars ordinata ad compositum, non habet completam essentiam à suo esse absoluto; imò esse absolutum non habet. Est autem hæc potentia in eo posita, vt ex ea educi queant formæ, & in ea sustentari. 163

QVÆSTIO XIV.

An MATERIA *sit ingenerabilis, incorruptibilis.*

HÆC assertio à controuersiis est aliena. De hac vide D. Bonau. *in 2. d. 1. & 12.* Tol. 1. *Phys. q. 16.* Suar. *in Metaph. d. 13. sect. 4. n. 17. & sect. vlt. n. 15.* Ruuium 1. *Phys. tract. 1. q. 9.* Zanar. 8. *Metaph. q. 6.* Galit. *p. 1. l. 1. tract. 2. q. 11.* Eustachium *p. p. 44. q. 4.* Est Aristotelis 1. *Phys. cap. 9.* 164

PROBATVR: quia vt arguit S. D. *in 2. d. 1. p. 1. art. 3. q. 1.* id, quod est primum subiectum mutationum, non potest è subiecto alio produci, quod est generari; sed creatur; At materia prima est subiectum primum cuiusque, xe Aristotele 1. *Phys. text. vlt.* ergo. Hoc argumento vtitur Amicus, *tract. 5. q. 4. dub. 2. n. 19.* Confirmatur à S. D. in omni mutatione debet esse vnum subiectum, aliter se habens nunc, quàm priùs; sed hoc est materia 1 ergo. Confirmatur secundò: quia, alioqui agens naturale crearet.

ITAQVE materia est ingenerabilis, non modò priuatiuè, quia à nullo generatur, sed etiam positiuè; quia omnia ab illa educuntur; vt colligitur ex Diuo Bonau. *in 1. d. 28. q. 1.*

QVÆSTIO XV.

Num MATERIA *habeat propriam etiam subsistentiam.*

SVBSISTENTIA addit existentiæ modum positiuum existendi per se, non in alio sustentante. De his latiùs egi *tract. de Sanctissima Trinitate, d. 5. q. 3. & 4.* 165

PRIMA opinio est negantium partibus subsistentiam, quam soli composito dant.

ITA Diuus Thom. *p. 1. p. 9. art. 2. & q. 45.* sequuntur multi Thomistæ; & Vasquez *p. 1. d. 125. c. 4. n. 17. & 3. p. d. 32.* qui partiales carpit subsistentias, vt vidit etiam Hurt. *d. 2. Phys. sect. 2. subsect. 1.* eandem negat materiæ Ludouicus Molina, sed animæ rationali concedit soli, inter formas; sic & Ruuius 1. *Phys. text 2. q. 4.* Suar. *in metaph. d. 34. sect. 5.* Ruuius tamen eam materiæ concedit, *loco cit. n. 34.* Suar. verò subsistentias partiales in composito admittit, quod videtur dis-

fonum

sonum à suprà dictis. Varij sanè modi in hac sententia leguntur. Vide Amicum *tract.* 5.*q.*5. Hanc sequitur Galitius *p.*1. *lib.* 1. *tract.*5. *q.*5. asserens esse D. Bonau.

166 SECVNDA opinio concedit materiæ propriam subsistentiam. Ita Vasquez, *p.*1. *d.*171.*n.*25. & 178. Suarez *d.* 34. *Metaph. sect.* 5. Murcia, 1. *Phys. d.*5. *q.*5. adducens D. Thom. 3. *p. q.*6.*art.* 5.*ad* 3. Suarez *in* 3. *p.d.*17.*sect.*3.citantur & Gabriel 3.*d.*2.*q.*2. *art.*2.*&* 3. Caiet. 3. *p.q.*6. *art.*2. *&* 5. vbi D. Thom.*q.*5. *art.* 3. *ad* 2. Capreol. 3. *d.*2. *q. vn. ar.* 1.*concl.vn.* & *in* 2. *d.*15.*q.*1. *art.*3. Amicus *tract.* 5. *de materia*, *q.*5. plurimos adducens, præcipuè D.Thom. *p.*1.*q* 75.*art.*1. & varios dicendi modos affert, quos missos facio.


SENTENTIA Diui Bonauenturæ est negatiua, vt ostendam.

167 NOTANDVM, subsistentiam propriè dicere per se stare modo nobili, vt non sit in alio, nedum inhærens, sed nullo modo; vt notat D. Bonau. 1.*d.*23.*art.*2. *q.*1. & *d.* 25. *dub.* 1. Accipitur sanè aliquando etiam pro substare aliis; sed non est hæc propriè subsistentia. Subsistere ergo propriè, est sistere in se; vt ad aliud non ordinetur. Ideò definitur persona *Incommunicabilis subsistentia*: quia est vltimus terminus naturæ substantialis.

PROBATVR primò è D.Bonau. *loc.relatis* subsistentia dicit perfectam in se sistentiam, & æquipollet hypostasi, quæ in natura rationali est persona incommunicabilis, ex D. Ang. D. Hieron. & communi iam Ecclesiæ sensu; sed materia intrinsecè est communicabilis, ob sui imperfectionem intrinsecam: ergo. Itaque nomen subsistentiarum partialium est nouum, vt rectè vrget Vasqu. 3.*p.d.*32. *c.* 2.

168 ESTÒ autem anima rationabilis extra corpus subsistat; hæc tamen est imperfecta; cùm adhuc ordinetur ad corpus: materia tamen neque hoc modo subsistit imperfectò. Quare frustrà laborant aduersi hoc exemplo: nam materia non est per se, nec in se. Itaque non licet inferre, est substantia: ergo subsistens: nam subsistentia non conuertitur cum omni substantiâ imperfectâ, sed cum perfectâ, quæ est hypostasis, & hoc definitum est, post litem antiquam in Ecclesia; vt ait Vasquez; esto imperfecta detur substantiæ, quæ naturaliter potest stare per se, vt anima nostra; non autem imperfectissimæ materiæ, paralyticæ, claudæ, deformi, & propè nihilo; vt dicit Diuus Augustinus.

169 OBIICIES; verbum dat humanitati Christi subsistere; iam verò duæ subsistentiæ sunt, vt constat in triduo mortis, altera animæ: altera corporis; at verbum supplebat subsistentiam naturalem. Respondet Vasquez *d.* 3. Verbum fuisse in triduo vnitum partibus alia vnione numero distincta; quò fit, vt neque anima eo triduo esset persona, vt probat S. D. *in* 3. *d.* 22. *q.* 1. tametsi à persona Verbi sustentaretur; imò cùm & sanguini semper vnitum fuerit Verbum; vt definit *Clement.VI.in extrauag. Vnigenitus*, & ostendit Vasquez 3. *p.d.* 36. *c.* 4. non ob id sanguis erat persona; sed perfecta, & propria subsistentia erat in rationali natura, seu humanitate completâ. Igitur subsistebat corpus, non materia, tametsi inchoatiuè, seu potiùs è sua incapacitate imperfectè; similiter & anima; at propria subsistentia, quæ in natura nostra est persona, soli naturæ completæ debetur: hæc enim subsistebat, & ratione eius partes, vnica subsistentia, quæ incommunicabilitatem includit. Nunquam tamen partes assumptas dimisit, vt omnes Theologi docent. Vna verò subsistentia est totius; vt docet Seraphicus Doctor *suprà*. Sanè dicere subsistentiam partis, implicat, vt ait Pater Galitius, quia esse partis dicit ordinem intrinsecum ad totum: at subsistentia terminum: & aliter accipere subsistentiam, est abuti terminis ab Ecclesia sancta declaratis. Itaque nouitas est hæc partialium subsistentiarum, vt monet Vasquez. Quod si pagani Philosophi eam accipiunt pro substantia, atque aiunt, subsistendo satis esse, non inhærere; vnde & partialibus substantiis concedunt subsistentias; parcite ignorantibus distinctionem realem inter essentiam, & subsistentiam, Incarnatione reuelatam. 170



DISPVTATIO II.

De FORMA.

QVÆSTIO I.

An detur FORMA *à Materia distincta*

VNANIMI sensu formam astruunt Sapientes cum Aristotele. Ita D. Bonau. *locis allatis*, *d.* 1.*&* 2. *d.*7. *p.*2. *q.*1.*art.*2. D. Thom. *p.*1. *q.*45. *artic.vlt.* & alij omnes. 1

PROBATVR argumento omnium. Datur materia: ergo & forma. Probatur consequentia, si datur potentia naturalis, debet dari etiam actus essentialiter ei respondens.

PATET verò ex innumeris generationibus. 2

EXCITATA est verò quæstio: an sit realiter distincta.

PRIMA opinio censet, materiam esse rem, formam verò esse modum illius. Adducuntur multi ab Amico, *tract.*6.*q.*6.*d.*1. *Phys.* sed non inuenio aliquem ex illis id dicentem. Citantur & Baccon. 2. *d.*12. *q. vn. art.* 1. Aureol. *q.vn. ad* 1. Scoti; tribuitur Rich. *quodl.* 4. *q.*5. *art.* 1.& Alb. M. sed neque in his habetur. Est igitur nouitas hæc distinctio. Ita possent recenseri cum antiquis illis ab Aristotele reiectis, 2. *Phys. text.* 22. 2. *de Gener. text.*52. 1. *de partibus*, *c.*1. & 1. *Metaph. summa* 2. *c.* 1. negantibus omninò formas, vel cum nonnullis posteà relatis ab Amico *tract.* 6. *q.* 2. dicentibus formas esse temperamentum qualitatum. Aliqui sanè in scholis eam defendunt.

VERA Peripatetica sententia est, dari formas realiter à materia distinctas. Cum Aristotele est Plato *in Timæo*, & cæteri.

ASSERO primò, dari formas substantiales.

PROBATVR primò à Diuo Bonau. *in* 2. *d.* 12. *q.* 1 quia tolleretur alioqui omnis specifica rerum distinctio: nam materia est vna, saltem in inferioribus. Secundò tolleretur omnis vera generatio: nam materia, cùm sit subiectum, in omni mutatione permanet. Tertiò tolleretur varietas diuersa, & contraria accidentium, atque operationum 3

num. Hunc autem esse substantiam, clarum est: nam species substantialiter variæ sunt, vt Leo, & homo; & vna est maior alterâ; vt Leo, respectu plantæ. Hæ autem ad sensum producuntur, & diuersas dispositiones exigunt, diuersasque operationes habent circa productiones substantiarum. Hæc S. Doctor *loco cit.* & *d. 7. suprà adducto loco*, & post eum Amicus *tract. 6. q. 2. art. 2.* & cæteri apud eum *num. 5.*

4 Hæc autem confirmat variis mediis; si enim sola essent accidentia, (quæ sanè negari nequeunt, vt ait Diuus Bonauentura, suprà) non posset reddi ratio; cur generationes tales generans exigant substantiale, vt Leo Leonem; cur destructis qualitatibus, alia substantialia destruantur, cur tot qualitates, virtutesque tam mira operentur, & varia; nisi basim substantialium haberent formarum. Ipsum vide, ibi alia non minùs celsa, quàm curiosa dicentem. Hæc indicantur à Sancto Doctore *d. 7. part. 2. art. 2. quæst. 1. in fund. & corpore* validiùs.

5 Assero secundò, formas esse realiter distinctas à materia.

Probatvr à Sancto Doctore 2. *d. 7. loco citato*, nam agentia generant multas rerum varietates; at non producunt materiam ex dictis: ergo formas. Ex his videmus, alias corrumpi ad generationem aliarum, manente materiâ: ergo differunt. Probatur consequentia, quæ enim sunt eadem, generantur vnà, & corrumpuntur, vt notat Aristot. 4. *metaph. text. 3.*

Assero tertiò, formas non esse modos materiæ; sed res ab ea distinctas.

6 Probatvr argumentis Sancti Bonauenturæ *locis adductis*. Id, quod res realiter distinguit, debet esse res distincta ab ea, quæ in se nec distinguitur, nec distinguit; sed formæ dant re distingui omnibus rerum speciebus: ergo re distinguuntur à materia, quæ nec est distincta, nec distinctiua, in species, & genera.

Confirmatvr: nam modus non excedit rem, cuius est modus; at forma, vt à materia distincta, est actus contra potentiam, & quod quid rei, ex Aristot. 2. *Phys.* 28. & 5. *Metaph.* 2. & 9. *Metaph.* probatur: actus, & forma sunt nobiliores potentiâ, & materiâ: ideò forma est finis ad quem tendit, tanquam ad nobiliorem se; sanè modus non est finis rei, sed ad rem ordinatur.

7 Obiiciunt primò, si materiâ, & forma sunt duæ res, non posset hæc dare suum esse in genere causæ formalis ipsi materiæ; sed hoc est falsum: ergo. Probatur sequela, quia modificatio, quam dat, vel est ipsa forma, & tunc forma erit ipsa informatio; vel est distincta; & tunc, vel est quid respectiuum, & hoc non: quia absolutum non constituitur relatiuo: vel est absolutum, & tunc non esset intrinsecum, sed extrinsecum, & posset à Deo sine forma conseruari.

8 Respondetvr, formam vniri per vnionem, quæ est modus sui substantialis. Quò fit, vt non sit ipsa forma modus: quia non est modus modi: est autem quid respectiuum transcendentale, atque adeò absolutum, quod non est res distincta à forma, vt queat conseruari separata, aut quæ egrediatur: sed modus substantialis.

Obiiciunt secundò; si forma est res distincta, sequitur, nil eam habere in materia, atque adeò creari.

Respondetvr, illam esse in potentia, & ratione seminali materiæ: vt mox ostendam.

QVÆSTIO II.

An & quomodo formæ præexistant in materia.

Qvia non ex nihilo ab agentibus naturalibus formæ producuntur; sed è subiecto; videndum est, quid habeant in illo, vnde educuntur. 9

Omitto peregrinas Anaxagoræ, & Empedoclis antiquatas sententias, existimantium, formas in materia reconditas præexistere: ab agentibus verò non generari; sed in lucem trahi. Eos satis refellit Aristot. 1. *Phys. text. 35.* & Seraphic. Bonauentura *in 2. distinctione 7. part. 2. artic. 2. quæst. 1.*

Omitto opinionem Auicennæ, formas existere in materia, quantitate formata inchoatiuè.

Omitto alios dicentes, formas præexistere in materia, quoad aliquem gradum, quo cooperante cum naturali agente, cæteri producuntur. Sic Aureolus 2. *distinct.* 18. & alij apud Gratiadeum, *q. 5. Physic.*

Geminas celebriores tantùm refero sententias. 10

Prima sententia ex Sancti Bonauenturæ *in 2. distinct. 7. part. 2. art. 2. quæst. 1.* & *in 4. distinct. 43. art. 1. q. 4.* formas præexistere, quoad essentias: ita vt eadem educatur, quæ erat in potentia, & quoad existentiam nullam partem, nullum gradum obtinebat; sed solam seminalem potentiam in materia. Consentiunt Albertus Magnus 1. *Pysic. tract. 3. cap. 3. & 15.* Richardus 2. *distinct. 12. quæst. 1.* Capr. *in 2. distinct. 17. q. 1. art. 1.* Baccon. *distinct. 18. q. 1. art. 1. & 2.* Galit. *part. 1. lib. 1. tract. 3. q. 3. parte 2. lib. 3. tract. 1. q. 7.* nec dissentit Diuus Thomas *part. 1. q. 115. art. 2.* Estque Diui Augustini, *lib. 3. de Genes. ad litt. cap. 14.* apud Magistrum, *distinct. 18.* & Sancti Bonauenturæ *distinct. 7. loco citato.* Latè de hoc differit Sanctus Pater *lib. 5. & 6. de Genes. ad litt.* maximè *cap. 9.* eas à Sancto Patre intelligi priuationes; ita verò, vt primo sint aptitudines, ait Argentina.

Commvnis ferè aliorùm sententia negat, formas præexistere in materia; nisi solâ potentiâ, ex qua ab agente educuntur. Ita scholastici *in 2. distinct.* 18. & aliqui, *distinct.* 1. Diuus Thomas *part. 1. q. 45. art. 8.* & *q. 90. art. 2.* & 7. *metaph. lect. 7.* & *in 2. distinct. 18. q. 1. art. 2.* quibus locis discipuli; Durand. acriter *dist. 18. q. 2.* Scotus *2. disp. 18. q. vnicâ*, cum suis. Suarez *in Metaph. disput. 15. sect. 2.* Tol. 1. *Physic. quæst. 19.* Petrus Hurtadus *disput. 4. Physic. sect. 2.* Ruuius 1. *Physic. tract. 2. quæst. 1.* Zanardus 7. *metaph. quæst. 15.* Amicus *tract. 6. q. 3. disput. 1.* & alij apud istos, Roccus 1. *Physic. q. 20.* Eustach. *p. 1. Physic. tract. 1. quæst. 6.* Fuliensis 1. *Physic. cap. 3. artic. 3.* 11

Difficvltas est, in explicanda hac præexistentia formarum in virtute seminali materiæ; quam multi negant: præsertim Scotus 2. *disp. 18.* ex Sanctus Bonauentura *in 1. disp. 36. art. 1. q. 1.* colligere

12 colligere id arbitratus, admittens eas in solis animatis. Oportet igitur scire, tripliciter aliquid existere in alio: primò actualiter, seu quoad existentiam, vt lumen in sole; secundò eminenter, vt creaturæ in Deo: Tertiò potentialiter, tanquam in causa vt omnis effectus in sua causa potente producere. Dupliciter autem effectus præexistunt in causa: Primò tanquam in agente; secundò tanquā in passo, seu subiecto; vnde valeant educi, vt docet Sanctus Doctor *serm. 4. Hexaëmer.* & quidem agens, in cuius potentia actiua est virtus, ad effectus extrà producendos, nihil eorum in potentia sua præhabet. Quid enim ignis est in Deo, ex hoc, quòd potest ignem producere, vt causa extrinseca? similiter neque in potentia passiua aliquis effectus præexistit ex hoc capite, vt dicit non repugnantiam, vt agens effectum ex ea producat.

13 Potest autem in subiecto esse virtus seminalis insita, qualem in seminibus experimur, vt in ea sint effectus, non actu, siue in tota entitate, siue in parte; sed in potentia, quæ recipiat virtutem intrinsecam, quam attingens, agens naturale coagentem experiatur ad educendas formas. Talis autem virtus, non modo in seminibus a Deo insita est, ad speciales formas, sed in materia est vniuersalis ad omnes, non sanè vniuersalis Metaphysica, sed Physica, vt quælibet forma, ad ordinem spectans vniuersi, educatur. Atque adeò tota formarum series essentiarum est in eius potentia, ac virtute seminaria, è quibus quæcunque ad actum reducitur, non est diuersæ essentiæ, sed modum immutat, vt quæ erat in potentia; iam fit in actu: sicuti (ait S.D.) rosa, quæ hyemis tempore erat in potentia, & virtute seminali cespitis, est ea, quæ actu in vere erumpit florens: non autem diuersæ essentiæ: vnde addit ipsi essentiæ modum existentiæ. Ita verò materiæ inest aliquid seminale formæ, & partiale compositi, vt ait Tolet. *lib. 1. Phys. q. 19.* Ideò alio modo est in potentia ad formam, alio ad compositum.

14 Svnt igitur formæ in potentia materiæ non solùm, vt in subiecto, sed & vt in intrinsecè cooperante; vt ait Diuus Bonauentura *in 2. distinct. 2. parte 2. art. 2. q. 2.* neque enim sufficit nuda ratio subiecti. Ideò enim agens naturale nequit è corpore humano organico animam educere: quia ad eam habet rationem meram subiecti, non agentis, vel coagentis. Sunt ergo in materia formæ, non solùm tanquam è subiecto educendæ, sed quia in ipsa materia est aliquid concreatum; in quod agens, agendo, educit formas. Hoc verò concreatum seminale vocatur à Sancto Doctore inchoatio formarum, earumque seminarium: quod sanè, *d. 18. q. 3.* vocat potentiam vniuersalem ad formas, ad modum causæ, quæ in omnes potest effectus influêre indifferenter. Ita, cùm ad hanc formam disponitur, ea modum mutat, & ea essentia de potentia accipit existentiam, non mutatâ essentiâ: non enim est diuersæ essentiæ rosa erumpens vere, & ea, quæ inter brumas erat in potentia, sed differt, vt id, quod actu differebat à seipso, olim in potentia.

15 Addit, *disp. 15. art. 2. q. 1.* Seraphicus Doctor; formas in potentia materiæ non differre ab ipsa materia; sed esse ipsammet potentiam actiuam materiæ, è qua, excitatâ ab agente, tanquam è seminario, educuntur formæ. Et hoc idem docet Diuus Thomas *parte 1. quæst. 90. art. 2.* & 115. *art. 2.* Suar. *d. 11. sect. 2. n. 14.* Durand. *d. 18. quæst. 2.* Amicus *q. 4. dub. 1. num. 8.* Hoc, ait is, voluisse Aristotelem dicentem, non fieri è quolibet quodlibet, & quolibet modo, sed determinatum, modo determinato: sic Leo, non fit è quouis, sed è semine Leonis. Hæ verò seminales rationes 16
actiuæ, & passiuæ non in solis mixtis semina emittentibus, vel habentibus reperiuntur, vt putant aliqui; sed primò in materia, vt ait Diuus Augustinus *lib. 3. de Trinitate, cap. 7. & 8.* dicens: *Omnium, quæ ad oculos nostros prodeunt, occulta quædam semina in elementis latent, per quæ illa, quæ in occulto erant, progrediuntur in lucem.* Hæc verba explicant Conimbricenses *1. Physic. cap. 9. q. 12. art. 6.* cum Diuo Thoma *p. p. q. 115.* & D. Bonau. *hic*; quibus subscribit Poncius *disp. 4. Phys. q. 2. num. 35.* simul exponens Aristotelis 7. *Metaphyc. textu 29.* effatum. In materia esse aliquam partem rei faciendæ, quo indicat, aliquid seminale formarum, in materia præexistere. Sic autem intelligunt. Rationes seminales esse naturalium causarum, siue agentium, siue patientium potentias, & facultates, in quibus, veluti in quibusdam seminibus naturales effectus continentur; dicuntur autem in his latêre formæ; non quia in ipsis actu sint, sed virtute. Hæ autem virtutes se- 17
minales sunt necessariæ agenti; vt producat formas; cùm non sit Creator, è nihilo condens; sed debeat ex aliquo gignere. Habemus in seminibus exempla, *verbi gratiâ*, in cucurbitæ semine sunt multæ cucurbitæ magnæ, non quòd actu sint, vel secundùm aliquam partem in illo granulo, quod emoritur, vt germinet; sed quia in eo est virtus initio concreata, *cuius semen in semetipso sit*; Gen. 1.

Assero primò nullam partem formæ in materia præexistere. 18

Probatvr à Scoto, *in 2. d. 12. quæst. vnic.* relato à Licheto *ibi*, ratione D. Bonau. *in corpore.* Si in materiæ potentia præexisterent formæ, nulla fieret generatio, quæ est productio formæ è priuatione. Profectò non generatur, quod actu est.

Si dicas præexistere partem aliquam; infero: ergo ea pars non generatur; sed alia tantùm; hæc verò, cùm ex alia non producatur, vti necessarium ad generationem credis: sequitur produci è nihilo. Exemplificat Seraphicus Doctor *disput. 18. quæstione 3. citata*: si forma humanitatis specifica præexistit in homine ante generationem: ergo est homo completus, antequam generetur: secundò, ergò non generatur homo: incredibile enim est, præexistere formam completam, simul cum materia, & non esse totum completum.

Probat secundò Scotus; quia sequeretur, aliquid agere in virtute non entis. Probatur sequela; quia pars præexistens est, quæ operatur ad producendum totum, perfectius se: nulla autem causa producit effectum se ipsâ perfectiorem; nisi in virtute entis perfecti: tale autem non reperitur: ergo agit virtute non entis. 19

Respondetvr tamen, non esse necessarium, singulas concausas esse perfectiores effectu; sed satis, superque esse, si omnes simul sint saltem æquè perfectæ. Aget autem illa pars virtute agentis, eum mouentis, & intrinseca seminali: quod concedent, etiamsi nulla talis pars extet, sed sola potentia, in quam agens operatur, in cuius 20

cuius virtute feminaria sunt omnes formæ à Deo positæ; vt dicebat D. August. & hoc indicauit Arist. 7. *Metaph. text.* 29. dicens: *In materia praexistere aliquam formæ partem*; quam explicat Suar. *disp.* 15. *sect.* 2. esse virtutem actiuam cooperatricem generationi. Ita autem natura est principium motus, etiam actiuum in materia; vt concedit Scotus.

Assero secundò formas omnes, non autem solas viuentium, habere in materia seminales rationes, contra Scotum, *loco cit.* Richard. 2. *disp.* 18. *art.* 1. *q.* 2. & Durand. ferè Galit. *q.* 8. *assert.* 1.

Probatvr primò ex D. August. *locis adductis*, iuxta explicationem Argentinæ, & Ægidij fidelium ipsius interpretum.

Primò S. Pater *lib.* 3. *de Gen. ad l. c.* 15. loquens de his, qui è cadaueribus ebulliunt, dicit, absurdissimum esse dicere, ea esse concreata simul cum animalibus; nisi quia inerat eis corporibus vis quædam naturalis, & præseminata materia. Vbi non id adscribit semini animalium, quo similia gignunt, sed materiæ, vt sic. Idem ait de draconibus è virgis Magorum *lib.* 6. *c.* 11. Omnia (ait) quæ consequentibus erant euoluenda temporibus: primitus Deus simul creauit, cùm faceret mundum: consummata quidem, quoniam habent in naturis propriis, quibus suorum temporum cursus agunt, quod non in istis causaliter factum est: inchoata autem, quoniam erant quædam semina futurorum. Id obseruat D. Bonau. 2. *dist.* 18. *quæst.* 2. Ibidem adducit D. Aug. *l.* 5. *c.* 23. vbi docet, omnia in semine producta vi, potentiáque causaliter. Deinde ait. Quodlibet autem ex terra priùs certissimum est. Et concludit mundum habuisse omnia causaliter secundùm rationes rebus insitas. Sic & *l.* 6. *c.* 11. 14. & 15. Passim ex *relatis locis* id asserit.

In quo deceptus P. Galit. dicit *q.* 8. rationes seminales propriè esse in solis viuentibus ad similia generanda, & putat niti SS. Aug. & Bonau. sed hoc tantùm ait S. Bonau. è mente S. Patris; impropriè aliqua dici habere seminalem rationem, puta cibum, vt fit homo, non quia in ea materia non fuerit insita ratio seminalis ad omnes formas, etiam viuentium, quæ gignuntur; sed quia non habent esse seminis, necessarij ad generationem viuentis proximè.

Probatvr secundò assertio, ratione D. Bonau. è D. Aug. Rationes seminales in materia continent omnes formas, quæ à naturalibus agentibus, saltem remotè educi valent: Sed omnes formæ vniuersi tales sunt: Ergo. de his loquar iterum *tract.* 8. *disp.* 3. *q.* 3.

Probatvr tertiò à S. D. Rationes seminales datæ sunt, vt natura suos partus educat è materia, vt docet D. Aug. sed formæ etiam inanimes sunt naturæ partus: ergo.

Insvdat verò S. D. vt ostendat quid sint istæ rationes seminales apud D. August. qui eas in scholas inuexit.

Distingvit rationes seminales à seminibus, sicuti & rationes causales à causis, vt, sicut causæ sunt producentes; rationes verò causales directiuæ causarum, siue primæ, siue secundarum: ita & semina dicuntur operatiua; rationes verò seminales directiuæ. Et sicut rationes causales ad naturalia sunt formæ naturales, & ad artefacta Ideæ: Ita rationes seminales, quæ naturæ sunt insitæ, sunt aliquid naturæ dirigentis; dicuntur verò naturales, quatenus formæ ab eis sunt; seminales verò, quatenus ex eis sunt, seu quatenus dirigunt agentia, vt ex aliquo educantur formæ. Dicuntur etiam naturales, quatenus producunt simile: seminales verò, ratione virtutis productricis inchoatiuæ.

Si igitur effectus non sunt in potentia naturali; sed sola obedientiali, vt multiplicatio panum; tunc non fiunt secundùm rationes seminales; sed secundùm causales, quas Deus in sua voluntate seruauit. Si autem sunt in potentiâ, & virtute naturæ, siue proximè, vt chylus è pane, siue remotè, vt è pane homo, quippè oportet, vt priùs fiat chylus, sanguis, semen; dicuntur secundùm rationes seminales. Quod se illicò è pane fiat homo, dicitur secundùm rationes causales. Hinc Euam è costa factam, ait, non secundùm rationes seminales. Concludit rationem seminalem esse virtutem actiuam in materia ad formas educendas naturalem. Monet autem, etiam effectus, qui in potentia sunt obedientiali, eo sensu dici naturales, quo natura obediens est Creatori.

Cæterum erunt vel contra naturam, quando similantur effectibus naturæ, alieno tamen modo productis, vt resurrectio ad vitam, &c. miracula contra naturæ cursum: vel supra naturã, quando natura simile nequit producere, vt glorificatio, & dicuntur mirabilia, non miracula. Et hoc nomine illustrat fabricam Euæ è costa Protoplastæ, &c. in prima hebdomada fabricata.

Cùm igitur rationes seminales sint potentiâ actiuâ indita materiæ, & sit essentia formæ in potentia, quærit: an sit vniuersalis ad naturas, etiam omnes producendas, *quæst.* 3. *sequenti.*

Prima opinio est assertiua. Hanc dicit, esse magnorum, quam hausit Scotus, eamque non spernit Seraphicus Doctor, sequuntur Scotistæ *in* 2. *distin.* 18. *quæst. vnic.*

Asserit tamen, veriùs dici rationem seminalem singularem.

Probat primò; quia vniuersale non est extra animam, *ex* 1. *de anima, text.* 8. Secundò; quia vniuersale est vbique semper; at ratio seminalis est in subiecto determinato. Tertiò, quia vniuersale prædicatur de eo, cuius est, dicitur enim Homo est animal; sed ratio seminalis non prædicatur de materia, in qua, puta homo, est semen. Quartò, quia omnis productio est singularium. Quintò, quia, si forma vniuersalis specifica est ratio seminalis: Ergo formæ præexistunt. Sextò, quia natura deberet producere omnes formas ordinatim, *v. g.* productura albedinem, produceret primò accidens, secundò qualitatem, tertiò calorem, quartò albedinem. Alias rationes habes *d.* 5. *quæst.* 4. Vbi habes etiam solutas rationes hinc à Scoto decerptas pro opposito.

Mvlta opponit Scotus *loco citato*, etiam contra secundum assertum, vt ostendat, rationes seminales non esse in inanimatis, quia, cùm sint agentia imperfectissima, agerent per imperfectiùs. At respondeo falsum vtrumque; seminalis enim ratio in elemento est virtualiter ad omnia à Deo. Cætera sumit Scotus, ac si ratio seminalis esset ipsum semen animalium.

QVÆSTIO III.

An FORMÆ *à solo Creatore educantur.*

Diuus Bonau. in 2. dist. 7. part. 2. art. 2. quæst. 1.
Diuus Thom. p. 1. quæst. 110. art. 2. de potent. q. 6. art. 3.

OMITTO errores Anaxagoræ, & aliorum, quos grauiter refellit D. Bonau. & nos *quæstionibus suprà* retulimus.

21 ASSERO cum omnibus Philosophis, ac Theologis, formas ab agente naturali educi posse (excipe animam nostram) de qua *tract. 9. disp. 1. q. 17.*

PROBATVR primò à D. Bonau. Omnis virtus operatiua est ad opus. Sed causis secundis concessæ sunt virtutes operatiuæ; & ita ignis comburit, &c. ergo. Idem de Plantarum, & Bestiarum animabus ostendam *tract. 9. disp. 1. quæst. 17.*

PROBATVR secundò. Vnius corruptio est alterius generatio; sed agentia naturalia destruunt contrarium; vt ignis aquam &c. ergo. Vide Seraphicum omnia facilè probantem. Vide & Galitium *p. 1. lib. 1. tract. 3. q. 4.*

QVÆSTIO IV.

Quid sit educi FORMAS *è materia.*

VARIOS dicendi modos afferunt Amicus *tractat. 6. q. 4. dub. 1.* Galitius *p. 1. lib. 1. tract. 3. q. 6.* Suar. *d. 15. Metaph. & 3. p. d.* 8. & alij, postremò Eustach. *parte prima, tractatu primo, q. 6.*

22 Ex dictis *quæst. 2. & 3.* facilis est solutio. Igitur eductio formarum est actio in materiam, determinando per dispositiones virtutem eius seminalem, ad coagendum. Explicat id rectè Galitius, exemplo solis excitantis potentiam seminalem terræ, ad producendas herbas, flores, &c. Eum vide.

QVÆSTIO V.

An omnes FORMÆ *cælestes, & elementares fuerint initio à Creatore educta è materia.*

VARIOS hacde re dicendi modos recenset Amicus.

PRIMA opinio est, omnes formas, tam cœlestes, quàm elementares fuisse à Deo eductas de potentia materiæ. Adducuntur plurimi Theologi à Ruuio *primo Physicorum, tractatu secundo, quæstione secunda*, Hurtad. *disput. quarta, Physicorum, sectione secunda*, Vasquez *ad p. p.* D. Thom. *quæstione quadragesima quinta, articulo primo.* Est autem D. Bonauent. 2. *distinctione* 12. *dubio* 1, *litt. & in qq.* Subscribit Fuliensis 1. *Physic. c. 3. art.* 4. nempè, quia omnes formæ in operando ab ea pendent, ac proinde etiam in esse, & ita congruè productas aiunt.

SECVNDA sententia, de omnibus formis, negat eductas è materia. Eam tenet, post alios Amicus, *tract. 6. Phys. quæst. 5. d.* 1. Videtur solidè inniti Scripturâ: nam *Gen.* 1. tam Cœli, quàm terra, &c. dicuntur creata. Sanè vera creatio non est formarum è materia eductio, quæ est generatio.

MEDIAM tuetur Suarez, *d. 15. Metaph. sect. 2. & 3.* dicens, elementares quidem formas è materia eductas, seu dependenter à materia; non cælestes.

HÆC quæstio variè soluenda, pro varietate opinionum, circa materiæ creationem. In sententia D. Bonau. dicentis, materiam primò sub forma rudi creatam, mox distinctis ornatam, quod & censet Tostatus *ad c. 23. Exod. q. 67.* videtur dicendum, formas eductas è materia, ea de causa: quia debuit materia formas percedere, quæ ex ea educuntur; quâ ratione præcellitur Suarez, ac vincitur Fonseca, 5. *Metaph. c. 2. q. 5.* & Valent. *d. 2. q. 15. p. 3.* nos tamen non mouet: nam potuit Deus virtute infinitâ vtramque è nihilo simul condere. Quis hoc neget? Vel formas in eam rudem massam infundere, sicut & animas nostras infundit in corpora. 23

STANDVM cum scripturâ Genesis, quæ geminas productionum rationes recenset; alteram creationis: Creauit Cœlum, & terram; alteram ex alio, vt è limo hominem, &c. *Producant aquæ reptile, &c.* Enim verò & hæc latiùs dicta est creatio. *Creauit Deus cete grandia*: quia supernaturaliter illæ formæ eductæ sunt. Idem dic de Cœlis mobilibus, è prima massa eductos fuisse. Ita sentit S. D. *in 2. d. 15. q. 1.* Ideò ait Deus, *Producant aquæ reptile. Producat terra animam.* Neque id solam esse compositionem ex aqua lutosa, sed miram ad ea signat producenda cooperationem. Dicuntur verò creata in suis causis, vt notat Molin. *d. 20.* sic explicans cum D. Bonau. D. Aug. siue quia materia, ex qua mirè educta sunt elementa, ipsa fuit creata; siue quia ipsa elementa fuêre creata, vt credunt plurimi, & monet Fuliensis. 24 25

FORMÆ verò accidentales naturales concreatæ, seu mirabiliter ex obediente videntur eductæ potentiâ materiæ; tametsi propriè nequeant creationem terminare.

SVPPOSITA verò opinione D. Aug. suprà allatâ apud D. Bonau. probabili, quæ fert primò creatam materiam, rudi forma imbutam: sequitur, hanc solam probabiliter dicendam creatam; at creaturarum distinctarum formas è materiâ eductas esse, siue substantiales, siue accidentales. 26

QVO autem pacto nunc accidentia Physica producantur, non dubito, quin educantur è materia. Est communis Philosophorum sensus apud Ruuium, *Physicor. 1. tractatu 2. quæst. 3.* & alios.

DIFFICVLTAS est tantùm; vnde educantur accidentia in sanctissima Eucharistia, cùm species vini calefiunt, rarefiunt, congelantur, &c. Breuiter dicam Deum ita res constituisse in hoc augustissimo Sacramento, vt nulla appareat existentiæ corporis Christi experientia. Itaque cùm materia sit subiectum quantitatis; & simul cum forma aliorum sit subiectum accidentium; siue forsan ipsius etiam quantitatis; deficiente materiâ, & formâ, Deus supplet tribuendo quantitati, quæ est veluti basis aliorum accidentium, talem virtutem; vt ex ea possint miraculose accidentia educi, & in ea sustentari. Ita communiter Thomistæ, cum suo D. Angelico, *3. p. q. 77. art. 5.* Bellar. *tom. 3. controu. de Sacr. Euch. cap. 24. argum. 6.* Suar. *3. p. d. 57. sect. 1.* 27

QVOAD

QVOAD formas artis, non videntur è materia educi. Ita Perer. *lib.7. cap.2.* alios adducens; videtur etiam S. Bonauent. qui omnem Angelis eductionem formarum è materiâ negat; sed concedit tamen arte factas, quæ magis inducuntur, dolando, scindendo, &c. non autem educuntur: non enim ars est principium motus, sed natura; eductio autem formarum è materiâ, est per motum.

DISPVTATIO III.

De PRIVATIONE.

QVÆSTIO I.

Quid, & ad quid sit PRIVATIO.

1 QVIA materia est subiectum generationum ad formas recipiendas, debet habere earum priuationem & appetitum.

DARI priuationem euidens est, nam sine ea non fieret aliqua generatio; quo enim pacto materia reciperet formam, quam habet; vel si non habet, quam apta non est habere; nonnè clarum est?

DEFINITVR priuatio *Carentia formæ in subiecto apto.*

2 DICITVR *carentia formæ.* Est enim essentialiter absentia formæ, vt docent omnes cum Sancto Bonauentura *in secundo, distinctione trigesima quarta, articulo secundo, quæstione vltima, ad tertium.* Dicitur in *subiecto*; vt ostendatur esse alterius. Dicitur *apto*, vt distinguatur à negatione, quæ, cùm non sit apta ad formam negatam, non apparet inde monstrosa; vt saxo non videre; at priuatio dicit carentiam formæ debitæ, quæ proinde reddit subiectum carens monstrosum, vt cæcitas in homine: quia homo est subiectum aptum facultatis visiuæ.

3 ASSERO primò, Priuationem esse generationem necessariam. Ità Sanctus Bonauentura *in secundo, distinctione prima, dubio tertio litt.*

PROBATVR ratione Aristotelis. Si priuatio non esset necessaria, iam generaretur forma existens; vbi enim non est priuatio, supponitur forma opposita. Neque ad generationem satis est negatio, sed requiritur aptitudo naturalis. Quo enim pacto gignitur oculus in lapide?

ASSERO secundò, priuationem se tenere ex parte subiecti, magis quàm ex parte formæ; nempè quia ad generationem debet supponi priuatio formæ, sed non vbique, sufficit enim vt sit carentia in tali subiecto.

4 HINC solues dubium, quo pacto corpus Christi existens producatur in Sacratissima Eucharistia, nempè quia adest carentia *hic* in *hoc*, & *illo pane*, vnde potest transubstantiari in corpus Christi.

QVÆSTIO II.

An PRIVATIO *sit ens.*

QVÆSTIO ferè de nomine videtur. Certum est, Priuationem non esse absolutè nihil, vt docent Ruu. *1. Phys. tract. 3. q.1.* Vtin. *tract. 5. quæst.3. art.4. sect. 3.* contra alios. Neque potest dici esse ens, cùm sit carentia entis. Hinc verò infertur, esse entis alicuius. Hinc peccatum in se non est ens, vt docet D. Augustinus ad ea verba Ioan. *Sine ipso factum est nihil,* attamen est carentia rectitudinis in aliquo, quam S. Bonau. *in 2. d.34. art.2. q. 3.* vocat deordinationem. De quo latè *1. 2. tract. 3. disp. 1.* agetur. 5

HÆC verò est carentia formæ, quæ si suscipiat magis, & minus, talem efficiet & priuationem, quæ & multiplicatur ad formarum, quibus materia caret, multitudinem; sic vnus est alio magis claudus, vt ait Diuus Bonauent. *in 4. d.18. part.2. q.4. ad 4.* 6

QVÆSTIO III.

An PRIVATIO *differat à subiecto.*

FABER *Theor.59. c.1. ad calcem,* solâ ratione distinguit. Idem videtur sentire Eustachius *p. 1. Phys. tract.1 q.10.*

RVVIVS autem *1. Phys. tract. 3. q. 3.* distinguit realiter: Accinit Collegium *1. Phys. c.9. q.8.* P. Galit. *p.1. Phil. l.1. tract.4. q.2. n.9.* ait non differre realiter à subiecto; sed à formâ realitate priuatiuâ & adducit S. Doctorem *in 2. d.1. dub.3.* ac Tostatum *q.47. ad 32. Exod.* Perer. *l.5. c.2.* pro priori suæ opinionis membro. 7

SERAPH. eo loco soluit dubium. Cur Magister inter rerum principia non recenseat priuationem. Rationem dat, quia priuatio vltimâ suâ differentiâ dicit aptitudinem subiecti ad formas in carentiâ earum, atque ideò cùm sub ea aptitudine sit principium rerum *in fieri*, reducitur ad suum subiectum; & cùm sit carentia formæ reducitur ad formam, more negationum, quæ ad positiua reducuntur. Idem habet S. D. *in 2. d.24. p.1. art.2. quæst.1.* in calce.

DICO, Priuationem differre à materia, non solâ ratione: Est Arist. sensus *1. Phys. t.79.* vbi reprehendit veteres dicentes, eas esse vnum. Malè ergò Faber pro se eum allegat *text.59.* erraco textu, vbi nil de hoc nequidem mussitat. 8

PROBATVR primò, quia materia est substantia; priuatio verò est carentia cum aptitudine additâ subiecto; eaque separabili ab hoc. Neque tamen benè Ruu. arguit esse duas res, essent autem, si ambæ possent separare, & permanere: at priuatio intrinsecè est in subiecto.

PROBATVR secundò, quia sunt duo rerum principia, vt dixi *q. 1.* & mox dicam.

QVÆSTIO IV.

An PRIVATIO *sit principium generationum.*

NOTA, res generales considerari posse primò *in fieri*, dum generantur. Secundò *in facto esse*, dum 9


dùm genitæ sunt. Priuatio sanè asseritur principium rerum *in fieri*; nam *in facto esse* res constant duobus solis principiis intrinsecis materiâ, & formâ.

Neque dicunt, Priuationem esse principium rerum etiam *in fieri* extrinsecum per accidens. Ita Auerr. *ad textum septuagesimum quintum Arist.*

10 At Aristoteles *physic.* 1. *à textu* 50. & 12. *Metaphys. à textu* 22. Priuationem asserit principium rerum Physicarum *in fieri*. Cum eo stat Schola.

Ratio est, quia generatio est mutatio productiua formæ, atque adeò per se à non esse ad esse transit.

Vere tamen est principium, vt terminus *à Quo*, atque adeò materiale tantùm. Vide hæc, & alia in P. Galitio.



DISPVTATIO IV.

De Vnione.

QVÆSTIO I.

An Vnio *sit quartum Principium rerum.*

Tametsi *disputatione prima, quæstione citata*, absolutè tria tantùm rerum naturalium intrinseca Principia posuerim, quæ est Philosophi sententia, summo plausu recepta ab omnibus ferè commentatoribus; cui subscribunt D. Bonauent. *in* 2. *distinctione prima, dubio tertio litt.* & cæteri apud Suarez, *d.* 12. *Metaphysic. sect.* 1. Perer. *lib.* 5. *cap.* 2. Conimbr. *lib.* 1. *cap.* 7. *quæst.* 1. *art.* 4. Zabar. *lib.* 1. *de prima rerum materia, cap.* 2. Ruuius 1. *Physic. cap.* 7. *quæstione vnica.* Hurtád. *d.* 1. *sect.* 3. Galit. *libro* 1. *Philosoph. tract.* 1. *q.* 1. attamen nouam compellor quæstionem instituere; quia prodiit nuper in lucem libellus *de quarto rerum naturalium principio*, quod est *Vnio*, ab eruditissimo viro, Patre Seraphicò Rotella è Carpenedulo contextus. Fatetur hic Doctor egregius, *questione prima, §. secundo*, communem esse ibi oppositam sententiam, initio indicatam: attamen ea est illius præcellentis ingenij sublimitas, vt nouam hanc ad exercitium modestissimè exhibeat.

1 Fateor ingenuè, hanc sententiam enucleatam, intiméque penetratam, nil mihi noui ex Africa attulisse, nisi modum dicendi. Et quia Author hic Aristoteli insistit §. 31. & 48. Videamus; an in Aristotele habeat fundamentum. Definit autem Aristoteles prima principia *in primo Physic. textu quadragesimo secundo. Oportet, prima principia neque ex alterutris esse, neque ex aliis; sed ex his omnia.* Hanc definitionem omnes amplexantur.

Iam verò *Vnio*, seu compositio, quæ in naturalibus idem est; vt fatetur P. Rotella §. 7. est id, quo fit vnum; vt docet Diuus Bonauentura *in* 3. *distinctione sexta, articulo secundo, quæstione* 1. Ita vnio præcedit terminum, qui est compositum, ex formæ, ac materiæ coniunctione resultans. Debent autem principia esse prima intrinsecè: possunt tamen ab aliis extrinsecè producta esse; vt ait Rotella §. 21. Vnio autem substantialis procul dubio fit ab agente, educente formam de potentiâ materiæ; fit tamen & intrinsecè ex communicatione mutua materiæ, & formæ, per informationem huius, & illius substantæ, quibus se inuicem intrinsecè mutuò traduntur. Sunt enim materia, & forma principia intrinseca; sicuti finis, & efficiens extrinseca. Neque vnio substantialis præcedit, naturâ actum completum informationis; vt putat Rotella §. 11. & 12. *ac* 19. imò perfecta, & completa informatio facit perfectam vnionem. Itaque dum agens extrinsecè vnit materiam formæ, & formam materiæ, ipse quoque in via se intrinsecè communicant; forma quidem informando: materia autem sustentando. 2

Ita vnitio est actio agentis extrinseca, vnionis causa; ipsa verò vnio habet rationem termini intrinseci, vnientis extrema vnibilia. Quamuis autem vnio sit extrinseca materiæ, & formæ præcisis, est tamen intrinseca vtrique, vt communicantibus, & se inuicem tradentibus in ratione principij; & in hoc arbitror, Authorem falli, dum vnionem accipit pro vnitate, quæ est terminus. Quapropter Vnio fit ex aliis intrinsecè; atque adeò deficit in hac principiorum conditione essentiali Aristotelica; & eò magis, quò materia, & forma sunt principia, vt vnita in composito physico: vnde superfluit aliud principium. 3

Obiicit Rotella §. *vndecimo*, ad probandum, vnionem substantialem esse effectum, ab extrinseco agente productum. Datur agens, producens formam, quam sine vnione substantiali valet conseruare; vt patet de anima rationali: ergo actus vnionis substantialis est effectus, ab agente productus; non autem effectus formalis formæ. Confirmatur: nam vnio à Sancto Bonauentura sumitur etiam pro vnitione agentis; & ita vnio substantialis, accepta pro vnitione, seu pro actu vnitiuo, est terminus actionis extrinseci agentis. 4

Hinc resumit argumentum. Ex eo, quod vnio Verbi Diuini cum natura humana non est effectus solius Verbi vniti, sed effectiuè à tota Trinitate: ergo vnio substantialis non est effectus proprius formæ, quæ vnitur; sed agentis, coniungentis materiam cum forma. Quare sic argumentum profert. Sic se habet forma ad materiam; sicuti suppositum terminat naturam, mediante vione, ab agente producta, & à ratione terminatiuâ distincta: ergo & forma informat materiam, mediante vnione substantiali, ab agente intrinseco productâ. 5

Præterea datur vnio substantialis sine informatione actiuâ, & passiuâ: ergo vnio distinguitur ab informatione actiuâ, & passiuâ. Probatur antecedens: quia Verbum vnitur substantialiter naturæ humanæ; nec tamen eam informat. Probatur consequentia, nam hic est lapis lydius distinctionis realis agnoscendæ. 6

Hæc tamen nil commouent, sed primò æquiuocè natant. Ego enim concedo, eam quæ propriè est vnitio, esse distinctam ab intrinseca communica 7

nicatione materiæ cum formâ; sed ei incumbit probare, vnionem adæquatè esse extrinsecam materiæ, & formæ: est autem intrinseca: quia vnio fit per mutuam intrinsecam communicationem; & ita illa ex aliis intrinsecè fit principiis, quæ in hoc habent rationem suam principiandi: vnde non potest vnio distinctum esse principium extrinsecum; actio verò extrinseca non potest esse quidem principium intrinsecum rerum naturalium; vt monet Sanctus Doctor *loco initio adducto*. Sanè principium extrinsecum dicitur à D.Bonau.operatorium, de quo non est quæstio, an impediat, principia esse prima: alioqui neque materia, quæ est à Deo; neque forma, quæ ab aliis operatoriis producitur, essent principia rerum; vt monet Rotella §. 21.

IAM igitur, dum arguit à simili de Vnione Hypostatica, deficit: debuit enim probare, Vnionem hypostaticam esse à sola actione Trinitatis; non autem ex communicatione intrinseca substantiali personæ: Imò ex hoc vrgeo. Vnio hypostatica non dicit meram vnitionem, sed intrinsecam terminationem Verbi: ergo & hæc. Tamen ea adhuc minor est vnione materiæ cum forma, quæ ad vnam essentiam constituendam conueniunt. Hinc malè concludit: Ergo vnio substantialis non est effectus proprius formæ, quæ vnitur; sed agentis coniungentis.

AD argumentum à simili, primò, negatur Maior; licèt enim suppositum actuet vltimò naturam perfectiùs, non tamen arctiùs, data in reliquis paritate (hæc dico: quia Vnio Verbi est perfectior, seu altior, quàm animæ cum corpore) Ad minorem dico, quòd suppositum terminat naturam, mediante vnione, ab agente productâ; ita tamen vt interim extrema ab agente applicata, se inuicem intrinsecè communicent, & à se dependeant; vt acutè docet Sanctus Bonauentura *primo, distinctione 37. quæstione prima, ad 1.*

10 QVÒD verò dicit, dari vnionem substantialem sine informatione, parùm iuuat: nam sicuti sunt multa genera substantialium vnionum; vt explicat Sanctus Bonauentura *in 3. dist.6. art. 2. q. 1.* è quibus alia est ad vnam materiam constituendam; alia ad vnam personam; hæ verò non exigit informationem, vt fateor; attamen exigit intrinsecam proportionatam personæ communicationem; atque adeò talem, quæ fit ex aliis intrinsecè; & hoc sat est, vt non sit in suo genere principium; quod non debet esse ex aliis intrinsecè; vt iniungit Rotella. Non est autem necesse, vt vnio sit intrinsecè ex materia, vt præcisè materia, vel ex forma, vt sic; sed prout se inuicem communicant, fungentes munere principij. Hinc soluitur instantia suprà iniuncta; quamvis enim possit forma à Deo conseruari, addo, atque produci, sine actuali informatione, non tamen benè infertur, actus vnionis esse extrinsecè ab agente; non intrinsecè à forma. Ratio est luce clarior:

11 dum sic producitur, & conseruatur forma, non est actu principium; quòd si ponatur in ratione principij actualis, id fiet per intrinsecam vnionem informatiuam, quâ constituitur actu principium ad terminum illum vnionis, qui debet adscribi materiæ, & formæ, vt principia sunt; non autem vnioni, quæ est modus, & terminus earum, vt sunt principia. Neque verò vnio substantialis præcedit informationem, vt acutè obseruat Diuus Bonau. *in 3. dist. 6. art. 2. quæst. 1.* neque enim 12
alio modo fit vnio materiæ cùm forma, quàm per informationem, & sustentationem: alioqui *in fieri* vno genere vnionis vnirentur; & alio *in facto* essent vnitæ. Est igitur vnio quid Physicè compositum ex mutua communicatione materiæ cum forma; non simplex, quale debet esse principium. Sicut autem Rotella §. 25. contentus esset, definitionem principiorum hoc primum habere analogicè; ita satisfactum sit, si ei compositio analoga conueniat; at vniuocè conuenire sustineo; cùm hæ duæ communicantes sint partes physicæ, nempè entitas materiæ, & formæ, secundùm mutuam communicationem, in ratione principij.

ALTERA conditio etiam deest, vt principia sint, ex quibus alia fiunt: nam Vnio non est, *ex qua*, sed quâ mediante fit compositum. Neque verò ad hoc, vt sit id *Quo*; satis est vt sit principium intrinsecum: alioqui etiam motus passiuus materiæ, & actiuus formæ erit principium rerum. 13

NEQVE rectè Author §. 25. distinguit, Vnionem esse principium *quo*, in ordine ad materiam, & formam, quia, eâ mediante, exercent suum actum principiandi, & compositum naturale intrinsecè constituunt. Esse verò principium, *ex quo*, in ordine ad compositum: quia intrinsecè facit ad constitutionem ipsius compositi, & perseuerat in eo, tanquam eius principium intrinsecum, eâque solutâ, soluitur compositum. Hæc sanè doctrina est nulla: nam esse intrinsecum supponitur in ratione principij, *in fieri* compositi; atque vnio non mutat naturam *in facto esse* compositi, sed solùm addit permanentiam in suo munere vinculi, quo permanet compositum. Itaque ratio (*ex*) conuenit materiæ, & formæ, quæ sunt prima principia. Ratio verò (*quo*) conuenit vnioni. Quòd si libet vagari, vt alia sit ratio vnionis *in fieri*, & alia *in facto esse*, erunt quinque principia: sicuti, quia materia est principium *in fieri*, ratione priuationis, quam exiuit in formæ inductione, multiplicantur principia *in fieri*, nempè, addita noua priuatione; tametsi minùs à materia differat, quàm vnio: nam priuatio ad materiam reducitur; vt notat Sanctus Bonauentura *2. distinctione prima, dub. 3. littera* ex Magistro. 14
15

QVOD verò Author addit §. *vigesimo sexto*, quòd, sicuti forma est ratio, & principium *quo mediante*, materia est principium *in facto esse*; & tamen ipsa forma est principium, *ex quo*; ita & vnio substantialis, etiamsi principium sit *quo mediante*, materia, & forma sunt principia *in facto esse*, adhuc ipsa vnio est principium, *ex quo*: nam materia est principium *in facto esse*, non præcisè, sed quantùm vnita formæ: quia nisi ei esset substantialiter vnita, nequaquam materia esset principium compositi intrinsecum, *in facto esse*. Sanè nil iuuat. Tum, quia, si vnio est ratio formalis, sine quâ materia non esset principium *in facto esse*, sequeretur non esse principium distinctum ab ea; tum etiam, quia vnio semper manet ratio *quo* nec aliud habet entitatis; sicuti habet materia; atque adeò non benè comparatur. 16

NEQVE satis ostendit §. 27. vnionem habere proprium actum principiandi distinctum ab 17

ab actu principiandi materiæ, & formæ: nam actus vnionis est actus mutuus communicantis materiæ cum forma, in quo stat ratio principiandi earum; neque sunt duo, alterum vt causa, nempè vnio, alterum vt effectus, nempè informatio: nam informatio nil est aliud, quàm communicatio suæ actualitatis per intrinsecam suæ entitatis traditionem, mediante vnione, quæ est modus; non res distincta; neque satis aliqui ostendunt, esse rem distinctam; quia stat forma sine vnione: nam deberent probare, etiam vnionem stare posse sine materia, & forma. Is enim est lapis lydius realitatum distinctarum, si res ambæ per Dei potentiam stare queant seorsim.

18 FRVSTRA autem venatur Author ille §. 28. terminum productum proprium, scilicet, facere vnũ compositum, vt inde inferat, vnionem esse distinctum principium; hoc enim non satis est, vt suprà ostendi; vnitas enim compositi agnoscit vnionem, vt principium *Quo*, non *ex Quo*; vt ratio Principij Aristotelici exigit.

MVLTA congerit Rotella, quæ facilè ex dictis patent.

ADVERTE, eum sæpè falli in hoc, quòd deducit, vnionem esse principium rerum, quia eâ vnitate res substantialiter fiunt. Concedo sanè, vt *Quo*, id facile fieri; quod non sufficit ad rationem

19 principij. §. 47. vrget, vnionem substantialem non esse actum proprium substantialem, intrinsecum materiæ, & formæ, sed extrinsecum; quia non est ipsum esse materiæ, & formæ; at §. 4. dixerat formale principij in materia non esse aliud additum; sed idem esse materiam, & esse principium. Secundò, hoc nil facit: esto esset aliquid additum essentiæ materiæ, & formæ, vt ratio, *Quo*, formaliter materia, & forma compositum constituunt: nam reducitur ad alterutram, vt sunt principium. Et sanè §. 49. hanc ad formam reducit, satis contentus, nouum demonstrasse ingenium, singulariter sanè eximium.

20 ANNVIT autem §. 48. hæc ab Aristotele non ignorata; nec esse noua. Quamuis enim in Physicis tria tantùm principia nota asserat particularia rerum Physicarum: attamen, & vnionem Principium vniuersale fatetur, 8. *Metaphysic. text.* 16. vbi de ente vniuersali agebatur. Ita §. 48. sed non probat. Sanè ibi Aristoteles solùm vult vnione causari compositum.

Ex dictis igitur habes, rationes, quibus ostendas, Vnionem non esse Principium rerum vniuocè, secundùm rationem Aristotelici principij, quod traditur vniuersaliter in Physicis. Ibi verò de omni principio se loqui, ait, non de solis Physicis; vt putat Rotella. Sunt igitur tria, Materia, Forma, & Priuatio, principia rerum *in fieri*. Vbi

21 Aduerte, Magistrum *in* 2.*d.*1. attulisse tantùm materiam, & speciem, seu formam. Cùm enim Priuatio, vt est principium rerum in *fieri*, sit carentia formæ in materia, quod idem est, ac materia, vt carens formâ, reducitur à Magistro ad ipsam materiam, cuius est essentialis & intrinsecus appetitus, & aptitudo ad formam, sine quâ, carentia non esset priuatio, sed negatio mera. Hinc Magister Priuationem ad materiam reducit. Vel dic, eum loqui de Principiis rerum *in facto esse*. Quòd si dicas, eum recensere inter principia, etiam Deum operatorium; atque adeò considerare res *in fieri*; respondeo, Deum esse primam causam; atque principium rerum, etiam *in facto esse*, necessarium, conseruando res ipsas semper.

NEQVE ea ratione rectè inducit quartum principium: quia meliùs est esse, quàm non esse: nam superflua satiùs est non esse; neque sunt multiplicanda entia absque necessitate. 22

NECESSITATEM sanè is probat, maximè Aristotelicâ regulâ, 2. *Poster. c.*4. Illa est propria alicuius passionis causa, quâ destructâ, destruitur & passio; sed destructâ vnione, ruit compositum: ergo vnio est causa necessaria compositi. Conqueritur à suis discipulis maiorem esse negatam. Ego igitur sic eam distinguo, Eam verè esse causam, & principium; sed non sufficit ad essentiam primi principij: alioqui omnes causæ essent prima principia. Igitur vnio est id, *quo* materia, & forma, quæ sunt principia immediata, vt *Quod*; seu vt 23 principia, modo suprà dicto, constituunt compositum. Quare frustra subsequentibus enititur probare, vnionem esse primum principium: quia vnione fit compositum; non autem nuda materiâ, & formâ. Miror autem, ita eum vrgere, cùm §. 3. *& sequentibus* insistat, neque materiam præcisè, neque formam esse principium rerum; sed prout materia formam sustentat, & forma materiam actuat; seu potiùs vt inuicem se communicant. Quòd si 24 vnio est primum principium informationis, & sustentationis, iam non materia, & forma; sed vnio erit primum principium. Probatur sequela. Ea, quæ ab aliis principiis constituuntur in esse principij, non sunt principia; cùm non sint prima, ex Rotella §. 36. sed vnio constituit materiam in esse formali principij, nempè informandi, & sustentandi se inuicem; vt ipse Rotella vrget §. 11. 12. *&* 19. ergo vnio sola est primum principium rerum, cùm causet rationem principiandi materiæ, & formæ. Hoc autem ipse Rotella detestatur §. 36.

NEQVE obest, si materia, & forma, secundùm essentiam, sint ante vnionem; cùm vnio supponat vnibilia: nam non sunt principia secundùm suam nudam entitatem, vt ipse Rotella probat §. 4. *& sequentibus*; vbi ostendit, esse materiæ, & formæ, esse tantùm materiale principij. 25

Ex dictis collige vnionem, cùm sit modus, *quo* vniuntur partes; non autẽ id *quod*, non egere medio alio. Vnde processus in infinitum timeatur, vt notat Fuliensis 1. *Phys. c.* 5. *art.* 2. Id timeat Rotella timore, eius sapientiæ non conueniente.

QVÆSTIO II.

Quæ entitas sit VNIO.

REIECIMVS opinionem dicentem, Vnionem esse rem; & quartum Principium rerum naturalium: Iam autem videndum quid sit.

FVIT sententia Caiet. *part.*1. *quæst.*76. *art.* 1. Vnionem nil aliud esse; quam formam causantem in actu secundo, & materiam cum ea in esse indiuiso. Adducitur etiam D. Thom. 3. *cont. Gent. c.* 70. Hæc fuit sententia nominalium quorundam, quos sequutus est Farnes: *in Assertis ad Paulum V. c.* 5. Nituntur, quia non vident aliquam necessitatem entia multiplicandi.

VERA tamen sententia est, Vnionem esse entitatem, à partibus distinctam. Ita D. Bonau. 3. *d.*6. *art.* 2. *q.* 1. & *in* 2. *d.* 37. *art.* 1. *quæst.* 3. apud Galit. *part.* 1. *lib.* 1. *tract.* 5. *q.* 1. Idem clariùs ex 26

aliis

aliis locis deduco; vt ostendam. Sequuntur Patres Iesuitæ, Val. *Tom.4. d.1. quæst.11. p.2.* Suar. *in Metaph: d.13. sect. 7.* & *9.* & *d.15. sect.6.* & *ad 3.p. q.2. art.8.* Vasquez *ibidem*, Ruuius *1. Physic. tract.2. q. 6.* Hurtad. *d. 5. Physic. 1.* Faber, *Theor.21.* Aresf. *1. de Gener. quæstione 15. sect.2.* & cæteri ferè tum antiqui, tum Moderni apud illos.

Hvivs sententiæ Authores in varios modos explicandi hanc entitatem diuiduntur. Aliqui enim dicunt, Vnionem esse relationem partium. Adducuntur Scotus *in 1.d.30. quæst.4.* & Duran. *3. d.5. q.2.* à Ruuio, *Tract. 2.q. 6.* sed malè; vt ostendit Galitius, *q. 2.*

27 Commvniter verò dicunt, esse entitatem absolutam, è qua resultat relatio. Subdiuiduntur & hi: nam aliqui dicunt, esse rem distinctam à materiâ, & formâ. Ita Pater Galitius *quæst.1. n.6.* referens Seraphicum, sed frustrà, & Argent. *3.d. 5.* Cæteri verò dicunt, esse modum. Ita communiter Patres Societatis Iesv, quibuscum reconciliatur Galitius, *quæst.2. num. 5.*

28 Oportet autem præscire ex Diuo Bonauentura *locis adductis*, Vnionem esse conuenientiam vnibilium ad vnum constituendum. Sunt tamen aliqua vnita, non facientia propriam compositionem; vt monet S. Bonauent. *in 3. d. 1. quæst. 1. ad 2.* vbi distinguit Vnionem à compositione, quòd vnio dicit coniunctionem duorum in tertio, siue vniantur ad constitutionem tertij, siue non. Compositio autem dicit conuenientiam plurium ad vnum tertium constituendum: ita alterum est materiale respectu alterius; atque adeò includens nexum in componentibus; non sic vnio. Quare hæc latiùs patet. Exempla vide in Sancto Doctore *in 3. loco citato.* In Physicis tamen nostris, vnio compositionem dicit.

29 Iam verò hæc conuenientia extrinseca producitur extrinsecè ab agente per vnitionem; intrinsecè verò est effectus formalis partium, vt conuenientium. Vbi video errorem primæ sententiæ: dùm ponit, vnionem nil aliud esse, quam materiam, & formam, exercentes se inuicem, illam formam sustentando; hanc, informando materiam. Sanè nil aliud requiritur: attamen Vnio non est ipsa informatio, & sustentatio; sed est veluti, formalis effectus illarum; ex informatione enim, & sustentatione, seu mutua traditione vtriusque, resultat Vnio. Vel, si mauis, esse ipsam traditionem mutuam; vt dixi, *quæst. præced.* at si est intrinseca, & formalis ratio constitutiua vnius, seu vnitatis; adhuc est aliquid, præter materiam, & formam, quæ præcisè non sunt sibi inuicem traditæ; possunt enim separatè existere (saltem per Dei potentiam) & ante coniunctionem, & post coniunctionem patefaciunt contradictorias enunciationes; quod signum præclarum est distinctionis.

30 Assero primò, Vnionem esse quid distinctum à partibus vnitis.

Probatvr primò argumento, ducto è Diuo Bonauent. *in 3. distinct. 6.* & *dubio 1. quæst. 1. arg. 3.* Productum per mutationem realem, & actionem, est distinctum ab extremis præexistentibus; sed vnio est extrinsecè ab agente producta; & intrinsecè ab extremis præexistentibus, per eorum mutationem, & ad vnitatem terminat: ergo.

Probatvr secundò à Seraphico Do-
31 ctore *ibi*, & *in 2. loco citato*, & *distinct. 1.* Ea, de quibus verificantur contradictoria, sunt distincta; sed de partibus ante vnionem, & post verificantur contradictoria: ergo. Minor probatur à Diuo Bonauent. quia priùs non erant vnitæ, & erant in potentia; postmodum vnitæ in actu: ergo.

Probatvr tertiò à Diuo Bonauentura, *3. distinct. 1. citata ad 3.* Relatio realis mutua noua supponit nouum fundamentum inter relata; sed materia, & forma in vnione incipiunt ad se inuicem referri realiter; cùm ante non referrentur: ergo per aliquod fundamentum reale; sed hoc est vnio: ergo.

Dices, materiam, & formam, cùm sunt, semper esse vnitas.

Respondetvr hoc, nil obesse; vt aduertit Pater Galitius, *quæst.1. num.6.* tum quia priùs naturâ existunt, quàm vniantur. Secundò, in homine post mortem præexistunt extrema sine relatione, &c. & per vnionem referuntur, & contradictoria verificantur. Tum quia in resolutione vnionis hæc apparent: nam priùs erant corpus, & anima vnita: mox autem non sunt; priùs referebantur vt vnita; post mortem autem non, &c. 32

Assero secundò, vnionem non esse rem, realiter distinctam ab vnibilibus.

Probatvr primò. Si essent res distinctæ, possent (saltem Dei potentiâ) stare separatim; hinc materia, seu forma: inde vnio. At, vbinam habetur vnio sine vnitis? 33

Obiicies cum Patre Galitio. Ea, quæ diuersis actionibus producuntur, sunt distincta realiter, realiter. Tales sunt partes, & vnio: ergo.

Respondetvr facilè, satis esse, si vno motu producatur modus realis; sic formæ quæcunque, siue creatæ, siue eductæ, priùs naturâ existunt, quàm vniantur; nec per vnionem aliud additur, quàm modus talis substantialis.

Ex his habes esse vnicam vnionem materiæ, & formæ; non autem plures; etsi plurium. Ita Seraphicus Doctor *allatis locis*, quem sequuntur Suarez *d. 13. Metaph. sect. 9.* & alij apud Galitium, *quæst. 3.* Probatur: nam vnica, actu, producitur extrinseca, & intrinseca conuenientia partium in vnum. 34

Colligvnt alij, vnionem materiæ cùm forma esse immediatam, non mediis accidentibus: alioqui non esset substantialis; sed faceret vnum per accidens. Videtur D. Bonauenturæ *in 1. d.3. part. 2. art. 1. quæst. 3.* apud Patrem Galitium, *quæst. 4.* & est communis in scholis.

Doctores, relati *d. 1. quæst. 11.* ponentes quantitatem immediatè inhærentem materiæ; negant sanè, formam immediatè inhærere materiæ, quod eâ probabilitate concedimus & nos, quâ & illud concessimus. Vnde respondetur ad argumentum, adhuc fore vnionem substantialem: quia est actu, & potentia substantiali formaliter; etiamsi materialiter dispositiue præcedat Quantitas. 35

Tandem colligitur definitio vnionis Physicæ. Est vnibilium dispositio, seu conuenientia materiæ, & formæ in vnam naturam, siue formam totius. Colligitur è Diuo Bonau. suprà, vt notat P. Galitius, *quæst.2. num. 5.*

QVÆSTIO III.

An Vnio fiat è subsistentibus.

36 MVltiplex vnio hîc supponenda, cùm D. Bonau. in 3. dist.6. art.2. q.2.

QVædam est vnio, quâ vnum vnibile in alterum conuertitur; vt cùm gutta aquæ in vini dolium stillatur. Talis autem vnio ita fit, quia vnum alteri repugnans prædominatur. Quædam est vnio, in qua vnibilia alterantur, & tertiam naturam producunt: quia, licèt inuicem repugnant; vnum tamen non omninò prædominatur, vt soluatur species alterius. Ita vniuntur elementa ad mixtum; quod ideò definitur: *miscibilium alteratorum vnio*. Quædam est vnio, in qua non in-
37 teruenit transmutatio vnitorum, sed constitutio tertiæ naturæ; & hoc, quia vnibilia non habent repugnantiam; imò mutuam inclinationem, & dependentiam: sic vnitur anima cùm corpore, ad animal constituendum. Quædam est vnio, in qua nec est transmutatio, nec tertiæ naturæ constitutio; sed vnum vnibilium fundatur tantùm in altero; & hoc euenit; quia ibi nec est vnibilium repugnantia, nec mutua dependentia essentialis: est tamen excellens dominatio. Ita surculus Pruni inseritur arbori Pomo: vbi Pruni surculus seruat suam naturam; & tamen sustentificatur in supposito stipitis Pomi. Similis est hæc vnioni hypostaticæ, in qua duæ naturæ seruantur intactæ; sed tamen vna in supposito alterius subsistit. Omitto vniones plurimas accidentales; nunc enim de substantiali vnione agitur.

38 NOTA secundò, subsistentiam esse modum substantialem, perficientem vltimò naturam; ita vt sistens in se, seu subsistens, ad aliud non ordinetur; hoc verò sensu videtur implicare in terminis subsistentia, quæ attribuitur partibus, seu quibuscunque aliis rebus, quæ ad totum constituendum ordinantur. Excipe personam, quæ assumit naturam ad sui vnionem; qualis est Filij Dei, qui ad sui vnionem assumpsit naturam humanam; ad eam tamen habet potentiam terminatiuam; non necessariò ordinatam.

39 MVltis aliis modis dicitur de rebus subsistentia, sed in terminis minùs propriis. Ita dicitur subsistere id, quod firmum est; sic de rebus quibusdam dicitur: Habent parum, aut multum subsistentiæ; vt colligitur è Diuo Bonauentura 1. *distinctione* 23. *art*.2. *quæst*.1. & *distinct*.25. *dub*.1. Alio sensu magis scholastico, *subsistere*, dicitur quasi sistere sub alio; sic substantia dicitur stare ad sustentanda accidentia. Propriè tamen de solo termino vltimo substantiæ completæ dicitur, quæ per se stat, nec ordinatur ad aliud. Itaque, licèt detur aliqua substantia partialis, quæ stare queat per se; vt anima nostra: tamen, quia intrinsecè ordinatur ad hominem cum corpore componendum, non est propriè subsistens: quia subsistentia dicit modum additum naturæ, vltimò complentem, qui in natura dicitur hypostasis; & in natura rationali dicit dignitatem personæ.

40 Ex dictis habes, cur Theologi multi negent partibus vnioni conuenientibus subsistentiam. Inter hos est D. Bonau, qui ipsi, & animæ separatæ eam negat propriam; sed consequi vnionem cum corpore, ait *in* 3. *d*.5. *art*. 2. *quæst*. 3. Ideò & negat posteà, esse personam. Quare vbique alienus est ab asserenda in partibus hâc subsistentiâ, vt obseruat eruditissimus, & in Seraphico diù, multúmque versatus P. Galitius, *parte* 1. *Philosoph. lib*.1. *tract*.5. *quæst*.5. *num*.9. Eum imitatur Vasquez, sæpè adeò acerbè partiales respuens subsistentias, vt stomachatus videatur; ita vidit Hurtad. *d*.2. *Phys. sect*. 2. *subsect*. 1.

ALIQVI sanè formis materialibus partiales negant subsistentias; sed tamen animæ nostræ eam concedunt. Ita Ruuius, 2. *Phys. tract*. 2. *q*. 4. Molina, *quæst*.19. *art*.2. *d*.3. *in D. Thom*. Suarez *in Metaph*. *d*.14. *sect*.5.

QVIDAM eam concedunt etiam materiæ; vt D. Thom. arrideant dicenti, creari esse proprium subsistentium, & concedenti, materiam esse creatam. Imò S. Thom. *part*. 1. *q*. 45. *art*. 4. & *ibi* Caietanus concedit partiales subsistentias; sed subsistentiam sumit pro stare in se actu; non vt terminum vltimum. 41

ASSERO igitur, Partes, quæ ad vnionem conueniunt, non habere proprias subsistentias partiales. Patet ex dictis *hic*, & *disputatione prima, quæstione* 15.

PROBATVR: quia est contradictio in terminis, partem subsistere, idest, sistere in se vltimò; 42
cùm intrinsecè ad totum ordinetur.

RELIQVA vide in Patre Galitio, *Tractatu* 5. *Phys*.

DISPVTATIO V.

De COMPOSITO.

QVÆSTIO I.

An ex materia, & forma componatur VNVM PER SE.

VNvm per se fit è pluribus eiusdem generis, quorum alterum respicit alterum in ratione 1
potentiæ perfectibilis; alterum verò in ratione actus perficientis. Vnum per accidens fit ex pluribus, siue eiusdem, siue diuersi generis, inter quæ non est iste respectus intrinsecus. Vtriusque vnitatis multas species affert D. Bonau. *in* 3. *distinct*. 9. *art*. 2. *quæst*. 2. ex Aristotele 5. *Metaphysic. text*.7. & 10. *Metaph. initio*, ex Algazele *in Metaph*. & D. Bernardo *l*. 5. *de consideratione, post medium*.

ASSERO, è materia, & forma fieri vnum per se.

PROBATVR à Diuo Bonauentura *quæst. præcedenti*. Ea, quæ se intrinsecè respiciunt, & à se 2
inuicem dependent, atque simul ordinantur ad perfectum compositum, faciunt vnum per se. Talis est materia, & forma: ergo. Id sæpè refricat S. Doctor. Cætera vide in Patre Galitio, *tract*.6.*q*.1. sunt enim adeò clara; vt vlteriùs probari non exigant.

QVÆST.

QVÆSTIO II.

An tota essentia COMPOSITI *sit à forma.*

PRIMA opinio est, formam esse totam essentiam compositi. Ita Baccon. 1.3.*d.*21.*quæst.*2. *art.* 2. Zabar. *cap.*6. *de constit. Indiuid.* Perez *lib.* 6. *cap.*7.

3 VERA tamen, atque communis sententia vtrique essentiam compositi adscribit. Ita D. Bonau. *in* 3.*d.*2. *art.*2. *quæst.* 1. 2. & 3. & *dist.* 6. *quæst.* 5. & 6. cum Boëtio *lib. de duabus naturis, & vna persona Christi.* Auic. 5. *Metaphysic. cap.*4. Alensis 3. *part. quæst.*6. D. August. *lib.* 16. *de ciu. c.* 3. vbi Varronem laudat in hoc Damasc. *lib.* 3. *fid. c.* 3. Athan. *Symb.* D. Thom. *p.* 1. *quæst.* 8. *art.* 2. *ad* 3. & *quæst.*85. *art.*1. *ad* 2. & 3. *p.q.* 3. & *his locis* Thomistæ, Scotus apud Fabrum, *Theor.* 28. & cæteri apud Zanard. 7. *Metaph. quæst.*8. Suar. *d.* 36. *sect.*2. Conimbr. 1. *Physic. cap.* 9. *quæst.*5. *art.*2. Ruuium ibi, *tract.* 2. *quæst.*6. Iornatam, *de constit. indiuid.* Farnes. *in concl. ad Paulum Quintum, cap.*3.

4 ASSERO cum hac sententia essentiam compositi resultare ex materia simul & formâ. Ex se patet in terminis. Si enim est compositum substantiale ex materia, & forma, quo pacto vnâ tantum parte constitutum est? sanè forma est quid simplex; quòd si materia non esset de essentia compositi, iam anima nostra separata esset homo. Confirmatur à simili è composito Metaphysico.

5 ARGVMENTA aduersa solùm probant, formam esse præcipuam, quia dat esse actu specificum: attamen non excludit materiam, quæ secum fert actum entitatiuum existentem. Neque Aristoteles id vnquam negat; aut aliter vult docêre. Vide Patrem Galitium *q.* 2.

HINC habes, & esse compositi à materia haberi; est enim materia producta, estque terminus productionis, actu existens. Ideò *Symbolo* Ath. *Anima rationalis & caro, vnus est homo*, etsi præcipuè sit à formâ, vt ait Diuus Aug. 3. *de ciu. cap. vlt.*

QVÆSTIO III.

An in vno COMPOSITO *sint plures essentiæ.*

PLVRES formas ostendam, *d.*2. *quæst.*3. *in tractatu de Corporibus animatis*, qui est octauus:
6 vbi formas organizationis probabo. Quoad hoc videtur mihi omninò consequens, vt, ibi sunt plures formæ diuersæ, sint plures naturæ, & essentiæ partiales: attamen essentiarum pluralitas, quia naturas integras sonat, videtur magis præiudicare vnitati, per se, compositi. Ideò, qui negant pluralitatem formarum, renuunt magis pluralitatem essentiarum. Ita D. Thom. quem sequuntur discipuli, ac Suarez, *d.* 6. *Metaph. sect.* 9. Vasquez *tom.*2. *d.*179. *cap.*3. Hurtad. *d.*4. *Phys. sectione* 3. & *d.*5. & 6. *Metaph.*

OPPOSITA sententia est D. Bonauent. *in* 1. *d.* 13. *art.*2. *quæst.*2. & *d.*3. *p.*2. *art.* 1. *quæst.* 3. & *in* 3. *distinct.*6. *art.*2. *q.*1 *ad* 3. Scoti *in* 4. *d.* 11. *quæst.* 3. & discipulorum asserentium, in vno composito esse plures essentias.

ASSERO cùm hac sententia, plures esse essentias in vno composito.

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *loco citato.* 7
Vbi est pluralitas generum, & differentiarum, est ibi pluralitas essentiarum; sed in compositis, putà brutis, & homine, est pluralitas generum, &c. ergo. Argumentum est clarum. Maior probatur: nam singula genera, & non sola vltima species, satis sunt ad essentiam constituendam; *verbi gratiâ*, vegetabile, quod est in homine, habet propriam definitionem; est enim medium demonstrationis, &c.

ASSERO secundò, vnam esse totalem es- 8
sentiam: sic vnus est homo, constans corpore, & anima; & est vegetabilis, sensibilis, & rationalis.

EX his naturis aliquæ sunt distinctæ realiter, cuius signum est, quòd separabiles sunt, vt anima à corpore. Aliæ solùm formaliter; vt gradus Metaphysici in eadem forma; & gradus vitæ in anima.

PROBATVR; quia plures habent proprietates, plures operationes, & definitiones: ergo aliquo modo realiter differunt; non autem re: nam sunt vna anima: ergo ex natura rei. Ita sentiunt Scotus, & Scotistæ passim, cùm D. Bonau. *in* 1. *d.* 3. *passim*; & *in* 2. *d.* 24. *art.* 2. *q.* 1. Id latiùs ostendam *tract.* 9. *disput.* 2.

HINC falsum dixisse conuincitur Vasquez: 9
dum solo nostro conceptu hæc vult differre. Sanè, nullo cogitante intellectu, anima nostra, secundùm gradum rationalem, qui in aliis inferioribus non est, aliqua operatur, quæ nequit operari gradus sensitiuus: &c. Profectò noster conceptus, verus vt sit, debet abstrahi à rebus; vt docet D. Bonau. 1. *distinct.* 27. *q.* 3.

VNVM est tantùm suppositum totalis naturæ; vbi aduerte, posse plures perfectas naturas totales, non subordinatas vniri per se, ad vnitatem suppositi, vt factum est in Incarnatione; attamen est aliqua subordinatio: quatenus natura humana eget substantiali hypostasi & licèt ad Diuinam Verbi non feratur: attamen per eam à Deo suppletur illa, ad quam naturaliter fertur.

QVÆSTIO IV.

Vnde habeat COMPOSITVM *vnitatem indiuiduam.*

QVIA è pluribus subordinatis fit vnum com- 10
positum indiuiduum, quærere oportet, vnde habeat, vt sit hoc. An natura specifica contrahatur per aliquam differentiam indiuiduantem; vt volunt, qui cum Scoto dicunt, dari naturam communem à parte rei; an verò nil addatur; sed quæuis suâpte naturâ, indiuiduetur.

MVLTAS hac de re opiniones recitant Doctores. Ego præcipuas indicabo.

PRIMA opinio est, dicentium, principium indiuiduitatis esse negationem diuisionis.

SECVNDA opinio est, esse existentiam. Hæc Henrico à Scoto adscribitur.

Tertia ſententia eſt Scoti, *quodl. 2. q. 2. art. 2.*
& *in 2. d. 3. à q. 1. ad 6.* exiſtimantis, dari naturam
ſpecificam à parte rei, egentem differentiâ con-
trahente ad eſſe indiuiduum. Hanc differentiam
11 vocant Scotiſtæ *Hacceitatem*, putà, Socrateita-
tem à Socrate, &c. Eum ſequuntur, cum diſcipu-
lis apud Fabrum, *Theor.* 90. Molina, *p. 1. q.* 50.
Iornata *de conſtit. indiuidui*; Fonſeca, & alij. Hanc
differentiam, ait, eſſe vltimam realitatem, vel ma-
teriæ, vel formæ, vel compoſiti; omnes enim in
ſe ſunt indeterminatæ. Quæ autem ſit ex his, Sco-
tus non determinat: eam tamen formaliter tan-
tùm à materia, forma, & compoſito diſtinguit.
Porrò hanc vocant materiam, non materiam to-
tius, vt quidam ſupponunt; Nuſquam autem vo-
cat eam Scotus *Hacceitatem*, ſed ita explicatur à
formaliſtis. Porrò Faber, *cap. 2.* declarat, de men-
te Scoti, eſſe vltimam realitatem formæ; quippè
quæ, dans eſſe, debet & diſtinctum eſſe tribuere,
quod materia non præſtat. Idem ferè Zabarella,
cap. 6. de conſtit. Indiuid.

12 Qvarta ſententia, D. Thom. adſcripta, eſt,
materiam ſignatam eſſe principium indiuiduatio-
nis. Laborant verò Thomiſtæ, relati à Galitio, in
eâ propugnandâ; & Scotiſtæ in impugnandâ. Sed
fruſtrà vtrique; nam vera ſententia D. Thomæ eſt,
materiam, & formam, vt vnitas, facere hoc, & il-
lud indiuiduum in eadem ſpecie. Loca præclara
Doctoris Angelici expono. Id, *p. 1. q. 75. art. 4.*
& *quæſt. vlt. ad 1.* & *quodl. 18. art. 6. in corpore*;
13 & *quæſt. 10. de veritate, art. 5.* docet. Affert autem
etiam rationem; quia ſubſtantialis vnitas compo-
ſiti à parte rei eſt ex his partibus; & *quæſt. 50. art.*
4. vbi Faber, *cap. 7.* allegans Doctorem Angeli-
cum, præclarè teſtatur id, quod dico: nam An-
gelos non eſſe diſtinctos ſolo numero, probat,
quia non conſtant ex materia, & forma. Vocat
igitur *materiam ſignatam*, quæ ſignatur hâc for-
mâ, & hâc quantitate, materialiter applicatâ
huic formæ; ſeu *ſignatam* hâc informatione, pro-
ut diſtinguitur à materia communi. Eam verò
ſignatam quantitate vocat: quia quantitas eſt
prima radix diuiſionis materiæ in ſegmenta cor-
porea. Conſtanter verò docet vbique, Principia
compoſitorum ſubſtantialium eſſe materiam, &
formam; & hanc eſſe præcipuam. Id obſeruant
etiam Valent. *tract. 1. d. 6. quæſt. 1. parte 2.* Vaſq.
tract. 2. diſp. p. 181. Bannes 1. *de Gen.*

14 Qvinta igitur ſententia eſt D. Bonau. paſſim,
præcipuè *in 2. diſtinct. 3. p. 1. art. 2. q. 3.* materiam
huic formæ aſtrictam, conſtituere principium indi-
uiduationis; & ita formam, quatenus hanc ſibi
materiam appropriat, eſſe indiuiduationis princi-
pium. Dat exemplum S. D. de ſigillis impreſſis in
cera: nam ſicut ſigillum impreſſum ceræ, ſuo
exemplari appropriat illam partem ceræ, quæ erat
communis, & facit iam in ea ſignatum hoc indi-
uiduum, & ex multiplicatione obſignationum in
particulis diuiſis ceræ, multiplicantur indiuidua
figurarum cerearum. Ita in caſu noſtro. Id autem
fit ab agente, quod producens formam & eam
vniens huic materiæ, facit hoc vnum numero:
dum hæc materia, & hæc forma inuicem appro-
priantur.

Idem habet D. Thom. *opuſculo* 29. dicens,
15 forma redditur incommunicabilis per receptionem
in materia. Idem ſenſit D. Bonauent. Eos ſequun-
tur plurimi, Perer. *lib. 8. cap. 2.* Vaſquez *tract. 2.*
d. 181. Suar. *d. 5. ſect. 6.* Hurtad. *d. 4. ſect. 5. §. 72.*
Durand. *in 4. d. 44. quæſt. 1.* Aureol. *in 2. d. 9. q.*
3. art. 3. Piccolom. *lib. 3. de materia prima, c. 17.*
Id ipſum è Diuo Thoma *p. 1. q. 75. art. 4.* & *q. vlt.*
art. 1. colligitur.

Fvndamentvm primum. Indiuiduum *hîc* 16
ſumitur pro ſingulari Phyſicè in ſe indiuiſo, & di-
uiſo a quocunque alio, vt opponitur vniuerſali,
non prout dicit perſonam ſubſiſtentem, quæ ab
indiuidua natura præciſa eſt ſeparabilis; vt con-
ſtat in Sanctiſſima Chriſti humanitate, quæ ideò
in Verbo ſubſiſtit. Igitur indiuiduum eſt natura
vna ſubſtantialis, quæ ideò è principiis ſubſtantia-
libus conſtare debet, quia ex non ſubſtantiis non
valet conſurgere ſubſtantia; vt docet Ariſtoteles
in prædic. Hinc igitur excluditur Quantitas, cum
tota accidentium caterua. Quamuis enim acciden-
tia prærequirantur, vt diſpoſitiones ad ſubſtan-
tiam: attamen compoſitum ſubſtantiale fit ex his
partibus ſubſtantialibus; hac quippè materiâ, &
hac formâ, quæ ſunt intrinſeca principia conſti-
tutiua; vt docet Ariſtoteles 1. *Phyſic.* Ex his au-
tem forma eſt vltimò conſtitutiua; cùm ſit & di-
ſtinctiua.

Fvndamentvm ſecundum. Natura quidem 17
vniuerſalis Logica, indifferens eſt ad plura; at na-
tura Phyſica eſt ſingularis vtcunque; ita vt etiam
conceptus generici indiuiduentur; non enim da-
tur natura generica animalis, plantæ, &c. à parte
rei, extra animam; ſed omnia ſunt indiuidua. Ita
in Petro eſt hæc natura ſubſtantiæ, hæc corporis,
hæc animalis, hæc hominis; vniuerſale enim, ex
Ariſtotele 1. *de anima, textu* 8. aut nihil, aut po-
ſterius eſt intellectione; vt oſtendam in argumen-
tis. Quare ſpecies eſt tota ratio indiuiduorum, vt
dicunt Philoſophi. Vnde non ludimus nos, *hîc*
quærentes, quo pacto naturâ communis contra-
hatur ad indiuiduam, vt putat Faber, admirans,
cap. 1. ſed ſolùm quærimus, è quibus principiis
ſubſtantialibus coaleſcat. Sic D. Bonauent. *1. d. 5.*
art. 2. q. 1. & *in 2. d. 18. art. 1. quæſtione 3. in cor-*
pore.

Assero primò, accidentia non eſſe principia 18
indiuiduationis compoſiti.

Probatvr à D. Bonauent. Quod eſt poſte-
rius, non eſt principium, ex Ariſtotele *de princi-*
piis, 1. Phyſ. ſed accidentia ſunt poſteriora indi-
uiduo, ex eodem Ariſtotele 7. *Metaph. c. 1.* vbi
ait: *Subſtantiam eſſe priorem accidentibus, cogni-*
tione, naturâ, & tempore: ergo.

Probatvr ſecundò: nam præciſis acciden-
tibus, adhuc hoc eſt ſubſtantiale indiuiduum.

Assero ſecundò, materiam ſolam non eſſe 19
principium indiuiduationis.

Probatvr primò ex Ariſtotele 7. *Metaph.*
text. 34. 39. & *lib. 12. text. 23.*

Probatvr ratione: quia nemo dat, quod
non habet; ſed materia ſola non habet diſtinctio-
nem vltimam; cùm hæc ſit à forma; materia ve-
rò ſit indifferens; vt arguit S. D. *in 2. diſtinctio-*
ne 18. q. 3.

Probatvr tertiò à Scoto, ratione D. Bo- 20
nauent. *loco cit. in argumentis, & corpore.* Mate-
ria eſt eadem in genito, & corrupto; ſed genitum,
& corruptum differunt numero: ergo materia, vt
eſt eadem in genito, & corrupto, non eſt eadem
numero. Si enim materia præciſa eſſet principium
indiuiduationis, maneret idem numero indiui-
duum, manente eadem materiâ, atque adeò lignum
combuſtum, & ignis genitus eſſent vnum numero.

Assero

21 Assero tertiò, nec solam formam esse principium indiuiduationis.

Probatur, quia quod concurrit ad constituendum ens, concurrit etiam ad constituendum vnum; hæc enim conuertuntur; sed materia concurrit cum formâ ad compositum: ergo ad vnitatem eius.

Assero quartò, materiam, & formam vnitas, modo tradito in fundamento, esse principium indiuiduationis.

22 Probatur primò argumento D. Bonau. Illa sunt constitutiua indiuidui, quæ sunt principia rei genitæ; sed Philosophorum consensu hæc materia, & hæc forma simul sunt principia rei genitæ: ergo. Minor est certa; nam, apud Aristotelem, & omnes, res genita est hoc aliquid, & indiuiduum; non enim generans generat, nisi hoc. Maior est certa: nam ens, & vnum conuertuntur; ex *quarto Metaph. text.* 3. ergo quæ sunt principia rei, sunt principia vnitatis eius.

Respondet Faber, *cap.* 10. formam in se absolutè esse communem, non principium indiuidui; nisi accipiatur vltima realitas formæ.

23 Contra: assignet Faber hanc vltimam entitatem in forma simplici, putà elementari; profectò est ipsius formæ simplicis entitas. Sanè neque Scotus eam inuenit; sed ait, esse vel materiam, vel formam, vel compositum. Deinde sumo formam ignis huius; vbi nam habet rationem communem? cùm nil à parte rei sit, quàm hæc entitas numero. Hæc sanè chimærica sunt, & refellentur infrà.

24 Assero quintò, materiam signatam quantitate eo sensu dici posse principium indiuiduationis, quatenus est id, vnde agens possit plura in eadem specie producere; seu est radix, vnde res scinduntur in frusta. Sic enim homo multiplicatur in indiuiduis, quatenus eius substantia *quanta* est ab eo decidiua. Vide Galitium, *parte* 1. *lib.* 1. *tract.* 6. *q.* 7. *num.* 56.

25 Assero sextò, non dari naturam communem egentem nouâ differentiâ indiuiduali.

Probatur primò à Diuo Bonauentura *in* 3. *distinct.* 5. *art.* 2. *quæst.* 4. *fund.* 3. Sumo animam, & corpus humanitatis Christi, præcisâ hypostasi; vel hæc est natura humana communis, vel singularis indiuidua; si communis: ergo est etiam Iudæ; si indiuidua, habeo intentum.

Respondent Scotistæ, esse indiuiduam per vltimam differentiam, fundatam in vltima actualitate formæ.

26 Contra; si indiuiduum addit entitatem naturæ productæ; sequitur, inadæquatè prædicari speciem de Indiuiduo; vt, cùm dicitur, Petrus est homo: nam, præter hoc, requiritur etiam differentia indiuidualis; sed hoc est falsum, ex Boëtio, *cap. de specie*, circa finem: vbi ait, speciem verè esse totum, & partem; partem quidem generis; totum autem indiuidui.

Hinc perperam negat Lichetus, *d.* 3. *q.* 1. id non asseri a Boëtio, sed solùm, quòd species significat totum esse Indiuidui. At certò ita loqueretur, nonnè significaret id, quod est verè? Confirmatur. Abstrahe à Petro totum id, quod est naturæ humanæ. Quid remanet de Petro? Nihil. Est ratio Diui Bonauent. *in* 2. *distinct.* 18. *artic.* 1. *q.* 3. *in corpore.*

Scotus respondet manère vltimam realitatem materiæ, formæ, vel compositi. Ita irresolutus manet.

Contra probo, quòd nil ex his constituit indiuiduum.

De materia, probatur argumento Scoti, & D. Bonauenturæ, *in* 2. *distinct.* 12. Materia nil est apta determinare, sed tota est vna, in omnibus Homogenea, eiusdem rationis. Iam verò, si materia distingueret indiuiduum; sequeretur, quòd hic ignis genitus, & hoc lignum corruptum essent vnum indiuiduum: nam manet in genito, & corrupto eadem materia, quæ à te ponitur principium indiuiduationis. Illa autem sunt vnum numero, quorum ratio singularitatis est eadem. 27

Quòd neque sit aliqua realitas formæ, probatur argumento Scoti. Suppono autem, formam esse entitatem simplicem, & totam habere definitionem naturæ traditam 2. *Phys.* est enim principium motùs, & quietis. Tunc sic. Cuilibet vnitati respondet aliqua entitas constituens; sed vnitas numeralis est maxima: ergo respondet ei aliqua entitas; sed hæc non potest esse entitas vlla formæ, quæ facit vnitatem speciei, ex Scoto, estque simplex: ergo tota est talis. Maior est euidens: nam ens, & vnum conuertuntur. Minor probatur. Si eadem entitas responderet vnitati specificæ, & indiuiduæ, sequeretur, idem esse vnum specie, & numero. 28

Probatur secundò, argumento Fabri. Forma dat esse per informationem; & ideò qualis ipsa est, tale est esse, quod dat. Accipio formam ignis, & quæro; an sit vniuersalis; an indifferens; an particularis indiuidua. Si indifferens, eget determinari ab alio; atque adeò non est apta determinare indiuiduum. Si vniuersalis; multò magis est in potentiâ indigente determinatione. Si particularis: ergo nequit constituere naturam specificam in esse reali; & sic natura realis ignis non habebit esse à forma, quia non potest forma simplex dare esse speciei, quod est commune; & indiuidui, quod est proprium. Hoc argumentum, ait Faber, esse insolubile; sanè illi, non nobis. 29

Vrgeo. Tale est compositum, qualis est forma; at tota forma non est indiuidua, sed sola vltima realitas: ergo nec compositum indiuiduum est. 30

Quòd neque compositum sit principium indiuiduationis, probatur: quia imò compositum est indiuiduum constitutum: ergo non est principium.

Quia verò fundamentum Scoti est, naturam esse communem, in singulis indifferentem, eamque egêre differentiâ, vt indiuiduetur. Insisto contra communitatem hanc, quam ait Faber *hîc* non esse adeò clarè chimæricam, vt negantes, verberibus sint edocendi; & idem repetit. *Theor.* 93. 31

Probatur primò. Omnis res, existens à parte rei est particularis. Nulla vnitas communis specifica est particularis: ergo non datur. Maior probatur ex Aristotele passim, 1. *Metaph. c.* 6. & *lib.* 10. *initio*; clariùs ex D. Damasceno, 1. *de fide*, *cap.* 12. apud D. Bonau. *in* 1. *d.* 26. *art.* 1. *q.* 1 *ad* 2. vbi ait. In creaturis esse differentiam re, & conuenientiam ratione, quia singulæ habent naturas indiuiduas; at in Deo esse conuenientiam in re, quia Personæ Diuinæ habent eandem naturam communem. Itaque vnitas specifica est tantùm per intellectum, cum fundamento in re; vt habet D. Bonau. *ibi*, & *in* 3. *distinct.* 5. *q.* 4. *fund.* 3. vbi rursùm adducit D. Damascenum, *lib.* 3. *de fide* Id verò, quod habet S. D. *in* 1. *distinct.* 25. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 1. explicatum est *Tract. de Trinitate*, *disput.* 6. *q.* 4. 32

quæst. 4. *ad* 2. Minor probatur: nam non solùm communitas secundæ intentionis, putà genus, species, &c. non inuenitur à parte rei; sed neque quæcunque primæ intentionis. Omnes enim entitates sunt propriæ illius, vel illius indiuidui. Hæc scilicet substantia, hoc corpus, hoc animal, hoc ratio-
33 nale. Ostendat Scotus, cum suis, rationalitatem, & omnes alias naturas, quas in indiuiduis concedunt esse communes Petro, Paulo, &c.

34 PROBO autem amplius assumptum, cum Caiet. *capite* 4. *quæst.* 7. *de ente.* Omne, quod sequitur aliquam naturam, ratione sui, prædicatur simpliciter de indiuiduis illius naturæ; sed per Scotum, aptitudo essendi in pluribus, quam ait, dari à parte rei, in natura humana, sequitur naturam humanam ratione sui: ergo communitas prædicatur de supposito illius naturæ: ergo hæc est vera: *Socrates est aptus natus esse in pluribus.* Processus quidem bonus, sed conclusio falsa. Ergo aliqua præmissarum est falsa. Non maior: ergo minor; sed hæc est conclusio Scoti: ergo falsa eius opinio. Falsitas conclusionis probatur: nam hæc est falsa: Sacrates est communis. Maior probatur: nam quæ sequuntur naturaliter naturam communem, etiam prædicantur de suis inferioribus; quia enim homo est rationalis, etiam Socrates est rationalis.

35 RESPONDET Faber, peccare per fallaciam, quia fit transitus à prædicatis primæ intentionis, ad prædicata secundæ intentionis; Et est, ac si dicas. Omne, quod competit animali, competit speciebus animalis; vt homini, Leoni, &c. at animali competit hoc prædicatum genus: ergo & homini, quod est falsum, quia homo est genus: ita, cùm dicit. Naturæ communi conuenit hoc prædicatum commune: ergo & singularibus. Valet autem illa regula in prædicatis primæ intentionis.

36 FABER dissimulat vim argumenti, & incidit in foueam: nam Caietanus loquitur de communitate Scotica, quam, dicunt, esse primæ intentionis realem, ante omnem intellectûs operationem; & si est tantùm secundæ intentionis: ergo per intellectum; & ita dat manus.

ARGVIT autem Caietanus sic. Omne, quod sequitur aliquam naturam, ratione sui, prædicatur simpliciter de supposito illius naturæ, in prædicatis primæ intentionis, per te. Sed à parte rei, ante secundam intentionem per te communitas prædicatur de natura humana: ergo & de Petro, Paulo, &c. ergo natura Petri est communis Paulo, & Petrus ipse est communis.

37 VRGEO. Quod competit alicui rei, per te, competit ei semper, & vbique; sed esse commune inest, per te, naturæ: ergo inest ei, in quocunque fit; sed natura est in singulari: ergo in singulari est communis aliis. Maior est Scoti, *secundo*, *dispu.* 3.

SI dicas, non esse communem, vt contractam differentiâ singulari. Infero, ergo hîc, & nunc non est communis in hoc; & ita neque in alio indiuiduo. Nihil autem à parte rei est extra indiuidua.

38 VRGET igitur Caietan. Omnis aptitudo, fluens ab aliqua natura, inuenitur in quolibet indiuiduo eius naturæ; sed aptitudo hæc communitatis fluit à natura, putà, humanitatis: ergo hæc aptitudo essendi in pluribus est in quolibet homine singulari, quod est falsum, vt patet: nam illa natura & aptitudo non est attribuenda cuilibet singulari, quæ non est reducibilis ad actum; sed impossibile est, humanitatem Petri dari Paulo: ergo.

PROBATVR adhuc assertio. Quæ distinguuntur realiter, & absoluta sunt, possunt, saltem Dei potentiâ, separata iacêre; sed natura communis, & differentia indiuidualis nequeunt separata iacêre: ergo. Maior à Scoto, & Fabro, *Theor.* 22. *c.* 4. admittitur. Minor conceditur *hîc* à Scoto, & Fabro. 39

RESPONDET Faber, negando maiorem: nam Deus non potest separare ab homine risibilitatem quæ realiter differt à rationalitate.

CONTRA; primò, quia hic est lapis lydius, ad distinctionem rerum inueniendam; quo medio vsus est Arist. 2. *Physic. text.* 67. & 1. *Phys. text.* 51. & 4. *Phys. text.* 34. & 7. *Top. cap.* 1. *loco* 16. & 15. *Phys. text.* 3. vt fatetur Faber. *Theor.* 32. & hoc fundamento fundat suam propositionem, quam non nisi à proteruo negari clamat. Indicatur à Diuo Bonauent. *in* 2. *distinct.* 18. *artic.* 1. *quæst.* 3. 40

DEINDE quis neget, posse Deum creare animam rationalem sine accidente isto? Addo, risibilitatem magis pendêre à rationalitate, quàm entitas absoluta indiuidua ab alia.

DEINDE sumo vltimam realitatem, & arguo. Illa est per te, principium indiuiduationis: ergo indiuidua; alioqui (infertis vos) non potest indiuiduare. Tunc sic. Omne indiuiduum habet principium indiuiduationis; sed hæc realitas indiuiduationis est indiuidua: ergo ab alio indiuiduata: non ab alio, quàm à forma: ergo & ipsa est indiuidua. Addo, quòd, cùm sit forma simplex, vel est tota indiuidua, vel nihil illius. 41

TERTIÒ arguo ad hominem, contra *hacceitatem.* Per eandem formam, per quam res est hæc, est receptiua motus, putà, forma lapidis receptiua motus deorsùm, quatenus ipsa est receptiua grauitatis, ex Scoto *in* 2. *d.* 18. & Licheto, *ibi*; sed per vltimam illam metaphysicam realitatem, quæ dicitur *Hacceitas*, forma non est receptiua passionis, putà lapis grauitatis, sed per formam naturæ: ergo. Minor conceditur à Licheto, qui frustrà sic explicat. Per eandem formam, per quam res est hæc *specificè*: nam Scotus pronomen *hoc* adhibet, sensu legitimo, pro indiuiduo. 42

ARGVO quartò cum Caietano. Quod conuenit vni, & repugnat alteri indiuiduo eiusdem speciei, præexigit necessariò distinctionem ipsorum. Proprietas indiuidualis, putà, *Socrateitas* conuenit Socrati, & repugnat Platoni: ergo præexigit distinctionem ipsorum: ergo non est, quâ primùm distinguitur Socrates à Platone. Conclusio est contra Scotum. Maior est Scoti, *in quodl. q.* 1. Minor est conclusio Scoti: ergo ex se falsitatis conuincitur. 43

RESPONDET Faber, præexigi distinctionem; nisi ipsum sit distinctiuum.

CONTRA arguo, argumento Scoti: quia id, quod est distinctiuum, debet priùs in se esse tale, vt vnum constituat, & distinguat ab omnibus aliis; atque adeò est noua entitas superaddita, & gradus Metaphysicus formaliter distinctus: ergo hæc vltima entitas formæ inuenit formam specificam, indifferentem, cui potest competere omnis vltima entitas cuiusque formæ; atque adeò formæ ignis potest aduenire vltima entitas aquæ; si vltima entitas ignis à Deo destruatur. Vel oportet dicere, habere aliquod præsuppositum, cui hæc vltima entitas ignis conueniat, & repugnet vltima entitas aquæ. Maximè si responsum Licheti accipiam, quo negat minorem argumenti. Sequitur 44

ergo

ergo, vltimam entitatem, seu hæcceitatem ignis posse conuenire aquæ, vel etiam ex corpore, & animâ Christi potest fieri Iudas. Nam anima, per te, continet etiam *Hecceitatem*, in vltima en-
45 titate; & potest hæcceitas ista Christi conuenire Iudæ. Sanè paradoxum est, quod ait Faber, has differentias, quæ sunt vltima realitas formæ, esse æqualiter differentes: ergone vltima realitas formæ rationalis est solo numero distincta ab vltima realitate formæ lapidis? Sanè à formis habetur distinctio: Ergo maximè ab vltima realitate, quæ est perfectior, & facit diuersa indiuidua hominum à leonibus: Magis differt realitas hæc Petri à realitate saxi, quàm à realitate Pauli, apud Scotum, vt dicam.

46 Argvo quintò, cum Caietano: Illa, quæ sunt principia indiuiduationis, sunt primò diuersa. Hæcceitates Socratis, & Platonis non sunt primò diuersæ: ergo. Maior est Scoti. Minor probatur. Id, quod magis conuenit cum vno, quàm cum alio, non est primò diuersum ab eo, quocum magis conuenit. Hæcceitas Platonis magis conuenit cum hæcceitate Socratis, quàm cum hæcceitate asini: ergo. Maior est euidens ex terminis. Minor probatur. Hæcceitas Socratis, & hæcceitas Platonis habent inter se conuenientiam specificam; sed vtraque differt specie ab hæcceitate asini: ergo hæcceitas non est principium indiuiduationis.

Respondet Lichetus, illa esse primò diuersa, quæ non conueniunt in aliquo quidditatiuè.

47 Contra subsumo. Sed hæcceitates Socratis, & Platonis conueniunt quidditatiuè: ergo. assumptum est Scoti: nam ideò nititur probare distinctionem formalem specificam dari à parte rei, hâc solâ ratione. Quia Socrates magis differt à leone, quam a Petro; à quo tantùm distinguitur numero.

Respondet, non esse in aliqua specie directè, sed tantùm reductiuè. Contrà. ergo Hæcceitas Socratis non est in specie Hæcceitatis asini; sicut est Hæcceitas Petri: ergo magis differunt, pro statu suo, aliquo modo reductiuè ad speciem, ad quam potest reduci vna hæcceitas, non autem altera.

Respondet Faber, has hæcceitates magis conuenire, non in ratione differentiarum indiuidualium; sed, vt conueniunt in genere, vel specie.

48 Conra. Id, quod potest esse constitutiuum vnius indiuidui, magis differt ab altero, quod est constitutiuum diuersi indiuidui, quàm ab eo, quod non est constitutiuum diuersi, in ratione indiuidui. Sed hæcceitas Platonis non est constitutiua indiuidui Asini; cùm sit forma vltima hominis; at hæcceitas Asini potest constituere indiuiduum asini: ergo magis differt ab Hæcceitate asini, quàm ab hæcceitate alterius indiuidui similis, nempè Socratis: alioqui poterit vltima realitas formæ Asini constituere Socratem hominem, cùm ratio hominis, & ratio indiuidui in Socrate tantùm ratione differant.

49 Argvo sextò. Illa vltima entitas formæ, quæ metaphysicè est hæcceitas, nec dicit perfectionem, nec imperfectionem; vt fatetur Iornata Scotista, *de constitutione indiuidui*.

Tvnc sic. Sicuti entitatem sequitur vnitas; ita maiorem entitatem perfectior vnitas, è Scoto *hic*: sed vnitas indiuidua est maxima: ergo sequitur entitatem perfectiorem, atque adeò habet perfectionem, & bonitatem, quæ cum ente conuertitur.

50 Argvo septimò. Abstractum supponit suum concretum; Hæcceitas est abstracta: ergo supponit suum concretum. Ergo hæcceitati præsupponitur *Hic*, *Hæc*, *Hoc*.

Hinc colliges, negationem non esse principium indiuiduationis; entis enim negatio non potest esse principium entis, maximè perfecti, cùm positiuum nequeat constitui per negatiuum. Confirmatur à Scoto; quia nihil per meram negationem repugnat cum alio, differentia enim, per quam res inter se repugnant, debet esse aliquid; non autem merum nihil.

51 Pro solutione argumentorum Scoti, & fundamentorum eius conuulsione, obserua primò, frustrà eum excogitasse naturas communes, vt sint obiectum scientiarum realium. Illæ enim naturæ, ex Scoto, sunt indifferentes ad esse vniuersale, & indiuiduum; atque adeò vniuersale fit ab intellectu, qui satis verè operatur, si abstrahat ex fundamento. Sic metaphysica scientia realis est de ente; vt ens est analogum Deo, & creaturis; nec tamen datur tale ens ita commune à parte rei, sed tantùm conceptus entis, ab intellectu formatus; vt fatetur Faber *Theor*. 95. & *ibi* Scotus. Itaque non requiritur, vt obiectum supponatur absolutè commune à parte rei: sed talis natura indiuiduorum, vt materialiter sit substrata tali, abstractione maioris, vel minoris conuenientiæ formalis. Putà, vt Petrus sit hic rationalis, Paulus 52 talis rationalis, à quibus abstractæ singularitates possint ab intellectu inuicem cognosci communes; sic detur hæc rudibilitas in asino, quæ materialiter sit magis differens: quatenus non est hæc rationalitas, sed alia differentia diuersa, hæc rudibilitas irrationalis, magis similis materialiter alij rudibilitati, quàm rationalitati; vnde abstrahatur natura vniuersalior; vt notat Suarez, *disput*. 5. *Metaph. sect*. 2. ex Diuo Bonauentura, *in* 2. *distinct*. 18. *quæst*. 3. *argum*. 3. *cum responso*, vnde Scotus argumentum illud subtile eduxit, adeò vrgens, vt negantibus Faber verbera minitetur.

53 Itaqve definiens naturam, *verbi gratiâ*, humanam; sic; Homo est animal rationale, nolo dicere à parte rei, naturam humanam Petri esse communem naturæ Pauli; sed Petrum, & Paulum, & alios omnes homines esse rationales, hos, & illos; nec aliud est à parte rei, quàm naturæ indiuiduæ. Vnde Arist. *c. de substantia*, ait, corruptis substantiis primis, idest, indiuiduis, impossibile esse, aliquid remanere. Vbi & logicè loquitur; quòd si per intellectum separentur naturæ indiuiduæ, nil remanet à parte rei: posse autem separari, saltem per intellectum, concedunt Scotistæ; qui dicunt, has esse realitates distinctas, habentes distinctas existentias; vt fatetur Fa- 54 ber, *Theor*. 95. Quare præter naturas indiuiduas nil datur à parte rei. Hinc quoties Aristoteles loquitur de naturis communibus agit de eis, vt dependentibus ab opere intellectus;

vt patet *libro* 5. *Metaphysic. capite* 6. & *libro* 10. *initio*; vt notat Suarez, *loco citato*. Datur quidem formalitas rationalitatis, rugibilitatis, sed non communitas; cùm omnia sint hæc; & hoc scopulo infringuntur Scoti argumenta. Et hoc sensu loquitur Aristoteles ab eo adductus; semper enim entitates communes dependenter ab intellectu assignat. Sic 10. *Metaphysic. text.* 2. in generibus ait: *Aliqua entia esse regulas aliorum; & esse mensuram, quâ cætera cognoscantur; & ita mensuras dependenter ab intellectu*. Sic & 5. *Metaph. capite Ad aliquid*, ait: è naturis substantiarum insurgere relationem identitatis, quod non exigit, vt detur natura communis, sed vt detur hæc, *verbi gratiâ*, rationalitas, & hæc ra-
55 tionalitas, quæ comparatur; hoc fundamento concipiuntur communes; eò quòd, & hic, & ille, & alij inueniuntur rationales. Deceptum & Scotum, aduertunt multi, quia putauit, eo ordine res in lucem prodire, quo cognoscuntur; vt priùs producatur natura communis; posteà singularis; at verè totum producitur ab indiuiduo indiuiduum; hæc etiam natura: verè tamen priùs hæc imperfecta, putà, hoc corpus; deinde hoc viuens, hoc animal, hic rationalis; ita vt gradus adueniens se habeat ad priorem, vt actus, ita monet Diuus Bonauentura, 2. *distinctione* 18. *loco citato*, probabile esse.

56 Ex his sequitur, generantem dare genito hoc esse rationale animalis corporis, quæ suis differentiis patent; neque verò vnam naturam dat communem, aliam singularem, quæ indiuiduet; vt arguit sæpè Scotus; satis est enim; dari constitutiuum singularum imperfectionum, & perfectionum; quæ tamen sunt hæc, & hæc. Quod enim dat esse rationale hoc, dat esse rationale simpliciter; quis id non videat? natura verò communis, per abstractionem, est è fundamen-
57 to; vt dixi. Quare frustrà anhelant Scotistæ, ad inueniendam formam, dantem esse commune, & formam, dantem esse indiuiduum; quam neque Scotus potuit inuenire. Sanè, cùm Physica substantia ab Aristotele diuidatur in materiam, formam, & compositum; ab his constitui debet indiuiduum substantiale; neque Scotus aliud tandem lassus inuenit, quàm esse vnum ex his: nec rectè Scotistæ super Magistrum glorientur, se aliquid inuenisse. Satiùs facerent, si vltimam realitatem formæ assignantes dicerent, esse formam, prout vnitam huic materiæ; hæc est enim vltima, quam possunt entitatem assignare.

58 Obiicies primò, cum Scoto, & asseclis, ad probandum, dari naturam communem, proinde indiguam differentiæ indiuidualis additæ. Obiectum supponitur potentiæ; quale enim est obiectum, taliter potentia operatur; sed vniuersale est obiectum intellectus: ergo non fit per intellectum. Est argumentum D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 18. *citato loco*.

Respondetur primò, obiectum potentiæ actiuæ non supponi, sed fieri à potentia; vt notat etiam Toletus. Sic obiectum Architecturæ est fabrica, quæ ab arte ipsa fit, sic vniuersale, vt dicit speciem intelligibilem, repræsentantem naturam communem, non supponitur, sed fit ab intellectu agente; supponitur verò intellectui, consideranti iam factam.

Obiicies secundò. Si non daretur vnitas, minor numerali; sequerentur hæc absurda. 59
Primum, quòd in generibus non daretur vnum primum, quod est mensura realis cæterorum, contra Aristotelem, suprà: nam ens reale non esset primum, sed mensuraretur ab ente rationis; Secundum quòd species non esset alia vnitas à genere, contra Aristotelem, 7. *Physicorum*, *textu* 29. Tertium, quòd substantia non referretur reali relatione identitatis ad aliam, contra Aristotelem, 5. *Metaphysicorum*, *capite Ad aliquid*. Quartum, quòd natura communis, & singularis essent idem; non autem oppositæ.

Respondetur, negando sequelam. Ad 60
primum dico, illam mensuram esse cognitionis, non realem, ex Aristotele, *ibi*, & supponere aliam notitiam abstractiuam. Ad secundum dico, esse aliam vnitatem, per intellectum, cum fundamento; vt dixi, & *ibi* Aristoteles dubitat; an ita sit, necnè. Ad tertium dico, referri materialiter; supposito fundamento, non formaliter, ante operationem intellectus. Sic & opponi realiter, materialiter in fundamento.

Obiicies tertiò. Si omnis differentia esset 61
numeralis, omnia essent æqualiter differentia; ac proinde non magis differret Petrus à Boue, quàm à Paulo. Confirmatur. Si omnia sunt solo numero distincta, sunt primò diuersa: ergo in nullo conueniunt; tertiò sequitur, vniuersale esse chimæram.

Respondetur, Petrum magis differre à Boue materialiter, & fundamentaliter: quia licèt omnes sint differentiæ indiuiduales, tamen in Petro est hæc rationalitas; in Paulo illa rationalitas; sed in Boue hæc irrationalitas. Neque sunt primò diuersa materialiter; quia Petrus, & Paulus habent rationalitatem. Neque vniuersale est chimæra, vt dixi *in Notando*. Vide Diuum Bonauenturam, *in* 2. *loc. cit.* vnde Scotus argumenta sumpsit.

Obiices quartò cum Scoto, & asseclis, 62
ad probandam differentiam Hæcceitatis. Sicut se habet vnum ad ens in communi, ita hoc vnum, ad hoc ens; sed vnum in communi constituitur per entitatem in communi; ergo & vnum particulare, putà indiuidui ab alia entitate, seu differentia indiuidua.

Respondetur, vnitatem indiuiduam constitui entitate: hæc autem non est aliqua additio; sed satiùs coniunctione materiæ cum forma, & mutua appropriatione est principium vnitatis indiuiduæ.

Instat Faber. Datur in composito vni- 63
tas specifica, & indiuidua: ergo ambarum dandæ sunt differentiæ constitutiuæ; &, cùm oppositæ sint, nequit constitutiuum formæ specificæ constituere indiuiduum: forma autem est principium vnitatis specificæ: ergo exigitur aliqua constituens indiuiduum.

Vrget. Vel forma est indiuidua, vel non; si non, ergo nequit dare esse Indiuiduum; si est indiuidua, nequit formam specificam constituere. Hanc rationem insolubilem acclamat Faber.

Ea tamen est facilis. Dico igitur, formali- 64
ter esse indiuiduam, sed fundamentum præbere abstra

abstrahendæ naturæ communis, per intellectum; vt dixi.

INSTAT Faber. Forma, si est principium vnitatis indiuiduæ, quæ est hæc, non potest esse principium vnitatis specificæ, quæ non est hæc, quæque habet esse oppositum; &, si non datur vnitas formalis nisi per intellectum, sequitur, nos esse in specie humana, solùm per intellectum. Vrget; sic enim scientiæ, quæ de homine sunt, cùm non sint de singularibus, erunt de ente rationis. Vrget: nam agens naturale habet similitudinem ex forma; sic Leo generat leonem ex formæ vnitate specifica: ergo non est principium indiuidui.

65 RESPONDETVR primò, hinc conuinci, materiam esse principium indiuiduationis, in via Scoti, qui ideò dubius in hac materia nil certè determinat.

66 RESPONDETVR, secundò, formam dare esse hoc formaliter, putà, esse hominem hunc, & fundamentaliter naturam communem; vt suprà exposui; datur enim in Socrate vera realis animalitas, vera rationalitas; sed tamen propria illius existens: intellectus autem, videns & alios rationales esse, abstrahit, & conficit vnitatem formalem perfectam, quæ non est fictio, sed fundamento reali nixa potest scientias reales fundare. Ad Aristotelem dico, eum *ibi*, & *textu sequenti*, nostram sententiam confirmare, nempè, materiam, & formam facere hoc.

67 Affert ibi Aristoteles exemplum de sphæra ænea, quæ non in solo ære, sed in forma fit hæc. Sic autem loquitur. *Manifestum igitur est, quòd neque species, aut quodcunque nominare aptum est formam.* Hinc Aristoteles ait, speciem non fieri formaliter, sed indiuidua tantùm. Pergit; *Hoc enim est, quod ab alio fit, aut ab arte, aut à natura, aut potentia; aneam verò sphæram esse facit. Facit namque ex are, & sphæra; in hoc enim hanc formam facit.* Ecce Aristoteles clarè docet, non fieri naturam aliquam communem, sed indiuiduum hoc tantùm. Rursus; *Et hoc est sphæra anea: hoc autem sphæra esse. Oportebit namque, diuisibile esse, quod fit; & esse hoc quidem hoc; illud verò hoc: dicit autem hoc quidem materiam; illud verò formam. Generat ex hoc tale; & cùm generatum est, est hoc tale. Totum autem*
68 *hoc, Callias, aut Socrates est; sicuti sphæra anea est hac; homo verò & animal, sicuti sphæra anea simpliciter.* Hic textus adeò clarus est, vt neque Faber id negare queat. Ideò *cap.* 8. materiam concedit principium indiuiduationis, licèt minùs principale; & *capite secundo*, formam magis principale principium fatetur. Quod probat, quia idem est principium constitutiuum, & distinctiuum. Subsumo; sed tota forma est principium constitutiuum, ex Fabro: ergo & distinctiuum.

69 AD locum Aristotelis 5. *Metaphysicorum, text.* 10. miror, Fabrum adeò importunum; cùm ibi Aristoteles se explicet, eas vnitates genericas, & specificas, putà, Hominis, & Canis, esse per intellectum formaliter: cæterùm omnia animalia singularia tantùm esse.

70 OBIICIES quintò. Omnis differentia differentium debet reduci ad aliqua, primò diuersa. Primò diuersa (ait Faber) ex Aristotele 10. *Metaph. text.* 12. sunt, quæ omninò differunt. Sensus igitur maioris est. Omnia, quæ differunt, differunt per aliquam differentiam, diuersam omninò; vel quæ includat aliquid, in quo, illa, quæ differunt, nullo modo conueniunt. Sed indiuidua differunt primò per aliquam differentiam, primò diuersam. Hæc differentia non est natura; quia per eam conueniunt; & sic, nec materia, nec forma, nec compositum; vt sunt natura, sunt principium distinctionis indiuiduæ: ergo hæcceitas.

RESPONDETVR, materiam, & formam, per vnionem, & appropriationem mutuam, se ipsis indiuiduari, & facere differre per aliquid primò diuersum: quia hæc materia, & hæc forma vnitæ faciunt hoc compositum, quod non potest esse aliud, sed ab aliis primò est distinctum. 71

OBIICIES sextò. Omne inferius claudit aliquid, quod non includitur in superiori. *verbi gratiâ*, homo habet aliquid, quod non habet animal: ergo & Petrus habet aliquid, quod non habet homo.

RESPONDETVR, negando consequentiam, & paritatem; nam genus non est totum esse speciei; sed inadæquatum eius principium; cùm requiratur etiam differentia: *verbi gratiâ*, animal solum non constituit hominem, sed cum rationalitate; at species est totum esse indiuidui; vt suprà ostensum. Ideò nil ampliùs eget super id, quod ex specie habet. 72

OBIICIES septimò. Materia, & forma, ablatâ differentiâ indiuiduali, est communis aliis, atque communicabilis: ergo oportet assignare differentiam indiuidualem, per quam sit indiuidua.

RESPONDETVR, negando, naturam resultantem ex materia, & forma, esse communicabilem alteri indiuiduo: nam hæc materia appropriat sibi hanc formam; & hæc forma hanc materiam; sicut coniux coniugatam; vel sicuti sigillum hanc partem ceræ, licèt, pereunte hac formâ, possit materia aliam formam sibi vnire; similiter coniux, altero coniuge demortuo: at dum viuit hic coniux, vel dum viget illa forma, non sunt alteri communicabiles. 73

OBIICIES, cum Thomistis, Aristotelem, qui sæpè adscribit materiæ cum quantitate facere hoc, & illud. Hinc 1. *Cœli, text.* 95. ait. *Cùm dico hoc Cœlum, dico materiam.* Vide D. Bonau. 2. *loco citato.*

RESPONDETVR, suprà explicatum esse, id verum radicaliter, non formaliter: quia nequit accidens esse constitutiuum substantiæ. 74

OBIICIES, cum Zabarella. Quod nequit tribuere minorem vnitatem, neque potest dare maiorem; sed materia nequit dare vnitatem in aliquo genere: ergo neque in indiuiduo.

RESPONDETVR, materiam seorsim talem esse, quæ sanè est vna numero, homogeneitate; ita verò coniuncta cùm hac formâ potest constituere hoc, cum formâ, quæ est principalis, & indiuidualis eius differentia.

OBIICIES, cùm Iornata. Actualis vnio materiæ cum forma est relatio: ergo nequit constituere absolutam substantiam primam.

RESPONDETVR, vnionē dicere relationem trāscendentalem, quæ vagatur etiam in prædicamento substantiæ. Neque est principium indiuiduationis sed tantùm conditio; sicuti Parochus vniens spon-

sos, facit vnum; ipsi autem non sunt in se vnum à Parocho formaliter.

Obiicies vltimò: Idem, manens idem, semper facit idem; sed forma facit vnum specie: ergo non indiuiduum.

76 Respondetur, quidditatem esse totam rationem indiuidui; nec opus esse distinguere quidditatem, vt sic, & quidditatem indiuiduam, in re Physica. Quod dico, quia metaphysicè quidditas abstrahit ab esse actuali; quidditas verò Physica actualis est ipsa quidditas indiuidua, resultans ex hac materiâ, & hac formâ.

Hinc videre poteris, quid respondendum illi quæstioni: An mutato altero principio indiuiduationis, maneat idem indiuiduum. Puta: An, si anima Socratis in resurrectione vniretur corpori Platonis, vel è contrà; an adhuc esset idem Socrates; an verò esset Plato.

77 Dico igitur, mutatâ materiâ, mutari indiuiduum, tantùm secundùm quid: quia materia, licèt sit principium constitutiuum, non est tamen distinctiuum; quia non constituit determinatè, nisi ratione formæ, cui vnitur; at verò forma, cùm sit determinatè constitutiua, est etiam distinctiua; atque adeò, mutatâ animâ, mutatur indiuiduum simpliciter. Vide Patrem Galitium, *parte 1. Philosoph. lib. 1. tract. 6. quæst.* 8. Collegium 1. *Phys. cap. 9. quæst. 5. art.* 2. Fonsecam 5. *Metaph. capite 4. quæstione quarta, sectione 5.*

QVÆSTIO V.

An totum Compositvm *sit tertia entitas, à partibus distincta.*

78 Accipitvr *hic* totum pro composito, iam perfecto.

Prima opinio est totum à suis partibus distingui realiter. Censetur à Fabro, *Theor.* 21. Scotus huius sententiæ patronus, *in 3. distinctione 2. quæstione 2. articulo 1. littera C.* Eandem adscribit ei Amicus, *Tractatu 11. quæstione vltima, ad* 4. Sed videtur mihi Scotus huic sententiæ contrarius, *in 4. distinctione 12. quæstione 3. ad secundum principale*, vbi ait: *Homo, vt quo totali humanitate, est homo; sed per animam est homo, vt quo partiali; at id est, quod aliqua ido consueuit dici de forma totius, & forma partis: forma autem totius est quidditas rei, includens vtramque partem essentialem; & illa non est aliud realiter ab ipso; quòd si sit fortè aliud, tantum est aliud, in modo intelligendi.* Quare Faber, *cap. 3.* ita exponit Doctorem subtilem. Totum posse considerari, vel, vt iam transiit in tertiam entitatem; & hoc sensu, distinguere totum à partibus realiter, implicare, ait. Vel, vt partes sunt vnitæ; neque tamen transiêre in tertiam entitatem, sed adhuc retinent suam naturam; & hoc sensu, distingui realiter totum à partibus.

79 Enim verò hæc distinctio est inanis, tum in se; quia, eò ipso; quòd partes vnitæ sunt, iam vnum ex partibus factum est: nam effectus formalis vnionis est facere vnum, vt ait Faber, *capite 3.* & hoc vnum non sinit partes seruari præcisas; quia vnio compositi causa in actu est, & implicat, non esse compositum; quia per generationem producitur, & vnionem. Tum, quia Scotus, vt dicebat, loquitur de composito: vt est tertia entitas è partibus; vt monet Pater Galit. *p. 1. Philosoph. lib. 1. tract. 6. quæst. 9. numero* 12. sic & in loco adducto à Fabro, ponit totum tertiam entitatem, sed includentem partes; atque adeò vult, esse vnum, per participationem extremorum; & reprehendit dicentes, Totum esse tertiam entitatem, realiter distinctam à partibus, eas excludendo.

Porrò distinctionem realem totius à partibus astruit Argent. 2. *d.* 15. *quæstione vnica, articulo vltimo, concl.* 2. & Zanard. 7. *Metaph. quæstione* 21. adducens Diuum Thomam, Scotum, & alios. Addit tamen, hanc distinctionem non esse rei à re, sed realitatum. Eandem sequuti videntur, hoc sensu, Caiet. *3. p. quæstione 6. art. 5.* Capreol. *3. d. 2. quæst. 1. artic.* 3. consonè ad dicta *in primo, disput. 30. quæstione 1. articulo 3.* Vasquez *Tom. 1. d. 25. numero* 5. P. Galit. *loco citato*, adducens Seraphicum, *in 3. d. 2. 3. 5.* præcipuè *6. artic. 2. quæstione 1. in corpore*, Tostatum *de quinque paradoxis, paradoxo* 5. Subscribit Eustachius Cisterc. *p. 1. Phys. tract. 1. q. 5.* Inclinat Collegium infrà cit. Distinctionem realem admittunt Scotistæ. Roccus 1. *Physic. q. 6.* Poncius *d. 6. quæst.* 1. Mastrius *d. 5. q.* 4. Linius Rabesanus 1. *Phys. d. 2. q. 2. sect.* 1. & alij apud hos, & distinctionem Fabri irrident. 80

E Scotistis aliqui distinctionem realem tuentur; sed non mutuam, ita vt totum non differat à partibus, cùm eas includat, & si partes à toto differant. Sic Cauel. *hîc*, Lenchisus *2. d. 1. q. 5.* & alij, apud Baudun. *d. 3. sect.* 1.

Commvniter verò eam admittunt in toto essentiali Physico, non in metaphysico, in quo solam formalem concedunt.

Distingvi illud realiter probant, quia causatum differt realiter à suis causis. At totum est terminus generationis, causatus à partibus. 81

Non distingui autem, vt modum, probant. Hic modus vel est absolutus, vel respectiuus. Si absolutus; vel est substantia: vel quantitas, &c. si relatiuus; contrà. Relatio nequit esse terminus generationis.

Qvoad totum integrale, multi Scotistæ negant, distingui. Sic Fuentes *1. Phys. q. 6. art. 6.* Poncius *1. phys. d. 6. q. 2.* Mastr. *d. 5. q. 13. art. 2.*

Alii asserunt. Ita Zerbus in *metaph. lib. 7. q.* 19. Parisienses *1. Phys. q. 4.* Roccus *ibi, q. 6.* Tartaretus verò *1. Phys. q. 2. d. 2* Sghemma *ibi, digress. 3. q. 4.* concedunt de toto Heterogeneo; & negant de Homogeneo.

Rabesanvs *disput. 2. quæstione 2. sectione 2.* concedit de toto cathegorematico; negat de sincathegorematico. Posterius probat, quia illud totum sunt tantùm partes, distributiuè sumptæ; at partes non distinguuntur à se. Alterum probat, quia est effectus partium, siue actu sint, siue potentiâ, sed debuit priùs definire: An partes sint actu in continuo; vt definiret: an sit verè Totum.

Gaspar Fuentes *1. phys. q. 6. diffic. 1. art. 7.* negans distinctionem inter partes essentiales, integrales, & totum per se; eam admittit inter partes, & totum per accidens, cùm tamen nihil aliud sit, quàm partes. Sumo aggregatum tritici. Vel est seorsim aliquid

quid,& tunc. Vel substantia, vel accidens. Non prius, quia nequit substantia esse de essentia accidentis. Non posterius: alioqui accidens esset de ratione substantiæ.

82 SECVNDA sententia censet, Totum, aliud non esse, quam partes vnitas: Ita communiter Recentiores maximè Societatis Iesu. Tolet. 1. *Phys. q.* 8. Suar. *d.* 36. *metaph. sect.* 3. vbi multa pro hoc D. Thomæ addit testimonia; Ruuius, 1. *Phys. c.* 3. *q.* 2. adducens D. Thom. & alios multos, Hurtad. *d.* 6. *Phys. sect.* 1. Amic. *loc. cit. n.* 6. Octauius Farnes. *c.* 5. Perer. autem, *lib.* 7. *à c.* 18. cùm Colleg. 1. *Phys. c.* 2. *q.* 1. *art.* 3. probabilem censet. Sequitur Paul. Aresius, 1. *de Gener. disput.* 2. *quæst.* 13. *sect.* 1. post Durandum, *in* 3. *d.* 2. *quæst.* 2. *num.* 12. Gregorium, 1. *d.* 24. *quæst.* 1. *art.* 1. Alensem, & alios apud Amicum; & Fuldens. 1. *Phys. c.* 5. *art.* 4. Iuuet. *c.* 5. 1. *Phys.* Auers. *q.* 19. *sect.* 8. Complut. *disp.* 6. *q.* 4.

ASSERO primò, Totum, non esse rem distinctam à partibus vnitis.

83 PROBATVR primò ex D. Bonau. *distinct.* 6. *loco citato.* Si totum esset res distincta à partibus, sequeretur, verbum dimisisse, quod assumpserat; sed hoc est contra Damascenum, & omnes Theologos; ergo. Probatur sequela. Verbum assumpsit humanitatem, ex anima, & corpore compositam, & hæc vnio dissoluta est in morte: ergo tunc dimisit illam tertiam entitatem realem humanitatis, quæ in morte est dissoluta. Neque dicas, eam assumptam, ratione partium tantùm; quia imò principaliter intenta fuit vnio cum humanitate, tanquam id, ad quod partes ordinantur.

84 PROBATVR secundò. Omne absolutum potest stare, sine quocunque alio, à quo distinguitur realiter; sed totum, per vos, est quid absolutum, distinctum à partibus: ergo potest stare sine partibus, putà; homo sine anima, & corpore; quod implicat, etiam apud Scotum, & Fab. qui per formam, in specie, constitui compositum, aiunt, & per vltimam formæ entitatem, poni in indiuiduo. Maior est Scoti 2. *distinct.* 12. *q.* 2.

RESPONDET Faber, sua illa obsoleta distinctione, omnia resolui dicendo, scilicet, partes vnitas, non adhuc transactas in tertiam entitatem, esse realiter à toto distinctas; non autem totum à partibus, iam in tertiam entitatem transactis. At suprà ostendi eam distinctionem chimæricam esse,

85 vt vidit Amicus *n.* 15. Poncius *num.* 18.

RESPONDET Liuius, Scotum 2. *distinct.* 1. *q.* 5. limitare maiorem; si id non pendeat ab illo, at totum pendet à partibus. At sæpè ab eis absolutè affertur, vt fatentur Faber, & alij; & limitatio eneruat metaphysicum dogma. Ea sanè dependentia nonnunquam reperitur obsistens separationi naturali, vt ait S. Doctor, allatus *d.* 1. *n.* 35. enim verò à Deo separabilia ea sunt, vt omnes rectè clamant. Poncius *n.* 10. negat, partes esse absolutas, cùm includant vnionem, quæ est respectus. Addit etiam cum Rabes. totum a partibus pendere, vt patet, & partes à toto vt causato, ab eis: sic & agens, vt agens, pendet ab effectu.

CONTRA primò: quia Scotus, vt multi è discipulis testantur, vult vnionem non esse causalitatem materiæ & formæ, respectu totius.

CONTRA secundò: quia Arist. 2. *anima, text.* 26. (non 27. vt citat Poncius; neque *text.* 20. vt Faber) ait, *tripliciter dicta substantia, quarum hæc quidem forma: illa verò materia, alia autem ex vtrisque.* Vide modum diuidendi substantiam. Hoc textu vtuntur Scotistæ, quasi Arist. accipiat partes vnitas, & tamen vocat hanc, illamque substantiam. Ergo in ratione substantiæ, vt ens absolutum per se. Id confirmo *ex* 7. *metaph. text.* 7. quo abutuntur Scotistæ, vbi ostendit compositum esse maximè ens absolutum ad differentiam omnium aliorum, non modò accidentium, sed quidditatum vniuersalium, & materiæ, ac formæ. Vellem scire, quæ entia absoluta dicat Scot. separabilia? certè intelligit partes substantiæ essentiales à toto: non integrales, non accidentia; eæ enim patent seiungi; hæc verò sunt entis entia. Intelligit ergo substantias intrinsecè componentes à composito, de quibus vnio exhibet ansam dubitandi, alioqui altum illud Axioma. *Ea quæ distinguuntur realiter possunt seiungi* crepundium sonabit.

ARGVO verò ratione Scoti, & Scotistarum, quam vrget Poncius *d.* 3. *q.* 5. *n.* 68. Quodcunque absolutum prius naturâ, quàm aliud absolutum distinctum realiter, potest esse absque illo alio posteriori: sed materia est aliquid absolutum, cùm sit substantia, & est prior quacunque formâ materiali substantiali, & distinguitur realiter à tali forma: ergo. Nota, absolutam esse materiam, quia est substantia. Quare frustrà *n.* 70. ad fugam se præparat.

CONTRA Fabri verò distinctionem arguo ex eius doctrinis. Omnis mutatio realis est ad terminum nouum realem, è Scoto apud ipsum *c.* 1. at vnio substantialis est realis mutatio: ergo ad vnam entitatem tertiam necessariò terminatur; hoc autem per te est compositum: ergo, data vnione, dantur intrinsecè partes transactæ in tertiam entitatem quæ est compositum. Idem licet edissere de mixto ex elementis, quæ sunt terminus *à quo*, & per vos corrumpuntur, neque potest esse forma mixti, antequam formæ elementorum sint destructæ, vt arguit *Theor.* 60. Det itaque mihi compositum mixtum, medium inter formas elementares, & tertiam entitatem, ne materia sit sine forma. Illa sanè est forma mixti, quæ est terminus *ad quem* mixtionis. Ergo non stat Fabri inuentum. 86

ARGVO adhuc validiùs. Cuilibet entitati inseparabiliter respondet vnitas, & è contrà, è Scoto, apud Fabrum, *Theor.* 90. vt dixi, *q.* 4. Sumo igitur entitatem illam partium vnitarum, nondum transactarum in tertiam entitatem, & quæro; an ei respondeat vnum totum, necne? si sic; sequitur, quod cùm illud totum sint partes ipsæ, distinguatur totum realiter à se ipso; & sanè respondere debet vnitas producta per vnionem. Si verò non; adhuc est vnitas totius ex partibus: ergo non; adhuc sunt vnum: ergo neque vnione transacta, vnitæ. Vrgeo. Cuilibet entitati respondet vnitas simul, quâcum conuertatur, & debet assignari vnitas specifica, & numerica; vt arguunt Scot. & Fab. *Theor.* 90. 87

Accipio materiam ligni, vnitamque formam ignis, nondum transactas in tertiam entitatem. deinde 88

QVÆRO in qua specie sint illæ partes? sanè debent esse, vel in specie ligni, vel ignis. Non ligni, quia forma ignis non facit formaliter lignum; imò destruit. Si in specie ignis: ergo totum ignis est. Quid ampliùs requiritur ad totum?

VRGEO ex D. Bonau. 3. *d.* 6. *q.* 1. Quando duo sunt vnita, eò ipso prædicantur de se inuicem; nec ampliùs sunt partes, seu duo, sed vnum, eisque differentia noua essentialis dat esse; vt docet etiam Aristoteles 7. *Metaph. text.* 60. & *libro* 12. *textu* 20. apud Fabrum, *capite* 3. & dat exemplum de litteris A. & B. quæ, statim ac vniuntur, non sunt ampliùs A. & B. sed AB. ergo principia vnita non sunt, nisi transierint in tertiam entitatem; et si ita 89

ita differunt realiter à toto, iam idem differet realiter à se, vt infert Faber. Sanè prædicantur inuicem essentialiter; & dicitur hæc materia informata; & hæc forma vnita illi materiæ: ergo sunt vnum, iam tertium essentiale; impossibile est enim diuersa genera prædicari de eodem essentiali, vel inuicem ad vnum, vt monet D.Bonau. *loco citato*, & *q.* 3. *ad* 5.

91 VRGEO ex D.Bonau. 3. *distinct.*6. *art.*2.*quæst.* 1. Quando vnibilia habent mutuam habitus dependentiam, statim, vt vnita, habent actualem dependentiam essentialem, sed hæc non potest esse, nisi tertia actualis natura sit iam producta: seu, nisi transierint in tertiam naturam: ergo.

VRGEO adhuc. Vel totum distinguitur, se toto à partibus, vel secundùm aliquam partem sui; si primo modo: ergo secundùm omnes partes suas, distinguitur ab omnibus partibus suis, quod implicat; si secundo modo. Illud, quo differt, vel est passio, vel aliqua pars totius: non potest esse passio, quia hæc est posterior: ergo pars; & ita secundùm partem distinguitur ab omnibus partibus, quod implicat.

RESPONDET Faber, distingui secundùm se totum, ab omnibus partibus vnitis; non tamen adhuc transactis in tertiam entitatem.

92 CONTRA. Tu mihi concedis, iam vnum totum, quod secundùm se totum differt, hoc non esse partem aliquam, vel partes seorsim, sed totum substantiale: ergo est tertia entitas; & si est tale: ergo infertur sequela illata.

VRGEO adhuc. Illud totum distinctum à partibus, vel est entitas simplex, vel composita; si composita: ergo ex partibus: ergo eas includit. si simplex: ergo ex compositione fit ens simplex. Deinde, à quo causatur intrinsecè? non à se, quia nil causat se ipsum: non à partibus, quia partes, cùm causent formaliter, includuntur intrinsecè in toto.

93 MVLTA alia opponi possunt: & Faber, qui *c.*1.ineptias aliorum Scotistarum irridet, quasi olla in cacabum insonat.

ASSERO secundò. Totum distingui à suis partibus formaliter.

PROBATVR primo argumento D. Bonau. *in* 3. *distinct.* 6. *q.* 1. & *distinct.* 21. *quæst.* 3. Ea, quibus opposita conueniunt; inseparabiliaque sunt, formaliter differunt: at totum est vnum genitum ex partibus; non sic partes: & hæ sunt totius principia; sunt entia incompleta; sunt plures; sunt partes; sunt simplices; è regione compositi: Ergo. Confirmatur à Seraphico Doctore, *in* 3. *passim distinct.* 2. 3. 5. & 6. & *distinct.* 8. *art.* 1. *quæst.* 2. præcipuè *distinct.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. Omnis plurium vnio ad vnum tertium constituendum, retinens opposita prædicata etiam post vnionem, & in separatione eam entitatem amittens, formaliter à partibus vnitis distinguitur. Tale est totum cum partibus: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur. Productio compositi est terminus realis productionis: & eius dissolutio realis corruptionis, & sicuti è partibus vnitis tertia entitas producitur à partibus; non ipsæ partes: ita sæpè in resolutione, putà hominis, nil partium deperditur. Sed entitas totius, quæ diuersa à partibus sortitur prædicata: a partibus inquam vnitis, à quibus tamen vt vnitis, non est re distinctum totum. Ecquis igitur distinctas realitates istas inficiabitur formaliter?

94 PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, *in* 3. *distinct.* 21. *quæst.* 3. Verbum vnitum toti humanæ fuit naturæ, vnica vnione; at geminæ vniones successere cum corpore, & anima diuisis: Ergo alia formalitate vniebatur toti: alia partibus vnitis. Non fuit sanè rei distinctæ; vt ostendi *in* 1. *asserto*. ergo formalitatis. Neque hinc sequitur, Verbum in morte dimisisse, quod assumpserat, quia vnio mansit vniformiter secundùm naturalem inclinationem ad vnionem, & in eo formalitas totius virtute includebatur, & quoad vinculum in partibus formaliter, & quidem ordinatis ad totum illud compositum, quod iam semel assumpserat. Itaque nunquam dimisit rem semel assumptam, sed solam formalitatem, de qua non est intelligendum axioma; vt disserit D. Bonauent. *in* 3. *distinct.* 21. *quæst.* 3. Neque dicas, remansisse vnitum partibus diuisis, quæ realiter à toto distinguuntur; & ita rem assumptam dimisisse; nam assumpsit partes vnitas; & ideò totum formaliter tantùm distinctum. Itaque nulla res assumpta fuit dimissa, sed sola formalitas extremi, idest humanitatis, fuit variata; vt ait D.Bonauent. *ad* 2.

ARGVMENTA Scoti duobus verbulis, etiam iudice Fabro, ruunt. Totum quidem fateor esse è partibus ante seiunctis compactum, & ita esse terminum realis productionis, tertiamque ab ipsis partibus causatam entitatem; neque enim est materia, vel forma seorsim, sed est tertia entitas materiæ, & formæ vnitarum; ita vt partes adhuc includat; atque adeò nunquam potest seorsim totum seponi sine partibus. Ideò considerare totum; & dicere ipsum distingui re à partibus, est dicere, esse rem distinctam à se ipso; vt benè infert Faber; nec potest totum esse ex partibus vnitis, nec adhuc transactis in tertiam entitatem; vt putat Faber; quod suprà ostendi.

ITAQVE totum est tertia entitas, producta per generationem, destructa per corruptionem, causata autem è partibus seiunctis; sed includit partes: alioqui quale totum erit istud? 95

HABES etiam, totum, aggregatione non distingui à partibus; nil enim aliud est, quàm partes aggregatæ: nam, si totum essentiale, quod est magis vnum, quàm totum per accidens, vel per aggregationem non distinguitur realiter à partibus; multò minùs aggregatum, quod imperfectè est totum.

HABES etiam, Totum esse realiter distinctum à partibus, consideratis seiunctim; est enim noua entitas producta, nempè, est partium vnitarum tertia entitas; & in his, æquiuocè intellectis, tot contentiones inuoluuntur. 96

Quid addat SVPPOSITVM *naturæ*.

VIDEATVR Tractatus secundus, *disp.* 9. vbi laxis fibris quæstio hæc ventilata est.

QVÆSTIO VI.

An ESSENTIA *differat ab existentia*.

PRIMA opinio est Henrici, *quodl.* 1. *quæst.* 9. existentiam super essentiam addere respectum ad causam efficientem: nam essentia respicit Deum, in genere causæ exemplaris; existentia verò

verò requirit causam efficientem, per quam producatur.

Refertur à Fabro, *Theor.* 32. Henrici opinio sic. Essentias rerum esse in Deo ab æterno, non existentias; in tempore verò, eas actualem existentiam recipere; sed hic modus referendi non est sincerus.

Secunda sententia est D.Thom. *p.* 1. *quæst.* 3. *art.* 4. *&* 2. *contra Gentes, cap.* 52. & *opusculo de ente, & essentia, cap.* 3. essentiam ab existentia realiter differre: eum secuti sunt Caiet. & Ferrar. *locis adductis*, Capreol. 1. *d.* 8. *quæst.* 1. *art.* 1. Zanard. 4. *Metaph. quæst.* 9. Ægid. 2. *d.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. Argent. *ibi, quæst.* 1. *art.* 2. nec abest Rich. *art.* 1. *quæst.* 1. & si *quodl.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2. diuertat. Tostatus *ad* 25. *Matthæi, quæst.* 585. Trigosius, *quæst.* 3. *art.* 2. *dub.* 4. *concl.* 2. Nazar. *p.* 1. *quæst.* 3. *art.* 4. *contr.* 1. Blas. *d.* 6. *Metaph. quæst.* 2.

97 Tertia sententia est, essentiam, & existentiam esse idem. Ita Durand. *in* 1. *d.* 8. *p.* 1. *quæst.* 2. Gabriel, *in* 3. *distinct.* 6. *quæst.* 2. & ferè cæteri nominales; Alensis suprà *text.* 22. 7. *Metaph.* Valent. *Tom.* 1. *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 4. Suarez *in Metaph. disput.* 31. *sect.* 1. *&* 6. Perer. *lib.* 6. *Philosoph. cap.* 15. Ruuius, 1. *Phys. tract.* 1. *q.* 3. *ad* 1. Hurtad. *disp.* 8. *Metaph. sect.* 4. Piccol. *lib.* 1. *de materia, c.* 3. Auersa *q.* 8. *sect.* 6. Pasqualig. *d.* 81. *sect.* 3. Arriag. *d.* 2. *Metaph. sect.* 3. Ouied. *contro.* 2.

Quarta opinio distinguit formaliter. Scotus 1. *d.* 36. *quæst.* 1. *in* 3. *d.* 16. *quæst.* 1. *in* 4. *d.* 13. *quæst.* 1. *art.* 3. Faber *Theor.* 32. Poncius *d.* 18. *de ente, q.* 4. Mastrius *d.* 8. *quæst.* 2. Meruisse 1. *Metaph. q.* 21. & cæteri Scotistæ. Adducitur D. Bonau. 2. *distinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *in resol.* à Vasq. *Tom.* 2. *disput.* 179. *cap.* 2.

Quinta sententia ponit distinctionem modalem, inter essentiam abstractam, & existentiam actu. Ita D. Bonau. *in* 2. *distinct.* 7. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. & *in* 4. *distinct.* 43. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 1. Richard. *quæst. quodl. citato*; Baccon. *in* 3. *disput.* 10. *quæst.* 1. *art.* 5. *&* 6. Vasq. *T.* 2. *disp.* 116. *num.* 14. Zabar. *de constit. Indiuid. c.* 6. *&* 9. Fonseca, 4. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 4. Galitius, *p.* 1. *Phil. lib.* 1. *tract.* 6. *quæst.* 11. Eustachius *p.* 2. *Metaph. quæst.* 5.

98 Arbitror ex diuersâ terminorum acceptione ortam disputationem, vt infrà dicam.

Assero primò. Essentia actualis non differt ab existentia propria. Sumo autem existentiam, & essentiam proportionatè; ita vt essentia Petri comparetur cum existentia ipsius essentiæ, essentia accidentium, cum existentia eorum: nam, si sumatur totum esse indiuidui existentis, & comparetur cum nuda essentia, quis non videt, existentiam addere multa accidentia, præter essentialia? Hoc tamen sensu non reor, locutum D. Bonauenturam *in* 2. *distinct.* 3. *p.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. in corpore: dum ait, Angelum ex esse, & essentia componi; vt putat P. Galitius, *num.* 17. nam simpliciter, ait, componi ex ente, & esse eiusdem entis. Itaque sensus legitimus Seraphici est, vt es-
99 sentia quidem actualis, & existentia sint idem; insit tamen compositio; quatenus existentia non est necessaria huic essentiæ, seu naturæ. Qua ratione est necessaria Dei essentiæ; vt dixi *Tract.* 1. *d.* 1. *q.* 1. Neque tamen, ob id sequitur distinctio inter eas, ex natura rei; vt putat Valentia, *loco citato*, & Vasquez, *Tom.* 2. *disp.* 179. *cap.* 2. *in calce*, vbi id assertum à Diuo Bonauent. ait; vt refert itidem Galitius, *num.* 17. nam sensus est, non esse necessarium, vt illa essentia existat; sed posse non existere. Est ergo compositio; quatenus illa res, putà Angelus, seu natura Angeli non habet necesse esse; atque adeò, cùm natura Angeli non sit necessaria, non est simplex suum esse in hoc, & illo: ad hoc autem sufficit ponere distinctionem rationis ratiocinatæ, quâ cum fundamento concipitur essentia, seu natura Angeli sine existentia. Nam, si sumatur hæc essentia, & hæc existentia, ambæ sunt non necessariæ; & vna sublata, tollitur altera.

Iam igitur probatur assertio. Ea, quorum 100
vnum non potest esse sine altero, hæc sunt vnum, & idem; sed essentia, & existentia ita se habent, vt vna sine altera esse nequeat: ergo sunt vnum. Maior probatur. Si possent aliqua esse vnum, & tamen alterum existeret sine altero, sequerentur contradictoria. Pono, Socratem, & Platonem esse vnum, putà A, & posse esse Platonem, non existente Socrate, iam A esset, & non esset.

Adverte, Fabrum, hac maiore comproba- 101
tâ, mox in secundo suo argumento sibi repugnare; dum probat, non sola ea, quæ sunt idem, ita se habere, vt alterum sine altero esse nequeat; sed etiam quæ sunt simul naturâ, &c. Resumit tamen, sed frustrà; vt dicam. Minor probatur, quia existentia est realis à parte rei; similiter & essentia realis est; atque adeò necessariò est existens; cùm sit ens reale.

Probat deinde Faber, quasi nouo argumen- 102
to principali. Impossibilitas, quòd aliquod vnum non possit esse sine altero, prouenit; vel quia est idem illi realiter; vel quia sunt simul naturâ; vel quia est posteriùs illo; at essentia non potest esse sine existentia, neque hæc est simul naturâ cum essentia, neque essentia est posterior naturâ, quàm existentiâ; sed è contrà: ergo prouenit, quia sunt idem. Maior sufficienter enumerat causas, ob quas vnum nequit esse sine altero. Minor probatur, quia implicat, dari essentiam realem, nec existere; existentiam verò non esse priorem essentiâ, probatur, neque simul naturâ: imò eam astruunt aduersarij posteriorem essentiâ; quod tamen est falsum: quia tunc daretur essentia sine existentia, quia prius esse potest sine posteriori: omne autem ens reale potest esse absque eo, quod est aliud à se, à quo non pendet; sed hoc est absurdum, quia implicat dicere: est essentia realis, & non est; si enim est ens reale extra intellectum, non est perceptibile, quomodo non habeat esse, ac non existat; cùm esse extra suas causas, sit existere.

Hæc tamen argumenta nil lædunt Angeli- 103
cum, vel asseclas. Ideò nota ex D. Bonauent. *in* 3. *distinct.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad vltimum*, essentiam sæpè sumi pro naturâ, metaphysicè abstractâ ab existentiâ, quæ ad existentiam se habet, vt potentia ad actum: vt quidditas hominis, putà quod sit animal rationale, abstrahit ab eo, quòd homines viuant actu; sic enim essentiæ sunt æternæ in Ideis Diuinæ mentis, & in decretis Dei completæ, qui statuit eas producere. Quo sensu sunt essentiæ in potentia extrinseca Dei ad existentiam. Aliquando sumuntur essentiæ pro naturis rerum actu, extra suas causas. Sumuntur tertiò à Diuo Bonau. prout seminaliter sunt in materia, quæ continet omnia indiuidua omnium generum, & specierum. Quò fit, vt quando res, putà Rosa in vere producitur, quæ hyemis tempore erat in potentia plan-

tæ, non producatur noua essentia distincta, sed ca-
104 met rosa, quæ erat in potentia, prodcat ad actum existentiæ. Iam verò D. Thom. considerauit essentiam, primo modo; atque adeò rectè progreditur suis argumentis, quæ tædiosa, & falsa Faber proclamat; eò quod non probant, essentiam existentem differre ab existentia. Hoc sensu non loquitur D. Thom. nec discipuli, sed optimè progrediuntur in suo sensu.

105 Hinc potest etiam Henricus saluari; non enim voluit existentiam esse formaliter essentiam rerum productam, addendo respectum ad efficientem; ita vt formalitas existentiæ sit ipsa essentia; quatenus producta est ab agente; sed quòd existentia supra essentiam dicit additam rem productam, & positam actu, hoc est existere, quod est extra causas poni; & quia hoc fit ab agente, hinc consequenter rem existentem dicere relationem ad suam causam producentem, non tamen intrinsecè: nam, si per impossibile aliqua res esset, & non fuisset producta, adhuc existeret.

Hinc malè contra Henricum vrget Scotus, futurum in eius sententia, vt res non crearentur; cùm iam essentiæ præexisterent.

106 Igitvr in bono sensu probatur tertiò ex Aristotele 4. *metaph. text.* 3. & *lib.* 5. *text.* 14. & *lib.* 10. *text.* 8. vbi ait: *Ens, & vnum, adiuncta rebus, nihil ampliùs significare, quàm res ipsas*; sed idem est existere, quòd ens: ergo. Confirmatur: nam existere est quoddam transcendens: ergo non significat aliquam rem diuersam ab his, de quibus dicitur: ergo vel est ens, vel passio entis; non passio: ergo est ens; & si passio, adhuc ens: verum enim & bonum non significant aliquid, re diuersum ab his, de quibus dicuntur.

107 Probatvr quartò ex D. Thom. *p.* 1. *q.* 5. *art.* 1. qui ad probandum, ens, & bonum sola ratione differre, assumit hoc pro medio termino: quia bonum constituitur in esse boni, per entitatem: nam in tantùm aliquid est bonum, in quantùm est actu. Tunc sic. Sed essentia constituitur in actu, per existentiam; quia de essentia indiuidui nil est antequam existat: ergo solâ ratione differunt. Ratio verò D. Thom. quòd id, quod dat esse intrinsecè, formaliter, actu debeat esse idem; Probatur; quia non potest aliqua res constitui in esse formalis entis realis, per aliquid distinctum ab ipsa: nam, si esset distinctum ab ipsa, non poneretur in esse, sed aliunde haberet esse reale.

108 Hinc arguo. Quod ponitur formaliter intrinsecè in esse per aliquid, non ponitur in esse per aliquid distinctum, super additum; sed essentia intrinsecè ponitur in esse per existentiam: ergo existentia non est quid distinctum, superadditum. Probatur assumptum. Si id, quod intrinsecè ponit aliquid in esse, esset extrinsecum, iam non esset intrinsecum formale.

109 Assero secundò, essentiam metaphysicè esse realiter à physica existentia distinctam.

Probatvr primò. Quorum vnum est sine altero, differunt realiter, sed essentia est sine existentia: ergo. Maior est Scoti, & Fabri. Minor probatur: nam essentia est æterna, incorruptibilis, inuariabilis, præscindens ab essentia; at existentia est corruptibilis, in tempore; & etiam veluti actus, deducens essentiam ad esse actuale, à quo præscindit.

Probatvr secundò; quia essentia est vna, *v. g.* hominis, sed existentiæ multæ.

Probatvr tertiò. Quæ differunt substantialiter, sunt distincta realiter, talis est essentia, & existentia: ergo. Maior est certa. Minor probatur. 110
Essentia, vt præscindit ab existentia, habet solùm esse in Deo; seminaliter verò in materia, in quâ tamen nihil indiuidui est; neque enim filius, qui est in lumbis Patris, est aliquid. Quare non benè arguit Faber, ad probandum, essentiam sine existentia nihil esse. Est enim quidditas rerum sine existentia. Vide D. Thomam, cuius rationes sunt validæ, recto sensu expositæ.

Assero tertiò, cùm D. Bonau. essentiam, 111
prout in potentia materiæ, differre modaliter ab existentia. Explico cùm Galitio, non differre, vt modum à re; sicut curuitas differt à baculo, in quo est; sed vt modos diuersos: nam eadem res est essentialiter, putà, rosa, quæ erat in potentia materiæ, & postea educitur: potentia autem, & actus sunt modi diuersi rerum. Ita D. Bonau. *in* 2. *distinct.* 7. suprà, & *dub.* 4. & *in* 4. *distinct.* 43. *art.* 1. *quæst.* 4. Hinc etiam Scotus *in* 2. *distinct.* 16. *quæst.* 1. dicit, potentiam, & actum non quidem esse eiusdem speciei, & numeri, vt refert Galit. *asserto* 4. sed esse eiusdem rei numero: nam in se sunt diuersæ entitates, vt constat.

His prælibatis, probatur assertio. Id, quod est 112
in potentia, est diuerso modo in esse ab eo, quo est, quando est actu; igitur diuerso modo differt; neque amplius differt: alioqui, si alia res esset, quæ erat in potentia, & reducitur in actum, putà, rosa; iam sequeretur, eam non fuisse in potentia, & ex ea reductam ad actum; atque adeò differret à se ipsa. Declaro. Res in potentia refertur ad suum actum, & actus ad potentiam; si autem alia est res, quæ erat in potentia, ab ea, quæ reducitur ad actum, iam non respiciebat actum; neque potest dici eadem deducta de potentia ad actum. Quare non rectè Suarez *in metaph. d.* 31. *sect.* 3. rem in potentia, & in actu differre formaliter, ait. Sanè differret formaliter à se ipsa, vt notat Galit. *num.* 15.

Assero quartò, essentiam actu, & existentiam 113
differre ratione, cum fundamento.

Probatvr: quia essentia dicit naturam, in tali genere, & specie; at existentia dicit rationem existendi eiusdem rei talem; vt non sit de intrinseco essentiæ, seu quidditatis, putà, animalis rationalis huius, & illius existere; cùm hoc solius Dei sit. Ergo, licèt sint idem, vt ostendi; adest tamen fundamentum concipiendi illas, vt distinctas: non faciunt autem sic compositionem intrinsecam; sed solam extrinsecam, in respectu ad causam.

Ex his patet ad argumenta ferè omnia, vtrinque datis distinctionibus suprà.

Obicies. Verbum assumpsit naturam hu- 114
manam, non existentiam: ergo differunt.

Respondetvr, assumpsisse & existentiam: nam humanitas illa existit seorsim à Verbo, vt ostendam 3. *part. Tract.* 1. *d.* 9.

Obicies. Essentia est permanens; existentia verò successiua: ergo differunt.

Respondetvr, ita esse, si sumatur essentia metaphysicè, quoad quidditates, quæ sunt æternæ veritatis; at verò physicè, pereunte existentia, perit essentia singulorum, quæ sola existunt à parte rei.

Obicies tertiò. In Deo est vna essentia, & 115
plures existentiæ, & subsistentiæ.

Respondetvr, esse vnam essentiam, &
existentiam

existentiam absolutam; sed tres relationes, quæ tamen in essentia vnificantur formaliter; vt dixi *Tract. 2. d. 3. quæst. 3.*

DISPVTATIO VI.

De NATVRA.

PERACTO tractatu de Principiis, constituentibus creaturas compositas, & de Vnione, quâ fiunt composita; ac de ipsis compositis; agere oportet de constitutione naturæ, in ordine ad operandum, quod sequitur ad esse.

116 DEFINITVR Natura. *Est principium motus, & quietis in eo, in quo est per se, & non secundùm accidens.* Ita D. Bonau. *in 3. distinct. 5. artic. 2. q. 1.* vbi alias etiam definitiones naturæ assignat è Boëtio. Hanc tradit Aristoteles 2. *Physic. text. 3.* quam sequuntur communiter, & explicant. Vide Galitium, *p. 1. lib. 1. tract. 1. quæst. 2.* Phil.

QVÆSTIO I.

An materia seorsim à forma sit NATVRA.

117 MATERIAM quidem esse naturam proprio modo acceptam sanè asserit Aristoteles 2. *Phys. text.* 10. & D. Bonauent. *in 3. distinct. 5. art. 2. quæst.* 1. quem sequuntur communiter Theologi, & è Philosophis Fonseca, 5. *Metaph. cap. 4. q. 2.* Iand, 2. *Phys.* 3. Ibidem Zanard. *q. 4.* Farnesius, *lib. 2. assertio. cap. 4.* Toletus *q. 1. &* 2. Colleg. *ibi, quæst. 3. art. 2.* Perer. *lib. 7. c.* 13. & alij apud Galitium, 1. *p. l. 2. tract. 1. quæst.* 4. contra Vasq. *Tom. 1. in 1. 2. disput. 25. cap.* 3. Vallesium *controuers.* 11.

118 PROBATVR à Galitio, experimento. Sumo aquam calefactam, mox ab aere frigidissimo frigefactam; illa frigefactio est motus naturalis, non à forma; quia ab hac non educitur forma; ergo à materia.

RESPONDEBVNT tamen, educi è composito, agente forma naturaliter, mediâ qualitate naturali frigiditatis, & extrinsecus à forma frigoris. Alias rationes vbique habes.

QVÆSTIO est; an materia præcisa sit natura. Id negat Zabarella, *lib. de natura.*

119 NOTA, naturam non esse mouentem in genere causæ efficientis; sed esse id, ratione cuius mouens mouet, & mobile mouetur; vt elicitur è D. Bonau. 2. *distinct. 18. art. 1. quæst. 2. in corpore.*

ASSERO, materiam præcisam esse naturam.

120 PROBATVR primò, quia est distinctum principium generationis substantialis, è cuius ratione seminali educuntur formæ, & in qua recipiuntur: Ideò ratione potentiæ est natura. In quo deceptus est Zabarella. Confirmatur à Fuld. 1. *physic. c. 5. art.* 1. nam genus, quod respondet materiæ, ponitur in definitione naturæ.

OBIICIES. Si materia est natura, quia receptiua motuum; iam omnes motus erunt naturales.

RESPONDETVR, negando sequelam; nam materia non est principium motuum separata, sed vt sub hac forma, cui vnita aliquos motus refugit.

QVÆSTIO II.

Vtrùm omnis forma sit NATVRA.

121 EST aliqua difficultas de anima rationali, secundùm gradum intellectiuum; sed & hac ratione esse formam, atque adeò naturam, ostendam *Tract. de Anima, disput. 1. quæst.* 11. De cæteris certum est, esse naturam. Ita Philosophi post Aristotelem 2. *phys. text.* 15. vbi Auerroës, & alij Commentatores. D. Bonau. *in 3. distinct. 5. art. 2. quæst. 1. & alibi*; Toletus, 2. *phys. quæst.* 1. Colleg. *ibi, cap. 1. quæst. 2. art. 3.* & *q. 3. &* 4. Perer. *lib. 7. c.* 11. Fonseca, 5. *metaph. cap. 4. q. 2.* & cæteri.

PROBATVR primò: quia formæ sunt verè mouendi principium. Vide Patrem Galitium *quæst.* 5.

PROBABITVR ampliùs *quæstione sequenti.*

QVÆSTIO III.

An NATVRA *sit principium motus actiuum, & passiuum.*

FVIT opinio Simplicij 2. *Phys.* naturam esse principium motus tantùm passiuum. Hunc sequitur Scotus 2. *distinctione 18. quæst. vnic.* & *in 4. distinct. 23. quæst. 4. & 5. metaph. cap. de materia*, ac discipuli, Faber *Theor* 33. Poncius *d. 7. q.* 2. Sghem. *digress.* 8. Liuius Rabes. *d. 1. quæst.* 2. Rocchus 2. *Phys. quæst. 1.* Fuent. *quæst. 1. diff.* 2. Merin. *d. 2. quæst. 4.* Villauerd. *cap. 1. quæst.* 5. At Mastrius *d. 6. quæst.* 1. cautè dicit, esse passiuum, ratione materiæ: actiuum ratione formæ.

SECVNDA sententia est, naturam esse principium motus solum actiuum ratione formæ. Eos refert Eustachius Carthus. *parte 1. Physic. tract. 1. quæst.* 2.

VNANIMI tamen ferè consensu Philosophi consonant; naturam astruentes principium vtroque modo. Ita D. Bonau. 4. *distinct. 48. art. 2. quæst. 2. in resol.* & aliis locis efferendis. Piccol. *l. de motu anim. cap.* 29. Zabar. *lib. de natura, c.* 3. Ruu. 2. *Phys. quæst.* 1. Eustach. *loco cit.* Ita omnes ferè contra Scotum, & alios clamant, teste Fabro *cap.* 2. Subscribit Fuliensis 1. *Phys. cap. 4. art.* 1. clamans esse Arist. Iuuet. 2. *Physic. cap.* 1. Inclinat Mastrius.

ASSERO

122 Assero cum hac sententia, naturam, vt naturam, esse principium motus actiuum, & passiuum.

Probatvr primò ex Diuo Bonauentura, *loco adducto*. Motus grauium, & leuium, *v. g.* lapidis deorsùm, & ignis sursùm, est naturalis; vt docet Aristoteles 2. *Phys. text.* 5. & concedunt Scotus suprà, & Faber, *cap.* 1. neque verò solùm à materia habetur, vt lapis feratur deorsùm; sed etiam à forma; cùm ipsa sit principium motus actiuum: nam à quo res habet esse, habet & operari; sed lapis habet esse à forma: ergo & mouêre se. Ipse enim Scotus, & asseclæ nituntur con-

123 tra Diuum Thom. probare, motum grauium, & leuium non esse à generante, sed à propria forma immediatè; vt docet Arist. 2. *Physic. text.* 84. & 4. *de Cœlo, text.* 24.

Probant: quia grauitas, & leuitas sunt potentiæ naturales, procedentes à natura grauium, & leuium: ergo sunt instrumenta actiua; quibus talia corpora mouentur ad loca: ergo procedunt actiuè à forma: ergo forma est actiuum principium naturale motus. Hoc autem pacto, principium esse naturam, probatur euidenter. Primò ex

124 Aristotele 2. *Physic. text.* 3. vbi naturam definit: *Principium mouendi, & quiescendi:* vbi actiuum principium exprimit: mox *textu* 4. ait: *Naturam autem habent, quacunque huiusmodi habent principium; & sunt hac omnia substantia; subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper. Itaque & subiectum, & formam in subiecto statuit natura*; subdit verò, motum, secundùm naturam, esse ferri deorsùm lapidem: vbi verbum græcum exprimit, *descendere*; vt indicat Sanctus Bonau. Quare non in sola passione stat natura, vt putant Scotus, & Faber.

125 At, estò accipiamus verbum *ferri*. Notanda sunt diligenter verba Philosophi; vbi, postquam dixit, naturam esse subiectum, & in subiecto; nempè, principium materiale è materia; & formale, quæ in subiecto. Infert, hæc omnia esse naturam: & subdit, etiam motum grauium, & leuium; sic enim ait: *Secundùm autem naturam sunt, & hac & quacunque his insunt secundùm se, vt igni ferri sursùm*, vbi nota particulam coniunctiuam (*&*) quasi dicat, *& forma*, & qui motus ab his sunt, secundùm naturam; affert verò exemplum ignis, qui fertur sursùm; sed à quo? à propria forma, vt dixit. Vnde exemplificat principium etiam actiuum formale: alioqui mancum esset exemplum.

126 Loquitur ad modum, quo & gratia operatur, quæ conformiter naturæ agit. Dicimus enim, liberum arbitrium mouetur à gratia; sed motus ille non est ab arbitrio merè passiuè, vt declarat S. Concil. Trid. sed est ratio, quâ liberum arbitrium se mouet; multò verò magis natura ad sua opera habet actiuitatem. Quare non benè Faber ex hoc exemplo ita infert. Aristot. dat exemplum de motu, passiuè recepto in igne secundùm materiam: ergo natura est principium motus, tantùm passiuum. Hoc enim exemplum affert, includens actiuum, & passiuum. Imò alia merè actionem significantia affert; vt infrà dicam. Confirmatur *ex* 4. *Cœli, text.* 24. vbi, quærens originem motus grauium, & leuium, ait, habere principium motus in se ipsis, & 7. *Phys. text.* 81. diuidit naturam in materiam, & formam, & subdit: *Natura sunt quacunque ab aliquo in se ipsis principio continuè mota perueniunt.*

127 Qvòd verò sit principium actiuum, probatur: nam allatis locis, & 2. *Phys. à text.* 3. *ad* 17. affert antitheses naturæ, & artis; quòd ars est principium motus, sed per accidens; natura verò, per se. Igitur in esse principij de reliquo conueniunt. Iam verò ars est principium actiuum, estò per accidens: ergo magis natura, quæ per se. Vnde falsò respondet Faber, artificialia distingui à natura, quòd ea nullum habeant principium passiuum; quippè artificiale non magis tendit ad hunc motum, quàm ad illum; at naturalia habent propriam inclinationem passiuam ad suum motum, & hoc itnenditur ab Aristotele.

Hoc fictum est tamen, quia artificiale magis inclinat ad hunc motum, quàm ad alium, *v. g.* fuscinula ad purgandum; ensis, framea, & securis ad scindendum; alioqui artificialia essent omnia ad quodlibet, ac frustra eis tot, tamque diuersæ formæ tribuerentur. 128

Sed audite Arist. *text.* 3. distinguit naturales motus ab artefactis: *Nullum enim ipsorum* (*ait*) *habet in se ipso effectionis principium*: ergo naturalia habent è contra in se factionis, seu actionis principium. In hoc enim differunt. Deinde affert exemplum Medici, & in hoc clarè distinguit à natura, quòd ipse est, per accidens, sibi ipsi principium actiuum sanitatis: ergo natura per se: alioqui confundetur distinctio. Neque ponit diuersitatem in recipiendo sanitatem; vt fingit Faber, & alij.

Deinde *text.* 7. distinguit opera naturæ, & artis, quòd illa sunt prima, dicens: *Quòd si. lecti columna viridis effodiatur, & germinet; vtique non germinabit columna lecti, aut lectus, sed lignum; hoc enim primum est, & à natura vegetatiua anima, qua producit, vt natura.* Ecquid clariùs? 129

Rvrsvs text. 86. *Si in ligno esset ars nauis faciendæ, haud secùs, atque natura faceret.* Audi Faber. Faceret actiuè.

Hoc clariùs ostenditur in formis perfectioribus. 130

Primò sic arguit Zabarella ex Diuo Bonau. Anima est natura, sed hæc est forma, & principium actiuum, vt natura: ergo natura est principium actiuum. Minor est clara. Maior probatur, primò authoritate Aristotelis 2. *Phys. text.* 7. & 13. vbi ait: *Quòd si effodiatur lectus, è ligno viridi compactus, & germinet; vtique germinabit lignum, non lectus*; & ait: *Hanc esse operationem natura*; sed illa esset operatio animæ vegetatiuæ: ergo appellat animam, naturam agentem. Itidem 8. *Physic.* 131 *text.* 27. ait: *Animalia habere in se ipsis principium actiuum motus sui, eumque, ait, fieri à natura.* Isti autem motus sunt ab anima: ergo hæc est natura actiua. Item 1. *de partibus animalium, cap.* 1. ait: *Animam esse naturam maximè nutritiuam, & sentientem*; quia sunt principium motus. Confirmatur: quia animæ competit definitio naturæ, vt sit principium motus.

Respondet Faber animam esse naturam, 132 quia est forma, sed esse naturam, ratione principij passiui, non actiui; operationes enim animæ consistunt præcipuè in pati; intelligere enim, sentire, &c. sunt pati; sic vegetare, augeri, quæ conueniunt composito, ratione formæ, quæ est anima. Quædam verò actiones competunt animæ, respectu quarum est merè actiua; vt mouêre corpus de loco ad locum; at sic se habet, vt agens; estque indifferens ad esse agens naturale, & violentum. Si enim moueat conformiter inclinationi passiuè rei motæ, est naturalis; si è contrà, est agens violentum.

Callide

133 Sed callidè adducit loca Aristotelis nec respondet; quasi dicat tantùm; animam esse principium motus, non autem actiuum. Sed in *in primis textibus* actiuum significat.

134 Avdiamvs eum, 8. Phys. text. 27. *Mouentium igitur, & eorum, quæ mouentur, alia quidem per accidens mouent, & mouentur; alia autem per se. Per accidens quidem, vt quæcunque ex eo, quia sunt in mouentibus, aut iis, quæ mouentur, & quæ per partem. Per se autem quæcunque non ex eo, quia sint in mouente, aut in eo, quod mouetur; neque ex eo, quòd pars aliqua ipsorum mouet, aut mouetur. Eorum autem, quæ per se mouentur, alia quidem à*
135 *se ipsis, alia verò ab alio. Et alia quidem naturâ; alia verò violentiâ, & præter naturam mouentur. Quod enim à se ipso mouetur, à naturâ mouetur, vt vnumquodque animalium: mouetur enim animal à se ipso: quorumcumque autem motus principium in se ipsis est; hæc naturâ dicimus moueri: quapropter animal quidem totum, naturâ se ipsum mouet; corpus tamen, contingit & naturâ, & præter naturam, moueri.*

Hic habes, Aristotelem loqui de motibus intrinsecis à natura, & hos actiuè ab animali esse; & hoc naturâ.

136 Idem Aristoteles, 1. *de partibus animalium*, *cap.* 1. docet eodem modo animam vegetatiuam, & sensitiuam esse naturam: quia est principium motus: quia vegetatiua nutrit, accrescit; estque ratio, ob quam corpus nutritur, augmentatur.

Hinc ruit responsio Fabri, dicentis, animam esse naturam, sed ratione passiui, recipiendo motum.

Obsecro, quid vegetatur? quid crescit? nonnè corpus ab anima? Sanè anima non nutritur.

137 Deinde, si actus animæ (*vt ait,*) stant præcipuè in pati, vt naturales sunt: ergo concedis; stare & in agendo. Porrò eos esse maximè actus; ostendam, *Tract.* 9. *disput.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 16. & *disput.* 9. *sect.* 4. *quæst.* 3.

Probatvr secundò. Violentum est, cuius principium est extrà, non conferente vim passo, ex 3. *Eth. c.* 1. idest passo non concurrente actiuè; hoc enim est non conferre vim, *verbi gratiâ*, motus lapidis sursùm, putà, à proiiciente, non conferente lapide vim ad eum ascensum: ergo à contrario, motus naturalis est à principio intrinseco, conferente virtutem actiuam passo. Hoc non potest esse, nisi à naturâ.

138 Respondet Faber, violentum esse contra inclinationem passiuam passi; & ideò agenti extrinseco non præbere passiuam inclinationem. At conferre est aliquid actiuum, non mera passio.

Ex locis Aristotelis habes, etiam falsum esse; quòd debeat in naturalibus assignari seorsim pars mouens, & pars mota; tametsi assignetur principium, secundùm quod fiat actio, & secundùm quod passio; vt notat Galit. cum Vasquez, *T.* 1. *d.* 193. *cap.* 3.

139 Probatvr tertiò ex Diuo Bonauent. *in* 2. *distinct.* 8. *p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. Ita se habet anima ad operandum, vt natura; sicuti ad informandum: sed informando, est actus, & natura: ergo & operando, est actus.

Qvòd verò non solùm passiuè se habeat, vt natura, probatur à D. Bonauent *in* 3. *distinct.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. *arg.* 4. cum responso. Natura, ex Boëtio, *lib. de duabus naturis, & vna persona Christi.* est, quod agere, & pati potest, prout in vita tuenda necessarium; at adeò ad vitam necessariæ sunt multæ operationes: ergo.

Confirmatvr à Diuo Bonauentura 2. *distinct.* 25. *quæst. vlt.* Anima in suis operationibus, 140
vt natura est, eget instrumentis organorum; si hæc sunt instrumenta actiua, putà, ventriculus ad chilificandum; Hepar ad sanguificandum, &c. ergo ipsa est causa principalis actiua.

Tres rationes opponit Scotus, quibus à nemine adhuc responsum, ait Faber. Videamus, quàm validæ sint.

Opponit primò. Illa est mutatio naturalis, in qua passum mutatur, sicut aptum natum est 141
mutari, à quocunque agente fiat illa mutatio. Sed passum nunquam dicitur sic aptum natum à principio actiuo, sed per principium passiuum: ergo. Minor probatur ex Aristotele 2. *Phys. text.* 3. vbi docet, talia ea esse per naturam; & affert exemplum ignis, qui fertur sursùm passiuè, & 8. *Physic. text.* 27. vbi dicit. Ea, quæ mouentur contra principium passiuum, non mouentur naturaliter, sed violenter; vt cùm terra mouetur sursùm. Maior est clara: nam mutatio, quæ aliter euenit passo, quàm sit aptum mutari, non est naturalis. Consequentia euidens; si enim naturale dicitur tantùm secundùm principium passiuum, sequitur non esse secundùm actiuum.

Responsio ex dictis obuia profluit. Maior enim est diminuta, & falsa: nam est naturalis 142
etiam motus à principio intrinseco actiuo; vt probaui. Falsa est etiam minor: nam Aristoteles ait, ferri deorsùm, idest descendere actiuè, esse secundùm naturam, id est, inclinationem. Addit, moueri sursùm non esse totam naturam ignis, sed habere in se factionis principium, ad differentiam artificialium; vt suprà dixi. Neque verè affertur Aristoteles 8. *Phys. text.* 27. vbi non ait. Ea sola, quæ mouentur secundùm principium passiuum esse secundùm naturam; sed & quæ secundùm actiuum; vt retuli *in textu*, qui mirificè nostram confirmat sententiam.

Obiicit secundò. Natura est principium motus internum: sed hoc modo est principium, 143
tantùm passiuum: ergo. Maior probatur ex definitione naturæ. Minor probatur ex Aristotele 2. *Phys. text.* 3. vbi vult, quòd Medico, qui sanat se ipsum, sit per accidens sanare se, & sit per se sanari: sicut naturæ moueri. Id vrget Liuius Rabes.

Respondetvr, negando minorem. Ad probationem dico, textum temerari, vt vidimus; ait enim per accidens esse, Medicum sanare se ipsum: at naturam agere per se. Similiter per accidens esse Medico sanari à sua arte: at naturam per se recipere à sua forma. Quare etiam actiuè, & passiuè confert.

Obiicit tertiò. Illud internum actiuum principium nequit esse natura, quia natura non agit, 144
nisi excitetur ab agente extrinseco: quia, si ageret anteà per vnum diem, ageret & per quatuor, & semper: illa autem actio agentis extrinseci est naturalis: ergo natura tantùm patitur.

Respondetvr, totum dictum esse falsum. 145
Et primò, maior est falsa; quia forma intrinsecè agit ex sua inclinatione, absque extrinseco excitamento. Natura enim est sufficienter prouisa mediis ad agendum: sic forma lapidis fert lapidem deorsùm, etiamsi esset vacuum, nec aliquid eum excitaret. Falsa est etiam minor; quia, si actio est ab extrin-

extrinseco, non est à natura, quæ, vt ait Aristoteles, est principium, in quo est: et si illa extrinseca actio, in eo instanti priori est, naturalis, concedis, Naturam agere. Falsò quoque sequitur, naturam ad agendum excitari, & non agere; quia prius excitatur: estò sit illa actio naturalis, dum ad illam excitatur natura: Sequitur tamen illam verè agere; quia, vt concedis, agit excitata: excitatio enim non impedit; imò promouet actionem.

146 FALSA est etiam consequentia, & non in forma: quia in præmissis assumitur natura non agere, nisi excitata; & consequentia infert, nunquam agere. Et ratio illa, quia natura non agit; petit principium. Iam igitur satis, superque hæc argumenta insolubilia contrita iacent. Cautior Poncius ait *numero* 8. esse dissensionem de nomine.

Ex dictis habes primò, Priuationem non esse naturam, quia nil tribuit virtutis ad motum: potest tamen impropriè dici natura, vt est via ad generationem naturalem: vt ait Galit. *quæstione* 6 & Zanardus, 1. *Physicorum*, *quæstione* 14. & hoc sensu videtur ab Aristotele *text.* 15. admitti.

147 HABES etiam, cur forma dicatur magis natura ab Aristotele 2. *Physic. text.* 15. nam entia sunt magis naturalia per formam. Itaque definitio naturæ primò conuenit formæ: secundò verò materiæ: vt monent Eustachius *suprà*, Peter. *lib.* 7. *c.* 17. Tolet. 2. *Phys. quæst.* 1. *ad* 5. Zabar. *de natura Cæli, cap. vlt.* contra Vasq. *in part.* 2. *disp.* 25 qui materiam solùm metaphoricè esse naturam admittit.

AT Galit. *quæst.* 6. censet, naturam de vtraque dici vniuocè, cum Ruuio, 2. *Phys. cap.* 1. *quæst.* 2. Sed pace eorum, cùm forma sit natura, vt actus, & actiua, prior, & potior est materiâ, quæ est talis vt potentia passiua: prior inquam, quia præstantior; & potior, quia nobilior: forma enim entitate, & nobilitate præstat materiæ

HABES etiam, quo pacto natura via sit principium motus, & quietis, quod intelligitur, aptitudine. Hinc liquet etiam ea, quæ actu non mouentur, putà, quæ in propriis locis quiescunt, vt Terra; habere naturam: nam motus est proprietas naturalium aptitudine: sicut Risibilitas hominis. Vide Galitium, *quæst.* 6.

148 QVARE non ad rem definiunt difficultatem Perer. *lib.* 7. *cap.* 5. Tolet. 2. *Physic. quæst.* 1. *ad* 3. Colleg. *ibi, cap.* 1. *quæst.* 2. *art.* 3. dicentes, satis esse; vt corpus naturale alterutrum habeat; aut motum, aut quietem. Nec ritè Farnes. *lib.* 2. *cap.* 45. & Fonseca, 5. *Metaph. cap.* 4. *quæst.* 2. *sect.* 2. aiunt, conuenire aut alteram, aut vtramque proprietatem, motûs, & quietis. Sanè definitio particulam adhibet coniunctiuam (*&*) non disiunctiuam (*vel.*)

DISPVTATIO VII.

De CAVSIS.

QVÆSTIO I.

De Natura CAVSARVM.

ITA Deus prima causa est rerum, vt ad omnia concurrat immediatè, & causis secundis dederit, in ordine naturæ & gratiæ, virtutes operandi, easque operentur; quorum alterum contra Durandum; alterum contra Gabrielem latè discussi *Tractat. de Creatione, disput.* 1. *quæst.* 5. De his ampliori stylo agam *disp.* 27. *quæst.* 2. sunt autem quatuor causæ: MATERIA, FORMA, FINIS, & EFFICIENS. Quoniam verò de materiali, & formali egimus, *disput.* 1. *&* 2. de Ideali verò, *tractatu* 1. *disput.* 14. de Fine autem agetur *prima secunda, Tract.* 1. *disp.* 1. incumbit ferè solus tractatus de efficientibus, de quibus rursùs agam *disputatione* 17. quæ *de mouente*, etiam primo, habebitur; de quo etiam egi *Tract.* 3. *disput.* 1. *&c.* 1

CAVSAM, & Principium ita se habere vidimus, *Tract.* 2. *disput.* 8. *quæst.* 1. Vt principium latiùs pateat: nam & ea, quæ non influunt aliquid, sunt principia, non causæ; vt primus in ordine dignitatis. Vide D. Bonauenturam, *in* 2. *distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 2. 2

MVLTIS modis definitur CAVSA apud Galitium, *p.* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. *q.* 1. sed illa Diui Bonauenturæ *in* 1. *distinct.* 20. *quæst. vlt. ad* 1. quam explicat Tolet. 2. *Physic. quæst.* 7. præ aliis placet. *Causa est, ad cuius esse sequitur aliud.*

DICITVR, *ad cuius esse*, vt causans est; sequitur (*aliud*) quia causa producit aliud, distinctum essentiâ.

DICITVR autem (*aliud*) in esse, si causa sit essendi; at illatione, si sit causa inferendi; de quibus D. Bonauent. *in* 1. *distinct.* 38. *articul.* 1. *quæst.* 2. 3

PRÆCIPVE diuido efficientem in Physicam, & Moralem. Physica influxu naturali causat. Moralis verò influxu à libero alicuius arbitrio, suadendo, exhortando, &c.

CAVSA Physica, alia est æquiuoca, quæ plures effectus diuersos efficere potest, & est vniuersalior; vt Sol: Alia vniuoca, quæ ad effectum suæ speciei determinatur; sic leo generat leonem.

ÆQVIVOCA alia est vniuersalissima, & prima, qui est Deus, alia secunda, vt Cœli.

RVRSVS alia est totalis; alia partialis. Partialis est, quæ non sola in eodem genere, sed simul cùm alia producit effectum. Totalis totum producit effectum. Totalis alia est, quæ totum se solâ producit; vt Deus creans: alia, quæ totum producit effectum, sed cum alia subordinata, vt Deus, Sol, & homo generant hominem. Totalis, quæ se solâ producit, dicitur etiam adæquata. 5

RVRSVS, alia est principalis, quæ propria virtute præcipuè producit effectum: Alia instrumentalis, quæ minùs principaliter, & virtute principalis

palis eleuatur. Vide Diuum Bonauenturam 4. *di. stinct.* 28. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 1. Valentiam *Tom.* 1 - *disp.* 3. *p.* 4. cum Abulensi *ad* 26. *Matth.* q. 82. Suarez in *Metaph. disp.* 17. Fonsecam, 5. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 6. *sec.* 6.

Mox alia est causa per se, quæ verè in suo genere influit, vt ignis producit ignem. Alia per accidens, quæ, quantum ex se, non producit effectum; vt musicus sanitatem, si ille sit Medicus.

7 VALENT causæ sibi esse inuicem causæ, vt docet Arist. 2. *Physic. text.* 30. & 5. *Metaph. text.* 2.


POSSVMVS autem loqui de causis, vel in essendo, vel in inferendo.

SANE possunt aliquæ sibi inuicem esse causæ inferendi; vt docet Diuus Bonauentura *primo, distinct.* 28. & alij, cum Diuo Thoma *part.* 1. *quæst.* 14. Verbi gratiâ Deus præscit, me cras moriturum, ergo cras moriar, & si cras sum mortiurus: ergo Deus præsciuit.

8 SI de causis essendi. Causæ in diuerso genere sunt sibi inuicem causæ: sic forma est finis efficientis; efficiens autem est formæ effectiua. Similiter materia est causa essendi formæ: forma autem materiæ dat actum perfectum; vt ait Diuus Bonauentura 2. *distinct.* 3. *part.* 1. *quæst. vlt.* In eodem verò genere causæ, nequit altera alteram totaliter causare: alioqui idem respectu eiusdem, esset actus, & potentia; possunt tamen partialiter causare. Sic eleuatio vaporum causat pluuiam, & pluuia causat vapores.

Vide Galitium, *part.* 1. *libro* 2. *tractat.* 2. *quæst.* 4.

EGO præcipuas quæstiones controuersas discutiam, triuialia omittens, vel leuiter innuens.



QVÆSTIO II.

An possit ACCIDENS *producere substantiam.*

PRIMA opinio omninò negat, accidens, aut per se, aut virtute substantiæ, posse substantiam producere. Ita Scotus *in* 1. *distinctione* 17. *quæstione vn.* & *in* 4. *distinctione* 12. *quæstione* 3. *concl.* 1. & 2. eum sequuntur discipuli, præcipuè Faber, *Theor.* 34. Mastr. *disput.* 7. *Phys. quæst.* 6. & cæteri Scotistæ apud ipsum *ibi*. Idem docet *in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 15. *n.* 366. Hurtad. *d.* 9. *Phys. sect.* 5. §. 53. Valentia, *contr.* 14. Paues, *d.* 3. *metaph. cap.* 21. Ad eam vltimò declinat Galitius, *assert.* 6. Dandin. 1. *anima, quæst.* 8. Vallesf. *contr.* 3. Arriag. *disputatione* 11. §. 2.

9 SECVNDA sententia est, accidens, virtute acceptâ à substantia producere substantiam. Ita D. Thom. *part.* 1. *quæst.* 77. *art.* 1. & *quæst.* 45. *art. vlt. ad* 2. & *q.* 115. *art.* 1. *ad vlt.* & 3. *part. quæst.* 77. *art.* 3. *ad vlt.* Caietanus *ad quæst.* 53. *art.* 3. *p.* 1. Ferrar. 4. *contra Gentes, cap.* 66. Capreol. *in* 4. *dist.* 12. *art.* 3. Zanard. 1. *metaph. quæst.* 6. Henric. *quodl.* 14. *quæst.* 1. Rich. 4. *dist.* 12. *art.* 3. *quæst.* 2. Tolet. 2. *Physic. q.* 8. Colleg. *ibi, c.* 7. *quæst.* 18. *art.* 3. Fonseca, 5. *metaph. c.* 2. *q.* 6. Suar. *in metap. disp.* 18. *sect.* 2. Ant. Ruuius, 2. *Phys. tract.* 4. *q.* 4. Aresius, 1. *Gener. d.* 2. *q.* 2. *sect.* 4. *concl.* 4. (sed in conclusione quinta declinat) Amicus, *tract.* 12. *quæst.* 10. referens 25. DD. addens, esse communem Peripateticorum. Galitius *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *quæst.* 2. videtur subscribere; adducens Diuum Bonauenturam *in* 1. *distinctione* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad penult.* & *in* 4. *distinctione* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. & *passim ea distinctione*, iuxta expositionem P. Foresti, magistri sui, mei; ac Trigosij, *quæst.* 6. *art.* 1. qui inde deducit, hanc esse D. Bonauenturæ sententiam: quia S. Doctor, 1. *distinctione* 37. & sæpè, sustinet, mouens etiam, & motum debere esse simul. Hinc verò sequitur, Solem producere mineralia, virtute accidentali; cùm, secundùm substantiam, sit remotissimus; quod Scotus oppugnat. Sed ostensum est *Tractatu* 1. *disputatione* 7. *quæstione* 2. & *tract.* 4. *d.* 11. *quæstione* 7. Sic & Complut. *q.* 10. *n.* 22. Auersa *q.* 37. *sect.* 5.

IGITVR Sanctus Bonauentura *in* 2. *distinctione* 13. *art.* 2. *quæstione* 2. *fund.* 4. videtur cum Scoto: nam probat, lucem esse substantialem formam, quia producit mineralia, & animalia, multasque alias substantias: accidens autem nequit producere substantiam.

SED *ibi* supponit, quòd, si lux esset accidens, non haberet formam substantialem, sibi proportionatam, dantem virtutem ad substantias producendas. Quare inde solùm eruitur, accidens sua virtute non posse producere substantiam. 10

SED neque locus *in primo, distinctione* 3. iuuat pro sententia Diui Thomæ: nam ibi solùm probat, accidens non habere operari à se; quia sicuti non est per se, sed in substantia; ita ab ea habet operari.

LOCA verò *in* 4. habent, accidentia sacramentalia producere substantiam, sed videtur id miraculo adscribere. At miraculum ponit in hoc, quòd, cùm separata sint à substantia, producunt substantiam, supplente Deo virtutem, communicandam à substantia; quæ est doctrina, atque responsio etiam D.Thom. & allectarum; vt ait Mastrius, *loco nuper citato*. 11

ID autem ipsum sentire ostendo: nam *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, existimat probabilem modum dicendi, accidentia sacramentalia naturaliter producere substantiam in Sacramento; quòd verò ipsa in substantiam conuertantur, ait esse super naturam.

HOC sensu exponit operationem substantialem specierum Sanctus Doctor, eodem *articulo* 2. *quæst.* 3 præcipue in *calce*. Aduerte verò, non concedere Sanctum Doctorem, accidentia producere materiam, hæc enim à solo Deo est per creationem. Ita Seraphicum explicat Suarez 3. *p. Tom.* 3. *d.* 57. *sect.* 3. qui aduertit, eodem modo locutum Alensem, 4. *p. q.* 40. *membr.* 2. *art.* 4. 12

DIVERSI autem sunt modi explicandi hanc efficientiam accidentium. Caiet. 3. *part. quæst.* 77. *art.* 1. eatenùs accidentia producere substantiam ait, quia sunt veluti semen substantiæ; & ita, sicut semen Leonis, etsi decisum, producit Leonem, ita & accidentia substantiam. Id docuerat Richard. suprà, & posteà Ferrar. & Valent. At renuit Suarez: quia etiam extrà in subiecto extraneo producunt. 13

ALII dicunt, accidens producere substantiam, virtute substantiæ, quia est instrumentum substantiæ, vnaque est illius, ac substantiæ principalis agentis actio. Applaudunt his multi Recentiores, sed alij repugnant; quia sæpè seiuncta à causa principali, nempe à sua substantia, producunt substantiam; vt infrà dicam. Ab hoc modo non abest Suarez *disp.* 18. *sect.* 14

ſectione 2. Euſtachius, *parte* 1. *Phyſicorum*, *tractatu* 1. *diſputatione* 2. *quaſtione* 6. Sic explicat Seraphicum Baudun. *diſputatione* .7. *ſectione* 7.

Alii dixêre, accidens ideò producere ſubſtantiam, virtute ſubſtantiæ, quia ab ea habent, vt inſint, & operentur. Ita Fonſeca. ſed, licèt à Diuo Bonauentura etiam *in* 1. *diſtinctione* 3. ſuprà concedatur, accidentia, quia non habent eſſe per ſe, nequire à ſe ſubſtantiam producere, (accidens enim poſſe, etiam dum ſeparatum eſt, producere accidentia virtute propriâ, concedit) tamen non benè Fonſeca infert, quia origo ab alio non dat ſupra ſuum ſtatum operari, vt monet Suarez, cum Diuo Bonauentura.

Pererius *lib.* 8. *cap.* 13. & alij apud Colleg. dicunt, accidentia virtute propria ſubſtantiam producere. Ita & in Euchariſtia, ſpecies ſacratas, è gutta aquæ illapſa, vinum gignere naturaliter. Sic Iouet. 2. *Phyſic. cap.* 5.

Conimbricenses 2. *Phyſ. capite* 7. *quaſtione* 18. docent, accidentia non virtute propriâ; ſed ſubſtantiæ, quippè entis entia, eiuſque virtutes, etſi à ſubſtantiâ ſuâ connatâ iaceant ſegregata, attingere productionem ſubſtantiæ: imò & accidentium. Id ferè aiunt Complutenſes *numero* 43.

Qvem modum ſectetur Sanctus Bonauentura, paucis aperiam.

17 Fvndamentvm primum. Non renuimus nos, ſubſtantiam eſſe actiuam. Idem enim eſt principium eſſendi, & operandi; vt docuit Ariſtoteles 2. *de anima*, *text.* 24. & 2. *Phyſicorum*, *text.* 27. principium autem eſſendi eſt forma ſubſtantialis; vt arguit Sanctus Bonauentura *in* 1. *diſtinctione* 3. *parte* 2. *art.* 1. *quaſt.* 3. & *in* 2. *diſtinctione* 13. *art.* 2. *quaſt.* 2. *ad vlt.* Ideò enim Ariſtoteles, 2. *Phyſicorum, cap.* 7. triplicem cauſalitatem formæ adſcribit, ſcilicet formalem,

18 quâ informando cauſat compoſitum: finalem, quia intenditur à generante: & efficientem. Vnde *ſecundo de Generatione*, *text.* 54. reprehendit eos, qui efficientiam negabant formis: alioqui ſubſtantia eſſet vilior accidentibus; cùm enim operari ſequatur ad eſſe, ſi accidentia haberent operari, aut ſimpliciter, aut perfectiùs, quàm ſubſtantia, haberent etiam eſſe nobilius. Illud tamen fatendum, formas ſubſtantiales non poſſe ſolas ſuos effectus obtinere: quia ad producendas formas ſubſtantiales requiritur inductio contrariæ diſpoſitionis, quâ pellatur forma aliena: hoc autem fit, mediis accidentibus, in quibus eſt contrarietas; ſubſtantiæ enim nil eſt contrarium; hinc non ſatis ad hanc, vel illam formam eſt determinata; determinatur verò qualitatibus, quæ ideò & poſitæ ſeorſim producunt ſubſtantiam, vt multis conſtat experimentis. Sic calor in ferro comburit ſtupam; ſic etiam chalibe, & chryſtallo admotis, excitatur ignis; & hæc concedit Ariſtoteles, 2. *de anima*, *text.* 41. & 50. & *libro de ſenſu*, & *ſenſibili*, *capite de ſapore*; vt referam in argumentis. Sanè operari tale, ſequitur ad eſſe tale in agentibus vniuocis; at æquiuoca, ſiue quia ſe ipſis habeant cauſalitatem vniuerſalem, ſiue adiutorio alterius cauſæ, ad effectus feruntur extraneos, non tamen extra ordinem: Ita puluis, qui ſe ſolo nequit ranas ebullire, adiuuante pluuiâ, ac Sole, eas producit. Debet autem inter cauſam & effectum dari proportio non commenſuratæ entitatis, ſed ordinis, ſeu in ordine ad actionem; quem oſtendam in accidentibus ad producendam ſubſtantiam.

Fvndamentvm ſecundum, ex Diuo Bonauentura *in* 2. *diſtinctione* 13. & alibi. Indidit Deus materiæ, quæ eſt ſubſtantia, ſeminarium formarum omnium corporearum, eique virtutem aliquam, non modò paſſiuam, ſed etiam coactiuam infudit; vt agentibus eam diſponentibus, prodeant in lucem. Ita non aliud expectat materia, quàm, vt diſponatur. Sanè verò qualitates omnes inducunt diſpoſitiones formæ ſubſtantialis; vt concedit etiam Scotus, *art.* 1. *quaſt.* 3. *cit.* cum aſſeclis: inductis verò diſpoſitionibus, materia effundit formam. Quapropter accidentia tantùm poſſunt producere, quantùm poſſunt diſponere. Inductio igitur formæ nouæ ſubſtantialis eſt ab accidentibus, cooperante ſubſtantiâ, nempè materia, quæ, licèt quoad potentiam ſpecialem ad hanc formam, ſit vilior; tamen conſiderata, vt mater omnium formarum, eſt hac, vel illâ formâ nobilior. Coagit verò forma ſubſtantialis qualitatibus affinibus, non autem extraneis ad inductionem formæ: deficiente verò formâ vniuocâ, ſupplent æquiuocæ, *verbi gratiâ*, dum calor eſt 20
in ferro terreo, diſpoſita materia, inducit formam ignis, ſimul cum Cœlis; ad hoc enim cauſæ vniuerſales conditæ ſunt. Quò fit, vt etiam animata ex inanimatis prodeant. Ita ranæ, quæ ſunt ſenſibiles, è feruenti puluere, à Sole, & pluuia producuntur; &, licèt hæc ſint adhuc inferiora effectu ſenſibili, tamen adeſt materia grauida quibuſcunque formis, quæ cum tota ſerie cauſarum facit cauſam adæquatam, parem effectui ranulæ, quæ non à corporibus cœleſtibus remotiſſimis prodit; quia in agentibus creatis debet mouens, & motum eſſe ſimul; vt latè oſtendi *tractatu primo*, *diſputatione* 7. *quaſtione* 3. & *Tractatu* 4. *de Angelis*, *diſputatione* 11. *quaſt.* 6. Itaque lumen, & calor agunt, ad producendas illas ſubſtantias è ſeminario materiæ, hac cooperante ſuâ virtute ſeminali, & aliis concauſis, quæ vnitæ effectum adæquant. Hoc nititur Moriſanus apud Poncium *num.* 12. qui timens, inſtat debere ſolùm efficiens eſſe ſuo effectu præſtantius; materiam verò non coagere efficienter. At gratis hoc fingit. Adde neque efficientem ranarum cauſam, nempè Cœlos, & elementa eſſe effectui viuo pares. Dicere verò, deum ſupplere, eſt arguere improuidum in minutis, cùm dederit vim ad leones gignendos, & Aquilas. Adde, in virtute ſeminaria ſubſtantiali materiæ, eſſe vim actiuam.

Hinc exurgit fundamentum, diruens totam Scoticam molem. Vrget enim præcipuè: Accidentia non poſſe producere ſubſtantiam, quia cauſa, ſi vniuoca: eſſe debet æque nobilis cum effectu: ſi æquiuoca, nobilior; at accidentia ſunt inferioris ordinis, neque ſubſtantiam continent: nemo autem dat, quod non habet. Sanè non eſt neceſſe, vt cauſa partialis adæquet effectum; ſed ſatis, ſuperque, eſt ſi tota concauſarum ſeries comparata par ſit; & hoc poſito, non eſt neceſſe, accidentia, quæ ſunt tantùm concauſæ, eſſe æqualia ſubſtantiæ productæ. Ita verò ſimul cum ſubſtantia, & virtute coadiuuante, ſubſtantiæ agunt ad productionem ſubſtantiæ. Et quia ſudore perfuſus anxiè inſiſtit Faber: Quæ virtus ſubſtantiæ ſit hæc in accidentibus? an ſubſtantia? an accidens? Dico, eſſe accidens; non quia virtus accidentis ſit 21

forma

formaliter fubftantiæ, veluti femen; fed dico, effe ipfam virtutem innatam accidentibus: & quia ftatim clamat, effe inferiorem fubftantiâ, & ita non poffe eam attingere; nè effectus virtutem
22 caufæ excedere dicatur. Dicimus, effe tantùm concaufam; & non oportere vt adæquet totum effectum, fatifque effe, fi fimul cum aliis caufis adæquet. Ita non modò ratione tranfmutationum, quæ funt inter contraria, ideft accidentia; vt docet Ariftoteles, 9. *Metaphyfic. text.* 10. & 1. *de Generatione, text.* 43. apud Diuum Bonauenturam, *in* 4. *diftinctione* 44. *part.* 2. *art.* 3. fed etiam quia formæ fubftantiales funt quidem aptæ contingere paffum, fed non penetrare, ad quod requiruntur accidentia, puta calor ad calefactionem ligni intimam, &c. & infinuationem virtutis formæ fubftantialis, fic accidentia attingunt fubftantiæ eductionem.

23 Qvòd fi accidentibus eft actio conceffa à natura per fe; conueniet eis, etiam extra fubiectum; fi exiftant ab agente producta in extero, aut à Deo feparata; vt patet in Sanctiffimo Sacramento: vbi fpecies facramentales, foli quantitati innixæ, habent fuas operationes in fenfus: vt docent latè Theologi, cum Diuo Bonauentura, *in* 4. *diftinctione* 12. *articulo* 2. *quæftione* 3.

Ratio eft, quia, quod conuenit alicui per fe, conueniet vbicunque fit; vt fæpè Scotus cum fuis vrget. Hanc rationem è D. Bonauent. fumpfêre Richardus, & Aureolus.

24 Assero, accidentia attingere productionem fubftantiæ.

Probatvr primò ex Ariftotele 2. *de anima, text.* 50. vbi ait: *Omne autem alimentum neceffarium eft, concoqui poffe: operatur autem calidum concoctionem; vnde omne animatum habet calorem.* Vult igitur, concoctionem, quæ eft aggeneratio, fieri à calore; & *libro de fenfu*, & *fenfibili*, *capite de fapore*, ait: *Quâ igitur ignis, & quâ terra nihil natum eft agere: quâ autem ineft contrarietas in eis, hæc omnia agunt. Horum enim caufa, fecundùm quod calidum, aut frigidum, id, quod offertur; hæc enim pariunt augmentum.* Sed augmentum eft productio formæ fubftantialis, etiam è Scoto, & Fabro: & hæc eft à calore: ergo.

Hinc ruit refponfio Fabri, & Scoti, Ariftotelem velle, accidentia tantùm difponere; & generatiuam creationem effe à forma fubftantiali.

25 Contrà, quia Ariftoteles negat formæ fubftantiali folitariè generationem, fed eam, ait, effe à forma, prout eum accidentibus operatur. Ideò fubdit: *Calidum enim augmentat.* Addit: *Quidquid calor facit in animalibus, extrà facit.* Cùm autem dixerit in animalibus producere fubftantiam, fequitur, etiam extrà id facere.

Præterea 2. *de anima, text.* 41. ait: *Videtur autem quibufdam ignis caufa nutritionis, & augmentationis.* Per ignem, intelligit calorem: nam in animali non eft ignis; & fubdit: *Hic autem concaufa quidem eft: non autem fimpliciter caufa.* Sanè peripatetici communiter nobifcum fentiunt; vt monet Amicus: quod fignum euidens eft mentis Ariftotelis.

26 Probatvr fecundò à Sancto Bonauentura, *loco citato*, *in* 4. ratione, quâ vtuntur Euftachius, *infra cit.* Thomiftæ communiter, atque Amicus, *numero* 16. Accidentia in Sanctiffima Euchariftia producunt vinum, nutriunt, producendo fubftantiam, nempè, formam naturaliter: ibi autem non eft fubftantia aliqua producens: ergo præclarè conftat noftra affertio.

Respondet Scotus, negando affumptum; non enim id poffunt, aut vt caufæ principales; ficuti conceditur à nobis: neque vt inftrumentales, virtute fubftantiæ agentes. Cùm enim fubftantia panis, & vini non fit, nequit operari. Subfcribit Maftrius, & cæteri, qui addunt, neque nutrire, fed Deum; corruptis accidentibus panis, ceffante ibi effe iuxta inftitutionem Corpore Chrifti, producere fubftantiam proportionatam, quæ naturaliter produceretur ex pane, & vino corruptis.

Immerito fanè id opinatur Scotus; vt notat Suarez, 3. *parte*, *loco citato.* Quis enim neget, fpecies illas poffe deftruere guttam aquæ? poffunt enim alterare guttulam illam, vfque ad corruptionem; & tunc naturaliter è potentia materiæ educitur forma. Fruftrà autem id negat Scotus cum fuis, præcipuè Maftrio, *numero* 367. *in* 4. vbi etiam ait, neque Deum poffe eleuare accidentia ad producendam fubftantiam, quia non habent ad hoc inchoatam caufalitatem; fed hæc nimis exaggerant. 27

Probatvr tertiò experimentis. Probatur carbo extinctus intra ollam æneam vehementi igne calefactam; carbo ignitur, ita vt ftupam vrat; fed de hoc *infrà.* Id vides cum è duobus elementis difymbolis, mutuo conflictu pereuntibus, gignitur tertium. Deinde oua, fi foueantur in fimo, producunt pullos. Tertiò, radius per chryftallum tranfiens, vel reflectens, accendit ignem. Sic Archimedes chryftallis fuis radiantibus, figurâ illâ *parabola* dictâ, vrebat Marcelli naues; vt arguit Euftachius Ciftere. *parte* 1. *Tom.* 1. *quæftione* 7. Ita generantur in terra plantæ, metalla in venis, & ranæ in puluere à pluuia, & fole; vt concedunt Scotus, & affeclæ. 28

Tvnc arguo. Mouens, & motum; Agens, & paffum debent effe fimul; fed Sol, Aftra, & Cœli fecundùm fubftantiam funt remotiffima; nec propè adeft aliud, quàm virtus delata motu, & lumine; vt docet Faber, *Theor.* 99. *capite* 2. è mente Scoti: ergo fubftantiæ ab accidentibus producuntur. Maior eft Ariftotelis 7. *Phyfic. text.* 10. & *primo*, *de Generatione*, *text.* 40. ac latiùs oftenfa *locis relatis*, *fundamento fecundo.* 29

Respondet Faber ad primum, virtutem deferri è Cœlo per lumen; & ita verificari Ariftotelis effatum, vt virtute fint fimul.

Argvo igitur fic. Interrogo te, ficuti interrogafti noftræ fententiæ Authores. Hæc virtus, quæ defertur è Cœlis per lumen, vel eft fubftantia, vel accidens; fi accidens, obtinui intentum. Si fubftantia, vel eft materia, vel forma, vel compofitum; in hæc enim adæquatè diuiditur fubftantia Phyfica ab Ariftotele 2. *de anima*, *text.* 2. Vel fi dicat Faber, ibi diuidi folùm fubftantiam corruptibilem, & excludi Cœlum incorruptibile. Aliam verò diuifionem habere 12. *metaph. text.* 5. fubftantiæ in fenfibilem corruptibilem, fenfibilem in- 30

corruptibilem, & insensibilem incorruptibilem; cœlum autem esse substantiæ sensibilis incorruptibilis. Sic enim dixit Faber, *Theor. 59. c. 3.* Peto: an hæc substantia descendat cum lumine in terram; & tunc corpora cœlestia descendunt. Vel, si dicas, descendere virtutem substantialem. Idem rursùs interrogo, quæ substantia est hæc? Sanè si corporea, quando à lumine Solis producitur ignis post chrystallum, ea virtus, corporea sanè & quanta, penetrabit chrystallum. Erubesco in tam facilè Lycæo vlteriùs dimicare.

31 Respondet igitur secundò, visis difficultatibus, cum Mastrio, *locis adductis*, ad veritatem dogmatis Aristotelici non requiri contactum corporeum, sed satis esse, si agens, & passum sint proportionata; etiamsi distantia, dummodo passum sit intra sphæram actiuitatis. Id autem se probasse gloriantur, Faber quidem *in primo, distin. 37. disput. 52. cap. 4.* Mastrius verò, *7. Physicorum, loco cit.* Quòd si Aristoteles exigit corporum contactum, id esse propter ordinem vniuersi, non de interna natura agentis. & passi.

Mirum est, quàm excrucientur hi, vt contra Peripateticos, se ostendant Aristotelis discipulos. Expedirent se ocyùs, negando Aristotelem.

32 Primò quidem Aristotelem requirere physicum contactum ex vi actionis, probatur: nam *7. Physic. text. 10.* concludit. *Manifestum est igitur, quòd id, quod mouetur, & mouens simul sunt, & nihil inter ipsa medium est.* Ibi autem omnia genera motuum enumerârat, & in omnibus contactum physicum probat. Vbi obserua, cum, *text. 9.* incipere probare intentum; vt habes *in titulo summa tertia.* Probat autem formalitatem huius necessitatis ex vi efficiendi, dum ait: *Primum autem mouens, non vt id, cuius causa, sed vnde principium motus est, simul cum eo est, quod mouetur: simul autem dico, quia nihil inter ipsa est. Hoc enim commune est in omni, quod mouetur, & quod mouet.* En, contactum physicum inter mouens, vt est efficiens, & motum, requirit.

33 Deinde *primo de Generatione, text. 43.* ait: *Necesse enim entium, quibuscunque est mixtio, esse hæc ad inuicem tactiua; & si aliquid facit hoc; illud autem patitur principaliter, & in his similiter. Ideò primum dicendum est de tactu.* En, tactum exigit physicum. Ideò mox *de Tactu* agit, quem definit: *Tangere est vltima habere simul.* Talem contactum necessarium prædicat. Hinc suprà dixerat: *Sed si de ipso facere, & pati, & de mixtione videndum sit, necesse est & de tactu, neque enim facere hæc, & pati possunt propriè, quæ non est possibile, se inuicem tangere; neque non tangentia se inuicem aliqualiter contingit misceri primùm*; & subdit: *Ideò sibi agendum de Mixtione, Factione simul, & de Tactu.*

Hæc sunt, quæ habet Aristoteles, quibus nostra sententia solidatur.

34 Dicere enim, hoc per accidens actioni euenire, omninò repugnat dictis Philosophi, qui pro omni actione, omni agenti, vt agens est, requirit contactum Physicum; vt vidimus.

At estò, hoc eueniat ob bonum vniuersi: vnde *primo Meteor.* ait: *Oportet, mundum inferiorem superioribus lationibus contiguum esse*: adhuc sequitur, *Virtutem Solis & astrorum ad terram deferri, & contiguam esse, vt operetur*: hæc autem virtus est accidens; vt Scotistæ fatentur: ergo accidentia producunt substantiam. Sanè natura, nil frustrà faciens, habet virtutes, bono vniuersi adaptatas, non aliter.

Alias experientias habeo: nam motu, & attritione corporum, etiam terreorum, in quorum non sit virtute ignis; producitur ignis. Vnde responsio Fabri ruit: Afferunt aliqui etiam ignem productum è ferro candenti; sed hoc habere aliquas particulas substantiæ ignis, plerumque respondent Scotistæ, ex Diuo Bonauentura. 35

Obiicies primò. Fictitium est dicere, accidens producere substantiam, virtute substantiæ: nam illa virtus, vel est in accidente, vel extrà; si extrà: ergo accidens illâ virtute, non potest agere. Si in accidente, contrà: nil datur in accidente, illo præstantiùs. Deinde virtus subiecti non migrat de subiecto in subiectum. Si dicas, agere, vt instrumentum. Contrà, actio instrumenti est posterior actione causæ principalis: ergo iam producta est substantia, quando agit instrumentum.

Respondetur, esse propositionem non fictam, sed Peripateticam, iam probatam. Illa autem virtus est in accidente, & accidens, & simul operatur cum aliis causis principalibus; est enim vna actio, exigens principalem, & minùs principalem; neque necesse est, vt sit æquè præstans, ac effectus; cùm non sit causa adæquata; vt ostendi: multæ enim sunt causæ ignobiliores effectu; sic ouum, calefactum in fimo, est ignobilius pullo enato. Semen animalis est ignobilius animali producto: & accidentia, quæ producunt substantiam, vt experimentis probaui, sunt inferiora substantiâ. 36

Obiicies secundò. Omnis causa est vniuoca, aut æquiuoca: si vniuoca, est æquè nobilis, ac effectus: si æquiuoca, est nobilior; neque alia causa datur: alioqui non haberemus viam, ad inueniendam primam causam: & possemus dicere, muscam posse mundum creare. At accidens est ignobilius quauis substantiâ: ergo. 37

Respondetur, accidens esse causam æquiuocam, vt accidens est: at, vt est virtus substantiæ, reducitur ad vniuocam: neque necesse est, causam partialem, & minùs principalem esse æquè nobilem cum effectu. Ita enim albedo, quæ est causa visionis, est ea ignobilior: virtus formatiua fœtus est ignobilior fœtu. Causa quidem totalis adæquata debet æquè præstans esse, ac effectus. Hinc verò sternitur nobis via, ad primam causam cognoscendam, quæ, se solâ, totum è nihilo operatur; & in his valdè tolluntur Scotistæ, præsertim Faber, Mastrius, & Poncius, quibus alia via nituntur satisfacere nostri, sed non assequuntur.

Obiicies tertiò. Si accidens daret esse formaliter alicui rei, non daret esse nobilius se ipso: ergo neque dans esse ignobiliori modo, nempè efficienti, dat esse nobiliùs.

Respondetur, dans esse formaliter, dare esse ex parte imperfectiùs, vt pars, & perfectibile 38

ctibile in toto; & dare se intrinsecè, totumque esse denominatum formale in eo genere; at efficiens perfectiori modo operatur, & dat esse, vt simpliciter perficiens, nec aptum perfici ab effectu, vt plurimùm; & si est agens partiale, non denominat totam actionem; atque adeò non tenetur sola adæquare præstantiam sui effectus, sed simul cum adiuuantibus concausis.

Hic quæri solet; an Cavsa sit prior suo effectu, & quomodo; quod vt elucidetur.

Considerandа est causa, vt causans effectum, quod est esse causæ formaliter. Hæc, quia faciliora sunt, assertionibus breuiter indicabo.

39 Assero primò, causam non esse priorem, tempore, suo effectu.

Probatvr; quia omnis causa in actu semper causat aliquem effectum; omnis enim actio est cum suo termino. Id habet Aristoteles, *2. Physicorum, text.* 37. Vide Amicum, *Tract.* 14. *quæst.* 5.

Assero secundò; omnis causa est prior naturà, suo effectu.

Probatvr primò à Suarez, *disputatione* 26. *sectione* 2. *Metaph.* Inter modos prioritatis est independentia à dependente; at causa est independens ab effectu dependente: ergo. Idem docet Aristoteles, *in postprædic.*

40 Contra tamen Galitius, *parte* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *quæstione* 3. stat, negans hanc prioritatem causæ: quia alioqui esset, atque denominaretur causa, antequam esset effectus; imò antequam ageret. Concedit verò prioritatem originis, cum Diuo Bonauentura *primo, distinctione* 20. ipsum vide.

Vnvm genus prioritatis est nobilitas.

41 Assero, causam adæquatam non posse esse imperfectiorem effectu.

Probatvr, quia ex suppositione habet totam causa perfectionem: nemo autem dat, quod non habet; sed difficiliora videamus.

QVÆSTIO III.

An idem effectus esse queat à pluribus Cavsis *totalibus, non subordinatis.*

42 Prædispvtant multi: An possit idem numero effectus produci à pluribus causis eiusdem ordinis diuisim: ita vt, si alia causa efficiens applicata esset cum eadem materia, eodem tempore, hunc eundem effectum produxisset.

Asservnt Suarez, *disput.* 26. *sect.* 5. *Metaph.* Ruuius. 2. *Physic. tract.* 8. *quæst.* 2. Citatur Scotus, 2. *distinct.* 20. *quæst.* 2. & *in* 4. *d.* 42. *quæstione* 1. & 3.

Secvnda Sententia omninò negat, etiam per Dei potentiam. Videtur Arist. 5. *Metaph. cap.* 2. & 2. *Physic. text.* 30. Auer. 7. *Metaph. text.* 31.

Tertia opinio concedit, id fieri posse per Dei potentiam. Ita D. Thom. *quodl.* 5. *art.* 8. & alij apud Amicum, *Tract.* 14. *Phys. quæst.* 7. *d.* 2. negant tamen naturaliter. Videtur D. Bonauent. citati *disput.* 5. *quæst.* 4. Citatur Scotus, 4. *d.* 4. *q.* 3. *art.* 3. sed non rectè.

23 Ratio est, quia ad indiuiduum requiritur idem subiectum, idem agens, &c. sicut autem hoc numero sigillum, factum in hac numero cera, non potest fieri ab alio in hac, vel ab eodem sigillo in alia cera; ita, &c. Est exemplum S. Bonauenturæ, & S. Thomæ.

Probatvr ab aliis: alioqui vnus effectus, productus ab vna causa, & ab ea pendens, non penderet ab ea. Vide Amicum, *quæst.* 7. *d.* 2. multis hoc vrgentem. Sed hæc faciliora sunt, & solubilia.

Qvæstio autem nostra proposita ardua est.

Prima opinio est, eundem numero effectum posse produci à duabus causis totalibus eiusdem generis, dic, à duobus efficientibus naturaliter. Videtur Caietani, *part.* 1. *quæstione* 52. *art.* 3. sequitur Medina, 3. *part. quæst.* 3. *art.* 6. *ad* 3. & alij apud Amicum *tract.* 24. *quæst.* 7. *d.* 3. Hurtadus *d.* 13. *de anima, sect.* 7. Auersa *quæstione* 16. *sect.* 5. & alij id asserunt de duabus causis finalibus. 44

Secvnda opinio fert, implicare etiam virtuti supernæ. Ita Scotus 3. *distinct.* 1. *quæst.* 2. & *in* 2. *distinct.* 20. *quæstione* 2. vbi Tartaret. Lichet. Faber *ibi*, *disputatione* 5. Mastrius *disputatione* 8. *quæstione* 3. *articulo* 1. Liuius Rabesan. *d.* 7. *quæstione* 4. Poncius *Physic. d.* 11. *quæstione* 2. Merinero, *quæst.* 4. Capreolus 2. *sent. quæstione vnica, art.* 3, & *in* 3. *d.* 1. *q.* 1. *art.* 3. Ferrar. 3. *contra Gentes, c.* 68. & videtur Caiet. *p.* 1. *q.* 67. *art.* 6. & D. Thom. *p.* 1. *q.* 52. *art.* 3. & 3. *p. q.* 82. *art.* 2. *ad* 2. vbi absolutè dicit id impossibile Vasq. 3. *p. d.* 24. *c.* 4. & alij apud Amicum, *numero* 12. Iuuet. 2. *Physicorum, c.* 5.

Tertia opinio est, naturaliter quidem non posse; at Dei potentiæ non repugnare. Ita Caiet. 3. *p. q.* 3. *art.* 6. & multi Thomistæ, 3. *p. q.* 67. *art.* 6. Fonseca, 5. *metaph. cap.* 2. *quæst.* 15. Suar. *d.* 26. *Metaph. sect.* 4. Murcia 2. *Phys. d.* 4. *quæst.* 7. Ruu. *tract.* 7. *quæst.* 1. Valentia *tom.* 4. *d.* 1. *q.* 3. Amicus, *tract.* 24. *Phys. q.* 7. *d.* 3. Eustach. *p.* 1. *tr.* 2. *d.* 2. *q.* 4. Auersa cit. Arriaga *d.* 7. *n.* 116. Baudun. *d.* 7. *sectione* 13.

Galitivs *p.* 1. *Phys. l.* 2. *tract.* 3. *q.* 4. multos allegans subscribit; sed in D. Bonau. nil se inuenisse, ait; esse tamen ad mentem eius non negat; cùm asserat, posse eundem effectum existentem, rursùm produci à Deo aliâ actione. Equidem è multis locis Seraphici eam erui, ac probari credo; vt dicam.

Assero cum hac sententia non repugnare Dei potentiæ, eundem effectum à pluribus causis totalibus, & non subordinatis produci.

Probatvr primò ex D. Bonau. *in* 3. *d.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad vlt.* Tres personæ diuinæ vnicam vnionem in humanitate Christi operatæ sunt. Hoc sanè est à tribus Personis, vt sunt vna causa; cùm opera ad extrà sint indiuisa. Iam tres Personæ vniantur humanitati Christi, ita vt à tribus, vnâ virtute, efficienter vnio producta referat humanitatem ad tres personas; iam illa vnio producta erit tota à tribus; & fundamentum eam ad tres personas referendi: hoc autem non repugnat; cùm humanitas illa sit obediens singulis personis, & tota singulis vniri queat; & in tribus personis esset vnitas singularis naturæ assumptæ, non vnitas personæ. Et si non percipis, (ait Sanctus Bonauentura) memento, plus posse Deum facere, quàm homo intelligere queat: alioqui, si posset Deus solùm, quantùm capit creatura, esset Dei potentia finita, adæquata nostro captui; vt docent D. Basilius, & Glossa, apud Albertum, *in primo, disputatione* 43. *articulo* 1. & D. Augustinus, *epistola* 45

ita differunt realiter à toto, iam idem differet realiter à se, vt infert Faber. Sanè prædicantur inuicem essentialiter; & dicitur hæc materia informata; & hæc forma vnita illi materiæ: ergo sunt vnum, iam tertium essentiale; impossibile est enim diuersa genera prædicari de eodem essentiali, vel inuicem ad vnum, vt monet D.Bonau. *loco citato*, & *q.* 3 *ad* 5.

91 VRGEO ex D.Bonau. 3. *distinct.*6. *art.* 2.*quæst.* 1. Quando vnibilia habent mutuam habitus dependentiam, statim, vt vnita, habent actualem dependentiam essentialem, sed hæc non potest esse, nisi tertia actualis natura sit iam producta: seu, nisi transierint in tertiam naturam: ergo.

VRGEO adhuc. Vel totum distinguitur, se toto à partibus, vel secundùm aliquam partem sui; si primo modo: ergo secundùm omnes partes suas, distinguitur ab omnibus partibus suis, quod implicat; si secundo modo. Illud, quo differt, vel est passio, vel aliqua pars totius: non potest esse passio, quia hæc est posterior: ergo pars; & ita secundùm partem distinguitur ab omnibus partibus, quod implicat.

RESPONDET Faber, distingui secundùm se totum, ab omnibus partibus vnitis; non tamen adhuc transactis in tertiam entitatem.

92 CONTRA. Tu mihi concedis, iam vnum totum, quod secundùm se totum differt, hoc non esse partem aliquam, vel partes seorsim, sed totum substantiale: ergo est tertia entitas; & si est tale: ergo infertur sequela illata.

VRGEO adhuc. Illud totum distinctum à partibus, vel est entitas simplex, vel composita; si composita: ergo ex partibus: ergo eas includit. si simplex: ergo ex compositione fit ens simplex. Deinde, à quo causatur intrinsecè? non à se, quia nil causat se ipsum: non à partibus, quia partes, cùm causent formaliter, includuntur intrinsecè in toto.

93 MVLTA alia opponi possunt: & Faber, qui *c.* 1.ineptias aliorum Scotistarum irridet, quasi olla in cacabum insonat.

ASSERO secundò. Totum distingui à suis partibus formaliter.

PROBATVR primo argumento D. Bonau. *in* 3. *distinct.* 6. *q.* 1. & *distinct.* 21. *quæst.* 3. Ea, quibus opposita conueniunt; inseparabiliaque sunt, formaliter differunt: at totum est vnum genitum ex partibus; non sic partes: & hæ sunt totius principia; sunt entia incompleta; sunt plures; sunt partes; sunt simplices; e regione compositi: Ergo. Confirmatur à Seraphico Doctore, *in* 3. *passim distinct.* 2. 3. 5. & 6. & *distinct.* 8. *art.* 1. *quæst.* 2. præcipuè *distinct.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. Omnis plurium vnio ad vnum tertium constituendum, retinens opposita prædicata etiam post vnionem, & in separatione eam entiratem amittens, formaliter à partibus vnitis distinguitur. Tale est totum cum partibus: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur. Productio compositi est terminus realis productionis: & eius dissolutio realis corruptionis, & sicuti è partibus vnitis tertia entitas producitur à partibus; non ipsæ partes: ita sæpè in resolutione, putà hominis, nil partium deperditur. Sed entitas totius, quæ diuersa à partibus sortitur prædicata: a partibus inquam vnitis, à quibus tamen vt vnitis, non est re distinctum totum. Ecquis igitur distinctas realitates istas inficiabitur formaliter?

94 PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, *in* 3. *distinct.* 21. *quæst.* 3. Verbum vnitum toti humanæ fuit naturæ, vnica vnione; at geminæ vniones successere cum corpore, & anima diuisis: Ergo alia formalitate vniebatur toti: alia partibus vnitis. Non fuit sanè rei distinctæ; vt ostendi *in* 1. *asserto*. ergo formalitatis. Neque hinc sequitur, Verbum in morte dimisisse, quod assumpserat, quia vnio mansit vniformiter secundùm naturalem inclinationem ad vnionem, & in eo formalitas totius virtute includebatur, & quoad vinculum in partibus formaliter, & quidem ordinatis ad totum illud compositum, quod iam semel assumpserat. Itaque nunquam dimisit rem semel assumptam, sed solam formalitatem, de qua non est intelligendum axioma; vt disserit D. Bonauent. *in* 3. *distinct.* 21. *quæst.* 3. Neque dicas, remansisse vnitum partibus diuisis, quæ realiter à toto distinguuntur; & ita rem assumptam dimisisse; nam assumpsit partes vnitas; & ideò totum formaliter tantùm distinctum. Itaque nulla res assumpta fuit dimissa, sed sola formaliras extremi, idest humanitatis, fuit variata; vt ait D.Bonauent. *ad* 2.

ARGVMENTA Scoti duobus verbulis, etiam iudice Fabro, ruunt. Totum quidem fateor esse è partibus ante seiunctis compactum, & ita esse terminum realis productionis, tertiamque ab ipsis partibus causatam entitatem; neque enim est materia, vel forma seorsim, sed est tertia entitas materiæ, & formæ vnitarum; ita vt partes adhuc includat; atque adeò nunquam potest seorsim totum seponi sine partibus. Ideò considerare totum; & dicere ipsum distingui re à partibus, est dicere, esse rem distinctam à se ipso; vt benè infert Faber; nec potest totum esse ex partibus vnitis, nec adhuc transactis in tertiam entitatem; vt putat Faber; quod suprà ostendi.

ITAQVE totum est tertia entitas, producta per generationem, destructa per corruptionem, causata autem è partibus seiunctis; sed includit partes: alioqui quale totum erit istud? 95

HABES etiam, totum, aggregatione non distingui à partibus; nil enim aliud est, quàm partes aggregatæ: nam, si totum essentiale, quod est magis vnum, quàm totum per accidens, vel per aggregationem non distinguitur realiter à partibus; multò minùs aggregatum, quod imperfectè est totum.

HABES etiam, Totum esse realiter distinctum à partibus, consideratis seiunctim; est enim noua entitas producta, nempè, est partium vnitarum tertia entitas; & in his, æquiuocè intellectis, tot contentiones inuoluuntur. 96

Quid addat SVPPOSITVM. *naturæ.*

VIDEATVR Tractatus secundus, *disp.* 9. vbi laxis fibris quæstio hæc ventilata est.

QVÆSTIO VI.

An ESSENTIA *differat ab existentia.*

PRIMA opinio est Henrici, *quodl.* 1. *quæst.* 9. existentiam super essentiam addere respectum ad causam efficientem: nam essentia respicit Deum, in genere causæ exemplaris; existentia verò

verò requirit causam efficientem, per quam producatur.

Refertur à Fabro, *Theor.* 32. Henrici opinio sic. Essentias rerum esse in Deo ab æterno, non existentias; in tempore verò, eas actualem existentiam recipere; sed hic modus referendi non est sincerus.

Secunda sententia est D. Thom. *p.* 1. *quæst.* 3. *art.* 4. *&* 2. *contra Gentes, cap.* 51. *& opusculo de ente, & essentia, cap.* 3. essentiam ab existentia realiter differre: eum secuti sunt Caiet. & Ferrar. *locis adductis*, Capreol. 1. *d.* 8. *quæst.* 1. *art.* 1. Zanard. 4. *Metaph. quæst.* 9. Ægid. 2. *d.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. Argent. *ibi*, *quæst.* 1. *art.* 2. nec abest Rich. *art.* 1. *quæst.* 1. & si *quodl.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2. diuertat. Tostatus *ad* 25. *Matthæi*, *quæst.* 585. Trigosius, *quæst.* 3. *art.* 2. *dub.* 4. *concl.* 2. Nazar. *p.* 1. *quæst.* 3. *art.* 4. *contr.* 1. Blas. *d.* 6. *Metaph. quæst.* 2.

97 Tertia sententia est, essentiam, & existentiam esse idem. Ita Durand. *in* 1. *d.* 8. *p.* 1. *quæst.* 2. Gabriel, *in* 3. *distinct.* 6. *quæst.* 2. & ferè cæteri nominales; Alensis suprà *text.* 22. 7. *Metaph.* Valent. *Tom.* 1. *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 4. Suarez *in Metaph. disput.* 31. *sect.* 1. *&* 6. Perer. *lib.* 6. *Philosoph. cap.* 15. Ruuius, 1. *Phys. tract.* 1. *q.* 3. *ad* 1. Hurtad. *disp.* 8. *Metaph. sect.* 4. Piccol. *lib.* 1. *de materia, c.* 3. Auersa *q.* 8. *sect.* 6. Pasqualig. *d.* 81. *sect.* 3. Arriag. *d.* 2. *Metaph. sect.* 3. Ouied. *controu.* 2.

Quarta opinio distinguit formaliter. Scotus 1. *d.* 36. *quæst.* 1. *in* 3. *d.* 16. *quæst.* 1. *i* 4. *d.* 13. *quæst.* 1. *art.* 3. Faber *Theor.* 32. Poncius *d.* 18. *de ente*, *q.* 4. Mastrius *d.* 8. *quæst.* 2. Meruisse 1. *Metaph. q.* 21. & cæteri Scotistæ. Adducitur D. Bonau. 2. *distinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *in resol.* à Vasq. *Tom.* 2. *disput.* 179. *cap.* 2.

Quinta sententia ponit distinctionem modalem, inter essentiam abstractam, & existentiam actu. Ita D. Bonau. *in* 2. *distinct.* 7. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. & *in* 4. *distinct.* 43. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 1. Richard. *quæst. quodl. citato*; Bacconi *in* 3. *disput.* 10. *quæst.* 1. *art.* 5. *&* 6. Vasq. *T.* 2. *disp.* 116. *num.* 14. Zabar. *de constit. Indiuid. c.* 6. *&* 9. Fonseca, 4. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 4. Galitius, *p.* 1. *Phil. lib.* 1. *tract.* 6. *quæst.* 11. Eustachius *p.* 2. *Metaph. quæst.* 5.

98 Arbitror ex diuersâ terminorum acceptione ortam disputationem, vt infrà dicam.

Assero primò. Essentia actualis non differt ab existentia propria. Sumo autem existentiam, & essentiam proportionatè; ita vt essentia Petri comparetur cum existentia ipsius essentiæ, essentia accidentium, cum existentia eorum: nam, si sumatur totum esse indiuidui existentis, & comparetur cum nuda essentia, quis non videt, existentiam addere multa accidentia, præter essentialia? Hoc tamen sensu non reor, locutum D. Bonauenturam *in* 2. *distinct.* 3. *p.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. in corpore: dum ait, Angelum ex esse, & essentia componi; vt putat P. Galitius, *num.* 17. nam simpliciter, ait, componi ex ente, & esse eiusdem entis. Itaque sensus legitimus Seraphici est, vt es-

99 sentia quidem actualis, & existentia sint idem; insit tamen compositio; quatenus existentia non est necessaria huic essentiæ, seu naturæ. Qua ratione est necessaria Dei essentiæ; vt dixi *Tract.* 1. *d.* 1. *q.* 1. Neque tamen, ob id sequitur distinctio inter eas, ex natura rei; vt putat Valentia, *loco citato*, & Vasquez, *Tom.* 2. *disp.* 179. *cap.* 2. *in calce*, vbi id assertum à Diuo Bonauent. ait; vt refert ibidem Galitius, *num.* 17. nam sensus est, non esse necessarium, vt illa essentia existat; sed posse non existere. Est ergo compositio; quatenus illa res, putà Angelus, seu natura Angeli non habet necesse esse; atque adeò, cùm natura Angeli non sit necessaria, non est simplex suum esse in hoc, & illo: ad hoc autem sufficit ponere distinctionem rationis ratiocinatæ, quâ cum fundamento concipitur essentia, seu natura Angeli sine existentia. Nàm, si sumatur hæc essentia, & hæc existentia, ambæ sunt non necessariæ; & vna sublata, tollitur altera.

Iam igitur probatur assertio. Ea, quorum 100 vnum non potest esse sine altero, hæc sunt vnum, & idem; sed essentia, & existentia ita se habent, vt vna sine altera esse nequeat: ergo sunt vnum. Maior probatur. Si possent aliqua esse vnum, & tamen alterum existeret sine altero, sequerentur contradictoria. Pono, Socratem, & Platonem esse vnum, putà A, & posse esse Platonem, non existente Sociate, iam A esset, & non esset.

Adverte, Fabrum, hac maiore comproba- 101 tâ, mox in secundo suo argumento sibi repugnare; dum probat, non solà ea, quæ sunt idem, ita se habere, vt alterum sine altero esse nequeat; sed etiam quæ sunt simul naturâ, &c. Resumit tamen, sed frustrà; vt dicam. Minor probatur, quia existentia est realis à parte rei; similiter & essentia realis est; atque adeò necessariò est existens; cùm sit ens reale.

Probat deinde Faber, quasi nouo argumen- 102 to principali. Impossibilitas, quòd aliquod vnum non possit esse sine altero, prouenit; vel quia est idem illi realiter; vel quia sunt simul naturâ; vel quia est posteriùs illo; at essentia non potest esse sine existentia, neque hæc est simul naturâ cum essentia, neque essentia est posterior naturâ, quàm existentiâ; sed è contrà: ergo prouenit, quia sunt idem. Maior sufficienter enumerat causas, ob quas vnum nequit esse sine altero. Minor probatur, quia implicat, dari essentiam realem, nec existere; existentiam verò non esse priorem essentiâ, probatur, neque simul naturâ: imò eam astruunt aduersarij posteriorem essentiâ; quod tamen est falsum: quia tunc daretur essentia sine existentia, quia prius esse potest sine posteriori: omne autem ens reale potest esse absque eo, quod est aliud à se, à quo non pendet; sed hoc est absurdum, quia implicat dicere: est essentia realis, & non est; si enim est ens reale extra intellectum, non est perceptibile, quomodo non habeat esse, ac non existat; cùm esse extra suas causas, sit existere.

Hæc tamen argumenta nil lædunt Angeli- 103 cum, vel asseclas. Ideò nota ex D. Bonauent. *in* 3. *distinct.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad vltimum*, essentiam sæpè sumi pro naturâ, metaphysicè abstractâ ab existentiâ, quæ ad existentiam se habet, vt potentia ad actum: vt quidditas hominis, puta quod sit animal rationale, abstrahit ab eo, quòd homines viuant actu; sic enim essentiæ sunt æternæ in Ideis Diuinæ mentis, & in decretis Dei completæ, qui statuit eas producere. Quo sensu sunt essentiæ in potentia extrinseca Dei ad existentiam. Aliquando sumuntur essentiæ pro naturis rerum actu, extra suas causas. Sumuntur tertiò à Diuo Bonau. prout seminaliter sunt in materia, quæ continet omnia indiuidua omnium generum, & specierum. Quò fit, vt quando res, putà Rosa in vere producitur, quæ hyemis tempore erat in potentia plantæ,

tæ, non producatur noua essentia distincta, sed eamet rosa, quæ erat in potentia, prodeat ad actum existentiæ. Iam verò D. Thom. considerauit essentiam, primo modo; atque adeò rectè progreditur suis argumentis, quæ tædiosa, & falsa Faber proclamat; eò quod non probant, essentiam existentem differre ab existentia. Hoc sensu non loquitur D. Thom. nec discipuli, sed optimè progrediuntur in suo sensu.

105 Hinc potest etiam Henricus saluari; non enim voluit existentiam esse formaliter essentiam rerum productam, addendo respectum ad efficientem; ita vt formalitas existentiæ sit ipsa essentia, quatenus producta est ab agente; sed quòd existentia supra essentiam dicit additam rem productam, & positam actu, hoc est existere, quod est extra causas poni; & quia hoc fit ab agente, hinc consequenter rem existentem dicere relationem ad suam causam producentem, non tamen intrinsecè: nam, si per impossibile aliqua res esset, & non fuisset producta, adhuc existeret.

Hinc malè contra Henricum vrget Scotus, futurum in eius sententia, vt res non crearentur; cùm iam essentiæ præexisterent.

106 Igitur in bono sensu probatur tertiò ex Aristotele 4. *metaph. text.* 3. & *lib.* 5. *text.* 14. & *lib.* 10. *text.* 8. vbi ait: *Ens, & vnum, adiuncta rebus, nihil ampliùs significare, quàm res ipsas*; sed idem est existere, quòd ens: ergo. Confirmatur: nam existere est quoddam transcendens: ergo non significat aliquam rem diuersam ab his, de quibus dicitur: ergo vel est ens, vel passio entis; non passio: ergo est ens; & si passio, adhuc ens: verum enim & bonum non significant aliquid, re diuersum ab his, de quibus dicuntur.

107 Probatur quartò ex D. Thom. *p.* 1. *q.* 5. *art.* 1. qui ad probandum, ens, & bonum sola ratione differre, assumit hoc pro medio termino: quia bonum constituitur in esse boni, per entitatem: nam in tantùm aliquid est bonum, in quantùm est actu. Tunc sic. Sed essentia constituitur in actu, per existentiam; quia de essentia indiuidui nil est antequam existat: ergo solà ratione differunt. Ratio verò D. Thom. quòd id, quod dat esse intrinsecè, formaliter, actu debeat esse idem; Probatur; quia non potest aliqua res constitui in esse formalis entis realis, per aliquid distinctum ab ipsa: nam, si esset distinctum ab ipsa, non poneretur in esse, sed aliunde haberet esse reale.

108 Hinc arguo. Quod ponitur formaliter intrinsecè in esse per aliquid, non ponitur in esse per aliquid distinctum, super additum; sed essentia intrinsecè ponitur in esse per existentiam: ergo existentia non est quid distinctum, superadditum. Probatur assumptum. Si id, quod intrinsecè ponit aliquid in esse, esset extrinsecum, iam non esset intrinsecum formale.

109 Assero secundò, essentiam metaphysicè esse realiter à physica existentia distinctam.

Probatur primò. Quorum vnum est sine altero, differunt realiter, sed essentia est sine existentia: ergo. Maior est Scoti, & Fabri. Minor probatur: nam essentia est æterna, incorruptibilis, inuariabilis, præscindens ab essentia; at existentia est corruptibilis, in tempore; & etiam veluti actus, deducens essentiam ad esse actuale, à quo præscindit.

Probatur secundò; quia essentia est vna, *v. g.* hominis; sed existentiæ multæ.

Probatur tertiò. Quæ differunt substantialiter, sunt distincta realiter, talis est essentia, & existentia: ergo. Maior est certa. Minor probatur. 110
Essentia, vt præscindit ab existentia, habet solùm esse in Deo; seminaliter verò in materia, in qua tamen nihil indiuidui est; neque enim filius, qui est in lumbis Patris, est aliquid. Quare non benè arguit Faber, ad probandum, essentiam sine existentia nihil esse. Est enim quidditas rerum sine existentia. Vide D. Thomam, cuius rationes sunt validæ, rectò sensu expositæ.

Assero tertiò, cùm D. Bonau. essentiam, 111
prout in potentia materiæ, differre modaliter ab existentia. Explico cùm Galitio, non differre, vt modum a re; sicut curuitas differt à baculo, in quo est; sed vt modos diuersos: nam eadem res est essentialiter, putà, rosa, quæ erat in potentia materiæ, & postea educitur: potentia autem, & actus sunt modi diuersi rerum. Ita D. Bonau. *in* 2. *distinct.* 7. suprà, & *dub.* 4. & *in* 4. *distinct.* 43. *art.* 1. *quæst.* 4. Hinc etiam Scotus *in* 1. *distinct.* 16. *quæst.* 1. dicit, potentiam, & actum non quidem esse eiusdem speciei, & numeri, vt refert Galit. *asserto* 4. sed esse eiusdem rei numero: nam in se sunt diuersæ entitates, vt constat.

His prælibatis, probatur assertio. Id, quod est 112
in potentia, est diuerso modo in esse ab eo, quo est, quando est actu; igitur diuerso modo differt; neque amplius differt: alioqui, si alia res esset, quæ erat in potentia, & reducitur in actum, putà, rosa; iam sequeretur, eam non fuisse in potentia, & ex ea reductam ad actum; atque adeò differret à se ipsa. Declaro. Res in potentia refertur ad suum actum, & actus ad potentiam; si autem alia est res, quæ erat in potentia, ab ea, quæ reducitur ad actum, iam non respiciebat actum; neque potest dici eadem deducta de potentia ad actum. Quare non rectè Suarez *in metaph. d.* 31. *sect.* 3. rem in potentia, & in actu differre formaliter, ait. Sanè differret formaliter à se ipsa, vt notat Galit. *num.* 15.

Assero quartò, essentiam actu, & existentiam 113
differre ratione, cum fundamento.

Probatur: quia essentia dicit naturam, in tali genere, & specie; at existentia dicit rationem existendi eiusdem rei talem; vt non sit de intrinseco essentiæ, seu quidditatis, putà, animalis rationalis huius, & illius existere; cùm hoc solius Dei sit. Ergo, licèt sint idem, vt ostendi; adest tamen fundamentum concipiendi illas, vt distinctas: non faciunt autem sic compositionem intrinsecam; sed solam extrinsecam, in respectu ad causam.

Ex his patet ad argumenta ferè omnia, vtrinque datis distinctionibus suprà.

Obiicies. Verbum assumpsit naturam hu- 114
manam, non existentiam: ergo differunt.

Respondetur, assumpsisse & existentiam: nam humanitas illa existit seorsim à Verbo, vt ostendam 3. *part. Tract.* 1. *d.* 9.

Obiicies. Essentia est permanens; existentia verò successiua: ergo differunt.

Respondetur, ita esse, si sumatur essentia metaphysicè, quoad quidditates, quæ sunt æternæ veritatis; at verò physicè, pereunte existentia, perit essentia singulorum, quæ sola existunt à parte rei.

Obiicies tertiò. In Deo est vna essentia, & 115
plures existentiæ, & subsistentiæ.

Respondetur, esse vnam essentiam, & existentiam

existentiam absolutam; sed tres relationes, quæ tamen in essentia vnificantur formaliter; vt dixi *Tract. 2. d. 3. quæst. 3.*

DISPVTATIO VI.

De NATVRA.

PERACTO tractatu de Principiis, constituentibus creaturas compositas, & de Vnione, quâ fiunt composita; ac de ipsis compositis; agere oportet de constitutione naturæ, in ordine ad operandum, quod sequitur ad esse.

116 DEFINITVR Natura. *Est principium motus, & quietis in eo, in quo est per se, & non secundum accidens.* Ita D. Bonau. *in 3. distinct. 5. artic. 2. q. 1.* vbi alias etiam definitiones naturæ assignat è Boëtio. Hanc tradit Aristoteles 2. *Physic. text. 3.* quam sequuntur communiter, & explicant. Vide Galitium, *p. 1. lib. 1. tract. 1. quæst. 2.* Phil.

QVÆSTIO I.

An materia seorsim à forma sit NATVRA.

117 MATERIAM quidem esse naturam proprio modo acceptam sanè asserit Aristoteles 2. *Phys. text. 10.* & D. Bonauent. *in 3. distinct. 5. art. 2. quæst. 1.* quem sequuntur communiter Theologi, & è Philosophis Fonseca, 5. *Metaph. cap. 4. q. 2.* Iand. 2. *Phys.* 3. Ibidem Zanard. *q. 4.* Farnesius, *lib. 2. assertio. cap. 4.* Toletus *q. 1. & 2.* Colleg. *ibi, quæst. 3. art. 2.* Peter. *lib. 7. c. 13.* & alij apud Galitium, *1. p. l. 2. tract. 1. quæst. 4.* contra Vasq. *Tom. 1. in 1. 2. disput. 25. cap. 3.* Vallesium *controuers. 11.*

118 PROBATVR à Galitio, experimento. Sumo aquam calefactam, mox ab aere frigidissimo frigefactam; illa frigefactio est motus naturalis, non à forma; quia ab hac non educitur forma: ergo à materia.

RESPONDEBVNT tamen, educi è composito, agente forma naturaliter, mediâ qualitate naturali frigiditatis, & extrinsecus à forma frigoris. Alias rationes vbique habes.

QVÆSTIO est; an materia præcisa sit natura. Id negat Zabarella, *lib. de natura.*

119 NOTA, naturam non esse mouentem in genere causæ efficientis; sed esse id, ratione cuius mouens mouet, & mobile mouetur; vt elicitur è D. Bonau. 2. *distinct. 18. art. 1. quæst. 2. in corpore.*

ASSERO, materiam præcisam esse naturam.

120 PROBATVR primò, quia est distinctum principium generationis substantialis, è cuius ratione seminali educuntur formæ, & in qua recipiuntur: Ideò ratione potentiæ est natura. In quo deceptus est Zabarella. Confirmatur à Fuld. 1. *physic. c. 5. art. 1.* nam genus, quod respondet materiæ, ponitur in definitione naturæ.

OBIICIES. Si materia est natura, quia receptiua motuum; iam omnes motus erunt naturales.

RESPONDETVR, negando sequelam: nam materia non est principium motuum separata, sed vt sub hac forma, cui vnita aliquos motus refugit.

QVÆSTIO II.

Vtrùm omnis forma sit NATVRA.

EST aliqua difficultas de anima rationali, secundùm gradum intellectiuum; sed & hac ratione esse formam, atque adeò naturam, ostendam *Tract. de Anima, disput. 1. quæst. 11.* De cæteris certum est, esse naturam. Ita Philosophi post Aristotelem 2. *phys. text. 15.* vbi Auerroës, & alij Commentatores. D. Bonau. *in 3. distinct. 5. art. 2. quæst. 1. & alibi,* Toletus, 2. *phys. quæst. 1.* Colleg. *ibi, cap. 1. quæst. 2. art. 3.* & *q. 3. & 4.* Peter. *lib. 7. c. 11.* Fonseca, 5. *metaph. cap. 4. q. 2.* & cæteri. 121

PROBATVR primò: quia formæ sunt verè mouendi principium. Vide Patrem Galitium *quæst. 5.*

PROBABITVR ampliùs *quæstione sequenti.*

QVÆSTIO III.

An NATVRA *sit principium motus actiuum, & passiuum.*

FVIT opinio Simplicij 2. *Phys.* naturam esse principium motus tantùm passiuum. Hunc sequitur Scotus 2. *distinctione 18. quæst. vnic.* & *in 4. distinct. 23. quæst. 4. & 5. metaph. cap. de materia;* ac discipuli, Faber *Theor 33.* Poncius *d. 7. q. 2.* Sghem. *digress. 8.* Liuius Rabes. *d. 1. quæst. 2.* Rocchus 2. *Phys. quæst. 1.* Fuent. *quæst. 1. diff. 2.* Merin. *d. 2. quæst. 4.* Villanerd. *cap. 1. quæst. 5.* At Mastrius *d. 6. quæst. 1.* cautè dicit, esse passiuum, ratione materiæ: actiuum ratione formæ.

SECVNDA sententia est, naturam esse principium motus solum actiuum ratione formæ. Eos refert Eustachius Carthus *parte 1. Physic. tract. 1. quæst. 2.*

VNANIMI tamen ferè consensu Philosophi consonant; naturam astruentes principium vtroque modo. Ita D. Bonau. 4. *distinct. 48. art. 2. quæst. 2. in resol.* & aliis locis efferendis. Piccol. *l. de motu anim. cap. 29.* Zabar. *lib. de natura, c. 3.* Ruu. 2. *Phys. quæst. 1.* Eustach. *loco cit.* Ita omnes ferè contra Scotum, & alios clamant, teste Fabro *cap. 2.* Subscribit Fuliensis 1. *Phys. cap. 4. art. 1.* clamans esse Arist. Iuuet. 2. *Physic. cap. 1.* Inclinat Mastrius.

ASSERO

122 Assero cum hac sententia, naturam, vt naturam, esse principium motus actiuum, & passiuum.

Probatvr primò ex Diuo Bonauentura, *loco adducto*. Motus grauium, & leuium, *v. g.* lapidis deorsùm, & ignis sursùm, est naturalis; vt docet Aristoteles 2. *Phys. text.* 5. & concedunt Scotus supra, & Faber, *cap.* 1. neque verò solùm à materia habetur, vt lapis feratur deorsùm; sed etiam à forma; cùm ipsa sit principium motus actiuum: nam à quo res habet esse, habet & operari; sed lapis habet esse à forma: ergo & mouêre se. Ipse enim Scotus, & asseclæ nituntur con-

123 tra Diuum Thom. probare, motum grauium, & leuium non esse à generante, sed à propria forma immediatè; vt docet Arist. 2. *Physic. text.* 84. & 4. *de Cælo*, *text.* 24.

Probant: quia grauitas, & leuitas sunt potentiæ naturales, procedentes à natura grauium, & leuium: ergo sunt instrumenta actiua; quibus talia corpora mouentur ad loca: ergo procedunt actiuè à forma: ergo forma est actiuum principium naturale motus. Hoc autem pacto, principium esse naturam; probatur euidenter. Primò ex

124 Aristotele 2. *Physic. text.* 3. vbi naturam definit: *Principium mouendi, & quiescendi:* vbi actiuum principium exprimit: mox *textu* 4. ait: *Naturam autem habent, quacunque huiusmodi habent principium; & sunt hac omnia substantia; subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper. Itaque & subiectum, & formam in subiecto statuit natura*; subdit verò, motum, secundùm naturam, esse ferri deorsùm lapidem: vbi verbum græcum exprimit; *descendere*; vt indicat Sanctus Bonau. Quare non in sola passione stat natura, vt putant Scotus, & Faber.

125 At, estò accipiamus verbum *ferri*. Notanda sunt diligenter verba Philosophi; vbi, postquam dixit, naturam esse subiectum, & in subiecto; nempè, principium materiale è materia; & formale, quæ in subiecto. Infert, hæc omnia esse naturam: & subdit, etiam motum grauium, & leuium; sic enim ait: *Secundùm autem naturam sunt, & hac & quacunque his insunt secundùm se, vt igni ferri sursùm*, vbi nota particulam coniunctiuam (*&*) quasi dicat, *& forma*, & qui motus ab his sunt, secundùm naturam; affert verò exemplum ignis, qui fertur sursùm; sed à quo? à propria forma, vt dixit. Vnde exemplificat principium etiam actiuum formale: alioqui mancum esset exemplum.

126 Loquitur ad modum, quo & gratia operatur, quæ conformiter naturæ agit. Dicimus enim, liberum arbitrium mouetur à gratia; sed motus ille non est ab arbitrio merè passiuè, vt declarat S. Concil. Trid. sed est ratio, quâ liberum arbitrium se mouet; multò verò magis natura ad sua opera habet actiuitatem. Quare non benè Faber ex hoc exemplo ita infert. Aristot. dat exemplum de motu, passiuè recepto in igne secundùm materiam: ergo natura est principium motus, tantùm passiuum. Hoc enim exemplum affert, includens actiuum, & passiuum. Imò alia merè actionem significantia affert; vt infrà dicam. Confirmatur *ex* 4. *Cæli, text.* 24. vbi, quærens originem motus grauium, & leuium, ait, habere principium motus in se ipsis, *&* 7. *Phys. text.* 81. diuidit naturam in materiam, & formam, & subdit: *Natura sunt quacunque ab aliquo in se ipsis principio continuè mota perueniunt.*

127 Qvòd verò sit principium actiuum, probatur: nam *allatis locis*, & 2. *Phys. à text.* 3. *ad* 17. affert antitheses naturæ, & artis; quòd ars est principium motus, sed per accidens; natura verò, per se. Igitur in esse principij de reliquo conueniunt. Iam verò ars est principium actiuum, estò per accidens: ergo magis natura, quæ per se. Vnde falsò respondet Faber, artificialia distingui à natura, quòd ea nullum habeant principium passiuum; quippè artificiale non magis tendit ad hunc motum, quam ad illum; at naturalia habent propriam inclinationem passiuam ad suum motum, & hoc itnenditur ab Aristotele.

Hoc fictum est tamen, quia artificiale magis inclinat ad hunc motum, quàm ad alium, *v. g.* fuscinula ad purgandum; ensis, framea, & securis ad scindendum; alioqui artificialia essent omnia ad quodlibet, ac frustra eis tot, tamque diuersæ formæ tribuerentur. 128

Sed audite Arist. *text.* 3. distinguit naturales motus ab artefactis: *Nullum enim ipsorum* (ait) *habet in se ipso effectionis principium*: ergo naturalia habent è contra in se factionis, seu actionis principium. In hoc enim differunt. Deinde affert exemplum Medici, & in hoc clarè distinguit à natura, quòd ipse est, per accidens, sibi ipsi principium actiuum sanitatis: ergo natura per se; alioqui confundetur distinctio. Neque ponit diuersitatem in recipiendo sanitatem; vt fingit Faber, & alij.

Deinde *text.* 7. distinguit opera naturæ, & artis, quòd illa sunt prima, dicens: *Quòd si lecti columna viridis effodiatur, & germinet; vtique non germinabit columna lecti, aut lectus, sed lignum; hoc enim primum est, & à natura vegetatiua anima, qua producit, vt natura.* Ecquid clariùs? 129

Rvrsvs text. 86. *Si in ligno esset ars nauis facienda, haud secus, atque natura faceret.* Audi Faber. Faceret actiuè.

Hoc clariùs ostenditur in formis perfectioribus. 130

Primò sic arguit Zabarella ex Diuo Bonau. Anima est natura, sed hæc est forma, & principium actiuum, vt natura: ergo natura est principium actiuum. Minor est clara. Maior probatur, primò authoritate Aristotelis 2. *Phys. text.* 7. *&* 13. vbi ait: *Quòdsi effodiatur lectus, è ligno viridi compactus, & germinet; vtique germinabit lignum, non lectus*; & ait: *Hanc esse operationem natura*; sed illa esset operatio animæ vegetatiuæ: ergo appellat animam, naturam agentem. Itidem 8. *Physic.* 131 *text.* 27. ait: *Animalia habere in se ipsis principium actiuum motus sui, eumque, ait, fieri à natura.* Isti autem motus sunt ab anima: ergo hæc est natura actiua. Item 1. *de partibus animalium, cap.* 1. ait: *Animam esse naturam maximè nutritiuam, & sentientem*; quia sunt principium motus. Confirmatur: quia animæ competit definitio naturæ, vt sit principium motus.

Respondet Faber animam esse naturam, 132 quia est forma, sed esse naturam, ratione principij passiui, non actiui; operationes enim animæ consistunt præcipuè in pati; intelligere enim, sentire, &c. sunt pati; sic vegetare, augeri, quæ conueniunt composito, ratione formæ, quæ est anima. Quædam verò actiones competunt animæ, respectu quarum est merè actiua; vt mouêre corpus de loco ad locum; at sic se habet, vt agens; estque indifferens ad esse agens naturale, & violentum. Si enim moueat conformiter inclinationi passiuè rei motæ, est naturalis; si è contrà, est agens violentum.

Callide

133 Sed callidè adducit loca Aristotelis nec respondet; quasi dicat tantùm; animam esse principium motus, non autem actiuum. Sed in *in primis textibus* actiuum significat.

134 Avdiamvs eum, 8. Phys. text. 27. *Mouentium igitur, & eorum, quæ mouentur, alia quidem per accidens mouent, & mouentur; alia autem per se. Per accidens quidem, vt quæcunque ex eo, quia sunt in mouentibus, aut iis, quæ mouentur, & quæ per partem. Per se autem quæcunque non ex eo, quia sint in mouente, aut in eo, quod mouetur; neque ex eo, quòd pars aliqua ipsorum mouet, aut mouetur. Eorum autem, quæ per se mouentur, alia quidem à*
135 *se ipsis, alia verò ab alio. Et alia quidem naturâ; alia verò violentiâ, & præter naturam mouentur. Quod enim à se ipso mouetur; à naturâ mouetur, vt vnumquodque animalium: mouetur enim animal à se ipso: quoruncumque autem motus principium in se ipsis est; hæc naturâ dicimus moueri: quapropter animal quidem totum, naturâ se ipsum mouet; corpus tamen, contingit & naturâ, & præter naturam, moueri.*

Hic habes, Aristotelem loqui de motibus intrinsecis à natura, & hos actiuè ab animali esse; & hoc naturâ.

136 Idem Aristoteles, 1. *de partibus animalium, cap.* 1. docet eodem modo animam vegetatiuam, & sensitiuam esse naturam: quia est principium motus: quia vegetatiua nutrit, accrescit; estque ratio, ob quam corpus nutritur, augmentatur.

Hinc ruit responsio Fabri, dicentis, animam esse naturam, sed ratione passiui, recipiendo motum.

Obsecro, quid vegetatur? quid crescit? nonnè corpus ab anima? Sanè anima non nutritur.

137 Deinde, si actus animæ (*vt ait,*) stant præcipuè in pati, vt naturales sunt: ergo concedis; stare & in agendo. Porrò eos esse maximè actus; ostendam, *Tract.* 9. *disput.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 16. & *disput.* 9. *sect.* 4. *quæst.* 3.

Probatvr secundò. Violentum est, cuius principium est extrà, non conferente vim passo, ex 3. *Eth. c.* 1. idest passo nonconcurrente actiuè; hoc enim est non conferre vim, *verbi gratiâ*, motus lapidis sursùm, putà, à proiiciente, non conferente lapide vim ad eum ascensum: ergo à contrario, motus naturalis est à principio intrinseco, conferente virtutem actiuam passo. Hoc non potest esse, nisi à naturâ.

138 Respondet Faber, violentum esse contra inclinationem passiuam passi; & ideò agenti extrinseco non præbere passiuam inclinationem. At conferre est aliquid actiuum, non mera passio.

Ex locis Aristotelis habes, etiam falsum esse; quòd debeat in naturalibus assignari seorsim pars mouens, & pars mota; tametsi assignetur principium, secundùm quod fiat actio, & secundùm quod passio; vt notat Galit. cum Vasquez, *T.* 1. *d.* 193. *cap.* 3.

139 Probatvr tertiò ex Diuo Bonauent. *in* 2. *distinct.* 8. *p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. Ita se habet anima ad operandum, vt natura; sicuti ad informandum: sed informando, est actus, & natura: ergo & operando, est actus.

Qvòd verò non solùm passiuè se habeat, vt natura, probatur à D. Bonauent *in* 3. *distinct.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. *arg.* 4. cum responso. Natura, ex Boëtio, *lib. de duabus naturis, & vna persona Christi.* est, quod agere, & pati potest, provt in vita tuenda necessarium; at adeò ad vitam necessariæ sunt multæ operationes: ergo.

Confirmatvr à Diuo Bonauentura 2. *distinct.* 25. *quæst. vlt.* Anima in suis operationibus, 140
vt natura est, eget instrumentis organorum; si hæc sunt instrumenta actiua, putà, ventriculus ad chilificandum; Hepar ad sanguificandum, &c. ergo ipsa est causa principalis actiua.

Tres rationes opponit Scotus, quibus à nemine adhuc responsum, ait Faber. Videamus, quàm validæ sint.

Opponit primò. Illa est mutatio naturalis, in qua passum mutatur, sicut aptum natum est 141
mutari, à quocunque agente fiat illa mutatio. Sed passum nunquam dicitur sic aptum natum à principio actiuo, sed per principium passiuum: ergo. Minor probatur ex Aristotele 2. *Phys. text.* 3. vbi docet, talia ea esse per naturam; & affert exemplum ignis, qui fertur sursùm passiuè, & 8. *Physic. text.* 27. vbi dicit. Ea, quæ mouentur contra principium passiuum, non mouentur naturaliter, sed violenter; vt cùm terra mouetur sursùm. Maior est clara: nam mutatio, quæ aliter euenit passo, quàm sit aptum mutari, non est naturalis. Consequentia euidens; si enim naturale dicitur tantùm secundùm principium passiuum, sequitur non esse secundùm actiuum.

Responsio ex dictis obuia profluit. Maior enim est diminuta, & falsa: nam est naturalis 142
etiam motus à principio intrinseco actiuo; vt probaui. Falsa est etiam minor: nam Aristoteles ait, ferri deorsùm, idest descendere actiuè, esse secundùm naturam, id est, inclinationem. Addit, moueri sursùm non esse totam naturam ignis, sed habere in se factionis principium, ad differentiam artificialium; vt supià dixi. Neque verè affertur Aristoteles 8. *Physi.. text.* 27. vbi non ait. Ea sola, quæ mouentur secundùm principium passiuum esse secundùm naturam; sed & quæ secundùm actiuum; vt retuli *in textu*, qui mirificè nostram confirmat sententiam.

Obiicit secundò. Natura est principium motus internum: sed hoc modo est principium, 143
tantùm passiuum: ergo. Maior probatur ex definitione naturæ. Minor probatur ex Aristotele 2. *Phys. text.* 3. vbi vult, quòd Medico, qui sanat se ipsum, fit per accidens sanare se, & fit per se sanari: sicut naturæ moueri. Id vrget Liuius Rabes.

Respondetvr, negando minorem. Ad probationem dico, textum temerari, vt vidimus; ait enim per accidens esse, Medicum sanare se ipsum: at naturam agere per se. Similiter per accidens esse Medico sanari à sua arte: at naturam per se recipere à sua forma. Quare etiam actiuè, & passiuè confert.

Obiicit tertiò. Illud internum actiuum principium nequit esse natura, quia natura non agit, 144
nisi excitetur ab agente extrinseco: quia, si ageret anteà per vnum diem, ageret & per quatuor, & semper: illa autem actio agentis extrinseci est naturalis: ergo natura tantùm patitur.

Respondetvr, totum dictum esse falsum. 145
Et primò, maior est falsa; quia forma intrinsecè agit ex suâ inclinatione, absque extrinseco excitamento. Natura enim est sufficienter prouisa mediis ad agendum: sic forma lapidis fert lapidem deorsùm, etiamsi esset vacuum, nec aliquid eum excitaret. Falsa est etiam minor; quia, si actio est ab extrins.

extrinseco, non est à natura, quæ, vt ait Aristoteles, est principium, in quo est: et si illa extrinseca actio, in eo instanti priori est, naturalis, concedis, Naturam agere. Falsò quoque sequitur, naturam ad agendum excitari, & non agere; quia priùs excitatur: estò sit illa actio naturalis, dum ad illam excitatur natura: Sequitur tamen illam verè agere; quia, vt concedis, agit excitata; excitatio enim non impedit; imò promouet actionem.

146 Falsa est etiam consequentia, & non in forma: quia in præmissis assumitur natura non agere, nisi excitata; & consequentia infert, nunquam agere. Et ratio illa, quia natura non agit; petit principium. Iam igitur satis, superque hæc argumenta insolubilia contrita iacent. Cautior Poncius ait *numero* 8. esse dissensionem de nomine.

Ex dictis habes primò, Priuationem non esse naturam, quia nil tribuit virtutis ad motum: potest tamen impropriè dici natura, vt est via ad generationem naturalem: vt ait Galit. *quæstione 6* & Zanardus, 1. *Physicorum*, *quæstione* 14. & hoc sensu videtur ab Aristotele *text.* 15. admitti.

147 Habes etiam, cur forma dicatur magis natura ab Aristotele 2. *Physic. text.* 15. nam entia sunt magis naturalia per formam. Itaque definitio naturæ primò conuenit formæ: secundò verò materiæ: vt monent Eustachius *suprà*, Perer. *lib.* 7. *c.* 17. Tolet. 2. *Phys. quæst.* 1. *ad* 5. Zabar. *de natura Cœli, cap. vlt.* contra Vasq. *in part.* 2. *disp.* 25 qui materiam solùm metaphoricè esse naturam admittit.

At Galit. *quæst.* 6. censet, naturam de vtraque dici vniuocè, cum Ruuio, 2. *Phys. cap.* 1. *quæst.* 2. Sed pace eorum, cùm forma sit natura, vt actus, & actiua, prior, & potior est materiâ, quæ est talis vt potentia passiua: prior inquam, quia præstantior; & potior, quia nobilior: forma enim entitate, & nobilitate præstat materiæ.

Habes etiam, quo pacto natura via sit principium motus, & quietis, quod intelligitur, aptitudine. Hinc liquet etiam ea, quæ actu non mouentur, putà, quæ in propriis locis quiescunt, vt Terra; habere naturam: nam motus est proprietas naturalium aptitudine: sicut Risibilitas hominis. Vide Galitium, *quæst.* 6.

148 Qvare non ad rem definiunt difficultatem Perer. *lib.* 7. *cap.* 5. Tolet. 2. *Physic. quæst.* 1. *ad* 3. Colleg. *ibi, cap.* 1. *quæst.* 2. *art.* 3. dicentes, satis esse; vt corpus naturale alterutrum habeat; aut motum, aut quietem. Nec ritè Farnes. *lib.* 2. *cap.* 45. & Fonseca, 5. *Metaph. cap.* 4. *quæst.* 2. *sect.* 2, aiunt, conuenire aut alteram, aut vtramque proprietatem, motûs, & quietis. Sanè definitio particulam adhibet coniunctiuam (*&*) non disiunctiuam (*vel.*)

DISPVTATIO VII.

De Cavsis.

QVÆSTIO I.

De Natura Cavsarvm.

Ita Deus prima causa est rerum, vt ad omnia concurrat immediatè, & causis secundis dederit, in ordine naturæ & gratiæ, virtutes operandi, eæque operentur; quorum alterum contra Durandum; alterum contra Gabrielem latè discussi *Tractat. de Creatione*, *disput.* 1. *quæst.* 5. De his ampliori stylo agam *disp.* 27. *quæst.* 2. sunt autem quatuor causæ: Materia, Forma, Finis, & Efficiens. Quoniam verò de materiali, & formali egimus, *disput.* 1. *&* 2. de Ideali verò, *tractatu* 1. *disput.* 14. de Fine autem agetur *prima secundæ*, *Tract.* 1. *disp.* 1. incumbit ferè solus tractatus de efficientibus, de quibus rursùs agam *disputatione* 17. quæ *de mouente*, etiam primo, habebitur; de quo etiam egi *Tract.* 3. *disput.* 1. *&c.* 1

Cavsam, & Principium ita se habere vidimus, *Tract.* 2. *disput.* 8. *quæst.* 1. Vt principium latiùs pateat: nam & ea), quæ non influunt aliquid, sunt principia, non causæ; vt primus in ordine dignitatis. Vide D. Bonauenturam, *in* 2. *distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 2. 2

Mvltis modis definitur Cavsa apud Galitium, *p.* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. *q.* 1. sed illa Diui Bonauenturæ *in* 1. *distinct.* 20. *quæst. vlt. ad* 1. quam explicat Tolet. 2. *Physic. quæst.* 7. præ aliis placet. *Causa est, ad cuius esse sequitur aliud.*

Dicitvr, *ad cuius esse*, vt causans est; sequitur (*aliud*) quia causa producit aliud, distinctum essentiâ.

Dicitvr autem (*aliud*) in esse, si causa sit essendi; at illatione, si sit causa inferendi; de quibus D. Bonauent. *in* 1. *distinct.* 38. *articul.* 1. *quæst.* 2. 3

Præcipve diuido efficientem in Physicam, & Moralem. Physica influxu naturali causat. Moralis verò influxu à libero alicuius arbitrio, suadendo, exhortando, &c.

Cavsa Physica, alia est æquiuoca, quæ plures effectus diuersos efficere potest, & est vniuersalior; vt Sol: Alia vniuoca, quæ ad effectum suæ speciei determinatur; sic leo generat leonem.

Æqvivoca alia est vniuersalissima, & prima, qui est Deus, alia secunda, vt Cœli.

Rvrsvs alia est totalis; alia partialis. Partialis est, quæ non sola in eodem genere, sed simul cùm alia producit effectum. Totalis totum producit effectum. Totalis alia est, quæ totum se solâ producit; vt Deus creans: alia, quæ totum producit effectum, sed cum alia subordinata, vt Deus, Sol, & homo generant hominem. Totalis, quæ se solâ producit, dicitur etiam adæquata. 5

Rvrsvs, alia est principalis, quæ propria virtute præcipuè producit effectum: Alia instrumentalis, quæ minùs principaliter, & virtute principalis

palis eleuatur. Vide Diuum Bonauenturam 4. *di. stinct.* 28. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 1. Valentiam *Tom.* 1. *disp.* 3. *p.* 4. cum Abulensi *ad* 26. *Matth. q.* 82. Suarez in *Metaph. disp.* 17. Fonsecam, 5. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 6. *sec.* 6.

Mox alia est causa per se, quæ verè in suo genere influit, vt ignis producit ignem. Alia per accidens, quæ, quantum ex se, non producit effectum; vt musicus sanitatem, si ille sit Medicus.

7 Valent causæ sibi esse inuicem causæ, vt docet Arist. 2. *Physic. text.* 30. & 5. *Metaph. text.* 2.

Possvmvs autem loqui de causis, vel in essendo, vel in inferendo.

Sane possunt aliquæ sibi inuicem esse causæ inferendi; vt docet Diuus Bonauentura *primo, distinct.* 28. & alij, cum Diuo Thoma *part.* 1. *quæst.* 14. Verbi gratiâ Deus præscit, me cras moriturum, ergo cras moriar, & si cras sum mortiurus: ergo Deus præsciuit.

8 Si de causis essendi. Causæ in diuersô genere sunt sibi inuicem causæ: sic forma est finis efficientis; efficiens autem est formæ effectiua. Similiter materia est causa essendi formæ: forma autem materiæ dat actum perfectum; vt ait Diuus Bonauentura 2. *distinct.* 3. *part.* 1. *quæst. vlt.* In eodem verò genere causæ, nequit altera alteram totaliter causare: alioqui idem respectu eiusdem, esset actus, & potentia; possunt tamen partialiter causare. Sic eleuatio vaporum causat pluuiam, & pluuia causat vapores.

Vide Galitium, *part.* 1. *libro* 2. *tractat.* 2. *quæst.* 4.

Ego præcipuas quæstiones controuersas discutiam, triuialia omittens, vel leuiter innuens.

QVÆSTIO II.

An possit Accidens *producere substantiam.*

Prima opinio omninò negat, accidens, aut per se, aut virtute substantiæ, posse substantiam producere. Ita Scotus *in* 1. *distinctione* 17. *quæstione vn.* & *in* 4. *distinctione* 12. *quæstione* 3. *concl.* 1. & 2. eum sequuntur discipuli, præcipuè Faber, *Theor.* 34. Mastr. *disput.* 7. *Phys. quæst.* 6. & cæteri Scotistæ apud ipsum *ibi.* Idem docet *in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 15. *n.* 366. Hurtad. *d.* 9. *Phys. sect.* 5. §. 53. Valentia, *contr.* 14. Paues, *d.* 3. *metaph. cap.* 21. Ad eam vltimò declinat Galitius, *assert.* 6. Dandin. 1. *anima, quæst.* 8. Vallesi. *contr.* 3. Arriag. *disputatione* 11. §. 2.

9 Secvnda sententia est, accidens, virtute acceptâ à substantia producere substantiam. Ita D. Thom. *part.* 1. *quæst.* 77. *art.* 1. & *quæst.* 45. *art. vlt. ad* 2. & *q.* 115. *art.* 1. *ad vlt.* & 3. *part. quæst.* 77. *art.* 3. *ad vlt.* Caietanus *ad quæst.* 53. *art.* 3. *p.* 1. Ferrar. 4. *contra Gentes, cap.* 66. Capreol. *in* 4. *dist.* 12. *art.* 3. Zanard. 1. *metaph. quæst.* 6. Henric. *quodl.* 14. *quæst.* 1. Rich. 4. *dist.* 12. *art.* 3. *quæst.* 2. Tolet. 2. *Physic. q.* 8. Colleg. *ibi, c.* 7. *quæst.* 18. *art.* 3. Fonseca, 5. *metaph. c.* 2. *q.* 6. Suar. *in metap. disp.* 18. *sect.* 2. Ant. Ruuius, 2. *Phys. tract.* 4. *q.* 4. Aresius, 1. *Gener. d.* 2. *q.* 2. *sect.* 4. *concl.* 4. (sed in conclusione quinta declinat) Amicus, *tract.* 12. *quæst.* 10. referens 25. DD. addens, esse communem Peripateticorum. Galitius *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *quæst.* 2. videtur subscribere; adducens Diuum Bonauenturam *in* 1. *distinctione* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad penult.* & *in* 4. *distinctione* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. & *passim ea distinctione*, iuxta expositionem P. Foresti, magistri sui, mei; ac Trigosij, *quæst.* 6. *art.* 1. qui inde deducit, hanc esse D. Bonauenturæ sententiam: quia S. Doctor, 1. *distinctione* 37. & sæpè, sustinet, mouens etiam, & motum debere esse simul. Hinc verò sequitur, Solem producere mineralia, virtute accidentali; cùm, secundùm substantiam, sit remotissimus; quod Scotus oppugnat. Sed ostensum est *Tractatu* 1. *disputatione* 7. *quæstione* 2. & *tract.* 4. *d.* 11. *quæstione* 7. Sic & Complut. *q.* 10. *n.* 22. Auersa *q.* 37. *sect.* 5.

Igitvr Sanctus Bonauentura *in* 2. *distinctione* 13. *art.* 2. *quæstione* 2. *fund.* 4. videtur cum Scoto: nam probat, lucem esse substantialem formam, quia producit mineralia, & animalia, multasque alias substantias: accidens autem nequit producere substantiam.

Sed *ibi* supponit, quòd, si lux esset accidens, non haberet formam substantialem, sibi proportionatam, dantem virtutem ad substantias producendas. Quare inde solùm eruitur, accidens suâ virtute non posse producere substantiam. 10

Sed neque locus *in primo, distinctione* 3. iuuat pro sententia Diui Thomæ: nam ibi solùm probat, accidens non habere operari à se; quia sicuti non est per se, sed in substantia; ita ab ea habet operari.

Loca verò *in* 4. habent, accidentia sacramentalia producere substantiam, sed videtur id miraculo adscribere. At miraculum ponit in hoc, quòd, cùm separata sint à substantia, producunt substantiam, supplente Deo virtutem, communicandam à substantia; quæ est doctrina, atque responsio etiam D. Thom. & asseclarum; vt ait Mastrius, *loco nuper citato.* 11

Id autem ipsum sentire ostendo: nam *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, existimat probabilem modum dicendi, accidentia sacramentalia naturaliter producere substantiam in Sacramento; quòd verò ipsa in substantiam conuertantur, ait esse super naturam.

Hoc sensu exponit operationem substantialem specierum Sanctus Doctor, eodem *articulo* 2. *quæst.* 3 præcipuè in *calce.* Aduerte verò, non concedere Sanctum Doctorem, accidentia producere materiam, hæc enim à solo Deo est per creationem. Ita Seraphicum explicat Suarez 3. *p. Tom.* 3. *d.* 57. *sect.* 3. qui aduertit, eodem modo locutum Alensem, 4. *p. q.* 40. *membr.* 2. *art.* 4. 12

Diversi autem sunt modi explicandi hanc efficientiam accidentium. Caiet. 3. *part. quæst.* 77. *art.* 1. catenùs accidentia producere substantiam ait, quia sunt veluti semen substantiæ; & ita, sicut semen Leonis, etsi decisum, producit Leonem, ita & accidentia substantiam. Id docuerat Richard. suprà, & posteà Ferrar. & Valent. At renuit Suarez: quia etiam extrà in subiecto extraneo producunt. 13

Alii dicunt, accidens producere substantiam, virtute substantiæ, quia est instrumentum substantiæ, vnaque est illius, ac substantiæ principalis agentis actio. Applaudunt his multi Recentiores, sed alij repugnant; quia sæpè seiuncta à causa principali, nempe à sua substantia, producunt substantiam; vt infrà dicam. Ab hoc modo non abest Suarez *disp.* 18. 14

sectione 2. Eustachius, *parte* 1. *Physicorum*, *tractatu* 1. *disputatione* 2. *quæstione* 6. Sic explicat Seraphicum Baudun. *disputatione* 7. *sectione* 7.

ALII dixêre, accidens ideò producere substantiam, virtute substantiæ, quia ab ea habent, vt insint, & operentur. Ita Fonseca. sed, licèt à Diuo Bonauentura etiam *in* 1. *distinctione* 3. suprà concedatur, accidentia, quia non habent esse per se, nequire à se substantiam producere, (accidens enim posse, etiam dum separatum est, producere accidentia virtute propriâ, concedit) tamen non benè Fonseca infert, quia origo ab alio non dat supra suum statum operari, vt monet Suarez, cum Diuo Bonauentura.

PERERIVS *lib.* 8. *cap.* 13. & alij apud Colleg. dicunt, accidentia virtute propria substantiam producere. Ita & in Eucharistia, species sacratas, è gutta aquæ illapsa, vinum gignere naturaliter. Sic Iauet. 2. *Physic. cap.* 5.

CONIMBRICENSES 2. *Phys. capite* 7. *quæstione* 18. docent, accidentia non virtute propriâ; sed substantiæ, quippè entis entia, eiusque virtutes, etsi à substantiâ suâ connatâ iaceant segregata, attingere productionem substantiæ: imò & accidentium. Id ferè aiunt Complutenses *numero* 43.

QVEM modum sectetur Sanctus Bonauentura, paucis aperiam.

17 FVNDAMENTVM primum. Non renuimus nos, substantiam esse actiuam. Idem enim est principium essendi, & operandi; vt docuit Aristoteles 2. *de anima*, *text.* 24. & 2. *Physicorum*, *text.* 27. principium autem essendi est forma substantialis; vt arguit Sanctus Bonauentura *in* 1. *distinctione* 3. *parte* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. & *in* 2. *distinctione* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad vlt.* Ideò enim Aristoteles, 2. *Physicorum*, *cap.* 7. triplicem cau-
18 salitatem formæ adscribit, scilicet formalem, quâ informando causat compositum: finalem, quia intenditur à generante: & efficientem. Vnde *secundo de Generatione*, *text.* 54. reprehendit eos, qui efficientiam negabant formis: alioqui substantia esset vilior accidentibus; cùm enim operari sequatur ad esse, si accidentia haberent operari, aut simpliciter, aut perfectiùs, quàm substantia, haberent etiam esse nobilius. Illud tamen fatendum, formas substantiales non posse solas suos effectus obtinere: quia ad producendas formas substantiales requiritur inductio contrariæ dispositionis, quâ pellatur forma aliena: hoc autem fit, mediis accidentibus, in quibus est contrarietas; substantiæ enim nil est contrarium; hinc non satis ad hanc, vel illam formam est determinata; determinatur verò qualitatibus, quæ ideò & positæ seorsim producunt substantiam, vt multis constat experimentis. Sic calor in ferro comburit stupam; sic etiam chalibe, & chrystallo admotis, excutitur ignis; & hæc concedit Aristoteles, 2. *de anima*, *text.* 41. & 50. & *libro de sensu*, & *sensibili*, *capite de sapore*; vt referam in argumentis. Sanè operari tale, sequitur ad esse tale in agentibus vniuocis; at æquiuoca, siue quia se ipsis habeant causalitatem vniuersalem, siue adiutorio alterius causæ, ad effectus feruntur extraneos, non tamen extra ordinem: Ita puluis, qui se solo nequit ranas ebullire, adiuuante pluuiâ, ac Sole, eas producit. Debet autem inter causam & effectum dari proportio non commensuratæ entitatis, sed ordinis, seu in ordine ad actionem; quem ostendam in accidentibus ad producendam substantiam.

FVNDAMENTVM secundum, ex Diuo Bonauentura *in* 2. *distinctione* 13. & alibi. Indidit Deus materiæ, quæ est substantia, seminarium formarum omnium corporearum, eique virtutem aliquam, non modò passiuam, sed etiam coactiuam infudit; vt agentibus eam disponentibus, prodeant in lucem. Ita non aliud expectat materia, quàm, vt disponatur. Sanè verò qualitates omnes inducunt dispositiones formæ substantialis; vt concedit etiam Scotus, *art.* 1. *quæst.* 3. *cit.* cum asseclis: inductis verò dispositionibus, materia effundit formam. Quapropter accidentia tantùm possunt producere, quantùm possunt disponere. Inductio igitur formæ nouæ substantialis est ab accidentibus, cooperante substantiâ, nempè materia, quæ, licèt quoad potentiam specialem ad hanc formam, sit vilior; tamen considerata, vt mater omnium formarum, est hac, vel illâ formâ nobilior. Coagit verò forma substantialis qualitatibus affinibus, non autem extraneis ad inductionem formæ: deficiente verò formâ vniuocâ, supplent æquiuocæ, *verbi gratiâ*, dum calor est 20
in ferro terreo, disposita materia, inducit formam ignis, simul cum Cœlis; ad hoc enim causæ vniuersales conditæ sunt. Quò fit, vt etiam animata ex inanimatis prodeant. Ita ranæ, quæ sunt sensibiles, è feruenti puluere, à Sole, & pluuia producuntur; &, licèt hæc sint adhuc inferiora effectu sensibili, tamen adest materia grauida quibuscunque formis, quæ cum tota serie causarum facit causam adæquatam, parem effectui ranulæ, quæ non à corporibus cœlestibus remotissimis prodit; quia in agentibus creatis debet mouens, & motum esse simul; vt latè ostendi *tractatu primo*, *disputatione* 7. *quæstione* 3. & *Tractatu* 4. *de Angelis*, *disputatione* 11. *quæst.* 6. Itaque lumen, & calor agunt, ad producendas illas substantias è seminario materiæ, hac cooperante suâ virtute seminali, & aliis concausis, quæ vnitæ effectum adæquant. Hoc nititur Morisanus apud Poncium *num.* 12. qui timens, instat debere solùm efficiens esse suo effectu præstantius; materiam verò non coagere efficienter. At gratis hoc fingit. Adde neque efficientem ranarum causam, nempè Cœlos, & elementa esse effectui viuo pares. Dicere verò, deum supplere, est arguere improuidum in minutis, cùm dederit vim ad leones gignendos, & Aquilas. Adde, in virtute seminaria substantiali materiæ, esse vim actiuam.

HINC exurgit fundamentum, diruens totam 21
Scoticam molem. Vrget enim præcipuè: Accidentia non posse producere substantiam, quia causa, si vniuoca: esse debet æque nobilis cum effectu: si æquiuoca, nobilior; at accidentia sunt inferioris ordinis, neque substantiam continent: nemo autem dat, quod non habet. Sanè non est necesse, vt causa partialis adæquet effectum: sed satis, superque, est si tota concausarum series comparata par sit; & hoc posito, non est necesse, accidentia, quæ sunt tantùm concausæ, esse æqualia substantiæ productæ. Ita verò simul cum substantia, & virtute coadiuuante, substantiæ agunt ad productionem substantiæ. Et quia sudore perfusus anxie insistit Faber: Quæ virtus substantiæ sit hæc in accidentibus? an substantia? an accidens? Dico, esse accidens; non quia virtus accidentis sit forma

formaliter substantiæ, veluti semen; sed dico, esse ipsam virtutem innatam accidentibus: & quia statim clamat, esse inferiorem substantiâ, & ita non posse eam attingere; nè effectus virtutem
22 causæ excedere dicatur. Dicimus, esse tantùm concausam; & non oportere vt adæquet totum effectum, satisque esse, si simul cum aliis causis adæquet. Ita non modò ratione transmutationum, quæ sunt inter contraria, idest accidentia; vt docet Aristoteles, 9. *Metaphysic. text.* 10. *&* 1. *de Generatione, text.* 43. apud Diuum Bonauenturam, *in* 4. *distinctione* 44. *part.* 2. *art.* 3. sed etiam quia formæ substantiales sunt quidem aptæ contingere passum, sed non penetrare, ad quod requiruntur accidentia, putà calor ad calefactionem ligni intimam, &c. & insinuationem virtutis formæ substantialis, sic accidentia attingunt substantiæ eductionem.

23 QVÒD si accidentibus est actio concessa à natura per se; conueniet eis, etiam extra subiectum; si existant ab agente producta in extero, aut à Deo separata; vt patet in Sanctissimo Sacramento: vbi species sacramentales, soli quantitati innixæ, habent suas operationes in sensus: vt docent latè Theologi, cum Diuo Bonauentura, *in* 4. *distinctione* 12. *articulo* 2. *quæstione* 3.

RATIO est, quia, quod conuenit alicui per se, conueniet vbicunque sit; vt sæpè Scotus cum suis vrget. Hanc rationem è D. Bonauent. sumpsêre Richardus, & Aureolus.

24 ASSERO, accidentia attingere productionem substantiæ.

PROBATVR primò ex Aristotele 2. *de anima, text.* 50. vbi ait: *Omne autem alimentum necessarium est, concoqui posse; operatur autem calidum concoctionem; vnde omne animatum habet calorem.* Vult igitur, concoctionem, quæ est aggeneratio, fieri à calore; *&* *libro de sensu, & sensibili, capite de sapore*, ait: *Quâ igitur ignis, & quâ terra nihil natum est agere: quâ autem inest contrarietas in eis, hæc omnia agunt. Horum enim causa, secundùm quod calidum, aut frigidum, id, quod offertur; hæc enim pariunt augmentum.* Sed augmentum est productio formæ substantialis, etiam è Scoto, & Fabro: & hæc est à calore: ergo.

HINC ruit responsio Fabri, & Scoti, Aristotelem velle, accidentia tantùm disponere; & generatiuam creationem esse à forma substantiali.

25 CONTRÀ, quia Aristoteles negat formæ substantiali solitariè generationem, sed eam, ait, esse à forma, prout cum accidentibus operatur. Ideò subdit: *Calidum enim augmentat.* Addit: *Quidquid calor facit in animalibus, extrà facit.* Cùm autem dixerit in animalibus producere substantiam, sequitur, etiam extrà id facere.

PRÆTEREA 2. *de anima, text.* 41. ait: *Videtur autem quibusdam ignis causa nutritionis, & augmentationis.* Per ignem, intelligit calorem: nam in animali non est ignis; & subdit: *Hic autem concausa quidem est: non autem simpliciter causa.* Sanè peripatetici communiter nobiscum sentiunt; vt monet Amicus: quod signum euidens est mentis Aristotelis.

26 PROBATVR secundò à Sancto Bonauentura, *loco citato, in* 4. ratione, quâ vtuntur Eustachius, *infra cit.* Thomistæ communiter, atque Amicus, *numero* 16. Accidentia in Sanctissima Eucharistia producunt vinum, nutriunt, producendo substantiam, nempè, formam naturaliter: ibi autem non est substantia aliqua producens: ergo præclarè constat nostra assertio.

RESPONDET Scotus, negando assumptum; non enim id possunt, aut vt causæ principales, sicuti conceditur à nobis: neque vt instrumentales, virtute substantiæ agentes. Cùm enim substantia panis, & vini non sit, nequit operari. Subscribit Mastrius, & cæteri, qui addunt, neque nutrire, sed Deum; corruptis accidentibus panis, cessante ibi esse iuxta institutionem Corpore Christi, producere substantiam proportionatam, quæ naturaliter produceretur ex pane, & vino corruptis.

IMMERITO sanè id opinatur Scotus; vt notat Suarez, 3. *parte, loco citato.* Quis enim neget, species illas posse destruere guttam aquæ? possunt enim alterare guttulam illam, vsque ad corruptionem; & tunc naturaliter è potentia materiæ educitur forma. Frustrà autem id negat Scotus cum suis, præcipuè Mastrio, *numero* 367. *in* 4. vbi etiam ait, neque Deum posse eleuare accidentia ad producendam substantiam, quia non habent ad hoc inchoatam causalitatem; sed hæc nimis exaggerant. 27

PROBATVR tertiò experimentis. Probatur carbo extinctus intra ollam æneam vehementi igne calefactam; carbo ignitur, ita vt stupam vrat; sed de hoc *infrà.* Id vides cum è duobus elementis dissymbolis, mutuo confligentibus, gignitur tertium. Deinde oua, si foueantur in fimo, producunt pullos. Tertiò, radius per chrystallum transiens, vel reflectens, accendit ignem. Sic Archimedes chrystallis suis radiantibus, figurâ illâ *parabolo* dictâ, vrebat Marcelli naues; vt arguit Eustachius Cisterc. *parte* 1. *Tom.* 1. *quæstione* 7. Ita generantur in terra plantæ, metalla in venis, & ranæ in puluere à pluuia, & sole; vt concedunt Scotus, & asseclæ. 28

TVNC arguo. Mouens, & motum; Agens, & passum debent esse simul; sed Sol, Astra, & & Cœli secundùm substantiam sunt remotissima; nec propè adest aliud, quàm virtus delata motu, & lumine; vt docet Faber, *Theor.* 99. *capite* 2. è mente Scoti: ergo substantiæ ab accidentibus producuntur. Maior est Aristotelis 7. *Physic. text.* 10. *&* *primo, de Generatione, text.* 40. ac latiùs ostensa *locis relatis, fundamento secundo.* 29

RESPONDET Faber ad primum, virtutem deferri è Cœlo per lumen; & ita verificari Aristotelis effatum, vt virtute sint simul.

ARGVO igitur sic. Interrogo te, sicuti interrogasti nostræ sententiæ Authores. Hæc virtus, quæ 30
defertur è Cœlis per lumen, vel est substantia, vel accidens; si accidens, obtinui intentum. Si substantia, vel est materia, vel forma, vel compositum; in hæc enim adæquatè diuiditur substantia Physica ab Aristotele 2. *de anima, text.* 2. Vel si dicat Faber, ibi diuidi solùm substantiam corruptibilem, & excludi Cœlum incorruptibile. Aliam verò diuisionem habere 12. *metaph. text.* 5. substantiæ in sensibilem corruptibilem, sensibilem in-

corruptibilem, & insensibilem incorruptibilem; cœlum autem esse substantiæ sensibilis incorruptibilis. Sic enim dixit Faber, *Theor. 59. c. 3.* Peto: an hæc substantia descendat cum lumine in terram; & tunc corpora cœlestia descendunt. Vel, si dicas, descendere virtutem substantialem. Idem rursùs interrogo, quæ substantia est hæc? Sanè si corporea, quando à lumine Solis producitur ignis post chrystallum, ea virtus, corporea sanè & quanta, penetrabit chrystallum. Erubesco in tam facilè Lycæo vlteriùs dimicare.

31 RESPONDET igitur secundò, visis difficultatibus, cum Mastrio, *locis adductis*, ad veritatem dogmatis Aristotelici non requiri contactum corporeum, sed satis esse, si agens, & passum sint proportionata; etiamsi distantia, dummodo passum sit intra sphæram actiuitatis. Id autem se probasse gloriantur, Faber quidem *in primo, distin. 37. disput. 52. cap. 4.* Mastrius verò, *7. Physicorum, loco cit.* Quòd si Aristoteles exigit corporum contactum, id esse propter ordinem vniuersi, non de interna natura agentis. & passi.

MIRUM est, quàm excrucientur hi, vt contra Peripateticos, se ostendant Aristotelis discipulos. Expedirent se ocyùs, negando Aristotelem.

32 PRIMÒ quidem Aristotelem requirere physicum contactum ex vi actionis, probatur: nam *7. Physic. text.* 10. concludit. *Manifestum est igitur, quòd id, quod mouetur, & mouens simul sunt, & nihil inter ipsa medium est.* Ibi autem omnia genera motuum enumerârat, & in omnibus contactum physicum probat. Vbi obserua, cum, *text. 9.* incipere probare intentum; vt habes *in titulo summa tertia.* Probat autem formalitatem huius necessitatis ex vi efficiendi, dum ait: *Primum autem mouens, non vt id, cuius causa, sed vnde principium motus est, simul cum eo est, quod mouetur: simul autem dico, quia nihil inter ipsa est. Hoc enim commune est in omni, quod mouetur, & quod mouet.* En, contactum physicum inter mouens, vt est efficiens, & motum, requirit.

33 DEINDE *primo de Generatione, text. 43.* ait: *Necesse enim entium, quibuscunque est mixtio, esse hæc ad inuicem tactiua; & si aliquid facit hoc; illud autem patitur principaliter, & in his similiter. Ideò primum dicendum est de tactu.* En, tactum exigit physicum. Ideò mox *de Tactu* agit, quem definit: *Tangere est vltima habere simul.* Talem contactum necessarium prædicat. Hinc suprà dixerat: *Sed si de ipso facere, & pati, & de mixtione videndum sit, necesse est & de tactu, neque enim facere hæc, & pati possunt propriè, quæ non est possibile, se inuicem tangere; neque non tangentia se inuicem aliqualiter contingit misceri primùm*; & subdit: *Ideò sibi agendum de Mixtione, Factione simul, & de Tactu.*

HÆC sunt, quæ habet Aristoteles, quibus nostra sententia solidatur.

34 DICERE enim, hoc per accidens actioni euenire, omninò repugnat dictis Philosophi, qui pro omni actione, omni agenti, vt agens est, requirit contactum Physicum; vt vidimus.

AT ESTÒ, hoc eueniat ob bonum vniuersi: vnde *primo Meteor.* ait: *Oportet, mundum inferiorem superioribus lationibus contiguum esse*: adhuc sequitur, *Virtutem Solis & astrorum ad terram deferri, & contiguam esse, vt operetur:* hæc autem virtus est accidens; vt Scotistæ fatentur: ergo accidentia producunt substantiam. Sanè natura, nil frustrà faciens, habet virtutes, bono vniuersi adaptatas, non aliter.

ALIAS experientias habeo: nam motu, & attritione corporum, etiam terreorum, in quorum non sit virtute ignis; producitur ignis. Vnde responsio Fabri ruit: Afferunt aliqui etiam ignem productum è ferro candenti; sed hoc habere aliquas particulas substantiæ ignis, plerumque respondent Scotistæ, ex Diuo Bonauentura. 35

OBIICIES primò. Fictitium est dicere, accidens producere substantiam, virtute substantiæ: nam illa virtus, vel est in accidente, vel extrà; si extrà: ergo accidens illâ virtute, non potest agere. Si in accidente, contrà: nil datur in accidente, illo præstantiùs. Deinde virtus subiecti non migrat de subiecto in subiectum. Si dicas, agere, vt instrumentum. Contrà, actio instrumenti est posterior actione causæ principalis: ergo iam producta est substantia, quando agit instrumentum.

RESPONDETUR, esse propositionem non fictam, sed Peripateticam, iam probatam. Illa autem virtus est in accidente, & accidens, & simul operatur cum aliis causis principalibus; est enim vna actio, exigens principalem, & minùs principalem; neque necesse est, vt sit æquè præstans, ac effectus; cùm non sit causa adæquata; vt ostendi: multæ enim sunt causæ ignobiliores effectu; sic ouum, calefactum in fimo, est ignobilius pullo enato. Semen animalis est ignobilius animali producto: & accidentia, quæ producunt substantiam, vt experimentis probaui, sunt inferiora substantiâ. 36

OBIICIES secundò. Omnis causa est vniuoca, aut æquiuoca: si vniuoca, est æquè nobilis, ac effectus: si æquiuoca, est nobilior; neque alia causa datur: alioqui non haberemus viam, ad inueniendam primam causam: & possemus dicere, muscam posse mundum creare. At accidens est ignobilius quauis substantiâ: ergo. 37

RESPONDETUR, accidens esse causam æquiuocam, vt accidens est: at, vt est virtus substantiæ, reducitur ad vniuocam: neque necesse est, causam partialem, & minùs principalem esse æquè nobilem cum effectu. Ita enim albedo, quæ est causa visionis, est ea ignobilior: virtus formatiua fœtus est ignobilior fœtu. Causa quidem totalis adæquata debet æquè præstans esse, ac effectus. Hinc verò sternitur nobis via, ad primam causam cognoscendam, quæ, se solâ, totum è nihilo operatur; & in his valdè tolluntur Scotistæ, præsertim Faber, Mastrius, & Poncius, quibus alia via nituntur satisfacere nostri, sed non assequuntur.

OBIICIES tertiò. Si accidens daret esse formaliter alicui rei, non daret esse nobilius se ipso: ergo neque dans esse ignobiliori modo, nempè efficienti, dat esse nobiliùs.

RESPONDETUR, dans esse formaliter, dare esse ex parte imperfectiùs, vt pars, & perfectibile 38

ctibile in toto; & dare se intrinsecè, totumque esse denominatum formale in eo genere; at efficiens perfectiori modo operatur, & dat esse, vt simpliciter perficiens, nec aptum perfici ab effectu, vt plurimùm; & si est agens partiale, non denominat totam actionem; atque adeò non tenetur sola adæquare præstantiam sui effectus, sed simul cum adiuuantibus concausis.

Hic quæri solet; an Causa sit prior suo effectu, & quomodo; quod vt elucidetur.

Consideranda est causa, vt causans effectum, quod est esse causæ formaliter. Hæc, quia faciliora sunt, assertionibus breuiter indicabo.

39 Assero primò, causam non esse priorem, tempore, suo effectu.

Probatur; quia omnis causa in actu semper causat aliquem effectum; omnis enim actio est cum suo termino. Id habet Aristoteles, *2. Physicorum, text.37.* Vide Amicum, *Tract. 14. quæst. 5.*

Assero secundò; omnis causa est prior naturà, suo effectu.

Probatur primò à Suarez, *disputatione 26. sectione 2. Metaph.* Inter modos prioritatis est independentia à dependente; at causa est independens ab effectu dependente: ergo. Idem docet Aristoteles, *in postpredic.*

40 Contra tamen Galitius, *parte 1. lib. 2. tract. 3. quæstione 3.* stat, negans hanc prioritatem causæ: quia alioqui esset, atque denominaretur causa, antequam esset effectus; imò antequam ageret. Concedit verò prioritatem originis, cum Diuo Bonauentura *primo, distinctione 20.* ipsum vide.

Vnum genus prioritatis est nobilitas.

41 Assero, causam adæquatam non posse esse imperfectiorem effectu.

Probatur, quia ex suppositione habet totam causa perfectionem: nemo autem dat, quod non habet; sed difficiliora videamus.

QVÆSTIO III.

An idem effectus esse queat à pluribus Cavsis *totalibus, non subordinatis.*

42 Prædispvtant multi: An possit idem numero effectus produci à pluribus causis eiusdem ordinis diuisim: ita vt, si alia causa efficiens applicata esset cum eadem materia, eodem tempore, hunc eundem effectum produxisset.

Asservnt Suarez, *disput. 26. sect.5. Metaph.* Ruuius. *2. Physic. tract.8. quæst.2.* Citatur Scotus, *2. distinct.20. quæst.2.* & *in 4. d.42. quæstione 1. & 3.*

Secvnda Sententia omninò negat, etiam per Dei potentiam. Videtur Arist. *5. Metaph. cap. 2.* & *2. Physic. text.30.* Auer. *7. Metaph. text.31.*

Tertia opinio concedit, id fieri posse per Dei potentiam. Ita D. Thom. *quodl. 5. art.8.* & alij apud Amicum, *Tract.14. Phys. quæst.7. d. 2.* negant tamen naturaliter. Videtur D. Bonauent. citati *disput.5. quæst. 4.* Citatur Scotus, *4.d.4. q.3. art.3.* sed non rectè.

23 Ratio est, quia ad indiuiduum requiritur idem subiectum, idem agens, &c. sicut autem hoc numero sigillum, factum in hac numero cera, non potest fieri ab alio in hac, vel ab eodem sigillo in alia cera; ita, &c. Est exemplum S. Bonauenturæ, & S. Thomæ.

Probatvr ab aliis: alioqui vnus effectus, productus ab vna causa, & ab ea pendens, non penderet ab ea. Vide Amicum, *quæst.7. d. 2.* multis hoc vrgentem. Sed hæc faciliora sunt, & solubilia.

Qvæstio autem nostra proposita ardua est.

Prima opinio est, eundem numero effectum posse produci à duabus causis totalibus eiusdem generis, dic, à duobus efficientibus naturaliter. 44
Videtur Caietani, *part.1. quæstione 52. art.3.* sequitur Medina, *3. part. quæst. 3. art. 6. ad 3.* & alij apud Amicum *tract.24. quæst.7. d. 3.* Hurtadus *d. 13. de anima, sect.7.* Auersa *quæstione 16. sect. 5.* & alij id asserunt de duabus causis finalibus.

Secvnda opinio fert, implicare etiam virtuti supernæ. Ita Scotus *3. distinct. 1. quæst. 2.* & *in 2. distinct. 20. quæstione 2.* vbi Tartaret. Lichet. Faber *ibi, disputatione 5.* Mastrius *disputatione 8. quæstione 3. articulo 1.* Liuius Rabesan. *d.7. quæstione 4.* Poncius *Physic. d.11. quæstione 2.* Merinero, *quæst.4.* Capreolus *2. sent. quæstione vnica, art.3,* & *in 3.d.1.q.1.art.3.* Ferrar. *3. contra Gentes, c.68.* & videtur Caiet. *p.1.q.67.art.6.* & D. Thom. *p.1.q.52.art.3.* & *3.p.q.82.art.2. ad 2.* vbi absolutè dicit id impossibile Vasq. *3.p.d.24.c.4.* & alij apud Amicum, *numero 12.* Iauet. *2. Physicorum, c.5.*

Tertia opinio est, naturaliter quidem non posse; at Dei potentiæ non repugnare. Ita Caiet. *3.p.q.3.art.6.* & multi Thomistæ, *3.p.q.67.art.6.* Fonseca, *5. metaph. cap.2. quæst. 15.* Suar. *d. 26. Metaph. sect.4.* Murcia *2. Phys. d.4. quæst. 7.* Ruu. *tract.7. quæst.1.* Valentia *tom.4.d.1.q.3.* Amicus, *tract.24. Phys. q.7.d.3.* Eustach. *p.1.tr.2.d.2. q.4.* Auersa cit. Arriaga *d. 7. n.116.* Baudun. *d.7. sectione 13.*

Galitivs *p.1. Phys.l.2.tract.3. q.4.* multos allegans subscribit; sed in D. Bonau. nil se inuenisse, ait; esse tamen ad mentem eius non negat; cùm asserat, posse eundem effectum existentem, rursùm produci à Deo aliâ actione. Equidem è multis locis Seraphici eam erui, ac probari credo; vt dicam.

Assero cum hac sententia non repugnare Dei potentiæ, eundem effectum à pluribus causis totalibus, & non subordinatis produci.

Probatvr primò ex D. Bonau. *in 3. d. 1. art. 2. quæst. 3. ad vlt.* Tres personæ diuinæ vnicam vnionem in humanitate Christi operatæ sunt. Hoc sanè est à tribus Personis, vt sunt vna causa; cùm opera ad extrà sint indiuisa. Iam tres Personæ vniantur humanitati Christi, ita vt à tribus, vnâ virtute, efficienter vnio producta referat humanitatem ad tres personas; iam illa vnio producta erit tota à tribus; & fundamentum eam ad tres personas referendi: hoc autem non repugnat; cùm humanitas illa sit obediens singulis personis, & tota singulis vniri queat; & in tribus personis esset vnitas singularis naturæ assumptæ, non vnitas personæ. Et si non percipis, (ait Sanctus Bonauentura) memento, plus posse Deum facere, quàm homo intelligere queat; alioqui, si posset Deus solùm, quantùm capit creatura, esset Dei potentia finita, adæquata nostro captui; vt docent D. Basilius, & Glossa, apud Albertum, *in primo, disputatione 43. articulo 1.* & D. Augustinus, 45

epistola 3. ad Volusianum. Hoc argumento vtuntur multi, apud Amicum, *n. 21.*

PROBATVR secundò ex D. Bonauent. *in 4. distinct. 11. p. 1. q. 1.* à Suarez, *3. p. T. 3. d. 50. sect. 1.* In Eucharistia verè producitur à Diuina bonitate, & potentiâ corpus christi idem, quod in cœlo conseruatur; Ita vt cessante actione, quâ existit in Cœlo, sufficienter alibi existeret ex vi verborum. Ideò Ambr. *l. 4. sacr.* hanc productionem creationi assimilat.

VERBA autem attingere immediatè productionem corporis Christi, probat S. Doctor ex vi transsubstantiationis, quæ non dicit è Cœlo, veluti venientem huc, apertis cataractis, fieri præsentem, sed verè attingi productionem substantiæ Christi, per veram transsubstantiationem panis in illud idem numero corpus. Eam autem
47 actionem conuersiuam esse adæquatè à principio illo, à quo est conseruatio substantiæ corporis Christi; neque Deum attemperare suum conseruatiuum concursum, vt partialiter exhibeatur per verba consecrationis, Probatur: nam alia omninò est ratio diuersa transsubstantiationis, & conseruationis corporis Christi in propria specie. Id vrgent etiam Morisan. *de loco, quæst. 4.* Coninch. *de Sacrament. quæstione 35. articulo quarto, dubio 3.*

48 RESPONDET Mastrius *disput. 11. Physicorum, quæstione 8.* distingui actionem conuersiuam à conuersione: conuersio enim intrinsecè respicit solùm substantiam desinentem, & terminum *à quo*; & succedentem, ex vi desitionis illius, vt terminum *ad quem*, non autem agens Licet igitur conuersio panis in corpus Christi sit substantialis, & benè transsubstantiatio dicatur; quatenùs est transitus substantiæ in substantiam, & habet pro termino *ad quem* substantiam succedentem; actio tamen, siue productio non est substantialis, quia ibi sola præsentia Christi producitur; vt autem conuersio dicatur substantialis, non est necesse, terminum *ad quem* esse substantialem, sed sufficit, terminum *à quo*; quia hic verè dicitur conuersus; at terminus *ad quem* denominatur solùm, vt succedens ex vi desitionis. Vnde in hoc differt transmutatio substantialis à conuersione, seu transsubstantiatione, quod illa habet pro termino *ad quem* substantiam, & denominatur à termino *ad quem*: at transsubstantiatio à termino *à quo*, est enim transitus vnius substantiæ in aliam, & conuersio in illam; & vnum conuerti in aliud, est, vnum desinere in aliud, & terminus *à quo* desinens, est, qui dicitur conuersus, & transsubstantiatus: Ergo ab isto conuersio dicitur substantialis, quia substantialiter desinit in aliud.

49 SED hæc leuia sunt. Suppono autem, fieri veram conuersionem, non modò panis, & vini: Sed etiam horum transsubstantiationem in corpus, & sanguinem Christi; vt declarant Concilia, Flor. sub Eugen. Trid. *sessione 13. capite 4.* Id autem ait constare ex antiquissimâ Ecclesiæ traditione, ac verè propriè, & aptissimè dici transsubstantiationem. Eam verò non (*ex*) sed *trans*substantiationem, idest substantialem mutationem, atque adeò terminum *ad quem* substantialem habere; vt notat Sanctus Bonauentura 4. *distinctione 10. articulo 1. quæstione 1.* D. Thom. *quæstione 79. ab articulo 2.* alioqui, quo pacto panis conuertetur in corpus Christi, si hoc solùm succedit nouâ locali præsentiâ? Profectò SS. Patres, quorum traditione, Concilium fundare modum dicendi asserit, explicant hanc conuersionem verbis exprimentibus mutationem ad substantiam. Ita Cypr. *serm. de Cœna Domini*, Ambros. *de Sacram. c. 4.* Augustinus, *capite, vtrum sub figura de consecr. dist. 2.* Gaudentius Brixiensis *Tractatu 2. in Exod.* & alij apud Suar. *disput. 50. sectione 5.* Quid plura? Concilium Tridentinum definit, substantiam mutari in substantiam, & Patres semper hoc explicant exemplis mutationum substantialium, vt Lot vxoris in statuam; aquæ in vinum; alimenti in substantiam, quæ vide apud Suar. *loco citato*, & Innocent. *libro quarto, capite 7.* 50

QVÆ cum ita sint; iam Mastrius fatebitur, hanc conuersionem specificari à termino *ad quem* substantiali, iuxta regulam mutationum. Sed de hoc latiùs *3. part. Tract. de Eucharist.* Ita satisfactum est etiam Amico opponenti *num. 44.*

PROBATVR tertiò à Diuo Bonauentura *in 3. loco citato*, & *distinctione 8. articulo 2. quæstione 2. ad vltimum.* Quando effectus est à duobus in totum operantibus, ita, vt altero remoto, adhuc totus effectus producatur, tunc duæ causæ producunt totum effectum. Hoc ita fieri potest, saltem Dei potentiâ: ergo. Minor probatur à Sancto Bonauentura passim, exemplo duorum luminum eiusdem intensionis, illuminantium eandem partem aëris. Sic & *distinctione 8.* affert exemplum albedinis, quæ terminat duas visiones. Quòd si id non fit his casibus; sicuti & cùm plures detinent, aut mouent totum sufficienter; quis non videt, saltem Dei virtute, fieri posse; cùm nulla inueniatur formalis repugnantia, sed solùm institutio naturæ, refugientis superfluitatem causarum, & non facientis per plura, quod potest fieri per pauciora; at Deus potest ampliare capacitatem palmi, sicut ampliat capacitatem loci palmaris, ad continenda duo corpora palmaria; & corporis palmaris, vt duo loca palmaria replicat. Sic ruunt Mastrius, Poncius, & Liuius, qui vrgent implicare, eò quòd altera causa est superflua. Nec dicant dependentiam à causa esse ex indigentia; nam etsi natura, superfluum respuens, ita agat. Deus tamen ad ostensionem potentiæ dabit dependere superfluè. 51 52

PROBATVR ab aliis ex operationibus Sacramentorum; vt, cùm plures Sacerdotes in ordinatione vnà cum Episcopo consecrant; vel plures baptizant. Sunt autem singuli causæ totales. Ideò monentur, ne ante Episcopum verba proferant: Quidquid dicat Ponc. *numero 28.* vbi addit, alioqui premi etiam Scotistas, qui vellent saluari dicentes, argumentum vrgere eos tantùm, qui causalitatem Sacramentorum physicam dant. 53

PROBATVR etiam, quia potest eadem formà à Deo poni in pluribus materiis; penderet ergo adæquatè à singulis, quia in vna ex eis, etiam præcisis aliis, totam suam rationem formalem habet, vt conuincet Poncius *à numero 21.* Quare antecedens admittens *numero vigesimo sexto* conuincitur

TANDEM id nobis satis est nullas opponi implicantias, quæ facilè non soluantur.

OBIICIT primò Scotus. Si idem effectus esset à pluribus causis adæquatis, dependeret à singulis totus, & non totus. Totus, quia singulæ sunt adæquatæ: non totus, quia plures sunt: ergo essent adæquatæ, & non adæquatæ. Vnde, ablata vna ex illis, adhuc totus effectus permaneret. Patet: nam adhuc haberent causam sufficientem: ergo non

non esset totus, per se, à singulis. Hanc rationem dilatat Faber. *in 3. disput.* 4. Omnis causa in actu requirit effectum in actu, ex 2. *Poster. text.* 56. & 2. *Physic. cap. de causis*; sed ibi non est aliquis effectus, ergo. Vrget; debet enim effectus essentialis esse in dependentia, & relatione. Vrget Ponc. Ea non est causa adæquata, quæ simul cum alia operatur.

54 RESPONDETVR ex Diuo Bonauentura *in 3. distinct.* 8. *loco cit.* effectum pendere ab omnibus quidem sufficienter, ex natura sua, non tamen essentialiter; & ità potest Deus facere, vt dilatata capacitate naturali, recipiat impressionem totalem vtriusque causæ totalis. Ad confirmationem dico, ablatâ vnâ, adhuc pendere totum ab altera: quia adhuc est sufficiens; neque verò Dei potentiæ reclamat, quin aliam componat sufficientem; & ita ambæ sunt sufficientes, neutra necessaria. Hoc Theologico exemplo demonstratur. Spiritus sanctus est à Patre, & Filio totus adæquatè, amore mutuo sufficienti, non tamen necessario (ait idem Scotus, cum asseclis) Ità; si Pater solus spiraret, adhuc foret Spiritus S. Idem: vt vidimus *tract.* 2. *disput.* 10. Nos tamen renuimus. Instat Poncius, quia ex altera causa coagente adhuc totus erit effectus, etsi altera agat: ergò ea nil operatur. At dilatata passiua capacitate, dico, effectum sufficienter esse ab vna, efficaciter ab vtraque, & ab vtraque pendet, in quo rursus aberrat Poncius.

55 OBIICIES secundò cum Vasquez. Non possunt duæ causæ totales esse eiusdem effectus naturaliter; ergò nec Dei virtute. Probatur consequentia; quia, quantumcúnque eleuentur, finitæ sunt, & determinatæ.

RESPONDETVR, illam virtutem causæ à Deo extendi; vt producat totum effectum alterius.

OBIICIES tertiò cum Durando. Si vna totaliter producit effectum: ergo alteri nil superest producendum.

56 RESPONDETVR, omnes operari; vt dictum est suprà; Deus enim potest extendere virtutem causæ, etiam super illum effectum. Totalitas enim causæ non consistit essentialiter in negatione consortij alterius causæ, sed in sufficienti influxu, qui non excludit Dei potentiam, ad applicandam aliam sufficientem, & ita sufficienter alterutra causa producit totum effectum, non essentialiter, vel necessariò, sed admittit, Deo immittente, concausam. Itaquè, cùm hæc causalitas sit adæquata adæquatione sufficientiæ, non necessitatis; potest aliam admittere sufficientem, & causalitatem extendere; vt, quæ sola potest producere, & producit, adiuuetur ab alia sufficienti, sicut, cùm duo ignes producunt vnum ignem ex eodem ligno; vel duo calores vt octo, vnum calorem vt octo. Sanè, altero accedente, non habetur calor vt 16. Sed totus à singulis, & ambobus, vt 8. Quòd si naturaliter aliquid simile habetur; nè, quæso, Deo omnipotenti idem neges; sed recordare moniti sancti Bonauenturæ. *Plus potest Deus facere, quam homo intelligere.*

57 SANE illæ duæ causæ non se augent intensiuè, vt perfectiorem effectum producant; sed idem effectus adæquatur duabus virtutibus, quarum perfectionem non excedat; vt dixi de igne producto à duobus ignibus. Neque verò noua dependentia à nouo agente aliquid perfectionis immiscet: quia satis impletur dependentia ad alteram causam sufficientem; vel si ampliatur capacitas, & dependentia, ea est accidentalis.

QVOD verò vrgent, fore; vt non penderet per se ab vna causa: dico, pendere per se, perseitate adæquationis, & sufficientiæ; non necessitatis. 58

OBIICIT quartò. Non potest esse maior influxus, quam sit indigentia effectus; sed positâ vnâ causâ totali, non indiget effectus aliâ, &c: ergo nequit nouam actionem eius terminare. Neque dicas, idem habere à duobus, quia, cùm hæc datio sit physica, & complens capacitatem, nil remanet alteri. Confirmatur: quia implicat, dari duos terminos intrinsecos eiusdem actionis; ergo etiam dari duas actiones circa eundem terminum; quia sunt correlatiua; alioqui idem simul bis producetur.

RESPONDETVR, hæc non sumi è mera indigentia; sic enim Deus, & natura nil frustrà faciunt: sed ex absoluta Dei potentia, quæ effectui potest applicare causam, quâ non indigeat. Deinde, dum applicantur duæ causæ à Deo, non magis effectus vnâ indiget, quam aliâ. Ad confirmationem dico, esse diuersam rationem: nam terminus se habet, vt causa formalis, specificans respectu actionis; at eiusdem effectus non possunt esse plures causæ formales; sed actio non se habet, vt forma, respectu effectus, sed extrinsecè, vt causa efficiens; & ideò plures actiones esse possunt circa eundem effectum; ideò esse dixi eundem effectum materialiter, sed plures formaliter, in ordine ad diuersas actiones. Ad aliud dico, posse concedi, bis produci, respectu actionis duplicis, sed recipere eandem existentiam. 59

OBIICIT quintò, ex aliarum causarum simili: sicuti enim non potest idem compositum pendere à pluribus partibus intrinsecis, non subordinatis: vt vna materia numero, plures formas sustentet, vel plures formæ adæquatæ vnam materiam informent: ita eadem res à pluribus causis totalibus non subordinatis nequit pendere. 60

RESPONDEO, ex dictis, non esse par, quia partes intrinsecæ, maximè forma, variant intrinsecè compositum, non sic actio: ideò ex pluritate actionis non variatur effectus intrinsecè. Addo non implicare, plures formas à Deo poni in vna materia: vt docent Suar. *disput.* 15. *Metaph. sect.* 2. Mastr. *disput.* 5. *physic. quæst.* 2. Poncius *disput.* 4. *quæst.* 3. qui id probat aliis Dei operibus miris, & eluit apparentes implicantias.

OBIICIT 6. Ponc. Causa, & effectus se habent ad inuicem eodem modo: at nequit vna causa habere plures effectus adæquatos simul singulos, alioqui essent adæquati singuli, & non adæquati. Ergo nec plures causæ vnum effectum.

RESPONDEO, assumptum nil obesse, non enim apud Deum desinit esse effectus adæquatus, quia alius diuersus ab eadem causa producatur, dummodò ipse totus ab ea sit; sicuti dixi esse causam adæquatam, etiamsi alia à Deo admittatur ad coagendum, dummodo totus à singulis fiat, cùm in hoc maior sit difficultas, quippe adæquata causa suum effectum compleat sola: at effectus non adeò strictè adæquatus, & si est æqua ratio, in hoc est dispar; quia ad adæquatam causalitatem à pluribus accipiendam, dilatanda est capacitas ad superfluas influentias capiendas; vnde minuitur & illius dependentia: ad plures verò effectus adæquandos, datur virtus suprà mensuram naturæ necessaria duplex. Vnde falsum totum argumentum.

QVÆSTIO IV.

An idem EFFECTVS *existens possit produci.*

PRIMA opinio est, implicare. Ita Tostatus *ad cap.* 23. *Exodi*, *quæst.* 39. Vasquez, *part.* 1. *T.* 2. *d.* 176. *num.* 36. Runius, 2. *Physic. tract.* 7. q. 2. Est Aristotelis 1. *Physic. & seq.* Sequitur Baudun. *disp.* 7. *sect.* 14.

SECVNDA opinio est, posse, Dei potentiâ. Ita Suarez, *Tom.* 3. *part.* 3. *d.* 49. *sect.* 1. & *d.* 50. *sect.* 4. Galitius, *part.* 1. *Phil. lib.* 2. *tract.* 3. *quæst.* 4. *num.* 9. Amicus, *Tract.* 14. *Physic. quæst.* 7. *disp.* 3. *art.* 6. cum Gabriele *in* 2. *distinct.* 1. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 6. D. Bonauent. *in* 1. *distinct.* 44. *quæst. vlt.* videtur cum prima sententia. Ratio eius est ea, quâ nituntur Authores illi: quia id, quod fit, transit de non esse ad esse; fieri enim, seu produci est entis, quod non erat; alioqui, si res existit; iam producta est, & eam producere, est nihil facere, si intentetur.

61 Hoc argumentum cribrat *in* 4. *d.* 11. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. vbi, quærens; an in sanctissima Eucharistia panis conuertatur in corpus Christi, asserit, ita esse. Cûmque sibi obiecisset. Vel conuertitur in corpus Christi, quod est; vel in corpus Christi, quod non est; si primum: ergo solùm per augmentum; si in id, quod non est: ergo de nouo producitur.

RESPONDET, conuerti in totum corpus Christi existens; ideò non est per augmentationem, in quâ sola pars aliqua additur.

62 PRODVCI autem corpus Christi, probat, quia fit transubstantiatio panis in corpus Christi; & non (vt volunt Scotus, Vasquez, & alij) solâ præsentiâ nouâ, quæ esset translocatio. Id autem in Ecclesia certum, ait, & ita declarat S. Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 4. *can.* 2. & Conc. magnum Later. *cap. firmiter & ostendi*, *q.* 3. Idem refricat, *q.* 2. Ibi addit; Quia producitur corpus Christi præexistens, ideò est dissimilis hæc productio à generatione, quæ est è priuatione ad formam.

63 HINC patet, S. Doctorem esse cum secunda sententia; vbi etiam habes, & suam proba sse, & contrariæ satisfecisse. Ideò etiam alibi, *infrà allegando loco*, obiiciens sibi. Quod iam est, non potest produci. Respondet, non posse per transitum à priuatione ad esse; sed posse. per transitum alterius in se, seu transmutationem rei alienæ in se.

IGITVR sanctissimum Christi corpus, per propriam transubstantiationem, produci, fatentur, cum D. Thom. omnes Discipuli.

64 QVÒD enim, non per meram præsentialitatem; vt vult Scotus; clarè ostendit nomen dogmaticum *transubstantiationis*. Porrò hanc non dicere merum ordinem destructionis panis, & successionis corporis Christi, constat ex nomine ipso, allato à sacris Conciliis. Hæc latiùs ostendam 3. *part. Tom.* 2. *tractatu de Eucharistia, disputatione* 5. *quæstione* 4.

OBIICIES. Cuique productioni præsupponitur priuatio, ex Arist. 1. *Phys.* ergo, quod actu est, non potest fieri: nam ideò aliquid fit, quia non existebat.

PRÆTEREA. Indiuiduum est, quod est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio. Qui ergò producit existens, vel facit vnum indiuisum cum existente, & sic facit nihil; cum iam sit; vel sit diuisum, non est idem.

RESPONDETVR, quòd, si res ex aliquo facienda sit, facilè intelligitur; satis enim est, si carentia supponatur in eo, quod transmutatur, & itá producitur corpus Christi. Si verò incipit habere esse, post non esse, concedo; seu de prima productione ex non esse, ad esse. Id, quod habet Sanctus Bonauentura *in* 1. *distinct.* 44. *quæst. vlt.* vbi ait, non posse Deum creare hunc mundum, idest, è nihilo producere; si enim iam est, non potest è nihilo fieri; sicuti nec potest resuscitare Christum, quia resurrectio supponit priuationem vitæ: Christus autem viuit. 65

DICES, tunc effectus esset prior suâ causâ: nam præexistit corpus Christi, antequam secundò producatur. Similiter effectus produceret suam causam, verbi gratia, Christus se in Eucharistia efficeret. 66

RESPONDET Gabriel, effectum esse priorem tempore, non naturâ; hæc enim est causæ dignitas. Vt naturâ suum præcedat effectum.

AT, si tempore prior, iam est antè causam producticem.

RESPONDET Galitius, illum effectum absolutè priorem esse, at relatiuè esse simul cùm causa; & secundùm diuersum respectum, erit prior, & posterior.

AD alterum, ait Amicus, primò effici Christum à verbis consecrationis ipsius Christi; sed ab illis distingui realiter; vel efficere per mediam volitionem; vel medio corpore, ad efficiendum sanguinem; & medio sanguine, ad efficiendum corpus: nam, licèt cætera veniant per concomitantiam, tamen ex vi conuersionis solùm fit terminus formalis. Neque effectus potest communicare primum esse suæ causæ; at, vbi habuerit esse à sua causa, potest assumi, vt instrumentum, ad dandum, per nouam actionem, idem esse suæ causæ, quod antè habebat. 67

RESPONDETVR secundò, hæc fieri à Deo; vt primò existens Christus, secundò producat suum corpus. Ita producens, & productum differunt: nam Deus à corpore, & anima Christi differt. Et ipsa humanitas Christi, vt primò existens, differt à se, non habente existentiam secundò; & vt causa, est prior; vt effectus, posterior est. Propriè autem produci non hîc tantùm, Sed in hoc pane, ostendi *quæst.* 3. cum Diuo Bonauentura *in* 4. *distinct.* 10. *articul.* 2. *quæst.* 1. quem malè Suar. *disputat.* 50. *sect.* 4. trahit ad translocantes. 68

QVÆSTIO V.

An idem EFFECTVS *corruptus possit naturaliter reproduci.*

D. B. in 4. dist. 43. quæst. 4. & 5.
D. T. quodl. 4. q. 5. & 4 cont. G. c. 81.

INSANIERE Platonici apud Viues, *ad* 12. *de ciuit. Dei. cap.* 13. Empedocles. 1. *Physic. text.* 30. & alij, apud Ficinum *de Theologia Platonis*, &

& Epicurus, apud D. Hieron. *ad cap.* 1. *Eccles.* & Pythagorci, credentes, post annum magnum, qui 36.millia annorum censetur à Ptolemæo, omnia ad pristinum reuersura, eadem numero; vt notat Amicus, *Tract.* 14.*Physic. quæst.* 8. *disput.* 7. ex D. August. *loco citato* Hæc enim impia sunt; cùm finis mundo sit imponendus; vt habetur *Apoc.* 10. *Rom.* 8. vt explicant D. Thomas *in* 4. *distinct.* 48. *quæst.* 2. *artic.* 2. & 5. & *in additionibus*, 3. *part. quæst.* 9. *art.* 2. *&* 5. D. Bonau. *in* 4. *distinct.* 47. *artic.* 2. *quæst.* 3. & *quæst.* 48. *articulo* 2. *per multas quæstiones.* & in fine *Diæta*; & alibi passim.

Opinantur multi, res corruptas naturaliter reproduci posse easdem numero. Ità Richard. *in* 4. *distinct.* 43. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 6. Capr. *quæst.* 1. Ocham, *quæst.* 10. Bassol. *quæst.* 2. *articul.* 3. Scotus *ibidem*, *quæst.* 3 *articul.* 2. *litt. F, & M,* eamque probabilem censet Tolet. 2. *de Gener. quæst.* 13. Henric. *quodlib.* 10. *quæst.* 4.

Secunda opinio est negantium. Ità SS. DD. *hic.* Ferrar. *ad locum cont. G.* Capr. 2. *distinct.* 43. *quæst.* 1. Hisp. *quæst.* 1 *artic.* 1. Durand. *quæst.* 2. *&* 3. Gabr. *quæst.* 1. *distinct.* 10. Argent. *quæst.* 1. *articul.* 2. Rich. *articul.* 3. *quæst.* 1. Soncin. *quæst.* 1. *&* 5. *Metaphysic. quæst.* 18. Saxon. 2. *de Gener. quæst.* 14. vbi Marsil. *quæst.* 18. Bannes, *quæst. vlt.* Conimbr. 2. *Physic. cap.* 11. *quæst.* 1. *art.* 3. Tolet. *quæst.* 43. Ægid. *ibi*, & *Theorem. de corpore Christi*; Zimara, *Theor.* 163. Suar. *Tom.* 2. *in* 3. *part. disput.* 44. *sect.* 3. Fons. 8. *Metaphysic. cap.* 5. *quæst.* 1 *sect.* 1. *&* 3. Citatur Scotus, 4. *distinct.* 43. *quæst.* 1. *artic.* 3. Ibi tamen id non dicit. Sequitur Amicus suprà; Galitius, *part.* 2. *Phil. lib.* 3. *tract.* 2. *quæst.* 3.

Ex his aliqui, nullos effectus posse reproduci, fatentur, eosdem numero. Alij concedunt de quibusdam.

Aliqui dicunt, id non oriri ex rerum natura, sed ex voluntate Dei nolentis concurrere. Ità Suar. *disput.* 6. *Metaphysic. sect.* 3. sequitur Fonseca, 1. *Metaph. cap.* 1. *quæst.* 1. *sect.* 2. Ratio affertur, quia causæ naturales sunt ex se indeterminatæ ad indiuidua; ideò egent extrinseco determinante ad hoc numero: hoc autem pertinet ad causam primam, ex Arimin. 1. *disput.* 12. *quæst.* 4. *art.* 2. *ad* 7. Tolet. 8. *Physic. quæst.* 3. Fonseca 1. *Metaphysic. cap.* 2. *quæst.* 3 *sect.* 8. *&* 5. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 9. *sect.* 2. Colleg. 2. *Physic. cap.* 7. *quæst.* 15. *artic.* 2. Galit. *part.* 1. *lib.* 2. *tractat.* 3. *quæst.* 3. *num.* 12. Diuus Bonauentura 1. *distinct.* 45. *art.* 2. *quæst.* 1. quia naturale generans, intendit speciei conseruationem tantùm.

Etsi Durandus apud Galitium Vasquez *Tom.* 1. *in* 3. *part. disput.* 74. *cap.* 7. Hurtad. *disputat.* 10. *Physic. sect.* 4. §. 44. doceant, causas determinare se ipsas; Deum autem agere ad modum earum: vndè, disposito tali pacto corpore, infundit animam. Addunt alij; etsi causæ singulæ essent indeterminatæ, tamen, tempore applicationis, vnitas tot causas determinare se ad hunc numero effectum.

69 Assero, non posse, idem numero corruptum reproduci naturaliter.

Probatur à Diuo Bonauentura primò, ex Aristotele in Logica, cap. de opp. *A priuatione ad habitum non datur regressus.* Sanè non intelligitur de priuatione prima præuia, sed de secunda, post corruptionem; ideò ait, regressum non dari, scilicet, ad idem numero corruptum. Ideò 2. *Metaphysic. text.* 14. ait: *Ex aceto non redire vinum*; vt arguit Sanctus Bonauentura *in* 4. *distinct.* 11. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 4.

Respondet Bassolis, cum Scoto, sensum esse, non dari regressum immediatum; non enim acetum, ex vino factum, potest immediatè restitui in vinum.

Contra: nam Aristoteles ibi distinguit 70
opposita priuatiuè, ab oppositis contrariè. Sanè neque contrariè opposita immediatè regressum habent ad primum, putà, nigrum ad album; feruens ad frigidum; vt notat Amicus; fit enim transitus per media; vt à nigro ad rubrum colorem; à feruenti ad tepidum; vt docet 10. *Metaph.* fit autem sæpè regressus ad idem specie; vt notat Sanctus Doctor *hic*, *ad argumenta*, & *quæst. præced. cum Aristotele*, 2. *de Gener. text. vlt.* nam vermis emortuus resoluitur in putredinem; hæc autem rursùs potest in vermem ebullire. Itaque excludit regressum ad idem numero.

Probatur secundò à D. Bonauent. *quæst.* 4. 71
argum. 1. *opposito, & corpore*, ex Aristotele 2. *de Gener. text. vlt.* & 5. *Physic. text.* 37. vbi distinguit corruptibilia, quæ substantialiter mutantur, ab incorruptibilibus, quæ mutantur secundùm rationem; quòd illa non eadem, numero fiant, sed specie redeant: hæc autem numero semper sint. Ibi omnes Peripatetici consentiunt; vt notat Amicus, *num.* 11.

Respondet Bossolis primò, Aristotelem ibi loqui de eo, quod euenit, non de eo, quod potest fieri.

Contra arguit Amicus, ex D. Bonauent. 72
in corpore; quia ibi Aristoteles loquitur de natura, quæ aliter esse non potest; distinguit enim ibi naturas rerum opositarum; & hoc clarum est: nam ibi ait, necesse esse, specie, non numero, reuerti; vt notat Sanctus Bonauent. Quare bonus Bassolis negat authoritatem Aristotelis, & Interpretum. At non video, quâ ratione id præstet.

Respondet Scotus, Aristotelem velle, incorruptibilia redire eadem numero, dum mouentur: quia non recipiunt existentiam; at corruptibilia eadem numero non redeunt: quia recipiunt existentiam.

Contra: quia ibi quærit, cur in generatio- 73
nibus aliqua circulariter oriantur; vt pluuia ex aëre, & aër è pluuia; aliqua verò non, sed in rectum; vt è Socrate Plato; non verò rursùs è Platone Socrates, sed alius generetur. Deinde quærit: an omnia, quæ circulariter redeunt, eodem modo redeant; & respondet, incorruptibilia redire eadem numero; at corruptibilia eadem, solâ specie.

Deinde, si ideò redeunt eadem specie, non 74
numero, quia recipiunt existentiam: vt ait Scotus: cùm existentia sit idem cum essentia: vt ipse docet *in* 4. *distinctione*, 13. *quæst.* 1. *art.* 3. & *in* 2. *distinct.* 16. *quæst.* 1. vbi pugnat cum D. Th. *& in* 1. *d.* 36. *quæst.* 1. si redit noua existentia, quæ specie eadem est, non numero, sequitur redire idem specie essentialiter, non idem numero; & hoc necesse esse ita fieri, vt ait Aristoteles.

Contra tertiò, cùm Diu. Bonau. *in corpore*: 75
quia, si existentia est modus intrinsecus; vt docent Scotistæ, præcipuè Faber, *Theor.* 31. & hæc producitur: sanè hoc satis est ad numerum faciendum, vt non sit eadem res numero reproducta.

Hinc

Hinc ſumit Sanctus Bonauentura ſuum argumentum, *quæſt.4. in corpore*; vbi ſic diſſerit. Formæ corporeæ ſunt in materia, veluti ſeminario,& ab agente educuntur; ita vt eadem res, puta roſa eadem, quæ erat in potentia materiæ, producatur. Iam verò, cùm corrumpitur, non abit in nihilum, ſed reſoluitur in præiacentem materiam: vndè eò terminat reſolutio, vndè incipit generatio. Itaquè poſt corruptionem, ſunt in potentia materiæ ſeminali; ſicuti erant antè; vt indicat S. Auguſt. *lib. 3. de Trinit. cap.8.* & hoc (ait Sanctus Bonauentura) ratione conſtat, & authoritate Philoſo-

76 phi, D. Auguſtini, & ſacræ ſcripturæ. Quamuis autem forma corrupta ſit in ratione ſeminali materiæ; tamen non poteſt natura eandem numero reproducere; quia agens nouum dat aliquid nouum, nempè exiſtentiam, ſeu nouum modum eſſendi ſubſtantialem, ſecundùm quem poteſt res dici altera numero. Accedunt diuerſæ cauſalitates cælorum, aliarumque cauſarum combinatio noua; atque adeò nunquam idem numero effectus, ſeu compoſitum reproducitur. Deus autem, qui poteſt rationes ſeminales, ſinè aliquo nouo additamento, ad perfectum reducere, & idem reproducere; cùm omnes cauſas efficientes contineat eminenter; non eſt ſtupendum, ſi id valeat. Et nil mirum, ſi nunquàm viſa ſit natura, idem numero reproducere; vt ait Ariſtot. *2. de Gener. text.70.* quod etiam ſignum eſt, non poſſe aliter fieri; vt docet *ibi* Ariſtoteles.

77 Respondere autem cùm Scoto, & Baſſolio, id eueniſſe, ob impedimenta agentis, & paſſi, vanum eſt; ſi enim, vt dicitis, naturæ dedit Deus hanc potentiam, cur ſemper eam impedientibus cooperatur; vt ſit fruſtrà.

Qvod verò ait Baſſolius, Deum, ſuo occulto decreto, ſtatuiſſe impedire; leuiùs eſt. Primò, ſi occultum eſt hoc Dei iudicium, & decretum, quo pacto illud aſſeris? cùm ea, quæ ex Diuina voluntate pendent, non ſint abſque reuelatione aſſerenda.

Deinde, ſi dedit naturæ virtutem generalem reproducendi idem numero vbique, ſed negat concurſum; erit miraculum, non reproduci eadem numero, ſimile ei, quo ſuſpendit concurſum ſuum ab igne Babylonico; ne combureret pueros; vt notat Amicus.

78 Argvmento hoc D. Bonauenturæ vtuntur plurimi, apud Amicum & eo ſoluuntur etiam obiecta.

Obiicies primò, ex Ariſtotele *8. Metaph. text. 11. & lib. 12. text. 11.* Idem agens ex eadem materia producit idem; ergo etiam reproducet. Probatur ſequela: nam, corruptâ formâ, remanet in ſubiecto eadem numero priuatio, ad eandem formam; ergo idem appetitus, eadem potentia.

Respondetvr cùm Diuuo Bonauentura *hic*, verè ex eadem materia, ab eodem agente, concurrentibus omnibus cauſis ad materiam ſecundam diſpoſitam, educi eandem formam. Sed hic concurſus non inuenitur in ſecunda productione, ob rationes allatas; ideò, licèt materia remotè habeat eandem rationis ſeminalis capacitatem, potentiam, &c. non tamen habet proximam: vndè illa priuatio non eſt eadem numero; vt notat Fonſeca, *8. Metaph. cap. 5. quæſt. 1. ſect. 3. ad 3. & 4.* Vndè Ferrar. *4. cont. gent. cap. 81.* ait, eſſe eandem priuationem ſolùm materialiter; atque adeò eſt eiuſdem ſpeciei priuatio; quia ad idem ſpecie tendit; non eadem numero; quia non appetit naturaliter eandem numero formam, quam impoſſibile eſt habere naturaliter.

Deinde concedit S. Bonauent. animam ſeparatam habere appetitum ad corpus, & ad pulueres indè reſolutos, ob initam anteà coniunctionem, & affinitatem. Similiter eſto, & in materia illa corporis, & pulueribus ſit appetitus ad ſuam animam; & in quamvis materia ad ſuam formam, etiam corruptam; non ſequitur tamen, id naturaliter conſequi poſſe: quia eſt appetitus naturalis remotus; ſi naturalis eſt; at potiùs dicendus appetitus, ſeu ordinatio, ex Dei prouidentia, quoad animas noſtras; in cæteris verò nullus: quia eſſet fruſtrà. 79

Obiicies ſecundò. Idem agens poteſt conſeruare effectum in tempore A, B, C, ergo poterit in A, & C, non conſeruato in B. 80

Si dicas, eſſe aliam rationem; quia, quando conſeruatio eſt continuata, eſt vna actio; quando verò interrumpitur, eſt alia actio; ac proindè habet alium effectum.

Contra arguunt. Corrupto poſteriori, non corrumpitur priùs; ſed vnitas rei eſt prior permanentia eius; ergo, hac deſtructa, adhuc manet vnitas.

Confirmatvr: quia, ſi in A, produxit, & corrumpatur, adhuc in C, continuari poteſt id, quod erat in A, neque aliud obſtat, niſi tempus intermedium, quod non facit ad vnitatem rei; cùm ſit extrinſecum.

Respondet Amicus, *num. 20.* ex S. Bonau. non eſſe eandem rationem: quia, interrupta exiſtentia, ingeminantur actiones, & termini, ac non adſunt omnes concauſæ; debetque agens nouum aliquid producere, vt perficiat formam, quæ eſt in ſeminario remoto materiæ; vt dixi; non ſic in continuata conſeruatione. Neque eſt ad rem argumentum præexiſtentiæ vnitatis: quia, dum res corrumpitur, truncatur permanentia, & deſtruitur vnitas, cum entitate indiuiſa: non autem ſola præciſa permanentia; quid enim remanet vnitatis Leonis, Leone combuſto? Idem reſpondet Galit. *part. 2. lib. 3. Tractat. 2. quæſt. 3. numer. 5.* 81

Obiicies tertiò. Si aliquid obſtat, nè redeat idem numero maximè diuerſitas actionum, exigens diuerſos terminos: ſed hoc non obſtat; nam & duo motus locales poſſunt terminare ad vnum terminum. 82

Confirmatvr: nam in reſurrectione redit idem numero.

Respondetvr, negando, duos motus locales habere vnum terminum intrinſecum, (eſto eundem aërem, vel aquam acquirat.)

Ad confirmationem: de reſurrectione iam conſtat ex dictis à S. Bonauent. Deum supernè operari; habet enim omnes cauſas in ſe eminenter, tam præſentes, quàm præteritas.

Dices; non nè Deus reproducens dat nouam exiſtentiam? ergo nouum modum.

Respondetvr, poſſe reproducere perditum medium, quod non poteſt nouum agens, quod communicat de ſua finitate, quantum hîc, & nunc agere valet. 83

Adverte autem: tametſi ea quæ propriè corrupta ſunt, naturaliter nequeant eadem numero redire; ea tamen, quæ impropriè ſunt deſtructa, poſſe eadem numero redire; vt docent, & aduertunt multi, apud Amicum, *num. 5.* Talia ſunt arte

artefacta, quæ per situalem dissolutionem sunt diuisa. Affert S.Bonau. exemplum, *quæst.*4. Arcæ, cuius tabulæ possunt separari, & posteà reiungi. Hæc porrò sunt indiuidua accidentalia, ratione artis. Vide S.Doctorem.

QVÆSTIO VI.

An idem numero EFFECTVS *corruptus diuina virtute valeat reproduci.*

SCIAS, aliqua esse permanentia, vt corpora, & animæ; alia successiua, vt motus, & tempus.

84 POTEST autem tripliciter res corrumpi. Primò, secundùm totam, nempè annihilatione. Secundò, quoad totalitatem; vt cùm moritur homo. Tertiò, quoad totum, & aliquam eius partem, sicuti corrumpuntur bruta, & alia entia naturalia, corruptione formarum.

PRIMA opinio est, dicentium, nullam rem, secundùm totam omninò destructam; vel secundùm aliquam partem, propriè posse reproduci, etiam Dei potentiâ; siuè sit ens permanens, siuè successiuum; sed solùm, si secundo modo; vt cùm separatur anima à corpore humano. Ità Durand. *in* 4.*distinct.*43.*quest.*3. Marsil. 2.*de Gener.quæst.*8. Abulensis *in cap.*22. *Matth. quæst.*238. & videtur Diui Thomæ 4. *distinct.*44. *art.*2. *ad* 3.*&* *distinct.*12.*quæst.*1.*artic.*2.*&* 3.*&* *in* 3.*part.quæst.* 67.*art.*5. Quoad successiua, negant Diuus Thomas, Henric. Durandus, Capr. Ferrar. apud Amicum, *Tractat.*14. *Physic. quæst.*8. *disput.* 3. *numero* 8.

85 SECVNDA opinio est, omnia, siuè permanentia, siuè successiua posse reproduci. Ita Bassol. 4. *distinct.*13. *quæst.*1. *articul.*3. Tolet. 2. *de Gener. quæst.*13. *cap.vlt.* Aureol. apud Capr. *loco cit.* & credunt probabilem quoad permanentia, Conimbr. *cap.*11. *quæst.*2. *artic.*3. & de successiuis, *quæst.*3. *art.*2. Lusitan. *p.*2. *tom.*3. *lib.*1. *quæst.*3. *art.*2. §.3. Suar. *tom.* 2. *in* 3. *part. disput.*34. *sect.*6. Omninò sequitur Amicus, *Tractatu* 14. *Physic.quæst.*8.*disput.*2.*&* 3. Est opinio Diuui Bonauenturæ *in* 4 *distinct.*44.*q.*4.*&* 5.&.*distinct.*44. *dub.*4.*litt.* quoad permanentia. Quoad successiua, autem videtur negatiuam sequi *in* 4. *distinct.*43. *quæst.*4. *ad vlt.* Quòd resolutè tenet Vasquez *part.*1. *disput.*34. *capit.*3. *num r.*19. Aresius *de Gener.disput.*5.*quæst.*47.*sec.*5.*ad* 2.

ENIM verò S. Bonauent. sic in ligit, non posse fieri, quin præteritum præteriens; sed tamen rursum posse reduci ad esse præsens, asserit in 1. *distinct.*42.*artic.*1.*quæst.*3.& idem credit de omni entitate, locis suprà cit. vt stultitiæ negantes incuset. Sequitur P.Galitius, *part.*2. *lib.*3. *tractat.*2. *quæst.*3.*num.*7.

86 ASSERO primò, ens corruptum per separationem partium, etiam altera dissoluta, posse reproduci à Deo. Id præcipuè de resurrectione hominum assero.

EST de fide; vt notat Sanctus Bonauentura, 4. *distinct.*43. *quæstione* 1. Iob, 19. *In nouissimo die de terra surrecturus sum.* Ioan. 11. *Scio, quòd resurget in resurrectione. Ego sum resurrectio, & vita. Resurget frater tuus.* Idem conuincit Dominus, *Matth.* 22. *Marci* 12. contra Saducæos; & Paulus, *Act.* 17. *&* 26. & hoc latiùs ostendam, 3. *parte*, *Tract.* 1. *disputatione de Iudicio finali.*

ASSERO secundò, permanentem quemcunque effectum, etiam dissolutum, & alterâ parte destructâ, posse à Deo reproduci, vel etiamsi annihilatus sit. 87

PROBATVR à Scotistis primò, argumentis solutis *quæstione* 5. Deinde. Negatio existentiæ, præcedens generationem, est eiusdem rationis cum sequenti post corruptionem; est enim priuatio eiusdem formæ, eiusdem esse, habetque æqualem incompossibilitatem respectu esse. Confirmatur: nam mutationes habent terminos oppositos eiusdem rationis; generatio autem, & corruptio sunt mutationes oppositæ: nam illa eadem res, quæ in vna est terminus, *à Quo*; in altera est terminus, *ad quem*; sed priuatio, præcedens generationem, non impedit, quin id valeat generari: ergo neque priuatio sequens impedit posse regenerari; sunt enim eiusdem rationis priuationes.

HÆC tamen ratio refellitur à Diuo Bonauent. *quæst.*4. vt dixi, *quæst.*5. sunt enim diuersæ rationis, vt ostendi. Rectè argueretur, si eiusdem ordinis probarentur. 88

PROBATVR secundò ab aliis, apud Amicum, *numero* 9. argumento D. Bonau. *quæst.* 4. *in corpore*, illa causa, quæ, infinità virtute prædita, continet omnes causalitates, eminentissimo, ac perfectissimo modo, continet omnes effectus in specie, & in indiuiduo; & omnes valet producere. Deus est talis causa: ergo omnes effectus, & omnes causalitates indiuiduæ manent in potentia Dei.

DVRANDVS respondet, effectum fuisse in potentia Dei, ante productionem; non autem ampliùs post corruptionem; cùm incapax sit omnis esse: alioqui, si prima vice produceretur à Deo solo, & corrumperetur, posset reproduci à causa secunda; quia in eius potentia adhuc esset; cùm non adhuc sit ab ea productus; quod est, absonum: nam cùm desierit esse, non manet in potentia causæ; cùm sit factus incapax existentiæ. 89

HÆC tamen futilia sunt; vt ostendit Sanctus Bonauentura, nam potentia infinita nullum effectum sibi inuium agnoscit: cùm nullâ productione minuatur; sicuti minuitur secunda causa finita. Quòd si prima vice produceretur à causa prima sola, adhuc secunda vice non posset reproduci à causa secunda: quia eius causalitas est finita, ad talem determinata productionem naturalem, secundantibus aliis concausis; at verò ad reproductionem, cùm aliæ nequeant concurrere, etiam Deo concurrente connaturali concursu, non posset corruptum reproducere: sed alium eius speciei in lucem edet effectum. 90

HINC eruit D. Bonau. aliud argumentum *in corpore*, *q* 4. & *in* 1. *q.* Vbi est æqualis potentia in agente, & capacitas in producibili, potest esse productio; sed vtraque est post rei corruptionem: ergo. Minor probatur ex parte producentis infiniti, immutabilis; ex parte verò producibilis probatur: quia nullam implicantiam maiorem in educente è nihilo, in prima, & secunda vice inuenies. 91

RESPONDET Durandus, potentiam esse habitudinem ad effectum; vt destructo effectu, non maneat ad illum habitudo.

AT agens infinitæ virtutis immutabilis non amittit potentiam; sicuti euenit agenti finito. 92

RESPON

Respondet Durandus incapacitatem esse in termino, qui non potest esse duarum actionum totalium; sicut nec vna actio potest esse ad duos terminos.

At in potentia Dei, cuius actio non amittitur, nil probat.

Obiicies primò. Implicat, idem esse intrà potentiam, & extrà; sed effectus productus semel exiit è potentia Dei, nec est reuersus; ergo. Confirmatur. Si Deus ageret necessariò, non posset reproducere corruptum, quia ageret modo aliorum agentium; at tunc non minueretur infinita Dei potentia. Confirmatur. Si generatio Filij Dei interrumperetur, non esset idem verbum ergo multò minùs idem effectus ad extrà.

93 Respondet Amicus, *num.* 13. ex D.Bonau. *in corpore, & ad primum*, Agens creatum effundere virtutem finitam, & simul effectum non remanere intùs; at Deus, qui infinitæ virtutis est; & non agit ex se aliquid emittendo, virtutem non potest deperdere; & virtus finita, quidem per ablationem finiti, minuitur; non sic infinita.

Ad confirmationem dico, repugnare, Deum habere potentiam infinitam, & non esse liberum; vel si maneret infinitæ virtutis, non ageret ad modum aliorum agentium: quia sunt finita.

94 Ad secundam dico primò eo casu fore, idem verbum; cùm non possit esse nisi vnum; vt notat Paludanus. Secundò dic, admissâ vnâ implicantiâ, alias sequi.

Obiicies secundò. Vt agens producat idem, debet esse idem secundùm habitudinem ad effectum; at Deus, producto effectu, non ità manet: ergo.

95 Respondetur ex Diuo Bonauentura *in corpore*, Deum manere eadem habitudine virtuali ad effectum; esto enim non respiciat effectum, vt primò producendum, tamen respicit, vt suæ infinitæ potentiæ adhuc obiectum: non sic natura, quæ est finitæ, & determinatæ virtutis: at Deus infinitæ virtutis ita respicit effectum, reductum in nihilum: sicuti antè, cùm è nihilo illum eduxit: vt docet etiam Trombetta apud Amicum, *num.* 19. vbi subscribit. Sic dicitur. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.*

Obiicies tertiò. Vnitas numerica rei pendet etiam ab hac numero actione, sed non potest redire eadem actio: ergo nec idem effectus.

96 Respondetur cum D. Bonauent. *in corpore*, actiones creatas, quia finitæ sunt, commensurari entitatibus productis, easque forsan extrinsecè tantùm distinguere: at verò actio Dei, quæ est vna infinita, omnes creaturas ità producit, vt distinctio in eis sine hac commensuratione fit.

Obiicies quartò. Vbi ponitur interruptio, quoad actum essendi, ibi ponitur distinctio, sed in productione, & post corruptionem ponitur hæc interruptio: ergo. Minor probatur in rebus, tempore mensuratis, verb. grat. in illuminatione hodierna, & crastina.

97 Respondet S.Bonauent. *in corpore*, & cum eo Amicus, interruptionem facere distinctionem extrinsecam, ex parte actionis in creaturis, in quibus vna non continet aliam: at verò actio Dei, quæ infinita est producit, idem esse, quod semper habet in sua virtute, esto extrinsecè interruptum.

98 Assero tertiò posse idem ens successiuum reproduci. Id ostendi, *Tract.* 1. *disp.* 24. q. 4.

Probatur Non implicat magis concretum successiuum retrò trahi, quam reproduci permanens. Probatur: nam non dicimus differentiam temporis, *verbi gratiâ* præteritam, quæ iam constituit aliquando tempus transactum, esse præsens; implicat enim, hoc esse præsens, & non præsens; at volo, vt concreta entitas temporis, quæ sanè præteriit, & non potest ex hypothesi non fuisse, rursum constituatur in suo cursu; sicuti qui rotam girat, partem quæ præteriit, reuocat, & punctum elapsum reducit. Et hic modus est D. Bonau. *in* 1. *distinct.* 42. *art.* 1. *quæst.* 3. vbi obseruat, rem præteritam, & si destructam, non dicere nihil, sed rem, quæ fuit. Vndè ait D. Ansel. in *Monol. cap.* 8. Quòd si mundus destrueretur, verum esset, mundum fuisse. Id verò, si fuit, non potest esse, quin fuerit. Non potest facere Deus, quin ens præteritum non fuerit; quia facere hoc, est nihil facere; neque esset destruere: quia id, quod fuit, non est. Potest tamen reproducere illud concretum temporis, & facere, vt iterum de præsenti recurrat; sicuti reuoluens rotam contra ordinem, reducit partem præcursam ad se; non tamen facit, vt ea pars non excurrerit. Cùm igitur nulla hîc adsit implicantia, satis ostendi, posse à Deo fieri. Hunc modum, cæteris confutatis, amplectitur Amicus, *num.* 28. & P.Galit. *loco cit.* sicuti igitur Deus potest reproducere ens permanens, vt habeat omnes partes simul; ità potest reproducere successiuum in cursu, vt habeat partes, sibi rursùs succedentes; vt ait Bassolis, *disputat.* 43. *quæst.* 1. *in* 4. 99

Non rectè autem Suarez *disput.* 5. *Meta. sect.* 3. *num.* 6. distinguit, dicens, posse Deum reproducere de ente successiuo id, quod erat positiuum, verbi gratia, quod fuit calefactio, non negatiuum, quod non est. Nam negatio, inclusa in ente successiuo, est negatio simultatis plurium partium; at potest reducere plures partes continuas, sibi inuicem succedentes; sicuti non erant simùl à principio; vt monet Amicus, *num.* 32. Neque sequitur, idem esse, & non esse; vt putat Suarez, & cum eo Hurtad. *d.* 11. *Physic. sect.* 10. quia successio includit quandam negationem vnius partis, dum est alia; sed tamen eandem negationem possunt habere partes, dum reproducuntur; neque est necesse, vt vna alteri coëxistat; vt ostenditur exemplo rotæ, quæ reuoluitur. Ità præterita pars fuit, & non est, & non reuocatur ad præsens illa prætereitas, sed illa entitas præterita reuocatur; vt iam fiat præsens; & ita quæ secundùm primam productionem præterita, nunc sub alia ratione retransit. Hoc magis patebit, solutis apparentibus implicantiis. 100 101

Obiicies primò ex parte Dei potentiæ. Ad præteritum non est potentia; nam si præteritum reproducatur, iam præteritum non erit præteritum, sed præsens. Quod si dicas fuisse; & nunc adhuc esse; sequitur, vnam horam reproductam, duas horas durare, & semper reproductam durare semper toto æuo.

Respondetur cum D. Bonau. 1. *distinct.* 42. *loco cit.* non esse potentiam, vt præteritum non fuerit præteritum; at posse entitatem, quæ præteriit, reproduci, non vt sit permanenter, sed vt iterum fluat. Ad confirmationem respondeo, vnam horam non fieri longiorem, sed reproductam extrinsecè pluribus coëxistere; etsi in se sit vnius horæ duratio, neque erunt plures horæ, sed vna replicata, sicuti & idem corpus palmare pluribus in locis positum, pluribus palmis coëxistet: neque horæ illæ replicatæ facient diem integrum, 102

nè

nedùm annum; etsi extrinseco diuturno coexistant: quia dies fit è serie horarum coordinatarum, vnà post aliam: non ita euenit *hic*: nam idem reproductum replicatum coexistit longiori durationi; sicuti, si idem corpus palmare, replicatum in loco, coæquaretur vni milliario, non tamen esset longius palmo: Ita & hora.

103 OBIICIES secundò ex natura entis successiui, quæ est, vt habeat partes priores, aliis succedentes, *ex 4. Phys. text.* 50. *&* 100. at, si reproducatur, iam posteriores fient priores, & è contrà; putà, finito vltimo quadranti horæ, si reproducatur pars: Ita destruitur essentia temporis, quod constituitur è partibus præsentibus, præteritis, & futuris; sic enim possunt partes temporis reproductæ, cùm sint præteritæ, fluere cum præsenti. Confirmatur: quia sic possent etiam conseruari, & non fluere; cùm possit reproduci præsens.

RESPONDETVR, ens successiuum habere intrinsecè prius, & posterius, sed nulli præcisè parti conuenit; & ita potest quilibet esse prior, vel posterior & si est alterutra, est ei accidens; &, licèt, quâ prior, nequeat esse posterior, tamen sub diuersa habitudine potest ita se habere, vt sit prior & mox posterior; vel è contrà.

104 DICES; sicut de essentia motus est, habere partes priores, & posteriores, ita de ratione huius numero motus, est habere has partes priores, has posteriores.

RESPONDETVR, non ita se habere comparationem: nam de essentia motus est prius, & posterius; quæcunque partes in hoc, vel illo ordine sint; Ideò, si varientur, mutatur aliquid accidentale speciei, quæ est totum esse essentiale indiuidui, atque adeò materialiter mutatur indiuiduum, non formaliter; sicuti, si in resurrectione pars materiæ, quæ habebat formam pedis, habeat formam manus; vel, quæ habebat formam iecoris, habeat Mesenterij; vt notat D. Aug. *in Enchir. c.* 82. *& lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 19. & Ansel. *ad Ephes.* 4. quia solùm mutaretur situs; sicuti in motu rotæ contrario; & militum præcedentium, & sequentium, est idem exercitus, materialiter mutatus: ita illa pars motus haberet suam entitatem; & si respectu compartium variaretur; & respectu imaginariæ extrinsecæ aliorum durationis; neque forent simul: nam reproducta vna parte, non potest reproduci alia simul, sed succedens. Absit, vt possint conseruari simul; hoc enim repugnat enti successiuo. Itaque, dùm reproducitur, debet reproduci in esse successiuo; ita vt vna pars non existat

105 cùm alia: nam conseruare præsens ens successiuum, implicat; & sicut aduersarij non concedent hoc argumentum: Deus potest producere tempus, vel motum: ergo & conseruare, vt permanenter durent; ita nè ipsi nobis id in reproductione inducant. Neque dicas, maius esse producere, quàm

106 conseruare. Respondetur enim, datâ proportione, conseruare in statu conuenienti esse minus; at conseruare modo naturaliter implicanti, est difficilius, sicuti difficilius est conseruare fulmen in aëre, quàm illud generare.

OBIICIES tertiò. Vnitas entis successiui consistit in continuatione; at si idem tempus, putà, anni 1674. reproducatur, erit discontinuum; ergo non idem numero. Confirmatur: quia non copulatur termino communi.

107 RESPONDETVR, esse idem reproductum, quod non potest, vel debet dici, continuari sibi ipsi. Erit igitur discontinuatio sola extrinseca; sicuti, si Deus lineam palmarem reproduceret, esset eadem; etsi tempore extrinseco denuncata. Itaque motus reproductus habet partes continuatas; sicuti ante; & hoc satis est: quia illæ partes continuantur, & copulantur termino communi; at motus hic reproductus non copulatur cum se primò producto: quia nil continuatur sibi ipsi; neque interruptio existentiæ interrumpit copulationem partium essentialem; sed solum quoad mensuram extrinsecam temporis, quæ nil facit ad vnitatem motus.

DICES primò. Continuitas requisita ad vnitatem motus, est, qua tempus, mensurans ipsam, est continuum.

RESPONDETVR, correspondere illi durationem continuam extrinsecam: non autem idem tempus, pro omni statu, quo res existit: vt notat Amicus, *num.* 47. nam, sicut in reproductione de nouo existit; ita illi respondet alia pars temporis extrinseci, destructa ab ea parte, quæ cum motum mensurabat, cùm existebat ex vi primæ productionis. 108

DICES secundò. Motus idem debet habere partes eodem ordine: sed partes motus reproducti non haberent eundem ordinem, quem antea in prima productione. Fingatur enim motus habere tres partes: prima sit A, secunda B. tertia C. iam A esset prior, quàm C, at si reproduceretur, esset posterior, & consequens motum C: nam esset post C, reproducta.

RESPONDETVR, non esse motui intrinsecum, vt secundùm diuersa non habeat diuersum ordinem: Ita in secunda productione, esset idem motus essentialiter, sed inuerso ordine, habens tamen prius, & posterius: sicuti, mota rota ad occidentem; & inuersa, adhuc ad occidentem mota eodem motu cietur, vel sicuti quantitas, habens tres partes A, B, C, occupans tres partes spatij, si destruatur, ac reproducatur, post spatium, C, erit prior secundùm situm ex vi primæ productionis, & posterior, ratione secundæ: vt ait Amicus, *num.* 48. 109

OBIICIES quartò, Tempus verum dicit ordinem ad imaginarium; at hoc est irreparabile: ergo. Deinde, cùm concipiatur imaginarium, ad modum temporis veri, habere partes fluentes immutabiliter, signum est, etiam verum tempus easdem, eodem modo habere.

RESPONDETVR, tempus verum dicere ordinationem quidem ad durationem imaginariam: non tamen ad talem durationem, vt dixi; neque est eadem ratio immobilitatis in tempore vero, & imaginario: quia hoc concipitur, vt improductum: neque in omnibus necesse est, se habere ad modum temporis realis; licet concipiatur ei simile. 110

AGVNT *hic* aliqui de IDEIS: sed de his satis, *Tract.* 1. *d sp.* 14. Agunt de CAVSIS LIBERIS: sed de his, *tract. de Anima, disp. vlt.* & *tract. de gratia*, & tota ferè *prima secundæ*. Agunt etiam de CAVSA FINALI; sed de hac, *prima secundæ*, *disputatione* 1. Agunt de CONTINGENTIBVS EFFECTIBVS: sed de his, *tr.* 1. *d.* 13. *q.* 8. vbi contingentia ostendi esse determinatæ veritatis; & *q.* 11. vbi ex præscientia non lædi contingentiam ostendi: & *d.* 16. passim, præcipuè *à quæst.* 15. *&* *d.* 21. *quæst.* 20. vbi nostram libertatem in nullo læsam à Dei decretis, probauis etiam si necessariò operaretur. 111

DISPVTATIO VIII

De QVANTITATE.

1 AGENS de corporibus, teneor agere de QVANTITATE, quæ à multis ponitur prima passio corporis naturalis, ad quod sequitur MOTVS, LOCVS, & alia. Esto autem Metaphysicus de ea agat, vt est ens; tamen Philosophi in Physicis de natura eius exactè agere tenentur. Sic agens *hîc* de corporibus initio conditis, quæ ex materia, & forma corporea componuntur, agere debeo de quantitate, quæ vel sequitur materiam; vel si compositum, est primum inter accidentia corporis constitutiuum; vt ait Galit. *part.1. lib.3. tract.2. quæst.6. num. 21.* Amicus, *Tract. 2. Phys. initio.*

QVÆSTIO I.

In quo posita sit ratio formalis QVANTITATIS.

2 PRIMA opinio est, QVANTITATIS essentiam in esse mensuram consistere; siue quia mensuret substantiam; vt ait Albert. *tract. 8. cap. 1.* siue quia reddit substantiam mensurabilem; vt videtur sentire D.Thom. *opusc.52.* Capr. *in 2. dist. 3. quæst. 1. ad 11.* Iandun. *5. metaph. quæst. 20.* & pro hac, Soncinas adducit D.Thom. *p.1.q.29.art. 1.* sed nil ibi dicit de hoc. Porrò aliqui in actuali, alij in aptitudinali mensura eam collocant.

SECVNDA sententia est, rationem formalem quantitatis esse diuisibilitatem in partes eiusdem rationis. Ita D.Thom. *5. Metaph. lect. 15.* Soncin. *quæst. 21.* Iauel. *quæst. 20.* Capreol. *2. dist. 3. quæst. 1. ad 11.* & *d. 19. quæst. 1.* & placuit Scoto *in prædic. q. 17. & 5. met. q. 9.* Ant. Andr. *q. 1. de Quantit.* D.Thom. *1. dist. 19. art. 1. ad 1. & d. 17. q. 3. art. 1.* Ex his aliqui ponunt diuisibilitatem hanc in separabilitate partium. Alij in negatione vnius de alia: de qua vide Suarez, *disp. 40. sect. 4. met.* subscribentem. Galitius *in Logica, lib. 4. tract. 2. cap. 4.* adducit S. Bonau. *in 4. d. 12. part. 1. art. 1. q. 1.*

TERTIA sententia est, extensionem esse rationem formalem quantitatis. Ita Gregor. *in primo, distinct. 17. quæst. 4. art. 2. ad 12. & in 2. dist. 12. quæst. 2. art. 1.* Pompon. *Tract. de augment. c. 7.* Capr. *in 1. dist. 17. q. 1. concl. 4.* Burleus *4. Physicorum, text. 84.*

3 QVARTA opinio est, essentiam quantitatis esse, habere partes extra partes.

Ex his aliqui volunt, omnem extreitatem partium extra partes, non solùm quantitatem, sed entitatiuam esse à quantitate; ita vt sine quantitate substantia non habeat extensionem, & extreitatem partium; non modò in ordine ad locum, sed neque in se: quia licèt substantia sit prior quantitate, tamen, vt habet partes extra partes, est posterior, pendens à quantitate. Ita Capr. *in 2. d. 18. q. 1. & d. 19. q. 1. 22. art. 2. & in 4. d. 12. q. 1. ad 2.* Aureol. Soncin. *5. metaph. q. 19.* Nyphus *d. 9. cap. 3.* Ferrar. *5. Phys. q. 4.* Tolet. *q. 5.* Alb. *tract. 2. cap. 4.* Iand. *q. 9.* Hier. Pla. *c. 2. quæst. 2.* Bannes, *primo de Gener. cap. 4. q. 6.* Henric. *quodl. 1. q. 15. & quodl. 4. q. 10.* Iauell. *7. metaph. q. 1.* Sotus *in Log. de quant. q. 2.* Caiet. *p. 1. q. 51. art. 1.* Dur. *1. d. 3. q. 1.* Colligitur è Diuo Thom. *2. d. 3. q. 1. art. 1. & 4. cont. Gent. c. 65.* Vasq. *T. 1. in 3. p. d. 190. num. 29.* Niger in Clypeo, *p. 2. quæst. 17.*

ALII dicunt, solam extensionem partium, secundùm molem, esse propriam quantitatis, quæ consistit in pluralitate partium, ex natura sua incompossibilium in eodem spatio, in actu primo. Ita videtur Fonsec. *5. metaph. cap. 13. quæstione 1. sect. 4. ad 3.* Colleg. *1. Phys. c. 2. q. 2. art. 3.* Ruuius *c. 3. q. 3.* Suar. *d. 40. Metaph. sect. 4.* Mendoza, *d. 14. sect. 4.*

HANC docuere ex antiquis Scotus, *2. d. 12. quæst. 1.* licèt *in 4. d. 12. q. 2. §. hic sunt, ad 3.* dicat, qualitatem sine quantitate esse actu indiuisilem. Maior, *4. d. 12. q. 1.* Bassol. *q. 1.* Fracastor. *dial. de anima, q. de immortal.* Ægid. *Theor. 30.* Venet. *summ. metaph. c. 12. & 13.* Canon. *1. Physic. q. 9. d. 3.* Ioan. de Magist. *q. 6.* Thien. *q. 8.* Zerb. *5. metaph. quæst. 13.* Amicus, *Tractatu 15. Phys. quæst. 4. dub. 4.*

DICVNT verò, consistere in extreitate partium in se, non in ordine ad locum: nam certum est, quantitatem existere sine hac extensione; vt quantitas corporis Christi in Sanctissima Eucharistia. Ita hoc docent communiter apud Fonsec. *5. met. q. 1. sect. 2. & 3.* Suar. *d. 14. met. sect. 4. & Tom. 3. in 3. p. d. 51. sect. 2.* Amic. *sup. art. 4.* Eustach. *p. 1. Dial. tract. 3. sect. 2. q. 1.* Fuld. *1. Phys. c. 6.*

QVOAD D. Bonau. primò censet, materiam quidem in se, abstractam ab omni forma, esse simplicem; non tamen vt punctum; sed simplicem, 4
quia caret actuali extensione; habet tamen possibilitatem ad illam; at cùm natura formæ corporalis illi datur, tunc reducitur ad actum; atque adeò extensionem negat materiæ, secundùm essentiam; eam quippe nec corpoream, nec incorpoream asserit, sed secundum esse, prout suscipit formam corporalem, quæ non est nata esse in materia, nisi extensione. Ita *in 2. distinct. 3. part. 1. art. 1. quæst. 2. & distinctione 12. art. 2. q. 1. & d 30. art. 3. q. 1.* Extensionem porrò, seu extreitatem partium, in ordine ad impenetrabilitatem, & diuisionem, mensuramque, &c. adscribit QVANTITATI, *in 4. d. 12. p. 1. art. 1. q. 3. ad 3. & art. vlt. q. 2. in corpore.* Sed *in 4. d. 49. p. 2. art. 3. q. 1. & d. 19. q. 2.* probat, extensionem partium quantitatis ad locum esse accidentalem, ac separabilem. Ita in corpore sanctissimo Christi in Eucharistia separari, atque in corporibus gloriosis penetrantibus. Sed *ea dist. 10. p. 1. q. vlt.* partes corporis Christi extensas esse, idest partes extra partes in se, non autem confusas, docet, præcipuè *ad 1.* mensuram porrò ex ipsa extensione locali manare, ait *in 4. dist. 49. p. 2. art. 3. q. 1. arg. 4 oppos. cum respons.*

ASSERO primò, essentiam quantitatis non consistere in ratione aliqua mensuræ.

PROBATVR à D. Bonau. *in 4. d. 49. cit. arg. 4. addita explicatione, in corpore, & responso*; ratione, 5
quâ vtitur Scotus, *5. met. q. 9. & in prædic.* QVANTITATIS, *q. 16.* Ant. Andreas *ibi, q. 1.* Fonsec. *5. metaph. cap. 13. q. 1.* Amicus, *art. 5.* Eatenùs aliquid absolutum est mensura alicuius, quatenùs in

in se habet fundamentum huius relationis ad extrinseca. Sed quantitas in se est ens absolutum: ergo habet prius aliquod intrinsecum fundamentum relationis mensuræ: hoc autem, cùm prius sit, propiùs attingit essentiam quantitatis. Itaq; non potest huius essentia consistere in ratione mensuræ.

6 CONFIRMATVR ab Amico, ex Diuo Bonauentura, quia eatenùs quantitas mensurat substantiam, vel reddit eam mensurabilem, quatenùs sua corporeitate prædita est, & extendit substantiam, redditque eam extensam. Deinde mensura externa supponit internam; & hæc constitutionem dimensionis. Tunc sic. Id, quod est ratio formalis rei, constituit primum eius prædicatum; sed ratio mensuræ non est primum prædicatum quantitatis: nam, vt mensuret, vel reddat mensurabile, prius supponitur cum sua extensione, & corporeitate, vt fundamento relationis.

7 ASSERO secundò, essentiam quantitatis non esse diuisibilitatem.

PROBATVR à Diuo Bonauentura *in* 4. *loc.cit.* & à Fonseca, atque Amico, *d.3.art.2.* nam diuisibilitas partium supponit earum corporeitatem, & extensionem: ergo non est prima ratio quantitatis. Hinc Aristoteles *6. physic.* ostendit, ideò corpus esse diuisibile, quia constat partibus extensis.

ADDO tamen, diuisibilitatem, sicuti etiam æqualitatem, esse passionem quantitatis; vt notat D. Bonau. *in 1.dist.19.part.1.art.1.q.1.* nam in prædicamento QVANTITATIS, quatuor ei tribuuntur passiones, quæ supponunt diuisibilitatem. Primò, *finitas, & infinitas*, quæ conueniunt quantitati; *ex 1.physic.15.& 35.* & supponunt diuisibilitatem. Secundò, *Æqualitas, & inæqualitas* supponunt *finitatem*, vel *infinitatem*; & hanc supponit ratio mensuræ, *ex 10. metaph. text. 2.* quia omnis mensura est æqualis, vel inæqualis; & ita omnes supponunt diuisibilitatem; vt vidit etiam Amicus, *loc. cit. num.6.*

ASSERO tertiò, rationem formalem quantitatis non consistere in extensione partium integrantium substantiæ.

8 PROBATVR à D. Thom. *loc. primò adductis.* Id, quod habet suam entitatem diuisibilem in partes extendendas, debet in se habere partes, talis est materia in forma corporea: ergo.

ASSERO quartò. Extensio actualis ad locum non est essentia quantitatis.

9 PROBATVR à D. Bonau. *in 4. dist.10. q.2.* & aliis suprà. Quia corpus sanctissimum Christi in Eucharistia habet suum quantitatem; nec tamen extensam ad locum.

SVNT enim duæ extensiones, quarum altera sine altera intelligitur; etsi, data prima extensione partium in se, sequitur extensio ad locum; ni impediatur miraculo. Hanc distinctionem sensit Aristot. qui positionem partium, in ordine ad totum, posuit in prædicamento QVANTITATIS; positionem verò, in ordine ad locum, in prædicamento SITVS. HINC malè Durand: nesciens distinguere, negat in Eucharistia quantitatem corporis Christi. De quo latiùs *3.part.Tract.de Eucharistia, disp.5. quæst.14.*

10 ASSERO quintò, rationem formalem Quantitatis non includere essentialiter extensionem; seu habere partes extra partes, contra Amicum, *art.5.* & alios.

PROBATVR argumento, ducto è D. Bonau. Vbi est vnius separatio ab alio, non est intrinseca ratio essentialis; sed in rarefactione extensio noua aduenit quantitati, vt patet; sed nulla additur entitas quantitatis: ergo. Minor est D. Bonau. *in 2. dist.14.part.2.art.2.quæst.1.* vbi rarefactionem dissolutione partium fieri, ait, & *in 1. distinctione 18. articulo 1. quæst.2. in fund. & d.30.* apud Galitium, *part.2.lib.3.tract.3.quæst.3.* Sanctus enim Doctor additionem à rarefactione distinguit passim, præcipuè *in 1. dist.17. part.2.art.1. quæst.1. ad 3.* Et probatur: quia, si additur noua quantitas in rarefactione: ergo nulla raritas fit in præcedenti. Multis id probat Arcsius *de Gener.dist.4. quæst.36.* & Mendoza *disp.4.* 11

PROBATVR validè. Species sacramentales frigore congelatæ, calore rarefactæ ampliantur; quæro, an ibi noua producatur quantitas; vel solus modus extensionis? si noua quantitas: quæro, vbi cubat? vbi hæret? cùm ibi non sit præter quantitatem sustentantem cætera accidentia sacra: non autem potest aliam sustentare quantitatem. Rursùs; cùm species condensantur: ergo deperditur de illa quantitate prima: ergo deperduntur & species: nam, corruptis subiectis, corrumpuntur ea, quæ in eis sustentantur ex Aristotele.

NOTA, videri Seraphicum dicere, acquiri rarefactione quantitatem: nam, *dist. 17. cit.* ait: *Quoties additur Quantitas maior minori, nisi fiat per rarefactionem, oportet, vt addatur substantia.* 12

RESPONDET Pater Galitius, acquiri aliquid quantitatis, nempè modum; & hoc velle Seraphicum dicere.

DICERES, velle ibi S. Doctorem excludere rarefactionem ab acquisitione nouæ substantiæ, hac phrasi; Semper in augmento quantitatis addi etiam substantiam; nisi fortè, vt aliqui volunt, adderetur per rarefactionem sola quantitas. Sed de hoc latè, *Tractatu 9. de anima, disputatione 3. quæst.6.* agam.

ASSERO sextò, rationem formalem quantitatis consistere in corporeitate, quæ facit partes extra partes: vnde oritur, quòd nisi à Deo impediatur, repugnant aliis in eodem spatio Ita Sanctus Bonauentura, *in 4. distinctione 49. loc. cit.* Amicus verò, *art.7.* ex parte consentit. Idem vult Sanctus Bonauentura *in 4. distinctione 12. part. 1. art. 1. quæst.3. ad 3.* & *art. vlt. quæstione 2. in corpore*; vt infrà; & *dist.10. q.vlt. ad 1.* Sic exponitur à Galitio, *loc. cit.* 13

PROBATVR à Sancto Bonau. In eo est ratio formalis alicuius; à quo est primus effectus, seu proprietas, à solo Deo impedibilis; sed ab hac corporeitate partium extra partes, oritur effectus impenetrabilitatis, à solo deo impedibilis: ergo. Maior explicatur, cùm enim essentiæ rerum nequeant à priori semper probari, debent è proprietatibus emanantibus colligi à posteriori. Sic è risibilitate colligimus rationalitatem. Ita ad rem nostram. Hoc communi conceptu omnes conueniunt; vt notat Amicus, qui sic Rationem format: Eatenùs agnoscitur aliquis effectus proprius alicuius, quatenùs eo posito, exit, & hoc ablato, & manente quacunque alia re, non producitur; ex Aristotele *in Poster.* sed, positâ quantitate, ponitur impenetrabilitas, & eâ amotâ, manente quauis re, siue materiâ, siue formâ, non est impenetrabilis: sed materia, forma, & accidentia se inuicem penetrant: ergo. Hoc vrget etiam Eustachius. 14 15

Ex his colligere potes; Quomodo se haberet substantia, præcisâ quantitate.

16 Qvoad materiam, Sanctus Bonauent. *in 2. distinctione 3. part. 1. art. 1. quæst. 1.* quem sequitur Galit. *part. 1. Tom. 1. Tract. 2. quæst. 7. num. 5.* sentit, eam fore indiuisibilem. Eundem sequitur acies ingens, præcipuè Antiquorum, apud Amicum, *tractatu 15. Physic. quæstione 4. dubio 5. articulo 2.* Fonsecam, *Metaphysicorum; cap. 13. quæst. 2. sect. 3.*

Alii parùm discrepant, dicentes, substantiam corpoream fore, sicut spiritualem. Ita Fonseca, *loc. cit.* Colleg. 1. *Physic. cap. 2. quæst. 2. artic. 3. ad 1.* Vasquez, *part. 1. disputatione 196. cap. 3. num. 9.* Perer. 1. *Phys. cap. 1.* Videtur Scoti *in 2. dist. 12. quæstione 2.* & Ruuij, 1. *Physic. text. 3. quæst. 2.* Subscribit Eustach. *l. c. num. 4.*

17 Alii dicunt, fore in eodem spatio, eodem ordine partium ad spatium. Ita Scotus, *c. de* Qvantitate, *quæstione 2. ad 1.* Molina, *part. 1. quæstione 52. art. 1. disp. 1. metaph. 1.* Fuliens. *1. physic. cap. 6.* Suar. *t. 3. in 3. part. disp. 48. sect. 1. §. secundo infero; & disp. 40. metaph. sectione 4.* Hurt. *disp. 13. metaph. sect. 5. §. 40.* Oppositum videtur supponere S. Bonau. *in 4. distinct. 12. part. 1. art. 1. quæst. 3. ad 2.* vbi, volens ostendere, in sanctissimo Sacramento, accidentia sine subiecto manêre extensa, ait: *Quantitatem formaliter, ex natura sui generis, habere extensionem, vnde non potest esse quantitas sine extensione; causaliter tamen eam, totumque suum esse habere à substantia; &, quia substantia destruitur in Eucharistia, ideò Deus facit esse extensionem sine substantia: quia manet forma extensionis.* Ex his videtur tamen colligi aliqua virtualis extensio, non formalis entitatiuè. Clariùs hoc docet, *disp. 10. part. 1. quæst. vlt.* maximè *ad 1.* vbi ordinem membrorum in toto ponit in Eucharistia ratione quantitatis.

18 Præmitto, posse substantiam sine quantitate existere, contra Sonc. 5. *metaph. quæst. 22.* & alios relatos à Capr. *in 4. distinctione 12. quæstione 1.* quibus adhæret Galitius *in Dialect. lib. 4. tract. 2. cap. 4. num. 8.*

Probatvr à Diuo Bonauentura *in 4. distinct. 10. part. 1. art. 1. quæst. 2. argum. 4. ad oppo.* quod concedit, quoad hoc; & vrgetur à multis apud Tolet. *q. 7.* Magis pendet quantitas à substantia, quia è contrà; sed quantitas est separabilis à substantia; vt patet in Eucharistia: ergo. Maior probatur, quia substantia est ens, per se, & subiectum accidentium; at quantitas ens entis, ad subiectum intrinsecè tendens.

19 Respondent, substantiam absolutè minùs pendêre à quantitate; sed, vt habet rationem totius integralis, pendêre magis: scilicet in genere causæ formalis, quod est maius, quàm in genere materialis.

At substantia pendet à quantitate, tanquam accidente; esto nequeat sine ea conseruare partes integrales, putà, caput, pedes, &c. at quantitas accidens est intrinsecè, atque ens entis; vt ait Aristoteles 1. *Metaph. initio.*

20 Assero, substantiam nudam absque quantitate fore præsentem alicui spatio.

Probatur ex D. Bon. *in 4. d. 12. art. 1. q. 3. ad 2.* à Molin. *p. 1. q. 52. art. 1. d. vn. m. 5.* Suar. *d. 13. met. sec. 4. n. 57.* & refert. Hurt. *d. 2. phys. sect. 10.* Amicus, *tract. 15. phys. q. 4. dub. 5. art. 3. n. 8.* contra Vasq. *T. 2. p. 1. d. 196. n. 13.* substantia, vbicumque sit, puta, si sit in dolio, habet virtutem producendi quantitatem; cùm hæc sit eius passio; & omnis essentia habeat virtutem producendi suam passionem. Sanè illa quantitas, ab intrinseco illius substantiæ emanans, produceretur in eo dolio; at hoc non aliâ de causâ, nisi quia ibi, intra illud spatium, est illa substantia; non enim habet actionem nisi vbi est. Confirmatur: nam etiam substantia spiritualis solâ prædita materiâ, & formâ, est intra spatium.

Assero secundò, substantiam illam corpoream, spoliatam quantitate, redigendam probabiliùs ad punctum in momento.

Probatvr validè argumento D. Bonau. *loc. cit* quo nituntur cæteri. Effectus formalis primus proprius, non potest esse sine propria forma. At extensio partium in se est primus Effectus formalis quantitatis: Ergo, hâc amotâ, non inuenitur: Alioqui adueniens Qvantitas est superflua ad extendendum. Argumentum claret ex dictis. 21

Qvod si arduum visum sit Fuldensi, magnam montis molem ad indiuisibilem puncti paruitatem defluere: Sciat, id non fieri latione, aut motu locali.

Respondet tamen, id aliter fieri non posse, cùm extensio quantitatis intrinseca sit ad locum, quæ non potest deperdi; nisi locum deserendo. At frustrà vrget: suprà enim ostendi, essentiam quantitatis, hac extensione locali esse priorem.

Dices substantia corporea talis est naturæ, vt ad punctum redigi nequeat.

Fateor talem esse naturam substantiæ, quæ quantitate actuali vestitur, sed instabis: illa etiam substantia, quæ quantitatem non induit, habet partes extra partes, & quantitate priores.

Annvo: sed illas partes habet à quantitate tantùm extensas: non tamen renuo, illam substantiam virtute continêre quantitatem: ac proinde virtute extensionem, quam valet in actum reducere, iuxta prolata *disp. 1. quæst. 11.*

Hinc etiam potes percipere, quantitatem, à substantia *quanta* realiter distingui, contra nominales *in 4. dist. 10. & 18.* Ita D. Bonau. præcipuè *in 4. dist. 12. p. 1. art. 1.* passim. 22

Constat adeò solidè, vt Arist. in tota disputatione, 1. *Phys. à text. 13. & 3. Phys. text. 35.* contra Germenidem, id perpetuò supponat.

Probatvr primò à D. Bonau. *q. 1. art. cit.* Ens, per se, & ens entis differunt realiter. Ideò enim distinctis prædicamentis ponuntur; sed substantia est ens; Quantitas ens entis: ergo Hinc etiam D. Aug. 5. *de Trinit. c. 20.* ait: *In iis, quæ participatione magnitudinis sunt magna, aliud est magnitudo; aliud, quod ab illa magnitudine magnum est.*

Probatvr secundò à D. Bon. *q. 2. & 3.* quia in augustissima Eucharistia manet quantitas sine substantia. Lapis autem Lydius, cognoscendi distinctionem realem, est, si queant separari, saltem à Deo, posset autem vtramque diuisim conseruare; vt ostendi. 23

Non tamen id benè probat Sonc. 5. *met. q. 19.* eò quòd transmutetur quantitas, non mutata substantia in augmentatione corporis animalis.

Etenim, vt notat Amic. *q. 5. art. 2. n. 8.* ex D. Bon. *in 1. d. 17. p. 2. ar. 1. q. 1. ad 3.* in augmentatione fit additio substantiæ per nutritionem inclusam. 24

Probatvr tertiò. Causa, & effectus differunt realiter; sed substantia est causa quantitatis: ergo. Ita arguit Sanctus Bonauentura, *in 4. distinct. 12. part. 1. art. 1. q. 3. ad 2.*

QVÆ

QVÆSTIO II.

An QVANTITAS *componatur ex partibus.*

25 SCIAS, è Diuo Bonauent. *in* 1. *distinctione* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *&* 2. totum, & partes esse correlatiua. Tot ergo erunt partium genera, quot & totorum. Triplex autem totum à Philosophis assignatur. Aliud est totum essentiale; aliud potentiale; aliud integrale. Totum essentiale dicitur, quod ex partibus essentialibus constituitur; quod diuiditur in totum physicum, quod ex partibus physicis; & metaphysicum, quod ex partibus metaphysicis. Totum potentiale, seu vniuersale dicitur, quod continet sub se partes subiectiuas; tale est genus, continens species. Alij tamen dicunt, totum potentiale esse essentiam, respectu suarum potentiarum. Totum integrale

26 est, quod ex partibus integrantibus componitur; siue homogeneis eiusdem rationis, vt lignum; siue heterogeneis diuersæ rationis, vt animalis corpus constat membris. Modò non agitur: an quantitas sit composita physicè ex materia, & forma, cùm sit accidens: neque metaphysicè ex gradibus; neque an habeat species sub se: sed quærimus; an composita sit ex partibus integrantibus.

DVÆ autem conditiones partibus totum constituentibus requiruntur; altera, vt actu componant; altera, vt pars vna distinguatur à sua comparte.

27 PARTIVM integralium aliæ sunt æquales: aliæ proportionales; æquales sunt, in quas æqualiter diuiditur quantum; & habent in se proportionem Geometricam: proportionales sunt medietates medietatum; & secundùm proportionem quandam, totum excedit partes, quæ inter se seruant proportionem Arithmeticam. Vtraque diuiditur in communicantes, & non communicantes. Priores, facta prima diuisione continui, communicant cum partibus prioris diuisionis; non sic posteriores. Diuide lignum bipalmare æqualiter, hæ partes non communicant; si hæ subdiuidantur, medio palmo accepto ex vno segmento, & medio ex alio, erunt communicantes.

28 NOTA secundò, Quantitatem ita definiri ab Arist. 5. Metaph. cap. 12. *Quantum est, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse.*

DEFINIT autem *Quantum physicum*, non mathematicum.

ARBITROR, *hic* definiri substantiam *quantam*, non quantitatem abstractam. Ita verò, vt primum definitum sit quantitas, à qua habetur diuisibilitas; & ratione eius substantia.

29 NOTA etiam aliam diuisionem partium quantitatis, *ex* 5. *metaph. text.* 30. Aliæ enim sunt aliquotæ, quæ aliquoties replicatæ mensurant totum; vt numerus binarius, quinquies replicatus, denarium complet. Aliæ non aliquotæ, quæ cum aliquo alio componunt totum; sed non mensurant totum, aliquoties replicatæ; vt ternarius est pars quaternarij, sed non aliquota. Id obscurè significat Sanctus Doctor *ad psal.* 129.

PRIMA opinio est, *Quantitatem* esse entitatem simplicem, habentem partes solùm in potentia per sectionem diuisibiles. Ita Henric. *quodl.* 4. *q.* 15. & *quodl.* 9. *q.* 41. Aureol. apud Capr. 2. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 2. & Gregor. *ibidem*, & multi Aristotelis interpretes, 8. *Physic. text.* 68. inter quos D. Thom. & clariùs *prima concl. text.* 4. & 5. *Metaph. lect.* 21. *text.* 31. Fonseca *cap.* 13. *q.* 6. *sect.* 4. *concl.* 2. & alij apud Amicum, *Tract.* 15. *Phys. q.* 6. *art.* 2.

OPPOSITA sententia asserit, continuum esse ens, actu compositum è partibus integrantibus. Ita omnes Philosophi ante Arist. qui, hoc supposito, quærebant; an componeretur ex diuisibilibus, vel indiuisibilibus; & alij plurimi, apud Amic. Tol. 6. *Physic. q.* 1. Suar. *d.* 11. *metaph. sect.* 1. Hurtad. *d.* 15. *Phys. sect.* 1. Masium, 6. *Physic.* Poncium *d.* 18. *Physic.* Murciam, *disp.* 1. *quæst.* 5. est D. Bonau. *locis citandis.*

ASSERO cum hac sententia quantitatem esse actu compositam ex partibus. 30

PROBATVR primò ex D. Bonau. *in* 4. *dist.* 12. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 3. *& art. vlt. q.* 2. ex natura extensionis, argumento, quo nititur Amicus, *n.* 10. Id, quod extenditur, continuas habens partes extra partes, quæ sunt assignabiles, supponitur compositum actu è partibus. Talis est intrinsecè quantitas; vt dixi *q.* 1. ergo. Maior est Arist. 5. *Metaph. text.* 8. *&* 6. *Phys. text.* 26. *&* 27. vbi distinguit contiguum, & continuum, quòd ambo quidem habent partes; sed contiguum habet extrema simul; continuum verò vnum. Minor est euidens.

PROBATVR secundò à D. B. *in* 4. *dist.* 12. *p.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *& in* 1. *d.* 19. è diuisibilitate. Id, quod habet partes, absque vlla productione diuisibiles, eas continet actu. Talis est quantitas: ergo. Maior est Arist. 10. *Metaph. text.* 9. Quod enim aut diuisum, aut diuisibile est, multitudo quædam dicitur. Minor est clara, ex Arist. 5. *Metaphisic. textu* 18. 31

PROBATVR tertiò. Ea, quæ possunt absque noua productione separari, & sic stare realiter, sunt realiter distincta; sed partes continui sunt huiusmodi: ergo. 32

PROBATVR quartò. Quæ sunt termini distinctæ realiter actionis, sunt distincta realiter. Tale est continuum: ergo. Maior est certa: nam actio specificatur à termino. Minor probatur. Accendatur medietas ligni, & in ignem vertatur; ibi producetur quantitas ignis. Mox applicetur alteri medietati, producetur altera medietas quantitatis; & continuabitur. Non inuenio difficultatem alicuius ponderis. Argumenta, ex dicendis, ruent. 33

QVÆSTIO III.

An partes, componentes QVANTITATEM, *sint diuisibiles; an indiuisibiles.*

INDIVISIBILE negat diuisibilitatem: vnde totidem modis dicitur Indiuisibile, quot dicitur diuisibile. Diuisibile autem dicitur tripliciter. Vel in partes physicas, nempè, in materiam & formam. Vel in metaphysicas, scilicet genus, & differentiam, actum; & potentiam. Vel in partes integrales, putà, animalis 34

in membra; ligni in segmenta. Hinc triplex est indiuisibile; primum physice, in partes physicas, vt forma simplex. Secundum in metaphysicas, vt Deus. Tertium in integrales: Vt anima.

35 Nota verò, ex Diuo Bonauenturà, *in* 1. *distinctione* 37. *part.* 2. *quæstione* 1. *& seq.* & *in* 2. *part.* 2. *d.* 2. *art.* 2. præsertim *quæst.* 3. & *d.* 3. *p.* 1. *quæst.* 1. *& alibi*; Indiuisibile esse duplex: alterum in partes entitatiuas, vt Angelus, & aliæ substantiæ spirituales. Alterum quantitatiuum, quod caret partibus quantitatiuis; siue omnibus, vt punctum; siue secundùm latitudinem, vt linea; siue secundùm profunditatem, vt superficies.

36 Differunt autem hæc duo genera indiuisibilium, quòd carentia partium in entitatiuo oritur ex ipsius perfectione: quia dicit simpliciorem, & minùs compositum modum essendi: at in quantitatiuo oritur ex imperfectione.

37 Hinc fit, vt indiuisibile entitatiuum, in ordine ad spatium, extendi queat; vt anima in corpore; & Angelus in loco; ita vt sit totum in toto, & totum in quauis parte; at quantitatiuum restringitur ad indiuisibile.

Epicurus, & Democritus dixère; continuum, non ex punctis, sed atómis, sanè indiuisibilibus, componi. Eos secutus est Nicolaus Bonettus, *lib. de quantitate.*

Alii verò antiqui, quantitatem ex indiuisibilibus componi, dixêre; vt Leucippus, & Democritus, apud Simplicium, 1. *Physic. text.* 1. Zeno apud Aristotelem *de lineis insecabilibus*; *&* 6. *Physic. text.* 77. Liconiensis, apud Thien. & Plato, apud Bonettum. Hos secuti sunt Nicolaus Turonensis, Godonus, & Cancellar. Oxom. apud Scotum in margine, 2. *distinctione* 2. *q.* 9. Citatur Astudillo, 6. *Physic. quæst.* 1. Suessa. *cap.* 1. Versor. *q.* 1.

38 Ex his aliqui finita dicebant indiuisibilia; alij infinita: esse finita, inter recentes, rati sunt Salmaticenses, & alij in Hispania; vt faciliùs difficultates euaderent, de merito non augendo in infinitum, ex maiori operationum duratione quam solnam, *prima secunda, Tract. de Gratia, dispntatione vlt.*

Stoici, perterriti ex diuisibilitate continui in infinitum, illud composuerunt ex indiuisibilibus, sibi immediatis. Eos imitatur Plato; sequuntur Bonettus *in prædicam. lib.* 2. *de quantit.* Sebastianus Bassonus *in sua Philosophia naturali, libro de motu, intentione* 6. *& alij Recentiores,* apud Tolet. 6. *Physic. quæst.* 1.

39 Sententia Peripatetica est, continuum non componi ex indiuisibilibus Eos vide recensitos in Tol. 6. *Physic. quæst.* 1. Conimbr. *quæst.* 2. Murcia *disp.* 1. *q.* 5. Massio, *quæst.* 4. Ruuio, *tract.* 1. Hurtado, *disp.* 15. *sect.* 5. Perer. *lib.* 10. *cap.* 12. Ita etiam sentiunt Scholastici Theologi *in* 2. *distinct.* 2. vbi Scotus, *q.* 9. D. Bonau. *part.* 2. *art.* 2. sæpè; *& in opusc. passim*, D. Thom. *p.* 1. *q.* 52. vbi eius Interpretes. Subscribunt Mastrius *d.* 9. *q.* 2. Eustachius *p.* 1. *Physic. tract.* 3. *q.* 3. Amicus, *tract.* 15. *q.* 7. *art.* 4. & quot referam *q. seq.* negantes indiuisibilia. Poncius *d.* 18. *Physic. q.* 2. vtrinque pendulus inter argumenta authoritati cedit Peripateticorum, & Concilij Constantiæ *sess.* 15. vbi astruit, errorem esse in Philosophia, quòd linea continua componatur ex immediatis punctis.

Arriaga negat hanc censuram haberi in ipso Concilio; sed esse appendicem Canonici Coloniæ; & sanè è codice mendoso excerptam.

Assero, cum hac sententia, continuum non componi ex indiuisibilibus.

Probatur à Diuo Bonauentura 1. *in* 2. *distinctione* 2. *part.* 2. *articulo* 2. *quæst.* 3. Omne continuum permanens est figurabile; Nullum compositum ex indiuisibilibus potest habere figuram: ergo. Colligitur à Diuo Bonauentura, è D. Damasc. Maior est certa: nam linea quæcunque potest incuruari, deduci in peripheriam, & facere circulum, vel alias figuras Isoperimetras, &c. similiter omnis superficies est figurata, & magis omne corpus; est enim figura, passio continui. Minor probatur: nam figura est modus, resultans ex quantitate terminata; vt benè probat Amicus, *Tractatu* 16. *Logicæ*, *quæst.* 5. *d.* 2. seu, vt ait Euclid. *lib.* 1. *de Elem.* figura est, quæ sub aliquo, vel aliquibus terminis comprehenditur (linearibus, non punctualibus intellige) sumo igitur lineam, è punctis contextam, hæc non poterit esse ex imparibus punctis, putà, 9. 11. *&c.* atque adeò non poterit figurari, quadrilaterum, aut multilaterum, exigens latera æqualia, & paria; neque innumeræ aliæ figuræ, quæ æqualitatem exigant. Ratio est, quia indiuisibile impar, cùm nequeat secari, semper ex vno latere stabit, faciens inæqualitatem; nisi concedant, illud indiuisibile diuidi posse, ex priuilegio Regis Daniæ. 40 41

Secundò arguit Gregor. 2. *dist.* 2. *quæst.* 2. *artic.* 1. fundamento Seraphici. Sequeretur, Peripheriam semicirculi esse æqualem diametro, non maiorem: nam ex quouis puncto Peripheriæ duci potest linea perpendicula ad diametrum, ac proinde omnia puncta Peripheriæ habebunt puncta correspondentia in diametro; & consequenter erit Peripheria diametro æqualis. 42




Tertiò, *eodem fundam. Seraphici* arguit Scotus 2. *distinct.* 2. *q.* 9 & Gregor. *q.* 2. si quantitas componeretur ex indiuisibilibus; sequeretur, circulum minorem esse æqualem maiori, quod repugnat ex terminis. Consequentia patet: quia vterque componeretur ex partibus æqualibus magnitudine, & multitudine; vt constat ex descriptione duorum circulorum concentricorum, quos posse describi, patet ex Euclide, *lib.* 1 *petit.* 3. Ducantur enim lineæ è centro, vsque ad circulum maiorem, transibunt per circulum minorem; atque adeò transibunt per tot puncta in circulo minori, quot in maiori: nam duæ lineæ transeuntes per puncta circuli minoris, vel secabunt illa in duobus punctis; & tunc tot erunt puncta in minori, sicuti in maiori; vel secabunt in eodem puncto; & inde sequetur, partem anguli, esse æqualem toti angulo, & minorem circum maiori. 43

Secundò sequetur, falsum esse, quòd ab vno puncto ad alium punctum, non possit nisi vnica linea recta duci. 44

Tertiò sequetur, ex lineis, quæ protenduntur vsque ad maiorem circulum, vnam esse obliquam, alteram rectam. Denique lineas, ductas à centro ad circumferentiam non esse æquales; vt arguit Amicus, *num.* 41.

Hinc

Hinc ruit responsio Gerardi, illas lineas se æquitare inuicem; & Arriagæ dicentis, illas lineas in vno coire; & Salmaticensium, puncta interiùs esse extensa virtute.




45 Qvartò sequeretur, lineam intra triangulum, parallelam basi, esse maiorem ipsa basi; quod est in Mathematicis implicans. Fiat basis quinque punctorum, & super eam erigantur latera decem punctorum, & post punctum anguli ducatur linea paralella basi, hæc erit saltem duorum punctorum; ducatur alia linea immediata, erit trium punctorum; mox alia erit quatuor, mox alia erit quinque; deinde alia erit sex punctorum, ecce, est maior basi, quæ est quinque punctorum.



Fertvr, respondisse Arriaga, puncta habere latera extra, sicut superficies, vnde corpus dicitur esse intra eam. Hoc, vt sonat, destruit puncti essentiam: vt monet Sanctus Bonauentura, *serm. 11. Hexaëmer.* Id vult, puncta stare contigua, non se penetrando; sicuti & duæ superficies Cœlorum Lunæ, & Mercurij. Dat punctum in cubico, sanè respicit 4. partes mundi, ducantur ex illis quatuor lineæ vsque ad illud, contingent sanè suis extremis punctum, at non se mutuò lineæ illæ cruciformes penetrabunt, quia vna non est intra aliam.

At punctum adhuc crassum facit. Sanè duo puncta contigua sunt simul, apud Aristotelem, sic & duæ superficies contiguæ. Quid est esse simul, nisi penetrantes, correspondere eidem loco? Quod si mediat punctum extra non tangetur, nisi secundùm totum penetretur; neque tamen vnum intra alterum continebitur: hæc enim est penetratio diuisibilium, saltem virtualiter, quales sunt Angeli. Itaque ea quatuor puncta linearum extrema tangent se in puncto medio; ni dicas punctum occupare spatium & disiungere lineas illas.

46 Probatvr quintò à Scoto, & Gregorio: quia sequeretur, diametrum quadrati, & eius costam esse æquales, quod est impossibile. Probatur sequela: quia tot puncta habet vna, quot altera. Si enim à singulis punctis quadrati costæ deducantur lineæ ad alteram costam, omnes illæ transibunt per omnia puncta diametri, nec habebunt aliud punctum: nam lineæ illæ totum spatium quadrati replent, vbi est diameter; vt patet in subiecta figura.



7 Hoc autem est contra Euclidem, *lib. 10. Theor. 93. prop. 117.* Vnde fit, diametrum esse æqualem lateribus, non maiorem, contra Euclidem, *lib. 1. prop. 47.* dato, quòd intersecatio fiat immediatè. Neque potest dici secare diametrum in punctis mediatis: nam lineæ parallelæ, immediatè eductæ, semper retinent eandem immediationem; ac proinde etiam in secanda diametro, in qua nil intermediare potest. Hinc verò sequitur, quamlibet lineam esse alteri commensurabilem: nam *ex prop. 6. lib. 10.* Omnis proportio, quæ exprimitur numero, est commensurabilis. Itaque omnis regula figurarum susdéque vertetur.

Vrgeo *argumento* 2. D. Bonau. componendo vnam figuram cum alia figura, tanquam in loco. Locus, & locatum debent esse æqualia. Pono locum vnius puncti, & locatum alterius; vel erunt contigua, illa puncta, vel continua; si contigua, se tangent, secundùm se totum, vel secundùm partem; si secundùm partem: ergo sunt diuisibilia; si secundùm totum: ergo se penetrant: ergo nequit alterum in altero esse, vt in loco. 48

Nvnc verò sumo Cœlum, alteri contiguum, putà, Lunæ, & Mercurij & vtrumque sit centum millionum punctorum; debent enim esse æquales, quia proprietas loci est hæc, vt sit æqualis locato. Ducantur lineæ per ambos à primo mobili ad centrum terræ, vbique se puncta intersecabunt, & inuenient correspondentia puncta: ergo Cœlum superius non est maius inferiori. Quòd autem ita sit, probo. Indiuisibile additum indiuisibili non facit maius: ergo cuicunque puncto superficiei concauæ Mercurij addantur puncta, tangent ea, quæ sunt superficiei; vel immediatè, & tunc secundùm se tota, & se penetrabunt; vel secundùm partes; & erunt diuisibilia; si mediatè, sanè mediis aliis punctis, & de his redit idem argumentum. Assumptum verò de Indiuisibili addito indiuisibili, non faciente maius, ostendetur infra. Hinc malè adducunt has superficies ad extensionem probandam. 49

Dices. Si ducatur linea inter superficies, concauam Cœli Mercurij, & conuexam Cœli Lunæ, vel tanget vtramque in puncto; & tunc deberent esse vnum tantùm, non dua contigua: vel in duobus punctis, & ecce vnum punctum iuxta aliud, non penetrans, nec penetratum à vicino puncto. 50

Respondetvr, esse vnum indiuisibile: fallit autem sensus, repræsentans duo succedentia. Sicut enim duæ partes continui sunt immediatæ, etsi mediet punctum; ita & duæ illæ superficies, quarum puncta in extremitatibus non faciunt distantiam, sed sunt simul, & linea transiens secat in puncto. Ita respondet Amicus, *num.* 51. ex D. Bonauent. *in 2. dist. 2. part. 2. articulo 2. quæst. 4. argum. 2.*

Hinc malè Salmaticenses dicunt, ea puncta se penetrare; sed non esse in eodem loco adæquato; sicut duo Angeli. Profectò Angeli sunt virtute extensi: vt monet Mastr. *d. 9. quæst. 2.* è D. Bonau. *initio capitis.*

Probatvr sextò. Ponamus locatum aliquod in loco septem punctorum, quod possit mediatè condensari. Ergo in loco trium punctorum & dimidij, se restringet. Quæro illud dimidium puncti est diuisibile, aut indiuisibile? si indiuisibile. Ergo ipsum est punctum; & quando erat integrum, non erat punctum. Si diuisibile: iam non est punctum. Eruo hanc rationem ex argumento tertio D. Bonau. *quæst. cit.* 51

52 Probatvr septimò ratione D. Bonauent. 1. *distinct.* 37. *art.* 2. *quæst.* 2. Accipio spatium trium punctorum, & mobile vnius puncti, & moueatur localiter: illud non mouetur in primo puncto, quod est terminus, *a quo*; neque in tertio, quod est terminus, *ad quem*: ergo mouetur localiter in puncto medio indiuisibili: ergo in instanti est motus localis, quod est absonum: nam motus localis successiuè est inter terminos. Ideò Aristoteles 6. *Physic. text.* 88. docet, punctum non posse moueri super magnitudinem: quia, quod localiter mouetur, tendit, acquirendo situm, parte post partem; at situs punctalis ità nequit acquiri, vt obseruat S. Bonauent. *in* 1. *distinct.* 37. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2.

53 Probatvr octauò, argumento Diui Bonauenturæ *in* 1. *distinct.* 37. *part.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 2. *argum.* 3. *secundo loco*, contra asserentes, infinita esse indiuisibilia in continuo. Si infinita sunt, nec vnum in altero est; sequitur, omnia in motu spatij percurrenda successiuè. Sed infinitum est impertransibile: ergo.

Probatvr nonò *argum.* 4. *eiusdem quæst.* & *serm.* 11. *Hexaëm.* ab eodem S. Bonau. Continua sunt, quorum extrema sunt vnum, ex Aristotele, 5. *Physic. text.* 26. & 27. sed puncta nequeunt extensionem facere, & continuationem: quia, si sunt vnum, non facient aliquod diuisibile; sed &

54 multa, inuicem penetrantia, facient indiuisibile: nam indiuisibile, additum indiuisibili, facit indiuisibile; vt ait Aristoteles 6. *Physic.* initio; cùm enim indiuisibile accedit ad indiuisibile, vel tangit alterum, secundùm totum, & ità penetrant se, nec faciunt extensionem; vel se tangent secundùm partes, & ità erunt diuisibilia, & hæc proportionaliter applicanda lineæ, quæ addita lineæ, non facit latitudinem; & superficiebus, quæ non facient corpus. Ità arguit S. Bonau. *in* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *argum.* 2. *oppo. cum responso*; & quia hæc ratio fundatur in natura, & componibilitate indiuisibilium, vrgebit, etiamsi infinita sint: nam finitas, & infinitas, sicuti non mutant naturam indiuisibilium, ita nequeunt tribuere virtutem componendi, quæ eis repugnat; vt rectè probat Aristoteles suprà. Hæc vrgit Petrus Iouet 3. *Physic. cap.* 2. hinc Poncius timet.

55 Responsio Arriagæ iam reiecta est.

Respondent alij, indiuisibile, additum indiuisibili, posse facere maius. Sic Angelus per multas replicationes se potest extendere ad maius spatium. Et corpus Christi in Eucharistia, pro maiori, vel minori replicatione, extenditur speciebus maioribus, vel minoribus. Confirmatur; nam vnitas indiuisibilis, addita aliis, facit quantum discretum.

56 Responsvm hoc Morisano visum est Dædaleum.

Retvndit Mastrius *disput.* 9. *quæst.* 2. hanc responsionem: nam extensio adducta non fit per replicationem; sed per virtualem diffusionem illius Angeli, siue animæ ad locum. Sicut enim quantitas modis formaliter per partes extenditur; ità quantitas virtutis dat vim similem suo esse simplici. Hunc modum, ait Mastrius, se posteà inuenisse in Coninch. *de Sacram. quæst.* 75. *articul.* 4. *disput.* 3. Enim verò sæpiùs hæc refricantur Diuo Bonauentura *locis initio adductis*, præsertim *in* 2. *distinct.* 2. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. vbi assignat etiam differentiam spiritus, & corporis in loco: hoc enim habet esse in loco solùm per partes; at spiritus est totus in toto, & totus in qualibet parte. Sed de hoc satis dictum, *Tract.* 4. *disp.* 9. Quod de corpore Christi mussitat, non est simile, quia est corpus diuisibile, neque per replicationes multiplicatur in eadem hostia; vt notat D. Bonau. *in* 4. *distinct.* 10. *part.* 2. *quæst. vlt.*

Ad id de numero, satis discreti natura exprimit, diuersitatem esse extra chorum toto genere.

Idem argumentum infert de instantibus, respectu temporis, & de mutatis esse, respectu motus; ex Aristotele *loco citato*. 57

Itaqve si motus fiat per infinita instantia, non erit successio, aut in duratione, aut in spatio.

Probatvr tandem à D. Bonauent. *in* 1. *distinct.* 43. *quæst.* 2. Continuum est diuisibile in infinitum, vt Philosophi dicunt: ergo è partibus diuisibilibus constat.

Contra hoc tamen obiiciunt. Sphæra tangit planum in puncto; atque adeò, dum mouetur per planum, semper tangit in puncto: ergo in linea vbiquè sunt puncta succedentia. Confirmatur ex 1. *de Gener. text.* 8. & 9. vbi punctus dicitur, esse vbique in linea; & 1. *poster. text.* 9. habetur, lineam ex punctis constare. 58

Respondent Tolet. *loco cit.* Amic. *num.* 53. Eustach. *p.* 1. *tract.* 3. *quæst.* 3. & alij, cum D. Bonau. *quæst. cit. in* 1. *distinct.* 37. *part.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 2. *in calce.* Sphæram immotam tangere in puncto: dum autem mouetur, tangere in instantibus puncta; in partibus verò temporis, & motus dicunt signare lineæ partes inadequatè, non autem sibi commensurari. Id explicant Tol. Auersa, morisan, Amic, Mastr. è Scoto; quia dum trahitur, maius spatium occupat. Ideò potest lineæ aliquid occupare suo puncto in tempore. Sic enim & corpus, dum mouetur, maius spatium occupat, quàm in quiete, quia successiuè extenditur.

Hoc tamen displicet, nam commensuratio mobilis ità fit, vt quantùm extensione motus vltrà acquirit; tantùm retrò relinquat, & deserat. Ad Aristotelem dic, puncta singulis partibus assignabilia, non tamen esse immediatè sequentia. Porrò lineam è punctis, vt terminis, & nexibus construi, non vt partibus componi, non est inficiandum. Fuldensis 1. *Physic. cap.* 6. *art.* 4. instat, nos petere principium, quia ratio, cur globus immotus tangit planum in puncto, non est, quia stat; sed ratione figuræ suæ, quâ impeditur, ne commensurari queat parti diuisibili. Hoc autem habet, siue moueatur, siue quiescat; aut aliud assigna discrimen.

At fallitur; iam enim dixi, Sphæram, dum mouetur, tangere lineam inadæquatè, quia in partibus contactum non inuenir, cui adæquetur.

Obiicies secundò apud D. Bonau. in transubstantiatione, vnum instans succedit instanti. Dico ea, esse disparata. De hoc 3. *part. Tract. de Euch.* 9. *disput.* 5. *quæst.* 7.

Obiicivnt tertiò. Punctum, additum diuisibili, potest esse extra illud immediatè: ergo potest facere maiùs extensiuè: ergo & punctum, si puncto addatur.

Respondetvr, indiuisibile esse extra diuisibile, quia est improportionatum: vndè potiùs diuisibile dicendum extrà indiuisibile; non sic respectu indiuisibilis, cui sic connectitur, penetrat.

Obii

OBIICIVNT quartò, cum Zenone, contra compositionem diuisibilium in infinitum: quia mobile deberet transire priùs vnam partem continui, & cùm partes priùs prætereantur, secundùm medietates, & secundùm medietates medietatum; & hæ proportionales sint infinitæ, nunquam fiet motus, tempore finito; & cùm tempus etiam sit continuum, nunquam præteribitur.

61 RESPONDET D. Bonau. *quæst. cit. in calce*, cum Aristotele *6. Physic. text. 19. & lib. 8. text. 68.* partes proportionales esse in continuo, in potentia; atquè adeò mobile moueri actu, super partes actu, quæ finitæ sunt. Itaquè vno passu innumeras partes proportionales pertransit; non enim interfecat partes, & medietates, &c.

IDEM sequitur de tempore; non enim transeundo subdiuiduntur partes, & partes, sed simul infinitæ prætereunt, inuolutæ æqualibus.

62 EX his soluitur quæstio. An in continuo sint partes cathegorematicè, seu actu infinitæ; an verò solùm syncathegorematicè in potentia.

FVIT opinio dicentium, esse infinitas cathegorematicè. Ità Conimbr. *3. Physic. cap. 8. quæst. 1.* Ruuius *6. Physic. Tractat. de continuo*, & alij apud Amicum, *Tractat. 15. Physic. quæst. 8. articul. 2.*

63 VERA tamen sententia est, partes proportionales esse actu, in continuo, finitas in infinitum, seu infinitas syncathegorematicè, & in potentia. Ità Aristoteles *3. Physic.* & sequuntur Peripatetici, inter quos D. Bonauent. locis cit. Scot. *1. distinct. 3. quæst. 2.* & *2. Metaph. quæst. 6.* Mastr. *distinct. 9. quæst. 2.* Auers. *quæst. 22. sect. 8.* Amicus, & Ponc. *sup.* Rabes *6. Physic. disput. 1. quæst. 2.* & alij apud hos. Partes verò æquales finitas credunt Hoc sanè patet; quia, quæuis pars signata replicata complet totum, & hoc numeratur, eiusque dantur primum, & vltimum. Hoc posito, liquent præcipua, apud Poncium, obiecta.

PARTIVM proportionalium infinitas Syncathegorematica Probatur; quia semper diuisibiles sunt mathematicè; & si non Physicè, in quouis numero sint: nam hoc est de ratione continui; vt docet Aristoteles *8. Physic. textus 68.*

64 EX his sopita iacet oppositio aliquorum. Si in continuo sunt partes infinitæ, iam tot erunt partes in aræna, quot in cælis; & sicuti arguebas; tot in circo vasto, quot in circulo Mastrius, & Bellutus *disput. 9. quæst. 2. art. 5. num. 81.* dicunt, plures esse in maiori, neque repugnare vnum numero infinitum esse maius alio, vt si Deus crearet infinitos Angelos, & infinitos homines, erunt plures simul, quam seorsim. At erunt plures solùm materialiter, vt notat Suar. *disput. 40. Metap. sec. 5.* Ruuias *de Rarefact. n. 137.*

65 RESPONDEO, totidem partes esse in circulo; minores, tamen physicè breuiùs finiendas, sed Metaphysicè diuisibiles, ac Mathematicè per intellectum, quia adhuc sunt naturâ continuæ, alioqui erit circulus ex partibus non continuis.

ITA & si arenula diuidatur in infinitum, non extrahentur partes, quæ satis cælum tegant, nam semper minutiores euadunt. Et Ideò fallitur Arriaga *sect. 6.* & Poncio satisfit.

DICES Quid? si Deus diuideret omnes partes continui.

RESPONDET Faber *theor. 52.* continuum esse in infinitum diuisibile; nunquam tamen diuisum. Idem ait Scot.

DICO ergo implicare, partes continui non esse adhuc diuisibiles, vt vidimus *Tract. 1. disput. 6. num. 54.*

VRGET Poncius, posse à Deo in arenarum puluisculo designare actu partes, & partes, respondentes cuique parti cœli empyrei, & conseruari seorsim: ergò ibi sunt actu maximè quia partes proportionales componunt æquales; illæ autem sunt infinitæ actu, ex dictis *quæst. 2.* Nec valet fugere ad syncathegorematicas, quia singulæ sunt à Deo assignabiles actu. Ideò sicut numerus hominum possibilium esset infinitus actu; ita & partium continui, si vtrumque dares: posses enim cuique homini partem vnam assignare actu. Quare non valet has partes infarcire in æqualibus; Sunt enim distinctim assignabiles. Hinc etiam sequitur, esse infinita indiuisibilia actu, eas partes continuantia; & cum negetis immediata esse, iam erunt alia media, & in aliis partibus infinities infinitis. Et ecce etiam, inter indiuisibilia singula, est indiuisibile. Hæc sunt, quæ Poncium deterrent.

HÆC soluo *quæst. sequenti.* Interim dico, esse tot partes potentia non reducibili ad actum, nisi secundùm vnam partem, vel aliam, non secundùm omnes; quia hoc repugnat continuo semper diuisibili. Itaque repugnat & ipsi Deo: componuntur autem impropriè æquales ex proportionalibus, cùm non sint actu; nec possint esse omnes simul; sicuti nec omnes homines possibiles, vt ostendi *Tract. 1. disput. 6. quæst. 2.* Quod ergo infinita etiam puncta ibi sint, consequenter nego; sunt enim ibi potentiâ modo dicendo *quæst. sequent.* magis itaquè timendum aduersariis, si non ex punctis indiuisibilibus corpora componuntur, sanè infinita actu exigentur, vt extensionem digitalem construant. Cætera patent ex dictis *d. cit. à num. 56.* & ex dicendis *quæst. sequent.* elucescent.

QVÆSTIO IV.

An in QVANTITATE *sint Indiuisibilia actu.*

E quæstione præcedenti habes, quæ indiuisibilia sint, de quibus agitur.

PRIMA opinio est negantium omnia indiuisibilia, siuè ad terminandas, siuè ad copulandas partes quantitatis. Itaquè omnia puncta, omnes lineas, ac superficies reprobant. Ita Porphyrius *in prædicam. Quantitatis*; Ocham, *Tract. de Euch. quæst. 11.* Dur. *in 2. distinct. 2. quæst. 4.* Arim. *quæst. 2. art. 1.* vbi Gabr. Peret. *lib. 10. cap. 6.* Auersa *quæst. 22. sect. 4.* Aresius *1. Gen. quæst. 23.* Fuliensis *1. Physic. cap. 6. art. 40.*

SECVNDA sententia est asserentium indiuisibilia in continuo. Ità D. Bonau. *locis adducendis in argumentis*; D. Thom. *opusc. 39. cap. 2.* cum discipulis: scotus *in 2. distinct. 5. quæst. 3. & dist. 2. quæst. 9.* sequitur Schola apud Ponc. *disput. 18. quæst. 3.* & plurimi apud Amicum, *Tractat. 15. Physic. quæst. 10. artic. 2.* qui hanc probabilem censet. Eam defendit Tolet. *6. Physic. quæst 1.* Ruuius *de continuo*, P. Liuius *lib. 6. disp. 1. quæst. 2.* Conimbr. *6. Physic. cap. 2. quæst. 1.* Fons. *cap. 13. q. 6.* Suar. *disp. 40. sect. 5.* Sed Conimbric, & Fonseca negant continuantia: Poncius autem nutat.

ASSERO

Assero primò, dari probabiliter indiuisibilia actu, *in quanto*.

Probatvr à D. Bonau. primò, *in 1. sent. distinct. 37. part. 2. quæst. 1. fund. vlt. & artic. 2. quæst. 2. arg. 2. ad oppos. cum responso*; & alibi authoritate Aristotelis, qui vbiquè supponit, dari indiuisibilia, cuius loca referunt passim Amicus, Ruuius, & alij, cùm D. Bonauent. *locis citatis*. Vrgent. Continuum ab eo definiri. Cuius partes copulantur communi termino, & puncta in lineæ; & lineam in superficiei definitione poni, 1. *post cap.* 4. Instantia temporis ab eo astrui 4. *Physic. text.* 66. *lib.* 6. *text.* 11. *lib.* 8. *text.* 11. *lib.* 3. *text.* 7. & 9. & alibi Vide Diuum Bonauenturam *distinct.* 27. *quæst. vlt.* Rabes. *loco cit.*

Neqve dicant, ex aliorum sententia loqui: nam his fundamentis nititur, vt argumentetur, & suam doctrinam confirmet.

Probatvr secundò à S. Bonau. *ea distinct. part. 2. artic. 2. quæst. 2. in fine.* ex Mathematicis qui hæc supponunt. Ità corpus perfectè sphæricum, planum tangit in puncto; ex Aristotele 1. *de anima, cap.* 1. & Euclide, *lib.* 3. *prop.* 18 nam, si tangeret in diuisibili, iam circularis linea æquaretur lineæ rectæ, scilicet in eo, in quo se tangunt; at recto nonnisi rectum adæquatur. Rocc. *lib.* 6.
68 *quæst.* 4. Amicus, *artic.* 7. post multos alios, diffunduntur ad probandum, non satis è contactu sphæræ, super planum in puncto, deduci puncta.

Primò afferunt loca Aristotelis 1. & 3. *Metaphysic. text.* 8. vbi docet, Geodæsiam, quæ est scientia sensibilium magnitudinum, non experiri tantùm sphæræ in puncto. Ideò Protagoram Geometris insultare, quasi incerta demonstrantibus. Similia habet 1. *de anima, text.* 13.

Sed nihil ad rem, Ibi enim ait: *Nihil enim sensibilium ita rectum, atque rotundum.* Ita non vult demonstrationes mathematicas nutari, & Geodæsiam esse incertam; sed non experiri punctuales corporum contactus ex artis instrumenta sensibilia figurantis ruditate. Sic nemo experitur contactum sphæræ in plano, quia nullus eam ad punctum tornat; neque hoc ad lineam complanat. Auerroës, proinde infert, non detrahi optimis Mathematicæ regulis, datis sphæra, & plano ad vnguem à se descriptis. Ne ergo sibi blandiatur Fuliensis dicens, non pauendum à nostro argumento, quia nullus inuenitur globus sphæricus; nullum planum rectissimum. Concedat igitur puncta, quippe solùm artis mœcanicæ desumptæ instrumenta demonstrantibus. Conqueratur pariter Piccolomineus *in suis mœcanicis quæstionibus*, de ascia, & torno, haud verò de Euclide, Aristotele, & Seraphico. Tantummodò figuretur ab Angelo, adhibeaturque Orbis cœlestis, & actum erit de lite.

69 Opponvnt secundò. Non potest adeò inflecti peripheria perfectissimi circuli, quin æquetur secundùm partem lineæ rectæ: nam, quò maior est circulus, in maiori parte tanget; atque adeò circulus ex partibus rectis fit, & tanget in linea. Id vrget Amicus.


70 Respondetvr facilè, has esse falsas imaginationes: nam perfecta circuli peripheria talis est quidem, vt, quò amplior, eò magis extendatur, secundùm partes viciniores plano, nulla tamen pars erit recta; vbicunque extendatur. Fateor, posse magis, magisque incuruari; at incuruetur, constringitur ad angulum, etiam acutum, id solùm acquiret, vt partes magis à plano remoueantur, & in hoc stat incuruatio: non autem quòd in circulo tangat, secundùm partes. Quòd verò diuisibilis sit in infinitum, nil facit, vt extra regulam circuli trahantur partes, in quo deceptus est Amicus, *n.* 59. sed resipiscit, *num.* 71.

Obiicivnt multi recentes, sequi duo absurda ex isto contactu. Primò duas quantitates, inter quas est punctum, inter se distare: atque adeò punctum esse occupatiuum loci: nam pars lineæ, immediatè sequens punctum sphæræ, tangens planum, distat ab eo hinc inde: alioqui etiam ipsa vtrinque tangeret planum.

Respondetvr, crassiori Minerua hæc cogitari: nam partes, nexæ puncto, tangenti 71
planum, sunt ipsi puncto continuæ; atque adeò extremum est vnum: neque distant partes, cùm in puncto vnificentur. Tangunt igitur planum suo termino: quid tum? terminus est punctum indiuisibile, quod non facit distare. At isti arguunt, ac si partes nihilo sui tangerent planum. Sanè tangunt termino, sicuti duæ sphæræ superficiebus inuicem se tangunt.

Altervm absurdum est: nam sequeretur, punctum esse diuisibile: nam circulus minor, po- 72
situs intra circulum maiorem, tangit illum in puncto; vt ostendit Clauius in Euclidem, *lib.* 3. *prop.* 16. Tunc, si illi circuli ponantur super lineam rectam, circulus minor, per partem immediatam puncto, in quo tangit planum, distat à plano, & non nisi per punctum; at pars circuli maioris, immediata eidem puncto, similiter distat à plano, sed minus, quàm pars circuli minoris: ergo minus, quàm per punctum.


Respondetvr, hæc disseri, ac si circuli 73
æramentis essent rudibus contexti. Dico igitur, amborum circulorum peripheriam, idest, lineam se penetrare, quia nullam latitudinem habent; & ita vtrinque idem punctum est tangens planum. Ita verò partes linearum vtriusque nullibi vniuntur inter se, sed ambæ terminis suis tangunt planum: partes verò linearum, in minori circulo, & si in termino pariter, cùm magni circuli lineis tangant centrum, exurgant; ita vt non contingant lineas maioris, sed intersit spatium aliquod, esto insensibile. Id in subiecta figura apparet. Est autem doctrina D. Bonau. *in 2. distinctione 2. part. 2. art. 2. quæst. 4. arg. 2.* cum responso.



Alii respondent, partem consurgentem è puncto, distare spatio illo vacuo, inter circulum, & planum.

Contra arguit Amicus sic. Non magis di- 74
stat à plano linea circularis, sequens punctum, quàm illa, quæ rectà fertur ad centrum, sed hæc distat vno puncto tantùm: ergo. Maior probatur: quia, quò magis lineæ laterales accedunt ad perpen

perpendicularem, magis distant à plano; atque adeò perpendicularis maximè omnium distabit: vt patet in sequenti figura.



75 Hæc tamen nimis intendit: nam maior distantia, & minor à plano nil faciunt, quia æquè tangant in puncto: vt suprà demonstraui. Vnde sat est dicere, vt suprà respondi.

Respondet Ocham *quodl.* 1. *quæst.* 9. & Auersa *loco cit.* Sphœram non tangere planum; quia ipsi est improportionata.

Contra: quia sic staret in aëre, contrà naturam grauium. Deinde certum est, fore, vt premat planum, & frangat, si sit vitreum, quæ sine tactu fieri nequeunt.

Respondent alij, tangere Mathematicè, non physicè in puncto.

76 Respondet adhuc Ocham, eam tangere in parte indeterminata. Sed contrà: quia, vt ait Suar. si se tangunt: ergo designant inuicem partem tactam. His defluunt etiam, quæ affert Poncius.

77 Probatvr tertiò existentia indiuisibilium à D. Bonau. *loco nuper adducto*, ex natura continui, & contigui. In hoc enim distinguuntur continua à contiguis, quòd continui extrema sunt vnum; contigui verò sunt simul. Tunc sic. Omnis motus est ad aliquem terminum, vt probat D. Bonau. *in* 1. *distinct.* 37. *part.* 2. *artic.* 1. *quæst.* 2. *fund.* 3. ex Aristotele 6. *Physic. text.* 7. sed continuitas est quædam species vnitatis, ad quam terminatur motus, ex 5. *Meta. text.* 8. Ità, cùm vniuntur partes quantitatis, producitur vnum continuum, & cùm scinduntur, fit decisio. Igitur, quandocumque fit vnio, acquiruntur modi vnionis, & in diuisione deperduntur: hi autem sunt puncta. Vide Amicum, *articul.* 8. id diffusè probantem, cùm D. Bonau. *in* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *artic.* 1. *quæst.* 2. *argum.* 2. *oppos. cum responso, & dist.* 43. *quæst.* 3.

78 Probatvr quartò à D Bonau. *in* 1. *distinct.* 37. *part.* 2. *art. vlt. quæst.* 3. *ad* 2. *& in* 4. *dist.* 11. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 5. ex mutationibus subitis. Dispositâ materiâ, in instanti durationis inducitur forma; non enim successio est necessaria, nisi ad præparationem; vt probat S. Bonauent. *loco secundo citato*, *fund.* 3. ex Aristotele 8. *Physic. &* 12. *Meta.* ergo dantur in continuo successiuo indiuisibilia; nam debet esse proportio inter motum, durationem, & terminum.

79 Probatvr quintò à D. Bonau. *in* 4. *distinct.* 49. *part.* 2. *articul.* 3. *quæst.* 1. *argum.* 7. Accipe duas lineas, earum termini non sunt diuisibiles; ergo indiuisibiles. Deinde trahatur linea per duo corpora contigua, puta, duos cælos Iouis, & Martis, in superficie concaua Iouis, & conuexa Martis se intersecabunt: ibi nil diuisibile est medium: alioqui extrema non essent simul: ergo.

80 Assero secundò, indiuisibilia esse quid positiuum, contra Nominales, *in* 2. *disput.* 2. Peter. *lib.* 10. *cap.* 16. qui dicunt, esse carentiam diuisibilitatis.

Probatvr primò à D. Bonau. *locis adductis*, argum. 4. *suprà lato*, quo nititur Scotus *in* 2. *distinct.* 2. *quæst.* 9. Faber *Theor.* 37. si indiuisibilia essent tantùm carentia diuisibilitatis, & non quid positiuum, sequeretur, quòd generatio substantiæ, & aliæ mutationes instantaneæ, quæ non mensurantur tempore, non haberent mensuram vllam positiuam; & sic erunt in nihilo.

Probatvr secundò à D. Bonau. *argumentis, suprà factis*: nam positiuus contactus requirit terminum positiuum. Similiter motus positiuus; sed datur contactus per indiuisibilia; similiter & vnio per continuationem; & diuisio in extremis positiuis: ergo. 81

Confirmatvr ex Aristotele *in Logica, cap. de Quantit.* & 5. *Metaph. c.* 3. vbi docet, lineam, & superficiem, vt indiuisibiles, reduci ad quantitatem continuam; & 5. *Metaph.* docet, puncta habere positionem; vt arguit D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 2. *part.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 3. *fund.* 2. & cum eo Amicus; *quæst.* 11. *num.* 5. De his verò, vt realibus, agit Geometra; & 5. *Physic. cap.* 3. docet, corpora realiter se tangere in indiuisibilibus; at contactus realis est per aliquod reale positiuum: hoc autem non potest esse pars; quia, cùm hæc sit diuisibilis in infinitum, non habet extremam. Sane duæ superficies immediatæ, puta, cælorum, se tangunt; & columna, seu cylindrus tangit planum in linea; & punctum in centro terminat lineas infinitas; vt arguit S. Bonau. *in* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. 82

Neqve dicas sufficere quod sit negatiuum ad terminandum: nam terminus rei pertinet ad rationem entis finiti: vnde Aristoteles 5. *Metaph. text.* 22. post explicationem perfecti; explicat terminum; quia quælibet res dicitur perfecta, quando habet suum terminum; vt ibi, *text.* 21. ait Philosophus. 83

Confirmatvr è cæteris finitis entibus, habentibus latitudinem, omnia enim habent terminum positiuum. Confirmatur quoad superficiem, super qua fundantur qualitates positiuæ, vt colores, & c. vt arguit Scotus, & Faber suprà. Errant autem Auersa, Hurtadus, & Amicus dicendo, colores recipi in partibus corporis, non in superficie. Dicant potiùs, corpus colorans diffundi ad instar liquoris. Idem & de figuris dicendum, quæ in superficie sunt; vt arguit Collegium: Itidem, locus continet superficie locatum; vt arguit S. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 2. *part.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 1. *& seq.* præcipuè *quæst.* 4. Vnde & aliud eruo argumentum. Relatio realis supponit fundamentum reale, sed loci ad locatum est relatio realis, & è contrà: ergo. Sed fundamentum est continentia superficiei indiuisibilis: ergo. 84

Remanet dicendum, quomodo indiuisibilia à partibus differant. Rocchus *l. b.* 6. *quæst.* 1. Faber, *loco citato* volunt, distingui formaliter, de mente Scoti.

Commvnis tamen sententia distinguit realiter; vt refert Amicus, *quæst.* 11. *dub.* 2. *articul.* 1. Probatur ab eo, *num.* 4. quia sequeretur, idem indiuisibile identificari cùm duabus partibus, realiter distinctis, quod implicat in creaturis; nec inuenitur, nisi in Mysterio sanctissimæ Trinitatis, verbi gratia, punctum B. medium inter A, & C. 85

Hinc

86 Hinc ego arguo. Ea, quæ sunt separabilia, vt seorsim iaceant, sunt distincta realiter; sed punctum, in quo secatur lignum A,C, est separabile ab alterutra parte ligni, vt patet in sectione, quæ non diuideret indiuisibile; ergo. Maior est Scoti *in 2. distinct.1. quæst.5. articul.3. & dist.8. quæst.1.*

Itaque differentiam realem ponunt Suar. *loco cit.* Masius, *6. Physic. cap. 10. quæst.3.* & apud eum D.Thomas *p.1. quæst.77. art.2.* & *in 4. distinct. 12. quæst.1. articul.1. quæst.3.* Scotus ibi, *quæst.2.* & alij, apud Amicum, *articul.1. numero 6.*

87 Ex his tamen aliqui dicunt, hæc indiuisibilia esse formas separatas à partibus; atque adeò non se ipsis vnitas, sed per vnionem additam. Ita Suarez, Masius, & alij.

Alii dicunt, esse formas, formaliter vnientes, & terminantes partes; atque adeò inseparabiles à partibus, & se ipsis vnitas illis. Amicus his subscribit. Videtur D.Bonau. *in 4. distinct.12. part.1. art.2. quæst.3. argum.1. ad oppos.* Sed magis inclinat, vt à Deo separabiles sint & ità videtur supponere de puncto, quod Sphæra in plano tangit.

Obiicies primò. Vel in continuo sunt plura puncta, vel vnum; si hoc: ergo sunt pleræquè partes sine punctis, si plura; vel, præter hæc, dantur aliquæ partes, vel non: si primum: ergo sine punctis; si secundum: ergo totum est sine punctis. Confirmatur. Deus videt ne, præter puncta, aliam entitatem in continuo? si videt: ergo sine punctis; si non est alia: ergo totum è punctis Constat.

Confirmatur. Linea distinguitur à punctis, sed non per entitatem punctorum; quia distingueretur à se ipsa; neque per entitatem, quæ non includit puncta; quia daretur entitas, non includens puncta.

88 Si sic velimus subula vti, nunquam finiemus. Ideò notandum, quantitatem esse compositam è partibus, quæ connectuntur punctis; neque, ob id, tota è punctis est, sed tota è partibus, vndiquè punctis terminatis, vel connexis; & sicut sunt, videntur à Deo. Itaquè, sicut nequit veniri ad partes, quæ alias non includant; ità nequè ad partem, quæ punctis non nectatur. Linea ergo quævis distinguitur à punctis connexis per partes suas, quæ tamen alia includunt puncta in infinitum syncategorematicè; atquè adeò nunquam ad numerum infinitum actu, reducibilia. Si dicas, ibi sunt actu. Dico, quòd, sicut ibi sunt

89 partes proportionales determinatæ, ita earum determinata sunt puncta actu; partium verò indeterminatarum puncta sunt in potentia: existentia autem singula possunt separari à Deo; non tamen omnia simul; quia deberet destrui totum continuum; & omnibus partibus destructis, destruuntur omnia puncta; vt ait Suarez, *num.46.* Sic enim & instans à parte temporis est separabile: est autem eadem ratio. Singulæ verò partes determinatæ, sunt suis punctis connexæ, non autem singulæ

90 indeterminatæ. Quare non ità sunt infinita puncta: sicuti si essent infiniti Angeli: vt monent Suarez, & Amicus. Sunt igitur in continuo infinitæ partes, infinita puncta, vnificata in vno finito actu: atquè adeò categorematicè finita.

Obiicies secundò. Ergo tot partes tot puncta sunt in Epiciclo, sicuti in orbibus cœlorum.

Multi multa respondent, vt videre est apud Conimbr. *lib.6. cap.2. quæst.1. articul.3.* Murciam suprà, Amicum à *numer. 111.* Ruuium, *num.19.*

Respondeo, argumentum facilè soluendum in omni opinione, concedente continuum diuisibile in infinitum. 91

Dico igitur cum D. Bonau. *in 1. distinct.43. quæst.2.* præcipuè *ad vlt.* omne continuum ex natura sua intrinseca esse diuisibile in infinitum, & ità hoc conuenire tam circulo palmaris diametri, quàm cælo primo mobili; ità verò, vt in secando, partes proportionaliter maiores secentur; & in physica sectione deueniatur in circello ad indiuisibile sensibiliter, non sic in circulo ingenti; erit tamen & circellus mathematicè diuisibilis in infinitum; ità vt non veniatur ad vltimam partem mathematicè indiuisibilem: alioqui non esset continua. Itaquè in vtroquè sunt infinitæ partes, & infinita puncta in potentia. Ità tandem, cæteris responsis reiectis, Amicus satisfacit, *num.116.* vt dixi. 92

Obiicies contra puncta terminatiua; quia quæuis res finita se ipsa terminatur; nequè his indiuisibilibus inuenitur subiectum.

Respondetur, puncta esse in substantiæ indiuisibilibus; nequè ob id neganda, quia res se ipsis terminentur: nam indiuisibilia sunt aliquid continui: sunt enim termini. Vide Amicum, *art.11.* Hinc, si separentur à Deo, erit continuum terminatum negatiuè, vt non vltrà procedat. Dico secundò, terminatiua puncta non posse separari: quia probabiliter sunt modi intrinseci, ad continuum finiendum. Confiteor, hanc indiuisibilium turmam mihi difficilem creditu: & si Oraculum Sophiæ aditem, libenter clamarem, *Adauge nobis fidem.* 93

Quidam nuper respondit, terminum continui esse continuum.

Contra quia erit diuisibile, nec terminabitur vnquam. Dicere esse diuisibile intus, est assignare partem: non terminum. Reliqua habes *tract.1. disput.6. in calce.*

QVÆSTIO V.

An Quantitas adeò terminet entia naturalia, vt detur terminus magnitudinis, & paruitatis in omnibus animatis, & inanimatis.

Quoad animata. Prima opinio est negatiua. Tribuitur Veneto, apud Ruuium.

Secunda opinio est Viuentibus dari terminum magnitudinis, seù maximum *quod sic*, qui dicitur terminus magnitudinis intrinsecus, similiter & terminum paruitatis intrinsecum, seu minimum, *quod sic.* Ità Diuus Thomas *1. Physic. 36. 38. & in 2. distinct.13. quæst.1. artic.1. ad 4. & d.10. quæst.2. art.2.* Scotus, *2. distinct.2. quæst.9.* & *5. Metaph. quæst.9.* Perer. *lib.10. cap.23.* Amicus, *Tract.26. Physic. quæst.2. disput.2.* Tol. *1. Physic. quæst.9.* Ferrar. *quæst.7.* Ruuias *cap.4. quæst.1.* Masius *quæst.1. sect.2.* Astudill. *quæst.7.* Valesius *contr. 5.* Villapand. *quæst. vnica*; Rabesan. *part. Physic. disput.2. quæst.3.* qui tamen, in statu tendentiæ ad corruptionem, ait hunc terminum deter

determinari ab extrinseco, quia extrinsecè desinunt. Sed quid ad rem?

Assero cum hac sententia, quæ est D. Bonau. *locis allegandis.*

Probatvr primò à D. Bonauent. *in primo, d.17. part.2. art.1. q.1. ad 3.* & *in 2. d.30. art.3. q.1. in corpore.* Augmentum fit virtute vegetatiua animæ, quæ, cùm finita sit, habet terminum in quantitate perfectâ, secundùm suam virtutem terminatam. Quod etiam detur minimum, probatur à Diuo Bonauentura, *in 2. dist.2. p.2. art.2. q.3. ad 3.* Anima est actus corporis organici, quod ideò debet habere tantam quantitatem, quanta ad organizationem est necessaria: non autem potest minimâ corpus omne organizari. Subscribit Amicus, *tract. 16. q.2. dub.2. art.2.*

96 Probatvr secundò à D. Bonau. *in 2. loc. cit.* & *in 4. d.10. p.1. q. vlt. ad 2.* ex Arist. *1. Phys. q. vlt. ad 2. 7. polit. c.4.* & *2. de anima, text. 41.* vbi ait: *Omnium naturâ constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti.* & *4. de Gener. animalium c.4.* vbi de menstrosâ, & multiplici generatione animalium. Eodem vtitur *serm. 2. de B. Virgine.*

Probatvr ex opinione Theologorum, qui dicunt, Angelum habere certam sphæram, quoad actiuitatem, & locum. Ita D. Bonau. *in 2. d.2. p.2. art.3. quæst.3. ad 3.* & alij ibi; & Rich. *quodl. 1. q.4.* quibus subscribit Amicus, *num.8.*

Obiicies. Angelus potest esse in puncto, ex D. Bonau. *loc. cit.* quod falsò Amicus, *art.2.* ait, negari à S. D. ergo & potest esse animal semper in minori quantitate.

Respondetvr, negando consequentiam, ex D. Bonau. *2. d.30. loc. cit.* nam maior dependentia est formæ à materia, in informatione, quàm locati à loco. Nam informatio, cùm sit actus essentialis intrinsecus corporis, requirit talia organa, vt aptè valeant exercêre opera vitæ: ad hoc autem non est satis quæuis minima entitas organi: *v. g.* ad opera nutritiuæ requiritur Ventriculus aptus, Hepar, Cor, &c. vt notat Aristoteles *7. polit. c.4.* & locus non ita alligat, maximè ea, quæ non circumscribuntur.

Qvoad inanimatorum paruitatem, & magnitudinem.

97 Prima opinio est, corpora inanimata non habere terminos. Ita Scotus, *5. metaph. q.4.* & *in 2. d.2. q.9.* vbi Tartaret. & Liehet. Faber *Th.36.* Mastr. *d.9. phys. q.5.* Rabes. *d.2. q.3.* Ponc. *d.6.* Rocch. *1. Phys. q.11.* & communiter Schola; Vales. *controu.3.* Villap. *hac q.* Perer. *lib.10. c. vlt.* Plat. *hac q.2.* Ruu. *cap.4. q.1.* Dandin. *2. de anima, digr.2.* Meriner. *d.5. q.5.* Auersa *q.38. sect.1.* Ares. *de gener. q.35.* Fuliens. *lib.3. Phys. c.3. art.6.* Amic. *tractat.16. q.2.* Arriaga *d.3. de gener. num.51.* Baudun. *disp.3. sect.4.*

Secvnda opinio est asserentium, inanimatis corporibus maximum, & minimum assignari. Ita Auer. *1. physic. text. 37. 38.* & alibi. Them. *1. physic. text.37.* Soncin. *8. metaph. q.3.* Ferrar. *1. physic. q.7.* Thien. *q.15.* Astudillo, *q.7.* Achillin. *3. de elem. d.1.* ex D. Thom. *p.1. quæstione 7. art.3* & *in 2. distinctione 8. quæstione 5. ad 3.* & *distin. 14. quæstione 7. ad 4.* & *distinct. 30. q.2. artic.2.* & *in 4. d.13. q.1. art.1. q.3.* & *q.4. de pot. art.1. ad 5.*

Tertia opinio est, dicentium, hæc omnia habere quidem terminos paruitatis; non autem magnitudinis. Ita D. Thom *1. physic. 36.* & *2. de anima, text.4.* Capr. *2. dist.19.* Sotus, *1. phys. q.4.* Tol. *q.9.* Zanar. *8. phys. q.9.* Colleg. *c.4. q.1. art. 4.* & *7.* Masius, *de maximo, & minimo, c.4. quæst.3.* & *4.* & alij apud Amicum, *Tract. 16. physic. q.2. dub.3. art.2.* & *art.3.* probabilem censet; licet quoad minimum Scoto faueat *num. 14.*

Qvarta opinio negat minimum; at maximum concedit. Adducuntur Fauentinus *in 3. disp. 29. cap.2.* Aretin. *art.5.* Complut. *d.28. physic. q.1.* Masius *1. physic. sect.2. q.3.* & Scotistæ negantes infinitum Syncategorematicum.

Seraphicvs *in 4. distinctione 10. part. 1. quæst. vlt. ad 2.* ait, continuum non posse diuidi naturaliter in infinitum secundùm formam; quod videtur innuere sententiam Caietani, & aliorum; continuum semper quidem esse diuisibile; non tamen ita, vt partes diuisæ maneant sub eadem forma. Quare non rectè hic locus pro Scoto affertur.

In *2. distinctione 2. part.2. art.2. q.3.* maximè *ad 3.* videtur cum Scoto; ibi enim docet, non dari in corporibus terminum paruitatis, quia nunquam deuenitur ad impartibile, sed non contradicit; vult enim dicere, non dari minimum secundùm materiam quantam, quia est diuisibilis in infinitum; dari verò secundùm formam; quia forma nequit sub quolibet minimo seruari. Hoc autem Scotus impugnat. Præclarius verò *in 2. distinctione 28. articulo 3. quæstione 1. in corpore*, se declarat pro tertia sententia. Et quoad magnitudinem, *in primo, distinctione 17. quæstione vltima, in argumentis*, quod probat quoad ignem, alimento subministrato, ex Aristotele, *2. de anima, text.41.* De his agam *& secunda secundæ, d.8. quæst. 12. tract.1.*

Assero primò, inanimatis non esse statutum terminum magnitudinis. 98

Probatvr à Diuo Bonauentura, *loc. cit.* ex Aristotele, *loc. cit.* & alibi, docente, è pugillo terræ combustibili produci ignem in millecupla proportione, ex maiori combustibili, maiorem ignem; & apposito combustibili in infinitum, produci absque termino ignem in infinitum; & opponit hoc augmentum illi animatorum, dicens: *Naturâ autem constantium omnium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti.*

Respondent Ferrar. Caiet. Nazar. illum ignem futurum multiplicem, non vnum, nisi aggregatione.

At hæc voluntariè dicta sunt; vt ait Faber, *cap.4.* Poncius *num. 63.* ibi dici, ignem singularem augendum in infinitum: augmentum autem debet esse eiusdem numero; vt docet ipse Aristoteles *1. de Gener. text.31.* & *2. de anima, text.34.* & aliis locis, vt dicam, *tract. de anima, disp. 3. part. 2. quæst.1.*

Confirmatvr primò: quia, quò magis augetur ignis, augebitur & virtus combustiua, 99 quæ, ab extrinseco veniens, non habet terminum intrinsecum, vt in viuentibus, in quibus determinatus est calor ab intrinseco, pro capacitate informantis animæ. Itaque per se ignis augeretur, & vniretur: quia omnia elementa vnionem quærunt; &, quò potentior esset ille ignis, vniretur; vt notat Amicus, *art. 3.* & in hoc consentiunt D. Thom. & alij expositores, ad *locum citatum de anima*, Scotus, *2. distinct. 12. q.9.* & alij.

Respondent alij, illam combustionem non posse fieri, supposito ordine vniuersi; cùm omnia

omnia combustibilia intra concauum Cœli Lunæ claudantur.

100 Id sciebat Sanctus Bonauentura, ideò ait, ex defectu alimenti fore ignem terminatum: vt, si pugillum aquæ apponas, erit ignis in decupla proportione, si terræ, in millecupla, sed non quærimus, quid dicendum de termino extrinseco, sed de intrinseco, ratione ipsius formæ.

Respondent alij, non secuturam combustionem ex ordine naturæ vniuersalis: sic enim multa impediuntur ab intrinseco, ne detur vacuum, aut alia inordinatio. Sic igitur, nè detur maius maximo, impedietur talis combustio.

At responsio supponit, dari maximum; & ita petit principium; neque est ratio, cur ignis applicitus non comburat, nisi Deo suspendente concursum.

101 Assero secundò, dari terminum paruitatis omnibus inanimatis.

Probatur primò, fundamento D. Bonauenturæ, *loco primo citato*: nam quælibet forma à natura determinata est ad operationes, ad quas requirit determinata instrumenta, quæ, si æquò nimium minuantur, non erunt apta; vt, si conficias secam in crine, vt docet Aristoteles 7. *Polit. cap.* 4. Quòd verò natura determinata sit intrinsecè ad operationes, probatur ex definitione naturæ, vt sit principium motus, & quietis, 2. *physic. text.* 3. & *primo Cœli, text.* 57. *&* 82. *&* 3. *Cœli, t.* 18. *&* 19. Omne corpus, necesse est, motum habere; natura enim est propter operationem, & 2. *Cœli, t.* 17. 50. *&* 59. & *primo Eth. cap.* 7. vnde, ait, frustrà est calceamentum, vbi non est calceatio: Deus autem, & natura nihil frustrà faciunt, *primo*

102 *Cœli, t.* 31. Quòd verò ex paruitate instrumenti cesset operatio, patet, vt notat Aristoteles: *cap.* 1. *de sensu, & sensibili.* Porrò formam requirere determinatam quantitatem, ostendit Aristoteles, 5. *Metaphysic. text.* 3. & 1. *phys. text.* 38. quibus locis, ait, causas commensurari effectibus. Hinc sequitur, formam sub minori quantitate esse non posse. Hoc fundamento vtuntur cæteri nostræ sententiæ, apud Fabrum, *capite* 2. & Amicum, *art.* 2.

Respondent Faber, *cap.* 2. Amicus, *art.* 4. adeò prolixè, vt patientiæ cotes sint Lectoribus. Dicunt, formam non adeò rebus determinari, vt adhuc, quantitatis vi non sint diuisibiles, & maneat eadem forma; quæ à quantitate pendet; neque simile esse de Heterogeneis, quorum formæ exigunt tantam extensionem, ad sua munia exercenda: nam Homogenea, etsi minutula, per partes diuisibilia, non amittunt esse formale, putà, ignis in scintilla; nè velis dicere, ea ad nihilum redigi. Hæc latiùs prosequuntur Scotistæ relati.

103 Hæc fallaciis scatent; esto enim, ratione quantitatis, particulæ diuisibiles sint: attamen formæ exigunt præcisa accidentia, *v. g.* ignis habet calorem, vt octo, siccitatem remissam; & alia, quæ nequeunt sub minori minimo seruari. Quis enim neget, quamcunque formam suam exigere dispositionum congeriem; etsi autem Mathematicè res diuisibilis sit in infinitum; tamen hæc diuisio est, ratione quantitatis abstractæ: nam sensibilis diuisio est in partes determinatas, vt ad minimum deueniatur; sicuti ex Aristotele probaui, *quæstione* 4. Itaque Mathematicas adhibent abstractiones, ad res Physicas componendas, quæ omninò diuersa sunt, vt ibi ostensum est; & D. Bonau. docet suprà.

Hoc responso ruit & argumentum Scoti, quo nititur probare, à formâ non impediri quantitatem, quin totum sit diuisibile in infinitum. 104 Respondetur enim, & formam, & quantitatem Physicam habere terminos in Physica diuisione; deinde formam exigere determinatam quantitatem, vt conseruetur; vt suprà ostendi. Tertiò, si velis Mathematicè quantitatem abstractam diuidere, dico, formam Physicam non subsistere, quæ Physicam quantitatem exigit. Nos, (vt monet Faber *hîc*) physicè disserimus; an forma exigat quantitatem determinatam ad suas operationes physicas; atque adeò destruatur, si desit: non autem volumus formam physicam conseruare sub quantitate abstractâ. Porrò ab accidente communi non sumitur specifica formæ pendentia. Videmus ideò scintillas in igne ipso extingui. Afferunt & Aristotelem, 2. *de anima, text.* 41. sed ibi agit de accremento viuentium. Ideò affert carnem, ossa, &c. Reliqua facilè defluunt.

Vrgent Scotistæ. Applicetur ignis ligno minimo, disponet primò viciniorem partem, & formam ex ea educet.

Dico, minorem partem ineptam esse ad recipiendam dispositionem. Ideò primò in totum minimum fit.

Ex his habes, ea, quæ essentialiter exigunt magnitudinem determinatam, non posse etiam à Deo, saluis essentiis, ad minorem adigi. Vide Amicum, *tractatu* 16. *quæstione* 2. *disputatione* 4.

Postquam egimus de partibus Quantitatis, & Modis, agendum de eius 105 proprietatibus, quæ numerantur sex. Primò, dicitur nihil habere contrarium. Secundò, Non suscipere magis, & minus. Tertiò, fundare relationes æqualitatis, & inæqualitatis. Quartò fundare relationem mensuræ actiuæ, & passiuæ. Quintò, reddere diuisibile, non entitatiuè, sed corporeè, per incompossibilitatem partium in eodem loco, vt ait Zerb. 5. *Metaph. quæst.* 3. & Amicus, *tractatu* 17. *initio*, cum Seraphico Doctore, *locis citatis, q.* 1. Sexta verò, & præcipua proprietas, est Finitas, & infinitas.

Porro quantitatis finitæ proprietas, sed non quarto modo, est forma.

Similiter & Locus; & Vbi corporeum, excludens alia quanta.

Neque verò soli quantitati continuæ, permanenti, sed etiam successiuæ conueniunt aliquæ ex his proprietatibus.

Hinc agens de Quantitate, agere debet etiam de his.

De relatione æqualitatis egi. *Tractatu* 2. *disput.* 14. Agam verò *hîc* de Loco. De penetratione corporum. De Motibus. De mensuris durationum. De Tempore.

Et quia Ens Quantum diuiditur in Finitum, & Infinitum, incipiam ab Infinito.

DISPVTATIO IX.

De Infinito.

QVÆSTIO I.

De Natura Infiniti.

1 INfinitvm significat carens fine; vt docet Alens. *part.* 1. *quæst.* 6. *m.* 1. D. Bonauent. *in primo, distinct.* 43. *art.* 1, *quæst.* 2. *ad* 1. D. Thom. *part.* 1. *quæst.* 7. *art.* 1. Vasq. *part.* 1. *disput.* 25. *capite* 5. Amicus, *Tractatu* 18. *Physic. initio.* Finitum enim, & Infinitum opponuntur; & sicut Finitum ponit finem; ita Infinitum negat.

Definitvr ab Aristotele, 3. Physicorum, text. 62. *Infinitum est, cuius semper est aliquid extrà accipere.* Sic definit Infinitum in communi. Ponitur autem hæc definitio ab Aristotele, ad explodendam definitionem antiquorum. *Infinitum est id, extra quod nil est.*

Tria autem docet contra Antiquos, 3. *Physic. text.* 65. *&* 66. Primum est, non esse actu totum, sed per partes. Secundum, non continere, sed contineri. Tertium est, esse ignotum.

2 Nota, ibi Aristotelem reprobare opinionem antiquorum, dicentium, dari infinitum actu Categorematicum. Vnde ipse solùm Syncategorematicum admittit; & de hoc loquitur, dicens, esse partem, magis, quàm totum: quia totum non existit; vt notat Amicus, *quæst.* 2. *artic.* 2. *num.* 8.

3 Distinctio Infiniti, mox indicata, talis est. Infinitum Categorematicum est actu; syncategorematicum potentiâ; non sicut materia ad formam; quia aliquando esset actu; sed erit similis diei, & certaminis; vt ait Aristoteles 3. *Physicorum*, quia semper aliud, & aliud fit. Itaque differunt modo existendi, actu completo, vel incompleto. De his Amic. *tract.* 18. Galit. *p.* 1. *lib.* 4. *tract.* 3

QVÆSTIO II.

An Infinitvm *sit cognoscibile.*

SEcvnda conditio, suprà, ex Aristotele, allata, Infiniti est, non esse cognoscibile. Hinc multi dixêre, à nullo intellectu cognosci posse; cùm sit ex intrinseco incognoscibile; vt docet Aristoteles, 1. *physicorum*, *text.* 35. & 3. *Physic. text.* 65. Ita Auerroistæ, 12. *Metaph.* apud *directorium Inquis.* 2. *part. quæst.* 4.

Alii dixêre, omne infinitum clarè cognoscibile naturaliter. Ita Beguardi, & Beguinæ, damnati in Concil. Vien. in Clement. *Ad nostram.* Hi sunt latè impugnati, *Tractatu* 1. *disputatione* 11. *quæstione* 8. neque nunc de Infinito increato agimus, de quo ipsi; sed de creato.

Prima opinio est, esse cognoscibile solùm per accidens, idest, non per propriam speciem, sed per speciem rei finitæ. Tribuitur D. Thom. apud Nyphum, 2. *Metaphysicorum*, *quæst.* 5.

Secvnda opinio est, naturaliter non posse; at supernaturaliter cognosci. Ita Diuus Thomas, 3. *parte, quæstione* 10. *art.* 2. vbi Vasq. *disp.* 51. Suar. *disp.* 26. *sect.* 4. & alij, qui asserunt, Christi animam videre omnia præterita, præsentia, & futura. Multò magis id asserunt, qui dicunt, omnia, etiam possibilia, animæ Christi esse nota, vt Magister, & Alenses apud Vasq. *disp.* 50. & Suarez, *sect.* 3.

Aliqvi ex his aiunt, posse intellectum eleuari ad videnda infinita, sed in alio; non autem in se. Ita colligi volunt è Diuo Thoma, *quæst.* 6.

Tertia opinio est, infinitum ex natura sua cognoscibile, sed ex infectione potentiæ ab intellectu creato non comprehendi. Ita Diuus Bonauentura *in primo*, *distinctione* 39. *articulo* 1. *quæstione* 3. Rich. *ibid.* D. Thom. *primo*, *contra Gent. capite* 69. *part.* 1. *quæst.* 14. *articulo* 12. *&* 13. Ferrar. & Caiet. *locis D. Thom. citatis*, Vuald. *Tom.* 1. *de Sacram. lib.* 1. *articulo* 1. *capite* 14.

Assero primò, Infinitvm esse intelligibile, secundùm se. 4

Probatvr à Fonseca, 2. *Metaphysicorum*, *sect.* 1. Amico, *tract.* 18. *quæstione* 3. *articulo* 3. ratione D. Bonauent. *in primo, distinctione* 3. *part.* 1. *articulo* 1. *quæstione* 1. *& seq.* & *in* 4. *distinct.* 14. *articulo* 3. Quantò aliquid habet de ente, tantò est cognoscibilius, sed infinitum actu, habet magis de ente: ergo. Maior probatur: nam ens est obiectum intellectus: ideò, quò magis participat de obiecto, eò magis est naturâ suâ, cognoscibile à potentiâ. Ideò Deus, quia est ens simpliciter infinitum, est Lvx naturâ suâ splendens: vt ait Sanctus Bonauent. *loco citato*, & D. Thom. *parte* 1. *quæstione* 12. *art.* 1. & 3. *part. q.* 10. *articulo* 3. *ad* 1. Ideò Aristoteles, 2. *Metaphysicorum*, *capite* 1. ait, Abstracta à visibilibus 5
esse manifestissima naturæ, quia includunt omnes perfectiones obiecti; & hoc vult Sanctus Bonauentura, dicens, esse Lvcem. Verùm quidem est, ob imperfectionem potentiæ nos haberi ad eam lucem excedentem; sicut oculus Noctuæ se habet ad lumen Solis; & vt ait Aristoteles, 2. *Metaphysicorum*, *text.* 1. & arguit Sanctus Bonauentura, *in primo*, *distinctione* 3. *parte* 1. *art.* 1. *quæstione* 2. *ad* 2. Maior principalis argumenti probatur à Sancto Bonauentura, *in primo*, *distinctione* 36. *articulo* 2. *quæstione* 2. *argument.* 2. *addito responso*: nam eadem sunt principia essendi, & cognoscendi, ex Aristotele, 2. *Metaphysicorum, text.* 4.

Assero secundò, Infinitum non esse intelligibile adæquatè ab intellectu creato, quocunque modo. 6

Probatvr ab Amico, *tract.* 18. *Physic. q.* 3. *disp.* 1. *num.* 45. argumento D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 14. *artic.* 2. *quæstione* 2. *in fund.* Virtus potentiæ debet correspondere actui, vt tendit in tale obiectum. Tunc; cùm ad cognoscendum obiectum vnius gradus, requiritur vnus gradus perfectionis potentiæ; sequitur, ad duos gradus requiri ampliùs; & sic calculatorie;

latoriè; & ita infinitos, ad infinitum comprehendendum.

Neqve dicas, sufficere potentiam ordinis superioris.

Conra enim stat; quia, cùm hæc sit finita; in finito obiecto comprehendendo consumetur: Ergo crescente obiecto, crescere debet & virtus potentiæ: vt probaui *tract.* 2. *loc. cit.*

Porrò & in tali infinito, sicuti à parte rei sequitur, vnum fore maius alio; ita & obiectiuè in intellectu; quia id veritas exigit. Id verò inficiatur Amicus.

Addo, infinitum esse finitè cognoscibile. Perlege Valentiam *part.* 1. *quæst.* 14. *punct.* 6. Auersam *quæst.* 24. *sect.* 9. Amicum, *tract.* 18. *q.* 6. *d.* 5. Mastrium, & Bellutum *d.* 10. *q.* 6. cum D. Bonau. *locis adductis, tract.* 1. *d.* 11.

QVÆSTIO III.

An in Infinito *possit fieri additio.*

7 Prima opinio est affirmatiua: Ita Mayro, *primo, dist.* 43. *q.* 10. *art.* 1. *ad* 3. Durand. *in* 2. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 2. *principale.* Gabr. *in primo, dist.* 38. *q. vnic. art.* 3. *dub.* 4.

Secvnda sententia negat: Ita D. Bonau. 2. *d.* 1. *p.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. *in fund.* qui addit, hoc esse per se manifestum: vt notat Galitius, *part.* 1. *lib.* 4. *tract.* 3. *q.* 4. D. Thom. 3. *Cæli, lect.* 10. & 3. *part. q.* 10. *art.* 3. *ad* 3. & alij apud Amicum, *tract.* 18. *q.* 3. *ad* 3. *art.* 2.

Assero, Infinito, vt Infinito, non posse addi.

8 Probatvr ab Amico, *tract.* 18. *q.* 3. *d.* 3. *art.* 3. ratione Diui Bonauenturæ *in primo, distinctione* 43. *articulo* 1. *quæstione* 1. *ad* 1. De ratione infiniti est, vt careat fine, & vltimâ sui parte. Itaque si detur linea infinita, erit sine fine: atque adeò, si alia paralella apponatur, non faciet maiorem longitudinem: alioqui altera finietur. Hæc luce clariùs constant. Erunt tamen plures duæ lineæ, quàm vna: vt notat Diuus Bonauentura, & ita in ratione diuersa quantitatis discretæ alteri lineæ additur: non autem in ratione continui formaliter.

9 Non tamen refello dicentes, materialiter additum; sicuti, si ponas quaternarium bestiarum: Vnum infinitorum leonum, secundum Aquilarum; Tertium Boum, Quartum hominum, erunt materialiter plures, non formaliter, in ratione infiniti: vt ego respondebam viro eruditissimo, nunc Abbati Royer, qui non poterat acquiescere, quo pacto quaternarius infinitorum non faceret maiorem numerum, quàm vnus numerus infinitus, putà Leonum.

Hinc potes videre, posse detrahi de partibus infiniti, quæ, si finitæ sint, non destruent infinitum: alioqui infinitum esse constitutum è finitis: si infinitæ iam vna è partibus infinitis erit æqualis toti.

QVÆSTIO IV.

An Infinito *conueniat æqualitas, & inæqualitas.*

Prima opinio est, Infinito non conuenire æqualitatem, vel inæqualitatem. Est ferè communis, apud Amicum, *Tractatu* 18. *disputatione* 3. *articulo* 2. Colleg. 3. *Physicorum, capite* 8. *quæstione* 2. *articulo* 4. Vasquez *parte* 1. *quæstione* 26. *numero* 8. Scot. *in* 2. *distinctione* 1. *quæstione* 3. *littera* K. Rocchus 8. *physicorum, quæstione* 2.

Secvnda opinio est, inter infinita dari comparationem æqualitatis, & inæqualitatis: Ita Soncin. 12. *Met. quæst.* 31. *ad* 1. Capreol. 2. *distinctione* 42. *quæstione* 4. Gabriel, *disputatione* 1. *quæstione* 3. Ferrar. 2. *cont. Gent. c.* 38. Caiet. 3. *part. quæst.* 10. *art.* 3.

Tertia opinio est, posse dari materialiter comparationem, non formaliter. Ita videtur D. Thom. 3. *part. quæstione* 10. *articulo* 3. Ruuius, 3. *Physicorum, tract.* 2. *q.* 4. Hurtad. *d.* 13. *Physic. sect.* 2. §. 21.

Qvarta opinio est, Infinitum vnius generis non posse esse maius infinito eiusdem generis, 10
vel subiecti; at diuersi generis, vel subiecti posse. Ita Diuus Thomas, *quodl.* 9. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 1. & 3. *p. q.* 10. *art.* 3. *ad* 3. Caiet. *ibi*, & *Tom.* 2. *tract.* 3. Itaque concedunt, vnam lineam infinitam non habere aliquid maius infinito: at in alia linea erunt plures partes infinitæ, quàm in alia. Ita & in numeris. Itidem in duabus durationibus æternis Solis, & Lunæ, in quibus plures erunt circulationes Lunæ, quàm Solis. Sic explicat Amicus, *numero* 21. Hæc verò absona consequuntur Hanc sententiam: si rectè explicaretur, arbitror esse D. Bonauent. *in* 2. *distinctione* 1. *parte* 1. *quæstione* 2. Non posse comparari infinita diuersi generis, putà corpus infinitum cum linea infinita, vel continuum cum discreto: at si linea cum linea, superficies cum superficie, non video, cur nequeant comparari, vt æquales: id enim docet Sanctus Bonauentura, *in primo, distinctione* 43. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 1. vt dixi, *quæstione* 3.

Pari ratione posse comparari duas circulationes Cœlorum, & infinitas primi mobilis, in quibus singulis sunt 24. horæ, & pro singulis 60. minuta, docet *in* 2. *loco citato*, nec video, quæ implicantia obuia sit.

Assero primò, Infinita, in ratione infinitorum, non comparari, vt inæqualia. 11

Probatvr à Diuo Bonauentura, exemplo duarum linearum: si altera sit longior, sequetur, alteram esse limitatam, atque finitam. Vide in *primo, dist.* 41. *citata.*

Qvoad discretam, arguit *in* 2. si enim ponantur duo Cœli, & vnum prius altero; sequetur, hoc non esse æternum. Similiter arguit *in secundo, loco citato*, quoad circulationes. Sit mundus productus ab æterno, & æternus sit Motus Cœlorum: gyrat primum mobile

bile, singulis diebus, per æquinoctialem, sed motu per eclipticam opposito, etsi non rectè gyrant alij Cœli. Cur ad reprobandum motum æternum, non possumus comparare hos motus infinitos, primi mobilis, per 24. horas, &
12 vrgêre, singulis horis, 60. minuta elabi; atque adeò vnum infinitum fore maius alio? Similiter & motus Lunæ cum motibus Solis, &c. possunt conferri, & dari tot homines, quot Angeli? Fateor, me non percipere doctrinam illam de æqualitate infinitorum, posse comparari solùm ad idem infinitum, in eodem subiecto; erit enim comparatio ad se ipsum; at vbi æqualitas? sanè æqualitas est plurium. Amicus, *numero* 10. fugit comparationem illam dierum, & horarum, ac minutorum; quia minuta in horis, & horæ in diebus clauduntur: vnde faciunt vnam perfectionem; sed non comparamus perfectionem, sed multitudinem.

Obiicit Amicus, comparari creaturas, etiamsi infinitæ essent, cum Deo, & asseri inæquales.

13 Respondetur, comparationem esse impropriam: quia, toto genere, extrema sunt diuersa, & infinitas omninò extranea. Non nego tamen infinitorum eiusdem rationis æqualitatem.

Assero igitur, posse comparari Infinita eiusdem generis, in ratione æqualitatis, purà, duas lineas infinitas, duas durationes æternas.

14 Non tamen possunt comparari inter se, æqualitate determinata: quia hæc est passio quantitatis finitæ, *verbi gratiâ*, vt totidem leucas ambæ lineæ extendantur; vt monet Amicus, *numero* 32. Addit Ruu. 3. *physicorum*, *tractatu* 2. *quæstione* 4. infinito non conuenire æqualitatem positiuam; sed negatiuam; at negatiuum fundatur in positiuo, si necessarium sit; & in partibus infinitis positiuis fundatur æqualitas.

QVÆSTIO V.

An detur, vel dari queat INFINITVM *actu.*

15 De hoc satis actum, *Tractatu* 1. *disputatione* 6. *quæstione* 2. Rursùs de infinitate Habituum *secund. secundæ, Tractatu de Charitate*, *disp.* 8. *quæst.* 12.

Qvam verò infinitatem in mente Dei habeant obiecta, ostendi *Tractatu* 1. *disp.* 13. *quæstione* 13.

DISPVTATIO X.

De Motv.

Conditis creaturis, indidit ipsis Deus virtutes motrices ab initio. Quapropter Rervm tractantes naturam, quæ definitur *principium motus*; de hoc agemus. Sic enim rerum creatarum notitiam sapidè hauriemus; vt ait D. Bonau. *serm.* 4. *Hexaemer.* cum Aristot. 3. *Physic. initio.*

QVÆSTIO I.

Quid sit Motvs.

Definitvr à Philosopho, 3. Physic. text. 6. *Motus est actus entis, quod existit in potentia: quatenus huiusmodi.* 1

Eam refert, atque amplectitur D. Bonauent. *in primo*, *distinctione* 8. *part.* 1. *quæstione vltima*; & *in* 2. *distinctione* 1. *part.* 1. *articulo* 3. *q.* 1. & 2.

Dicitvr *actus*, sed imperfectus, vt notat Aristoteles *text.* 15. imperfectus, inquam, respectu termini. Dicitur *entis* alicuius; vt ostendat, non habere locum in his, quæ sunt sibi actus, vt Devs; est igitur actus mouentis, tanquam principij agentis; magis verò dicitur *actus mobilis* vt tendentis ad perfectionem; vel ad perdendum aliquid, vt aliud acquirat; ideò etiam corruptio vnius, est alterius generatio. Dicitur *existentis in potentia*: quia mobile habet adnexam potentiam ad terminum: siue etiam ad vlteriorem gradum. Vltimò additur: *secundum quod huiusmodi*, seu provt in potentia: quia mouetur, non ratione eius, quod habet, sed provt est in potentia ad aliud vltrà.

Nota, corruptionem per se non definiri, quia non est motus intentus præcisè à natura, vt monet Amicus, *Tract.* 19. *q.* 3. *disp.* 2. 2

An verò includatur hâc definitione generatio, negat Auer. apud Perer. *lib.* 13. *cap.* 5. *dub.* 9. qui subscribere videtur.

Videtvr inclinare D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 1. *p.* 1. *q. penult.* & *vlt.* Sed oppositum docet cum D. Thom. 3. *physic. text.* 17. & *lib.* 3. *lect.* 13. Ruuius, *tract.* 1. *de motu*, *q.* 2. Petro Hurtad. *d.* 11. *physic. sect.* 1. Zanard. *lib.* 5. *q.* 3. apud Galit. *p.* 1. *lib.* 3. *tract.* 1. *quæst.* 2. Farnes. *in assert.* Tol. 5. *physic. q.* 1. Suar. *in metaph. d.* 49. *sect.* 2. & est Arist. *text.* 4. vbi exemplificat definitionem, mutatione, etiam ad substantiam. Nam etiam hæc est in potentiâ ad terminum; & prius naturâ est potentia, quàm actus; & ideò aliquam secum fert imperfectionem: vt docet D. Bonau. *in* 1. *d.* 9. *q. vlt.* Ibi verò est imperfectio, etiam ratione mutationis, quæ tamen à generatione Verbi absunt, vt obseruat, *loco adducto*, D. Bonauent. Subscribunt Fulienfis *lib.* 1. *physic. cap.* 3. *art.* 1. & alij recentiores. 3

An verò conueniat motui violento, videtur negandum: quia non est à natura, nec in potentia naturali ad illum terminum. Ad quatuor autem prædicamenta est motus; Substantiam, nempe, Quantitatem, Qualitatem, & vbi. Vide Galitium. *quæst.* 3

4 Nota: quando S. Bonauent *loco citato*, ait, dari motum ad tempus, velle, dari determinatum tempus motibus, quibus res vicissitudinibus subsunt.

Adverte etiam, non dari motum motus, & mutationem mutationis; & si quid legis in Diuo Bonauentura, *primo, distinct.* 18. *quæst.* 1. *ad vlt.* intellige, esse motum motus causatiuè; non autem terminatiuè; vt tendat ad motum. Vide Galitium, *num.* 16.

Scias etiam, non dici propriè, *fit motus*; cùm sit id, quo fiunt res. Ita D. Bonauent. 2. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. D. Thom. 5. *Physic. lect.* 3.

QVÆSTIO II.

An in prædicamento ponatur Motvs.

5 Ne motum variè accipientes cum multis in auia abeamus, accipio motum propriè, vt est transitus mobilis à termino ad terminum. Referam verò sententias varias, è variis acceptionibus eius ortas.

Prima opinio est, Motvm esse de genere non entium. Sic Pythagoras apud Simplicium, 3. *Physic. text.* 11. & Aristotelem, *text.* 13. vbi refert Platonem, & Pythagoram, ponentes motum in coordinatione non entium.

Secvnda opinio est, Motvm constituere distinctum ab aliis Prædicamentum. Ita Plotinus, *lib.* 1. *de Generibus entis, cap.* 7.

Tertia opinio est, Motvm esse formaliter Passionem. Ita cum aliis Suarez, *disp.* 49. *Metaph. sect.* 4,

Qvarta opinio est, esse actionem. Ita Gilbertus, & alij apud Albertum, 3. *Physic. tract.* 1. *cap.* 3.

Qvinta opinio est, Motvm spectare ad Prædicamentum Quantitatis. Ita Molina, *quæst.* 10. *art.* 1. *disp.* 3. Piccol. *lib.* 1. *de Motu, cap.* 5. & ferè Fonseca, 5. *Metaphysicorum, capite* 13. *quæst.* 8.

Sexta opinio est, Motvm in nullo prædicamento habere locum, non etiam reductiuè; cùm in post prædicamentis collocetur. Ita Vasq. videtur, *T.* 2. *disp.* 173. *cap.* 2. *de motu* loquens inadæquate. Arelius, 1. *de Generatione, d.* 5. *quæst.* 37. & 40.

Septima opinio est, Motvm, materialiter receptum, esse fluxum formæ, seu formam fluentem, & ad prædicamentum termini reduci; formaliter verò esse relationem dependentiæ ab agente. Ita Faber, *T. cor.* 45. adducens Scotum *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 4. & *dist.* 13. *q.* 1. sed Scotus videtur cum Auerroë sentire.

6 Octava opinio est, Motvm, vt ens imperfectum, non habere prædicamentum, sed reduci ad prædicamentum sui termini. Ita D. Bonauent. *in* 2. *distinctione* 24. *p.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad vlt.* D. Th. 3. *part. q.* 62. *art.* 4. *ad* 2. cum suis discipulis; Tolet. 3. *Physicorum, quæstione* 7. Perer. *lib.* 13. *cap.* 1. & 2. Fonseca, 5. *Metaph. cap.* 8. *quæst.* 8. *sect.* 3. Titel. *lib.* 3. *cap.* 4. & est communis sententia cùm Alberto, *loco citato*, & grauioribus Peripateticis apud eum; Flandriam, 11. *Metaphysicorum, quæstione* 9. Eustachium *p.* 1. *Physic. tract.* 3. *disp.* 4. *quæst.* 1.

Hanc sequitur Gregor. 2. *dist.* 1. *quæst.* 4. *art.* 1. dicens suo tempore fuisse celebrem. Eam ita sequitur Amicus, *Tract.* 19. 3. *Physic. q.* 6. *disp.* 3. *art.* 2. atque hoc modo reduci ad prædicamentum sui termini, vt huius principium, ait Galit. *p.* 1. *Philos. lib.* 3. *tract.* 1. *q.* 5. multa subtiliter inserit; aitque motum, provt includit perfectionem, & terminum, partim ad multa prædicamenta pertinere; partim ad nullum; formaliter tamen non reduci ad plura prædicamenta.

Assero primò, Motvm non esse de genere non entium. 7

Videtvr præclarè è terminis euidens.

Probatvr ab Aristotele, quia est actus, & ratio, quâ mobile dimittit priuationem, & acquirit formam.

Dices. Corruptio est ad priuationem.

Respondetvr, eam per se esse ad generationem; hæc enim intenditur à naturâ. Ideò hinc essentia motûs sumenda.

Assero secundò, Motvm non constituere distinctum prædicamentum.

Probatvr: quia est ens imperfectum, incompletum; nec aliquid obtinet perfecti, præter terminum, siue substantiam, siue quantitatem, siue qualitatem, siue Vbi. Ad hæc verò nil habet vniuocum commune. Ita Perer. *lib.* 13. *c.* 5. Rubius, *quæst.* 3. 8

Assero tertiò, Motvm non esse Passionem, contra Suarez, &, vt arbitror, contra Auerroëm, 3. *Physic. text.* 4. & *lib.* 5. *text.* 9. vbi ait, motum, acceptum pro forma fluente, esse in prædicamento termini; sed acceptum pro fluxu, esse in prædicamento Passionis. 9

Probatvr: quia passio est, secundùm quam dicimur pati, ex Aristotele: *in prædic.* seu est exercitium patientis, vt tale est: vt colligo è Diuo Bonauentura *in* 2. *distinct.* 7. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corpore.* Actionem porrò, & passionem esse in motu, docet Aristoteles, 3. *Physic, text.* 20. & motus dicitur subiectum actionis, & passionis, *text.* 22. Motus verò est actus entis in potentia, provt huiusmodi; at vera passio præscindit ab esse in potentia, in suo exercitio; &, si actio, & passio sunt in motu: ergo non sunt motus; &, si motus est subiectum actionis, & passionis: ergo non sunt motus; nil enim est in se ipso; vel subiectum sui ipsius. Adde, in actibus vitalibus intellectionis, & volitionis esse passionem, sed non motum.

Assero quartò, Motvm non esse actionem. 10

Patet ex dictis. Confirmatur: nam dantur actiones sine motu; vt creatio. Secundò, actio non dicit imperfectionem formaliter; vt motus; 3. *Physic. text.* 15. neque dicit transitum subiecti, de vno termino ad alium; vt motus, neque est actus præcipuè mobilis; sed est actus agentis.

Assero quintò, ipsum non spectare ad prædicamentum Qvantitatis.

Probatvr: quia motus abstrahit à continuo, successiuo, & instantaneo: ergo abstrahit à quantitate; at quantum non abstrahit à suo genere 11

nere. Deindè, etsi successiuus motus sit, non tamen est eius differentia essentialis, sed distinguit, & constituitur in sua tendentia ad terminum, vt infrà probabiliter *quæst*.4. asseretur.

12 ASSERO sextò, reduci ad aliqua prædicamenta.

PROBATVR. Motus est fieri formæ, seù transitus subiecti ad formam: ergo habet relationem ad formam, seù terminum.

13 ASSERO septimò, Motum formaliter non esse relationem.

PROBATVR: quia ex Aristotele est actus: ergo non est relatio, sed eius fundamentum. Ideò Aristoteles 5. *Physic.text*.12. expressè dicit, motum non esse in prædicamento Relationis. Solùm verò *ad* 4. allata prædicamenta, esse motum, ait.

RESPONDET Faber, per se; id verum esse; sed per accidens, etiam ad relationem dari motum.

AT, primò, hæc si vera essent, non adhuc facerent, vt motus sit relatio; Sed ad relationem: nisi dicas, ad relationem esse relationem; quod ab Aristotele reprobatur. Deinde regula naturæ rei, ab eo, *quod per se*, non ab eo, *quod per accidens*, sumitur. In relatiuis verò, per accidens solùm, esse motum, docet Aristoteles 5. *Physic. text*.19.

RESPONDET secundò Faber, fabulosam suam relationem, extrinsecus aduenientem, esse posse terminum motus. Si enim ponatur corpus, & platea (vt exemplo Fabri, vtar) non adhuc ponitur fundamentum proximum relationis. Sanè, & posito Abrahamo, & semine, non statim ad filium est relatio; quæ prædicamentum quartum constituit.

14 ASSERO octauò, MOTVM, cùm sit ens imperfectum, reduci ad prædicamenta sui termini. Vbi aduerte, motum esse quidem termino priorem, in genere efficientis; sed terminum esse priorem in genere causæ finalis: quia omne mobile mouetur propter finem. In quo decepti sunt aliqui, negantes, motum reduci ad prædicamentum termini, quia est termino anterior; etsi motus est tendentia, claudens intrinsecè terminum.

15 PROBATVR ergo ratione D. Bonau. *loco cit.* nam via ad formam est quodammodo forma, ex 2. *Physic*. 14. vbi affert exemplum generationis, quæ est via, per quam peruenitur ad genitum. Confirmatur, quia motus est via, & tendentia intrinsecè ad terminum: hæc autem est participatio quædam termini.

PROBATVR secundò. Eò reducitur motus, vnde habet constitutionem, & distinctionem: sed motus specificatur à termino, ex Aristotele 5. *Physic.text*.18. Nihil autem est commune vniuocum substantiæ, quantitati, qualitati, & vbi; &, si ad vnicum prædicamentum reducatur, iam erunt omnes motus eiusdem generis prædicamenti.

OBIICIES cum Galitio. Motus est quid superius omnibus speciebus motuum, qui in prædicamentis habent terminos: ergo nequit reduci ad tot prædicamenta. Vrgent alij. Motus est quid vniuocum cum suis speciebus: ergo debet habere suum prædicamentum; vel per omnia vagari.

16 RESPONDETVR, entia imperfecta non posse poni in prædicamento directè. Talis autem est motus; vt ostendi, *quæst*.1. neque potest vagari per omnia; quia non omnibus entibus conuenit. Ideò ad prædicamenta suorum terminorum reducitur. Satis autem est, reduci species ad præscriptos terminos: nam genus motus, cùm sit quid vagum & secundùm multos, analogum cum suis speciebus, non habet locum, vndè sit in post prædicamentis. Reliqua, quæ obiiciuntur, patent ex dictis.

QVÆSTIO III.

An & quomodo MOTVS *distinguatur à termino & subiecto.*

PRIMA opinio est, MOTVM non distingui realiter à termino; volunt enim hi, motum formaliter esse formam fluentem. Ex his aliqui dicunt, distingui ratione, & definitione. Ita Tolet. 3. *Physic.quæst*. 3. Perer. *lib*. 23. *cap*. 2. *& cap* 10. Alij dicunt, distingui formaliter. Sic Conimbr. 3. *Physic. cap*. 2. *quæst*. 3. *art*. 2. Ruuias 3. *Physic. quæst*. 4. Eustach. 1. *part. Physic. Tract*. 3. *quæst*. 2. Farnes. *lib*. 2. *cap*. 6. *Suarum assert*: Vtincns. *Tract*. 8. *quæst*. 5. *art*. 1. *sect*. 2. *num*. 12. Omnes verò adducunt D. Thomas & Auerroem. Cæterùm distinctionem realem negarunt etiam apertè Ægid. *in* 2. *distinct*. 1. *part*. 3. *quæst*. 3. *art*. 2. Titel. *lib*. 3. *cap*. 8. Durand. *in* 1. *distinct*. 17. *quæst*. 7. Zabar. *de accret. & nutrit. cap*. 2. & acerrimè Gregor. *in* 2. *distinct*. 7. *quæst*. 4. *art*. 1. Capr. *ibi*, *quæst*. 2. *art*. 3. *ad argumentum Aureoli*, adducens D. Thomam. Amicus, *Tract*. 23. *Physic. quæst*. 4. *dub*. 2. *art*. 4. plurimos pro hac sententia refert; & præter allatos, Valentiam, *part*. 1. *distinct*. 3. *quæst*. 2. *punct*. 1. Masium, *cap*. 3. *q*. 4. Bruxell. *q*. 1. *art*. 1.

SECVNDA sententia asserit, MOTVM à termino distingui realiter modaliter. Ita D. Bonauent. *in* 2. *distinctione* 1. *part*. 1. *quæst. vlt*. vbi in hoc distinguit motum, vel mutationem naturalem à creatione, quòd hæc solùm ratione distinguitur à creatura; at motus est, quid naturâ præcedens terminum, ab ea distinctum.

EVM sequuti sunt Aureolus, 2. *distinct*. 1. *q*. 2. *art*. 2. *& dist*. 38. *quæst*. 1. *art*. 1. Argent. *in* 2. *dist*. 19. *q*. 1. *art*. 1. post Auerroëm, *text*. 4. *&* 3. *Physic*. videtur Aristotelis, 2. *metaph. text*. 7. Ideò Zanard. 3. *Physic. q*. 7. ait, hanc opinionem esse famosiorem; etsi opposita sit verior. Subscribunt alij Recentiores, inter quos est Fuliensis. *lib*. 1. *Physic. cap*. 8. *art*. 3. Iuuet. 3. *physi. orum*, *capite* 1.

ADDVCITVR etiam Scotus à Fauent. *Theor*. 45. sed ibi multa implicat, Vasq. *p*. 1. *d*. 176. *num*. 11. Eos allegat, & sequitur Galit. *p*. 1. *lib*. 3. *tract*. 1. *quæst*. 6. Amicus, *loco citato*, dicens, distingui realiter modaliter, cum Suarez *disp*. 49. *Metaph*. Poncio *d*. 13. *q*. 2. dicente esse in Scholis D. Thom. & Scoti communem.

ASSERO cum hac sententia motum distingui realiter modaliter à suo termino.

PROBATVR primò. Omnis causa distinguitur realiter à suo effectu: sed terminus est causa finalis motus; & motus causa efficiens, quâ producitur terminus: ergo. Maior est euidens. Nil enim producit se ipsum; vt ait D. Augustinus, *Tract*. 1. *in Ioan*. & habetur *in Homil*. 3. *Natiuitatis Christi*. Minor probatur: nam terminus est bonum perfectum, intentum, vt finis; ab agente 17

per motum; atque adeò motus est medium, causans terminum, & terminus est bonum perfectum, quod producitur motu, tanquam medio, & bono imperfecto. Hac ratione vtitur Galitius; & est D. Bonau. *loco citato, argum.* 4. *opposito ad solutionem.*

18 Hinc secundò arguunt alij, apud Ruuium, 3. *physic. tract.* 1. *q.* 4. Id, quod est causa alterius, atque habito fine, & effectu, cessat esse, manente fine, est distinctum ab eo realiter. Talis est motus, respectu termini: ergo. Hoc est argumentum tertium D. Bonauent. *ad oppositum, cum solutione.* Confirmatur: nam calefactio cessat, manente calore; quòd si idem sunt calefactio, & calor, abeat Aristoteles, 11. *metaphysicorum; summ.* 4. *capite* 3. & *libro* 5. *capite* 20. qui contrarium pronunciat.

Respondet Perer. terminum, seu formam fluentem cessare, sed manere perfectam; seu cessare fluxum formæ, & formam manere, quæ est idem.

19 At motus, qui cessat, est fluxus subiecti ad terminum; forma enim, prout producitur, remanet. Impropriè enim dicitur forma fluens. Itaque, cùm cesset fluxus subiecti, seu motus, qui est actus mobilis, & remaneat terminus, sequitur, distingui realiter. Hic enim est lapis lydius, ad dignoscendam distinctionem realem aliquorum, si possint separari, saltem per Dei potentiam: multò magis si id naturaliter fiat.

Respondet Aref. 1. *de Gener. disp. de Actione, quæst.* 25. *sect.* 5. perire motum, remanente termino: quia de essentia motus est, non modò terminus, *ad Quem*, sed etiam subiectum, & terminus, *à Quo*; & consequenter ad ipsius desitionem sufficere, quòd non ampliùs adsit terminus, *à Quo*; siuè subiectum, *in Quo.*

20 Contra: quia terminus, *à quo*, est extrinsecus. Quid verò est, cessare subiectum? Nil sanè aliud, quam cessare motum subiecti, & manere terminum. Ergone vult, motum esse idem cum termino, etiam *à quo*?

Respondet Aresius, alia ratione posse dici, esse magis vnum cum subiecto, quia calor non mouetur, sed subiectum.

21 Argvo igitur ad hominem. Motus est magis idem cum subiecto, quàm cum termino, per te; sed à subiecto differt realiter: etenim non manet subiectum *in quo*, manente calore: ergo.

22 Probatvr tertiò. Si motus localis non esset distinctus à termino realiter; sequeretur, nullum discrimen esse inter motum, quo mobile pertransit ab vno termino ad alium, & motum, quo termini ipsi, persistente alioqui subiecto immobili, sibi succedunt. Ità erit idem, hominem transire à loco, A, ad locum B. & interim variari loca A. B. inuariato homine; sicuti variatur aër circa turrim immotam. Consequens est falsum: ergo. Probatur sequela; quia vtrobique est successio inter ipsos terminos, in eodem subiecto. Si ergo motus, præter hanc successionem, nihil significat in ipso mobili: nil refert, quòd ipsum subiectum moueatur ad terminum; vel terminus ipse in mobili varietur. Absurditas autem consequentis patet: quia in priori euentu censetur homo verè moueri: nam calefit, & alias patitur alterationes, in secundo autem nequaquam: non enim mutatur Turris, dùm aër circumuariatur.

23 Aresivs huic argumento propemodum cedit.

Tandem probatur, quia diuersæ sunt proprietates motus, & termini: nam motus est velox, vel tardus: non sic calor productus, quod ridiculè Pererius de termino affirmat, dùm producitur.

His vltimis rationibus nititur Amicus, *articul.* 5.

Obiicies primò, cum Gregorio. Si motus esset quid distinctum à termino, sequeretur, aliquam rem fieri, & esse, dum fit: consequens est absonum, & contra Aristotelem 5. *Physic. text.* 13. vbi asserit, nihil fieri, dùm est. Probatur sequela si motus est aliqua entitas, distincta à termino, certum est, tunc esse, dum mobile mouetur, neque anteà, neque post: ergo dum est, fit, & est dum fit. Neque valet dicere, hanc esse naturam successiuorum, esse, dum fiunt: nam Aristoteles de omnibus id negat.

Respondetvr, idem absurdum sequi, & maius in sententia opposita: nam etiam ipsi fatentur, motum esse aliquid; & tunc solùm esse, dùm mobile mouetur, nec priùs, nec posteà: alioqui motus esset, & mobile non moueretur: si ergo motus est idem cùm termino, sequitur, terminum esse, dùm fit; & fieri, dùm est. Probatur sequela quando enim aliqua vnum sunt; simul sunt, & simul non sunt. Est autem maius absurdum concedere in permanentibus, quàm in successiuis, esse, dùm fiunt, quàm in solis successiuis, de quibus Aristoteles non loquitur: nam successiua habent esse fluidum; vt sint in fieri. 24

Obiicies secundò, cum Gregorio. Si motus est distinctus à termino, sequitur, aliquam rem, & quamlibet eius partem, eodem tempore, primò generari, & corrumpi. Consequens est absonum: ergo. Probatur sequela. Sit tempus, in quo fit motus vno minuto horæ, eo tempore, motus est productus, nec anteà, nec post; sed motus, eodem primo tempore, idest, minuto, perdidit esse: ergo simul habuit esse, & non habuit; quod est absonum, & hoc sequi, consequens est.

Respondetvr, hoc absurdum magis infestum esse aduersariis: nam, si terminus est idem cum motu; cùm motus, per vos, tantùm sit, cùm mobile mouetur; & tunc neque sit quid permanens, sed deperditum; sequitur, terminum & formam acquisitam permanentem simul esse, & non esse. Probatur sequela nam idem est cum motu terminus. Absurditas verò probatur ex Aristotele 8. *Physic. text.* 62. & 63. & Auerroe, *ibi.* Impossibile est, eiusdem rei simul esse generationem, & corruptionem; sicuti impossibile est, idem eodem instanti creari, & annihilari. 25

Qvoad nos, respondetur, motum non generari, sed esse id, quo alia fiunt: vnde non affertur Aristoteles ad rem. Est autem actus aliquid motûs, sed imperfectus, & in potentiâ. 26

Obiicies tertiò. Si motus est distinctus à termino: ergo mobile duo distincta acquirit, motum, & terminum, quorum alterum non est alteri intrinsecum; atque adeò poterit vnum ab altero separari; ergo potest mobile transire ab vno termino ad alium sine motu, & moueri, absque eò, quòd transeat ab vno termino ad alium.

Respondetvr, idem sequi in aduersa opinione. Ipsi fatentur, aliud esse mobile, aliud esse motum: ergo potest esse motus sine mobili. 27

Respondetvr ergo, licèt differant realiter, habere relatiuam tamen, & intrinsecam connexionem

nem; non enim est motus sine acquisitione termini; nec acquisitio sine motu. Motus sanè est actus entis in potentiâ, vt huiusmodi; & terminus est finis motus; & mobile intrinsecè includit motum: Deberent potiùs dicere; potest stare mobile, vel terminus sine motu; & hoc verum est, vt motus intrinsecè est actus mobilis: vndè nequit sine eo abstractè volitare.

Obiicies quartò. Si motus est distinctus à termino; sequitur, non esse actum entis in potentia. Probatur sequela: quia nec pars præterita, nec futura est actus mobilis; quia nullam earum actu habet.

28 Respondetvr, esse in actu fluxo. Id exemplo declaro. Ponatur aliquis calamo lineam protrahere, & alius, provt fit, eam deleat: ità vt, dùm primus transit ad aliam partem lineæ calamo, alter partem factam obtruncet; videbitis, illam lineam simul fieri, & destrui; nec hoc est absonum: nam hæc incipiunt, & desinunt extrinsecè in aliquo, quod est eorum entitati extraneum; non tamen eadem pars producitur, & corrumpitur: imò, dùm est, non corrumpitur eodem instanti, sed desinit esse, succedente alia.

Obiicies quintò. Aristoteles suprà citatus ait, motum non esse extra res.

Respondetvr, solùm velle, motum tendere ad res; non tamen sequitur, terminos, seu ipsas res esse formaliter motum.

Obiicies sextò. Si calefactio est aliud à calore, oportet, & ipsam produci, aut per se ipsam, & hoc implicat; aut per alium motum; & sic erit processus in infinitum.

29 Respondetvr ex D. Bonau. *in 2. distinct. 1. part. 1. quæst. 2. ad 2.* calefactionem non produci, sed exire immediatè à mouente, non per alium motum, quia in primis est status. Sumitur responsio è *textu 15. quinti Physic.* est autem calefactio id, quo immediatè acquiritur calor.

Obiicies septimò cum Eustachio. Quæ differunt realiter, possunt separata manere per te. Sed nequit stare motus sine termino; cùm sit termini acquisitio: ergò.

Respondeo maiorem veram de re, & re, non de re, & modo, qualia sunt motus, & terminus; ad hæc enim sat est, alterum ab altero separari, etsi alterum pereat. Ex dictis colligere vales, quo pacto motus differat à subiecto.

Aresius dicebat, minùs differre à subiecto, quàm à termino, quia, non subiectum mouetur, sed forma, quæ est terminus.

At terminus eò (vt reor) differt, quia eum causat motus, *vt quo.* est enim is, quo forma fit. Subiectum verò differt à motu, vt substantia ab accidente suo, nam per motum variatur, & nouo se habet modo, vt notat S. Doctor. *2. distinct. 1. articul. 3. quæst. 1.* cum Aristotele *5. Physic. tract. 7.* Ità & à subiecto differt modaliter: vnde & separantur quidem, sicque subiectum perstat; non verò motus sine subiecto, quia est intrinsecè actus mobilis, vt monet S. Doctor. *loco cit.* ex Aristotele. Hac verò de causa communiter distinguunt modaliter etiam naturam à subsistentia, quia illa sine hac stare potest; non hæc sine illa; vt monet Fuliensis *lib. 1. Physic. cap. 8. art. 3.*

Hoc fundamento is concludit, motum à subiecto differre, vt minimum, modaliter. Subdit, ità differre motum localem solum; alios verò differre, vt res à re, à suis subiectis. Probat; motus, si non sunt entitates distinctæ à suis terminis, puta calefactio à calore; at termini illi re sunt distincti à mobili, puta calor à ligno. Ergo & motus à subiecto eodem, puta ligno.

Non rectè tamen differit: nam suprà asseruit, motum esse modum realem, distinctum à termino. Ergo & motus à subiecto. Quamuis autem terminus, puta calor, & subiectum lignum sint duæ res distinctæ, quia completæ sunt in duobus prædicamentis substantiæ, & qualitatis; non ob id motus, qui est modus imperfectus potest distingui, vt res à re. Vrgeo. Ea, quorum vnum potest stare sine alio, non è conuerso, differunt per te solùm modaliter. At subiectum, puta lignum, stat cessante calefactione; hæc verò stari nequit sine subiecto, vt patet. Ergo Minor probatur; quia motus essentialiter est actus entis in potentia, *ex 3. Physic. cap. 2.* vt docuit D. Bonauent. *locò cit.* seu est actus mobilis; vt ait idem S Bonau. cum Philos.



QVÆSTIO IV.

An Motvs *successione distinguatur à mutatione.*

Vertitvr in scholis vulgatum sanè proloquium. *Motus est successiuus, mutatio instantanea*, vt ait S. Doctor. *2. distinct. 1. part. 1. art. 3. quæst. 1. & distinct. 7. part. 1. articul. 2. quæst. 1.* Porrò hanc esse differentiam essentialem, asserunt Tolet. *3. Physic. quæst. 1.* Conimbr. *ibi, cap. 2. quæst. 2. art. 2.* Perer. *lib. 14. cap. 1. & 8.* Tostat. *ad cap. 23. Exodi, quæst. 50.* Amicus, *tract. 23. Physic. quæst. 1. in fine, & quæst. 2. passim*, Suarez, *disput. 30. Metaph. sect. 4. à num. 21. & distinct. 50. sect. 8.* Zanard. *5. Physic. quæst. 5.* Aristoteles *1. de Gener. disput. 5. quæst. 37 sect. 3.* Richard. *quodlibet 21. quæst. 2.* & videtur Aristotelis *5. Physic. à text. 8.*

Secvnda opinio est, successionem non distinguere essentialiter motum à mutatione. Ita Titel. *lib. 3. cap. 6.* Suar. *d. 59. sect. 4.* Inuet. *3. Physic. c. 1.* Farnes. *lib. 1. cap. 6. & 10.* Piccolòm. *lib. 1. de motu cap. 7.* Videtur Diui Thomæ *4. physic. lect. 17. ad text. 110.* Sequuntur Eustach. *p. 1. Physic. tract. 3. disp. 4. q. 1.* Fuliens. *1. Physic. cap. 8. art. 2.* Dicunt verò, distinctionem essentialem esse, quia mutatio est de non subiecto in subiectum; motus verò de subiecto in subiectum; & videtur Aristotelis, *3. Physicorum, text. 7.* vt notauit Zanard. *lib. 5. q. 2.* & alij: maximè è præclara Societate Iesv, apud Ruuium, *6. Physic. c. 3. quæstione vn.* & Amicum, *tract. 23. phys. q. 5.*

Pro hac adducit Galit. Diuum Bonauenturam, *loco suprà citato, in 2.* quia dicit, mutationem posse esse successiuam; & motum, siue instantaneus fit, siue successiuus, esse motum. At ibi Seraphicus Doctor, *in corpore*, motum per successionem absolutè distinguit è mutatione; vt patet legenti, quod clarius agit *in primo, distinctione 37. q. vlt. fundament. vlt. dist. verò 7. loco cit. etsi ad 2.* fateatur; mutari, secundùm substantiam, quando mutat naturam; tamen nil mussitat de hac re. 30

Sic & *in primo, dist. 27. q. vlt.* docet, motum esse successiuum, & ideò in vacuo non fore motum, apud Aristotelem: quia non esset successio. Quæcunque fuerit ibi intentio Aristotelis in inferendo,

rendo. Sic loquitur & Suar. *loco citato*, *disp.* 59. Zanard. & Arefius. Distinguit sanè *in primo*, *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corpore*, mutationem ex non ente in ens; seu ex non subiecto in subiectum; & ex ente in ens; seu è subiecto in subiectum.

31 Sciendum, successionem dicere quantitatem Prædicamentalem, ex Aristotele, *in Prædic.* seu extensionem partium, quarum vna alteri succedit; seu consistere formaliter in partibus, sibi inuicem succedentibus. Ita communiter Græci *in prædic. Quant.* & ex Recentioribus Mursia, 4. *physic. d.* 3. *q.* 1. Hier. *Plat. d. de motu, q.* 3. *p.* 3. Masius, 4. *physic. c.* 14. *sect.* 1. *quæstione* 7. ex Diuo Thoma, *opusc.* 44.

32 Cum igitur Quantitas diuidatur in continuam, & discretam; & continua in permanentem, & successiuam; successiua in motum, & tempus; sequitur, motum esse speciem quantitatis continuæ, successiuæ: atque adeò falsum, quod ait Prerius, & alij, motum esse intrinsecè ens successiuum, non continuum. Sanè id, quod est in aliqua specie, est etiam sub genere: *verbi gratiâ*, qui est homo, est animal viuens, & corpus. Igitur, cùm quantitas successiua sit species continuæ: si motus intrinsecè est successiuus, erit etiam continuus.

33 Quod enim ait, posse in instantibus acquiri formas accidentales, falsum est: alioqui erunt indiuisibiles: *verbi gratiâ*, calor, frigus, &c. (esto lumen producatur in instanti ad modum generatorum.) Ideò Aristoteles, 4. *physic. text.* 99. successionem temporis, & motus vocat continuitatem. Quo autem sensu, 5. *Metaph. text.* 18. dicat, motum, & tempus esse quanta per accidens, explicat D. Thom. *loco cit.* esse per accidens, non contingenter, sed ratione alterius radicaliter; non tamen formaliter: quia, scilicet, est in subiecto continuo, & non permanet, nam alteratio intenditur successiuè in eodem subiecto, putà, eadem parte ligni:

34 vt monet etiam Gillius. Multi sanè dicunt, motum non esse quantitatem prædicamentalem, sed transcendentalem: quia diuisio continui non continet omne permanens; atquè adeò nec omne successiuum: nam Deus est permanens; Angeli permanent, nec sunt quanti, ait Amicus, *Tract.* 23.

35 *quæst.* 2. *distinct.* 2. Sed non rectè discurrit; non enim diuisio continui, & discreti est vniuersalis, sed vnius entis Prædicamenti quantitatis; atquè adeò, cùm extra genus continui sint iam exclusi Deus, & Angeli, frustrà opponitur, non includi in specie prædicamentalem quantitatem, & successionem motus. Fonseca, 5. *Metaph. cap.* 3. *quæst.* 8. *sect.* 3. Gillius, *p.* 1. *lib.* 2. *tract.* 10. *cap.* 4. Albert. *in prædic. Tract.* 8. *de Quant. cap.* 9. & alij apud Amicum, *dub.* 2. *art.* 2. Ideò Aristoteles *in Prædic. Quantit.* ponit etiam Tempus. Secundò, ibi est multitudo partium cum extreitate, quâ vna excludit aliam, exclusione coexistentiæ. Cur ergo non est quantita?

36 Neque satis id reprobant, eò quòd successio dicit negationem simultatis, & hæc negatio non conueniat ei ex aliqua positiua perfectione, & non habeat impenetrabilitatem. Quo supposito, ait Amicus, *num.* 13. probabilius esse, spectare ad transcendentalem quantitatem.

Respondetur enim, successionem dicere negationem, quæ, cùm intrinseca sit, reducitur ad positiuum (qualecumque sit) entitatis successiuè, quæ, cùm habeat partes succedentes, excludit, eas esse simul. Eas verò esse extrà alias, iam vidimus. Sic enim excludunt alias, pro suo statu; & non minùs, quàm partes permanentes: nam, eò ipso, quòd vna est post aliam, maxime excludunt se inuicem. Nec video aliquid arduum in hoc.

Assero probabiliter, successionem esse motui essentialem; atque adeò per hanc distingui à mutatione. 37

Probatur ex locis Aristotelis, allatis in prima sententia.

Probatur secundò. Id, quod intrinsecè habet partes continuas, quarum vna nequit esse cum altera, adeò vt amittat esse, si simùl partes habeat, est intrinsecè successiuum. Talis est motus, ex Aristotele 4. *Physic. locis citatis*, & aliis, relatis ab Amico *num.* 14. & 6. *Physic. text.* 4. 10. 33. vbi supponit, motum esse continuum.

Probatur tertiò à D. Bonau. *in* 2. *distinct.* 1. *loc. cit. in corpore.* Vbicunque est productio formarum, quæ habent contrarium, & subiectum extensum, in quod inducantur formæ; vel exerceatur actio, ibi est successio: sed in alterationibus, per qualitates elementares, augmentationibus, lationibus, est talis necessitas: ergo. Maior probatur: nam productio debet esse formæ, quæ producitur proportionata. Minor asseritur, vt euidens, à D. Bonauent. dicente. *Et hæc indiget successione, & tempore, &c.* sed hæc verba omisit P. Galit. *num.* 10. sicuti & sequentia, quibus ponit antithesim mutationis, quæ (ait) fit in instanti. 38

Neque dicet rectè Pererius, esse successionem sine mutatione; etenim non esset vnus motus, sed plures mutationes, vna post aliam; 5. *Physic.* 34. & 35. vbi ad vnitatem motus exigit vnitatem durationis continuæ. 39

Dices. Si continuitas est de essentia motus, spectaret ad prædicamentum quantitatis, contra ea, quæ dixistis, *quæst.* 2.

Respondetur, motum esse actum imperfectum; nam habet extensionem; & quoad hoc, reducitur ad quantitatem; at est etiam via; & hoc sensu dixi, *quæst.* 2. reduci ad prædicamentum sui termini, hoc autem ponitur expresse in definitione eius à Philosopho.

QVÆSTIO V.

An vnitas motus sumatur à termino ad quem.

Quoad vnitatem genericam, ac specificam. Prima opinio est negatiua. Ita Albert. 5. *Phys. tract.* 3. *cap.* 1. Astudillo. 5. *Physic. cap.* 4. *quæst.* 1. Burlæus, *quæst.* 2.

Secunda communis sententia est, motum specificari à termino. Ità D. Bonauent. *in* 1. *distinct.* 13. *quæst.* 3. *ad* 3. & *in* 2. *distinct.* 2. *part.* 1. *articul.* 1. *quæst.* 2. *in corpore.* & alibi sæpè.

Eum secuti sunt Diuus Thomas *part.* 1. *quæst.* 23. *art.* 1. *ad* 3. & *part.* 2. *quæst.* 113. *artic.* 6. *ad* 1. & *in* 1. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. *in corpore*; Capr. *in* 2. *distinct.* 1. *quæst.* 2. *art.* 3. Zanard. 5. *Physic. quæst.* 9. & cæteri Thomistæ, Ægid. *in* 2. *distinct.* 2. *quæst.* 1. *art.* 4. *dub.* 5. Durand. *in* 1. *distinct.* 46. *quæst. vlt.* Auerroes 5. *Physic. com.* 31. Tolet. 5. *Physic. quæst.* 2. Colleg. *ibid. cap.* 4. *quæst.* 1. *artic.* 2. Perer. *lib.* 13. *quæst.* 8. Piccol. *lib.* 1. *de motu, cap.* 7.

Iuuet

iunct 3. *Physic. cap.* 1. Ruuius 5. *Physic. cap.* 4. *quæst.* 1. Titel. *lib.* 3. *cap.* 7. Zabar. *de accretione, & nutrit. cap.* 2. Tost. *ad* 22. *Matth. quæst.* 225. Suar. *in Metaph. distinct.* 47. *sect.* 3. Amicus, *Tract.* 23. *Physic. quæst.* 6. *disput.* 2. Eustach. *part.* 1. *Physic. tract.* 3. *distinct.* 4. *quæst.* 2. Fuliens 1. *Physic. cap.* 8. *art.* 4. Baudunius *disput.* 8. *sect.* 6.

Tertia sententia est, motum se ipso specificari, tanquam quid prius termino. Ita Aureol. 1. *d.* 13. *art.* 2. Argent. Ibi Hurtad. *d.* 11. *Physic. sectione* 8. Faber, *Theor.* 45. qui Scotum pertrahit. Idem conatur ostendere Vtinen. *tract.* 8. *q.* 12. *art.* 2. *sect.* 3. *num.* 19. Eos sequitur Galit. *part.* 1. *lib.* 3. *tract.* 1. *q.* 8. concedens, motum specificari vltimò à termino.

40 Svmit verò suam sententiam è D. Bonauent. *in* 2. *distinctione* 1. *part.* 1. *q. vlt. in corpore*, vbi ait: *Mutatio in esse vtrumque extremum habet, & subiectum, quod est prius naturâ, quàm terminus. Et ideò talis mutatio aliquid potest esse naturâ præcedens terminum, & diuersum ab illo, secundùm rem; quamuis non sit ens actu, completum.* Sed ego pro secunda sententia inde eruo argumenta. Vult enim, mutationem esse naturâ prius, terminis; sed tamen intrinsecè ens imperfectum, ordinatum ad terminum, vt suum complementum: vti se declarat *ibi*, & *in primo, dist.* 13. *q.* 3. *ad* 3. & *in* 2. *distinct.* 2. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *in corpore*, tradit rationem; ait enim: *Et si quæras, cur tempus sit vnum; cùm motus sint varij? dicendum, quòd motu definitur per id, ad quod est; vnde respicit motorem mobile, & terminum: tempus autem respicit durationem variam, successiuam, quæ venit ex potentiâ rei mobilis. Tempus causatur à motu, quod est enthelechia entis in potentiâ.*

41 Assero igitur, Motvm sumere speciem à termino, *ad quem.*

Probatvr ergo primò. Id, quod tribuit definitionem, dat esse specificum. Talis est terminus, *ad quem*: ergo. Maior est euidens. Minor probatur: nam motus definitur per terminum actus, seu enthelechia entis in potentiâ, vt huiusmodi ad terminum. Ideò etiam ab eo nomen accipit specificum; vt ait Aristoteles: 5. *Physic. text.* 4. & 48. dicitur enim dealbatio, quæ est ad albedinem, qualiscunque sit terminus, *à quo*, seu materialis; at nomen imponitur ad significandam essentiam; Ideò *text.* 31. docet omnem dealbationem esse eiusdem speciei; similiter omnem denigrationem, ratione termini, *ad quem.* Ecce argumentum Sancti Bonauenturæ, quo vtuntur Authores secundæ sententiæ.

42 Probatvr secundò à Diuo Bonauentura, suprà. Quod comparatur ad aliud, vt forma ad materiam, dat ei speciem: sed terminus comparatur ad motum, vt forma ad materiam, & sicut actus potentiæ: ergo. Maior probatur: nam forma est, quæ dat *quod quid esse rei.* Minor probatur: quia motus est ordo quidam ad terminum: ordo autem determinatur à termino, vt sit huius; at esse huius, non illius, naturâ suâ est essentialiter determinari; quod enim est differentia, vel loco differentiæ, dat speciem; terminus verò est huiusmodi; quia in motûs definitione ponitur, vt differentia; nec intelligi potest sine termino, vt dante differentiam; sic calefactio, nec definiri, nec intelligi potest sine calore; qui est terminus, & forma, non quidem intrinsecè vt pars constituens motum, sed tanquam intrinsecè determinans; est enim motus tendentia ad terminum relatiua, & ab eo debet specificari. En ratio D. Bonauent. quâ vtuntur Authores secundæ sententiæ.

Hinc habeo, motum non specificari se ipso, eò quòd sit prior termino; vt inferebat Galitius: nam in illa prioritate est actus entis in potentiâ formaliter, vt huiusmodi; vt definit Aristoteles *in Physic. text.* 3. quod frustrà Galitius negat, *num.* 5. 43

Hinc etiam soluitur argumentum primæ sententiæ, vrgens: si terminus, *ad quem*, daret speciem motui; sequeretur, duos motus contrarios esse eiusdem speciei; sed hoc est absonum: ergo. Probatur sequela. Sit motus à nigredine ad albedinem, qui dicitur dealbatio, fit transitus à nigro in fuscum, antequam ad albedinem perueniat: fiat & motus ab albedine ad nigrorem, fit transitus per fuscum: ergo color fuscus est terminus, *ad quem*, duorum motuum, diuersorum specie.

Respondetvr, motum specificari à termino per se vltimato, non à quouis materialiter. Fuscus quidem color se habet, vt terminus, *à quo*: quia non tenditur in eum ad quietem, sed vtrinque, vt ab eo ad terminum intentum tendatur. Hac doctrina soluuntur reliqua. Ità Masius, *sect.* 2. *quæst.* 2. nec benè distinguit Amicus, id verum, quoad intentum naturæ: non quoad intrinsecum motus: nam debet sumi, prout in potentiâ ad terminum. Idem sanè terminus est ad finem, & ad ea, quæ ad ipsum; vt ait D. Bonau. *in* 3. *distinct.* 27. *art.* 2. *quæst.* 3. 44

Adverte etiam, dealbationem specificari ab albedine, vt sic; at verò, vt induit conceptum intensionis, & remissionis, specificari à gradibus, vt remissis, & intensis; & ità motus ad albedinem, vt quatuor, esset distincta specie accidentali à motu ad albedinem, vt sex. 45

Vides etiam, corruptionem à termino, *ad quem*, distingui, vt ait Amicus, *quæst.* 1. *disputat.* 6. cum D. Bonau. *loco cit. in* 2.

Hinc habes etiam, motum non sumere speciem à termino, *à quo*. Ità cum D. Bonau. *loco cit.* D. Thomas *part.* 1. *quæst.* 23. *artic.* 1. *ad* 3. & 2. *contra Gent. cap.* 17. Scot. 1. *distinct.* 13. *quæst. vnica* & communiter apud Colleg. 5. *Physic. cap.* 4. *quæst.* 1. Ruuius *cap.* 5. *quæst.* 1. Potest enim esse idem terminus, *à quo*, puta, terra, vndè ascendat lapis ad aërem, & ignis ad sphæram; & hi erunt duo motus; vel esse duo termini, à quibus, & erit vnus motus, alter ab albo in viridem; alter ad nigrum. Confirmatur: quia à termino, *à quo*, non accipit motus suam denominationem. 46

Dices. Motus lapidis à terra in aërem, & motus ignis similiter à terra in aërem, sunt diuersi specie; & tamen sunt ad eundem terminum.

Respondetvr, hos terminos esse distinctos materialiter, etsi formaliter sit vnus. Vel dic; distinctos esse motus, per accidens, ratione subiecti. Itaquè sunt duo motus distincti, specie accidentali, idest, secundùm rationem naturalitatis, & violentiæ; sicut calor differt in aqua, & in igne, ratione naturalitatis in igne, & violentiæ in aqua; vt ait Amicus, *Tract.* 24. *quæst.* 1. *dub.* 3. *num.* 2. 47

Quoad vnitatem numericam.

Svppono, prærequiri ea, quæ ad vnitatem specificam requisita sunt; non enim potest esse vnus numero, motus, qui non sit vnus specie; ex 5. *Metaph. text.* 12. Aristoteles 5. *Physic. text.* 34. tria requirit, Vnitatem Mobilis, Temporis, & Termini, 48

mini. Ita D. Auerroës,& alij *ibi* expositores. Cum illis D. Bonauent. *in 2.dist.41. art.1. quæst. 2. ad 1.* & *in 3. d.27.art. 2. q. 3. fund.* 1. Piccol. *lib. 1. de motu, cap. 5.* Ruuius, *loc. cit.* quam sequitur Zanard. *q.* 10. Fatnesius, *cap.* 10. Tolet. 5. *phys. q.3.*Colleg.*ibi,cap.4.q.5. art.*2. Perer. *lib.* 13. *q.* 8. Iuuet. 3. *physic.cap.*1. Baudun. *disputatione* 8. *sect.6.*

Aristoteles addit vnitatem motoris, 8. *phys.text.*49.83.& 84.non enim idem numero effectus potest à pluribus causis produci. Ita Perer. Collegium *loc.cit.*Themis.Auerr. Durand.aliique multi apud Amicum, *Tract.*24. *q.*2.*dub.*1.

49 Quòd si huius non meminit, 5.*physic.*Ideò est, quia ad octauum reseruabat agere de vnitate motoris,& aliis ex causis,apud Amic.*num.*5. & D.Bonauent. *loc.cit. in* 2. *ad* 1. vbi subdit: *Sicut est alius actus, cuius est aliud principium, & alius terminus,& mensura alia, & aliud tempus, intercisione, & renouatione facta in ipso actu, &c.*

Et si in *tertio loco citato* Seraphicus Doctor non meminit motoris,est, quia ibi non referebat, sed satis erat, ex diuersitate obiecti,distinctionem motus arguere.

Circa continuationem motus obserua, requiri, vt idem mobile permaneat: vt sit vnus motus, numero. Quare,si canis, è turri deiectus, in aëre moritur, ille continuat motum, sed est aliud mobile, nempè cadauer, & distinctus motus partialis.

QVÆSTIO IV.

An Motvs *directus, & reflexus sit continuus.*

50 Prima opinio est, tales motus nunquam continuari; sed dari semper quietem in puncto reflexionis. Ita plurimi è Societate Iesv. Colleg. 8.*physic.c.*8. *q.* 1. *art.* 1. Anton. Ruuius, *q. vlt.& alij.* Adde Zanardum,8.*Physic.q.*15.post Auerr. 5. *Physic. com.* 65.

Secvnda opinio est,non semper in puncto reflexionis dari quietem. Ita Scotus *quodl.* 12.*art.* 3. Sax. 8. *Physic. q.* 12. Iand.*q.*17. Paris. *q.* 3. Venet. *text.*65. Gratiad.*lect.*6. *q.*12. Amicus, *tract.* 24. *phys. q.* 2. *dub.* 6.*art.* 3. cum Iauello, *q.*12. Georg.*q.de hoc*; Tart. 5. *physic. d.vlt.* Vega. *loc. cit.de arte medica, c.* 6.& *q.* 50. *ad Tyrones.* Sequitur Galit. *p.*1.*phil.lib.*3.*T.*1. *quæst.*9. cum aliis. Adducitur etiam Baccon. 2.*d.* 3.*q.*2. *art.vlt.* Picus, *lib.6.exam. vanit.c.*2.*in fine*, Farnes. *lib.*2.*suarum assert.* Ares.2. *de Gener. q.vlt.* Mastr. *d.* 3. *q.* 6. Rabes.*lib.*8.*d.*3. *q.*1. Rocchus,*lib.*8. *q.*9. Eustach.*p.*1.*phys.Tom.*3.*d.*4. *q.*7.

In D. Bonauentura nihil hac de re inueniri,ait Galit.*n.*2. Inueni tamen *in* 2.*d.*14.*p.*2.*art.*1.*q.*2. Sanctum Doctorem *in fundam. vlt. & in corpore*, inducere hanc consequentiam. Si corpora cœlestia sunt solida,& dantur motus contrarij;nequeunt esse continui, & perpetui. Vnde sequitur, induci quietem mediam, iuxta illationem Aristotelis, & proinde in via Aristotelis eos motus negat in *eodem corpore quæstionis.* Rursùs *in primo, d.*17.*p.*2. *q. vlt. in argumento* ponit statum, vt dicam *Tract. de anima, d.*3. *p.*2. *q.*1.

Assero primò. In motibus datur quies per se, in puncto reflexionis. Ita videtur sentire D. Bonauent. & cum eo Ægid. 8. *phys. text.* 65. Thien. 8.*phys.*62. & alij. Est sententia Aristot. 8. *physic.* vbi motus contrarios continuari posse, negat. 51

Probatvr in motibus naturalibus; non enim natura producit aliquid, quod statim definat: ergo intermediat quies. Ita Aristot. 5.*physic. text.* 63.

Probatvr è motu naturali post violentum. Proiiciatur pila in aëre, virtus impressa paulatim minuitur, vt patet: quia tardior fit ad finem motus; ac proinde oportet, vt deueniat virtus illa ad æquilibrium, cum grauitate lapidis, quam dudum superabat: in eo autem momento non erit motus sursum; quia virtus illa non superat grauitatem; neque deorsùm, quia iam superatur. Si quæras, à quo detineatur? Respondetur, detineri ab impetu impresso, impediente grauitatem, æquali virtute opposita enixa. 52

Adde, aërem habere aliquam virtutem detinendi pilam, contra grauitatis enixum.

Respondent aliqui, eam æqualitatem esse in instanti.

Contra: quia illa virtus est diuisibilis: ergo in instanti nequit diminui; atque adeò reductio ad æqualitatem fit in tempore.

Respondet Murcia, motum, quo renititur impetus, esse in tempore; sed æqualitatem in instanti.

Contra: nam & conatus,& renitentia spectant ad motum, quippè exercitia virtutis diuisibilis: & ideò in tempore agunt. 53

Persistit Amicus, *art.* 3. æqualitatem illam non esse in tempore, sed in instanti.

Contra: quia sequeretur, virtutem illam esse productam in instanti; at in instanti non fit excessus diuisibilis; cùm sit diuersus à mensura instantis.

Deinde, cùm illud indiuisibile per se producatur, siue ab impulsu, siue à partibus motus; vt vult Murcia, erit diuisibile.

Respondet Amicus, indiuisibile illud resultare è corpore, existente in tali spatio, à virtute, quæ illud posuit in eo spatio; virtutem verò illam esse corruptam successiuè in tempore præcedenti; vt solet similibus accidere.

At, si æqualitas est in eo instanti, sequuntur absurda; nam tempore toto est inæqualitas, & transitus fiet à termino ad terminum, sine medio, quod redarguit Sanctus Bonauentura *in primo, d.* 37. *art.*2.*q.*2. *fund.*4. nam, quandocunque inter aliqua extrema cadit medium, quod habet naturalem ordinem ad extrema, impossibile est, agens virtutis finitæ peruenire ab extremo ad extremum, sine medio; ex Aristotele, 6. *physic. text.* 32. sic enim ab albo in nigrum,non transitur immediatè, sed per rubeum. Ab Italia in Africam non itur, nisi per medias Alpes, vel media maria. 54

Dices. Si datur ista æqualitas conatus lapidis, & renixus virtutis impulsiuæ;sequitur non agere alterutram: nam actio est cum victoria; atque adeò manebit semper lapis in aëre. Idem sequitur in aqua calefacta ad æquilibrium frigoris cum calore, fore, vt nunquam reducatur ad innatam frigiditatem. 55

Sed hæc nil obsunt: nam virtus impulsiua diminuitur etiam ex suo defectu; similiter & frigus in aqua; quia in alieno est subiecto; & præterea

tereà formam effundunt aduersam expellentem. Itaque, datà æqualitate intensionis, & virtutis, adhuc forma in subiecto extraneo cedet.

56 PROBATVR etiam in aliis proiectis: mensura, & mensuratum sunt eiusdem rationis. Sed motus est mensura rei diuisibilis: ergo illi proportionatur. Iam proiiciatur pila, colorata stibio, in parietem, tinget parietem, alteratione sanè proportionata, nempè in duratione diuisibili.

NEQVE dicant, id fieri per adhæsionem picturæ. Quid ni? Sanè cùm fiat per motum localem; fiet in tempore; nec est simile de lumine, quod est intentionale. Similiter expellit aërem, si obtusa; si autem nulla detur quies, reuertetur aer in instanti, vel dabitur vacuum. Vtrumque autem est absonum. Neque dicat Arelius, non recedere totam pilam æneam, sed partes; quia inane est. Aut in poris pilæ æneæ esse aerem, ad vacuum replendum; hoc enim extra chorum dicitur.

57 ADDVNT aliqui, per accidens euenire, vt non detur quies intermedia, putà, in motu pilæ, in terram proiectæ, vel in aërem; maximè si pilæ superueniret lapis molaris descendens. At ille motus esset potiùs contiguus; tunc enim pila moueri incipit, motu lapidis; vt ait Toletus. Cæteris, non video, negari quietem. Idem dic de pila, à ludentibus repulsà, fit enim compressio manus, & quies. Neque verò motibus contrariis essentiale id dixero, vt nequeat Dei potentià aliter fieri.

58 PROBATVR adhuc. Continuum est vnum, ex Aristotele, 5. *Physicorum, text.* 35. sed motus proiectorum sursùm, & deorsùm per vos est continuus: ergo vnus numero; etsi termini, ad quos sint diuersi. Insuper motus contrarij, *ex* 8. *Physicorum*, non continuantur. Respondent tamen, loqui Aristotelem de naturalibus, quæ vnum terminum habent; vnde solùm circularem esse perpetuum docet, vt innuit etiam D. Bonau. *in* 4. *d.* 48. *art.* 2. *quæst.* 2.

OBIICIES primò. Perforetur centrum terræ per stadium circum, & ad centrum iaculetur saxum, hoc pertransibit vltra centrum, ascendens sine quiete intermedia; & tamen sunt duo motus; alter deorsùm, sursùm alter.

59 RESPONDETVR, ambos esse motus violentos: alterum quidem rursùm, alterum deorsùm, contiguos: quia primus deorsùm est mixtus, magis tamen naturalis; alter verò totus violentus; & in puncto centri dico esse quietem.

OBIICIES secundò motus, suprà allatos; sed ad summum probant id, per accidens, vt si saxo sursùm iacto occurrat molaris.

OBIICIES tertiò: possum mouere manum sursùm, & deorsùm continuè. Fateor, sed voluntate, quæ in rebus inanimatis deest.

QVÆSTIO VII.

An MOTVS *à contrario in contrarium sit vnus.*

MOTVS à contrario in contrarium est præcipuè, cùm à termino ad terminum positiuè contrarium fit; vt cùm aqua è frigidà fit calida. De hac est quæstio.

PRIMA opinio est Diui Thomæ, 5. *Phisicorum, lect.* 8. *ad text.* 47. *&* 48. & *prima secundæ, quæstione* 133. *art.* 6. *in corpore.* Vbi Caiet. Bannes ferè *ad cap.* 3. *primi de Gener.* Zanardus, 7. *Physicorum, quæstione* 14. & aliorum Thomistarum, eos esse plures motus.

SECVNDA sententia est Diui Bonauenturæ, *locis citandis*, recessum à termino contrario, & accessum ad contrarium, esse vnum motum. Sequuntur Ægid. 2. *distinctione* 2. *quæstione* 1. *articulo* 4. *dubio* 4. *&* 5. Aureol. *ibi*, *distinctione* 1. *quæstione* 3. Gregor. *quæstione* 4. *articulo* 2. *ad* 18. & ferè omnes Recentes Tolet. 5. *Physicorum*, *quæstione* 4. Perer. *lib.* 13. *quæstione* 7. Zabar. *de communi rerum gener. & interitu*, *capite* 5. Ruuius, 5. *Physicorum*, *capite* 6. *quæstione* 2. Amicus, *Tractatu* 24. *Physic. quæstione* 3. *dub.* 1. *artic.* 2. & alij.

ASSERO cum hac sententia, in recessu ab vno Contrario, & accessu ad alterum, vnum tantùm dari motum. 60

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura, *in* 4. *distinctione* 42. *quæstione vltima*, ex Aristotele, 5. *Physicorum, text.* 47. *&* 48. Sicuti idem est recedere Thebis, & accedere Athenas. Quod infert Sanctus Bonauentura, *in* 3. *distinctione* 26. *articulo* 2. *quæstione* 1. *ad* 1. dicens. Idem pondus est, per quod vnum corpus recedit ab vna positione loci ad oppositam; etsi multi negent in motibus localibus veram contrarietatem: vt colleg. *capite* 4. *quæstione* 4. è Scoto *in primo*, *distinctione* 2. *quæstione* 2. sed hoc est contra Aristotelem, 8. *Physic.*

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, *in* 4. *distinctione* 14. *parte* 1. *quæstione vltima*, *ad vlt.* Idem est motus intentionis finis, & assumptionis mediorum ad illum; sed terminus, *ad quem*, est finis, & recessus à termino, *à quo* est medium: ergo. Confirmatur euidenti similitudine à Diuo Bonauentura, *loco primo adducto*: quia in auersione à Deo, & conuersione ad creaturam, est vnus motus, vnus actus, vna culpa. 61

OBIICIES primò. Aristoteles, 3. *Physicorum, text.* 5. dicit, esse plures mutationes inter album, & nigrum; & plures esse, generationem, & corruptionem, quia sunt diuersi termini: sic & in augmento, & decremento.

RESPONDETVR, esse diuersa mutata, sed vnum continuum motum, vno mobili, vno mouente, vna virtute, & duratione constitutum. Duo, inquam, mutata esse: quia subiectum, idest, aqua mutatur in frigore, & calore. 62

MVLTI verò aliter de motu, aliter de mutatione substantiali loquuntur, præcipuè Faber, *Theor.* 39. cum Scoto *in* 2. *d.* 1. *q.* 3. qui, *& de generatione, & Corruptione* rursùs distinguunt, motus enim est à subiecto in subiectum, inter qualitates pugnaces, quarum vna alteram formaliter pellit. At generatio non est formaliter corruptio alterius, sed per accidens: quia natura solam intendit generationem: non corruptionem, quam per accidens, intendit, quatenùs, sine alterius corruptione, generatio haberi nequit: neque semper sequitur: Sic in animatione corporis organici nulla forma corrumpitur, & tamen fit generatio animalis: corruptio verò vnius est quidem generatio alterius ex naturæ intentione: non tamen formaliter, sed consequenter. Itaque patet motum à contrario in contrarium 63

esse vnum; at generationem, & corruptionem esse duas.

64 Ideò Aristoteles, 5. *physicorum*, *text.* 7. tres distingnit mutationes. Primam de non subiecto in subiectum, & est generatio. Aliam de subiecto in non subiectum, & est corruptio; Tertiam de subiecto in subiectum, & est motus.

Hinc etiam infert Faber è geminis propositionibus illis, *Corruptio vnius est generatio alterius; & generat o vnius est alterius corruptio*, illam primam esse veriorem in intentione agentis, vt diximus: quia generatio est primò intenta. Cæterùm ex vna fit altera, atque adeò distincta; non enim idem à se ipso fit; vt arguit Amicus supra.

Obicies primò cum Zabarella, *loco citato, capite* 5. Si ignis, agens in aquam, eam vertat in aërem, erit interitus aquæ, & generatio aëris; & est vna mutatio, facta ab eodem agente, per vnam actionem: ab vno autem, in quantum vnum, non prouenit, nisi vnum. Confirmatur: nam omnis mutatio est inter duos terminos; & nulla vno termino concluditur; & hi in casu nostro sunt aqua, & aër. Confirmatur à simili de motu locali, qui inter duos terminos est vnus.

65 Respondetur, eas esse duas actiones; alteram circa aquam corrumpendam; alteram circa aërem generandum; & sunt plures termini, *ad quos*; & duo, *à quibus*; ideò plures mutationes. Neque est simile de motu locali, in quo adest vnum mobile, vnum spatium, vnus motor, vnus terminus, *ad quem*; atque adeò vnus est numero motus. Ita etiam Faber ex parte respondet; Scotum adducens.

66 Asserit etiam Scotus, plures esse mutationes: dum transmutatur materia, educitur forma, & generatur compositum: quia (ait) plures termini sunt.

Enim verò vna est actio; vt docet Galitius, *parte* 1. *libro* 3. *Tractatu* 1. *quæstione* 11. adducens Diuum Bonauenturam, *in* 2. *distinctione* 1. *part.* 1. *qu stione vltima*, & *distinctione* 18. *articulo* 1. *quæstione* 3. sed inde nil colligo.

Probatur verò, quia ab eodem agente, eodem instanti, omnia hæc fiunt.

67 Quæres; an detur vltima pars motus, scilicet successiui. Videtur Aristoteles 6. *physicorum*, 35. *& seq.* definire, ante motum præcedere mutatum esse; & ante mutatum esse, præcedere motum.

Motus de eorum genere entium est, quorum idem est fieri, & esse; vt docet Diuus Bonauent. *in* 1. *d.* 9. *q. vlt.* Potest verò quæri de motu, & tempore; & dùm factum supponimus, ex D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 1. *articulo* 1 *quæstione* 2. *ad* 3.

78 Igitur dico primò. Motus, vt factus, est diuisibilis, more continuorum. Itaque non datur primum, & vltimum. Ratio est, quia partes sunt diuisibiles in infinitum. Idem dic de indiuisibilibus motus.

Si verò motus sumatur, vt fit, datur primum, & vltimum eius; incipit enim, more finitorum, vt & desinat. Vide Patrem Galitium.

DISPVTATIO XI.

De Loco.



ERACTA disputatione motus in genere, agendum esset de motibus in specie, qui sunt ALTERATIO, AVGMENTATIO, & LATIO; sed de primis duobus agam *in libris de Anima, disp. de Vegetatina.* De latione verò acturus, agere priùs volo de Termino, vnde motus localis dignoscitur. Est autem duplex, vt communiter dicitur. Alter internus, qui dicitur VBI, alter exterior, qui dicitur LOCVS. 1

QVÆSTIO I.

Quid sit LOCVS.

LOCVM esse materiam, continentem corpora, ait Plato *in Timæo.* Alij dixêre esse formam rei locatæ. Eos refellit Aristoteles, 4. *Physicorum, text.* 6.

Celebris est Antiquorum opinio, LOCVM esse spatium, seu interuallum reale, tunc dimensum. Ita Stoici, vt Crisip. & Democr. Epicur. & Galen. apud Themist. *text.* 37. Philopo. *digress. ad text.* 37. At Ludouicus Molina, *disputatione* 52. *articulo* 1. Petrus Hurtad. *disputatione* 54. *physic.* nec longè Fonseca, 5. *Metaph. capite* 4. *quæstione* 1. *sectione* 1. Colleg. 8. *Physicorum, cap.* 10. *quæstione* 2. *art.* 4. dicunt, Locum esse spatium, seu capacitatem recipiendi rem; esseque eum, qui acquiritur motu locali; ac proinde esse in loco, nil aliud esse, quàm tali in spatio esse per propriam existentiam, ad quam resultat proprium VBI. Differunt verò ab Antiquis: quia spatium hoc non esse aliquid reale, dicunt, & ipsum fuisse ante mundi creationem opinantur.

Vera tamen sententia est, Locum esse superficiem corporis continentis. Est Aristotelis, 4. *Physicorum, text.* 40. quem secuti sunt omnes ferè Peripatetici; D. Bonauent. *in primo, distinctione* 37. *parte* 2. *articulo* 1. *quæstione* 1. & *in* 2. *distinctione* 2. *parte* 2. *articulo* 2. *quæstione* 1. & 2. & *distinctione* 12. *quæstione vlt.* Eum imitantur D. Thom. 4. *Physicorum, lect.* 6. & *quodl.* 6. *quæst.* 1. *artic.* 3. Capr. *in* 2. *distinctione* 2. *q.* 1. *art.* 1. Zanard. 4. *Physicorum, quæst.* 4. & alij Thomistæ, Tolet. 4. *Physic. quæst.* 3. Colleg. *ibid. cap.* 5. *quæst.* 1. *art.* 2. Suar. *in Metaph. d.* 40. *sect.* 7. Perer. *lib.* 11. Ruuius *de natura loci, q.* 1. Titel. *lib.* 4. *capite* 8. & 9. Vasq. *Tom.* 2. *disput.* 193. *capite* 3. Piccol. *de communibus affect. capite* 10. Galitius, *p.* 1 *l.* 4. *tract.* 4. *q.* 2. Amicus, *tract.* 20. *q.* 3. & 4. & alij apud eum, in plures diuisi opiniones, & modos dicendi nimium prolixè. 2

Assero primò, LOCVM non esse spatium imaginarium.

PROBA

PROBATVR : quia est terminus motus realis, perfecti, *ex text.* 30. *&* 31.

ASSERO secundò, LOCVM non esse spatium reale.

PROBATVR : quia illud spatium, vel est substantia, vel accidens; si primum, sanè erit corporea; atque adeò quanta, ac dabitur cum locato penetratio; si accidens, vel est Quantitas, vel Qualitas, &c. vel Vbi. Quodcunque sit, esse debet in subiecto. In quonam subiecto est? Adde Qualitatem non continere corpora. Neque est Vbi: quia hoc est intrinsecum in ipso locato, tanquam subiecto, & locus extrinsecus in locante. Si Quantitas est, cùm non sit corpus, erit superficies, hæc autem, cùm non penetretur, erit circumambiens.

5 ASSERO tertiò, LOCVM esse superficiem corporis ambientis.

PROBATVR primò ex Aristotele, 4. *physicorum, text.* 40. vbi definit. Locum. *Est superficies corporis continentis, immobilis primò.*

PROBATVR secundò à Sancto Bonauentura, *in* 2. *distinctione* 2. *articulo* 2. *quæstione* 1. ex conditionibus, communiter loco assignatis. Prima est, continere locatum. Secunda, mensurare. Tertia, conseruare. Continet enim vt vas; sed, quia vas est mobile, assignat Aristoteles, *text.* 41. conditionem aliam loci, scilicet immobilitatem. Secundò, mensurat vt quantitas, adæquans locato. Tertiò, conseruat vt natura: hoc autem verum de loco naturali, non de particularibus.

LOCVS autem, de quo egit Philosophus, est formaliter superficies, in quantùm continet locatum. Ita sanctus Bonauentura, *in* 2. *loc. cit. quæstione* 3. & est Aristotelis, apud Piccol. *de affect. communibus, à capite* 9. Farnes. *libro* 2. *capite* 8: Tost. *ad cap.* 17. *Matth. q.* 19. Vide Galitium, *quæst.* 3.

6 MVLTA opponunt Authores secundæ sententiæ, ad probandum; locum non esse superficiem; quia contingit, mutari locum, non mutatâ superficie; vt si transferatur dolium, vino plenum; & è contrà, mutatur superficies circa Turrim; & tamen hæc locum non mutat.

RESPONDENT aliqui, non esse absonum, mutari locum extrinsecum, corpore manente immoto. Itaque Turris non est ampliùs in eodem loco; sic & sublata sede homini sedenti, immoto manenti, euenit mutare sedem absque motu: vinum autem, aiunt, in dolio non mutare locum. Sed hæc videntur ridicula Amico, *Tract.* 20. *quæstione* 3. *disputatione* 3. *num.* 20.

7 RESPONDENT alij, superficiem habere loci rationem, quatenùs habet aliquam immobilitatem. Quare, dum res mouetur cum vase, hoc non habet rationem loci; mutatur enim distantia à partibus mundi fixis. Ad exemplum Turris, dicunt, mutari locum superficialem, non situalem, & intrinsecum. Hinc scito, dari locum intrinsecum, qui est VBI, & est terminus motus localis acquisitus etiam in vacuo. Vide Diuum Bonauenturam, *in* 4. *distinctione* 48. *arg.* 2. *quæst.* 2.

8 ALII respondent. Omne, quod aliter se habet, quàm prius, respectu loci, moueri localiter, secundùm se, vel ratione alterius. quod mouetur ad ipsum. Quare tunc motus non erit in locato, sed in locante.

OBIICIVNT secundò. Si locus est superficies: ergo & locatum, quod continetur per superficiem. Vrgeo: Superficies est indiuisibilis; atque adeò non potest continere corpus, quod est quantum, & diuisibile.

RESPONDETVR, locum esse superficiem; non præcisè, sed vt est corporis continentis terminus. Neque superficies est vndequaque indiuisibilis: nam ratione longitudinis, & latitudinis est diuisibilis.

QVÆSTIO II.

An LOCVS *sit immobilis, & quomodo.*

COMMVNIS sententia est, immobilitatem includi in conceptu loci, tanquam rationem essentialem. Sic enim distinguitur locus a vase, veste, & similibus, quæ continent. Sic Diuus Bonauentura *infrà cit.* D. Thom. *opusc.* 52. *cap.* 2. *d.* 2. *quæst.* 1. Tolet. *q.* 3. Gratiad. *lib.* 6. *q.* 6. Bruxel. *quæst.* 1. *art.* 1. & alij cum Aristotele, 4. *Physic. text.* 41. 9

QVOAD alterum. Prima opinio est, loco conuenire immobilitatem per se: nam, cùm sit superficies, & hæc non sit separata à corpore, non potest moueri per se localiter; ac proinde per se est immobilis. Ita Simplic. 4. *physicorum, text.* 40. eamque tribuit Themist.

SECVNDA opinio est, loco conuenire immobilitatem, quæ negat mobilitatem; siue terminatiuam, quæ habet mobile, siue translatiuam, quam habet vas. Ita Iand. *quæstio e* 9. & Auerroës, *com.* 40. *&* 41. Alexander apud Simplic. 4. *Physicorum*, 40. Tartaret. *quæstione de loco*, Angelicus apud Canonic. *quæstione* 1. *post* 3. *concl.* Georg. *quæstione de loco, dub.* 1. Hanc reor sententiam Scoti, 2. *distinctione* 2. *quæstione* 6. dum ait. Locum esse immobilem, motu locali; quippe qui nequit cieri de loco ad locum; quia locus esset in loco. Sic exponit Faber *Theor.* 47. Enim verò Lichet. 2. *distinctione* 2. *quæstione* 6. Canon. 4. *Physicorum, q* 1. *art.* 3. Fuentes *diff.* 1. *art.* 2. Rocch. *q.* 2. aiunt, Scotum, *loc. cit.* immobilitatem dare soli continentiæ, non autem superficiei. Priorem sensum accipit, neque secundum renuit Ponc. *disp.* 15. *quæst.* 1.

TERTIA opinio concedit loco immobilitatem non secundùm eam, sed secundùm exigentiam; quia verè moueri valet, sed non exigit moueri. Ita Auerroes *comm.* 4. & Philoponus.

QVARTA opinio est Molinæ, *quæstione* 52. *art.* 2. *m.* 5. immobilitatem conuenire loco, vt dicit spatium: nam spatium à principio mundi est immobile. Idipsum & Fonseca, 5. *met. c.* 13. *q.* 11. *sect.* 2. & *capite* 15. *quæstione* 7. *sectione* 5. *ad* 4. & Farnes, *capite* 8. *libro* 2. *Assert.* Amicus, *disputatione* 9. *quæst.* 1.

QVINTA opinio est, locum habere immobilitatem, per æquiualentiam. Citatur à multis Scotus, 2. *distinctione* 2. *q.* 6. vbi Lichetus, Poncius *loc. cit.* Doctores Parisienses, 4. *physic. quæstione* 3. At Scotus vult, loco incorruptibilitatem conuenire, per æquiualentiam: quia, etsi vnus destruatur, alter æquiualens ei succedit. Quare admonet Faber, non rectè illum allegari à Pererio, & 10

& Amico, *Tract.* 20. *Phys. q.* 1. *dub.* 9. *num.* 11. Id tamen sentit Rabesan. 4. *Phys. d.* 1. *q.* 2. Catharus *quæst.* 1. *art.* 2.

Sexta opinio est, locum esse immobilem per se, mobilem per accidens; & in hoc à vase differre; quia vas mouetur per se; at locus solùm ad motum corporis, in quo est. Ita Auerroës, 4. *Physic.* 41. & communiter Nominales, & Auerroistæ.

Septima opinio est Pererij, Immobilitatem, loco naturali tantùm conuenire, putà, terræ in aqua, &c.

Octava opinio est, locum esse immobilem; quia eandem distantiam seruat ad partes mundi fixas, nempè, ad polos, & centrum, & circumferentiam mundi, non præcisè, vt sunt centrum, circumferentia poli, &c. sed relatè ad motoris primi ordinationem, quâ omnia ita aptauit, vt omnia corpora essent aliis contigua, vt à primo Cœlo, vsque ad centrum communicarentur influentiæ, dato necessario contactu, inter mouentia, & mobilia. Itaque omnium loca immobilia sunt specificè, & numericè, hoc sensu relato; quam explicationem Aristoteles gratus acceptam ferat Seraphico 2. *dist.* 14. *part.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *in resol.* cùm nullus alius modus à Doctoribus excogitatus sit aptior. Reor, Mastrium *d.* 11. *q.* 2. *art.* 2. hæc sublegisse, sumendo loci immobilitatem totam à virtualitate Diuina, fixa ex naturâ suâ. Id subodoratus est P. Galit. vt *num.* 22. notat.

Huc forsitan tendebant, qui immobilitatem loci expiscantur per ordinem ad polos, & centrum, seu ad partes mundi fixas, qui hoc nudo sensu, vt circumfertur, non subsistunt, vt ostendam *assert.* 8. Hi sunt plurimi, & insignes, quorum Princeps D. Thom. *de nat. loci*, *cap.* 1. & 4. *Phys. sect.* 6. *ad text.* 41. & 42. Sequuntur Thomistæ; inter quos grauiter Zanard. 4. *phys. quæst.* 4. ac Iesuitæ, Tol. *q.* 5. Colleg. *cap.* 5. *quæst.* 1. *art.* 2. Suarez *in metaph. disp.* 51. *sect.* 2. *q.* 4. Gratiad. *lect.* 6. *q.* 6. Colon. *ibid.* Flandr. 5. *metaph. q.* 14. *art.* 9. & 10. apud Amicum, *art.* 3. Addit Mastrius. Tantæ molis erat effatum Aristotelis, vt tot modi excogitarentur, alijque apud multos, vt intemeratum seruaretur.

Assero primò, non rectè loco assignari immobilitatem per se à primâ sententiâ.

11 Probatur primò: quia hæc immobilitas est communis aliis accidentibus, quæ, non per se, sed ad motum subiecti mouentur.

Secundò, quia ex hac mobilitate per accidens, sequuntur eadem absurda, quæ ex mobilitate per se; scilicet corpus immotum mutare locum; vel moueri, & non mutare locum & motum frustrari suo termino.

12 Assero secundò, neque rectè à secunda sententia assignari, vt ideò sit locus immobilis terminatiuè, quia locus, cùm sit terminus *à quo*, non mouetur, ad motum locati, ad terminum. Nam aliquando ita mouetur, sicut & locatum ad motum loci; vt, si sint duo corpora, quorum alterum ab altero contineatur; vt aër à dolio, & dolium ab aquâ maris: nam & dolium moueretur, aqua maris mota; & aër, moto dolio; atque adeò simul mouebitur locus, & locatum.

Si dicas, ea non esse, vt in loco, sed vt in vase.

Contra arguit Amicus, *dub.* 9. *num* 6. nam illa corpora habere debent, non modò locum communem; sed etiam proprium: nam quantum occupare debet spatium sibi adæquatum, & proprium. Neque sufficit immobilitas translatiua, vt non transferatur.

Probatur: quia alioqui nullum durum posset habere loci rationem: nam omne tale est aptum, ad transferendum corpus contentum. 13

Deinde sequeretur, corpus posse moueri, & non mutare locum; vt, si Deus impelleret totam mundi machinam versùs vnam partem, seruato eodem situ elementorum, tunc aër moueretur; & tamen cum eo simul deferre terra. 14

Assero tertiò, neque rectè à tertia sententia assignari Immobilitatem secundùm exigentiam.

Probatur primò: nam immobilitas illa potiùs conuenit locato, quod è proprio loco non exigit dimoueri. Sanè illa est immobilitas imperfecto.

Probatur secundò: quia locus debet habere immobilitatem fixam: alioqui posset motus frustrari termino; & quia subiectum posset mutare locum, sine motu proprio, sed per motum loci ad ipsum; vt, cùm aqua mouetur ad palum, medio flumine fixum. 15

Assero quartò, neque rectè per spatium imaginarium explicari quia sic etiam locata erunt immobilia.

Assero quintò, neque immobilitatem loci explicari per æquiualentiam.

Probatur: quia hæc est immobilitas ridicula; sic enim Aquila, per aërem volitans, esset semper in eodem loco immobili; quia semper succedit noua superficies æquiualens. 16

Assero sextò, non explicari rectè immobilitatem loci per accidens.

Probatur: quia, cùm in definitione loci ponatur, debet ei conuenire per se.

Assero septimò, non rectè à Pererio, *cap.* 3. explicari loci immobilitatem. Ratio est, quia oportet assignare qualitates loci, etiam locis propriis; sunt enim singula corpora in propriis locis, & mouentur localiter. Sanè Aristoteles omnia definit, nec quicquam ad essentiam spectans omittit. 17

Assero octauo, non videri, satis explicare immobilitatem loci, eò quòd seruet eandem distantiam à polis, & centro.

Probatur: quia variantur superficies, continentes corpora immota, seruantia eandem distantiam à polis, & centro; vt aër circa Turrim, aqua circa corpora, immersa in flumine, vel mari. Quo igitur pacto, mutata superficie, & continentia, saluabitur idem locus, per eam fixam distantiam. 18

Probatur secundò: quia etiam vas marmoreum, fixum, continens oleum, erit locus eius; quia seruat eandem distantiam à partibus mundi fixis. Deinde, si Deus deprimeret Cœlum, terrâ immotâ manente, multæ vrbes variarent distantiam à mundi polis, & manerent immotæ. Vide Perer. *lib.* 11. *cap.* 3. Fuliensem *locis citand.*

Et quia ista immobilitas multis scatet imperfectionibus; ideò multi interpretantur Authores octauæ opinionis, vt eam immobilitatem dicant, prouenire ab immobilitate spatij, quod fixum semper est; spatij inquam imaginarij, cuius superficiei dicunt, primò conuenire immobilitatem. Vnde realis superficies habet, vt sit immobilis; quatenùs habet præsentiam localem ad spatium: quæ præsentia est omninò immobilis. Explicatunt autem illud per polos mundi, centrum, & puncta, in Oriente, 19

Oriente, & Occidente: quia ea nunc non mutantur; cùm verè immobilitatem potiùs habeant à punctis spatij imaginarij, in quæ incidunt centrum poli, & alia; & hanc immobilitatem tribuerunt loco Antiqui, ponentes spatium diffusum per vniuersum, & immobile. Subscribit Fuliens. 1. *physic.cap.7.art.*1. Eustach. *p.*1. *phys.tract.*3.*d.*2. *q.* 1. sed agnoscens adhuc illam immobilitatem esse imbellem, addit æquiualentiam: idest mutari per accidens, & tandem Soli *Vbi* immobilitatem concedit. Amicus *art.* 3. aliis reiectis, ait; loci immobilitatem consistere in esse corporis in spatio; quod dicitur, *Vbi intrinsecum*: quia nil est aliud; quod habeat immobilitatem simpliciter; vt suprà ostensum est. Subscribit partim Fuliensis.

PROBAT: quia hæc immobilitas *Vbi intrinseci* est radix aliarum omnium immobilitatum, quæ loco conueniunt; hæcque consistentia est, quà redditur locus immobilis. Enim verò *Vbi* est consistentia rei in loco; at locus non includit locum: ergo neque hanc consistentiam.

RESPONDET Amicus, *Vbi*, sumi in ordine ad spatium imaginarium, etiamsi nullum circumstans corpus sit.

21 AT hoc non est ad rem: nam immobilitas dicit relationem ad id, quod est, non ad id, quod non est: sicut autem non potest dari mensura æqualitatis, vel vicinitatis ad ea, quæ non existunt, sed sunt imaginaria, ita neque distantia potest mensurari; vt ipse docuerat *in præcedenti numero* 22. Confirmatur ex ipso Amico, *eodem numero*. Cùm enim plura corpora possint esse in infinitum, ille locus habebit distantias in infinitum maiores.

REFELLITVR præterea; quia immobilitas attribuitur ab Aristotele loco, à se definito, qui est *superficies corporis*, &c.

22 PATER Galitius noster, *p.* 1. *Philosoph. lib.* 4. *tract.* 4. *quæst.* 4. sic respondet particulam *immobilis*, in definitione loci, esse genitiuum; & sensum esse, locum esse superficiem corporis immobilis, continentis: nam constituta sunt singulis corporibus spatia in mundo, quæ nequeant transgredi. Insuper & loca naturalia, quæ dicuntur, per se, esse immobilia: nam semper fuit aqua locus terræ; locus aquæ aër; locus aëris ignis; locus ignis concauum Cæli Lunæ; & hæc esse loca, quæ semper seruant eandem distantiam à partibus mundi fixis, eaque habent proprietates loci, suprà relatas, nempè *conseruare, attrahere*, scilicet in ratione finis; vt ait Aristoteles, *text.* 4. non in genere efficientis, quod non potest ad omnem distantiam *agere, attrahere*, &c. sicut trahit locus. Hanc igitur virtutem, quam Auerr. 7. *Phys. text.*10. vocat attractiuam, dedit Deus loco naturali.

23 SIC videtur intelligere D. Bonauent. suprà, adscribens loco conseruare, vt natura, &c. Velle autem omni loco accidentali adscribere immobilitatem, videtur inualidum, cùm nihil sit locali superficie singulorum instabilius.

ITAQVE non omnes conditiones loci, omnibus locis debent conuenire, sed solis naturalibus.

24 QVARE omnes loci conditiones ab Aristotele, 4. *Physicorum*, assignatas, & relatas, à Diuo Bonauentura, *in primo, distinctione* 37. *parte* 1. *articulo* 1. *quæstione* 2. & *parte* 2. *quæstione* 1. *articulo* 2. nempè, ATTRAHERE, CONTINERE, CONSERVARE, COMMENSVRARE, disiunctiuè locis conuenire; ait Pater Galitius, *quæstione* 5. Ita enim corpora incorruptibilia non egent à loco conseruari. Singula corpora à locis particularibus non attrahuntur, vt fine; sed à solis locis naturalibus. Meliùs cùm Sancto Bonauentura explicuisset de omnibus locis immobilitatem, ad Aristotelis mentem. Hic enim se sus solus stat, cæteris lapsis.

ADVERTE, circa loci æqualitatem ad locatum, laborare Doctores; quia locus est superficies; at locatum est corpus, cui superficies nequit adæquari; cùm ea in profunditate deficiat.

ALIQVI dicunt, locum esse æqualem locato, solùm, quoad duas dimensiones.

ALII dicunt, id eò æqualem esse; quia totum locatum continetur loco; & locus totus continet. Ita Pater Galitius, & alij apud illum.

FACILIOR responsio, æqualitatem sumi debere à loco, vt locus; at locus est superficies; 25
igitur, quia corpus continet, ratione superficiei: ideò ratione eius commensuratur locato, quod ratione superficiei continetur. Esse enim in loco, est esse intra superficiem corporis continentis; vt ait ipse Galitius, *quæst.*6. seu dicit, locati; & loci, secundùm superficies, vndique contiguitatem, vt colligo è Diuo Bonauentura, *in primo, distinctione* 37. *parte* 1. *articulo* 1. *quæstione* 1. & *parte* 2. *quæstione* 1. & *in* 4. *distinctione* 10. *parte* 1. *articulo* 1. *quæstione* 3. Vnde etiam dicitur, locatum circumscriptiuè esse in loco.

HINC erues, quo pacto res dicantur locales; de quo actum est; *Tractatu* 1. *d.* 7. *quæstione* 3. & *sequent.*

HINC etiam habes, vltimum Cœlum non esse in loco, quia non circumscribitur ab alio superiori. In hoc multùm laborant Authores; sed pauci hæc sunt ponderis. Vide Galitium, *quæstione* 7. Ruuium de natura loci, *quæstione* 47. Bellarminum, *Tom.*3. *controuers. libro* 3. *capite* 3. Molin. *quæstione* 52. *articulo* 1. Amicum, *Tom.*20. *quæst.*5. *dub.*2.

Ex dictis habes, loci immobilitatem non dari materiali cuique superficiei, sed immediationi relatæ ad mundi seriem optimè, ac necessariò ad finem influxuum; non modo Scotico. Agunt hîc aliqui. An duo corpora in eodem loco poni queant. Sed de hoc *prima secundæ*, *Tractatu* 2. *disput.*2.

QVÆSTIO III.

An idem CORPVS *esse possit in pluribus locis.*

HÆRETICI Sectarij penitùs negant, per Dei potentiam, idem corpus in multis locis aliquomodo esse posse. Eos referunt Bellarmin. *Tom.* 3. *lib.* 3. *de Eucharist. cap.* 3. Bouerius, *lib.* 2. *Examinis sectariorum, examine* 4. *Atheismo.* 4.

INTER Catholicos non potest de hoc dubitari. 26
Omnes enim concedunt de fide, Corpus Christi sanctissimum esse in pluribus locis, Sacramentali modo. Similiter & in Cœlo, modo naturali extenso ad locum; & in terra multis in locis Sacramentaliter, modo inextenso. Solùm inter eos est controuersia: An in pluribus locis esse queat, modo extenso.

PRIMA opinio est, nullâ potentiâ, posse id fieri

fieri. Tametsi concedant, posse pluribus in locis disiunctis, sacramentali modo; vel etiam in vno loco naturaliter, in aliis sacramentaliter collocari. Ita Diuus Thom. *3. part. q. 75. art. 1. ad 3.* & *quodlibet 3. art. 2.* & *in 4. d. 10. quæst. 1. art. 5.* & *d. 44. q. 2. art. 2. quæstiuncula 3. ad 4.* Capreol. *in 4. d. 10. quæst. 1. art. 5.* Palud. *q. 3.* Durand. *q. 1. num. 30. & quæst. 4. num. 8. & d. 44. q. 6. ad 1.* Henricus, *quodl. 1. q. 33.* Godofr. *quodl. 13. quæst. 5.* Ægid. *quodl. 1. q. 2. & quodl. 2. q. 17. & Theor. 3. de Eucharist.* Heruæus, *quodl. 11. q. 13.*

FERRARIVS, 4. *contra Gent. c. 68.* Carthus. *in 4. distinct. 13. q. 3. d. 1.* Zanard. 4. *physic. q. 3.* Vasq. *d. 189. cap. 5.* Ledes. *q. 76. art. 1. d. 3.* Masius 4. *Physicorum, cap. 5. quæstione 5.* Complutenses *hic.*

27 SECVNDA sententia est, posse à Deo poni idem numero corpus in pluribus dissitis locis, modo extenso. Ita Alens. 4. *p. q. 11. art. 2. §. vlt. & q. 41. mem. 3.* Scotus *in 4. d. 10. q. 1. & 2.* Ocham. *q. 4. & in centil. concl. 28.* Richard. *art. 2. q. vlt. & quodl. 2. q. 2.* Aliac. *q. 5. art. 2.* Adam, *q. 5. art. 3.* Marsil. *q. 7. art. 3. d. 1.* Argent. *q. 1. art. 3.* Maior, *q. 2.* Gabr. *q. 1. art. 2. & lect. 46. in Canonem,* Aureol. apud Capreol. *d. 10. q. 1.* Ruardus Taper. *art. 25.* Sotus, 4. *Physic. q. 2.* Claud. Rep. 4. *cap. 4. & 7.* Indicat Hugo *de S. V. lib. 2. de Sacram. p. 4 cap. 11.* Bellarm. *Tom. 3. lib. 3. cap. 3. & 4.* Suarez, *3. p. tom. 3. d. 48. sect. 4.* Turrian. *lib. 3. de can.* apud Bellarm. Alanus *de Eucha. cap. 38.* Murcia, 4. *physic. d. 1. q. 7.* Verac. *Spec. 2.* Tartar. *c. 1. de hac re,* Amicus, *Tract. 20. physic. q. 7. dub. 1.* Auersa *q. 27. sect. 6.* Claud. de Sanct. *repetit. 4. de Eucha. cap. 4. & 7.* Colleg. 4. *physicorum, cap. 5. q 5. art. 2.* Hurtad. 3. *physicorum, d. 1. sect. 5.* Valent. *Tom. 4. dist. 6. q. 3. p. 1. §. 23.* Bouer. *lib. 2. de exam. Sectatorium, loc. cit.* Galit. *p. 1. Phil. lib. 4. tract. 4. q. 9.* Mastrius *d. 11. q. 8.* Hæc his temporibus, est ferè omnium calculis accepta, vt ait Ponc. *disput. 15. quæst. 5.*

TERTIA opinio est problematica. Ita Ruuius de natura loci, *quæst. 7.*

28 QVOAD Diuum Bonauenturam, allegatur à Suarez, Hurtado, Mastrio, Zanardo, Amico, & aliis, pro priori sententia; &, quod me ad stuporem trahit, Forestus, in Seraphici doctrina diù, multumque volutatus, quinquaginta sex ferè annos eiusdem Prælector, in eam sententiam rapit Seraphicum; vt refert P. Galitius. Omnes sanè immeritò; vt ostendam.

IGITVR Sanctus Doctor *in primo, d. 41. art. 1. quæst. 3. initio corporis,* asserit vniuersaliter; sicuti possunt duo corpora esse in eodem loco, posse & idem esse in diuersis locis: comparatio autem fit corporum extensorum; quæ modo extensiuo sicuti se penetrant plura; ita vnum in pluribus locis dissitis extenditur, multiplicatis commensurationibus, ad plura loca. Quod est argumentum secundæ sententiæ.

DEINDE *in 4. d. 10. p. 1. q. 1. ad 3.* testatur, Christum naturaliter habere terminum in Cœlo; atque adeò non produci de non esse ad esse; aut adduci posse, manendo in Cœlo, sed tamen posse in totum Christum alia conuerti; atque adeò in pluribus absolutè esse locis, per miraculum. Addit quidem, in Sacramento, supposita institutione talis modi existendi indiuisibilis, non posse esse, modo extenso; sed hoc nil obest.

29 DISTINCTIONE 10. *p. 1. art. 1. q. 3. in corpore,* docet, corpus Christi esse definitum in vno loco, vt indiuiduum; ita vt nequeat, ex non esse reproduci; vel, per adductionem, in pluribus locis esse, manendo in Cœlo; sed per conuersionem alterius substantiæ, idest, panis in ipsum. Hoc autem non repugnare fieri, etiam modo extenso; docet, *ad 1.* dicens: *Vnde, sicut indiuiduum, in quod possunt alia conuerti, secundum partem, potest esse in maiori loco; sic illud, in quod alia conuertuntur totaliter, in diuersis locis, potest esse in pluribus locis* (sanè extensè debet dici comparatum.) Hinc verò sumunt Suarez, & alij aliud argumentum. Quare non ritè Baudun. *disp. 10. sect. 4.* hæc duo loca detrahit.

CLARIVS, *dist. 11. q. vlt.* supponit idem corpus esse posse in pluribus locis extensiuè; & dicit absoluta, quæ illi corpori insunt, in omnibus locis inesse; at ea, quæ a loco dependent, vt verberari, vulnerari, posse illi aduenire in vno loco; etsi in alio non ob absentiam percussoris. Igitur infert, hæc iam non euenire ob corporis inhabilitatem, ratione præsentis status. Similiter posse in vno loco videri, & in alio non: quia oculus remotum haberet alterum locum; atque adeò absens corpus. Certè hæc, luce clariùs, supponunt existentiam modo extenso, quia, modo Sacramentali, non est obuium contactibus quantitatiuis gladiorum, fustium, &c. non idoneum, vt videatur. Itaque est cum secunda sententia; vt rursùs ostendam, *3. p. tract. de Eucharistia, disput. 5. quæstione 1.* 30

QVOAD locum, *in 4. d. 44. quæst. 1.* vbi eum allegant censores aliqui, nil de hac re loquitur; sed cautiùs eum allegat Suarez, *quæst. de subtilitate,* quæ est *dist. 49. art. 3. q. 1. ad 5.* vbi cùm arguisset. Sicut se habet vnum locatum ad plura loca, ita plura loca ad vnum locatum; sed vnum locatum, impossibile est, esse in pluribus locis simul: ergo nec plura locata possunt esse simul in eodem loco. Respondet, non esse simile quia primum facit finitas, quâ creatura non priuatur per gloriam; secundum facit corpulentia, & grossities, quæ aufertur per gloriam. 31

HOC tamen, si rectè perlegatur, nil nocet; non enim negat, fieri id posse à Deo; sed, cùm inibi ponat dotem supernam, ad penetrandum; non aliam, ad multiplicandas præsentias in locis; dotem, inquam, quæ quantitati naturaliter limitatæ, huic indiuiduæ præsentiæ; vt dixit, *disp. 10.* & *disp. 11.* tribuat supernè multas præsentias; nil mirum, si negat *hic,* & nunc paritatem: quia illud supernaturaliter fit, per dotem subtilitatis supernaturalem; hoc verò non habet auxilium supernaturale; atque adeò creatura manet in suâ fieitate; non quæ dicit limitatam naturam, seu essentiam (hæc enim à creatura auferri nequit etiam diuinitus, vt ostendi *tract. 1. disp. 6.* sed manet finitas, de quâ sunt paralleli quantitatum; nempè alterius, vt valeat alteram penetrare, ad quod habet à dote gloriæ vim: alterius ad extensiones ad locum multiplicandas; quæ, cùm sint accidentia quantitatis, vt infrà dicam, possunt multiplicari. Itaque potiùs pro secunda sententia stat, inferens; si à Deo daretur quantitati multiplex præsentia localis, fore paritatem. Hinc habes, non rectè à Suarez hunc locum accipi; atque à Baudun. *loc. cit.* vt latiùs infrà *in secundo argumento* ostendam. 32

REMANET alius locus *in 2. disput. 2. part. 2. artic. 2. quæst. 2.* vbi inducit absurda, si Angelus in pluribus locis poneretur; quia posset in vno loco

loco tacere, in alio loqui; etsi poneretur Romæ, & Parisiis, si posset Romà Parisios pergere, eò iret, vbi esset; & si eò perueniret, se ipsum inueniret, & ità, sibi occurrens, salutaret, vt iam præsens absentem; etsi non posset eò ire, esset immobilis.

33 DICO autem, *in* 4. *loco citato, disput.* 11. ipsum concedere, ea, quæ à loco dependent, variari in corpore, posito in pluribus locis; sed negare tantùm adductionem à loco, manendo ibi; & ideò posse multiplicari præsentias, per conuersionem substantiæ in corpus, etiam extensum. Si igitur Angelo, negatur esse in pluribus locis, negatur solùm naturaliter; vel, si etiam supernaturaliter, id esse per mutationem absolutorum. Concessit sanè, *disput.* 11. *quæst. vlt.* non necessariò corpus, si moueretur in vno loco, mouendum & in alio: quia illa, quæ absoluta non sunt, sed à loco pendentia, possunt magnâ Dei potentiâ eidem corpori conuenire in vno loco; etsi non conueniant in alio. Itaquè contradictiones illæ, in Angelo apparentes, modo naturali se habente, non possunt inferri de corpore Diuinâ Omnipotentiâ, posito in pluribus locis. Quare id, quod in 2. *sent.* negat potentiæ Angeli innatæ, concedit *in* 4. *sent.* corpori supernaturali virtute collocato. Itaquè impossibile omninò non est apud S. Doctorem; cùm *in distinct.* 11. maximè *in corpore quæstionis*, asserat: fieri id posse. Corpori autem quæstionis standum, vbi resoluit.

34 ASSERO posse idem corpus, modo extenso, esse simul in pluribus locis dissitis, & adæquatis.

PROBATVR primò. Christus à die Ascensionis sedit in cælis, & sessurus est vsque ad diem, iudicij, vt habetur Actorum 4. *Quem oportet cœlum suscipere vsque ad tempus resurrectionis hominum*, iuxta id *Psal.* 109. vbi Pater æternus Filium ad Empirea peruenientem, amanter alloqui inducitur. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum, &c.* vt notat D. Bonauent. *in* 4. *distinct.* 30. *dub.* 4. *litt.* & *in serm.* 1. *Ascens.* cum D. August. vt habetur *cap. Prima quidem hæresis, de consecrat. distinct.* 2. & tamen simul fuit in terris, apparens Saulo, *Act.* 9. in via Damasci, & etiam Ananias testatur, & habetur rursùs *Act.* 22. atquè obseruat S. Doctor. *sermonibus geminis, in conuersione S. Pauli.* Rursùs verò Act. 23. *Assistens Christus Paulo, dixit, Constans esto, &c.* & prima Corinth. ipse testatur, sibi visum IESVM, sicut visus fuerat aliis discipulis. Habemus igitur Christi Corpus, modo extenso, pluribus in locis remotissimis eodem tempore.

INSVLSA est verò Caluini, *lib.* 4. *cap.* 12. responsio, oculos Pauli redditos perspicaces, vt ad cœlum Empyreum penetrarent.

35 HIC, velut Gyges annulo, ad libitum dat perspicaciam sanctis, & eos, dum sibi expedit, reddit surdos, obtusos; vt non aures, non oculos habeant, ad nostras necessitates intuendas, preces audiendas. En, Deus, vt fateris, dat sensus à terra ad cælum attingentes; cur negas, à cælo ad terram? cùm sit eadem via Athenis Thebas, & Thebis Athenas: vt cum Aristotele loquar. 5. *Physic.* 47.

36 PROBATVR secundò, simili Diuinæ Omnipotentiæ miraculo: & est ratio educta è D. Bonau. *ad vltimum caput Ioan.* & in 4. *loco citato.* Ità se habent locata ad loca, sicut loca ad locata: sed potest duplex corpus esse in eodem loco: ergo & idem in pluribus locis. Maior probatur: quia relatiua sunt. Minor est de fide: nam Christus, quatenus mortalis, natus est ex intemerato Beatissimæ Virginis vtero, & ianuis clausis, ingressus est ad discipulos. Hæc verò latiùs ostendam *prima secunda, loco adducto ante titulum quæstionis*, & *Tract. de Euchar. loco citato.* & ibi oppositiones eluam. Sic & clauso sepulchro exiit, vt fatetur Calu. *admonitione vlt. ad Vuestphal.*

RESPONDENT aliqui, diuersam esse rationem: nam duo sunt in indiuiduo, nempe esse indiuisum in se, & diuisum à quocunquè alio. Prius autem est magis intrinsecum: & hoc tolleretur, si in pluribus locis corpus indiuisum ponatur; per penetrationem verò tolleretur aliquo modo sola diuisio à quocunque alio: & hæc etiam non omninò destrueretur. 37

Sanè hæc responsio inferret, etiam sacramentaliter implicare: nam sic Corpus sanctissimum Brixiæ, & Romæ diuisum esset, atque plurificatum.

SVAREZ, & Faber referunt responsum D. Bonauenturæ, *loco citato in* 4. disparem esse rationem: nam, quòd non possit dari penetratio, oritur ex mole corporum, se inuicem repellentium, quæ potest auferri, dote subtilitatis; at, quòd idem corpus in duobus locis esse nequeat, oritur ex finitate creaturæ: hæc autem est ipsi intrinseca.

HOC responsum refellunt. Ideò quidem Faber, quia, licèt creaturæ virtus sit finita, potest à Deo ampliari. Ità, etsi ego nequeam mouêre decem pondera, potest Deus conferre vim, mouendi centum. 38

SVAREZ verò quærit, quid per molem intelligat S. Bonau. Sanè (ait) debet respondêre, actualem extensionem ad locum, at hæc non aufertur à creatura penetrante; vt patet in partu intemerato sacratissimæ Virginis.

QVOD verò dicebat S. Bonauent. alterum implicare ex finitate inamouibili à creatura (ait Suarez) falsum est: alioqui nequiret Deus tribuere creaturæ ampliorem virtutem, quam naturaliter habeat; atquè adeò non posset ponere Corpus Christi extrà locum, quem habet in cælo. 39

NEVTER tamen intelligit argumentum S. Bonauent. agit enim ibi de dote subtilitatis, quâ corpora beata penetrant; opponit verò ibi ex natura loci, quæ ità se habet ad locata, sicut locata ad locum. Vndè, sicuti vnum locatum non potest plura loca complêre; ita neque plura locata vnum locum capere.

RESPONDET in terminis, negando paritatem: quia, etsi natura sua sit paritas, tamen alterum eleuatur per gloriam, seu dotem subtilitatis; alterum relinquitur in sua innata limitatione ad vnum locum. Itaquè non negat, Deum posse dare penetrationem, nisi amoueat molis actualem extensionem: nam id concedit ad vltimum Ioannis, afferens illud D. Gregorij effatum, homil. 26. in Euang. *Illud corpus intrauit ad discipulos, ianuis clausis, quod per natiuitatem suam clauso exiuit vtero Virginis*; & subdit; nec tamen erat corpus glorificatum: ergo sine dote. Infert verò, diuerso modo instrasse, ianuis clausis; quia ratione dotis (ait) potuit tunc intrare, ianuis clausis. Igitur S. Doctor respondet strictè argumento, posse corpus glorificatum penetrare aliud: quia supernaturali dote aptum redditur, ablata molis actuali operatione: ad id autem nil faciebat; an alio mo- 40

do possit Deus penetrationem concedere quantitati. Quare non arguit Suarez ad propositum.

QVOAD alterum etiam membrum, vterque extra chorum exilit: nam Seraphicus Doctor solùm respondet, non posse idem corpus gloriosum esse in pluribus locis præcisè ex dote gloriæ: quia per eam non aufertur limitatio ad vnum locum, quantitatiuè circumscribentem. Quòd verò nequeat Deus potentiam obedientialem creaturæ extendere vltrà naturalem sphæram: atque adeò sequatur, non posse collocare corpus Christi extra Cœlum, adeò à dictis Seraphici alienum est, vt in tota distinctione 10. & 11. reclamarit; ac videantur isti Authores somniare. Itaque è Seraphico, ritè percepto, eruitur argumentum, quo pugnant, non impugnatio, quâ ludunt, illuduntque Seraphico. Sanè ea finitas, quam Seraphico assertam ferunt, tolleret multiplices præsentias Christi in Sanctissima Eucharistia.

PROBATVR tertiò assertum à Scoto, ratione, sumpta è Diuo Bonauentura *in 4. distinct. 10. artic. 1. quæst. 2. argumentis primo loco.* Vbicunque potest Deus facere substantiam naturalem, non sub modo ei naturali, potest facere eandem modo naturali, conuenienti substantiæ ipsius; sed Deus potest facere, corpus Christi esse in pluribus locis, Sacramentali modo, qui omninò est supernaturalis Corpori Christi: ergo. Minor est de fide. Maior probatur: quia in faciendo primum, est duplex miraculum. Alterum, faciendo corpus in pluribus locis; alterum, faciendo stare modo supernaturali. In faciendo verò secundum, est tantùm vnum miraculum, idest, quòd vnum corpus sit in pluribus locis. Hoc sanè est validùm argumentum contra Authores primæ sententiæ, qui credunt, præsentiam Christi in Sanctissima Eucharistia.

Hoc argumentum vrgent Suarez, Amicus, Poncius suprà cit. & Fuliens. *de Eucharist. lib. 2. c. 4.*

43 PROBATVR quartò à Scoto ratione, sumpta è Diuo Bonauentura, *locis adductis.* Potest Deus facere, corpus aliquod, *v. g.* Christi, esse præsens in pluribus locis per conuersionem alterius substantiæ, *v. g.* panis in ipsum; at potest Deus conuertere corpus vnum, idest, panem, non solùm, quoad substantiam, sed etiam, quoad quantitatem; & tunc esset præsens modo naturali; ergo potest facere, vt idem corpus, modo naturali, sit in pluribus locis. Vrgeo; at tunc substantia panis transubstantiatur in corpus Christi organicum; atque adeò in quantitatem corporis Christi, vt 3. *part. Tom. 2. tract. de Eucharist. loc. cit. initio contra Durand.* ostendam. Iam verò, cùm ibi sit quantitas corporis Christi, signum est, nil ei deesse essentiale, sed solùm aliquid accidentale, nempè extensionem, in ordine ad locum. Hæc igitur potest in singulis locis Deus, si vellet, concedere; vt non amplius modo Sacramentali, sed naturaliter in tot locis existat.

QVÒD verò extensio ad locum actualis non sit de essentiâ quantitatis, ostendi, *disputatione* 8. *quæst.* 1.

44 NEQVE dicas, quantitatem habere; vt ad vnum solum locum extendi queat, è suâ limitatâ naturâ.

RESPONDETVR enim, quantitatem non habere vnam præcisam determinatam extensibilitatem, sed in confuso: hanc autem, cùm sit ei accidens, potest Deus multiplicare.

RESPONDENT D. Thom. Henric. & alij, quòd; si Deus conuetteret etiam quantitatem panis, illa esset in vnico loco; esset enim vnica quantitas.

CONTRA primò: quia esset saltem in vno altari, modo naturali, per vos; esset etiam in Cœlo, modo naturali: ergo in duobus locis.

PROBATVR quintò à Scoto ratione, sumpta è Diuo Bonauentura, Deus potest facere totum id, quod non implicat contradictionem, at corpus vnum non implicat, esse in pluribus locis: ergo. 45
Maior est certa. Minor probatur à Scoto: quia ad multiplicandum corpus in pluribus locis, requiritur sola multiplicatio respectuum extrinsecùs aduenientium. Meliùs dicam, multiplicatio extensionum actualium quantitatis ad LOCVM, & ad VBI, quæ sunt ei accidentalia, requiritur.

PROBATVR secundò. Difficiliùs multiplicantur ea, quæ intrinseca sunt, quàm extrinseca; sed per transubstantiationes multiplicantur res in substantiam, & quantitatem Christi; & solùm remanet de ea extrinsecum quoddam: ergo, &c.

46 PROBATVR sextò: quia hoc non repugnat naturæ quantitatis; neque modo existendi quantitatiuo: ergo potest fieri. Antecedens probatur, quoad primum: quia ratio integra quantitatis est prior extensione actuali ad locum; vt ostendi *disput. 8. quæst. 1.* & licèt naturalis capacitas eius sit ad vnum locum, tamen obedientialis potentia est ad multas similes accidentales extensiones. Altera pars probatur: quia modus iste solùm exigit, 47
vt adeò se extendat ad locum, vt omne aliud excludat. Sed hoc potest habere, etiamsi multiplicet entensiones. Neque moueat, talem modum exigere, vt illud corpus ità sit in illo loco, vt extrà illud non sit; hoc enim verum est naturaliter exigi; at non exigit hoc intrinsecè; ità vt aliter à Deo fieri nequeat. Quare, etsi naturaliter circumscriptionem dicat, cum negatione essendi extrà; hæc tamen negatio non est intrinseca illi modo; vt obseruat Suarez. Itaquè non infertur impossibile Deo; semper enim altâ mente retine repositum Angeli *cap. 1. Lucæ* effatum, D. Bonauenturæ familiare. *Non est impossibile apud Deum omne verbum*; & illud D. August. lib. de cura pro mortuis, c. 16. *Alij sunt humanarum limites rerum; alia diuinarum signa virtutum: alia sunt, quæ naturaliter; alia, quæ mirabiliter fiunt.*

PROBATVR septimò exemplis, quibus sic arguit Suarez, ex D. Bonauent. *in 2. distinct. 2. part. 2. artic. 2. quæst. 2. ad 5.* Potest Angelus collocari in pluribus locis: ergo & Corpus Christi. Antecedens probatur ex multorum sententia; vt ostendi *Tractatu de Angelis, disput. 9. quæst. 3.* etiam naturaliter id concedentium; ex diuinâ verò potentiâ id omnes concedunt: ergo. Consequentia verò probatur à S. Bonauent. quia nulla implicantia est, quòd plures substantiæ, & quantitates in ipsum conuertantur. Vbi S. Doctor. solam localem adductionem excludit, & productionem ex non esse. Libet apponere hîc sententiam Hugonis de S. V. *lib. 2. de sacram. part. 5. cap. 21.* allati à Richardo, & Alensi. *Non est mirum, si Mirabilis mirabilia operatur. Quomodo (inquis) corpus vnum est in diuersis locis simul. Noli mirari, qui locum fecit & locum in corpore, corpus in loco fecit, sicut voluit: etsi voluisset, aliter facere potuisset. Cogita facientem, & desinet esse mirabile, quidquid ille fecerint: etsi fortè esse mirabile non dixeris; tamen incredibile non erit. Factor omnipotens cogitatur, non erit impossibile, quidquid erit.*

HAC

Hac regula soluentur etiam aduersantium argumenta. Sanè alia sunt difficiliora creditu, & creduntur: vnde hæretico, mihi opponenti, se non credere præsentiam Christi in Eucharistia; quia non capiebat: opposui. Credis ne sanctissimam Trinitatem, quòd sit vnus Deus,& sint tres Personæ, &c. Respondit, credo. Instiri. Comprehendis, quo pacto id esse queat,vt sint tres personæ, & vnus Deus? respondit; non capio. Tu ergo malè infers. Non capio, quomodo possit idem corpus in pluribus esse locis: ergo nolo credere. *Plus enim potest Deus facere, quàm homo intelligere*: alioqui Deus finito intellectui æquaretur.

50 Mihi sanè quadrat ratio illa relata. Si Deus potest ponere idem corpus in pluribus locis, sacramentaliter, modo supernaturali, & mirabiliori; non video, quo pacto negetur, poni modo naturali; hic enim facilior est, quia relinquitur in suo esse naturali quantitas, & substantia: at verò modus indiuisibilis infert vim quantitati, & substantiæ corporeæ, vt eas ad indiuisibile contrahat; vt benè vrget Suarez, *argum.* 4. & Amicus, *articul.* 3. ac Fulienf. *lib.* 2. *Theol. sacram. cap.* 4.

Obiicies primò. Sequeretur, idem corpus, puta Christi, esse posse vbiquè; sed hoc est absonum: ergo. Maior probatur. Si corpus à Deo potest poni in pluribus locis, sanè non implicat, poni in aliis, & in omnibus, iuxtà vestra fundamenta, sumpta è multiplicabilitate accidentium in eodem, maximè verò externorum, vt sunt localia. Minor probatur: nam inde sancti Patres ostendunt satis Filij, & spiritus sancti Deitatem; vt D. August. *lib.* 6. *contrà Maximinum, capit.* 2. Fulgent. *lib.* 2. *ad Trasim. cap.* 17. Ambros. *lib.* 1. *de Spiritu Sancto, cap.* 7. Basil. *cap.* 22. *eiusdem Libri.* Hoc verò sequitur arctiùs è præsentiis sacramentalibus, quibus Christus est totus in toto, & qualibet parte.

51 Respondetvr, posse Deum ponere corpus Christi in pluribus locis in infinitum; nequè tamen erit corpus immensum; quia, vt monet Ponc. è D. Bonauent. non erit ab intrinseco in omnibus, sed miraculo extrinseco alieno, nec erit in omnibus categorematicè necessario: ità vt, & in spatiis imaginariis sit; etsi crearentur alij mundi, non necessariò in omnibus esset; neque absque sui mutatione, quæ omnia ad immensitatem requiruntur. Ità D. August. *lib.* 20. *contrà Faustum, cap.* 10. de Christo, ait, *simul & in cælo, & in sole, & in Luna esse non posse.* Ità corpora nequeunt esse immensa; nequeunt enim esse tota in totis, & in singulis partibus: vt docet ipse D. August. *epist.* 3. *ad Volusian.* Agebat autem contrà Manichæos, dicentes, Christum esse Lucem in Sole, Lunâ, & stellis expansam. Vnde arguit. Si expansus fuit

52 per solem,& Lunam: ergo non est totus in singulis; atquè adeò non immensus. Quod si crearetur Spiritus immensus, esset eo modo totus in toto mundo,& totus in qualibet parte,at creari vtrumque repugnat,etsi non repugnaret; adhuc immensitati Dei cederet, quia hoc ab extrinseco dependenter obtineret, vt disserui *Tract.* 1. *disput.* 6. *quæst.* 2. Sicuti nequit creari ab æterno, quia, si concedatur Spiritus æternitate emensus, quæ non est successiua apud multos, non posset destrui; vt ostendi *Tract.* 1. *disput* 9. *quæst.* 4. licèt id ab extrinseco esset assecutus, haberet enim totum esse simul, & aliquid saperet deitatis. Ideò creari ab æterno implicat; vt exhibui *tractat.* 3. *disputat.* 1. *quæst.* 12.

Obiicies secundò. Quod incipit esse alicubi, vbi non erat; vel incipit esse per adductionem localem; vel per productionem, sed corpus Christi non venit per adductionem localem; quia deberet recedere à termino, *à quo*, nempè, cælo, qui est incompossibilis cum termino, *ad quem*, ex Aristotele 5. *Physic. text.* 26. Nequè ibi generatur, quia, quod generatur, fit ex non esse; at corpus Christi iam est: ergo. Hoc affert Coninch. *de Sacram. quæst.* 76. *art.* 4. *distinct.* 3.

Respondet Scotus, 4. *distinct.* 11. *quæst.* 3. fieri corpus Christi præsens per adductionem localem. Ad instantiam respondet, terminos motûs primos, *à quo*, & *ad quem*, esse incompossibiles, quales sunt priuatio,& forma opposita; *verbi gratia* animatio, & inanimatio: terminos verò motuum concomitantes non esse incompossibiles, vt forma corporis organici non est incompossibilis cum anima. Plura autem *Vbi*, non sunt plures termini primi motus localis, sed concomitantes, vt notat Poncius, *num.* 80.

At Scoti responsio non consonat definitionibus Ecclesiæ: nam definitum est, corpus Christi fieri præsens transubstantiatione. Sic Romanum Concilium sub Nicolao II. vt refert Guitmundus, qui ei interfuit. Sic Romanum etiam sub Gregorio VII. Lateranense sub Innocentio III. *cap. Firmiter*: vbi dicitur. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, &c.* Sic Florentinum, *sess. vltima*; & tandem Tridentinum, quod nihil noui sanciuit; sed id solùm confirmauit, quod in Ecclesia perpetuò creditum est; vt notat Bellarminus, *lib.* 3. *de Eucha. cap.* 21. 53

Scotvm autem miror ita ratiocinari cum Fabro: nam termini primi motus localis sunt terminus, *à quo* incipit mobile recedere; & terminus *ad quem*, vbi quiescit. Iam verò, si Christus adducitur vtiquè è cælo ad altare, debet indè recedere, & huc transferri, per translocationem. Quare hæc sententia; vt notant Marginistæ Seraphici, *in* 4. *distinct.* 11. *quæst.* 1. non benè olet. Fit sanè præsens transubstantiatione; vt docent etiam Patres. Huius est aliqua similitudo in transmutatione alimenti in alitum: vbi incipit esse anima. Transit autem à priuatione in hoc præsupposita. 54

Obiicies tertiò. Quod destruit indiuiduum, destruit vnitatem; at positio in locis disiunctis destruit rationem indiuidui: ergo. Maior est euidens. Minor probatur. Indiuiduum est illud, quod est indiuisum in se. At, si ponatur corpus Brixiæ, & Romæ, erit diuisum: ergo. Hoc argumentum vrgent Caluinus, & Pseudomartyr; & alij hæretici Sacramentarij.

Confirmatvr: quia quidquid est in loco, est in eo circumscriptiuè, vel definitiuè; at corpus in pluribus locis in nullo esset circumscriptiuè, aut definitiuè, quia esset extrà suum locum adæquatum, imò à se diuisum; quia existeret in pluribus locis dissitis.

Respondetvr, duplicem esse indiuisionem *in se*, & diuisionem *ab alio*. Altera est respectu loci, quæ extrinseca est, & planè accidentaria; altera respectu rei, quæ intrinseca est: & est, vel de essentia, vel proprietas saltem vnitatis. Cùm igitur corpus in pluribus statuitur locis, non tollitur indiuisio intrinseca, sed sola extrinseca, respectu loci: nam non diuiduntur principia, quæ corpus consti- 55

constituunt; hæc enim sunt loco priora, sed solùm diuiditur Situs, & VBI illius corporis. Quæ autem sunt loco priora, non diuiduntur, ad diuisionem loci; sed ea sola, quæ, vel cùm Loco, & VBI sunt; vel posteriora illis; vt infra etiam notabo. Itaquè, sicuti cùm duo corpora ponuntur in eodem loco, non tollitur corporum diuisio intrinseca, sed sola localis: ità, dum vnum corpus in pluribus locis ponitur, non inducitur diuisio in illud, sed in solo extrinseco ad locum. Non
56 igitur officit diuisio loci: quia vnitas essentialis non pendet ab vnitate Loci; cùm sit priùs, rem esse vnam in se, quàm esse in vno loco. Itaquè corpus Christi in altari non continuatur cum corpore eius in cælo, ratione loci: attamen continuatur in se. Est igitur in cælo, vt in loco circumscriptiuè: quatènus totum ibi extensum ambitur. Est etiam in altaribus definitiuè, idest totum in eo spatio, & in quauis ipsius parte; at miraculo non alligatur illi loco, sed accipit à Deo alias præsentias locales: nam illa negatio, *vt non sit extra*, naturaliter quidem clauditur in esse definitiuo, vel circumscriptiuo; non tamen essentialiter, ita vt nequeat à Deo multiplicari. Neque è diuisione locali sequitur entitatiua; non enim multiplicatur substantia, aut quantitas aut qualitates ad multiplicationem vnius accidentis quantitatis, quod est extensio ad locum; vt monet Poncius *numero 68*.

DICES: hinc Corpus trium cubitorum occupabit vbique tres cubitos: ergo innumeros: ergo erit æquale, & inæquale.

57 RESPONDETVR, occupaturum tres cubitos replicatos: non autem tot. Nequè erit æquale, & inæquale, quoad quantitatem, sed quoad extrinsecam extensionem, & in ordine ad situm. Hinc etiam solutum manet argumentum aliud; Fore, vt corpus esset in loco definitiuè, & circumscriptiuè; & non esset; imò esset extra se.

RESPONDETVR enim in corpore non includi intrinsecè negatiuum, illud, vt non sit extrà in circumscriptione, sed solùm includitur, vt totum corpus ibi sit.

OBIICIES quartò. Quantitas occupat locum, quasi formaliter, & est finita, & limitata ad vnam extensionem; sicuti vni speciei est alligata, vt extrà eam non sit: ergo omninò limitata ad vnum locum replendum: ergo manente quantitate eodem modo finità, non potest plura replere. Confirmatur: quia non potest quantitas esse extensa, in ordine ad locum; nisi sit extensa in ordine ad se: ergo nec potest esse bis extensa in ordine ad locum; nisi bis extensa in se; sed hoc non potest conuenire eidem quantitati: ergo. Hac ratione vsum esse Diuum Bonauenturam, aiunt Suarez, & Faber, sed falsò, vt suprà ostendi: est verò Ægidij, apud Amicum, *num. 21*.

58 RESPONDET Faber, non eodem modo se habere ad suum esse specificum, & ad extensionem ad locum; nam species esse formale intrinsecum dat quantitati; sed extensio ad locum est posterior, & relatio extrinsecùs adueniens; atqui potest quantitas multas relationes fundare. Ergo.

VERVM relatio illa, extrinsecus aduenieus fabulosa est. In hoc igitur stat similitudo, quòd extensio ad locum est quid posterius essentiâ; est enim accidens separabile, ac multiplicabile in eadem quantitate: vt suprà dixi. Quantitas sanè
59 limitata est: attamen potest Dei virtute, eius extensio ad loca iterari. Quare ad confirmationem negatur consequentia: nam extensio in se, est fundamentum, & radicalis causa extensionis eius ad locum. Quò fit, vt ex eadem radice possit à Deo multiplicari, in ordine ad locum.

OBIICIES quintò. Sequeretur, idem corpus posse bis in eodem loco poni, quod nequit concipi. Probatur sequela: quia, si potest simul habere duas præsentias inter se distantes, cur non etiam indistantes?

RESPONDETVR cum Suarez, & Amico, præsentias diuersi ordinis esse posse in eodem spatio; quia habent, vnde distinguantur; vt, *verb. grat.* præsentia naturalis corporis Christi, & in eodem spatio Sacramentalis. Si verò sint eiusdem rationis; tunc, si comparetur ad idem spatium secundùm diuersas partes, putà, si rectum secundùm vnam partem sit, & inuersum secundùm aliam; tunc potest habere plures præsentias; quia habent, vnde distinguantur; quia comparantur diuerso modo ad spatium idem, secundùm eandem partem corporis, difficile distinguitur pluralitas præsentiarum; cùm non appareat, vnde distinguantur. Enim verò, quia neque in hoc apparet implicantia, addit Amicus; si plura accidentia, solo numero distincta, esse valent in eodem subiecto, posse etiam esse tales plures præsentias: &, sicut idem corpus in eodem spatio potest habere plures præsentias successiuè; ita Deus potest primam conseruare, & cum secundâ admittere. 60

OBIICIES sextò. Non potest idem corpus esse in diuersis temporibus; ergo neque in locis diuersis.

RESPONDETVR cum Suarez, & Amico; si sermo sit de temporibus extrinsecis, si plura concurrerent, non repugnat, eandem rem illis coexistere: si verò sermo sit de extrinsecis, quorum vnum succedit alteri, putà, dies diei, annus anno, non potest esse in duobus, quia nunquam simul currunt. Si autem loquaris de tempore intrinseco; cùm nil aliud sit, quàm duratio rei, quæ est ipsa existentia ad summum formaliter distincta; sicut hæc non est multiplex; ita neque duratio. 61

OBIICIES septimò. Sequeretur, idem corpus quantum esse æquale corpori maiori, & minori; atquè adeò æquale, & inæquale eidem, quod implicat. Sequela probatur; quia corpus in loco est æquale suo loco, ex Aristotele: ergo, si est in duobus locis, est æquale vtriquè loco simul; ac proinde maius quolibet illorum locorum, per se; vel è contrà, vterquè locus simul erit maior locato.

RESPONDETVR primò, idem apparere in penetratione: vbi vnum è corporibus penetrantibus est æquale loco, & locus locato; & tamen vtrumquè locatum est maius loco illo. Decipitur autem, arguens; quia non considerat, nequè distinguit duplicem extensionem; alteram in se; alteram in ordine ad locum; nequè duplicem æqualitatem, inde procedentem, & ibi fundatam: nam secundùm extensionem quantitatis in se, non fit variatio; sed solùm in ordine ad locum; & sicut in hac accidentaliter multiplicantur præsentiæ, multiplicantur etiam in loco æqualitates. Vide Suarez, *argum. 7*. Remanent soluendæ apparentes implicantiæ è diuersis accidentibus, quæ in diuersis locis cuenirent; vt, *verbi gratia* si in vno loco staret, in alio moueretur; in hoc calefieret, in illo frigefieret. 62

NOTA, in corpore esse substantiam, & accidentia; & sanè substantia non pendet à locis; accidentia 63

cidentia verò aliqua sunt absoluta, quæ à loco non pendent; & sunt loco priora; & hæc ideò non pendentia à loco, inerunt corpori, vbicunque sit, vt qualitates primæ, & secundæ; aliqua verò accidentia posteriora sunt VBI; atque adeò pendent ab illo; atquè variabuntur, vt IACERE, STARE, MOVERE, PERCVTI; atque adeò non est necesse, vt, si Romæ stat, stet etiam Venetiis. Ita Diuus Bonauentura suprà, *disp. 1. q. vlt. initio citata.* Imò hæc inerunt corpori tantùm in eo loco. Eum sequuntur communiter Recentiores, apud Amicum, *tract. 20. quæst. 7. dub. 3. art. 2.* Ruuius, *Tract. de natura loci, quæstione 7. num. 78.* adducit D. Thomam, & Scotum. Idem asserit Bellarmin. *Tom. 2. lib. 3. cap. 4.* Amicus suprà; Faber, cum Scoto. Hurt. *hic* Pesantius *3. p. q. 76. articulo 5. disp. 3.*

64 DICO primò, non repugnare, vnum corpus habere aliqua accidentia in vno loco, quæ non habet in alio. Ita Alensis, *4. p. quæst. 10. metaph. 7. artic. 7.* Rich. *4. dist. 11. art. 13.* D. Bonauent. *cit.* Och. *q. 4.* Mai. *d. 10.* Arriaga *disp. 14. sectione 7.* Auersa, *q. 27. sect. 7.* sic corpus Christi in Cœlo habet extensionem ad locum, quam non habet in Eucharistia; atque adeò exercere potest in Cœlo actus sensorios; non sic in Sanctissimo Sacramento: vbi neque potest recipere impressiones Physicas; vt denuò ait Fuldensis, *lib. 1. Physic. cap. 7. art. 2.*

65 DICO secundò. Etsi, virtute agentis, accidentia impressa in vno loco, nequeunt eidem corpori imprimi in loco remoto; tamen accidentia illa absoluta petunt, vt in alio etiam eidem corpori imponantur. Ita D. Bonauent. *loc. cit.* & *dist. 10. artic. 2. quæst. 2.* D. Thom. *ibi, q. 3. art. 4.* Richard. *art. 5. quæst. 2.* Scotus, *q. 2. & 4.* Alens. *q. 11. m. 2. art. 1.* Innocent. *lib. 4. de Mysterio Altaris*, & alij; quibus subscribit Amicus, *num 14.* sed negat Fuliens. quia & in Cœlo habet accidentia, quæ non sunt in Eucharistia.

66 AT probatur: quia forma, & negatio formæ absolutæ in eodem repugnant: Confirmatur: quia ratio recipiendi talia accidentia, est materia, quæ vbique est eadem, eodemque modo, & vnio illa accidentis cum subiecto; cùm sit ab hoc, vel illo VBI independens, vniet accidens subiecto, independenter ab hoc, vel illo loco. Confirmatur adhuc; alioqui magna oriretur confusio.

IDEM constat è naturali conco mitantia, definita à Concilio Tridentino. Neque mouet Fuliensis oppositio: nam diuersi modi existendi in Cœlo, & in Eucharistia exigunt diuersa accidentia.

HINC habes primò, formas contrarias in eodem subiecto, replicato in diuersis locis naturaliter inesse non posse, magis, quàm in vno; atque adeò se excludent, vel totaliter, vel ex parte, pro naturali incompossibilitate. Sic Scotistæ plerique. Arriaga contra Suar. & Auersam.

67 SECVNDò habes, formas substantiales, incompossibiles, esse non posse in subiecto replicato in locis; etiamsi diuersa illis agentia applicentur: nam, si hæc sint eiusdem speciei, vnum producent; si diuersæ, vel vnum impediet aliud, si sint æqualis virtutis; vel, si inæqualis, fortiùs producet, licet tardiùs, propter resistentiam alterius; vel diuident partes materiæ, quibus inæqualiter applicentur. Hinc etiam motus alteratiui oppositi ea ratione agent. Ita si corpus in Brasilia sub Sole ardente: & in Grotlandia sub bruma in niue positum sit; patietur, ac si vno loco esset impetitum, Scot. 4. *distinctione 10. quæst. 2.* Poncius, *num. 88.*

TERTIò: Actiones immanentes, si in vno loco dependeant ab aliquo agente extrinseco, poterunt esse in eo loco, & non in alio. Ita existens in India videbit obiectum, *verb. grat.* Regem Mautum, quod non videbit Romæ: attamen sensus interni, qui Romæ ad illas species iam receptas se conuertent, percipient Regem Indum, &c. Hoc tamen habet difficultatem. 68

QVARTò. Impressiones ab extrinseco, putà percussiones, &c. pendent quidem à loco in fieri: at recipientur, Deo operante, etiam in alio loco; & ita, si corpus Brixiæ vulneretur, recipiet vulnera & Romæ. Ita Sanctus Bonauentura, *loc. cit.* & alij. Formæ enim absolutæ, cùm sint distinctæ ab VBI; nec consequantur in subiecto, recipiuntur, ac si essent in vno loco. Vnde, si corpus Romæ sit propè ignem, calefiet; non autem Venetiis ob distantiam, sed tamen calor etiam in corpore Venetiis recipietur. 69

QVOAD motum, communis sententia est, cum Diuo Bonauentura posse in vno loco moueri, in altero quiescere. Ita apud Amicum, *dub. 3. num. 19.* subscribentem. 70

Sic corpus Christi, stans in Cœlo, mouetur in Eucharistia, & ibidem multis modis. Sic & anima in corpore contrariis motibus in partibus mouetur: & Angelus in spatio.

IN ratione verò actiui, corpus se haberet ad diuersa passa approximata eodem modo, ac si essent in vno loco, & diuersa passa sibi essent approximata. Probatur: quia potentia actiua est eadem; siue sit in vno loco, siue in pluribus: quia est forma absoluta. Itaque ignis, existens Romæ, & Brixiæ, eodem modo cremaret, ac si esset tantùm Romæ; neque multiplicabit virtutem, & efficaciã.

QVOAD passiones interiores, eodem modo se habebit corpus, ac si in vno loco. Ita, si Romæ esuriret, esuriret & Viennæ. Si tamen manducaret Viennæ, non illicò & Romæ; sed tamen & Romæ nutrietur, Deo operante supernè, ad condictum necessitatis subleuandæ: quia causa naturalis cibi non potest modo ordinario tam longè operari. 71

HINC collige, quid intendat D. Bonauent. *in 2. distinctione 2. p. 2. art. 2. quæst. 2.* quando negat, Angelum posse esse in pluribus locis; quia posset in vno loqui, in alio tacêre: in vnò moueri, in alio quiescere; & si esset Parisiis, & Romæ, posset Parisiis Romam venire, vbi iam est, ac occurrere sibi.

IBI Sanctus Doctor negat, Angelum posse naturaliter in pluribus locis esse, sed non negat, supernè id fieri posse; id enim de corpore concedit *in 4. dist. 10. d. 11.* Est autem semper corpus inferius spiritu. Quòd verò corpus Christi possit esse in pluribus locis supernè, per conuersionem alterius substantiæ in ipsum, non infert, posse fieri idem in Angelo, etsi spiritus sit, per adductionem; hoc enim implicantiam innoluit, vt recedat à termino, *à quo*, & ibi remaneat; & ideò neque supernè id concedit. Hoc grauiter aduerte; vt textum S. Bonauenturæ nitidum serues; semper enim negat, modum tantùm adductiuum, quem Scotus, Vasquez, & alij decepti, credunt faciliorem, ad præsentiam Christi multis in locis explicandam. Sanè est alienus à modo loquendi Ecclesiæ, definientis, per transsubstantiationem fieri illam præsentiam: & repugnantias inuoluit. 72

OBII

Obiicies adhuc. Sequeretur, eandem materiam esse posse sub diuersis formis substantialibus simul; sed hoc est absonum: ergo. Probatur sequela. Ponatur idem panis Romæ, & Venetiis, & vtrobiquè comedatur à duobus hominibus; iam ille panis conuertetur in nutrimentum amborum; & ità materia illa panis erit sub diuersis formis corporum illorum.

73 Respondetur ex dictis, negandam sequelam: nam panis ille conuertetur in illud corpus, quod virtuosiùs aget. Quod si æquale sit, partim in vnum; partim in alterum conuertetur.

Obiicies adhuc. Sequeretur, paruulum ignem in plurimis locis positum, posse magnum facere ignem, & omnia comburere. Et vnum militem struere agmen immensum.

Respondetur, comburere esse virtutis actiuæ; atquè adeò non crescere ratione locorum. Itaquè combureret ac si in vno loco esset, habens illa combustibilia apposita; vt dixi. Sic & militis vnius sola Vbi multiplicata referrent plures milites localiter.

Obiicies adhuc. Si animal esset Romæ, & Venetiis, ac pasceretur vtrobiquè, sumeret duplo plus cibi: ergo in duplo nutriretur. Vrgeo. Animal habens cibum, Romæ nutriretur, & Venetiis non nutriretur: ergo nutriretur, & non nutriretur.

Respondetur, nutritionem esse conuersionem cibi in substantiam aliti. Ideò, si vesceretur *hîc*, nutriretur etiam alio in loco. Si verò sumeret duplum, superflueret; sicut euenit; cum superfluè comeditur.

Obiicies adhuc. Si Petrus in duobus locis ponatur, poterit sibi occurrere, se expellere ab illo Vbi; vel, si non pellat, se penetrabit.

74 Respondetur, fore, vt se pellat ab Vbi, durante miraculo, quo plura occupet loca; eo verò cessante, vnicum tenebit. Poterit ducere choreas, disputare secum, cæteraquè multiplicare, quæ à loco pendent.

Obiicies tandem. Si mulier grauida ponatur in duobus locis, vel pariet duos filios; vel in vno tantùm erit grauida.

75 Respondetur, miraculo dilatato in fœtum, parituram vtrobiquè eundem; sed miraculo extenso ad matrem solam, pariet in vno loco.

Reliqua ex dictis soluta iacent. Memorem cupio legentem, quàm perutilis sit hæc sententia contra hæreticos, quibus si viam aperias, primam tuendo sententiam, multa erunt argumenta, quibus sibi viam struant, ad veritatem præsentiæ corporis Christi modo sacramentali in multis locis impugnandam, quæ quisquè discutiendo videbit; vt grauiter obseruat eruditissimus Suarez.

Apta est etiam doctrina Scoti apud P. Liuium Rabesanum 4. *Physic. disput.* 1. *quæst.* 4. quæ est D. Bonauent. suprà, Inuariato scilicet priori, variari, & multiplicari potest posterius. Sic inuariata substantia, variantur accidentia. Iam verò loca sunt accidentia, posteriora substantiâ. Hinc allatæ euanescunt implicantiæ cum alia, quam affert Ioan. à S. Thoma, sequi diuisionem quantitatis, & corporis à se, quia illud corpus haberet duplicem superficiem terminantem, vt, si accederent, se mutuo tangerent. Sanè non sunt plurificatæ quantitates, atque adeò superficies, sed solæ eiusdem ad loca extensiones, quæ sunt accidentia, superficiebus posteriora; vt ait Poncius *num.* 73. & D. Bonau. *suprà, num.* 71.

DISPVTATIO XII.

De Vacuo.

Vm egerim de loco, agendum de vacuo opposito; vt mox localis motus percipiatur.

QVÆSTIO I.

An detur, vel dari possit Vacuum.

Attigi aliqua *Tractatu* 1. *disputat.* 7. *num.* 48. *& seq.* ibi verò ex mente D. Bonau. ostendi, non posse, naturaliter quidem; sed tantùm, Dei potentiâ, dari Vacuum. Antiqui Philosophi non pauci in natura rerum admittebant vacuum. Eos insectatur Aristoteles 4. *Physic. à text.* 58. *ad* 87. quem omnes ferè imitantur Peripatetici; vt videre est apud Tolet. 4. *Physic. quæst.* 10. Colleg. *cap.* 9. *quæst.* 1. Masium, *disput. de Inani, per multas quæstiones*, Ruuium, *tract. de nat. quæst.* 1. & Murciam, *disput.* 2. *quæst.* 1. Hurtad. *disputat.* 14. *Physic. sect.* 6. Veracr. *spec.* 2. *sect.* 3. Amicum, *Tract.* 21. *quæst.* 2. Perer. *lib.* 11. *cap.* 10. Zanard. 4. *Physic. quæst.* 7. Farnes *lib.* 2. *cap.* 8. Galitium, *p.* 1. *Tract. vlt.* Seraph. Rotellam, *opusc. de vacuo*; Mastrium & alios adductos, *Tract.* 1. *disputat.* 7. *citata.*

Enim verò Valerianus Magnus, Roberual, Aresius, & scaliger quibusdam instrumentis conantur Vacuum in orbem inducere. Eos verò refellunt allegati Recentiores, quibus adde Cardanum, *lib.* 1. *de subtilit.* Fracastorium *de sympat.* Idem supponit S. Doctor *in* 1. *disputat.* 37. *part.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 2. *&* 3. & *in* 2. *distinct.* 13. *artic.* 3. *quæst.* 1. *ad penult.* cum Diuino Thoma *ad* 4. *Physic.*

Posse verò ab Angelis induci in aliquod particulare spatium, concedunt Galitius, *num.* 3. Amicus, *distinct.* 2. *art.* 2. considerata virtute Angeli præualentis; at requiri (aiunt) decretum Dei speciale; sicuti & ad retinendum, ac reuocandum solem; quod fuit miraculum, considerato naturæ cursu; non factum Angelorum mouentium virtute motrice, ex D. Thoma *p.* 1. *quæst.* 105. *art.* 8. & 3. *conf.* 5. *cap.* 101. & D. August. 21. *de ciuit. cap.* 8. debuit enim Deus, suo decreto, Angelis concedere naturæ inuersionem. Subscribunt Smising. *Tract.* 2. *disput.* 5. Morisan. *disput.* 5. *quæst.* 7. Auersa *quæst.* 27. *sect.* 8. Mastrius *disput.* 12. *quæst.* 1. Sulmon. *de Vacuo, quæst.* 1. Catharens. 4. *Physic. quæst.* 2. *art.* 1. Rabesan. 4. *Physic. disput.* 2. *quæst.* 1. cum Scoto 3. *distinct.* 27. §. *Ista rationis.* Poncius *disputat.* 16. ait esse communissimam sententiam.

Nonnulli verò etiam Dei potentiæ vacuum admittere negant. Sic duo Scotistæ, Vulpes, & Faber, allati, & repulsi, *Tract.* 1. *disputat.* 7. *relata.* Citantur Pererius, *lib.* 11. *cap.* 12. Bannes, *part.* 1.

Part. 1. *q.* 8. *art.* 5. & quotquot negant, Deum in spatiis imaginariis; quippè nullum credant posse intelligi spatium, sine dimensionibus. Eorum fundamentum est: quia implicat, aliqua inter se distare, sine quantitate intermedia, quæ est realis distantia; sicut implicat, dari effectum formalem, sine forma. Adducitur etiam D. Bonauent. sed *Tractatu* 1. *loc. cit.* ostendi, S. Doctorem longè abesse ab hac opinione.

2 POSSE igitur, diuinâ virtute induci VACVVM, astruunt Scot. *quodl.* 11. Tartarret. & Gadius, cum aliis Scotistis, apud Mastrium, adductis a Mastrio *loc. cit. Tract.* 2. Canonic. *hic*, *q.* 4. *art.* 1. Saxon. *q.* 8. Sotus, *concl.* 6. Suar. *d.* 30. *metaph. sect.* 7. *num.* 18. Zumel. *part.* 1. *quæst.* 8. *art.* 2. & omnes alij, qui ponunt spatia imaginaria, inter quos est D. Bonauent. relatus *Tract.* 1. *d.* 7. *quæst.* 7. quibus subscribit Amicus, *dub.* 3. Galit. *q. cit.* Fuliens. *lib.* 1. *Physic. cap.* 7. *art.* 5. Eustach. *parte* 1. *Physic. tract.* 2. *d.* 1. *quæst.* 4.

NOTA, multis modis accipi VACVVM; sed nos accipimus illud pro spatio inani, replebili corpore; vel olim repleto, inanito.

ASSERO primò, non dari VACVVM. Sic D. Bonau. *serm.* 1. *de plur. confess.* & 3. *de B. Virgine.*

3 PROBATVR ex ordine vniuersi, quod vnum est è multis ad se inuicem ordinatis, sibi inuicem associatis, ad generationes rerum complendas. Quare omnia corpora contiguitatem cum aliis quærunt. Vnde magna motuum violentia inducitur in corporibus ad arcendum vacuum; sic aqua ascendit; ignis descendit; &c. Ideò & vasa solida potiùs franguntur, quàm vacuum admittendo, naturam prodant; &, si quæ vacua admittere videntur, fallacia sunt. Vnum iactat P. Valerianus exhibitum coram Rege Poloniæ. In fistulâ vitreâ plenâ mercurio, & orificio superiore occluso, quam immersit ad medium in hydriâ plenâ aquâ; & videbant Mercurium saltitantem, & rursùs cadentem, & tunc nullum corpus in altiori parte manebat; nam eò rursus saliebat Mercurius.

RESPONDET Petrus Iuuet. 4. *physicorum, capite* 2. mercurium corpus minerale, & metheorum facile resolui, & partes leuiores ascendere; & grauiores descendere. At visa est pars grauis saliens, contra naturam, ad vacuum replendum (ait ille.) Deinde non videtur adesse causa resoluens Mercurium.

DICO igitur. Mercurium ascendere, & resilire ad impediendum vacuum, quia partes quidem aëreæ, è Mercurio, vel aqua, ascendunt, sed rarescit & ipse, & paulatim resoluitur, vnde rursùs ascendit Mercurius, vt euaporet aër. Simile vides in aqua ascendente. Varios, ac miros naturæ enixus, ad præcauendum vacuum, congerunt Cardanus, Fracastorius, Amicus, & alij, quos omitto: quia plurimi nobis familiares sunt obuij. Hoc sanè graue est, quòd nequirent Astra diffundere ad nos lumen, & influxus; vt notat D. Bonauent. *in* 2. *d.* 13. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 5. qui *serm. de S. Marco* adduxit id quod videmus in cucurbitis ventosis attrahentibus carnem, nè detur Vacuum.

4 ASSERO secundò, virtute Dei, posse Vacuum induci.

PROBATVR: quia nulla inuenitur contradictio. Cur enim Deus nequeat destruere omnia elementa, & spatium intra concauum Lunæ vacuum relinquere? Quòd si Cœli se comprimant, id fiet in tempore, vtpotè motu locali; & interim dabitur vacuum.

OBIICIES: sequeretur latera, intra quæ daretur vacuum, distare, si persisterent; & non distare, cùm nil mediaret. Dico manifurum spatium, quod posses metiri, vt ait Fuliensis, & Poncius, *num.* 7.

CVR verò natura tot operetur mirabilia ad amouendum vacuum, multi multa dicunt apud Amic. Dico, insitam esse corporibus inclinationem ad contactum, ob virtutis diffusæ è Cœlis communicationem, non solùm sibi, sed cæteris; Ideò hoc appetitu, ordinato etiam contra appetitum proprium nituntur. Sic aqua ascendit, &c. & ita ille motus aquæ violentus; est toti naturæ consonus, vt ait Fuent. 4. *physic. tract.* 2. *diff.* 1. *art.* 2. contra Fabr. *num.* 16. Addit Mastr. motum illum cieri a mouente corpus, extra locum. 5

Poncius *num.* 25. ait fieri ab alio corpore succedente, & impellente ipsum: at mediatè à mouente primum corpus, quod mouetur, quando incipit motus, quo induceretur Vacuum. Hæc reor fieri ex colligantia ordinis corporum vniuersi, quâ contiguitatem exigunt ad sui conseruationem, ad maiorem vniuersi harmoniam, & ad operandum mixtiones, alterationes, &c. Hinc enim omnia corpora accurrunt, & primò, vt læsa, aptantur.

QVÆSTIO II.

An MOTVS *in* VACVO *fieret, & qualis.*

QVOAD primum, negarunt motum in Vacuo Auer. Simpl. Themist. Albertus, & alij, apud Ruuium, *lib. de natura vacui*, *q.* 3. D. Bonauent. *primo*, *d.* 37. *part.* 2. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 2. sed falsò; vt ostendit Galitius, *quæst.* 2. sequitur tamen Perer. *lib.* 11. *cap.* 11. & tribuitur Scoto, 2. *dist.* 2. *q.* 9. in fine; sed is loquitur ex Aristotelis sententiâ, non propriâ.

SECVNDA sententia est assertiua. Ita sentiunt omnes *in secunda parte quæstionis* adducendi, qui motum, siue successiuum, siue instantaneum concedunt.

FVIT igitur opinio, dicentium, motum in vacuo fore successiuum. Ita Diuus Thom. 4. *physicorum, ad text.* 74. cui adhærent Thomistæ; inter quos latè Zanardus, 4. *physicorum, quæst.* 6. Scotus *in* 2. *d.* 2. *q.* 9. *ad* 1. cum Mastrio, *q.* 3. Rabesano, *d.* 2. *q.* 1. Roccho *q.* 9. Poncio *disp.* 16. *physicorum*, *num.* 34. Fabro, *Theor.* 46. è SOCIETATE IESV plurimi, Tolet. 4. *physicorum*, *q.* 9. Colleg. *ibi*, *cap.* 8. *q.* 5. *art.* 1. Vasq. *Tom.* 2. *d.* 197. *capite* 2. Ruu. *q.* 2. *relata*; Hurtad. *sect.* 7. Farnes, *libro* 2. *cap.* 8. Gratiadeus, *q.* 9. *disputatis*, *q.* 11. & alij, plurimi, quibus subscribit Amicus, *q.* 4. *d.* 2. *art.* 2. Fuliens. *lib.* 1. *phys. cap.* 7. *art.* 6. Eustachius *p.* 1. *tract.* 3. *d.* 2. *q.* 5. 6

SECVNDA opinio est, motum fore in instanti. Eos allegat Poncius *num.* 29. Amicus *disputat.* 2. Adducitur etiam D. Bonauent. *in primo*, *dist.* 37. *q. vlt. ad* 2. à Galitio. Arrident Rich. *ibi*, *art.* 3. *q.* 3. *ad* 2. Tost. *ad* 17. *Matth. q.* 125. Ægid. *in* 2. *d.* 14. *q.* 1. *art.* 2. Argent. *quæstione* 1. *art.* 1. & alij, apud Collegium suprà; subscribit Galitius, *q.* 3.

QVOAD D. Bonauenturam, non rectè affertur pro hac sententia; sed sat pro prima; quod clarè ostendam. Is in 2. *dist.* 12. *q. vlt. ad* 2. docet Vacuitatem loci esse per priuationem corporis contenti 7

contenti; habere tamen extensionem similem ei, quam habebat materia ab initio. Similia habet *in primo, d. 37. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 4.* vbi ait: *Si daretur vacuum, nempè spatium inane, quod prius continebat hominem; nec repletum est alio corpore, siue aëre, siue aquâ, &c. remanere intelligitur capacitas loci priuata: capacitas autem aliquid est; & in illa Deus est.*

At verò in negatione omnis spatij realis; cùm nihil sit, non potest aliquid continere. Vnde concludit, Deum non cessare esse in spatio, à quo corpus recedit; si maneret vacuum per impossibile naturæ; sed, si omninò tollatur ens, & nil remanet.

Idem igitur sentit in loco, adducto à Galitio pro secunda sententia. Quia enim Aristoteles arguebat. Si fieret motus in vacuo, fieret in instanti; & visus est loqui ex proprio sensu; eò quòd omnem successionem motus localis resistentiæ medij adscriberet; atque adeò, ablato medio, omnis successio tollenda erat. Hoc autem S. Doctori durum videbatur; quippè, successionem in motu Angeli per spatium, ex ipsa extensione spatij inuenerat; etiamsi resistentia nulla illi à medio fieret; atque adeò argumentum aristotelis friuolum videbatur. Explicat, Aristotelem locutum, non de vacuo propriè, inter latera incluso, sed de imaginario, in quo nil est, neque distantia, neque vicinitas, neque extensio, neque spatium; in eoque, rebus omnibus, mundoque ablato, non fore successionem localis mobilis. Et si visus sit Aristoteles loqui ex principiis antiquorum, contra quos arguebat ad hominem. Vos dicitis, dari vacuum, & totam successionem motus localis venire è resistentia medij. Si igitur, per vos, non datur medium, fiet motus in instanti; & mobile erit simul in termino, *à quo*, in medio, & in termino, *ad quem*; etiam si amplum sit spatium centum milliarium, & mobile sit palmare. Hinc Seraphicus Doctor præmittit. *De hoc multi multa dixerunt, quorum dicta longum esset dicere.*

Hæc ad litteram decerpsit Scotus, *2. distinctione 2. quæstione 9. ad 4. principale*, vt videre est in Fabro, *Theor. 46.*

7 Assero primò. Motus aliqui possent fieri in vacuo. Possunt itaque exerceri omnes actiones, quæ à medio non pendent, vt patet.

Probatvr de alteratione, & generatione. Si enim ignis contiguus sit ligno, non eget medio; atque adeò calefaciet, & comburet; cùm sit iunctus passo. De motu progressiuo probatur: quia nil è medio accipit; imò tardatur; neque repugnat, pro aliqua morula, animalia viuere sine respiratione. Ita posset serpens per Terram repere. Quis negabit, me posse leuare manum? proiicere lapidem? atque adeò motum violentum edere; dummodo possem figere pedes in terra.

Sic motus circularis esse potest in vacuo. Sic vltima sphæra, carens superficie ambiente, secundùm Aristotelem mouetur. Quòd si empyreum suprà existat, cùm ciuitas in quadro posita sit, nec intermediet aër; forsan erit vacuum. Sed hoc non admitto Potest enim, in quadro posita, subtùs esse plena primo mobili, contiguâ superficie concauâ.

8 Probatvr ergo: quia ad motum circularem non requiritur aliqua magnitudo, supra quam, vel ad quam mobile moueatur. Quare nullus probabit, non posse rotam volui in vacuo ab homine, vel Angelo.

Non tamen posset recipi species in sensibus, ex D. Bonauentura, *2. distinctione 13. articulo 3. quæstione 1. ad penult.* Vide Galitium, *quæstione 4. num. 7.*

Assero secundò, non futurum motum in spatiis imaginariis, & infinitis: quia, vt ait D. Bonau. apud Galit. non haberet, vnde inciperet motum; quò tenderet, &c. Non negauerim tamen, posse è Cœlo empyreo beatum tollere brachium, eum gyrare, proiicere lapidem; & tunc à superficie conuexa Empyrei, vel vltimi corporis, mensuraretur. Hæc tamen incerta notat S.B. vt vidimus, *tract. 1. d. 7. q. 7. num. 48.* Addo, posse brutum repere supra Empyreum. 9

Probatvr verò, non futurum motum, per spatia imaginaria, argumento D. Bonau. *locis initio relat.* quo nituntur Scot. Faber, *l. c.* Amic. *d. 1. art. 2.* quia nullum esset spatium reale; vt arguit Arist. *4. Physic. text. 64.* atque adeò nec terminus, *a quo*; nec terminus, *ad quem*; & non esset maior ratio, cur non fieret huc, quam illuc. Intelligitur verò, si mundus non esset, sed sola spatia imaginaria, vt ait Fuliensis *art. 5.* 10

Pro vltimo asserto nota, ex D. Bonau. *in 1. d. 37. q. vlt.* quem imitantur Scotus apud Fabr. *l. cit.* Richard. *supra*, & alij Authores prioris sententiæ, in mobili locali duplicem considerari resistentiam, alteram intrinsecam, seu essentialem; alteram extrinsecam, seu accidentalem. Intrinseca sumitur ab entitate mobilis finitâ, eiusque finitâ virtute, in ordine ad motum. Vbi includitur intrinseca etiam quantitas spatij, super quod mobile debet moueri; hinc enim fit, vt mobile, putà palmare, finitæ vtique virtutis super spatium centum palmorum intrinsecè exigat successionem; eò quòd non potest mobile simul esse in termino, *à quo*, in medio; & in termino, *ad quem*; vt docet Arist. *6. physic. text. 53.* si enim mobile palmare per spatium centum palmorum moueri intelligatur, in instanti debet extendi simul ad centum palmos. Hæc dicitur formalis resistentia. Alia verò est resistentia effectiua, extrinseca, in ordine ad successionem motus; & est medij, siue aeris, siue aquæ, siue alterius, actiuè resistentis motori: Ab hac verò non euenit tota motus successio: nam, dato vacuo, adhuc mobile non posset spatio, se longè maiori, coëxtendi; vt notat Amicus, *art. 2.* Nihil enim potest pertransire maius se, quin priùs coëxistat coæquali sibi; vt arguit S.D. *in primo, d. 37. p. 2. art. 2. q. 2.* Igitur, si à concauo Lunæ ad terram sit vacuum, & inde proiiciatur lapis molaris, non poterit in instanti ruere ad terram vsque; nisi dicas, illum mensurare vno puncto totam dimensionem, vbi erant ignis, & aëris regiones. Hinc S. Doctor, *in primo, d. 37. q. vlt.* infert, Angelum tametsi à medio nullam offendat resistentiam, adhuc mouendum successiuè, ob causas intrinsecas successionis; quod obseruant posteà reliqui apud Amicum, *art. 2.* 11

Assero igitur tertiò, motum, in vacuo proprio, intra terminos aliquos faciendum successiuè. Patet ex dictis. 12

Probatvr argumento D. Bonau, *loc. cit. & in notabili declarato.* Ex his infer, absona secutura in opinione aduersâ. Detur vacuum à concauo Lunæ ad terram, & per eandem lineam, iuxta demissum funem, moueatur lapillus à summo funis, & à medio rupes, cùm ambo moueantur in instanti, velociùs iter conficiet lapillus, quàm rupes. Ergo.

Ergo duo motus instantanei erunt inæquales: ergo habent partes. Deinde lapillus digitalis, eodem instanti, funem longissimum adæquabit; &, si eodem instanti est in tota longitudine, non mouebitur per medium; non enim valet mobile commensurari termino *à quo*, medio & termino, *ad quem*: alioqui non mouebitur; vt, si duæ tabulæ æqua les sint decem palmorum, intra spatium decem palmorum inclusæ, quo pacto altera super alteram ciebitur?

RESPONDENT Pererius, & alij, veram fatendo repugnantiam; sed sequi ex impossibili, nempè motus in vacuo.

13 HOC tamen non sequitur; cùm possit concipi, id impedire motum in instanti, sed admittere successiuum.

RESPONDENT alij, non sequi coëxistentiam illam; cùm spatium vacuum sit nihil.

SED hoc falsum est: nam adhuc adest realis distantia intra terminos; vt, si funis à concauo Lunæ deponatur ad terram, & iuxta eam descendat Auis, etiam cubito ab eo distans, metietur totam longitudinem funis.

HINC etiam ruit responsio Alberti, apud Amic. vbi vellet deducere, corpus in instanti moueri ad modum illuminationis: At ea non fit per motum localem, sed per productionem in medio; & non eadem pars est vbique in medio.

14 SIMILITER corruunt responsa Pererij, Vasquez, & aliorum, totam successionem è medio aucupantium.

DEFICIT similiter responsio Galitij, quà profitetur è D. Bonau. sibi struere argumentum. Vbi nulla est distantia, ibi nulla successio; sed in vacuo nulla distantia; cùm nulla sit ibi magnitudo realis, è quà mensuratur distantia: ergo. Maior probatur: quia, vbi nulla distantia, non potest esse propè, vel longè; at mobile non inuenit partes, quas transeat.

15 NEC valet dicere (ait) cum Scoto, *in* 2. *d*. 2. *q*. 4. & communiter cum Recentioribus, in vacuo reperiri aptitudinem, ad suscipiendam quantitatem. Hoc enim esse figmentum agnoscitur: quia successio ex parte magnitudinis, & spatij, habentis actu partes post partes, oritur.

QVÒD, si dicas, esse distantiam aptitudinalem, & ego dico (ait) fore successionem aptitudinalem in motu actuali, non inueniente actu distantiam.

SI dicamus, Terram verè distare à Luna; etiamsi intersit vacuum: Respondet ipse, distare negatiuè; quatenus non habent actualem mediam distantiam. Vel dic, non esse vllo modo distantiam; quia hæc est effectus magnitudinis positiuæ.

16 ADDIT, non audiendos Scotum, Molinam, & Mendozzam, dicentes Vacuum, si daretur, fore mensurabile eadem mensura, quà & plenum; &, si in aulà vacuà esses, distare posses magis ab vno pariete, quàm ab alio.

VRGET secundò. Vbi datur successio in motu, necesse est, vt mobile priùs respiciat vnam partem spatij, quàm aliam; sed in vacuo non sunt partes; cùm non sit totum: ergo.

NEC satis est (ait) mobile esse finitum, & motorem virtutis finitæ: quia vt ab his causetur successio, supponitur magnitudo, & distantia, super quam fiat motus.

17 HÆC tamen nullius sunt ponderis: Ex dictis enim constat, intercedere in tali vacuo distantiam realem, quæ à finibus realibus sumitur, adeò, vt mensurari queant ab Angelo milliaria, ac stadia; imò cubiti à concauo Lunæ ad superficiem terræ; non enim medium positiuum ad hoc confert; dummodò maneant termini; &, si termini mutentur, puta si Lunæ Cœlum comprimatur per centum milliaria, mutabitur distantia. Itaque non dico, existere distantiam aptitudinalem, sed actualem, & mensurabilem; & hàc contentus est Aristoteles, 4. *Physic. text*. 99. dicens: *Quod mouetur, mouetur ex quodam in quoddam*.

QVOD verò ipse ait, non esse inconueniens, in motu instantaneo, mobile esse in termino, *à quo*, in medio, atque in termino, *ad quem*: quia in instantaneis, vnum est moueri, & motum esse; vt ait D. Bonauent. *in primo*, *d*. 9. *quæst. vlt*. nil iuuat; quia, cùm motus localis sit mensuratus tempore, quod definitur *Mensura motus, secundùm prius, & posterius*, implicat esse motum localem, & esse in instanti; vt bene monent Perer. *lib*. 11. *cap*. 12. cum Scoto, & D. Bonauent. supra relato, qui non concedunt, motum fore in instanti; sed, ex eo, quod sequeretur in spatio imaginario fore in instanti, negant ibi esse posse; vt rectè vidit Ruuius. 18

Ex dictis cuncta opposita defluunt.

NEQVE dicant, admisso vacuo intra latera, hæc inuicem comprimenda. Sanè hæ sunt chimæræ. Num Deus nequibit hoc impedire? At esto. Iam compressio fiet successiuè, cùm sit motus localis; & interim erit vacuum, intra quod fiat motus; putà lapis descendat, aqua defluat, bos decidat ab alto. Profectò creaturæ obedient Creatori; vt monet S. Doctor, *in* 2. *d*. 18. *q*. 2. *ad* 5.



DISPVTATIO XIII.

De DVRATIONE.

AGENTES de rebus Physicis mobilibus, agendum de duratione rerum, ac motuum.



QVÆSTIO I.

Quid sit DVRATIO.

CERTVM est, dari aliquam durationem realem; multæ enim res realiter durant, & dum esse non desinunt, realiter durare videntur. De hac S. Doctor *in* 2. *d*. 2. cum aliis.

PRIMA opinio est, durationem esse formaliter eam formam, quæ constituit prædicamentum QVANDO, per quam res durat in Tempore, seu successiuè quoquomodo. Ita indicat D. Thom. 1. *d*. 8. *q*. 2. *art*. 1. *ad* 6. Henric. *quodl*. 5. *q*. 18. Aureol. 1. *d*. 9. *q* 2. *art*. 1. Gillius, *lib*. 2. *tract*. 10. *c*. 4.

SECVNDA opinio est, durationem esse permanentiam existentiæ, in esse, seu permanentiam rei in existendo. Hanc docent ferè omnes Recentiores, Suarez, *d*. 50. *Metaph. sectione* 2. Colleg. 4. *physicorum, capite* 14. *quæstione* 2. & 3. Ruuius, *q*. 4. *de tempore*, Masius, *sect*. 3. *q*. 1. Hurtad. *d*. 17. *metaph. sect*. 1. Perer. *lib*. 12. *cap*. 5. & omnes, qui dicunt, durationem non distingui realiter ab existentia, quos referam, *q*. 2. Videtur D. T. *in* 1. *distin*

disputatione 19. *quæstione* 2. *artic.* 2. Caiet. *part.* 1. *quæst.* 10. *art.* 2. Capr. *in* 2. *dist.* 2. *art.* 3. *ad* 3. subscribit Amicus, *Tract.* 22. *Phys. quæst.* 1. *d.* 1. Vtinensis *tract.* 3. *de Deo*, *q.* 6. *art.* 2. *sect.* 2. Galit. *p.* 1. *Phil. lib.* 4. *tract.* 2. *q.* 1. vbi definit durationem, *Duratio est permanentia rei in suo esse actuali, quieto, & perfecto.* Eustach. *p.* 1. *Physicorum*, *tract.* 3. *d.* 3. *quæst.* 1.

Tertia opinio est, durationem esse mensuram existentiæ. Ita Vasquez, *p.* 1. *disp.* 31. *cap.* 5. *num.* 13. Aliqui verò dicunt, saltem connotari rationem mensuræ. Ita Gonzales, *p.* 1. *q.* 10. *d.* 20. *sect.* 1.

Assero primò, durationem non esse mensuram existentiæ. Ita D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 2. *p.* 2. *q.* 2. *ad* 3.

1 Probatvr: quia duratio dicit perseuerantiam quandam, quæ absoluta est, non relatiua. Sanè relatio fundamentum supponit.

Probatvr secundò: nam mensura respicit aliquid extrinsecum, notificabile per eam; vt benè ait Scotus, *in* 2. *dist.* 2. *q.* 2.

2 Assero secundò, neque esse Prædicamentum Qvando.

Probatvr: quia Prædicamenta variantur variis denominationibus; at variæ sunt denominationes Dvrationis, quæ dicitur permanens annos, menses; & Qvando, quod dicitur heri, vel hodie, &c. ergo.

3 Assero tertiò, Durationem esse permanentiam rei in esse.

Probatvr: ex communi conceptu dicitur res durare, dùm permanet pro statu suo; siue permanenter, seruando idem esse; siue cum innouatione; vt tempus, & motus.

Qvæstio II.

An Dvratio *differat ab existentia.*

Prima opinio est dicentium, Durationem esse ab existentia, à parte rei, distinctam. Hi tamen diuersi sunt.

4 Aliqvi enim dicunt, distingui, tanquam rem à re, vtpotè mensuram existentiæ. Ita Capr. *in primo*, *d.* 9. Ant. Andr. 5. *Metaph. q.* 11. Sotus, 4. *Physic. q.* 4. Canonic. 4. *Phys. q.* 5. *d.* 3. Thien. *q.* 3. Gratiadeus, *lect.* 17. *q.* 1. Scotus *in* 2. *d.* 2. *q.* 2. & *in* 4. *dist.* 48. *q.* 1. Soncin. 5. *metaph. q.* 56. ex D. Thom. *p.* 1. *q.* 16.

Alii volunt, distingui modaliter. Ita communiter Recentiores dicentes, durationem esse modum existentiæ. Ita Bannes, *p.* 1. *q.* 3. *art.* 4. *d.* 1. *ad* 3. Murcia, *d.* 3. *q.* 3. Ruuius, *tract. de tempore*, vbi adducit Richardum, Maiorem, Argent. Henric. Scotum. Sic Gonzal. *d.* 20. *sect.* 1. Syluester *in conflato*, *p.* 1. *q.* 10. *art.* 1. §. 1. Colleg. 4. *Physic. cap.* 14. *q.* 2. *art.* 2. Zanard. 4. *physic. q.* 9. Hurtad. *d.* 8. *metaph. sect.* 4. *subsec.* 4. §. 54. *d.* 17. *sect.* 2. Hier. Plat. 4. *Physic. de Duratione*, Tol. 4. *Physic. q.* 13. Amicus, *Tract.* 22. *Phys. q.* 1. *d.* 2. *num.* 16. Arriaga *d.* 15. *Physic.*

Secvnda opinio est, Durationem, solâ ratione, ab existentia distingui. Ita Ocham, 2. *dist.* 2. *q.* 10. Gabr. *ibi*, *q.* 1. Georg. 4. *Physic. q.* 1. Bassol. *quæstione* 1. Scotus, 2. *distinctione* 2. *quæstione* 1. Mastrius, *disputatione* 13. *Physicorum*, & *in primo*, *distinctione* 2. *numero* 249. Capr. *quæstione* 2. *articulo* 1. & 3. Molina, *part.* 1. *quæstione* 3. *art.* 4. *d.* 2. Suar. *d.* 50. *sect.* 1. Gillius, *libro* 2. *tract.* 10. *capite* 6. Durand. 2. *d.* 2. *quæst.* 4. Caiet. *parte* 1. *quæstione* 10. *articulo* 5. & 6. Perer. *lib.* 12. *capite* 1. & 5. Vasquez *parte* 1. *d.* 31. *capite* 5. *numero* 13. & 14. & *d.* 33. Valent. *T.* 1. *d.* 1. *quæstione* 10. *part.* 1. Galitius, *part.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *quæstione* 2. *numero* 5. Ex his Capr. Caiet. & alij referunt etiam D. Thom. passim. Attamen Suarez eum refert pro priori sententia, eò quòd, *part.* 1. *quæst.* 10. *art.* 2. asserat, in omni re creata distingui durationem ab ipsa re: quia in omni creatura differt existentia ab essentiâ. Sed D. Thom. cùm essentiam distinguit ab existentia, loquitur de essentiâ abstractâ, non de Physicâ. Pro priori sententia refertur *art.* 3. *eiusdem quæst.* à Zanardo, *loco cit.* & Ruuio; sed nil *ibi* tale dicit. Addit Zanardus *in* 2. *dist.* 4. *articulo* 2. *quæstione* 1. sed neque *ibi* id dicit.

Scotvs, eos omnes cum prima sententia sentire, ait, qui æuum successiuum credunt. Inter eos numerat Diuum Bonauenturam, quem refert, vt vidimus, *Tract.* 1. *disp.* 9. *q.* 4. fusiùs. Ita distinctionem realem, inter existentiam, & durationem cogi Seraphicum admittere, dicit.

Svarez verò, Hurtadus, & alij dicunt, Seraphicum admittere debere distinctionem formalem, eadem de causa: quia in duratione, mensuratâ ab æuo, ponit successionem; at in existentia nequaquam: alioqui (inquiunt) idem assereret extensum, & non extensum.

Pater Galitius modalem distinctionem in via Diui Bonauenturæ admittit. Dicit verò, deceptos fuisse Scotum, Suarez, & alios, putantes, apud Diuum Bonauenturam, idem esse mensuram, & durationem; atque adeò vtramque successiuam, cùm diuersa sint; & duratio sine extensione sit; quod præcipuè probat ex D. Bonauent. *in* 2. *d.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. 5

Sed, pace tanti Viri, non rectè redarguit, quod ita ostendo. Quærit Seraphicus Doctor; an spiritualia habeant propriam mensuram, & assertiuè resoluit: quia sicuti diuersa est eorum duratio, secundùm esse; ita diuersa debet esse mensura; cùm hæc sit vnigenea mensurata. Igitur, sicuti æuiternorum duratio est absque substantiali mutatione, & innouatione manens, habens esse successiuum, solùm quoad replicationem continuam eiusdem esse, recepti à Deo, quod potest truncari; ita debet habere mensuram vnigeneam, & propriam, quæ est æuum; quod esse successiuum probat *quæstione* 3. sed absque innouatione; distinctumque à tempore, quod habet successionem cum innouatione, & fluxu partium.

Obiicit verò sibi, *argumento* 3. Spiritualia habent eundem locum cum corporeis: nam & Angeli loco corporeo definiuntur: ergo possunt habere eandem mensuram durationis.

Respondet, negando paritatem: quia Angelis non adæquatur locus; etsi definitiuè in illo sint; at mensura debet complanari omni nò ipsi Angelo mensurato; at tempus non quadrat; quia Angelus non habet extensionem; etsi habeat durationem; & ideò habet mensuram durationis, non extensionis. Vult dicere, non habere Angeli durationem extensionem partium, 6

partium, & partium innouatarum; sicuti habent corruptibilia, quæ proinde aptâ mensurâ temporis mensurantur, sed habere durationem successiuam, ex passiua eiusdem esse indiuisibilis receptione à Deo conseruante. Vnde non negat eorum durationi successionem omnem; sed aptè respondens argumento, temporariam solam ei inficiatur.

7 NEQVE Scoto, aut Suarez, & Hurtado necesse erat Seraphicum cogere, ad asserendum, Angeli durationem, & eorum mensuram esse rem eandem; vt, cùm duratio successiua sit; è regione existentia permanens ab ea deberet distingui re; eò quòd idem nequeat fluere, & stare, vt arguit Seraphicus Doctor *in corpore*; sed eis sat erat, Seraphicum ponere mensuram durationis Angelorum, nempe æuum, esse successiuam; vt inde deducentes, etiam durationem mensuratam, vtpotè vnigeneam, esse successiuam; ac proinde sequeretur, distingui ab existentia, que in se præscindit formaliter a duratione; sed tamen est ipsa durans: seu addit modum permanentiæ, continuò receptæ à Deo conseruante; cùm alioqui posset in quouis puncto truncari, si Deus suspenderet concursum. Existimo tamen, Scotum nimium posuisse, si realem realem posuit distinctionem: quia, cùm duratio sit existentia, vt permanens, non autem permanentia extranea à re existente, satis est distinctio modalis, aut formalis, assignata à Suarez, & Hurtado.

8 ASSERO, durationem à parte rei distingui ab existentia eiusdem entis creati.

PROBATVR primò, argumento D. Bonauent. quo, aiunt Scotus, & Suarez, cogi S. Doctorem in hanc sententiam. Ens, simpliciter permanens, differt à successiuo; sed existentia est permanens, duratio verò successiua: ergo. Maior est nota; sunt enim duo genera distincta. Minor probatur: & quidem quoad corruptibilia patet; quoad incorruptibilia probatur: nam mensura, & mensuratum sunt vnigenea. Sed ea mensurantur æuo successiuo; vt ostensum est *Tractatu* 1. *disp.* 9. *q.* 4. ergo.

9 PROBATVR secundò. Quod est prius, & principium, distinguitur ab eo, quod est posterius, & principiatum. Existentia est prior, & principium durationis: ergo.

PROBATVR tertiò; quia existentia dicit simpliciter primum esse, à quo potest separari duratio, si statim res destruatur: hoc autem est signum euidens distinctionis à parte rei. Verum quidem est, non conuinci illam esse realem realem: deberet enim vtraque posse seorsim separata iacêre; hic enim est lapis lydius, ad realem realem distinctionem dignoscendam; at duratio non potest stare sine existentia, vt patet; nil enim durat, quod non sit.

10 SALTEM sunt duo formaliter distincti conceptus; vt notat Amicus, *articulo* 3. Ita omnes res eiusdem speciei habent eandem essentiam, sed non eandem durationem; & multa habent eandem durationem [illegible] diuersam essentiam; atque adeò existentiam. Confirmatur: nam duratio pertinet ad prædicamentum QVANTITATIS, at existentia ad Prædicamentum rei durantis spectat. Prædicamenta verò sunt entia distincta realiter, saltem modalia.

CONFIRMATVR: quia Angelus existens potest non durare; si Deus concursum suum auferat: multò magis de corruptibilibus verum est: ergo duratio addit aliquid reale existentiæ rei, quæ instantanea est.

RESPONDET Mastrius, posse entitatem determinari ad durandum, per coëxistentiam temporis, extrinsecè aduenientis: ergo frustrà additur duratio, tanquam accidens, rei duranti realiter superadditum.

AT est quid intrinsecum in re durante; ac proinde non ab alio extrinseco potest determinari, quàm à Deo conseruante. 11

RESPONDET Mastrius, rem quidem non durare per aliquod extrinsecum, sed posse determinari ad durandum ab aliquo extrinseco. Deinde, licèt res denominetur durans per sua intrinseca; tamen, quòd hoc, vel illo tempore duret, habet à coëxistentia huius, vel illius temporis.

ADDIT etiam, Deum, etsi suâ æternitate sit determinatus ad durandum, tamen non dici durare hodie, vel cras; quo vsque sit hodie.

HÆC tamen nullius sunt ponderis. Duratio enim supponitur à tempore, à quo mensuratur, ideò enim duratio Petri mensuratur hoc tempore: quia Petrus est à parte rei; sanè per sua intrinseca principia, & conseruationem Dei; atque adeò non determinatur Petrus à tempore ad durandum nunc. Ponamus enim hoc tempus extrinsecum Mastrij, & Deus suspendat concursum à Petro, vel Angelo, quænam duratio erit eorum? Duratio sanè est permanentia rei in esse. Profectò mensura respicit aliquid notificabile; vt docet Scotus, 2. *distinctione* 2. *quæstione* 2. §. *ad secundam partem*, & 10. *Metaphysicorum*: *initio*. Itaque supponit durationem mensurabilem. Meliùs diceret, rem à tempore habere, non vt duret hodie, sed vt coëxistat huic diei. 12

NEQVE est eadem ratio de Deo; vt notat Arriaga, *disputatione* 15. *Physicorum*, *num.* 41. ex Sancto Bonauentura relatus, *Tractatu* 1. *disputatione* 9. *quæstione* 6. quia, cùm Deus sit æternus, non est indifferens, ad existendum hodie, vel cras; sed per se est perfectè determinatus, ad existendum in omni tempore; &, quamvis non coëxistat tempori, nisi tempus currat actu, vt docet Scotus, *primo*, *distinctione* 39. allatus à Mastrio, tamen malè infert, determinari, ad esse hodie; hoc enim est loqui impropriissimè, vt patet; ni velimus, determinans esse post determinatum. Profectò tempus hoc, putà dies, determinatur à Deo, vt existat; atque adeò, vt coëxistat, secundùm Scoti illationem. Alia argumenta obiter retuli *tractatu* 1. *disputatione* 9. *à numero* 52. 13

OBIICIES primò, cum Authoribus secundæ sententiæ, quibus (mirum) adde Galitium. Ex vi præcisè existentiæ, ablato omni modo addito, res durat; ergo duratio non distinguitur ab existentia.

CONFIRMATVR: quia productio, & conseruatio solâ ratione differunt: ergo & existentia, & duratio.

CONFIRMATVR secundò: quia duratio est inseparabilis ab existentia, & è contrà. Propter hæc argumenta, Amicus, *disputatione* 2. *num.* 17. probabilius, ait, durationem non distingui, ab existentia à parte rei, per aliquid absolutum, additum existentiæ, quod formaliter constituat durationem, sed distingui ratione connotati; quia exi-

ſtentia concepta, vt connotat exiſtentiam præcedentem, dicitur duratio; atque adeò duratio ſecundùm vnum conceptum formalem, non differt ab exiſtentia, ſed ratione connotati, vt probant, (ait) argumenta allata. Confirmatur: quia, ſicut Deus poteſt creare Angelum in primo inſtanti, ſine vllo ſuperaddito poſitiuo, abſoluto, vel reſpectiuo, præter reſpectum ad Deum; ita poſſet in perpetuum conſeruare, non cauſando aliquid de nouo; ſed non poteſt conſeruare ſine duratione: ergo duratio non dicit aliquid poſitiuum ſuper exiſtentiam Angeli.

14 RESPONDETVR tamen facilè, negando, rem durare ex vi præciſæ exiſtentiæ: quia exiſtentia eſt indifferens ad durandum, vel non durandum; atque adeò debet dari aliquid determinans ad durandum; neque verò dicas, extendi exiſtentiam, cùm addatur ei modus ſeparabilis. Ad primam confirmationem dico, non eſſe parem rationem: nam actio creationis, & conſeruationis eſt ex parte Dei vna, ſimpliciſſima, & diuina: at effectus eſt paſſiuè diuerſa conſeruatio durationis ab exiſtentia: ſic & a creatione conſeruatio, nam ſingulis inſtantibus truncari poteſt.

AD ſecundam, dico, durationem ab exiſtentia ſeparari non poſſe; at exiſtentiam poſſe à duratione ſeiungi; neque exiſtentia ſeparatur à connotato durationis; cùm illud connotatum, ſecundùm aduerſarios, ſit exiſtentia ipſa: ergo ſeparatur à formali durationis.

Ex his habes, durationem, exiſtentiæ addere permanentiam cum negatione conſequenti deſitionis.

QVÆSTIO III.

An SVCCESSIO ſit de ratione durationis.

PRIMA opinio eſt, omnem durationem includere ſucceſſionem. Ita Aureol. *in primo, diſt.* 9. *part.* 2. *q.* 2. *art.* 2. vbi ideò negat, æternitatem eſſe durationem, quia non includit ſucceſſionem; & *in* 2. *diſt.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 2. vbi eadem de cauſa negat, æuum eſſe durationem; quia non dicit ſucceſſionem intrinſecam; ſed ſolùm extrinſecam, per coëxiſtentiam tempori. Videtur Ocham, 2. *quæſtione* 10. Gabr. *diſput.* 2. *quæſt.* 1. *articulo* 1. *not.* 3.

SECVNDA opinio eſt negantium, durationem, ſiue communem ſolis creatis, includere ſucceſſionem. Ita Alenſ. *part.* 1. *quæſt.* 12. *art.* 3. D. Thom. *q.* 10. *art.* 5. vbi Caiet. *& quodl* 10. *art.* 4. Molina, *p* 1. *quæſt.* 10. *art.* 5. *diſp.* 1. Vaſq. *d.* 33. *c.* 3. Gonzal. *d.* 21. *ſect.* 2. ex Bann. *ibi*, *dub.* 2. & alij Thomiſtæ; Suar. *d.* 50. *metaph. ſect.* 5. Fonſec. 5. *Metaph. cap.* 13. *ſect.* 12. Colleg. 4. *Phyſic. cap.* 14. *quæſt.* 3. Ruuius, *tract.* 2. *de duratione, num* 69. Maſius, *diſp. de tempore, ſect.* 3. *quæſt.* 2. Perer. *lib.* 12. *cap.* 11. *&* 12. Amicus, *tract.* 22. *Phyſic. quæſt.* 1. *diſp* 4. & communiter.

TERTIA ſententia eſt, durationem communem creaturis includere ſucceſſionem. Ita Diuus Bonauentura, 2. *diſtinctione* 2. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 3. Alber. *part.* 1. *ſum. q.* 25. *num.* 2. *art.* 2. & *de quatuor coæuis, q.* 3. *art.* 6. Murcia, 4. *Phyſicorum, d.* 3. *q.* 3. probabilemque dicunt Scotus, 2. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. §. *qui vult*; Richard. *art.* 1. Baſſol. *quæſt.* 1. *art.* 2. Hurtad. *diſputatione* 17. *Metaphyſicorum*, *ſect.* 3. & alij.

QVARTA ſententia diſtinguit durationem abſolutam, & relatiuam: abſolutam quidem abſtrahere dicit, ſed fieri ſucceſſiuam, vel permanentem ex determinatione ſubiecti, cuius eſt duratio. Relatiuam verò, quæ ſumitur in ordine ad tempus, cui coexiſtit, fieri ſucceſſiuam. Ita Gillius, *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 10. *cap.* 11. Molina, *loc. cit. art.* 1. *d.* 2. eamque communem aſſerit Amicus, *num.* 21.

SVPPONVNT, durationem, vt communem Deo, & creatis, includere æternitatem, quæ eſt tota ſimul; vt dixi *Tractatu* 1. *diſputatione* 9. *quæſtione* 1.

ASSERO, durationem; vt communem creatis, eſſe totam ſucceſſiuam: nam Tempus eſt ſucceſſiuum, cum innouatione; Æuum, ſine innouatione; vt dixi *loc. cit. quæſt.* 20. 15

PROBATVR fundamento Diui Bonauenturæ. Nulla creatura poteſt durare, abſque continuo influxu Diuino, quo conſeruetur; at hæc conſeruatio exiſtentiæ eſt ſucceſſiua: ergo. Minor probatur; quia conſeruatio non eſt tota ſimul: alioqui condita creatura non poſſet ampliùs deſtrui, ſi conſeruatio eſt tota ſimul. Quòd ſi deſtrueretur, ſimul eſſet, & non eſſet; eſſet, quia tota ſimul; non eſſet, quia deſtructa.

CONFIRMATVR. Vbi eſt maior, vel minor duratio, ibi eſt ſucceſſio; at inter plures Angelos, aut inter ſe comparatos, aut ad animas, eſt maior, vel minor duratio. Plus enim durauit Angelus Michael, quàm anima Petri.

RESPONDENT, duraſſe plus comparatiuè, ſecundùm menſuram extrinſecam temporis, non ſecundùm intrinſecam Æui.

CONTRA. Creentur duo Angeli, & ſtatim vnus annihiletur à Deo, quis negabit, plus duraſſe alterum intrinſecè? 16

RESPONDET Amicus, *dub.* 4. *art.* 5. negando, conſeruationem eſſe ſucceſſiuam intrinſecè; ſed ſolùm extrinſecè; &, licèt conſeruatio hodierna non ſit craſtina, quoad exiſtentiam, tamen, ſecundùm ſe, eſt eadem, ſine vlla variatione; neque obeſt, poſſe rem hodie conſeruari, & & cras deſtrui: nam hoc non ponit variaitonem in conſeruatione perſeuerante, ſed tantùm mutationem in conſeruatione, quæ de exiſtente ſit non exiſtens, ſicut Angelus. Et, licèt conſeruatio ſit tota ſimul, quoad intrinſeca, non tamen quoad intrinſecum, cui coëxiſtit; vt patet in arbore, quæ, exiſtens in medio flumine, ſine intrinſecâ ſui mutatione ſucceſſiuâ, coexiſtit aquis defluentibus, & diuerſis aëris partibus agitatis; & ratio eſt: quia, vt duo entia approximentur, non eſt neceſſarius motus in vtroque; ſed ſatis eſt, alterum moueri. Vt igitur vnum indiuiſibile coëxiſtat diuiſibili, ſufficit diuiſibilitas virtualis, quâ coëxiſtat diuiſibili: & hac virtuali extenſione poteſt vnus Angelus plus altero durare, non in ſe.

HÆC tamen futilia ſunt. Nam creatura è ſuis intrinſecis principiis, eget [illegible]inuo Dei influxu, qui poteſt ſuſpendi. Iam igitur præſcindamus exiſtentiam temporis Creet Deus Michaelem, & Luciferum: & creatum alterum annihilet, alterum conſeruet: ſanè è ſuo intrinſeco plus durat Angelus conſeruatus & plus durabit. Hæc ſanè mutatio ſit in conſeruatione perſeuerante: quia hic conſeruatur vltra inſtans creationis; ille non; non enim tantùm conſeruatio ſit de exiſtenti, non exiſtens; ſed ſimpliciter 17

plicit er

pliciter nulla est in vno, & in altero est; vel, si in altero, de non existente fit non existens; cùm adhuc in altero duret, resultat inæqualitas quantitatis continuæ propria. Similitudo verò arboris non est ad rem: quia non dicimus, Angeli conseruationem debere esse cum fluxu; vt commensuretur temporalibus; sed sufficit successio in conseruatione, etsi eiusdem entitatis; neque ampliùs consideramus durationem Angeli coëxistentem fluxui rerum corruptibilium, quasi aquæ labentis, sed in se; & ibi inuenio successionem in probata inæqualitate conseruatæ naturæ, quæ transcendenti relatione intrinseca ob id Deum respicit.

18 Confirmatur. Præcisò omni tempore, creet Deus Angelos in gratiâ, & aliqui ex eis perseuerent, alij peccent. Sanè non peccant in primo instanti: alioqui simul essent amici, & inimici Deo: ergo aliqui plùs perseuerant iusti.

Ridicule autem Amicus dicit, non posse esse Angelum bonum, & malum, nisi in ordine ad tempus, saltem imaginarium. Scio, mutationem in actibus mensurari tempore aliquo; at carentia rectitudinis naturalis,& gratiæ, est successiua sine tempore;quod magis apparet, si Deus creet duos Angelos sanctos,sapientes,& insigni naturali dono præditos & id alteri conseruet, alteri verò auferat; iam simul durabun inæqualiter in sapientia, &c.

19 Confirmatur: quia hinc daretur infinita duratio in actu, & identificaret sibi præteritum, & futurum. Itaque,sicut implicat, Angelum,qui fuit, non fuisse, ita etiam non fore; cùm fore sit idem indiuisibile cum fuisse. Solutiones Amici euolant. Quod verò dicit *num.43.* cum Diuo Thoma, & aliis,opinionem sancti Bonauenturæ esse falsam,& capi non posse successionem sine nouitate;satisfeci *Tractatu primo,disp.9.quæst.4.*

QVÆSTIO IV.

De speciebus Durationis.

20 Communiter referuntur quatuor, cùm D. Bonauent. *in 2. distinct. 2.artic.2.quæst.2.* & *3 part.Cent.sect.2.* Æternitas, Æuum, Tempus continuum, & Tempus discretum, de quibus egi, *Tract.1. disput.9.* & ibi differentias inter has assignaui. *Ibi* de Æternitate, & de Æuo satis. Reliqua discussi *disput. vlt. de Angelis.* Iam remanet disserendum de Tempore.

DISPVTATIO XIV.

De Tempore.

QVÆSTIO I.

An detur Tempus.

1 Nihil vsitatius proloquiis exprimentibus, dari tempus; vt ait S.Augustin. 11. *confes. capit. 14.* attamen res est cognitu ardua. Illud astruunt omnes Philosophi, atque Theologi, cum Aristotele 4. *Physic.à cap. 10. ad 14.* cum D. Bonauent. *1.distinct. 9.dub.8.& distinct. 30.dub.2. & distinct. 37.part.3.dub.3.* & *in 2.distinct.1.part.1. artic.1.quæst.2.ad argum.& distinct.2.part.1.dub.1.* & *art.1.quæst.2.in corpore*; & *3.part.centil.sec.7.* & *lib.2. Compend.Theol.verit. capit.10.* & aliis locis.

Assero,dari Tempus. Ita Diuus Bonauentura in *1.distinct.9.articul.1. quæst.4.*& cæteri communiter, apud Suarez, *disput.50. Metaphisic. sect.9.* Ruuium, 4.*Physic.Tract.de natura temporis,quæst. 1.*Hurtad. *disput.5.Physic sect.3.5.& 6.*

Probatur à S. Bonauent. *in 2. distinct.14. part.2.dub.3.& 4.* & *in quæstionibus* illo Genesis, *Fiant Luminaria in firmamento cœli,& sint in signa, & tempora,& dies,& annos.*

Probatur secundò à S. Bonauent. locis allatis: quia mensura, & mensuratum sunt correlatiua. Dantur mensurata tempore, nempè motus: ergo & Tempus, quod est numerus motus.

Scrupulum ingessit quibusdam Nominalibus existentia entis successiui: quia ens sic fieret, esset, & desineret. Sed facilè percipitur,si capias naturam entis successiui, quod fluit; & ita in continuo cursu fit, & fluit. Imaginare trahentem calamo lineam,& Deum, prout trahitur,destruere eam,& aliquo modo capies casum nostrum.

Definitur autem ab Aristotele, Physic. lib.4. text.102. *Tempus est numerus motus, secundùm prius, & posterius*; quam definitionem recipiunt Doctores, inter quos S. Bonauent. *locis allatis.* Dicitur *numerus*, non formalis numerans; sed materialis numeratus; vt explicabo *quæstione sequenti in calce*; neque dicitur *numerus*, quasi quantitas discreta, sed continua, cuius partes non sunt secundùm quantitatem discretæ, sed secundùm qualitatem: quia tempus præteritum, præsens, & futurum habent diuersas qualitates, distinctas, sed tamen continuas duratione. Vnde multi legunt *mensura motus.* Inter quos D.Bonau. *2. distinct.2. part.1.art.1. quæst.2.* Dicitur *motus* cuiusquè; quia omnis motus numeratur,præcipuè tamen primi mobilis. Dicitur *secundùm prius, & posteriùs*, quia motus habet duo,vt sit continuus, & vt habeat partes priores, & posteriores. Modò iuxta hanc secundam rationem numeratur tempore. 2 3

QVÆSTIO II.

An Tempus *sit ens reale.*

Prima opinio est, Tempus, secundùm totum suum esse,pendêre ab anima. Ità Antiqui apud Albert.4. *Physic.tract.3.cap.3.*Videtur Ocham, 2. *quæst.12.*

Secunda opinio est,nulla ex parte Tempus pendêre ab anima. Ita simplicius, *text.103.4. Physic.*Phil. Can.*quæst.5.artic.4.* Tolet. *quæst.15.* Ruuius *quæst.1.*Perer.*lib.12.cap.1.*Albert.*tract.3. 10.& 16.*& *de quatuor coæuis,quæst.5. articul.10.* Auicen.2.*suffic.cap.11.*Sax.4.*Physic.quæst.16.*Scotus,4. *distinct.48. quæst.1.* & *lib.5. Metaph.quæst. 24.* Ocham,2.*quæst.12.* Greg.Gabr.2. *distinct.2. quæst.1.*Durand.*distinct.2.quæst.4.*Henric.*quodl.3.*

*quæst.*21. Her. 2. *distinct.* 2. q.1. *art.* 3. Amicus, *tract.* 22. *de Tempore*, q. 4. *dub.* 1. *art.* 3. Suarez, *d.* 50. *Metaph. sect.* 9. Colleg. 4. *Physic. cap.* 14. *q.* 1. *art.* 4. Zanard. 4. *physic. q.* 8. Galit. *p.* 1. *lib.* 4. *tractatu* 1. *quæstione* 2 Farnes *lib.* 2. *cap.* 9. Faucnt. *Theor.* 49. & omnes, qui motum, & tempus non differre, aiunt; & Theologi *in* 2. *dist.* 1. & Scripturales *ad cap.* 1. *Genes.* vbi Tempus creatum dicunt.

TERTIA opinio est, Tempus esse ens reale, sed compleri in anima. Adducitur D. Thom. 4. *physic. text.* 131. *lect.* 13. & *opusc. de tempore*, & *part.* 1. *q.* 10. *art.* 1. vbi Caiet. & *in* 1. *d.* 19. *q.* 5. *art.* 1. Astruunt Auerr. *com.* 102. Ægid. Ferrar. *q.* 4. & 5. Thien. *text.* 103. Iand. *q.* 27. Iauell. *q.* 24. Soncin. 9. *Metaph. q.* 24. Flandr. *q.* 14. Capr. 2. *d.* 2. *q.* 2. *art.* 1. & ibi Hispal. Henric. *quodl.* 3. *q.* 15. Sotus, 4. *physic. q.* 4. *art.* 2. Aureol. 2. *d.* 2. *q. vnic. art.* 1. Syluest. *in conflato, q.* 10. *art.* 1. Zanard. 4. *physicorum*, *quæstione* 13. qui refert etiam Toletum.

SI quæras, quonam modo compleatur ab anima. Respondent Capr. pro D. Thom. Aureol. & alij, compleri; quatenus anima priores partes temporis nectit posterioribus; ac ita eas concipit; ac si vnitæ essent.

ALII dicunt, compleri ab anima, quoad esse numerum, actu, motus. Ita Argent. 2. *d.* 2. *q.* 1. *art.* 2. Baccon. *q.* 1. *art.* 3. & multi è SOCIETATE IESV; Tol. 4. *physic. q.* 15. Colleg. *ibi*, *cap.* 14. *q.* 1. *art.* 2. Piccol. *cap.* 15. *de affect. communibus.* Hi verò, solùm accidentaliter compleri autumant.

MVLTI verò dicunt, ens successiuum non existere in se realiter, sed in aliquo sui, idest indiuisibili. Sic Baccon. *in* 2. *distinctione* 2. *q.* 1. *art.* 4. Perer. *lib.* 12. *cap.* 3. Tolet 4. *physic. q.* 12. *ad* 1. Tost. *ad* 13. *Exodi, q.* 3. & *ad c.* 10. Iosuë, *q.* 69. Nil tamen conferre animam, concludunt.

MOLINA verò, *quæstione* 10. *art.* 1. *d.* 3. & *ad prædic.* QVANTITATIS, & 4. *physic.* dicit, Tempus, vt est duratio, esse reale; at prout duratio, & mora definitur, putà dies Iouis, vel hora quarta, compleri ab anima.

4 SERAPHICVS est cum secunda sententia: nam *in primo*, *d.* 30. *dub.* 2. *litt.* asserit, Tempus initio mundi incepisse. In 2. *d.* 1. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 2. ad argumenta, docet, Tempus, secundùm essentiam cum re mobili in se ipso fluere, initio incepisse ab instanti. At, secundùm esse, incepisse cum motûs variatione; nec incepisse per creationem, sed potius per ipsorum mutabilium successionem, & maximè primi mobilis euidenter. Et *d.* 2. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *in corpore*, docet, Tempus esse dispositionem rei, non fictionem animæ: etiam quoad actualem numerationem motûs passiuam. Concludit, vnitatem Temporis causari ab vnitate subiecti, à quo causatur, quod est materia, vt mutabilis; & ideò, sicut materia est vna, secundùm essentiam, & multiplex, secundùm esse; Ita & Tempus in temporalibus. Pergit autem ostendere, Tempus habere suum esse reale. Idem accinit ad argumenta.

5 ASSERO primò, Tempus esse ens, totum reale, non completum ab anima.

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura, *locis adductis*. Id, quod habet esse ante aliud, non pendet in esse ab illo. Tempus fuit initiò, ante animam: ergo. Maior probatur: nam, si prius à posteriori pendet in esse, esset ante illud, & non esset: esset, quia prius; non esset, quia effectus eius. Minor probatur *ex Genes.* 1. vbi distinctum est Tempus ante creationem hominum. Hinc D. August. 11. *confess.* ait, Deum esse omnium temporum conditorem. Vnde Schola Parisiensis, *art.* 199. damnauit erroris dicentes, Tempus dependere in suâ essentiâ ab anima, & proinde etiam ab Angelo, vt refert Gregor.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauent. *loco vltimo adducto*, & *in* 2. *d.* 3. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 3. Id, quod dicit realem durationem, in successione perfecta existentem, omni præcisa intellectus fictione, est totum reale. Tale est Tempus: ergo. Maior est euidens. Minor probatur. Ponamus motum rotæ à Deo, certum est; quòd nullo intellectu existente, ille motus esset velox, vel tardus; duraret plus, vel minus, quàm motus alius; & inter partes, alia est prior, alia posterior, sicuti & in motu. 6

PROBATVR tertiò à Diuo Bonauent. A quo res habet vnitatem, habet & esse; at Tempus habet vnitatem à subiecto mobili, quia est accidens dicti mobilis, quod suam fluxionem habet à mouente, velocem, vel tardam, breui, vel longo tempore durantem: ergo. 7

OBIICIES primò. Id, quod à parte rei non est assignabile, est ens per intellectum. Tale est Tempus: nam neque præteritum est, neque futurum est; neque de præsenti est aliquid, præter indiuisibile: ergo. 8

RESPONDET Amicus, *art.* 2. ex D. Bonauent. *loco nuper adducto*, in eius sententia referenda, partes temporis existere de præsenti; non quidem præsentiâ simultaneâ, sed successiuâ; non enim est assignabile aliquid eius permanens; sicuti designatur in permanentibus; sed dum assigno, offendo in aliquo puncto; & immediatè, ante, & post, est particula temporis; vt innuit Seraphicus Doctor *in primo*, *d.* 30. *dub.* 2. Itaque coaptatur subiecto, prout est in motu actus in potentia; atque adeò non habet partes actu fixè assignabiles; sed semper aliud, & aliud; vt in die, & agone; eò quòd semper est aliud, & aliud; vt docet Aristot. 3. *physic. text.* 52.

OBIICIES secundò. De ratione temporis est, vt sit numerus motus, & mensura eius; at mensura est ens, ratione completum; ergo.

CONFIRMATVR: quia in se est tale ens, vt nulla pars existat de præsenti.

CONFIRMATVR secundò, ex Aristotele 4. *Physicorum*, *text.* 93. vbi docet, Tempus esse vnum; sed hæc vnitas non potest esse sine anima: nam anima vtitur vno, ad mensuranda omnia alia successiua.

CONFIRMATVR *ex text.* 31. vbi dicitur: *Si non esset anima, non esset tempus.*

RESPONDETVR cum D. Bonauent suprà, tempus esse numerum numeratum, idest, id, quo numerari potest ab intellectu motus, & de facto numeratur; non ita tamen vt in se sit ens rationis: quia intellectus supponit obiectum numerandum, motum, scilicet, secundùm prius, & posterius. 9

AD confirmationem, dico cum D. Bonau. ex Aristotele, Tempus semper esse aliud, & aliud; & ideò nil assignari à nobis, nisi instans; vt ait Scotus, & Toletus; non quia non excurrant partes; sed quia nobis diffluunt; sicuti si velim assignare aëri partem fluentis aquæ.

QVòD verò tempus sit vnum, secundùm essentiam, non facit; quin singuli motus sint reales; 10
sicuti & de generibus, & speciebus constat, existere

stere indiuidua; vt dicam *quæst. sequent.* Ad Aristotelem dico, non fore tempus in ordine ad mensurandas nostras operationes, nisi esset anima distribuens illud in diuersas partes; vt hæc, *hac hora,* &c. vt notant Conimbr. ex D. Aug. 11. *conf. cap.* 8. Itaque, Tempus, vt actu est mensura

11 artificialiter applicata ad metiendos motus sublunares in horas, quadrantes, &c. est ab anima. Est etiam opus rationis; quatenus successiuum cùm sit, tamen à nobis designatur, vt vnum, integrum præsens; putà, dies, mensis, annus. Itaque, si non esset possibilis intellectus, non esset possibile tempus, prout actu numerus; seu non esset possibilis actualis numeratio; & hoc sensu explicatur à Diuo Thoma, 4. *Physicorum, lect.* 23. *parte* 4. & *in primo, distinctione* 19. *quæstione* 5. *articulo* 1. & hoc indicat Sanctus Bonauentura, *in* 2. *allato* pro eius sententia; vbi actualem numerationem, ait, esse ab anima, non quidem, vt

12 Tempus est numerus numeratus motus, secundùm rationem successionis, atque breuitatis, & tarditatis: quia sic non pendet ab animæ fictione; cùm sit dispositio rei extrà, sed vt distribuitur a nobis in partes confectas in primo mobili, puta, 24. horas diurnas; & has singulas in 60. minuta; & hæc in secunda, &c. quæ est distributio, & numeratio artificialis. Itaque, vt est numerus numerans, pendet ab anima; sed, vt numerus numeratus, non pendet à fictione animæ; & hoc modo loca Aristotelis, 4. *Physicorum, text.* 102. & 131. & 2. *de anima, text.* 64. & D. August. suprà, explicat Seraphicus Doctor *in* 2. *distinctione* 2. *parte* 1. *articulo* 1. *quæstione* 2. *in corpore.* Sanè Tempus ex se est tale, vt ratione illius reperiatur in motu velocitas, & tarditas mensurabilis.

13 ITAQVE sequitur, Tempore mensurari omnes motus, & actiones, in quibus est reperire prius, & posterius successiuum. Ita Diuus Bonauentura, *in* 2. *distinctione* 2. *parte* 1. *articulo* 1. *quæstione* 2. & *distinctione* 7. *part.* 2. *articulo* 1. *quæstione* 2. & alij apud Galitium, *quæstione quarta.*

ADDIT Scotus, 2. *distinctione* 2. *quæstione* 4. & cum eo Fauent. *Theor.* 50. & cæteri Scotistæ, atque alij, Tempus esse mensuram etiam quietis, per accidens.

14 AT Galitius, *numero* 8. id negat; quia quies non habet prius, & posterius cum innouatione. Id indicare videtur Seraphicus Doctor, *primo, distinctione* 37. *dub. litt. suprà citato*, dicens: *Tempus esse mensuram cuiuslibet rei mutabilis, secundùm quod mutabilis.* Pondera replicam, *Secundùm quod, &c.* Subscribit Suar. *disputatione* 50. *Metaphysicorum, sectione* 8. *numero* 4. Farnes. *lib.* 2. *cap.* 9.

ET, quia Aristoteles videtur contrarius, respondet Galitius, Quietem per accidens mensurari Tempore: quatenùs potest mensurari tota illa duratio, quâ corpus quiescens poterat moueri. Sed hæc minuta sunt, & ideò prætereunda.

QVÆSTIO III.

An TEMPVS *sit vnum, & quomodo.*

D. B. in 2. distinct. 2. p. 1. art. 1. q. 2.

PRIMA opinio distinguit Tempus extrinsecum, quod desumitur e regulari motu primi mobilis Cœli, quo mensurantur omnes successiuæ durationes, & motus vniuersi; & hoc, dicunt, esse vnum extrinsecè; sicuti vnus est motus primi mobilis. Deinde accipit tempus intrinsecum, quibuscumque motibus conueniens, & hoc multiplicat in mobilibus subiectis, ad numerum motuum. Ita Aureol. *in* 2. *distinctione* 2. *q.* 1. *art.* 1. *parte* 2. *articuli, concl.* 3. Gregor. ibi, apud Capreol. *quæst.* 2. *art.* 3. Tost. *in primum cap. Genes. quæst.* 8. Iand. 4. *Physicorum, q.* 18. & *q.* 28. Perer. *lib.* 12. *cap.* 4. Conimbr. 4. *Physicorum, cap.* 14. *q.* 1. *art.* 2. Titelm. *cap.* 20. Suarez *in Metaph. disp.* 50. *sect.* 8. Henric. *q.* 2. *art.* 4. Bonettus, *lib.* 6. *Physicorum, cap.* 2. Tol. 4. *Physic. q.* 12. Fons. 5. *Metaph. cap.* 13. *q.* 11. Ruu. *q.* 3. Murcia, *q.* 3. *d.* 1. Amicus, *Tract.* 22. *quæstione* 4. *disputatione* 5. *articulo* 3. Eustachius *part.* 1. *Physicorum, tract.* 3. *disp* 3. *q.* 2.

EX his tamen aliqui negant, Tempus multiplicari ad multiplicationem motuum, etiam Cœli; si plures essent, *ex* 4. *Physicorum, text.* 93.

ALII volunt, multiplicari: alioqui idem numero accidens esset in pluribus subiectis, loco diuersis; ita communiter apud Ruuium, *q.* 3. Murciam, *quæstione* 3. *disputatione* 1. Conimbr. *loco citato.*

DIFFERVNT etiam circa vnitatem specificam; quia Tempora in motibus corporeis distinguunt à motibus spiritualium. Ita Ruuius, & quidam alij.

ALII putant, omnia Tempora, quæ consequuntur motus diuersorum generum, esse diuersæ speciei, vt alterationis, augmentationis, lationis; non tamen, quæ consequuntur motus eiusdem generis, etiamsi sint diuersæ speciei.

ALII, omnia Tempora dicunt esse eiusdem speciei; sicuti omnis quantitas etiam in subiectis diuersis. Ita Murcia.

ALII omnia Tempora in motibus diuersæ speciei diuersa ponunt.

SECVNDA opinio censet, tempus propriè acceptum non esse durationem cuiuscunque motus, sed primi mobilis. Ex quo inferunt, Tempus esse 15
vnum numero. Citatur Auerroës, 4. *Physicorum, text.* 132. & ibi Alex. apud Ruuium, Alber. *tract.* 3. *cap. vlt.* D. Bonauent. *in* 2. *d.* 2. *art.* 1. *q.* 2. Rich. *art.* 1. *q.* 2. Durand. *quæst.* 3 Bassol. *q.* 2. quos allegat, & sequitur Masius, *disp. de Tempore, q.* 5. Sotus, *q.* 4. *d.* 2. Veracruz, *spect.* 4. Ferrar. *quæst.* 7. Thien. *q.* 2. & 3. Iauel. *q.* 13. Bur. *text.* 101. Capr. 2. *d.* 2. *q.* 2. *concl.* 1. ex D. Thom. *part.* 1. *quæst.* 10. *art.* 6. Tartat. 4. *Physicorum, q. de Tempore natur. art.* 2. è Scoto, *quodl.* 11. *art.* 3. qui ideò ait, post diem iudicij non fore Tempus. Idem habet *in* 2. *distinctione* 2. *q.* 3. *ad finem*; Capr. *q.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. cum Diuo Thom. *loco citato,*

citato, & est sententia omnium ferè Græcorum, apud Colleg. & Amicum, & omnium ferè Aristotelis Interpretum, ac sequacium, vt supponit Iuuet 4. *Physic. cap. 3.*

AT S. Doctor non est huius omninò sententiæ; imò eam confutat è D. August. *lib. 11. confess. cap. 32.* vbi ait. *Audiui à quodam homine docto, quod Solis, & Lunæ, ac Syderum motus ipsa sint tempora, & anni; cur enim non potiùs omnium corporum motus sint tempora; an verò si cessarent lumina, & moneretur Rota figuli, non esset tempus?*

CONFVTAT ergo opinionem dicentium, vnum esse tempus, ratione subiecti, in quo est, nempè cælum; & vult, multiplicari ad multiplicationem motuum.

DEINDE respuit sententiam volentium, vnum esse Tempus, ratione subiecti, in quo primò apparet, quod est cælum seu primum mobile. Contra hunc arguit, *ex 4. Physic. text. 93.* Si plures essent cæli, similiter esset tempus motuum eorum; quare multa essent tempora simul; quod assumit Aristoteles vt inconueniens, sequens ex pluralitate mundorum; scilicet, quia darentur plura tempora. Ponit tertiò S. Doctor suam sententiam. Sumit ipse vnitatem, & distinctionem huius accidentis à subiecto.

16 SVPPONIT autem ex dictis *disput. nostra prima*, materiam esse primum subiectum mutationum; subiici verò mutationibus, non separatam à forma, sed vnitam formis; ea enim est primum subiectum motuum, & mutationum: accidens autem à subiecto sumit vnitatem, & distinctionem. Sicut igitur materia est imperfectè vna numero secundùm essentiam, sed plurificata secundùm existentiam sub diuersis formis; ità etiam Tempus est ens imperfectè vnum; essentiam sequens sui fontis, quod est subiectum remotum, sed multiplicatur in motibus, tanquam in subiectis proximis, vt habent esse priùs, & posteriùs, quæ est ratio communis motibus.

17 SVPPONIT secundò ex *distinct. 2. part. 1. art. 2. quæst. 1. in corpore*, Tempus quatuor modis sumi. Primò communissimè: vt dicit mensuram cuiuslibet durationis creatæ; & ità includit Æuum, & Tempus. Secundò communiter; vt dicit mensuram mutationis cuiuscunque: & sic includit etiam mensuram creationis, quæ est mutatio de non esse ad esse; & sic præcedit etiam æuum, quod est mensura rei iam creatæ. Tertiò propriè; & sic dicit mensuram variationis successiuæ; siuè sit successiua successione regulari, & continuâ; siuè non: & hac mensurantur etiam affectiones Angelorum; estque Æuum; & hoc pacto est simul cum Tempore; sed præcellit dignitate. Quarto modo sumitur magis propriè pro numero, siuè mensurâ motus, secundùm priùs, & posteriùs, 4. *Physic. text. 133.* secundùm motum regulatum supremæ sphæræ, & sic accipi consueuit à Philosopho. Ita accipit etiam *in 1. distinct. 37. part. 2. dub. 3.* vbi addit, motum primi mobilis, vt potè euidentissimum, & continuum incessantem, esse subiectum temporis.

18 INSVPER aduertit *in 4. distinct. 49. part. 2. artic. 3. quæst. 1. ad 4.* mensuram aliam esse internam, quæ cuiquè mensurato propria, est ei vnigenea, & multiplicatur ad numerum mensuratorum; aliam externam, quæ omnibus aptatur; nec singulis est vnigenea: sed omnibus simul, quatenùs in ratione communi mensuratorum conueniunt. Mensura externa igitur non est propriissima; sed illa, quæ singulis est intrinseca, & aptata. Itaquè in re nostra, Tempus extrinsecum, sumptum è primi mobilis regulari motu, ad mensurandos proprios motus, non est propriissimum; etsi magis proprium communissimo, communi, & proprio. Propriissimum verò est, quod sumitur ex indiuidua cuiusquè motus proprij mutatione.

HINC habes primò, S. Doctorem non esse cum prima sententia: quia ipse Tempus propriissimum censet illud, quod singulis motibus est proprium intrinsecum; non autem quod extrinsecum sumitur è motu primi mobilis. In quo decepti sunt multi, allegantes Seraphicum. 19

HABES secundò; etsi tempore extrinseco, è primi mobilis gyro mensurari queant operationes instantaneæ; non tamen tempore propriissimo, quod est mensura solius motus proprij successiui; ità enim in tertio loco, inter quatuor dictos modos numeratur; in quo videtur decipi Galitius, *p. 1. lib. 4. tract. 1. quæst. 4.* vbi eandem mensuram his destinat, atque successiuis. Hoc agnouit Ruuius, 4. *Physic. Tractatu priori de Tempore, quæst. 1.* & alij.

ASSERO igitur primò, Tempus extrinsecum, non propriissimum, esse vnum, sumique è gyro primi mobilis. Hoc verò non ideò vnum, quia vnum sit subiectum, in quo est, vel apparet; vt vidimus suprà cum Diuo Bonauentura confutante; sed quia est mensura communis omnibus motibus. 20

PROBATVR à D. Bonauent. *locis suprà adductis*, ex primo Genes. *Fiant Luminaria in firmamento, & sint in signa, & tempora, dies, & annos.*

PROBATVR secundò *ex 4. Physic. text. 133.* vbi addit rationem, *quia omnes motus mensurantur vno tempore cognato, & finito.* quibus verbis Auerroës, *quæst. 8.* & Diuus Thomas *opusc. 36. cap. 2.* Capreol. & alij in secunda sententia dicunt, Tempus extrinsecum esse vnum per Antonomasiam: quia, scilicet, accipiunt tempus vnum, consequens motum primi mobilis, cui præcipuè conuenit ratio mensuræ, quia aptatur cunctis motibus, & est notissima, vt potè trahens Solem, Lunam, & stellas: nam motus proprij solis, & Lunæ non sunt ità noti; cùm irregulares eccentrici sint. Hoc autem tempus imaginariâ applicatione completur; dum horis, diebus, mensibus, annis, &c. aptatur motibus nostris, Ità notat Fonseca, *sect. 2.* cui applaudit Amicus, *art. 3. num. 13.* 21

HINC habes, hoc tempus extrinsecum esse vnum numero; & ità vnâ horâ numero, hebdomadâ, &c. mensurantur omnia sublunaria mobilia illius temporis: hoc autem fit, quia motu vno continuo, incessanti, indefectibili nititur: vt ait Pater Galitius. 22

HABES etiam, hunc motum esse vnum numero; provt est regula omnium; vt notat Amicus, de mente Aristotelis cum D. Bonauent. *loco citato in margine.*

ASSERO secundò, Tempus intrinsecum multiplicari, saltem numero, ad modum quantitatis.

EXPLICATVR à Sancto Doctore: Tempus, cùm sit mensura rei mutabilis, in quantum talis deriuatur à materia prima, quæ ratione suæ potentialitatis est omnis mutationis origo. Sicut autem materia vna est, secundùm essentiam, & pro multitudine formarum multiplicatur, ità & tempus, vnum

vnum ens imperfectum in singulis mobilibus multiplicatur, ratione radicis motus sub formis, defluentis ab vnâ ad aliam formam successiuè: accidentia enim à subiecto indiuiduantur. Et sicut diuersi, multiplicésque motus sunt in singulis: ità multiplices mensuræ, idest Tempora, secundùm esse; radicaliter verò vnum est numero, sicut & materia, quæ tamen cùm secundùm esse sit diuisa, tot multiplicat tempora.

24 Hanc verò durationem interiorem habent non modo cæli inferiores, sed etiam primum mobile, quod è materiâ constat, vt ostendi *disputat. 1. quæst. 7.* & aduertit Amicus *artic. 5.* vbi addit, habere etiam aliquam extrinsecam mensuram, quæ est tempus imaginarium; deinde aliquam partem notam, è quâ totus mensuratur motus.

Porro hæc tempora esse eiusdem speciei colligo *è textu* 131. vbi ait Aristoteles, quod sicut numerus septenarius est eiusdem speciei, siuè sit hominum, siue lapidum; ità Tempus est idem specificè, tametsi motus sint diuersi; vt notat Amicus *art. 6.* ex D. Bonauent. qui cùm materiæ hanc multiplicitatem adscribat, & partes materiæ non multiplicentur specie; idem sequitur de Temporibus, quæ sequuntur naturam entis mobilis, quæ vna est. Nam emanant motus multiplices non secundùm rationes specificas è terminis sumptas, sed secundùm rationem communem motuum, vt habent prius & posterius; ad modum quo & quantitas sub diuersis formis constituit corpora, tanquam passio communis omnibus. Neque dicas duo accidentia, solo numero diuersa, fore non rarò in eodem numero subiecto, nam etsi idem subiectum remotum esset, tamen proximum non est vnum numero; quia sunt duo motus specie distincti, in quibus duo tempora sunt duæ mensuræ.

25 Probatvr itaque assertio à D. Bonauent. mensura, & mensuratum multiplicantur more relatiuorum. Dantur plurimi motus mensurati: ergo & plures eorum propriæ mensuræ, ac rationes mensurationum. Maior est euidens: nam relatiua toties dicuntur, ac correlatiua propria. Minor est euidens; quia nullo cogitante intellectu durant diù, vel modicum, ac citiùs desinunt.

26 Probatvr secundò à D. Bonauent. *loco citato in margine.* Vnitas accidentis sequitur vnitatem subiecti proprij, & ab eo indiuiduatur. Sed subiectum temporis est materia, quæ est vna secundùm essentiam; multiplex secundùm esse; vt ostendi *disputat. quæst. 9.* ergo. Prior pars maioris est euidens: altera probata est *Tract. 4. disput. 2. à num. 76.* Minor probatur. In eo est Tempus, quod est subiectum mutationum successiuarum. Tale subiectum est materia, quæ est radix omnium mutationum, quæ deriuantur ex potentia materiæ ad formas, vnde oritur motus, qui est subiectum proximum Temporis. Tempus enim habet esse ex hoc, quod materia tendit ad formam, propter hoc, quòd causatur à motu, qui est Entelechia entis in potentia, & ideò se tenet maximè ex parte materiæ primæ.

27 Advertit S. Doctor Tempus non esse in materiâ seiunctâ à forma; hoc enim est contra D. August. 12. *confess. cap. 12.* nec vlla est vicissitudo in materia, nisi cùm in ea est aliqua forma; sed est in materia, ratione eius potentiæ ad formam.

Ex dictis corruunt, quæcunque nostris opponuntur assertis.

QVÆSTIO IV.

An in Tempore *sit vnicum instans.*

Svppono, in Tempore dari aliquod instans reale; vt ait Aristoteles *4. Physic. text. 105.* Dantur enim reales mutationes instantaneæ: Ergo datur mensura, quâ tales probentur, vt arguit Seraphicus Doctor *4. distinct. 11. quæst. 5.* Diuus Thomas *tract. de Instantibus.* 28

Qvæstio vertitur circa Aristotelis dicta: nam *text. 95.* ostendit, in Tempore esse multa *nunc*, alioqui idem *nunc* staret toto tempore; at *text. 104.* eiusdem *4. Physic.* dicit, esse idem, & non idem *nunc*.

Commvnis Recentiorum sententia ponit plura *nunc* in tempore succedentia: Sic Tolet. 4. *Physic. quæst. 13.* Colleg *ibi, cap. 13. quæst. 4. art. 2.* Perer. *lib. 11 cap. 4.* Suar. *disput. 50. Metaph. sect. 9.* Ruuius *Tract. de Temp. quæst. 2.* est etiam antiquorum è Patribus hausta. Acclamat S. Bonauent. *loco citato* Neque negat D. Thom. vt monet Capr. 2. *distinct. 2. quæst. 2. art. 3.*

Difficvltas est; quo pacto, cum pluralitate instantium, quam cogimur admittere, vt fluxum temporis demus, stet vnitas admissa.

Varios modos dicendi recensent Amicus *tract. 22. Physic. quæst. 10. disput. 3.* Galitius *part. 1. lib. 4. tract. 1. quæst. 3.*

Mihi probatur modus Scoti 2. *Metaph.* 17. sumptus è D. Bonauent. *loco citato in corpore*, quem sequuntur Faber *Theor. 51.* Ruuius *loco citato* Bonettus *6. Physic. cap. 1.* Paulus Sulmon. *hic, quæst. 2.* Catharensis *4. Physic. quæst. 3. art. 4.* Rabesan. *disput. 3. quæst. 3.* Sic autem differunt. Tempus est ens continuum successiuum, compositum è partibus successiuis, quæ continuantur, ac terminantur punctis indiuisibilibus. Ità vna est ratio; & essentia omnium punctorum, secundùm speciem; sicut vna est ratio particularum eiusdem Temporis. Debent ergò puncta esse numero distincta, vt connectant particulas temporis defluentes. Ità exponit simplicius Aristotelem, & D. Bonauent. *loco citato*; & ostendi *Tract. 4. disput. 15. num. 7.* cum Diuo Augustin. *lib. 83. qq. quæst. 72.* 29

Instat Amicus, quia Aristoteles videtur dicere, esse vnum numero.

Dico, cum sic loqui c. 4. *Quod verò est id, quod est ipsum nunc, idem est.* Solet autem *quod quid* vocare definitionem, & essentiam. Ità vnum specie intelligit.

Deinde nequit vnum numero, secundùm substantiam, esse principium quantitatis, & eiusdem vltimum; vt arguit Faber cum Scoto, ex D. Bonau. *loco citato* contra tertium modum, dicente: *Impossibile est, in durationibus successiuis, extrema esse simul.* Instantia verò sunt initium, & finis partium temporis. 30

Si dicas, instans mutari secundùm esse; idem tamen secundùm substantiam esse id, quod habuit esse præteritum, habet præsens, & habebit esse futurum.

Contra, quia; vt arguit S. Bonauent. cùm plurimas partes defluentes nectat, & terminet, debet cum defluentibus partibus substantialiter 31

liter cedere, cùm plures continuet pluries, terminétque ab initio ad finem.

Dices, ex D. Bonau. Tempus est vnum, secundùm essentiam, numero; *in 2.d.2.p.1.art.1.q.2.*

Respondeo, in eodem numero tempore, esse plures partes; atque adeò pluribus numero punctis nexas, sicut & in continuo vno permanente.

32 Aliam expositionem Scoto 2.*d.*2 adscribit Amicus; vnum numero nunc esse in tempore toto, provt dicit prius, & posterius: nam idem *nunc*, secundùm substantiam, est principium noui Temporis, & finis defluxi. Est D. Bonau. *loc. cit.* Eam subtilem acclamat.

Rabesanus ait, manere idem instans specie, quia species sunt immobiles. At hoc est dictum improprium: quia species, seu essentiæ, metaphysicè acceptæ, sunt quidem veritate immobiles; sed tamen indiuidua pereunt, quod fit in partibus, & punctis temporis physicis; de quibus agimus. Ita responsum non soluit, vel omnia solueret hac de re.

QVÆSTIO V.

An Tempus *à Motu differat, & quomodo.*

33 Quæstio non est de motibus singulis comparatis cum Tempore extrinseco primi mobilis. Hæc enim separabilia sunt, atque adeò re distincta: nam stante primo mobili, adhuc moueretur rota figuli; vt notat D. Bonau. *2.d.2.p.1.art.1.q.2.* ex D. Aug. sed comparandus motus cum suo tempore intrinseco.

Prima opinio, hæc, solâ ratione distinguit. Allegatur Dur. *2.d.2.q.3.* Argent. *ibi,q.1.art 2.* Piccol. *de affect.com.c.*15. Vasq. *p.1.d.33.cap.3.* Suar. *d.50.met.sect.9.* Perer. *l.12.cap.1.* Tolet. 4. *Physic.q.12.* Collegium ibidem, *c.14.q.2.* Subscribit P. Galitius, *p.1.Phil. l.4. tract.1.q.5.* qui aduertit, hos negare tantùm distinctionem rei à re; & per distinctionem rationis intelligere quidditatiuam ex natura rei; seu rationis ratiocinatæ: non nulli, ex allegatis, distinctionem vix admittere assentiuntur, quam & inter gradus metaphysicos ponunt, negantes, distinctionem illam formalem Scoticam, ex natura rei, mediam inter realem, & rationis.

Eam tamen, inter motum & Tempus, probabiliter sustinet Scotus, etsi ferè problematicus in *2.dist.2.q.2.* sed *in 4.d.48. quæst.2.* distinctionem formalem resolutè ponit, vt monet Faber *Theor.* 49. & cæteri Discipuli: Murcia *d.3.q.3.* allegans Venetum, *text.96.* Capr. *2.d.2.q.2.* Adhæret Eustach. *p.1. Phys. tract.3.d.3.quæst.2.*

Paulò ampliorem distinctionem videntur admittere Richard. *2.d.2.art.1.q.1.* Ruuius *tract.1. de Tempore, q.4.* Zanardus præcipuè adducens D. Thom. *2.d.4.q.1.art.2.* & *p.1.q.10.art.6.* Heur. *quodl.3.q.11.* Amic. *tract.22. Phys.* qui realem ponunt, & Vulp. *p.1.d.17.art.4.* qui modalem inter hæc distinctionem astruit.

D. Bonauentura alto omnium silentio obuoluitur. At ostendam eum pro hac sententia.

34 Supponendum, dari, præter Tempus, à primo mobili ortum, etiam particularia Tempora, singulis mobilibus propria, sumpta ex eorum materia; vt dixi *quæst.3* & probaui.

Id probat Seraphicus Doctor, *2.d.2.p.1.q.2. in corpore*; quia stante primo mobili, adhuc moueretur, determinata duratione mensurabili, rota figuli.

Deinde, stetit sol, pugnante Iosue, & simul omnes cæli; alioqui ordines motuum fuissent inuersi; vt probat Tostatus ad eum locum. Iam verò toto illo tempore pugnatum est in valle Gabaon, & vbique terrarum multi motus peracti; illaque dies mensurata est quidem à Diuino spiritu. Non fuit tam longa dies, nec erit, &c. At actiones pugnantium, & aliæ plurimæ mensuratæ fuerunt tempore; non sanè primi mobilis.

Tertio, id probat Seraphicus Doctor, *distinct. cit. articulo 2. quæstione 1.* quia tempus primi mobilis non incepit ante eius motum, qui habuit initium quarta die, quando & ostensio temporis luminaribus est data. *Vt sint in signa, & tempora.* Genes.1. Idem refricat S. D. *quæst.2.* 35

Quarto vrget loco, nuper allato: *Post diem iudicij non erit Tempus.* Apoc. 10. Sanè Tempus primi mobilis intelligit, quia Cœli posteà perpetuò quiescunt. At post hæc, erunt operationes successiuæ in Empyreo beatorum. In lymbo paruulorum; & in Inferno damnatorum, qui torquebuntur, *transibunt ab aquis niuium, ad calores nimios.* Sanè hæ operationes mensurabuntur, mensurâ successiuâ, non extrinseca Cœli: ergo propriâ mensurâ.

Quinto. Tempus est numerus numeratus motûs, a quo solùm formaliter distinguitur, secundùm 36
Aduersarios. Debet ergo cuique motui dari Tempus, quod formaliter solùm distinguatur ab eo, & sit eius mensura mensurata, seu numerus numeratus: ad mentem vestram, & Aristot. 4. *Physic.* Hoc tempus non potest esse illud primi mobilis, quod absque dubio, re distinguitur: Ergo. Aut dicere cogeris cum Fabro, distinctionem formalem esse solùm inter Tempus primi mobilis, & motum eiusdem; cæteros autem motus non mensurari Tempore, eodem modo: At omnes motus habent ab intrinseco prius, & posterius.

Assero. Tempus, & Motum differre realiter, saltem modaliter.

Probatur primò à D. Bonau. *2. distinct. 2.* 37
part.1.q.1.in resol. Ea realiter sunt distincta, quorum vnum multiplicatur, non multiplicato altero: sed motus multiplicantur, vno manente tempore: Ergo. Maior est euidens. Nam vnum, & multa, sunt diuersa in metaphysicis. Minor probatur primò ex vtriusque essentia. Motus enim intrinsecè est actus entis in potentia, vt huiusmodi, atque adeò, ad terminos varios, etiam confusè, multiplicatur intrinsecè: at tempus solùm defluxum successiuum habet communem cum motu, & hunc, secundùm esse mensuræ, & mensurati, diuersum. Probatur secundò minor, nam eodemmet tempore partes motus multiplicantur, si mouens sit valentior; puta, si homo vnâ horâ quinque milliaria percurrat; angelus centum peruolabit. Si homo lapidem molarem vnâ horâ per milliare voluat; angelus in paruula morula minuti illud opus peruoluet; tunc sanè omnes partes magnitudinis, quæ sunt in motu tardiori, sunt etiam in velociori; mouens enim velociùs, non facit transire simul aliquas partes magnitudinis; sed præcisè vnam post aliam. Ergo tot, & tantæ sunt partes in motu tardiori, quot, & quantæ in velociori; non potest autem idem tempus, habens easdem partes, esse vnum cum hoc motu, & cum illo; vt patet in exemplo adducto; hic enim fit in hora; ille in minuto. Ergo partes eiusdem propor

proportionis illius temporis; putà horæ, non possunt esse eædem cum partibus velocioris motus; neque cum partibus tardioris motus: quia sunt inæquales, & consequenter, tempus illud totum, non est idem cum illis motibus, secundùm totum, neque secundùm partes; & sic Tempus erit quantitas, diuersa à motu. Hoc argumento vtitur Scot.

RESPONDET Faber, optimè concludi. Tempus primi mobilis esse quantitatem diuersam à motibus illis, extrinsecè mensuratis à Tempore; at non inferre distinctionem cum motu ipsius primi mobilis.

39 CONTRA, arguit Amicus *num.* 2. nam argumentum probat, Tempus distingui à suo motu, in quo est, quia ille variari potest secundùm partes; non variatis partibus temporis.

AT Amice obserua, Fabrum negasse tempora particularia in motibus Hominis, Angeli, &c. sed concedere in solo primo mobili, in quo non dicuntur esse hi motus. Ideò Faber stat.

40 PONAMVS ergo Angelum, duplò mobiliorem eo, qui 24. horis gyrat primum mobile; mouebit is, spatio 12. horarum, circulo perfecto. Sanè, cùm concedat Faber, velocitatem, & tarditatem non ad Tempus spectare, sed ad motum; admittit, manère idem tempus, quod est vnicum intrinsecè; & multiplicari in eodem motûs partes. Hinc infero cum Scoto, non posse esse eandem quantitatem Temporis, & motus eiusdem primi mobilis, ob allatam rationem.

RESPONDET Faber, tempus materialiter esse velox, vel tardum; quatenùs est idem cum motu; sed formaliter non esse velox, & sic differre à motu primi mobilis.

AT hoc est petere principium, supponendo, esse idem, vt materialem ei des velocitatem. Sanè velocitas est motûs accidens separabile. Esto igitur materialiter conueniat etiam tempori, non concludes intrinsecam, inter hæc, conuenientiam, aut differentiam.

41 VRGEO. Quod se tenet ex parte mensuræ, differt re ab eo, quod se habet ex parte formaliter mensurati, vt talia sunt. Sed tarditas, & velocitas se tenent ex parte Temporis, vt mensuræ: & ex parte motus, vt mensurati: ergo hoc realiter distinguuntur. Maior est euidens: nam totum esse mensuræ differt à toto esse mensurati: quia relatiua sunt inuicem: ergo non vnum sunt. Neque sola formalis distinctio inter mensuram, & mensuratum sufficit, sed debet esse realis; vt monet Sanctus Bonauentura, *primo, distinctione* 30. *quæstione vltima, ad* 4. ex Aristotele, 10. *Metaphysicorum, capite* 2.

VRGEO. Tempus est res distincta à motibus ad extra; quia eorum est mensura per te. Ergo & respectu motus sui Cœli, cùm & illius, per te, sit mensura.

VRGEO adhuc cum Sancto Bonauentura, *loco citato*, contra Fabrum. Vnum, & multa, sunt re diuersa, vt constat. Tempus, per te, est vnum primi mobilis; at eius motus plures: nam primum mobile cietur, diei spatio, in gyrum ab Oriente; mox sub Ezechia reuersus ab Occidente: sub Iosue stetit; Itidem illuminatur magis successiuè in Hemisphærio, ad quod Sol ascendit; at lumen decrescit, Sole recedente.

42 PROBATVR secundò è Sancto Bonauentura, *loco citato*, subiectum, & propria passio differunt re: Motus est subiectum Temporis, quod eius est passio: ergo. Maior est euidens. Est enim accidens, ab essentia manans. Minor est Aristotelis, 12. *metaph.* Ideò 4. *phys.* reprehendit dicentes; Tempus esse motum primi Cæli, vel alium, addens; Tempus non esse tamen sine motu.

RESPONDET Faber, etiamsi Arist. 4. *phys. text.* 95. reprehendet eos, qui dixerunt, motum esse tempus; tamen *text.* 133. eos ad veritatem accessisse fateri; carpere autem quosdam, quia non declarant, quo sensu, Tempus sit motus.

CONTRA. nam ibi solùm dicit, tempus, motumque se mutuò metiri.

PROBATVR tertiò à S. Doct. 2. *d.* 2. *p.* 1. *ar.* 2. *q.* 1. *ad* 3. Id, quod est priùs, & causa, differt à posteriori, & effectu. Sed à priori, & posteriori in motu, causatur prius, & posterius in tempore: ergo. 43

OBIICIES primò, quæ sunt re distincta, possunt separari, at tempus nequit à motu separari: ergo.

RESPONDEO, tempus esse modum, veluti motus, & ens minutum; non rem a re absolutè distinctam, qualis exigitur, vt stet per se.

OBIICIES secundò. Tempus est numerus motus, idest partes ipsæ motus numeratæ, quatenùs durant; atque adeò est motus ipse. 44

RESPONDEO, sensum esse. Tempus est passio motus, reddens ipsum numerabilem, seu mensurabilem.

OBIICIES tertiò. Si Tempus est mensura motus, erit eo notius. Hoc est falsum: ergo.

RESPONDEO, motum successione, esse notiorem tempore; at hoc notius est duratione.

SERAPHICVS *lib.* 2. *Theol. verit. c.* 10. quædam lepida, atque salubria intexit, *tract. de Temp.* quod est mensura motuum, ac proinde rerum mutabilium, mutabilitatem autem ostendit in temporum mutationibus. Sic Veri succedit Æstas; huic Autumnus; huic Hyems; in quibus modò pacem; modò bella; nunc tranquillam degimus vitam; mox tempestatibus obnoxiam.

BONA, quæ maximè amplectimur, præcipuè Sapientiam, & potentiam, non casu in Oriente exorta, & ad Occidentem postea deducta meditatur, vt portenderent, omnia ad occasum tendere. Nam sapientiæ studium cœpit in Ægypto: Posteà in Græcia: Inde in Italia: mox in Gallia, & Anglia. Similiter imperia: primò in Oriente apud Assyrios; mox apud Persas, & Medos: deinde apud Græcos; posteà apud Romanos; nunc sedes in Germania posita est. Ne mirere (ait Sanctus Bonauentura) vapori hæc à Diuo Iacobo, assimilari: *capite* 4. ab Isaia *capite* 36. somno; & 2. *Reg.* 14. arundini. 45

SVPPVTATIONEM ætatum adiungit; Prima ab Adam, vsque ad Noë, habens, iuxta Hebræos, annos 1656. quo anno fuit diluuium, vt notat Bucell. At iuxta LXX. habens annos 2242. Secunda à Noë ad Abraham, habens, secundùm Hebræos, annos 292. sed iuxta Bucell. 317. nam Abraham ortus est, anno 1979. Hæc ætas, iuxta LXX. continet annos 1072. Tertia est ab Abraham, vsque ad Dauid, habens, iuxta Hebræorum calculationem, annos 972. Sed Bucellenius vno anno differt, ponens Dauidis natalia, anno à creatione mundi 2950. At, iuxta LXX. hæc ætas fuit annorum 1130. Quarta ætas est à Dauid ad transmigrationem Babylonis, habens annos, iuxta Hebr. 473. deducta ad annum a creatione 3423. sed Bucel. transmigrationem ponit, anno 3428. Secundũ LXX, hæc ætas continet ann. 485. 46

Quinta ætas à tranſmigratione ad Chriſtum, annos continet, iuxta Hebræos, 585. atque adeò Incarnatio fuiſſet anno à creatione 4008. quo anno *Iulij anni* incępere. Porrò Incarnatio, iuxta Bucellenium, fuit anno 4052. & iuxta Romanum Martyrologium, 5198. & anno 5199. in quo omnium votis ſuſcepta eſt Natiuitas Redemptoris. Hæc ætas, iuxta LXX. continet annos 578. & ita à creatione ad Chriſtum ſtatuunt annos 5508. Eos Græci ſequuntur. Euſebius autem, & Oroſius 5198. iuxta Martyrologium, quos Latini ferè omnes ſequuntur, vt S. Doct. aduertit.

Ætates hominis ſic partitur. Infantia vſque ad annum ſeptimum. Pueritia ad 14. Adoleſcentia ad 28. Iuuentus ad 49. Senectus ad 78. Decrepitas ad finem.



DISPVTATIO XV.

De Motv Locali.



QVÆSTIO I.

An Motvs Localis *ſit omnium primus, & præſtantiſſimus.*

Iam de ſingulis motibus tractatus incumbit. Horvm præſtantiſſimum hunc acclamat D. Bonau. *in 2. d. 1. p. 1. art. 1. q. 2. ad 1.* cum Ariſt. 8. *phyſicorum,* vbi D. Thom. *ad cap.* 8. & cæteri Interpretes.

47 Ratio D. Bonauent. eſt, quam plurimi facit Zanardus, 8. *Phyſicorum, q. 14. ad 1.* cum D. T. 1. *Cæli, lect.* 4. Latio enim eſt entis completi; neque ſemper mobile aliquid ſibi acquirendum enititur, ſicuti aliis mobilibus, quippè imperfectis, euenit. Confirmatur à D. Bonauent. *in 1. d. 37. p. 2. art. 2. q. 1.* quia motus localis, cùm non ob mobilis indigentiam ſæpè fiat; ex perfectione naturæ perpetuò ad finem operantis, bonum intendit, atque obtinet vniuerſi, vt in motibus Cœlorum experimur.

Hinc etiam arguit Seraphicus Doctor. Omne perfectiùs eſt prius, motus localis eſt prior, à quo cæteri pendent, atque adeò primò à Creatore datus, iſque indefectibilis: Ergo. Maior aſſeritur ab Ariſtotele 8. *phyſicorum, text.* 85. Vide Piccolomineum *de motu, cap.* 20. Galitium, *p. 1. phil. l. 3. tract. 2. quæſt.* 1.

48 Si tamen ſubſtantialiter motus conferantur, Generatio eſt præſtantiſſima, quæ terminat ad eſſe ſimpliciter ſubſtantiale.

Dices, nonnè prior eſt alteratio, quæ eſt diſpoſitio?

Dico, eam præcedere quidem, ſed in ſubiecto corrumpendo; at in genito, prima eſt ſubſtantia, ſecum ducens ſequentes qualitates emanantes.

Latio igitur eſt generatione accidentaliter præſtantior, ratione ſubiecti mobilis, perpetuitatiſque influentiæ; at generatio, ratione termini ſpecificantis, præcellit; vt monet Bannes *de gener. quæſt.* 1. cum S. Doct. ſuprà

QVÆSTIO II.

Quotuplex ſit Motvs Localis, *ſeu Latio.*

Seraphicvs *ſerm. 4. de Luminar.* cum A i?. 8. *Phyſic. text.* 64. tres motus locales aſſignat. Simplicem, ſeu rectum. Circvlarem, & Mixtvm. ſic & Zanard. 8. *Phyſicorum, in dubiis poſt quæſt.* 14. P. Galitius, *quæſt.* 3. 49

Motvs ſimplex eſt, qui recta graditur linea (breuiſſima vocata à Geometris,) quippè quæ via breuiſſima a termino ad terminum it: Hic vel eſt ſurſum, ideſt, à centro, ſeu medio, vel deorsùm ad medium centrum in elementis. Circularis fit circa medium, ſeu centrum. Mixtus eſt, qui partim rectâ lineâ, partim curuâ tendit, vt notat etiam Titelm. *de Cælo, cap.* 1.

Porrò circularis ponitur ſimplex ab Ariſtotele 1. *Cœli, text.* 6. & 7. Ita vno ſub genere ponitur cum recto: nam & magnitudo omnis, ſuper quam fit motus, alia eſt ſimplex, alia mixta: ſimplex, alia recta; alia circularis: vt docet Ariſt. *t.* 5. Nota *hîc*, Ariſtotelem diuidere, ſeu potiùs dinumerare motus, non quidem omnes, ſed qui ad vniuerſi conſtitutionem conducunt. Hic finis altâ meditatione obſeruetur, ob ea, quæ dicenda ſunt *tractat. 6. d. 2. quæſt.* 7. vbi latiùs oſtendam, motum Cœlorum eſſe ſimplicem; & non habere contrarietatem, &c. 50

Aristoteles 7. *phyſic. ſum. 3. c. 1.* alias lationis ſpecies aſſignat, Pvlsionem, Tractionem, Vectionem, & Vertiginem. Ad has, omnes motus locales reuocat. Vide D. T. & alios Interpretes. 51

Pvlsio eſt duplex: altera, quâ pellens, rem pulſam non abiicit. Sic Angeli mouent Cœlum, & greſſilia ſe pedibus impellendo mouent; & volatilia alis: vt ait S. Doct. *2. d. 15. dub. 1. litt.* Altera, quà pulſa res abiicitur, ſeu proiicitur, qualis eſt lapidis è manu, vel funda, quod abſque organo virtute motrice poſſe ab Angelo fieri, docet S. D. *2. d. 1. art. 1. q. 2. ad vlt.* moraliter verò expelli tentationem, vitium, &c. ſæpè refricat S. Doct. cum aliis.

Tractio eſt duplex: vel ad ſe, vt cum Magnes ferrum, Sol attrahit vapores; vel animal reptans anteriùs aliquam partem protendens, trahit corporis poſteriora, vt ſerpentes. De hoc egregiè S. D. *loc. cit.* Altera eſt tractio ad aliud, vt ſerpentis ad partes anteriores. Tractiones verò ad malum, & ad bonum, has eſſe à Deo; illas à dæmone; ambas ab homine, non temerata libertate, miris modis proſequitur S. Doct. *ſerm. fer. 4. Pent.* & ad 6. *Ioannis* in ea verba: *Nemo venit ad me, niſi Pater traxerit eum,* & ad 14. *Luc.* ad id: *Compelle, &c.* Vectio eſt ad alterius motum ferri, vt in rheda, ſede volante, naui &c. vertigo eſt motus circularis, quo vertitur Cœlum, vel rota figuli, vt dixi *q. vl. d. præc.* Addunt alium motum concuſſionis, quo quatitur corpus, putà planta, &c. Ex his, alij ſunt naturales; alij violenti. Vide Amicum *tract. 23. Phyſ. q. 8. d. 2.* 52

Distingvitvr etiam motus directus, & reflexus, ſeu reuertens per eandem lineam ad terminum *à quo.* De his Ariſt. 8. *Phyſ. text.* 64. 53

Qvinqve ſunt termini generales motuum localium, conſtituentium naturam vniuerſi, nempè quatuor loca elementorum, ſurſum ſimpliciter ignis; ſecun

secundùm quid aëris: deorsum simpliciter terræ; secundùm quid aquæ; & circularis motùs terminus, complens Cœlorum gyrum, qui est Oriens.

54 DATVR motus etiam ante, & retrò, dextrorsùm, sinistrorsùm, sed hi non sunt motus corporum simplicium, quæ sunt partes mundi, (de hoc enim agit Arist.) Vnde ne mirere illos hic omissos, vt monet D.T. 1.*Cœli, sect.* 4. Nec sunt motus, ad quos natura determinatè inclinet, de quibus Arist. text. 7. *Simplicia* (ait) *dico quæcumque motus principium habent secundùm naturam.*

ADDE cum D. Bonauentura, 2. *distinct.* 14. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3. motus ad dextram, & sinistram esse potius in loco, quàm ad locum: nam etsi locales sint, fiunt intra propriam sphœram.

55 MOTVS à medio, & ad medium, contrarios ostendam, *tractatu 6. disputatione 2. quæstione 7. dub.* 2.

NOTA, diuersitatem motuum simplicium peti è diuersitate terminorum, ad quos determinatè inclinant; vt monet Seraphicus Doct. 2. *distin.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. talis inest grauibus ad medium; leuibus à medio, hæc etiam naturali quodam modo in suis sphœris gerant.

MIXTA inanimata à prædominante mouentur elemento, vt monet D. Bonauent *in* 1. *d.* 15. *p.* 1. *articulo* 1. *quæstione* 3. *ad penult.* & dicam *d.* 16. *quæst.* 4. Animata verò mouentur liberè, vel spontaneè ab animabus.

QVÆSTIO III.

Qui sit TERMINVS LATIONIS.

56 PRIMA opinio est, terminum per se motus localis esse LOCVM: at VBI, & SITVM esse terminum per accidens. Ita Soto 5. *Physicorum, quæstione* 2. nec renuit Capreol. 2. *distinctione 6. quæst.* 1.

SECVNDA sententia est, terminum intrinsecum esse VBI; LOCVM verò esse extrinsecum. Ita Simplic. & Boët. apud Venetum. 4. *Physicorum, text.* 39. qui *text.* 40. subscribit Capr. *loc. citato*, Ægid. 5. *Physicorum, lect.* 4. & *lib.* 6. *part.* 1. Canon. *quæst.* 6. Suar. *d.* 51. *met. sect.* 1. Vasquez, *tom.* 2. *d.* 188. *num.* 28.

TERTIA opinio est, motum localem, nullum habere terminum intrinsecum realem; sed terminum esse coëxistentiam mobilis ad spatium, siue reale, siue imaginarium, quam aiunt esse relationem rationis. Ità Ocham *quodl.* 1. *quæst.* 6. Gabr. 2. *d.* 2. *quæst.* 3. Greg. *d.* 6. *q.* 1. Durand. *d.* 5. *q.* 3. Saxon. 3. *physicorum, quæst.* 6. & Greg. *quæstione* 2. *d. vltim.* Fonseca, *lib.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 3. *sect.* 6.

57 QVARTA opinio est Amici *Tract.* 23. *quæst.* 7. *disp.* 5. *art.* 3. LOCVM esse terminum, primò intentum: at VBI esse id, quod mobili est intrinsecum.

QVINTA opinio est, terminum motus localis esse vnum, eundemque, nempè VBI, & LOCVM; quia superficies non est locus, vt materialiter superficies, dicens dimensiones illas; sed prout dicit habitudinem ad locatum. Sic Perer. *lib.* 11. *c.* 7. adducens Auer. 5. *Met. com.* 18. Ruu. *de nat. loci, q.* 2. dicens, locum duo includere: alterum pro materiali, & est superficies; alterum pro formali, & est continentia loci, includens præsentiam ipsius locati, & distantiam à partibus mundi fixis. Vasq. *text.* 2. *dispnt.* 193. *c.* 3. Galit. *p.* 1. *lib.* 4. *tract.* 4. *q.* 3. volens, locum ad *Vbi* reduci, tanquam ad vnicum terminum: Allegat Seraphicum 2. *d.* 2. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. Idem, vt reor, accinit *art.* 1. *q.* 1. sed non clarè. Etenim, *in* 4. *d.* 48. *art.* 2. *q.* 2. docet, dari VBI intrinsecum, & LOCVM extrinsecum. Ideò in prællegatis videtur vnum terminum adæquatum, ex vtroque constituere.

NOTANDVM autem; cùm naturam loci è motu locali deducat Arist. illud fore verum terminum, qui in fine lationis per se acquiritur; acquiritur autem superficies, non vt sic: quia hæc spectat ad prædicamentum QVANTITATIS; sed ratione talis modi, quem mobile acquirit intrinsecè per se: at hôc est *Vbi*: nam potest fieri motus localis in Vacuo, & tunc non acquiretur superficies ambiens, sed modus nouus *Vbi*. En igitur hic est terminus per se, qui semper acquiritur; situs verò consequitur loci adeptionem, & VBI. 58

HINC assero, duos terminos latione acquiri, alterum materialem, idest LOCVM; alterum per se formalem, idest VBI.

PROBATVR, quia videmus, vtrumque acquiri, sed locum posse non acquiri. Quærunt aliqui: An motus localis fieri queat in instanti? 59

DE hoc actum *tract.* 4. *d.* 10. *q.* 4. Asserunt Suar. *T.* 2. 3. *p. de corpore Christi.* Arriag. *d.* 34. *Hexaëmer. de corpore Adæ.* Sequitur Rabesanus 6. *Phys. d.* 2. *q.* 1. resolutè asserens, probansque ità factum in compositione corporis Christi, in vero intemerato B. Virg. & ita faciendum in cadauerum redintegratione ad resurrectionem. Sed vtrumque falsum, vt ostendam 3. *p. Tract.* 1. *d.* 29. *q.* 3. *& d. vlt.*

QVÆRES secundò: An motus localis sit in mobili.

ASSERO, est enim actus mobilis, vt docent communiter cum Aristot. Ita Tol. 3. *phys. q.* 3. Colleg. *ibi, cap.* 3. *q.* 2. *art.* 2. Ruu. *tract.* 1. *de motu, q.* 5. Est enim actus existentis in potentia. Vide Galit. *part.* 1. *lib.* 3. *tract.* 2. *q.* 7. Id probat Seraph. Doct. *in* 4. *d.* 49. *p.* 2. *art.* 4. *q.* 1. *arg.* 4. *ad oppos. cum solut.* ex allegato Arist. dicto 3. *Phys. text.* 3. Cùm enim motus sit ENDELECHIA entis in potentia, supponit in subiecto simul imperfectionem, cùm tendentia ad perfectionem; atque adeò motum in illo admittit.

DISPVTATIO XVI.

De MOBILI.

QVÆSTIO I.

An idem MOBILE *contrariis motibus agi queat.*

IAM de subiecto motus localis agendum. 60

ASSERO primò, non posse idem per se motibus localibus simul agi contrariis.

PROBATVR à D. Bonau. relato *disp.* 11. *q.* 3. nam terminus *à quo* vnius ex his, est terminus *ad quem* motus oppositi. Non potest autem idem simul esse in vtroque.

Assero secundò, posse idem per accidens, oppositis cieri lationibus. Sic enim formica contra rotæ cursum reptat; & nauta ad pu pim & contra nauis cursum.

Addo tertiò, idem posse contrariis alterationibus agi. Sic lignum ab igne applicito calefit, & ab aqua in eadem parte frigesit in gradibus remissis.

Probatvr. Ideò repugnare dici quis posset, quia formæ oppositæ repugnant; at in gradu remisso simul stant: Ergo. Minor claret in aqua tepida.

Dices non esse par: quia in motu debet pelli forma contraria; non in statu. Enim verò hoc nil facit; pelluntur enim gradus intensi.

Cæterum in gradu remisso conseruantur; cur neges etiam produci posse?

Privativis tamen cieri motibus, putà videre, & non videre; implicat.

QVÆSTIO II.

An Indivisibile *moueatur.*

61 Notat Amicus, ex D.Bonau. *in* 1. *d* 37. *p*.2. *q*.1.2.*&* 3. & *in* 2. *d*. 2. *part*. 2. *art*. 2. passim; duplex esse indiuisibile, alterum formaliter quidem indiuisibile; sed virtute diuiduum: Tales sunt Angelus, & anima nostra. Alterum quantitatiuum nullà ad extensionem virtute præditum. Tale est punctum. De substantiis, virtute diuiduis, alibi actum est. De Angelo *Tract*.4. *d*.9. *q*. 1. & *d*. 10. *q*.1.*&* 2. De anima agam *tract*.9. *d*.1. *quæst*.5.

Indivisibile quantitatis dupliciter consideratur, primò, vt in continuo; de quo egi *d*.8. *q*. 4. & sic non negabis, moueri ad motum continui, & ait Aristoteles, *text*.86. Secundò separatum; vt nudum punctum, si dantur; & de hoc puncto, *hic* decertatur.

Censent plurimi, tale punctum posse latione agi: Ita Scotus *in* 2. *d*.2. *q*.9. vbi Lichetus, Tartaretus, & alij subtiles, Casimirus *q*.11. Tol. 6. *physf*. *q*.1. *ad* 4. Iauell. *q*.8. Georg. *q*. *vlt*. *d*.2. Valesf. *controu*.58. Can. *q*.1. *art*.2. Vasq. *t*.2. *d*.195. *c*.5. Mastrius, & Bellutus *d*.15. *q*.8. *art*. 1. alios referentes sui Scoti asseclas.

62 Reclamant verò D.Bonau. *in* 1. *d*.37. *p*.2. *art*.2. *q*.2. *ad* 2. cum Aristotele, 6. *physf* *c*.2. Auerroe *comm*.86.*&* *seq*. *textuum*, D.T. *ibi*, *lect*.12. & alij Peripat. Capr. 2. *d*.2. *q*.1. *lib*. 3. Ruuius, *q*. *vn*. Perer. *lib*. 14. *c*.7. Colleg. 6. *physic*. *c*. 10. *q*.1. *art*. 2. Piccolom *lib*. *de affect*. *c*.11. Tol. *de Gener*. *q*.16. Bannes *ibi lem*, *q*.4. *c*.3. Masius 6. *physf*. *sect*.2. *q*.6. Bruxell. *q*.5. Amic. *tract*.25. *physf*. *q*.10. *art*.4. vbi supernaturaliter moueri posse concedit cum aliis; Galit *p*.1. *l*.3. *tract*.3. *q*.2. Faber, *Theor*.51. Scotum citans; Rocchus, 6. *physic*. *q*.4. Liuius Rabesan. 5. *Physic*. *quæst*. 6.

Mvlti adducunt D.T. *p*.1 *q*.53. *art*.1. & *in* 1. *d*.37. *q*.4. *art*.1. *&* 3. *p*. *q*.76. *art*.6. At *p*. 1. negat solùm posse moueri continuè sed videtur concedere ei motum discretũ à puncto ad aliud in instanti.

63 Assero, punctum moueri non posse per se.

Probatvr primo ab Amico *art*.4. quia nequit dari præcisum; nec habet virtutem motricem.

At dari posset diuinâ virtute seiunctum, vt fatetur Amic cum D Bonau. *in* 4. *d*.12. *p*.1. *art*.2. *q*. 3 *arg*.1. *ad opposit*. quod non reprobat, & tunc disputatur: an ab aliquo moueri posset; esto ipsum à se mouere non valeret.

Probatvr primò à S.Doct. moueatur punctum super magnitudinem A,B,C,D, & ita ex A, in B, in C, sit Tempus, in quo fit mutatio. Iam arguo. Quo tempore aliquid mutatur, necesse est aut totum esse in termino *à quo*, A. aut in termino *ad quem*, D. aut partim in vno, partim in altero. Et quidem in vtroque termino esse nequit; alioqui esset diuisibile in partes; neque erit in termino *ad quem*: quia non moueretur ampliùs, sed quiesceret in D. Neque esset in termino *à quo*: nam dum mutatur, adhuc non mutaretur; sed quiesceret in A. Hæc ratio est Aristotelis sanè valida, vt aiunt Pallauicinus *in text*. & Rocchus *loc. cit*.

Idem argumentum fiet in mutatione de forma in formam, per accrementum, & diminutionem, vel per alterationem, aut per contradictionem de non esse, ad esse per generationem, vt monet *ibi* Philosophus.

Respondent aduersi; sicut diuisibilitas partium motûs potest oriri vel ex parte subiecti, vel ex parte spatij; ita mobile dupliciter potest esse, partim in termino *à quo*, partim in termino *ad quem*, vel partialitate mobilis, vel partialitate spatij. Punctum igitur, dum mouetur, sicuti non habet successionem subiectiuam; ita non habet existentiam partialem ex parte subiecti; sed vt habet successionem termini; ita habet partialitatem ex parte spatij, & termini. Dum igitur punctum mouetur, partim est in negatione primi spatij; partim est in parte illius spatij, quod incipit acquirere, sed quia spatium illud non est terminus intrinsecus, sed extrinsecus motui; & terminus intrinsecus est *vbi*, indiuisibile ob subiecti indiuisibilitatem; non potest partem illius termini retinere; & partem amittere. Ideò Recentiores aliqui putant, intelligi solùm de termino extrinseco, idest spatio. Itaq; punctum est prædicto modo, partim, &c. Ita Zumel. *p*.1. *q*.53. *art*.1. *q*.3. Amic. *num*.14. vbi monet, has duas diuisibilitates malè à Ruuio confundi. Id in motu locali Angelorum ostendere nituntur, qui cùm indiuisibiles sint, tamen ratione spatij, nunc terminant ad hanc partem spatij; nunc ad aliam sequentem, recedentes à termino *à quo*. 64 65

Hanc responsionem eruerunt è D.Bonau. *p*.*d*. 37. *p*. 2. *quæst*. *vlt*. *ad* 3.

Eam verò S. Doct. redarguit sic, opinionem referendo, exemplum non est ad rem; quia Angelus est virtute extensibilis, atque adeò potens spatium diuisibile apprehendere: at punctum quantitatis est semper in indiuisibili; atque adeò nusquam partem aliquam diuisibilem percurrit: quia semper tangit indiuisibile, quod additum indiuisibili, semper facit indiuisibile: non spatium.

Instant. Trahatur sphœra super planum, semper mouetur punctum, in quo tangit ipsum planũ. Sic Mayro *in* 2. *d*.2. *q*.12. Poncius, *d*.18. *q* 4. 66

Hoc exemplo probat S. Doct. indiuisibile actu in continuo, vt vidi *d*.8. *q*.4. At nobis *hic* non obest; quia tracta sphœra mouet punctum per accidens, quatenùs est in sua magnitudine; sicut nauis trahit nautam; neque contactus est continuè in puncto, sed in lineæ particula. Quare punctum sphœræ tangit in motu lineam inadæquatè, ne velimus spatium ex indiuisibilibus componere, quod reprobaui *d*.8. *quæst*.3. Itaque non est simile cum motu puncti annisi, vt putat Scot. & Amic.

Instat Amicus, imò sphœram potiùs moueri per accidens ad motum puncti: nam pono virtutem primò applicari puncto, & per hoc moueri totam sphæram; sanè priùs mouebitur punctum. 67

Sic

Sic & perspectiui dicunt, radium incidentiæ resilire à puncto contactus. Vrget Ponc. quia, cùm punctum toti plano coëxistat successiuè, eadem absurda ex motu hoc sequentur; si sit sphœræ coniunctum; sicuti si ab eâ diuulsum.

Hæc tamen inania sunt, si intra fines naturæ stemus: nam virtus, corpus impellens, extensa est, quippè corporea, atque adeò applicanda mobili proportionatè extenso: quale non est punctum. Itaque hoc nequit impressionem mouentis primò recipere, neque punctum impellere corpus; vt fatetur Amic. *art.* 4. *n.* 10. Si dicas mouendum ab Angelo, hoc refellam in calce: Neque dicas, punctum acquirere spatium, quia semper tanget in puncto; nec vnquam spatij particulam transibit, etiamsi infinita puncta permeet, diuerso sanè modo, dum in sphœra, permeat virtute diuisibili lineas.

68 Probatvr secundò à D. Bonau. alio Aristot. argumento, quod è doctrina præcedenti sequitur. Punctum motum, semper tangit indiuisibile, & totum spatium continuè percurrit per vos: Ergo totum spatium componitur è punctis. Prior pars antecedentis probatur: nam mobile priùs tangit, sibi æquale, quàm maius; nec ad maius valet peruenire; nisi per æquale: nam priùs tangit partem sibi proximam, quàm distantiorem, ratione cuius, spatium est maius: Confirmatur à Collegio. Moueri per se, & ratione sui; super aliquam magnitudinem, est per se, & ratione sui adæquari, & commensurari successiuè partibus spatij. Sed punctum non habet hoc; vt ostendi: Ergo. Confirmatur secundò: quia motus, tempus, & magnitudo sunt proportionata. Sed diuisibile est Tempus, atque magnitudo est diuisibilis: Ergo & mobile debet esse diuisibile; & sicut continuitas temporis est ex continuitate motus; ita continuitas motus è continuitate magnitudinis, & mobilis.

69 Hoc argumentum vexat Scotum, qui *in* 2. *d.* 2. *quæst.* 2. probat efficacissimè (si Fabro credas,) non esse vnum Nvnc in tempore; alioqui tempus componeretur ex indiuisibilibus; ac proinde non flueret, quia impartibile nequit moueri. Id obseruat Galitius.

Vrgeo punctum percurrens lineam tangit singula puncta, nisi velis de puncto transilire ad punctum. At in linea sunt infinita puncta: Ergo nunquam ad finem perueniet; quia infinitum est impertransibile; & si tangat, siue finita, siue infinita, nullam excurret magnitudinem, quia indiuisibilia non extenduntur, vt probaui *disput.* 8. *q.* 3.

Respondent Saxonia *p.* 2. Amicus. *n.* 15. mobile, dum stat, esse in spatio sibi æquali: at dum mouetur, esse in spatio se maiori, & ita mobile palmare, vna hora stadium complet.

70 Contra: quia mobile, in motu, quantum acquirit, tantum deserit: nil enim de termino *ad quem* adit, quin, de termino *à quo* tantundem recedens deserat.

Respondet Amicus, mobile, consideratum in vltimo non esse motùs, plus acquirere, quàm perdat: nam perdit spatium æquale, & acquirit maius; in continuatione verò motus, adhuc retinere aliquam maioritatem spatij acquisitam.

Hæc sunt chimærica: nam in vltimo non esse motus, mobile est adhuc in quiete; atque adeò coæquatur spatio, in quo est. In cursu verò, & si magis procedat vlteriùs, tamen est semper in æquali: nam profectò tantùm amittit de spatio retrò, quantùm acquirit antrosum.

Respondet secundò, mobile dupliciter accipi. Primò in instantibus temporis mensurantis motum, & sic in spatio sibi æquato. Secundò, dum est in tempore motum mensurante, & sic non est in spatio sibi æquato; sed maiore; nam dum mouetur, acquirit aliquid maius se. Vnde nil mirum, mobile motu continuo moueri: quia, licet hoc fieri nequeat, quando & mobile, & transitus sunt indiuisibilia; at non sic, quando ttransitus est diuisibilis.

Contra arguit S.D. Quando & mobile, & transitus sunt indiuisibilia, nequit indiuisibile moueri successiuè per vos. Iam res ita se habet in casu nostro: nam spatium calcatum à punctis, est solùm punctorum; & vanum est dicere, in motu acquirere spatium extensum, & in eo mensurari. Quo fit, vt spatium, puncto percalcatum, debeat ex indiuisibilibus componi: At indiuisibilia addita millionibus indiuisibilium nunquam faciat diuisibile. 71

Probatvr tertiò. Omnis motus localis est in tempore, quod potest esse minus per diuisionem: ergo in minori tempore minus percurret spatium: Ergo minus indiuisibili.

Respondebvnt, futurum minorem motum, minoritate spatij, non subiecti.

At cùm spatium debeat esse proportionatum mobili indiuisibili, vt suprà, erit verum de vtroque.

Hæc tamen non prohibent Dei potentiâ id fieri posse, si punctum auellatur à continuo, quod arduum est, vt dixi *disp.* 8. *quæst.* 4. 72

Argvmenta Scoti probant ad summum, fore motum discretum; vt dicebat etiam D. T. Sed neque hic esse potest, quia nulla est virtus interior naturæ puncti ad motum, quia id conuenit naturæ, quæ est substantia. Neque datur agens extrinsecum, potens mouere punctum, nisi putes, esse Angelum, qui tamen cogetur indiuisibile, per indiuisibilia, successiuè pertrahere, vt dixi. Neque enim Angelus valet moueri localiter discretè, non transeundo per medium: vt ostendi *tract.* 4. *d.* 10. *quæstione* 5. Ita cogetur punctum trahere successiuè, per puncta quod reprobaui. Quare non ritè Poncius, ex motu puncti in sphœra, infert posse separatum moueri.

Dices; non minùs valet Angelus; quàm globus: at hic mouet punctum per planum: ergo.

Dico, non esse par; quia globus trahit per accidens ad sui lationem: at Angelus teneretur agere, vt punctum per se moueretur successiuè.

QVÆSTIO III.

An Elementa *moueantur à se.*

Celebris opinio fert, grauia, & leuia moueri à generante, ad sua loca. Ita D.T. *p.* 1 *q.* 18. *art.* 1. vbi Caiet. *&* *in* 2. *d.* 9. *q.* 1. vbi Capr. *&* 1. *cont. G. c.* 47. Ferrar. ibidem eum sequuntur discipuli præcipuè Iauel. *tract.* 2. *ad* 3. *Cæli*, *c.* 2. Zanard. 8. *phys. q.* 2. At in explicando Angelico discrepant: nam Capr. & Ferrar. quos sequitur Suar. *d.* 18. *met. sect.* 7. sic aiunt sentire: grauia, & leuia moueri à generante, tanquam à principio, Qvod, principaliter; à forma, vt à principio Qvo remoto, quatenus est leuitatis, & grauitatis origo; à grauitate verò, & leuitate, tanquam instrumentis. Addit Zanardus, horum motum esse à generante virtualiter, manente in genito, potest enim iam esse corruptum. Collegium 8. *Physicorum*, *capite*

te 4. *quæst.* 1. ait, mouere à generante principaliter; à forma instrumentaliter; à grauitate, & leuitate, vt instrumentis, adhuc minus præcipuis.

73 CAIETANVS, quem imitatur Ruuius, 8. *physicorum, c.* 2. *quæst.* 2. ait, locum motus esse à generante attributiuè, quatenus dat formam, secundum quam ad sua loca tendunt. Est D. Thom. *loc. cit. p.* 1. *ad* 2. Subscribit Amicus *tract.* 8. *physic. quæst.* 11. *d.* 3. sic explicans etiam Aristotelem, 8. *physicorum*; *text.* 17. 29. & 32.

BACCON *in* 3. *d.* 22. *quæst.* 1. *art.* 5. hunc, ait, sensum esse D. Thom. grauia, & leuia, cum primò genita, mouentur ad loca, moueri à generante; postmodum verò à forma.

CÆTERVM cum D. Thom. stant Ægid. 2. *distinctione* 19. *art.* 4. *quæstione* 1. Durandus, 4. *distinctione* 49. *quæst.* 8. Fonseca 5. *Metaph. c.* 4. *quæstione* 2. *sectione* 7. Toletus 2. *physicorum, q.* 2. & alij.

74 SECVNDA sententia est, Elementa moueri à propriis formis. Ita Scotus *in* 2. *distinct.* 2. *quæstione* 10. cum Discipulis, præcipuè Fabro Fauent. *Theor.* 61. Mastrio *d.* 3. *q.* 2. vbi probabiliter credit, moueri immediatè à grauitate, & leuitate. Tost. *ad c.* 22. *Matth. quæst.* 224. & *ad c.* 17. *quæst.* 126. Ioan. Gandau. *lib.* 2. *de Cœlo, quæst.* 17. Richard. 2. *d.* 14. *art.* 3. *quæst.* 4. Gregor. *d.* 6. *q.* 1. *art.* 1. Baccon. *loc. cit.* Hurtad. *d.* 9. *Physic. sect.* 3. Zabar. *de motu grau. cap.* 13. Titelm. *lib.* 1. *rerum natur. cap.* 2. Piccolom. *lib.* 2. *de elem. cap.* 19. Rocchus 8. *Physicorum, quæst.* 5. Fuliensis *lib.* 2. *de elem. cap.* 3. *art.* 6. Iuuet. 4. *Physicorum, tractatu* 5. *cap.* 1.

HANC sententiam ita sequitur Galitius *part.* 1. *Phil. lib.* 3. *quæstione* 4. motum horum esse à generante efficienter, quatenus dedit formam, quæ est principium motus intrinsecum; moueri autem à propria forma immediatè, instrumentis grauitatis, vel leuitatis. Id ipsum sensit D. Thom. *quæst.* 22. *art.* 1. *de voluntate Dei*, Farnes. *lib.* 2. *cap.* 22. *assertionum,* Fuliens. *loc. cit.*

QVOAD D. Bonauent. Is *in* 1. *d.* 37. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *arg.* 2. *opposit.* formam materialem, ait, mouere, sicut & animam; non ideò tamen perfectè. Id clariùs id docet *in* 2. *distinctione* 14. *p* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. & *d.* 38. *art. vlt. quæst.* 1. & aliis locis, vt infrà.

HVIVS sententiæ aliqui censent fuisse Auerroem: alij dicunt, ipsum sensisse, grauia, & leuia moueri à grauitate, vel leuitate, per accidens, remouendo obicem; putà aërem scindendo. Sed ab his alienum esse Auerroëm, clamat Zabarella. Hanc tamen opinionem defendunt Aureol. 2. *d.* 25. *quæstione* 1. *art.* 1. Peter. *lib.* 7. *c.* 16. & ferè Piccolom.

75 VIDEO ferè omnes in idem conuenire (his postremis detractis.) Vnum est distrahens Peripateticos, nimirum Aristotelis dictum, sæpiùs repetitum; *Moueri ab intrinseco, esse viuentium proprium.* Id docet, 8. *Physicorum, cap.* 4. *text.* 29. & 1. *de anima, cap.* 2. *tex.* 19. & *lib.* 2. *cap.* 2. *text.* 13. Id à Magistro Platone hausit *è lib.* 10. *de leg.* & *in Phædro.* Alterum etiam effatum vrget, quod refricat 8. *Physicorum, text.* 17. 29. 32. & *lib.* 5. *cap.* 2. *text.* 18. & *lib.* 2. *Cæli, cap.* 2. *text.* 9. & *lib. de motu animalium,* capite 3. *Grauia, & leuia non à se; sed à generante moueri.* His explicitis, facilè omnia elucidabo.

76 SCOTVS ita Aristotelem exponit, apud Fabrum, *capite* 3. in hoc, diuersa esse animalia, ab inanimatis: nam anima est primus motor animalis, mouens per cognitionem; sistit animal; & mouet quò libeat, ex fine apprehenso: at grauia, & leuia non mouent se, quia nequeunt se sistere, aut vagè mouere; sed mouentur ad vnum necessariò, determinatum in forma accepta à generante. De hoc *disputatione* 17. *quæstione* 1. Id subtiliùs declarat Seraphicus Doctor, *loco primo citato,* dicens, animam esse motorem magis sufficientem, quam sit forma animatorum: nam anima est forma perfectior, nec adeò materialis, seu alligata materiæ, quippè potens habere actus, aliquo modo eleuatos à materia, vt sunt sensationes externæ, & internæ, habensque aliquod dominium super corpus; proprias, ac specificè perfectiores habet super corpus actiones; ita, vt propriè magis dici queant suæ; neque enim forma animalis adeò egena producitur à generante, vel orphana relinquitur, vt statim egeat locum centri, vel sphæræ petere, ne pereat; sed eius potestati relinquitur multitudo operationum, vt paulatim vegetetur, augeatur, quærat opportunè cibos, potum, medicamina, antidota, asyla, societatem ad conuictum, ad generationes, absque indigentiâ extrinseci rectoris. Ideò Aristoteles, *libro de motu animalium*, comparat animal ciuitati, 77
quæ externo Principe, à quo regatur, non indiget, & hoc modo dicendi vtitur Seraphicus Doctor, dicens, esse motorem sufficientiorem, quàm sit forma ignis, aëris, &c. quibus generans cogitur omnia determinatè subministrare in instanti generationis; & quidquid ad naturalem operationem confert; vnde magis dependet à generante ignis; sicuti & forma ignis à materia; quàm animal à generante, aut anima à materia. Id ostendit Seraphicus Doctor ascendendo: nam & quò nobilior est anima, eò habet operationes magis independentes, non modò intellectionis; sed etiam motus localis liberas, quæ propriæ sunt tales formæ, & dicuntur à moralibus Humanæ; non indigentes generante, sed Deo tantùm, ipso se ei accommodante. Ascendit Seraphicus Doctor, & considerat, Intelligentias, quippè non 78
alligatas materiæ, seu mobili, sufficientiùs adhuc mouere, absque neruorum, &c. ministerio. Igitur à primo ad vltimum, quantò formæ, vel quicunque sint motores, sunt perfectiores, tantò habent perfectiores operationes, & motus: talia sunt animalia, respectu inanimatorum, &c. Id concisè, ex more, explicat Seraphicus Doctor: Ægyptiis mysteriorum thesauris ditior.

ASSERO primò, motum grauium, & leuium esse à forma propriâ. 69

PROBATVR primò à Scoto. Causa, & causatum actu, simul sunt, 2. *Physicorum, textu* 37. & 5. *Metaphysicorum, capite de causa.* Ratio est: quia nihil operatur, si non existit; operari enim, sequitur ad esse: at dum graue, aut leue mouetur, non existit sæpè ampliùs eorum genitor; potest enim ignis, qui genuit, esse extinctus: Ergo motus ille non est à generante.

NEQVE est à remouente prohibens: quia hoc nil præstat, amoto obice. Secundò, tale est mouens per accidens. Quærimus autem mouens per se. Tertiò, si ideò mouetur; quia amouet obicem: Ergo se primum mouet, vt medium amoueat.

NEQVE est à centro attrahente; quia destructâ terrâ, adhuc lapis è cælo caderet ad centrum: Neque potest esse ab vllo vbi, quia non est forma actiua,

actiua, cùm sit de genere quantitatis, quæ non est actiua; vel relatio extrinseca.

Neqve potest esse cælum, malè enim fugitur ad causas Vniuersales, spretis particularibus. Deinde influxus cæli est vniformis in medio. Cur ergo in vno mouet sursum; in alio deorsum?

Mvlto minùs ad rem solueres, dicens, esse à Deo. Debes enim & causam assignare naturalem; cùm sit effectus naturalis.

Neqve graue motu est causa sui motus, nil enim mouet se, maximè ad id, quod habet. Ergo motus grauis est ab aliquo ei intrinseco. Hoc est autem forma, vel grauitas.

80 Hoc argumentum spinarum sepem circumstruens, vt fugam præcludat, vndique aperit effugium.

Primò, Thomistæ non dicunt, motum grauium, & leuium esse à generante, nisi quatenùs dedit formam, à qua est motus. Naturam igitur eius dicunt principium motus, & quietis in eo, in quo est. Cætera etiam partialiter iuuant.

Removens prohibens, profectò confert motui; puta scindere aquam, lapidi ad centrum grauitanti. Aureolum, & Pererium hoc torquet.

Centrvm etiam attrahit, vt notat D. Bonau. *distinct.* 14. *loco citato ad* 2. ex Aristotele 4. *Physic. text.* 4. Hanc virtutem esse attractiuam ait Auer. 7. *Physic. text.* 10. & alij apud Amic. *tract.* 20. *Physic. quæst.* 1. *disput.* 7 Hæc autem in eo posita est, vt centrum sit bonum aptum conseruare saxum; atque adeò per modum finis attrahat; non efficienter, vt putat faber, nos allicere. Sanè in genere efficientis non traheret e quauis distantia, vt trahit graue; cui ideò indita est propensio ad bonum centrum.

81 Cælvm etiam, quippè causam vniuersalem, seu quintam substantiam quatuor elementis dominantem, influere (ait S. Doctor *loco citato*) certius est, vt omnes fatentur, influit autem diuersa pro subiectorum dispositione, vt videmus à Sole fieri.

Qvod verò tandem deducit, esse ab aliquo intrinseco, nempè formâ & grauitate atque leuitate, sic impugno argumentis Mastrij scotistæ, & eius Collegæ.

Cavsa in actu debet esse actu. Sed Hostiâ consecratâ deorsum cadente, non adest forma aliqua substantialis, præter corpus, & animam Christi, à quibus profectò non est casus. Ergo Maior est Scoti, & totum argumentum Mastrij.

Hoc tamen mihi friuolum est, quia in sanctissima Eucharistia ita sunt omnia à Christo contexta, vt naturaliter non possit agnosci, ibi deesse panem. Hinc & Quantitas exercet munia substantiæ. Ità igitur ibi relicta est grauitas, vt, si naturaliter eget coëfficientiâ formæ substantialis, ad mouendum, suppleatur miraculo, vt colligitur, è D. Bonauent. 4. *distinct.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *fundam.* 4.

82 Alio argumento mastrij vtor. Causa actu, debet esse actu, ex Scoto. Sed manente in vapore formâ aquæ, eleuatur sursum, solâ ablatâ grauitate. Ergo forma non est principium motus grauium; sed grauitas.

Hoc etiam argumentum me non premit, etsi Scotistas vexet; nam motus vaporis, est violenta attractio solaris virtutis, superantis virtutem aquæ dissoluendo & grauitatis instrumentum. De his motibus ab extrinseco non est quæstio, Vnde malè hoc medio vtitur ad probandum, motum grauium non esse à forma, contra Scotum, ineàntè vrgens.

Hinc frustrà alia condensat argumenta; vt probet grauia, & leuia moueri à propria formâ, sic. Cùm aqua in puluere arido cadit, mouetur in gyrum, se conglobando. Sic & ros super herbâ. Cùm baculus viridis, inferiori parte, in ignem mittitur, aqua sursum despumat. Flamma candelæ deorsum reflectitur, si frigidum ferrum offenderit sursum. 83

Hæc sanè, violento extrà cogente, fiunt. Neque nobis viam aperiunt ad motus naturales rectos grauium, & leuium, eorumque causam scrutandam.

Probatvr ergò à Scoto assertio secundò; Graue, cui alligatum est leue puta ænea pila, igne plena, trahit leue ad centrum. Ergo priùs mouetur in se, sed trahit grauitate. Ergo & ipsum graue, grauitate mouetur.

At dicent, argumentum petere principium, supponendo graue suâ formâ trahere ignem ad centrum: dicent enim trahere virtute generantis, quâ & graue ipsum agitur.

Probat tertiò, Graue, filo suspensum, rumpit filum, & descendit; frangit autem, vt descendat: sed grauitate frangit. Ergo eâdem descendit. 84

Sed dicent, vt suprà, frangere virtute generantis, non grauitate. Et hoc probandum erat, non supponendum, quia negatum est.

Probat quartò potest gigni aliquod graue; & aliud minùs graue; & grauius sanè velociùs tendet ad centrum. Ergo diformitas motuum est ab aliquo principio interno. Sed dicent, hæc ab inæquali gignentis virtute oriri. Malè autem supponi aliunde.

Probat quintò. Motus naturalis est in fine velocior. Arduum est autem id ab extrinseca causâ ostendere. 85

At dicent, eum oriri ex concitata medij agitatione crescente.

Probatvr ergo à D. Bonauent. meliùs *in* 2. *distinct.* 14. *loco citato*, Natura est principium motus, etiam actiuum, ex Aristotele 2. *Physic. text.* 3. & 1. *cæli, text.* 5. & 3. *Physic. text.* 7. & 8. *Physic. text.* 27. vt ostendi *disput.* 6. *quæst.* 3. At formæ etiam elementorum sunt natura: ergò. Minor ostensa est *disput.* 6. *quæst.* 1. *&* 2.

Probatvr secundò à S. Doctore *loco citato argumentis, & in corpore.* Natura non dat appetitum frustrà; sed dat naturalem virtutem ad fines naturales: nam dedit grauibus inclinationem ad centrum; & leuibus ad sphœram. Ergo dedit virtutem ad motum ad illa loca. Minor est Aristotelis 4. *cæli text.* 2. vbi ait Grauia, & Leuia habere incitamenta ad motum.

Probatvr tertiò à S. Doctore. Quantò aliquid est nobilius, tantò ad operandum validius; nam operari sequitur ad esse: sed natura dedit accidentibus operari ad motus. Ergo & formis substantialibus.

Probatvr quartò à S. Doctor. *argum.* 2. *&* *in corp.* forma, à qua emanant accidentia, quæ sunt instrumenta motus, est causa motus: nam quod est causa causæ, est etiam causa causati: sed à formâ substantiali manant instrumenta motus: ergo. Minor probatur nam à substantia oriuntur proprietates; vt sæpe docet Aristoteles. Inter has numerat grauitatem & leuitatem. Ideò 4. *cæli, text.* 25. docet, grauibus, & leuibus inesse princi- 86

pium actiui suorum motuum. Quid enim est grauitas, nisi qualitas, dans elemento pondus, quo descendat? Quid leuitas, nisi qualitas, dans elemento agilitatem sursum?

HINC assero secundò, grauitatem, & leuitatem esse instrumenta ad motum. Ità D. Bonauent. 2. *distinct.* 12. *quæst. vlt. fund.* 4. *& loco suprà citat.* Non nego tamen, hæc à generante habita; & ideò motum ei adscribi posse, vt principio remoto, danti esse, ad quod sequitur virtus operatiua.

87 OBIICIES primò. Ex illo axiomate. *Quidquid mouetur, ab alio mouetur*, venimus in notitiam primi Motoris; vt ostendam *disput. sequent. quæst.* 1. Ergò, si elementa à se mouentur, clauditur hæc via ad talem notitiam. Est primum fundam. D. Bonauent. *loco citato.*

RESPONDEO cum D. Bonauent. *argumentis* 1. *loco, & solut.* etiam animalia moueri immediatè à principio intrinseco, nec tamen obstrui semitam ad cognoscendum primum motorem, qui extrinsecè omnia mouens, immobilis stat; cætera verò mouentur. Sic elementares formæ mouentur, virtute generantis, & mouent, pro vt virtutem à primo accipiunt motore, qui cuique indidit virtutem ad necessaria obeunda naturalia; & sanè proportionatam, vt ostendit S. Bonauent. *quæstione præcedenti.*

OBIICIES secundò nullum continuum potest se ipsum mouere, *ex* 8. *Physic. text.* 28. Elementa sunt de genere continuorum: Ergo.

88 RESPONDEO ex D. Bonauent. *fund.* 3. *addito corpore quæst.* sicut animal mouet se; eo quòd ibi est id, quo mouit, & quod mouetur; ità & elementum mouet se non quatenus vnum continuum; sed quatenus habet principium actiuum, quod est forma; & passiuum, quod est materia. Verè quidem, quò principium actiuum est, à materia independens, seu distans, sufficientiùs mouet; vt notat *ad* 4. & dixi in *fundamento.* Hæc doctrina, itinere trito, habetur passim in seraphico Doctore.

OBIICIES tertiò. Non potest idem esse actu, & potentiâ, ex Aristotele 8. *Physic.* vt dicam, *disput. sequent. quæst.* 1. Sed quod mouet est actu; quod mouetur est potentiâ, respectu eiusdem. Ergo nil potest se ipsum mouere. Est fundamentum secundum D. Bonauent. *loco cit.*

RESPONDET Scotus, maiorem veram de agente vniuocè; nam produceret eandem sibi formam, secundùm quam actu agit; at agens æquiuocum agit vna forma, & ad aliam est in potentia.

89 RESPONDET Seraphicus Doctor meliùs *in resol.* non esse necesse, realiter diuisum esse mouens, & motum, sed diuersum esse principium. Igitur, sicut animal, secundùm vnam partem est mouens, & secundùm aliam motum; sic elementum, ratione formæ est actu; & ratione materiæ est in potentia; & tamen totum mouetur, sicuti & totum animal, cum discrimine suprà allato, in *fundamentis.*

QVÆSTIO IV.

An & quomodo ELEMENTO *prædominante, moueatur mixtum.*

MIXTA à prædominante moueri, concedunt D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 12. *quæst. vltim. argum.* 3. & *in resol.* Scotus *distinct.* 15. *quæst.* 1. Faber *Tom.* 62. Amicus *tract.* 20. *Physic. quæst.* 3. *disput.* 1. *num.* 20. Galit. *p.* 1. *Phil. lib.* 3. *tractat.* 3. *quæst.* 4. *numer.* 13. & cæteri cum Aristotele 1. *cæli, cap.* 1. Sed diserepant in ratione.

SCOTVS, qui elementa in mixto, virtute solùm admittit, censet, hunc motum esse à qualitate mixti, simili grauitati, vel leuitati. Sequuntur discipuli. Sed eos repellam *tractat.* 8. *distinct.* 1. *quæst.* 2.

AT qui elementa in mixto formaliter agnoscunt, quos secutus sum *loc. cit.* volunt, esse à qualitate, & forma elementi præualente; vt *dixi quæst.* 3. 90

PROBATVR ex Diu. Bonau. *loc. cit. & in corpore.* Quod naturaliter alicui conuenit, vbicunque sit, ei conuenit, nullo obsistente, etsi obsistit aliud, tantum impediet, quantum virtus excedit. Sed forma elementi cum grauitate mouet ad centrum; vel cum leuitate ad sphœram; ex intrinseca sua natura. Ergo idem præstabit etiam, cùm est in mixto, non satis impediente. Quod si aliqua ex parte impediat, ne recta feratur, adhuc erit principium illius, talis qualis motus; qui adhuc erit aliquo modo simplex, ne diuertat, ex Aristotele 1. *Cæli, textu* 6. & ostendam *tract.* 3. *distinct.* 2. *quæst.* 7.

QVÆSTIO V.

An Cæli moueantur naturaliter.

PRIMA opinio docet, motum cæli nec esse naturalem, nec violentum; sed neutrum. Ita 91
Alber. 2. *Physic. text.* 119. Durandus 2. *distinct.* 14. *quæst.* 1. Richard. *articul.* 1. *quæst.* 6. Scotus 2. *distinct.* 2. *quæst.* 6. & *in* 4. *dub.* 48. *quæst.* 2. post Auicen. 9. *Metaph.* Sequuntur Poncius *disput.* 22. *quæst.* 9. Faber *Theor.* 63. Mastrius cum cæteris condiscipulis. Scalig. *exerc.* 18. Hurtadus *disput.* 2. *cæli, sect.* 4. Perer. *Tom.* 1. *in Genes. lib.* 2. *quæst.* 6. Fonseca 5. *Metaph. cap.* 4. *quæst.* 1. *sect.* 6. & 7. adducitur, adducens D. Thomam de potentia *art.* 5. Arriag. *disput.* 2. *sect.* 5.

SECVNDA sententia est Diu. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 14. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. Diuus Thomæ *part.* 1. *quæst.* 70. *art. vlt.* & *tertio cont. G. cap.* 23. & *lib.* 4. *cap. vlt.* Caiet. & Fer. *illis locis*, Capr. 2. *disput.* 9. *quæst.* 1. *art.* 3. Zanar. 8. *Physic. disput.* 4. post *quæst.* 4. & *disput.* 18. *Metaph. sect.* 7. Vasquez 1. 2. *disput.* 25. *numer.* 14. Fonsec. 5. *Metaph. cap.* 4 *quæst.* 2. *sect.* 6. Tolet. 2. *Physic. quæst.* 3. Perer. *in Physic. lib.* 7. *cap.* 7. Ruuius 1. *cæli, cap.* 2. *quæst.* 2. Titel. *lib.* 7. *cap.* 10. Zabar. *lib. de nat. cæl.*, *cap.* 10. & 11. Picolom. *lib. de cælo, cap.* 34. Farnes. *lib.* 2. *Assert. cap.* 13. Zimara 2. *Physic. text.* 3. & *prop.* 70. Mercenarij *diluc. sua* Soti *quæst.* 1. *ad* 1. Alex. 12. *Meta.*

Metaph. 14. Philop. Simplic. Auer. 2. *Physic.* & 1. *cœli* Aureol. 2. *disput.* 18. *quæst.* 2. *art.* 2. Colleg. 1. *cœli, cap.* 2. *quæst.* 3. Auersa 2. *Physic. quæst.* 9. *sect.* 8. motum cœli naturalem esse aiunt.

Ex his Zimara, Mercen. Sotus, Alex. Zabar. volunt, cum motum à principio intrinseco esse naturalem, vt quies, & motus oppositi sint violenti.

92 Cæteri verò negant, esse dicto modo naturalem; sed solùm à principio passiuo, conferente aptitudinem. Non tenuunt Mendozza supra. Argentina 2. *distinct.* 14. *art.* 3. *quæst.* 2. aut Scotus apud Fabrum: & Galit. *part.* 2. *Phil. lib.* 2. *tract.* 3. *quæst.* 8. ac Fuliensis *lib.* 2. *Physic. capite* 2. *articul.* 5.

Amicus autem *tract.* 8. *quæst.* 8. *disput.* 3. cum Fonseca ait, Cœlum abstrahere à motu connaturali, & reliquis. Cæterùm, esse illi passiuè naturalem, quia ex figura est aptum labile ad talem motum, & ad eum ordinatur à natura, ob bonum vniuersi. Secundùm principia quidem Aristotelis, qui motum eius æternum credit (Pagano parce, non credenti diem vltimam Iudicij) cœlum, ait, non inclinari ad quietem: at iuxta veram philosophiam, ad motum, & quietem esse propensum autumat vt non sit quieturum violenter æternum. Et adducit omnes Theologos, D. Thomam *loco citato de potentia*, & *in* 4. *distinct.* 48. *artic.* 2. *quæst.* 2. Scotum *quæst.* 2. Durand. *quæst.* 2. Gabr. *quæst.* 2. Argent. *quæst.* 1. *art.* 4. Martinez 2. *cœli, cap.* 2. Addo D. Bonauent. 4. *distinct.* 48. *art.* 2. *quæst.* 2. Hoc sensu, ait Poncius, *num.* 89. saluari hanc sententiam à Ruuio, non malè.

Assero motum cœli esse naturalem.

93 Probatur primò. Vbicunque est natura, ibi est principium motûs, & quietis. In Cœlo est natura: Maior est Aristotelis, 2. *physicorum, text.* 3. & *aliis locis relatis, q.* 3. minor patet ex *tract.* 5. *disp.* 1. *quæst.* 7. & 8. Probatur è Scoto. Vt natura sit in aliquo principium motûs, & quietis, satis est passiuè, id esse aptum moueri, tali pacto, vt ait Scotus 2. *dist.* 18. *q. vn.* Faber *Theor.* 33. *cap.* 1. cum Aristotele, 8. *Physicorum, text.* 27. & ostendi *d.* 5. *quæst.* 3. sed in Cælo est talis aptitudo passiua: ergo. Probatur secundò minor. In omni corpore naturali est natura. Cœlum est corpus naturale: Ergo. Maior est Aristotelis cum minore, vt ostendi *disp.* 1. *q.* 7. & 8. Est argumentum D. Bonau. 2. *distinct.* 14. *part.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 2. *ad* 1.

Probatur secundò è figura sphœrica, ita ordinata ad bonum vniuersi, quamdiu mundus permaneat, & generationes fiant.

94 Assero secundò, Cœlum non magis inclinari ad motum, quàm ad quietem.

Probatur à D. Thom. *loc. cit.* & D. Bonauent. 4. *dist.* 48. *cit.* In rebus tales potentiæ ponendæ sunt, quales fines ipsarum exigunt. Finis Cœlorum exigit potentiam etiam ad quietem: ergo. Maior probatur: quia media a natura dantur iuxta exigentiam. Minor probatur. Finis enim motûs Cœli non est ipse motus, sed effectus, qui aliquando cessabit in die iudicij, vt dicitur *prima cor.* 13. *Apoc.* 10. *Isaiæ.* 66. *Zach.* 14. Confirmatur: nam Cœlorum motus est ordinatus ad generationes inferiorum, vt constat 2. *de Gener.* omnia autem inferiora ordinantur ad hominem, vt dicitur *Deuter.* 4. Ergo cessante fine generationis hominum, cessare debet motus. Confirmatur: nam si quies esset Cœlis violenta, cùm perpetua futura sit, iam daretur violentum perpetuum.

Obiicies cum Scoto, & Fabro: Motus propriè naturalis debet esse talis, ratione tum principij, vt sit à principio naturali: tum ratione termini, vt sit ad aliquod *vbi*, in quo quiescat, nec ab eo, nisi violenter diuellatur; nam motus essentialiter est ad terminum. At Cœli non ita tendunt ad terminum: Ergo.

Respondeo, ratione principij, motum hunc esse Cœlo naturalem, quia est corpus naturale, vt ait Aristoteles 3. *Cæl.*, *text.* 1. & *de partibus anim. cap.* 5. & 8. *metaph. text.* 1. & 2. vbi dicit, Cœlum esse corpus naturale, atque adeò habere principium motus, & quietis. Confirmatur: nam omnia inclinationem habent ad suam naturalem operationem; at propria Cœli operatio est motus circularis: At non habet determinatum vbi, à quo dimoueatur violenter. Ideò ostendam *Tract.* 6. *disp.* 2. *quæst.* 7. *dub.* 2. non habere contrarium. Habet verò determinatum *Vbi*, circulari motu acquirendum, à quo si diuellatur, & sursum recta tollatur; vel deorsum deiiciatur; contra naturam id fieret, saltem passiuam aliquo modo. 95

Ex dictis *q. hac, & præcedentibus, præcipuè tertiâ*, habes, quo sensu verum sit, nil mouere se ipsum; sed *Quidquid mouetur, ab alio moueri*.

Aliquam sanè distinctionem, saltem formalem, inter mouens, & motum admisi cum D. Bonauent. *in primo, d.* 37. *part.* 2. *articulo* 2. *quæst.* 1. *ad vlt.* 96

Igitur in motu intrinseco naturæ non est necessaria realis distinctio; & quò res perfectior est, eò aptius etiam seipsam (realiter eadem) mouet; vt ostendi *quæst.* 3. Verè igitur in genere efficientis. Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Ità omnia, quæ producuntur à generante, fiunt, & accipiunt esse formæ, & qualitatum, quibus moueantur, & omnia à Deo habent esse. Neque verò solum motum localem accipere debemus, sed omnes, qui sanè a Deo sunt. Hinc verò Aristoteles 12. *Metaph. cap.* 7. procedit ad primum vniuersalem motorem inueniendum ab omni prorsùs mutatione alienum. Cùm enim omne agens moueatur à fine, etsi quidem finem non mouerit, moueatur ab agente ob finem agnitum: Vnde inanimata dicuntur agi magis, quam agere, vt docet D. Bonau. & Diuus Thomas passim. Quicunque sic agit, vel agit propter se, & hic erit primum mouens, primum agens, & vltimus finis, qui sunt vnum, vt notat D. Bonauent. *in* 1. *distinct.* 29. *quæst.* 1. *argum.* 1. *oppos. cum solut.* Vbi obseruat, Deum se vocasse α & ω, *Alpha, & Omega.* & hoc axioma sæpe, ac sæpiùs refricat S. Doctor. 97

Si verò agit propter aliud, & de hoc quærendum, *à quo*; vel abeundum in infinitum, ad deueniendum ad vnum perfectissimum agentem per intellectum, & voluntatem, propter finem agnitum, qui sit ipse agens perfectissimo modo immobiliter propter se metipsum. Si enim solum localem motum accipias axiomate, deuenies ad Intelligentiam primi orbis mouentem, immotam eo motu; sed non ad primum motorem nulli motui, nullinè mutationi obnoxium. Quoad naturalem motum intrinsecum inuenies, moueri aliquos à se, & eò perfectiùs, quò perfectiores sunt modo dicto *quæst.* 3. *fund.* 4.

Ad primum igitur motorem deuenies per efficientiam, & finem, vt habet S. Doctor. 1. *distinct.* 3. *dub.* 4. & sexcentis locis 2. *distinct.* 14. *p.* 1. *quæst. vlt. ad arg. dub.* 38. *quæst. penult.* Hoc verò sedulò examinabo *disp. sequenti, quæst.* 1.

De



DISPVTATIO XVII.

De Motore.



QVÆRITARE solent in limine: An Mouens, & motum esse debeant simul? sed hoc discussi *Tract.*1. *disput.*7. *à numero* 13. & *Tractat.*4. *disputat.* 11. *à numer.* 50.



QVÆSTIO I.

An rectè ex mouentibus, & motis, colligat Aristoteles PRIMVM MOTOREM.

1 OMNIVM ex ore, omnium auribus perstrepit axioma Aristotelis, 7. *Physic. initio*, & 8. *à textu* 7. *Quidquid mouetur, ab alio mouetur.* Ergo vel abeundum in infinitum; vel deueniendum ad Primum MOTOREM immobilem. Hoc differunt omnes ferè Latini, & Græci *Aristotelis* Interpretes. Vide & Iand. 7. *Physic. quæst.* 1. & 8. *Physic. quæst.* 11. Saxon. 7. *Physic. quæst.* 6. Tartar. *quæst.* 2. Masium *sect. vnic.* Ferrar. *quæst.* 1. & 8. Tolet. 1. *de gener. quæst.* 14. D. Bonauent. *in* 1. *distinct.* 3. *dub.* 4. *litt.* & *in* 2. *distinct.* 2. passim, & *dub.* 14. *part.* 1. *articul.* 3. *quæst.* 2. & *Opusculo*: *Principium Sacræ Scripturæ*; vt dixi *tract.* 1. *dispu.* 1. *num.* 42. Diuus Thomas *part.* 1. *quæst.* 36. *artic.* 1. Henric. *quodlib.* 10. *quæst.* 9. Scotum *distinct.* 2. *quæst.* 1. & 10. vbi Lichettus, & Tartaretus, & *dist.* 3. vbi Durand. Capreol. Richar. *articul.* 6. *quæst.* 1. Ægid. *distinct.* 7. *quæst.* 1. *art.* 2. & *tract. de Ang. quæst.* 1. & *quodlib.* 6. *quæst.* 1. & *in* 4. *distinct.* 12. & *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. vbi cum Scoto Barghius, Lichet. & Paulus. Et 9. *Metaph. quæst.* 7. cum Scoto. Anton. Andr. *quæst.* 1. Flandr. *quæst.* 1. *art.* 4. Suar. *disp.* 18. *Metaphysic. sect.* 7. & *dub.* 29. Amicus *tractat.* 26. *Physic. quæst.* 3. Alios relatos *Tractat.* 1. *cit.* consule.

2 ALIQVI rationem Philosophi laudant; alij spernunt.

PRÆCIPVVM medium, quo probat axioma est; quia Nihil potest esse simul actu, & potentiâ. Si autem aliquid motum, non moueretur ab alio; sed à se, esset simul actu, & potentiâ. Actu vt mouens; potentiâ vt motum, ità notat D. Bonau. 2. *distinct.* 14. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *fund.* 2. cum Aristotele 8. *Physic. text.* 40.

SCOTVS explicat, verum esse de agentibus vniuocis, in quibus est actus formalis, & potentia formalis eiusdem rationis; ac proinde non potest esse idem actu, & potentiâ, Verbi gratia Elementum actu calidum, se calefaciendo nequit educere se de potentia; non autem valere in æquiuocis; puta, Sol virtute habens calorem, potest esse potentiâ calidus, & fieri formaliter calidus.

FERRARA 8. *Physic. quæst.* 9. & 1. *contra Gent. cap.* 13. Scotum refellit. Tùm quia id, quod est in actu virtuali, seu habet virtutem producendi formam, naturaliter illam habere potest. Tùm quia agens æquiuocum, nequit habere actum formalem, Verbi gratia Sol calorem. Tùm quia sic non aperitur via ad primum Motorem æquiuocarum causarum, quæ *hic* excluduntur.

SVPPONO primò, quæ docui *disput. præced. à quæst.* 3. quæ distinctio exigatur inter mouentia singula, & mota; neque enim debent esse distincta, supposito etiam si sint partes distinctæ, quale est cerebrum mouens alia membra neruis. 3

NOTA deinde, quale sit absurdum, quod inuehit; si non deueniatur ad primum Motorem, nempè dandum processum in infinitum. Quòd autem hoc sit absurdum, probat D. Bonauent. 2. *distinct.* 1. *part.* 1. *quæst.* 2. quia tolletur subordinatio mouentium, & motorum; ablato enim primo; tollitur actio sequentium, & nunquam per infinita mouentia peruenies ad vltimum immediatè mouens; quia infiniti sunt impertransibiles.

TERTIO nota Aristotelis rationem, nempè, quia nil potest esse simul actu, & potentiâ, esse vniuersalem, vt accipit etiam D. Bonauent. 2. *distinct.* 14. *quæst. cit.* de omni motu, non de solo locali. Idem enim non potest esse actu calidum, & potentiâ tantùm. Nil vegetatum, auctum, genitum, & potentiâ. Nil sentiens, intelligens, volens actu, & potentiâ, respectu eiusdem. Nil agere propter se; & propter aliud, & ad illud esse in potentiâ, cùm illud actu habeat; vt dixi in fine *disp. præcedentis*, quod relegere libeat. 4

EX his deducit S. Bonauent. Aristotelem rectè deduxisse primum Motorem ab omni mutabilitate alienum, ab omni potentiâ ad actus remotissimum; purum actum, esse & Deum; qui ideò nec magnitudini alligetur, ne ad vires resumendas sit in potentiâ, & finitus sit, ac in potentia ad aliquid additionis actu, & perfectionis accipiendum.

SIC igitur arguit S. Doctor Aristotelem sustinens. Omne, quod mouetur ab alio mouetur, recipiens aliquando actum, & perfectionem aliquam, tanquam finitum, & limitatum; ac proinde non potest id totum recipere à se; alioqui id haberet, & non haberet; seù esset ad illum actum, simul actu, quia haberet à se; & potentiâ, quia non haberet, sed reciperet. Ergo oportet aut dare vnum primum Ens actu, à quo omnia, & quod sit Infinitum, & Immutabile: vel de vno in aliud quærendum in infinitum; eritque infinita series mouentium de potentiâ ad actum omnia ea, quæ mouentur. Tunc autem, si in infinitos abeunt motores, nunquam deueniemus ad peractionem vnius in alium, & per hunc in sequentem, vt perueniamus ad vnum vltimum immediatum, mouentem hoc mobile; quia sunt infiniti; ac proinde impertransibilis erit mouentium multitudo, in quâ non potest esse ordo, & terminus. 5

ALIVD medium assumit Aristoteles: ad primum Motorem inueniendum. Omne mouens mouendo, mouetur. Sed, nisi rectè explicetur, nil inseruit. Non enim semper id, quod mouet, tunc mouetur; neque si moueatur, mouetur secundùm totum; imò & motus ab immobili prodit; vt ait D. Bonauent. 1. *distinct.* 8. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *in resol.* vt cùm mouetur manus, stat cubitus; dum mouetur cubitus stat humerus, &c. 6

DIC ergo. Omne mouens mouendo, egere virtute receptâ; atque adeò mouere dependenter ab eo, à quo saltem fuit genitum, virtute cuius est; ac proinde habet operari, quod sequitur ad esse.

QVÆS

QVÆSTIO II.

An opinio negans immediatum Dei concursum nobis sit probabilis, & conferens ad lites de auxiliis Diuinæ gratiæ componendas, vel definiendas.

D.B. 2. distinct. 3. q. 1. & 2.
D.T. p. 2. q. 79. art. 2. & de malo q. 3. art. 2.

7 VERTITVR perbelle vulgatum sermone prouerbium: *Omnia noua placent*; imò & vetera, cana, decaluata; etiam vetulæ iuuenili ornatu perpolitæ, in omnium oculis admirationi sunt; sed ad risum. En opinio Durandi, negans Dei immediatum cum secundis causis concursum; at mediatum vix dans, quatenùs virtutes, causis ab incurabulis elargitus, adhuc illas conseruat; iam rugosâ macie confecta, olim ad tumulum deducta næniis ironicis, tumulata probrosis epicædiis ad Tartara à Doctoribus eximiis; Valentia *part. 1. disput. 3. quæst. 1. punct. 1.* Vasq. *prima secundæ, disput. 129. cap. 3.* Suar. *lib. 1. de concursu Dei cum voluntate, cap. 1.* Bellarmino *lib. 4.* sexcentisque aliis perniciosa, erronea tibiis concrepantibus proclamata, iam ducentenaria fœtens, è sepulchro, clamore valido euocata est, & dotibus veluti gloriæ insignita, præclara, subtilis, impassibilis, è Burgundiæ algentibus brumis erumpens, ad remotissima Gymnasia, agilitate mirabili euolauit. En iam terra marique acclamatur, vtpote, quæ Deum ab impiis sectariorum contumeliis tueatur immunem. Arca fœderis Diuinæ, atque humanæ voluntatis; Catholicorum Sapientum Conciliatrix aduocatur. Huic assidet P. Ludouicus Dolanus, Burgundiæ Capucinorum Prouinciæ eximius Antistes. Conqueritur hic in limine, graues inter Scholasticos lites, veluti è radice infecta præsuppositi immediati Diuini concursus pullulantes, non adhuc esse detruncatas: atque adeò Proceres plurimos agminibus instructis, Diuinorum efficaciam auxiliorum, nostræque libertatis, ac euentuum contingentium, cum infallibili Dei cognitione, atque prouidentia in mundi gubernatione consonantiam, è suanibus, physicis tamen prædeterminationibus venari: cæteris ad scientiæ mediæ asylum confugentibus: Vtrinque verò in acie omnes corruisse. Subsidium proinde vnicum, in hoc immediato concursu euellendo, positum esse, ac constitutum. Ita enim diuinis (ait Dola) initio instructus homo auxiliis, ad libitum operabitur: certò autem, ità euentus præsciti dignoscentur.

8 VERVM enim verò exurgunt è Schola eximiâ Scoti Sapientes, fidique discipuli magistro conclamantes, se nec Prædeterminationum, nec scientiæ mediæ indigere fundamentis; sed cooperationibus omnia resoluere; atque adeò Dolanum non rectè diuidere, imò potiùs semitas occludere; vt ad suam omnes pertrahit viam. At semitam Prædeterminantium, & hanc Scoti euertimus *Tract. 1. disput. 16. quæst. 6. & 12.* & *disput. 13. à num. 204.* Et scientiæ mediæ viam ne transuerso quidem vngue à Seraphico, percalcantes, omnia ibi expediuimus, Durando valè dicentes; & meritò.

Hoc mihi alta est mente repositum, ac initiò grauiter præmonendum, Sanctos Patres, atque Scholasticos omnes viam Dolæ agnouisse, vt ipse confitetur vbique in suo Libro, nullum tamen ex insignibus illam capescendam, aut litibus sedandis idoneam existimasse; sed tritas quasdam ex allatis sententiis, etsi aduersantium armis obsessas, prælegisse. Quare nec Dolæ consilio hoc nouo egent Vniuersitates, nec nouas difficultates inde emergentes formidant, aut inueniunt.

ILLVD quoque altè admonendum censeo, Doctorem hunc recentem, Mediatorem ingredi ad controuersias de Auxiliis componendas, ad bona opera exhibitis; & totum ferè opus eò consumere, vt probet, Deum non concurrere immediatè ad actus materiales culpæ substratos, sed incassum tot dissectas authoritates, & argumenta congerit; cùm nulla ex his ei adstipulentur; excipio quotundam inferioris notæ Recentiorum testimonia: vt luce meridiana clariùs, Deo dante, mox demonstrabo. In assertione autem mediati solius concursus ad omnia, siue physicè, siue moraliter bona; solus ferè cum suo Durando, absque armis decertans conspicitur.

PLVRIMOS Doctor hic è Sanctis P.P. & Scholasticis recenset pro Durandi sententia, vniuersim negante immediatum concursum Dei cum causis secundis: Præcipuè autem ad actus materialiter prauos. Hoc verò satis nostram elidere sententiam vniuersalem affirmatiuam gloriatur, vno hoc particulari validè, vt putat, reprobato, & excluso. 9

QVONIAM verò D. Augustinus, maximè in his est ponderis, illum præmittit, negasse Dei immediatum concursum ad actus substratos culpæ, quod sic ex illo probare nititur.

PRIMO enim S. Augustinus *lib. 2. de lib. arb. cap. 20.* & *lib. de perfect. iust. ratione quarta.* & *lib. 12. Confess. cap. 11.* Durando adstipulatur, quoad actus substratos culpæ; vt fatetur Vasquez *primâ secundæ disput. 129. cap. 2.*

TENEBATVR Dola referre integrum dictum Vasquez. Etsi sententia Durandi, & Aureoli, quatenùs asserit, Deum cum nulla causa secunda actu concurrere ad operationem, nullum alium habeat patronum; tamen, quod spectat ad actum peccati, nõ videtur ità destituta ei enim adstipulari videtur August. cùm actum peccati nullo modo Deo agenti tribuit. Ità, vsque ad Vasquez, nullus præter Durandum, & Aureolum, eam opinionem habuit, quam Dola iactat omnium fere Patrum fuisse, & Theologorum ad litem dirimendam de generali Dei concursu. Et *cap. 3.* ait. Sententia hæc Durandi, hac parte, erroris nomine, ab omnibus Scholasticis iam diù censetur. Addit, eam manifestis Scripturæ testimoniis: *Ioan. 5. Act. 13. prim. Cor. 15.* refutari à D. Augustino *5. de Genes. ad litt. cap. 20. lib. 2. de ciuit. 24. lib. 3. de Trin. cap. 4.* quæ Dolam conuincunt.

QVO ad suprà allata, pro concursu ad actus prauos, ostendo male afferri D. Augustin. Primò loco quærit discipulus ab Augustino. Vtrum actus peccati sit à Deo, vel à sola voluntate? *Respondet, nullum bonum, nullam naturam esse, quæ non sit à Deo. Motus ergo ille auersionis, quem fatemur esse peccatum, quoniam defectiuus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide quò pertineat; & ad Deum non pertinere, ne dubites.* 10

VBI obserua, D. Augustinum asserere, materiale peccati esse etiam à Deo, ait enim

non

non modo non esse vllum bonum; sed nullam naturam (sanè id addit propter materiale prauitatis,) quæ non sit à Deo; solam verò auersionem, quam ait esse peccatum, & defectum, ac nihil; esse à nobis tantùm asserit. His sanè titulis nominare solet D. Augustin. formale peccati; vt obseruat D. Bonauent. ad id Ioan. 1. *Sine ipso factum est nihil.* Sic ostendam *prima secunda, tract. 3. d. 1. quæst. 2.* At non miror, a Vasquez non ritè exponi, qui formale peccati in positiua relatione rationis constituit, quem *loco adducto* refellam.

12 Libro *de perfect. iust.* Quærit, quid sit formaliter peccatum. *Quid est peccatum, (inquit) actus ne, an res? Si res est, necesse est, vt habeat authorem; etsi authorem habere dicitur, iam alter præter Deum rei alicuius author induci videbitur: at si hoc dici impium est, confiteri necesse est peccatum omne actum esse, non rem. Si igitur actus est, imò quia verè actus est, vitari potest.*

Hæc iterum nobis fauent. Dicit enim, totum quidquid est res, seu ens, à Deo esse; actum verò peccati, prout est à nobis liberè deficientibus, non esse à Deo; sed nostrum. Sanè hoc pacto ait, nullo modo esse à Deo: ergo non loquitur de materiali, quod est res, & à Deo authore, quatenùs dedit naturam liberam; & vt ait Durandus, & Dola, *mediatè.* Parce vasquio, qui se remittit ad suam illam malè suppositam peccati essentiam positiuam.

13 Tertius locus *Confess.* mirè nobis fauet. Ait enim. *Hoc solùm à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te, qui es ad id, quod minùs est, quia talis motus peccatum est.* En solus motus voluntatis, prout auertitur, deficiens à Deo summo ente, estque formale peccati, à nobis tantùm est. *Cæterùm omnes naturas, atque substantias, quæ sunt* (ait S. Augustinus Deo,) *tu fecisti.* Certè substratum culpæ physica est natura, vt fatetur Dola cum al s.

Hinc 12. *de ciuit. cap. 7.* ait. *Nemo ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa affectio est, sed defectio.* Hac phrasi vtitur passim Seraphicus Doctor; vt ait Dola; atque ostendit solum defectum rectitudinis, actu voluntatis inclusum, esse à nobis solis deficientibus: ea verò, quæ causam efficientem exigunt, inter quæ est entitas physica, esse etiam à Deo.

Apponit *serm. 13.* de verb. Apostoli, c. 11. *Cùm dico tibi, sine adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dico. Nam ad malè agendum habes, sine adiutorio Dei, liberam voluntatem.* Et lib. 5. de ciuit. cap. 9. *Sicut enim omnium naturarum Creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippè voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Et lib. de spiritu, & litt. cap. 31. *Si non est voluntas nisi à Deo, author est ipse peccati: quoniam mala voluntas iam sola peccatum est, etiam si desit effectus.*

At nota (ò Dola,) peccata habère substantiam, & actum apud D. Augustinum, & substantiam esse à Deo, non actum, id est malitiam; quia non est natura, sed contra; sanè materiale actus est natura per se. Igitur solùm formale culpæ nobis adscribit. Quare non distinguit inter naturam hominis, & operationem. Nam & operatio physicam habet naturam; etsi quando inter naturam, & actum distinguit malum, sumit hunc formaliter, vt malus: ideò omninò eum negat à Deo esse, cùm materiale apud Dolam mediatè à Deo fit. Sic lege, 1. *Hypognost. inter opera D. Augustini.*

Vrget idem ex D. Augustino *lib. de natura boni* ad expositionem Hugonis de S. V. in *cap. 11. ad Rom. quæst. 28.* solùm naturas esse a Deo; non peccata, quæ naturam corrumpunt.

Dico, ibi S. Patrem agere contra Manichæos, ac velle, omnes naturas etiam corruptas; vt naturæ sunt, esse à Deo; Sic *cap. 4.* Ideò sine ipso, nullam entitatem fieri insistit, *cap. 24.* Mox *cap. 27.* exponit id Rom. 11. *Ex ipso, per ipsum, in ipso omnia*, omnes naturas intelligi ait, non peccata, quæ naturam corrumpunt malitiâ voluntatis. En solum formale excludit; materiale enim est natura; vt ait Dola passim.

Porro ad materiale peccati, Deum immediatè concurrere, probat S. Augustinus *tom. 7.* vbi subtiliùs hæc discutit *lib. 5. in Iulianum, cap. 3.* vbi non ea habet verba, quæ recitat Dola, sed toto eo capite vrget ostendens, Deum non authorem malæ voluntatis, aut malitiæ cooperari; sed quidem multis actibus physicis, peccato substratis ad pœnam. Attentè perlege Clariùs *de gratia, & lib. arb. cap. 20. & 21.* vbi dicit, Deum malas voluntates ad actus physicos adiuuare consequenter, ad hos physicos numero actus in pœnam aliorum peccatorum, & multas Scripturas affert. Ipsum vide.

Affert præcipuè S. Augustin. id quod dicitur 2. Paral. 21. *Suscitauit Dominus super Ioram spiritum Philisthinorum, & Arabum: & ascenderunt in terram Iuda, & dissipauerunt eam, & ceperunt omnem substantiam.* Et addit. *Et sua voluntate venerunt, & tamen spiritum eorum, Dominus suscitauit. Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere voluerit, qui omninò iniustè aliquid velle non nouit. Quid est quòd homo Dei dixit ad Amasiam* 2. Paral. 25. *Non veniat tecum exercitus Israël; non est enim Dominus cum Israel.* &c. *quoniam si putaueris obtinere te in illis, in fugam conuertet te Deus ante inimicos, quoniam virtus est Deo vel adiuuare, vel in fugam vertere? Quomodo virtus Dei alios iuuat in bello, dando eis fiduciam: alios immisso timore vertit in fugam, nisi quia ille, qui in cælo, & in terra omnia quæcunque voluit fecit, etiam in cordibus hominum operatur?* En luce clariùs in D. Augustin. opinio Dolæ reiecta, dum actus, & exitus operum ex actuali Dei cooperatione, vel eius negatione, ait pendêre. Hi autem erant materia iustitiæ.

Audet Dolanus afferre pro se loca D. August. pro nobis à Doctoribus allegata; vt mediatum concursum ad omnia, cùm Durando, inuehat, & S. Patrem erroris sui reum efficiat.

Vt autem Dolæ sagacitas eludatur, aduerte, S. Augustinum *tom. 7.* præcipuè conuictis Pelagio, & asseclis, qui dicebant, Deum à creatione, homini contulisse naturalia ad omnem finem, etiam supernum, nedum ad fines naturæ. (In hoc Pelagius Durando sententiam tradidit quoad finem naturæ; Vt notant Bellarminus, & alij.) neque necessaria dedisse actualia auxilia, mox egisse contra Semipelagianos, qui negabant gratiam præuenientem, & præparantem. Contra hos, qui alioqui necessitatem auxilij actualis cooperantis credebant, vrget S. Pater etiam necessitatem gratiæ præparantis. Ideò eam solam probat aliquando; cooperante supposità. (etsi cautè, eam sæpè etiam recordari debere, eos admoneat) Dolanus autem ea loca affert, quæ solos vrgent Semipelagianos, & infert totum Dei actuale adiuctorium esse in præparatorio auxilio

xilio præueniente. Et in hoc Author iste semper impingit.

AFFERO locum, c. 32. Enchir. vbi Dolam cludit, dicens: *Vt totam Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & preparat adiuuandam, & adiuuat preparatam.* Similia habet *lib. 1. ad Simplicianum, q. 2.* ante medium.

PRIMVS locus est, l. 4. de Genes. ad litt. cap. 12. *Potest intelligi, Deum requieuisse die septimo, à condendis generibus creaturæ, quia vltrà iam non condidit aliqua genera noua: deinceps autem vsque nunc, & vltrà operatur administrationem eorundem, quæ tunc instituta sunt, non vt ipso saltem die septimo potentia eius à Cœli, & terræ, omniumque rerum, quas condiderat, gubernatione cessaret; alioquin continuò dilaberentur. Creatoris namque potentia, atque omnipotentis, & omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Proinde & quod Dominus ait: Pater meus vsque modò operatur: continuationem quandam operis eius, quà vniuersam creaturam continet, atque ministrat, ostendit.*

LIBRO 5. *de genes. ad litt.* c. 20. post eadem ferè verba concludit: *Quia non solum magna, atque præcipua, verum etiam ista terrena, & infima ipse operatur; ita dicit Apostolus; stultè tu, quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur, &c. sic ergo credamus, vel si possumus etiam intelligamus, vsque nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant.*

EADEM refricat *ep. 146.* & concludit: *Sic autem naturas, quas condidit administrat; vt eas sinat agere motus suos.* id est, vim suâ cooperatione creaturis non infert.

DOLA respondet, Augustinum agere contra negantes actualem conseruationem rerum; non contra asserentes concursum mediatum, quem vltimis verbis *ep. cit.* astrui dicit.

AT S. Pater aduersum negantes actualem cum actibus immediatum concursum agit. Nam *lib. 5. c. 20.* suum discursum concludit: *Mouet itaque occultâ potentiâ vniuersam creaturam, eoque motu illa versata dum Angeli iussa perficiunt, dum circumeunt Sydera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus, & diuersis etiam per aërem conglobationibus agitatur, dum vereta pullulant, suaque semina euoluunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui iustos exercere permittuntur, explicat secula, quæ illi, cùm primum condita sunt, tanquam implicita, indiderat: quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille, qui condidit prouido motu administrare cessaret.* Nihil clariùs contra Durandi sententiam dicere potuit; vt ait Vasq. *loc. cit.* à Dolano addito.

EXTORTA verò, atque nulli probata expositio Dolæ. Ita res administrare Deum, mediatè; vt motus suos ex se agere sinat: aliter enim explicant omnes. Ita res gubernat; vt nullius creaturæ cogat naturam suo influxu; sed iuxta cuiusq; naturam cooperatur. Sic explicat etiam D. Bon. passim *2. d. 15. p. 1. q. 2.* & *d. 3. art. 2. q. 1. ad 3.* & D. Th. ac Catechismus infrà.

PRÆTEREA phrasis hæc in ore D Aug. assidua. *Deus agit vt homines agant: facit vt faciant. Facit vt velint. Sine nobis operatur vt velimus & nobiscum cooperatur, cùm volumus.* Sic *lib. 1. de gratia Christi contra Pelagium, & Cœlestium, cap. 25. l. de correp. & gratia, c. 106. l. de Gratia, & lib. arb. c. 16. l. 3. Hypogn. Serm. 13. de verbis Apost. l. 22. de ciu. cap. 21. & l. 3. de Trin. cap. 4.*

RESPONDET Dola, sensum D. Aug. esse, Deum immediatè concurrere, quatenùs conseruat non modo substantiam, sed & potentias; operari verò præparando nostras voluntates, & vires præbendo, vt ait S. Aug. c. 16. allato *de gratia, & lib. arbitr.* Cautè Dola obtruncat periodum. Sic: *Deus facit, vt velimus bonum, de quo dictum est; preparatur voluntas à Domino; de quo dictum est: Qui operatur in nobis velle, & operari Certum est, nos facere cùm facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Hic Dola tacet. Subdit verò D. Aug. *Ille facit vt faciamus, cui dicit homo; Pone Domine custodiam ori meo: hoc est enim dicere, fac vt ponam custodiam ori meo.* En actuale auxilium nouum cooperans. Et si præparatur voluntas à Domino, vt concedis, contra Semipelagianos; an negabis cooperari Pelagio? Quid est præter præparationem dare vires, nisi dare velle, & perficere auxilio actuali cooperanti? facit sanè, vt faciamus, dans actualem motum opportuni eloquij, &c. Hæc luce clariora sunt.

ADDVCIT, & l. 10. *de gratia Christi*, cùm sint soli duo. Sed audi l. 1. c. 25. vbi conuincit tuum relatum responsum. *Desinat Pelagius dicere, quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donauit, atque adiuuat; sed etiam velle, & perficere operatur in nobis. Quomodo dicis Pelagius: Quod benè loqui possumus, Dei est: quod benè loquimur, nostrum est? cùm dicat Dominus, Matth. 10. Spiritus Patris vestri loquitur in vobis. Nec ait, Spiritus Patris est, qui vobis dat, vel dedit posse benè loqui: sed qui loquitur in vobis: non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum.* Audis, quæ vires cooperando exeruntur à Deo.

SANE eadem est responsio Durandi, quæ fuit Pelagij, quoad naturalia; vt monet Bellarminus, Deum adiuuare, quatenus dedit naturam: sed refellit vtrumque S. Augustinus *locis adduct. & ep. 146.*

IDEM S. Ang. *l. 22. de ciu. c. 24.* explicans id 1. Cor. 3. *Neque qui plantat est aliquid; sed qui incrementum dat Deus.* ait: *Ipse namque operatione, quâ nunc vsque operatur, facit vt numeros suos explicent semina, vt non solùm in homine, sed in qualibet minutissima muscula benè consideranti stuporem ingerat.* Mox naturales & artium operationes, & excogitationes enumerat, vt non solùm dederit eis Deus virtutem propagandi, operandi, &c. sed nunc operetur actu immediatè.

SERM. 13. de verb. Ap. allato à Dola, aít S. Aug. *Dicturus eras, voluntas mea hoc potest. Quæ voluntas? Quo spiritu? cùm dicat Apostolus: Qui spiritu Dei aguntur, &c. Dicit mihi aliquis: ergo agimur, non agimus. Respondeo: imò & agis, & ageris, Spiritus Dei, qui te agit, agentibus adiutor est: ipsum nomen adiutoris præscribis tibi, quia & tu aliquid agis. Adiutorem inuocas Deum. Nemo adiuuatur, si ab illo nihil agatur, si non esses operator, ille non esset cooperator.* Quid clarius?

ADHVC clariora dico. S. Aug. optimè nouerat viam, quam terit Dola; & tamen nunquam ad lites istas decidendas huc confugit, cùm facilè posset; imò eam viam Pelagij fundamentum agnouit, & euertit; vt monet Bellarmin. Concedit verò Dola hoc assumptum, scilicet D. Aug. ad concordiam arbitrij cum Dei cooperatione, recurrisse ad Dei altissimam operandi efficaciam, & prouidum concursum. Eum respondentem audi q. 4. c. 2. n. 9. *tametsi Deus non concurrat proximè, tamen ad Dei potentiam pertinet omnium corda in manibus habere, consensum à nobis elicere, siue interuentu subitæ cogitationis in intellectu, & sancti motus in voluntate, siue per habituum infusionem, siue per victricem illam delectationem, & aliis multis miris modis Dei remotè concurrentis.*

QVOT in paucis verbis errores! Primò non respondet ad rem. Si enim remotus concursus est Dei, cus

cur eo nunquam vsus est S. Pater ad lites decidendas? Expectabat forsan Dolam. Et, si non est eo vsus: ergone dicat Dola, cum à D. Aug. assertum? Tertiò, cogitatio sancta, seu motus voluntatis actualis per te à Deo est, non modò præparans; sed cooperans actu. Quid negas? Num esse a concursu actuali, sed tantū ab habitibus? Noua Theologia hæc. Sanè præter habitus in Baptismo infusos, actualia auxilia exigunt Concilia Arausi. Mileu. Trid. omnesq; Theologi. Itaq; Arausicanum sic loquitur cum D. Aug. *Quando homines faciunt quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati; quamuis voluntates agant, quod agunt, illorum tamen voluntas est à quo præparatur, & obiter, quod volunt.* Lege etiam Tridentinum, sess. 6. & 14.

En non in sola præparatione stat Dei adiutorium; sed in cooperatione. Hæc est fides Catholica.

Sane non minus eget anima actuali Dei cooperatione, ac præsentiâ ad omnia, quam aqua sigillo ad retinendam impressionem factam; vt notat D. Bonau. *l. d. 37 q. 1.* Trigos. *q. 13. art. 4. d. 3.*

Tandem Dola opponit Gracch *in Gemma sent. D. Aug.* dicere S. Patrem per auxilium generale, sine gratiam generalem, quam Pelag admittebat, intelligere illud, quod homo accipit in sua natiuitate, nempe liberum arbitrium. Hinc pro sua opin. concludit.

Hic risum continere non valeo Ea sanè fuit mens Pelagij, qui Durandi tenuit opinionem; vt ait Bellarmin. Validè ergo probas testimoniis D. Aug. quæ congeris, te Pelagij fundamentis niti, & opinione gloriari. O strenuum Theologum! Iam igitur stat D. Aug. pro nobis; & videat Dola, num pro illo stet Pelagius.

11 Affert deinde D. Hieron. *in c. 45. Isaiæ*, vbi negat, Deum, peccati, seu mali culpæ authorē. Et *dial. 1. in Pelag* vbi ait: *In bonis operib. post propriam voluntatem, Dei nos inniti auxilio; in malis diaboli.* Hic negat Dei concursum ad culpam. Et si instes, D. Hieron. asserere ad opera minima, exigi Dei auxilium.

Respondet Dola, eum admittere concursum mediatum, & loqui de his, provt fiunt ad virtutis regulas; alioqui nil contra Pelag. concluderet, qui negabat auxilium ad opera sancta. Me tandem mittit ad Vasq. *d. 129. cit. c. 2.* & ad suum caput septimum.

Iam vide Hieron. *dial. 1. contra Pelag.* eos inducere deridentes. *Si in singulis rebus, quas gerimus, Dei vtendum est adiutorio: ergo & calamum temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manumq; aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, videre, & cætera huiusmodi, nisi Deus iuuerit, non poterimus.* Respondet Atticus, nomine Hieronymi. *Iuxta meum sensum non posse, perspicuum est.*

Idem Hieron. ep. ad Cœsiphont. propè medium. *Fraudulenter prætendis, vt Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in singulis operib. auxilium Dei requiras, ne scilicet liberum arbitr. videaris amittere; & cum Dei contemnas adminiculum, hominum quæris auxilia. Audite quæso, audite sacrilegum. Si (inquit) voluero curuare digitum, mouère manum, stare, sedêre, ambulare, discurrere, sputum iacêre, duob. digitis nariū purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam digerere, semper mihi auxiliū Dei necessarium erit. Audi ingrate, imò sacrilege Apostol. prædicantem: siue manducatis, siue quid aliud agitis, omnia in nomine Dom. agite* Et paucis interiectis. *Ipsum liberum, vt diximus, arbitriū Dei innititur auxilio, illiusq; per singula ope indiget, quod non vultis. Sed id multis; vt qui semel habet liberum arbitrium, Deo adiutore non egeat.*

Nota *hîc* Pelag. & asseclas eandem cum Dur. opin. habuisse; vt testatur D. Hier. *init. huius ep.* & *l. c.* & *l. 1. aduersus Pelag.* vt notat Bellar. *l. c.* Ideò in epist. hac affert id Ioan. 6. *Pater meus vsque modò operatur.* & id. *Deus operatur in nobis velle, & perficere.* & illud Iacobi. *Age nunc, qui dicis, hodie, & cras proficiscemur in illam ciuitatem, & faciemus illic annum; vt negotiemur, &c.*

Hoc principio, Pelag. inferebat, nullo prorsus auxilio actuali egere nos ad opera ordinaria, etiam moralia: in qua illatione socios habet Durand. & Dola, vt ipse suprà confessus est. Hoc verò fundamentum euertere nititur D. Hieron. quia maximè audebat ex eo inferre, neque ad opera ordinis superni, nos alio egere immediato Dei concursu Quare eum sacrilegum vocat, maximè ob hanc illationem: at ob priorem etiam, & ob fundamentum Scripturæ contrarium. Vrget tandem S. Pater, hæc etiam ad meritum dirigi Dei speciali auxilio.

Sententia ergo Durandi non est Pelagiana, sed Pelagij prauis nixa doctrinis, e quib. hæresim asserebat: His corruunt, quæ Dola, cum Vasq. respondent, vt hoc D. Hieron. testimonium eneruent.

Quæ verò ipsi afferunt, contra eos sunt. Nam ad peccatum negat omnem penitus Dei concursum: sed totum diabolo adscribit: ergo non loquitur de materiali culpæ; ad hoc enim Deus concurrit mediatè; vt docent Durand. & Dola: nec diaboli opus totum est dicendum.

Affert Dola Nazian. *orat. 1. in Iul.* dicentem: *Deum nullo modo esse mali causam.* En loquitur de formali culpæ. Nam ad materiale, ait Dola, operari mediatè. 12

Affert Nyssenum, vel Nemes. *l. 7. Phil. c. 1.* dicentem: *Non est fas Deo adscribere turpes actiones.* Adscribuntur autem, si Deus immediatè concurrit.

Dico, Deū concurrere ad solum materiale, ad quod sequitur culpa, ex malitia solâ voluntatis; vt iniungunt Theologi cum D. Bon. *in 2. d. 37. q. 1. & 2.*

Affert D Prosperum ad capitula. Gall. c. 12. vbi ait: *Voluntas Dei nunquam vult, nisi bona; mala autem omninò ipse non facit.*

Dico, id esse pro nobis. Si enim Deus omninò non concurrit ad hæc; sequitur, esse culpas formales. Nam ad materiale concurrit mediatè; vt ait Dola.

Ausus est Dola etiam D. Anselm. suæ classi decoratæ adscribere, cùm luce nitidiùs contra eum stet in agone: vt notant Bellarm. Vasq. & alij cum D. Bon.

Gloriatur, D. Anselm. semper asserere, Deum ad actum prauum concurrere, quatenùs dedit liberum arbitrium, illudque conseruat; non autem immediatè ad actum cooperari. Audite illum lib. *de casu diaboli*, c. 20. *Cùm igitur diabolus conuertit voluntatem, ad quod non debuit; & ipsum velle, & ipsa conuersio fuit aliquid, & tamen non nisi à Deo, & de Dei voluntate aliquid habuit; quoniam nec velle aliquid, nec mouêre potuit voluntatem, nisi illo permittente, qui fecit omnes naturas substantiales, & accidentales, vniuersales, & indiuiduales: in quantum enim voluntas siue motus voluntatis est aliquid, bonum est, & Dei est; in quantum verò iustitiâ caret, sine qua esse non debet, non simpliciter malum; sed aliquid malum est; & quod malum est, non Dei, sed volentis, siue mouentis voluntatē.* 13

Vellem scire, vbi sit illud, *quatenus*, vel in quantum dat potentiam, eatenus solùm concurrere remotè. Inuenio sanè reduplicatum, *in quantum* actus ille est aliquod ens, esse bonum, & Dei, qui fecit naturam, & dedit primò esse; nunc verò dat & operari ipsum actum, in quantum actum, producendo illum vnà cum agente creato.

Instat Dola, vt mentem hac de re D. Anselmi consulamus *l. de concord. præscientiæ, & prædest. lit. C.* quo loco allegatur à D. Bon. *l. citando.* Vnde & Seraphicum ad suam opinionem cursim venientem, cum D. Anselmo, gloriatur.

Hic Dolam expecto; sed aliqua verba, quæ ipse omittit

omittit præcedentia his, quæ ipse recitat, teneor cum D. Bon. præmittere; imò cum ipso D. Ansel. *Non est iniustitia qualitas, aut actio, aut aliqua essentia; sed tantùm absentia debitæ iustitiæ. Omnis quippè qualitas, vel omnis actio, & quidquid aliquam habet essentiam, à Deo est à quo est omnis iustitia, & nulla iniustitia. Facit igitur Deus omnia, quæ iusta, vel iniusta voluntate fiunt, id est bona opera, & mala. In malis quidem facit, quod sunt, & quod bona sunt; in bonis verò facit, quod sunt; sed non quod mala sunt.* Post aliquot verò lineas ita prosequitur. *Et sicut Deus non facit iniustitiam, ita non facit aliquid iniustum esse, qui tamen facit omnes actiones, & omnes motus; quia ipse facit res, à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet potestatem vllam volendi, aut faciendi, nisi illo dante.* En hucusque rationem remotam. Sed audi P. Reuerende, statim concursum addi immediatum ad actum, sicut & loco præcedenti; *ipsum quoque velle, quod aliquando iustum est, aliquando iniustum, nec est aliud, quàm vti potestate volendi, & voluntate, quas Deus dat; in quantum est, bonum est, & à Deo est.* Ita profectò quisque sanæ mentis intelliget, omnes actiones, omnes motus actu, vt sunt entia, esse à Deo, non modò quia dedit potentiam; sed quia actus ipsos quoque cooperatur.

CONSVLAMVS cum Dola alium locum, lib. de Concord. gratiæ, & lib arb. lit. L. *Voluntatem instrumentum omnes voluntarios motus facere, si diligenter consideramus: sed illa*, scilicet Deus, *veriùs dicitur facere omne, quod facit natura, aut voluntas, qui facit naturam, & instrumentum volendi cum affectionibus suis, sine quibus idem instrumentum nihil facit.*

ITA infert, motus omnes voluntatis magis Deo adscribendos, quam voluntati; quatenùs entia sunt, quia non modò cooperatur voluntati, sed quia voluntati dedit esse, & operari. Pondera comparationem *magis*, &c. si enim solùm dedisset virtutes, esset causa remota; cui minùs adscribitur opus, quam proximè.

SED locum meridie clariorem profero sub fine, *cit. c. 20. de casu diaboli*, vbi discipulo interroganti: *Quod quidem Deus naturas omnium facit, fatendum est; quod verò singulas actiones peruersarum voluntatum, velut ipsum prauum motum voluntatis, quo ipsa mala voluntas se monet, faciat, quis concedat?* Respondet S. Pater. *Quid mirum, si dicimus Deum facere singulas actiones, quæ fiunt mala voluntate, cùm fateamur, eum facere singulas substantias, quæ fiunt iniusta voluntate, & inhonesta actione.* En ratio, quà credendum est, Deum ad actus substratos culpæ, putà adulterij, concurrere. Nam ipse facit infantem, qui ex hac malitia fit. Hoc rursus est argumentum etiam D. Bon. vt referam. Tandem concludit D. Anselm. *Verè negari non posse, quin omnis actio sit à Deo, a quo immediatè prodeat, necesse est, quidquid verè aliquam habet essentiam.*

ITA non modò asserit, sed etiam probat, Deum immediatè ad actum substratum culpæ cooperari; nam & producit effectum, putà infantem, illa inhonesta actione quà solus adulter non produceret, vel ipsum corpus organicum. Iam habeo consequenter, ex ipsius Dolæ indicio, Seraph contra Durand. stare, etiàm
14 quoad productionem actus materialis culpæ. Cùm pertrahit tamen initium ad integrum errorem. Sed videamus euidenter Seraphici mentem.

PRÆNOTANDVS astus sagacis Dolæ *p. 4. c. 5* vbi magno fastu clamat, sententiam Durandi, testimonio Serap fuisse magnorum virorum, & rationabilē. At S. Bon. ibi agit tantùm de actione substrata culpæ; vt constat *ex arg. vtrinq; & corp.* vbi rationes vniuersales ad hoc dirigit. Quæstionis verò titulus est: *An omnis actio, secundùm quod actio, sit à Deo*, quæ reduplicatio de sola actione mala quæstionem habet. Quis enim ignorat, omnem aliam actionem totam esse bonam, & a Deo? Itaq; supponit, vt certissimū, actiones, non substratas culpæ, esse à Deo; & sanè immediatè; vt incidenter innuit in *corpore*, vsus ratione vniuersali, sumpta è Dei vniuersalissima causalitate intima rerum. Itaque primò sententiam Durandi disputatione indignam censet, quod sensit Dola *n. 6.*

CIRCA quæst. verò de actione substrata culpæ, diuersas positiones recenset extitisse, ad saluandam Dei vniuersalem efficientiam, cum immunitate ab actus praui reitate; at neque opinionem Durandi nominat, aut refert, sed resolutè definit, omnem actionem, siue substratam peccato, siue non, secundùm id quod est actio, esse a Deo. Vbi aduerte, disiunctiuam (*siue*) habere hanc vim: Omnem actionem (*siue*) idest, non modò, quæ non est substrata culpæ (de qua non est difficultas,) sed siue etiam ipsi culpæ materia sit. Ita emphasim habet, sicut cùm dico. Sit etiam turpidini substrata; adhuc a Deo vniuersali agente esse debet. De hac verò sola vtrinque sunt argumenta, de hac sola Magister agit. Concludit ergo attertiuè, agere immediate, vt ex argumentis, quæ ex eo afferam, constat. Et *ad 5.* ait, Deum in his agere intimè nobiscum eandem actionem. Imò *q. seq.* concursum Dei immediatum exprimit. Idem asserit *in 1 d. 45. art. 2. q. 2.* Immediatum inquam. nostro sensu videbis, si legeris.

HINC aliam Dolæ versutiam habes: Clamat enim, Magistrum ipsum de hac Durandi opinione nihil ausum reprobare, testemque Seraph. adducit *n. 3.* Sed & Magister de sola actione substrata culpæ agit, & ad nos diuertit, & si Durandi, in hoc, sententiam non damnet; ipsius tamen opinionem de actionibus bonis, disputatione indignam supponit, atque vt falsissimam omittit; vt patet.

HINC habes tertiò, S. Doct. opinionem Durandi impugnasse, cùm intimam Dei cooperationem astruat, quæ est immediata, & identica actio: vt ait S. D. *loc. suprà cit.* Quare Dola id falsò negat, falsòque affirmat immediatam causam à D. Bon. intelligi, aut vniuersalem primam independentem, aut voluntatem immediatam, quà Deus decreuit, &c. Hoc profectò sensu D. Bon. *q. c.* nil concluderet. Ibi enim id probat, quia creatura eget, sicut ad esse, ita ad operari, intima Dei præsentiâ. Lege quæstionem secundam, & Dolæ videbis dolum.

EADEM molitur Dola, vt D. T. extorqueat, cùm 15
enim patentibus verbis immediatam Dei nobiscum operationem ad actus omnes astruat: præsertim ex professo *p. 1. q. 105 art. 5.* explicans, se intelligere immediatam, idest intimam actionem identicam. Ideò affert id Iob. 10. *Pelle, & carnibus vestisti me.* Et refellit argumenta Durandi, quæ sunt primum, & secundum. Idem docet *1. secundæ, q. 79. art. 2.* vbi eandem cum D. Bon. rationem affert, sumptam è necessitate creaturæ; vt dicam. Vbique etiam cum Seraph. docet, Deum omnia, & in omnib. operari immediatè, immediatione virtutis, non solùm virtute ab alia independente; vt glossat Dola *p. 4. c. 3. n. 9.* sed intima virtute penetrando, & operando, sicut ambo SS. DD. dicunt, sumentes hanc necessitatem, non ex Dei independentia; sed è creaturæ infirmitate, ac intimæ dependentiæ necessitate intrinseca.

AFFERT Dola locum, *3. cont. G. c. 70.* vbi hanc quæstionem non tractat; sed Quo pacto agant creaturæ, respectu Dei: Et dicit omnes agere virtute aliunde accepta; Deum autem ex se, quasi causam immediatam; sicut patet in principiis demonstrationum, quorum primum est immediatum. Hoc sensit, *hic* accipit immediatum, id est non medio alio, vel

alterius virtute. Hinc verò Dola, ex more, exultat, vt nullam aliam immediationem in Dei cooperatione admittamus. Sed audi D.T. ſtatim concludentem. *Sicut igitur non eſt inconueniens, quòd vna actio producatur ex aliquo agente, & eius virtute; ita non eſt inconueniens, quòd producatur idem effectus ab inferiori agente, & à Deo, ab vtroque immediatè, licèt alio, & alio modo.* En D.T. qui ſupra negauit cauſæ ſecundæ operari immediatè, & Deo conceſſerat; nunc aliam diuerſam immediationem concedit cauſæ ſecundæ, & Deo, quæ eſt intima in effectum operatio, non qualis eſt principiorum demonſtrationis primorum. Dola autem identidem impingit, addendo id (*Solò*) tali modo fieri. Sanè ni D.T. vbique ſecum pugnat, vtramque immediationem Dei operationi concedit. Omnes eius diſcipuli nobiſcum ſtant.

16 Addvcit quoque Alenſem *p.1. q.35.m.2.* ſed ibidem phraſi S. Auguſt. quam D. Bonau. diſcipulo tradidit, definit: *Ad illud ergo, quo quæritur: Virum ſit vniuerſalis cauſa reſpectu omnium, concedendum eſt, quod eſt vniuerſalis cauſa, reſpectu omnium, quæ ſiunt ex cauſa efficiente, & ſunt tantùm bona: nam malorum, non propriè eſt cauſa efficiens, ſicut oſtendit Aug. 12. de ciu. c.7.* & Dionyſ. *de diu. nom. p.4. c.4.* En de ſolo formali culpæ loquitur, quod deficientem cauſam habet, non efficientem. Habemus nobis additum S. Dionyſium. Quòd verò concurſum proximum det, probo *2.p.q.94.m.3. art.6.* vbi quærit: An actio mala, in quantum mala, à Deo ſit. Nam ibi ait: *Non ergo Deus adiuuat liberum arbitrium in malo; ſed adiuuat ipſum in actionem, in qua eſt malum, quia dat potentiam, ſine libero arbitrio, quòd poſſit operari; ſed non quod poſſit malè operari.* Pondera differentiam conſtituere in concurſu ad operari, & ad malè operari. Nam ad illud dat poſſe; ad hoc non: ſane etiam ad poſſe peccare dedit potentiam, nempè voluntatem. Negat igitur, dare virtutem actualem, quam è contra confert ad poſſe operari actionem, in qua eſt malum.

17 Refert quoque Aureolum *2. d.37. q.vn. art.1.* Sed oportet non obliuiſci, Dolam abſolute pro opinione Durandi plurimos afferre; cùm fere nullus vniuerſalem ipſius opinionem habeat, negantem, omnibus actibus concurſum immediatum. E veteribus, vnicus Aureolus negat ad id vniuerſalem Dei concurſum, cum nonnullis modernis.

Scotvm acclamat problematicum, quoad actus prauos, *Report. 2. d.37.* At Deum eſſe omnium cauſam immediatam, intimè cooperantem, frequens eſt Scoto effatum, & eius fundamentum: vt monent Faber, *Theor. 56. c.2. §. Ad hoc.* Maſtr. & Bellut. *d.7. Phyſ. q.6.* vt oſtendi *tract. 1. d. 16. num. 45. 2.* Fateor, Scotellum titubare, *2. d.37. d. verò 34. q. 1.* ſolùm vult, non determinari à Deo. Videtur verò Bonetti, Palanterij, Sarnani, Angles, & Bocherij, quoad actus prauos. Adde eam probabilem videri Altiſiodorenſi, etſi oppoſitum ſuſtineat.

18 Addit Dola, Ariſt. idem ſenſiſſe à duobus erroneis fundamentis: alterum, quia credidit, contingentia non eſſe determinatæ veritatis, vt dixi *tract. 1. d. 13. num. 133.* Et quia putauit, Deum non eſſe vbique, ſed per legatos regere mundum. Præclarus ſanè Patronus, erroneis nixus baſibus.

Is tamen, *1. de gener. text. 43.* & *7. phyſ. t. 10.* & *1. Meteor. c.2.* probat, Mouens, & motum debere eſſe ſimul; vt oſtendi *tract. 1. d.7 q.2.* & *tract. 4. q.6.* Hoc autem aſſerit, & de primo mouente, & ideò 8. *Phyſ. t.78.* probat eius virtutem non alligatam magnitudini, ne infinitè agens cogatur mouere in inſtanti; vt notant D.T. *p.1. q.105. art.2.* D. Bonau. *3. d.3. p.2. art.3. q.1. ad 3.*

Primò etiam *Metaph. c.2.* Deum, vt cauſam, ait, in omnibus eſſe. Idem ſentit Plato *l. 2. de Leg.* vbi Dei concurſum negat ſolùm ad culpas.

Sic & Triſmegiſtus *in Pimandro, cap. vlt.* & Maximus Tyrius *ſerm. 25.*

Tandem quoad actus prauos, reuectum de nobis reſonat triumphum dicens, id à Concilio Trid. definitum, & exclamat contra auſos, poſt hac, oppoſitum dicere. Sed mirandum potiùs, Dolam in tot grauiſſimos Theologos inſultare, & ſanè nullo fundamento.

Sic autem definit Sancta Synodus *ſeſſ. 6. can. 6.* *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas facere malas; ſed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permiſſiuè ſolùm; ſed etiam propriè, & per ſe adeò, vt ſit proprium eius opus, non minùs proditio Iudæ: quam vocatio Pauli; anathema ſit.*

Igitvr, ait Dola, definitum eſt, Deum non concurrere ad materiale peccati immediatè. Nam idem eſt, ac propriè & per ſe, teſte Suarez *lib. 2. de conc. c. 2.* qui & fatetur, Concilium loqui de materiali culpæ, cum Ruitz *de volunt. Dei, cap. 31. & 32.* 19

Sed zelus hîc Dolæ amarus, ſapida cognitione eludendus. Scire oportet, quos errores damnet Concilium. Primus eſt, Duas claſſes eſſe hominum. Alteram electorum: alteram reproborum. Dicebant ergo ſectarij, electis parata media ad ſalutem, adeò efficacia; vt nequeant vias ſuas facere malas; ſed neceſſitate antecedenti ad bonum, & ad ſalutem impelli: Reprobos verò, gratiâ deſtitutos, eadem neceſſitate antecedenti, à Deo impelli ad opera mala, non modò quoad materiale, ſed etiam quoad formale; atque adeò, eodem modo, Paulum ad opera ſancta, ac ſalutem; & Iudam ad proditionem, deſperationem, & damnationem impelli: Hæc vide latiùs in Scriptoribus contra ſectarios: præſertim Bellarmino *tom. 4.* & in Theologis recentioribus.

Contra hos duos errores, duo definit Concilium. Alterum, in poteſtate hominis eſſe vias ſuas facere malas, & poſſe electum peccare: alterum eſt, Deum non eodem modo cooperari ad opera bona, & ad materialiter mala; (nam ad formale, nullo modo cooperari, definierat.) Etenim, licèt ad materiale culpæ cooperetur immediatè, neque præuenit ſuadendo, excitando, neque dat auxilia, alia quæ dat ad bonum; imò prohibet, auertit, auocat; ſed ſuppoſita voluntate mala, quæ vult illud opus, puta verbum contumeliæ, ſeu actum odij in Deum, ipſe cooperatur, vt Author naturæ, qui miracula non vult facere, vt eam impediat, & (vt aiunt) *intercidere flammam ignis.* Malum verò ſequitur è ſola culpa malæ voluntatis creatæ, deficientis à rectitudine debita; vt docet D. Anſelmus *de Concord. &c.* ſicuti enim claudicatio non adſcribitur virtuti animæ mouentis; ſed tibiæ deficienti; vt ait D. Aug. *lib. de perfect. iuſt.* & cum eo D. Bonau. & D.Th. nempe, quia non ſubiicitur perfectè virtuti mouenti; ita in caſu noſtro. Deus operatur, vt actus ſit bonus, & ad hoc phyſicæ entitati, quæ bona eſt; vt aiunt SS. allegati, cooperatur; ſed culpa hominis, vel demonis decuruatur; ac proinde malitia non ſequitur ex actu phyſico præcisè. Nam eadem verba poſſunt proferri à puella, vel inſano, ſed abſque malitia. Quod autem ad euitandum; vt Concilium intendit ne peccatum in Deum reiiciatur, neque definita, neque acceptata ſit via Durandi, clarè oſtenditur. Nam Suarez, Vaſq & alij grauiſſimi Theologi, qui poſt Concilium ſcripſere, proponunt viam Durandi; & illicò reprobant, vt ineptam, erroneam, & ruinoſam. Inter hos Robertus Bellar. *l. 4. de gratia, c. 4.* & *l. 2. de auxil. gratiæ, c. 18.* qui inter Catholicos Scriptores

Con

Controuersiarum præfert suas Clement. VIII. consecratas, nulli habetur suspicione, vt mirer Dolæ audaciam in his, ac innumeris damnandis, è quibus nullus cum Dola Concilium explicat; omnes verò afferunt, atque etiam exponunt nobiscum. Quare Concilium non damnat tria; vt putat Dola; sed duo, vt dixi, & patet legenti. Alterum: Non esse in potestate hominis vias suas facere malas: alterum est, Deum ita operari opera mala, sicut & bona, ita vt pariter cooperetur proditori Iudæ, sicut pœnitenti Paulo, nempè non modo agendo immediatè, consequenter culpam permittendo, & consequenter solùm physicum actum adiuuando, sed præueniendo, excitando, &c. Hæc enim vltima exempla sunt secundæ damnationis; vt constat in comis, & punctis; sed Dola insulsè vult, damnari præcisè, dicentes, Deum cooperari immediatè actui materiali culpæ; Sane Concilium damnat non absolutè, sed comparatiuè, addentes operationi immediatè, præuenire intentione ad id, &c.

Qvod si verum est, quod ait Dola, Concilium definire seorsim absolutè, Deum non concurrere immediatè ad actum materialem culpæ è regione actus boni; Iam libet ad hominem argumentari. Quando vnum definitur, & distinguitur ab alio opposito, per differentiam etiam oppositam, necesse est, eadem veritate definiri vtrumque oppositum; alioqui quantum auffertur oppositioni, tantum detrahetur opposito: sed per te definitur actus prauus non esse immediatè à Deo; è regione actus boni: Ergo ea certitudine definitur actus boni esse immediatè à Deo contra Durandum, & te ipsum.

Respondet Dola primò, si ita est, eneruari nostra argumenta; vniuersaliter probantia concursum Dei immediatum.

At nos non ita exponimus Concilium; sed ad hominem ostendimus; non rectè à Dola explicari.

Respondet secundò. Tametsi non dicamus, Deum operari actus bonos immediatè, facilè tamen explicamus, quomodo diuersè à malis, non tantùm permissiuè à Deo fiant; nimirum, quia ipse suadet, hortatur, &c. præbetque vires congruas ex intentione, vt fiant; quod de actibus malis dici non potest. Nostram expositionem adit.

Hæc responsio inanis est, nam Concilium definit (vt ais) ad malos actus non cooperari propriè, & per se, quod idem est ac immediatè; ad differentiam oppositorum actuum bonorum: ergo oportet confiteri, Deum non quouis modo se habere permissiuè; sed propriè, & per se, id est immediatè cooperari ad actus bonos. Vrgeo: nam neque mens Concilij est definire differentiam, è diuersa intentione, seu scopo, ad quem Deus respiciat, ex ipso Dola *num.* 5. *&* 6. neque differentiam in hoc, quod ad bona suadet, &c. vt notat Dola *num.* 8. quia (inquit) hæretici hoc Deo non adscribunt, sed quod propriè, &c.

Neqve differentia est in hoc, quòd in natiuitate dederit Deus vires in ordine ad bonum; non ad malum, nam & ad malum dedit formaliter vires: vt docet Durand. 2. *d.* 44. atque notat Bellarminus. Ita, si Deus est causa, quatenùs dedit vires, erit causa peccati formalis.

20 Iam illustrissimam classem contra Durand. exero. Sanè ferè omnes conclamant cum allegatis Patribus, ac Scholasticis, Deum ad opera creata immediatè concurrere. Sic D Bon. *in* 2. *d.* 7. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *&* *d.* 37. *q.* 1. *&* 2. & aliis locis infrà allegandis, D.T. *loc. adduct.* & aliis passim, Caiet. & Ferrar. ad ea loca, Capr. *in* 2. *d.* 1. *q.* 2. Zanard. 2. *phys.* *q.* 14. Aluarez *lib.* 3. *de Auxil.* *d.* 24. vbi adducit D. T. *in* 2. *d.* 37. *q.* 2. *art.* 2. *prima secunda*, *q.* 79. *art.* 2. *q.* 3. *de malo*, *art.* 2. *q.* 3. *de potentia*, *art.* 7. *&* 3. *cont. Gent.* *c.* 70. *&* *p.* 1. *q.* 105. *art.* 4. *&* *n.* 26. affert Concil. Trid. & explicat. Affert etiam D. Aug. *l.* 2. *de lib. arb.* *c.* 19. *&* 20. & *lib.* 5. *cont. Iulian.* *c.* 3. pro concursu immediato ad materiale peccati, & *l.* 12. *d.* 120. rursum viam Durandi renuit. Raphael Ripa. & Hazar. ad D.T. Petrus à S. Ioseph. *in desens. S.T.* Mascard. *opusc. de Auxil.* & omnes discipuli. Alens. *p.* 1. *q.* 35. *m.* 2. Henric. *quodl.* 14. *q.* 1. Richard. 1. *d.* 45. *art.* 2. *q.* 2. Argent. *ibi*, *art.* 2. *&* *in* 1. *d.* 20. *art.* 3. Trigos. *q.* 13. *art.* 3. *&* *art.* 4. *d.* 2. *&* *art.* 6. *dub.* 2. *ad* 3. & circa *vlt. dub.* Fonseca 5. *metaph.* *c.* 2. *q.* 7. *&* 9. Valent. *Tom.* 1. *d.* 3. *q.* 1. *p.* 1. Tolet. 2. *Phys.* Molin. *q.* 14. *art.* 13. *d.* 5. Perer. *l.* 8. *c.* 8. Suar. *d.* 18. *met. sect.* 1. *&* *in opusc. de Dei concursu*. Titelm. *l.* 2. *Phil.* *c.* 25. Petrus Iuuet. Bruxellensis 2. *phys.* *c.* 5. *q.* 15. *&* *q.* 16. negat prædeterminationes. Ruuius 2. *phys. tract.* 4. *q.* 2. *&* 7. Hurtad. *d.* 9. *sect.* 2. Galit. *p.* 1. *Phil.* *l.* 2. *tract.* 3. *q.* 1. Vasquez *prima secunda*, *d.* 129. Didacus Ruitz *tract. de Volunt. prouid. & scientia Dei*, *d.* 59. Arriaga *d.* 10. *physic.* vbi in sententiam Durandi stomachatur, Gabr. Pennotus *in Propugnaculo*. Quid plura? Cæteri, qui de Gratia tractatus edidere, vel ad prædeterminantes; vel ad Assertores scientiæ mediæ, vel ad Scotistas reducuntur, ne Durando consentiant. Vide, & Fuliensem *l. b.* 7. *de pec.* *c.* 7. qui tamen statuens culpam in positiuo, difficile Concilium exponit.

Assero igitur contra Durand. & Dolam, Deum immediato, & identico concursu, cum causis secundis cooperari ad omnes actus physicos. 21

Præmoneo, Dolam, quoties durum aliquod offendiculum tangit Scripturarum, &c. ad venerandum asylum Sancti Concilij Trident. vota emittere. Sed ne toties respondeam, suppono satis, superque eius expositionem confutatam nec in nos anathema fulminatum, sed nobis fauêre, admisso immediato ad omnia concursu, etsi modo diuerso ad actus substratos culpæ.

Probatvr primò ex Catechismo, & doctrina Concilij vniuersim.

Catechismus Romanus ex decreto Concilij Trident. iussu Pij V. & S. Caroli operà editus *p.* 1. *de primo Symboli articulo*, dicit; *Nec verò ita Deum Creatorem, atque effectorem omnium credere oportet, vt existimemus perfecto, absolutoque opere ea, quæ ab ipso effecta sunt; deinceps sine infinita eius virtute constare. Nam quemadmodum omnia, vt essent, Creatoris summa potestate, sapientia, & bonitate effectum est; ita etiam, nisi conditis rebus perpetua eius prouidentia adesset, atque eadem vi, quæ ab initio constituta sunt, illas conseruaret, statim ad nihilum reciderent. Atque id Scriptura declarat*, Sap. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Non solùm autem Deus vniuersa, quæ sunt, prouident à suâ tuetur, atque administrat, verum etiam, quæ mouentur, & agunt aliquid intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, vt, quamuis secundarum causarum efficaciam non impediat, preueniat tamen eum, cùm eius occultissima vis ad singula pertineat, & quemadmodum* Sap. c. 8. *testatur, attingit à fine ad finem fortiter; & disponit omnia suauiter. Quare ab Apostolo dictum est, cùm apud Athenienses annunciaret Deum, quem ignorantes colebant. Non longè est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Quid clariùs. 22

Liber doctrinæ Concilij Trid. & Catechismi quærit. *Quæ sunt actiones Dei in mundum?* Respondet. *Prima est creatio. Secunda conseruatio, Tertia gubernatio. Quarta, Deus intima virtute ea, quæ mo-*

ueniur, & agunt aliquid, ita impellit ad motum, & actionem, vt quamuis secundarum causarum efficientiam, & operationem non impediat, praeueniat tamen: mox opera recenset, & actiones motuum cœlestium, illuminationum, influxuum, generationes, alterationes in terra, &c.

Vbi notandum, ibi Dei virtutem, & opera in asseri impellere, ac præuenire, non physicè præmouendo; vt putant aliqui, frustrà adducentes D.T. qui eas prædeterminationes non asserit; vt notat ipse Dola *p.4.c.3.* Ruuius 2. *physic. tract.* 8. *q.* 8. Rabesan. 2.*phys.d.*5. *q.*3. Petrus à S.Ioseph. *in defensione S.Thomæ*, vt videre est in eo, *p.*1. *q.* 14.*art.* 13.& *q.*15.*art.*8.& *prima secunda*, *q.*11.*art.*6. *ad* 3.& *q.*10.*art.*4. Igitur dicitur præuenire, quatenùs est prima causa, dans virtutem creaturæ, quâcum actu agit intimè, seu immediatè; vt indicant testimonia allata. Vbi non rectè postulat à nobis Dola; vt terminum concursus immediati ex authoritatibus promamus; satis enim est, si rem ostenderimus, nempè Deum non modo creasse, conseruare virtutem; sed etiam singulis intimè cooperari, quod authoritates allatæ, nec non afferendæ dicunt. Sanè non modò vocabulum concursus solius mediati nobis ipse non ostendet; sed neque rei vmbram. Neque verò negamus, Deum etiam operari hoc sensu remotè, quatenùs dedit virtutem rebus, eamque conseruat; sed malè hinc arguit Dola hanc solam cooperationem, cùm etiam actualem probemus, quam addunt Patres.

23 Primò igitur authoritatibus Scripturæ, & Patrum, mox rationibus, nostrum assertum probo.

Primvs Scripturæ locus est, Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Vbi Græcus *Et sine ipso factum est, neque vnum, quod factum est.* Vbi Chrisost. *hom.*4. *in Ioan.* Aug. *tract.*1 Cyrill. *in Ioan.* Catena multorum Patrum, & Gloss. omnia quæ facta sunt & fiunt, nulla re minima exclusa, vel operatione; vt notat Origenes, à Deo fieri explicant, iuxta id Concil. Nicæni: *Visibilium, & inuisibilium*, & adnectunt hi cum Anselmo, & aliis suprà, Id Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*; eodem modo asserens, nunc immediatè sanè operari actus, &c. sicuti ab initio: in quibusdam tamen cum causis; vt notat D.Bonau. 2. *d.*7.*p.*2.*art.*2.*q.*5.*ad* 1.& colligit ex illo *vsque modo*

Additvr *Quod factum est, in ipso vita erat*; vbi Orig. D.Aug. apud Maldonatum *hic*, Hilar. 2.*de Trin.* sic punctari posse aiunt: *Quod factum est in ipso; vita erat.* Omnia scilicet in ipso immediatè fieri. Hinc multi, ex prima, & intima operatione in omnia, Deitatem à D. Ioan. argui dicunt, apud Maldonatum, & vrgent D. Aug., & alij Patres, omnia etiam minima à Deo fieri, excepto nihilo, quod est formale peccati; & hæc intimè in ipso. His adde D. Anselm. *loc. allat.* Insistunt enim Patres, omnia à Deo intimè fieri, quæ habent esse, naturamque, & excipiunt solùm *nihil*, id est peccatum, quod non est ens, & ideò causam efficientem non habet, sed deficientem: & hoc sæpe docet D.Bonau. *locis adductis, &* 2. *dist.* 37. *dub.* 4.& Suarez; qui locum hunc egregiè probare ait, quo nititur D. Bonau: *ad* 1.*Ioan*: vt dicam.

24 Notat verò *d.*37.*d.*1. hoc nomen Res, primò sumi communiter; & dicitur à *reor*, ac signat omne, quod cadit in cognitionem. Secundò dici à *ratus, a, um*; quod non modò est in cognitione, sed etiam in rerum natura. & hoc modo res conuertitur in ente. Tertio dici à *ratus*, pro vt dicit ens per se, & dicitur de solis substantiis. Primo modo peccati materiale est *res*. Hinc D. Fulgentius ait, vtique habet Glossa ad Rom. *Deus illius rei est vltor, cuius non est actor*; & hoc sensu etiam formale peccatum est *res*. Secundo sensu, solum materiale peccati est *res*, & de hoc D. Aug. in Enchir. cap. 13. *Aliqua sunt res, quibus homines mali sunt; tales non sunt, nisi vitia, & peccata.* Tertio modo nec materiale, nec formale peccati sunt *res*. Sic ait D. Aug. *Opera diaboli, vitia sunt; non res.* lib. 1.& 4, Hypognostici.

Notat *dub.* 2. Sicuti res, ita & naturam tribus modis accipi, Primò pro rebus naturalibus creatis. Secundò pro omni, quod res naturales operatur, conseruat, &c. Tertiò pro omni quod est in aliquo materiali ente. Primò dat Deus esse. Secundò dat simul cum causis secundis. Tertiò cooperatur. Et in hoc est materiale peccati; formale verò nullo sensu est natura. Ob id D. Aug. apud Magistrum *d.* 37. ait: *Quod natura non est, Deus non fecit.* Ex quo deducit S. Doct. Deum substrato culpæ cooperari. 25

Notat *dub.* 3. Nihil propriè non posse habere authorem: at peccatum formaliter quidem nihil esse, sed circa aliquid ex voluntate priuans bono, & circa hoc, posse esse operans deficiens.

Notat *dub.* 4. circa dictum S. Aug. ad Psal. 68. *Iniquitas non est substantia*; præter quatuor substantias, quas recenset Aristoteles: 7. *Metaph. tex.* 34. & 8. *Metaph. text.* 2. Materiam, Formam, Compositvm, & Essentiam; posse iuxta D. Aug. substantiam diuidi In rem per se. Secundò, in rem non per se; sed inexistentem. Tertio modo, in quamlibet essentiam; & ita extenditur ad omne ens. Et hoc sensu loqui, ait, D. Augustinum. Hæc notaui, ob modos nominandi *materiale*, & *formale* culpæ. Igitur ad omnes res naturæ Deum cooperari, ostenditur ex Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* quod SS. Patres conferunt cum allato *Ioan.* 1. D. Cyrillus ad ea verba: *Quod factum est, &c. Adhuc de Verbo Dei exquisitissimè verba facit Euangelista. Cùm igitur Creatorem omnium modò ostenderit, quod ad esse cuncta produxit, & sine ipso factum est nihil, nunc, quoniam creatura durandi nouam virtutem à se per naturam continet, sed ipse cunctis, quasi commixtis vita eorum fit, & in propria natura conditione conseruat, idcircò clamat. Quod factum est in ipso, &c. Nam cùm ipse sit per naturam vita, tam esse, quàm viuere, & moueri rebus benignissimè, atque variè largitur: omnia penetrans, ab omnibus, prout fieri potest, ac debet, recipitur.* 26

En immediata Dei operatio ad motus omnes, &c. quam Dola exquirit: eò enim, quòd intimè, non modò ad conseruationem virtutis, sed (addit) ad motus omnes insuper cooperatur penetrans causas; nil ampliùs ad operari immediatè requirit Dola: vt passim confitetur.

Evthymivs in hunc locum. *Cùm omnia per ipsum facta dixisset*; subdidit. *Et sine ipso factum est nihil; siue sensibile, siue intelligibile. Pater meus ad hoc vsque temporis operatur, & ego operor. Ne quis autem incredulus sit ambigens, quo modo hæc, & similia facta sunt, dicit. In ipso vita erat, quia non solùm hæc produxit, sed conseruat, vt in esse permaneant. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus,* Act. 17. 27

Hoc sensu exponunt Theoph. Chrysost. Cyrill. & alij apud Maldon. cum D. Bonau. *l. cit.* qui & addit locum illum Ioan. 5. *Pater meus, &c.* cum Chrysostomo *homil.* 37. *in Ioan.* Aug. tract. 17. *Licèt dictum sit de Deo, quod die septima requieuit, tamen continuè operatur, prouidet enim, & continet omnia, quæ facta sunt, sicut patet in cœlestibus Sole oriente,* 28

Luna

Luna currente; vt patet in seminibus, & habitantibus in terra, quæ nutrit, flumina fluunt; & sic de aliis.

29 OBSERVA, Christum suâ hac continuâ operatione prætendere operari, non tamen sabbathum violare; vt notat Vasquez *cap.5.* cum D. Bonauent. *ad S. Ioan.* Supponit ergo immediatam operationem Diuinam, nam solâ causarum conseruatione non violaret Sabbathum, operantibus illis.

RESPONDET Dola, redargui à D. Augustino; negantes conseruationem rerum actualem.

AT videndum quid Christus antea intendat; At D. Augustin. hinc probat, Deum etiam minima operari: & addit primæ *Cor.15.* vbi & minima semina vegetare dicit. Vide loca allata. Ex his facilè comperies Dolam à D. Augustin. pessundari.

RESPONDET secundò, Deum ita agere; vt omnia motus suos agere sinat immediatè. At expositio hæc extorta est; vt habes in Catechismo, & doctrina Concilij suprà.

30 TERTIVM locum vrgent SS. PP. allati, & Catechismus cum D. Bonauent. *Act. 17.* vbi D. Paulus Dei existentiam in omnibus probat *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Dictio autem (*In ipso*) accipitur à Patribus efficienter.

RESPONDET Dola, asserere solum concursum remotum, quatenùs dedit agentibus virtutem.

AT Apostoli ratio nulla esset ad probandam Dei immensitatem, delubro non adstrictam. Num probabis, Regem Galliæ immediatè esse vbique, si ostendas, per suos Vicesgerentes, quibus dedit virtutem, agere; remanente eo Parisiis? Hoc sanè modo deceptus author *Libri ad Alexandrum* dicebat, Deum operari in mundo, stando in cœlis; sicut Rex Persarum Susis manendo; in omnibus vrbibus operatur.

31 ENIM verò, quia importunus Dola affert D. Augustinum 4. *de Genes. ad litt. cap. 12.* videamus. *Illud, quod ait Apostolus: In ipso viuimus, mouemur & sumus, liquidè cogitatum quantum humana mens valet, adiuuat hanc sententiam, qua credimus, & dicimus, Deum in his, quæ creauit indesinenter operari. Et hoc est opus eius, quo continet omnia: & quo omnia pertendit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Per quam dispositionem in ipso viuimus, mouemur, & sumus. Vnde colligitur, quòd si hoc opus suum subtraxerit, nec viuemus, nec mouebimur, nec erimus. Claret igitur ne vno quidem die cessasse Deum ab opere regendi, quæ creauit, ne motus suos naturales, quibus augentur, atque vegetantur, vt omninò natura sint, & in eo quod sunt, pro suoque genere maneant, illicò amitterent.* Idem habet *tractat. 17. in Ioan.* vt ait D. Bonau.

EPISTOLA 146. *Quòd autem quæris, vtrum sigillatim à Creatore Deo corporum lineamenta formentur: non te mouebit, si quantum potest humana mens potentiam Diuinæ operationis intelligas. Quomodo enim negare poterimus, Deum etiam nunc operari cuncta, quæ creantur, cùm Dominus dicat: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor? Nam si Deus nunc ista non format, quomodo legitur: Priusquam te formarem in vtero, noui te? Quomodo etiam illud accipi potest: Quòd si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: nisi fortè credendum est, fœnum à Deo vestiri, & à Deo corpora non formari? Cùm enim dixit, (Vestit:) non de præterita ordinatione, sed de præsenti operatione se loqui satis indicat. Vnde est etiam illud Apostoli prima Cor. 15. de seminibus: Non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum; Deus autem illi dat corpus. Non dixit,* dedit; *aut disposuit, sed* (dat:) *vt Creatorem intelligas efficaciam sapientiæ suæ rebus; quæ quotidiè suis temporibus oriuntur; condendis adhibere. De qua sapientia dictum est: Pertendit à fine vsque ad finem fortiter. Et non dixit (disposuit) sed disponit omnia suauiter.* Hæc S. Augustinus.

VRGET autem; eodem modo Deum operari, quo initio; sanè immediatè; & refellit Dolam dicentem non operari nisi quatenùs dedit virtutem operandi.

RESVMO cùm D. August. id Psal. 146. *Qui producit in montibus fœnum & herbam*, &c. *Qui operit Cœlum nubibus*, &c. *Qui dat immentis escam ipsorum; & pullis coruorum inuocantibus eum.* Vbi obseruat S. Doctor, Coruulos ad Deum crocitare, vt rorem dimittat in ipsorum ora. Hæc homini sensato immediatam Dei operam dicunt. 33

VRGET S. Doctor. 2. d. 28. quæst. vlt. id Isa. 26. *Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine.* Et aduertit necessariam Dei influentiam, quam præpositio inefficientem signat, sicut alibi. *In Deo faciemus virtutem. In Deo meo transgrediar murum. Non eiicitur, nisi in oratione. Omnia possum in eo, &c.* vt notat Bellarm. *l.c.* cum D. Bonau. *hic*, & *d. 13. dub. 4.* 34

RESPONDET Dola, hoc textu abusos hæreticos; vt Deum Authorem peccati ostenderent.

RESPONDET secundò, non dicere *operatus es in nobis*; sed *nobis*; vt notat Mæracius, & Lessius, è versione LXX.

SANE hæretici & aliis Scripturis abutuntur. Ergo ne fidem non habebimus illis?

SVFFICIT verò textus etiam eo modo, vt notat Bellarm. ita enim D. Bonau. legit, nixus *Interlineari*, sic & D. Thom. *p. 1. quæst. 105. art. 5.*

SERAPHICVS Doctor, de decem præceptis adducit id Iob. 16. *Manus tuæ fecerunt me, & psalmauerunt me totum in circuitu. Nonnè sicut lac mulsisti me; & sicut caseum me coagulasti? Pelle, & carnibus vestisti me, &c.* & 2. Macab. 7. *Nesciò qualiter in vtero meo apparuistis. Neque enim ego membra vestra ipsa compegi, &c. Sed Creator.* 35

RESPONDEBAT Pelagius, & posteà Durand. & Dola; vt monet Bellarm. hæc dici, quatenùs Deus dedit virtutem.

SED refellit D. Aug. *ep. 146.* & verba ipsa clara sunt. Quamuis autem Ecclesia non damnauerit directè opinionem Durandi, quâ Pelagius remotè sibi basim struebat ad inferendum, satis esse nobis libertatem à pueritia, etiam ad opera supernaturalia, ad meritum, &c. nec opus esse auxiliis à Christo comparatis; quam illationem Concilia damnarunt, vt perniciosam hæreticam, ruinoso elatam fundamento. Hanc tamen quòd sedulam de nobis Dei oppugnat, vtique in rebus naturæ prouidentiam, ingrati animi molem proclamant D. Hieronymus, aliique Patres; & vt à Scripturæ Petra declinantem sacrilegè prophanam, altè conclamant. Stultum est verò dicere, definitum pro Durando, quoad actus materialiter prauos.

MVLTOS Patres vidisti suprà; pluresque apud Doctores nostros passim obuiant.

PROBATVR etiam rationibus validis S. Bonau. primò, quoad actus substractos culpæ.

PRIMA ratio. Nullum instrumentum, etiam à principali agente fabrefactum, se solo potest agere; sed eget immediato principalis causæ concursu. Omnes creaturæ sunt instrumenta Creatoris ad agendum: ergo. Maior probatur primò. Ideò SS. Patres 36

ad c.1.Ioan. negant, Verbum fuisse Patri instrumentum ad creationem. Vide ibi D.Bonau. & *in 4.dist. 28.art.1.q. 4.ad 2.* Quòd si aliqua causa principalis non tangat immediatè effectum; vt cum Serra, vel Dolabro scindimus lignum, tamen instrumentum coniunctum perfectissimè pendens, quoad omnia, eget immediato concursu, & contactu. Talis est creatura, quæ omninò pendet magis à Deo, quàm quoduis instrumentum a principali. Ideò obseruat S. Doct. cum Patribus, id. *Sine ipso factum est nihil.* Ioan.1. Et id cap. 15. *Nihil sine me potestis facere.* Quæ loca coniungit S.Aug. *ibi.* Ita etiam de hac necessaria coniunctione creaturæ cum Deo, vrget id *Act.* 17.*cit.* & Psal. 138. *Etenim illuc manus tua deducet me, &c.* Hinc manet probata & Minor.

37 Confirmatvr quoad actus etiam materialiter prauos ex *Isaia* 10. vbi Assur dicitur *baculus furoris Dei.* etsi iniquus. Mox addit. *Numquid gloriabitur securis contra eum, à quo trahitur? quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus.* Vbi Glossa. *Sicut instrumenta nihil sunt, per se agentia: ita Sennacherib nihil per se operatus est.* Hinc vrget S. Bonau. ad materiale etiam prauitatis Deum operari immediatè, tametsi formale è solà voluntatis prauæ malitià sequatur; *vt notat ad vltimum.*

Respondet Dola *part.4. cap.16.* creaturas esse causas principales, & quadam sola proportione esse instrumenta Dei ad suos actus.

Similitvdo iam ostensa est, maiorem claudere proportionem necessitatis.

38 Secvnda ratio est. Quæ sunt eiusdem generis, habent eadem principia *ex primo cœl.,text.* 60. Sed actus dantis eleemosynam ex pietate, & dantis ex inani gloriâ sunt eiusdem speciei physicæ: Ergo. Sed primus est à Deo immediatè, quod ostensum est, & D.Bonau. supponit quæstione indignum. Ergò.

39 Tertia ratio D. Bonau. Ad opera miraculosa non habet homo à natura primò virtutem. Cùm igitur aliquis facit miracula ex inani gloria, quod sanè potest fieri, cùm sit gratia gratis data, & ita fecêre Apostoli, cùm exultantes reuersi dixêre. *Ecce spiritus subiiciuntur nobis*, tunc sanè Deus cooperatur actui illi physico immediatè. Ergo.

40 Qvarta ratio. Addiscens auarâ intentione scientias à Magistro ignaro, sed supernè edocto; puta dono linguarum, & scientiæ cælitus dictatæ, docente. Itidem animo auaro ita se habent; vt egeant, & discipulus, & magister Dei adiutorio immediato ad actum physicè malum.

41 Qvinta ratio D. Bonauent. è D. Anselmo suprà. Agens immediatè attingit effectum, quoties producitur effectus, quem non produceret altera causa: sed adulterans generat filium, quem se solo non potest; vt habes 2. *Machab.*7. ergo eget adiutorio immediato principalis concausæ, à qua producitur, & cui acceptus fertur. Est argumentum D. Anselmi.

Respondet Durandus, & Dola, adulterantem solùm gignere corpus organicum; Deum verò postea infundere animam.

42 Hoc est contra Scripturam 2. *Machab.*7. vbi Sancta illa mater, à Spiritu sancto in eloquio etiam laudata, dixit filiis. *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis, non enim vitam ego donaui vobis, & singulorum membra non ego ipsa compegi; sed mundi Creator*, &c. Quòd si è legitima copula non aderat Sanctæ mulieri ad embryonem efformandum virtus; non credo datam ab initio lapsuris in adulteria.

Deinde ratio Seraphici est D.Anselmi, *de casu diab. cap.*20. vbi ait. *Quid mirum, si dicimus, Deum facere singulas actiones, quæ fiunt mala voluntate; cùm fateamur, eum facere singulas substantias, quæ fiunt iniusta voluntate, & inhonesta actione.* En substantia corporea à Deo producitur, etiamsi ex adultero genita.

Afferam modò argumenta vniuersalia de omni actione. Et sanè si Deus operatur actus, quibus culpa substernitur, multò magis reliquos; vt confitetur Dola.

Primvm argumentum habetur *in corp.quæst.*1. 43
Prima causa vniuersalis, infinita, perfectissima, a qua omnes causæ pendent, & suas habent perfectiones in esse, & operari, certè operatur, modo perfectiori, omnia. Sed Deus est talis causa: Ergo omnia modo perfectiori operatur, quàm causæ secundæ. At causæ secundæ per se operantur immediatè, quæ est perfectio operandi: Ergo multò magis Deus. Maior probatur. Causa primordialissima, vniuersalissima est ens simpliciter per essentiam, atque adeò continet omnes perfectiones, quas aliis entibus per participationem dat. *Nemo enim dat, quod non habet.* Minor est Dolæ, qui *num.*6. fatetur, modum agendi immediatè, & per se, esse nobiliorem modo agendi mediatè, & per aliud; sicuti perfectior est modus agendi per se. Vnde ideò Aristoteles 1.*Metaph.initio*, vocat substantiam *ens*: at accidentia, *entis entia.* Hoc argumentum habet S. Doctor etiam 1.*d.*37. *part.*1.*quæst.*1.*in fund.* & *in* 2.*d.*1. *punct.*1. *quæst.*1. *in fund.* & *in* 1.*d.*45.*art.*2. *quæst.*2. & 2.*part. Breuil. à cap.*1. vbi & aliæ rationes afferendæ.

Dola Sagax, qui audiuit ab Arriaga, nostra argumenta benè constipata vrgere; ea refert delumbata, sumpta ex vnâ, vel aliâ Dei attributione: Proptereà astus eludo veritate. Ipse enim refert D.Bonau. arguere, Deum esse causam immediatam, quia præcisè est vniuersalis, & primordialis, cui aliæ causæ sunt subordinatæ, & ait; non rectè id inferri; vt notat Scotus 2.*distinct.*37.*in Report.* At S. Doctor arguit è primæ causæ infinitâ perfectione; vt videre est locis allatis, præsertim *Breuiloquio*: & hoc pacto argumentum est durum, vt ostendi *Tract.*1.*disput.*6. *quæst.*2.

Hvic argumento cedit campum, quoad omnes actus, exceptis materialiter malis, dicens, se timêre à Concilio Tridentino; & mirari non ingeri de hoc scrupulum alicui è nostris Doctoribus. Ità confitetur, opus suum inutile ad recidendas quæstiones plurimas, nempè de concursu Dei ad actus naturales, & moraliter bonos. Quoad materialiter verò prauos, suam opinionem sine fundamento confitetur, quippè eam negantibus merus scrupulus ingeri queat. At sapientes nostros scrupulis non agi, ne mirere. Eos & ipse pellere meritò teneris, tot eruditorum, quos iustè colis Sacri Concilij cultorum, authoritati adnixus.

Secvnda ratio ducitur à S.Doctore è D.Anselmo *de Concord.* &c. *loco citato* Ille effectus, qui necessariò eget immediato concursu ad sui conseruationem; eget & ad sui productionem, cuius conseruatio est continuata productio: Et è contra. Illa causa dat operari etiam motus omnes, quæ dat conseruationem, ex D. Anselmo *loco citato.* Sed talis effectus est creatura; & talis causa est Deus. Ergo. Minor probatur ex Apostolo, Heb.1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* vbi Græcus addit *per se ipsum* δι ἑαυτῦ & connectitur rectè signans, omnia per 44
seipsum

seipsum conseruare, & adiuuare ad omne opus, nempè immediatè. Idem habetur *sap.* 11, *&* 12. & *psal.* 146. & idem astruunt SS. Patres, Augustin. *lib.* 4. *de Genes. cap.* 12. & *lib.* 8. *cap.* 12. Chrysost. *homil.* 10. *in Genes.* Gregor. *lib.* 16. *Moral. cap.* 18. Damasc. 1. *de fide, cap.* 3. D.Thom. *part.* 1. *quæst.* 104. *art.* 1. apud Bellarm. Ità creaturæ, sicut pendent à Deo in esse immediatè; ita in operari. Est argumentum D.Gregorij 4. *Moral. cap.* 18. quo vtuntur cùm D.Anselmo, & D. Bonauent. P. Galitius *loco citato num.* 15. Caspens. *tract. de volunt. Dei, d.* 5. *sect.* 3.
45 Trigos. *concl.* 3. Bellarm. *loco citato*; imò D. August. *tract.* 17. *in Ioan.* vbi ex eo deducit cùm ipso Domino Iesu, cuius primò est argumentum, filium adhuc cum Patre omnia, etiam minuta operari immediatè, quia & immediatè ea condidit. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Illud enim, *vsque modo* signat eundem modum, ac continuationem eiusdem operationis immediatæ. Etenim hic prætendit, his operibus non violare Sabbathum, quod nullus diceret violari; eò quòd tantùm creaturis in natalibus dedisset virtutem, vt notat Vasquez, vrgens cum Gregorio. Est quoque argumentum D. Chrysostomi, *homil.* 4. *in Ioan.*

46 VRGET Suarez. Eadem ratio, propter quam causa creata pendet à Deo in suo esse, probat quòd effectus ab ea productus pendeat ab ipso Deo in suo esse, hanc autem dependentiam immediatam in suo esse, causa creata ab initio suæ existentiæ habet.
13 Ergo eodem momento, quo fit creatura, in suo *esse*, & *fieri*, pendet à Deo. Ergo non potest talis effectus à causa secunda prodire, quin à prima causa immediatè emanet, & fiat.

RESPONDET Dolanus, non necessariò omnem effectum à Deo immediatè pendêre in conseruari; sed posse ab alia causa id fieri.

SED dictum hoc nouum, est erroris suspectum, & refellitur à D.Bonauent. *in* 1. *distinct.* 37. *quæst.* 1. & *in* 2. *d.* 37. *quæst.* 2. ex professo termino immediatæ causæ; non quia sit prima independens; vt fingit Dola; sed quia creatura ita ab ea cogitur pendêre. Quo medio vtuntur etiam Lessius *de Prouid. Dei cap.* 3. Theophylus Raynaudus *decis.* 1. *Theol. natu. quæst.* 1. *&* 2.

46 RATIO creaturæ dicit intrinsecè defectibilitatem ab esse, quod sibi est accidentale; vt docent D. Gregor. *lib.* 4. *Moral. cap.* 18. & alij Patres allati. Ideò talis assistentia est ei necessaria, quæ à nulla creatura esse potest. Nam potentia non reducitur ad actum, nisi per ens actu; nec mutabile sistinetur fixè, nisi per immutabile; vt ait Aristoteles *text.* 27. & quantò magis res accipit à causa, tantò magis ab illa pendet; & sicut omnis essentia à prima pendet; ità & omne esse, à primo esse; & duratio à prima duratione; & operatio à prima: & sicut virtus Dei infinita attingit intimè immediatè esse, & virtutes rerum; ità & actus: alioqui ad determinatum operari limitaretur. Hinc Apostolus ad Deitatem comprobandam vtitur hoc. Heb. 1. *Portans omnia per se ipsum, Verbo virtutis suæ.* Id explicans D. Augustin. 5. *de Genes. ad litt.* vocat Dei conseruationem, continentiam. Sic & PP. allati *Tract.* 1. *disput.* 6. *quæst.* 2. ex operatione immediata profectò inferunt Dei præsentiam vbique. Et est argumentum Spiritus sancti. Confirmatur à Fuliensi. Si enim creatura immediatè pendet à Deo, quò ad esse nobilius. Ergo & quoad actus, qui sunt ignobiliores, cùm sint effectus æquiuocè agentis creati.

48 HINC vana conuincitur Dolæ responsio, dependentiam à Deo non esse intrinsecam creaturæ, quia si per impossibile vnaquæque à Deo non penderet, sed ab alia creatura, adhuc esset defectibilis & creatura; vt ait Arriaga *disputat.* 6. *Physic. sect.* 1. *subsec.* 2.

HAS sanè argutulas retundunt suprà dicta, & rursus D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 1. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *fund.* 2. Dubio procul talis creatura in nihilum abiret, & creaturæ inanitatem sentiret; at ratio creaturæ dicit etiam intrinsecam transcendentalem à Deo dependentiam, etsi Deo efficiente non egeret; iam Deus nec primus efficiens esset, nec vltimus finis; atque adeò nec infinitum ens, nec bonum; ac proinde non esset Deus: supponere autem, Deum non esse ob intrinsecum defectum essentiale creaturæ, est chimæras construere. Et hoc ait author libri de causis, prop. 16. *Omnes virtutes, quibus non est finis, esse pendentes per infinitum primum, quod est virtus virtutum*; vt ait D. Bonauentura. Vide S.Doctorem etiam *quæst.* 2. *ad* 2. Quare dependentia immediata à Deo est creaturæ intrinseca. Prima sanè causa est alicui immediata, ne abeas in infinitum, & quia ad omnes eodem modo semper se habet; vt habetur *in lib. de causis*, & sæpè refricat Seraphicus Doctor, debet omnibus esse immediata; vt docet D. Bonauent. *quæst.* 2. *ad* 2. Hinc cedit rationem, ob quam Librum suum necessarium ait, ad dimouendas lites, circa concursum Dei ad actus bonos. Quoad actus malos, vrget D. Bonauent. *argum. secundo suprà allato*, pro actibus prauis.

E X his oritur illa ratio celebris D. Bonauent. *in corp. quæst.* 1. *&* 2. & *distinct.* 1. *part.* 1. *artic.* 2. 49
quæst. 2. *ad* 3. & D. Thomas *loco cit.* Omnis causa operatur in quantum est actu: sed creaturæ non sunt actu ad singulos effectus: ergo. Maior est axioma Metaphysicum. Minor probatur, quia causa finita, & ens per participationem, est in potentia dependens ab ente per se in omnibus; vt arguit S.Doctor *quæst.* 2. *in fund.*

INANIS est responsio Arriagæ, & Dolæ, satis pendêre à permissione, nec requiri dependentiam positiuam immediatam. Hanc responsionem ex dictis euanescere, omnibus liquet.

VRGEO cum D. Bonauent. *quæst.* 1. *fund.* 3. & 50
distinct. 26. *quæst.* 6. ex actibus supernaturalibus; Actus fidei, vel contritionis elicitus à Pagano, est à Deo immediatè; vt omnes fatentur, nec ex habitu aliquo id prouenit; talis enim habitus in infideli est inauditus apud Theologos. Neque satisfacit Dola dicens, esse qualitatem subiectam voluntati. Nam cùm sit agens determinatum physicum inanime, ad vnum numero actum ordinatum; quomodo se solo adaptat suum operari libertati? Sanè Dola conuincitur.

PORRO Dolanus concedit, Deum concursu immediato, & identifico concurrere nobiscum ad hos actus.

QVINTA ratio Seraphici *locis cit. in resol.* Deo 51
attribuendum est perfectissimum dominium super opera nostra: Ergo immediatum, quod perfectius est, & naturæ Diuinæ debitum, quæ est in omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam.

RESPONDET Dola, concedendo de actibus bonis; sed ait, non debere nos Deo adulari fatuè, quoad actus prauos.

AT nostræ sententiæ Doctores non sunt fatui adulatores.

SEXTA ratio ex dictis, & ex D.Bonau. *locis citat.* 52
Idem est primum efficiens, & vltimus finis, ex 2. *Physic.*

Phys. text. 22. vt vrget S.Bonau. 2. *d.* 1. *q.* 1. *fund.* 5. Ratio est, quia ens, & bonum conuertuntur: Ergo quod est primum ens est summum bonum, sed Deus est bonum, quod omnia immediatè tandem attingunt, vt finem: Ergo est efficiens, à quo sunt immediatè. Confirmatur à S. Bonau. *corp.* & à Complutensibus: quia fundamentum dependentiæ creaturarum à Deo, vt causâ, est, quia Deus habet esse per essentiam, & creaturæ sunt entia secundùm totum quod habent, per participationem, quam à creatura nequeunt obtinere. Responsa Dolæ è dictis eliduntur.

Septima ratio sit. Optima cognitio est per causam immediatam ex Aristotele 1. *Post. c.* 2. Deus est causa, in qua ipse, & beati perfectè cognoscunt omnia: ergo est immediata.

Multa alia vide *Tract.* 1. *disp.* 16. *quæst.* 5. & *Tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 5.

Dola vnam partem libri insumit contra Prædeterminationes; sed has repuli & ego *tract.* 1. *d.* 13. *num.* 135. Aliam partem, contra Assertores scientiæ mediæ, sed eius argumenta retudi *Tract.* 1. *disp.* 13. *quæst.* 12.

Impugnat modum cognoscendi futura contingentia; sed hunc defendi *ibi*, *q.* 11. Et *disp.* 16. *q.* 15. & *seq.* & *disp.* 21. *q.* 20. ostendi libertatem à diuinis decretis non læsam.

53 Multa congerit contra Dei immediatum concursum ad materiale culpæ; sed ea dissolui cum D. Bonau. ad arg. *tract.* 1. *disp.* 16. *q.* 13. & ex dictis ruunt, quod persensit Dola *p.* 4. *c.* 5. præcipuè è Patribus allatis, id enitet, qui solum defectum negant esse à Deo.

Respondet Dola *p.* 4. *cap.* 10. Ideò Patres dicere, peccatum esse defectum, cuius non sit quærenda causa efficiens; sed deficiens: non quia non habeat causam, sed quia debemus potiùs peccata deflere, quam causas quærere, & scrutari. Vel, Deum non esse causam deficientem, id est reum.

At SS. Patres directè causas inquirunt; cur formale peccati nullus efficiat, nempe, quia est defectus, nihil, &c. Præcipuus est passim D. Aug. præsertim 12. *de ciu. c.* 7. vbi, cùm ostendisset, peccatum non esse ens, sed priuationem, subdit: *Nemo ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis; non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio.* Sic *Tractatu* 1. *in Ioan.* & Theologi, cum D. Bonauent. relato *tractatu* 1. *d.* 16. *q.* 5. & *seq.* D. Thom. *p.* 1. *q.* 49. Idem habent Patres allati *argum.* 1.

Hæc, quæ suprà diximus, ostendunt, Deum non maculari concurrendo ad materiale culpæ; vt ostendi etiam *l. cit. Tract.* 1.

Obiicit secundò. Absurdum censetur concedere, animam Christi peccare potuisse, quia culpa attribueretur supposito Verbi, cùm tamen Verbum operetur solùm denominatiuè. Absurdius est dicere, Deum cooperari materiæ peccati. Hoc argumentum efficax dicit.

Respondeo cum D. Bonau. longè disparia esse: nam ibi absurdum censetur, animam Christi antecedenter sibi determinare formalem culpam; *hic* verò dicimus, Deum ex suppositione malæ voluntatis cogi cooperari materiali, quod genere diuersum est, & longius quam Cœlum à terra.

Obiicit tertiò; è concursu immediato tollitur libertas ad alios actus, cùm hic numero sit decretus.

54 Respondeo, determinatum esse actum, non antecedenter, sed præuia scientia media; vt ostendi *Tractatu primo*, *disputatione* 37. *numero* 219.

Obiicit quartò. Operari sequitur ad esse. At esse Dei, & nostrum sunt diuersa: ergo.

Respondeo ita esse: at vniri, vt causas subordinatas, ad vnum opus operatum (vt cum Seraphico loquar.)

Obiicit quintò. Actus Physicus, putà esus pomi, Adæ fuit vetitus: ergo à Deo esse non potuit.

Respondet S. D. vetitum antecedenter, prout necessariò sequitur culpa; non præcisè, vt actum physicum.

Obiicit sextò. Omnis actio à bona voluntate est bona moraliter. At Dei voluntas est optima: Ergo actio bona; at velle substratum culpæ, est malum: ergo.

Respondet S. D. operationem moralem eligenti adscribendam: At solum arbitrium eligit; Deus autem concurrit ex suppositione ad actum physicum, qui est bonus; & hoc, vt causa vniuersalis. 55

Respondet secundò, omne opus operans bonum bonæ voluntatis, esse bonum; quia nequit arbor bona malos fructus facere; opus verò operatum esse bonum, ea bonitate, quâ operatur agens; & quia ad substratum culpæ Deus operatur, vt causa rerum Physicarum vniuersalis, eâ solâ intentione, quâ ens physicum est, & ex suppositione nostræ voluntatis ad deficiendum, ad quod ipse non peruenit, & omnia ordinat ad bonum: ideò actio Dei physicè, & moraliter est bona.

Obiicit septimò. Omnia ad bonum finem acta, bona sunt, & à Deo, qui omnia propter se operatur, non cætera; at materiale culpæ non est tale: ergo.

Respondet S. Bonau. substratum culpæ, vt procedit à Deo, esse bonum physicè, & moraliter; hoc tamen in omni opere non euenit: quia multa sunt moralitatis incapacia, etsi, vt à Deo, ad sui dignissimam gloriam referantur. 56

Obiicit octauò. Quandocunque agens continuatur cum regula agendi rectè, rectum operatur: Sed operans substratum culpæ, eadem actione continuatur cum Deo agenti, qui est prima regula: Ergo.

Respondet S. Bonau. arbitrium, vt efficiens, continuari; at eligendo illud, vt sequatur culpa, non continuari Dei bonitati. 57

Obiicit nonò. Vel actio illa est tota à Deo, vel pars tantùm; vel tota à Deo, & libero arbitrio nostro. Si hoc dicas, erit tota bona; & tota mala. Si secundum: ergo pars tantùm bona, & non tota est à Deo.

Respondet S. Bonau. esse vnam actionem, quæ, vt actio est, tota est à Deo, tota à libero arbitrio: at vt deficiens, est à libero arbitrio solo; non à Deo indeficiente.

Obiicit decimò. Causa principalis, mouet minùs principalem: Deus est causa principalis: ergo mouet arbitrium ad malum.

Respondet S. Bonau. Deum esse causam principalem, id est primam, modo conuenienti; ad actiones quidem supernaturales excitans, præueniens supernè: ad naturales cooperans causis secundis; ad substratum verò culpæ ex suppositione modis dictis cooperatur. 58

Hinc habes obiter, Seraphicum non esse cum prædeterminantibus, qui Deum; vt causam vniversalem etiam naturalium, physicè præmouentem asserunt.

Restat

Restat argumentum Durandi. Si Deus totam actionem operatur: ergo frustrà est causa secunda.

59 Respondetur, causas subordinatas non esse adæquatas, ideò nec alteram superfluam. Quare sicuti Sol cum homine generat hominem; ita & Deus cum homine vnum actum operatur.

QVÆSTIO III.

An Simile *agat in simile.*

60 Aristoteles 1. *de gener. cap.* 7. docet; agens, & passum non debere esse omninò similia; quia simile in simile non agit. Quæritur: An verum sit, & quomodo? Similitudo sane dicitur secundùm qualitates.

Multis modis potest aliquid esse alteri simile: Primò in qualitate: non in gradu. Sic calor vt quatuor, & calor vt sex. Secundò etiam in gradu, vt duo calores vt quatuor. Tertiò in gradu, & qualitate; sed non in virtute, vt duo calores vt quatuor, quorum alter est in materia aptiori, & densiori; vt calor in ferro, & in paleis: aut calor in ligno palmari, & in magno trunco.

Non est quæstio: An simile, secundùm vnam qualitatem, possit agere per accidens, ratione alterius dissymbolæ; vt aqua calida in lignum calidum humectando. Sed quæritur de simili, in simile formaliter.

61 Omnes concedunt, simile solùm in qualitate, posse in simile tale agere: vt monent Tolet. *q.* 13. Colleg. *c.*9. *quæst.* 2. *art.* 1. Titelman. *lib.* 5. *cap.* 9. Zabarella *de actione.* Bannes *quæst.* 2. *cap.* 6. Solus Aureolus reclamat 2. *distinctione* 25. *quæstione vnica, art.* 1.

Qvoad similia verò aliis modis. Aliqui negant, posse simile in qualitate, & gradu agere in simile; esto dissimile in virtute, ratione extensionis, vel densitatis continentis plures gradus extensiuè. Sic Auicen. 7. *Metaph. cap.* 3. Gregor. *in* 1. *distin.* 17. *quæst.* 4. *art.* 2. Venetus *summ. de gener. cap.* 3. Albertus Saxon. 1. *de gener. quæst.* 19. Colleg. *loc. cit. art.* 3. Adducitur etiam D.Th. *ad cap.* 7. 1. *de Gener. textu* 48. Eustachius, *p.* 2. *Physicorum, tractatu* 2. *quæst.* 2.

Alii è contra opinantur, posse tale simile agere in simile, Tolet. *loc. cit.* Sotus 2. *Physic. concl. vlt.* Nyphus 1. *de Gener. quæst.* 2. & P. Laurentius Vlmus, vir doctissimus.

Alii dicunt, inter agentia vniuoca exigi dissimilitudinem, saltem secundùm gradus; non inter æquiuoca, quæ nobiliori forma agunt. Sic Mastrius, & Bellutus *d.* 2. *Physicorum, quæstione* 1 Vasquez, *prima secundæ, disput.* 80. *capite* 1. post Scotum, 1. *dist.* 17. *quæst.* 3.

Alii concedunt inter omninò similia actionem. Sic Zabarella.

Pater Galitius dicit primò, non esse actionem per se inter similia in qualitate ex D. Bonau. *in* 4. *dist.* 44. *p.* 2. *art.* 3. *q.* 2. vbi verò S. Doct. exigit contrarietatem ad actionem physicam; non ad intentionalem perfectiuam. Secundò ait, inter similia in gradu; sed dissimilia in qualitate, posse esse actionem; puta inter calidum vt quatuor, & frigidum vt quatuor, ex Diuo Bonauentura, *in* 4. *distinctione* 20. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 1. Ibi ait, inter Symbola elementa esse actionem, ratione qualitatis contrariæ: Hæc tamen in vno intensa; in altero remissa esse potest.

Tertiò concludit, esse actionem inter similia.

Sententia S. Doct. ea mihi videtur; vniuersaliter requiri contrarietatem sic loco primo allato, & *disp.* 12. *p.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. etsi *q.* 2. *ad vlt.* concedit, si species sacratæ misceantur liquori eiusdem rationis a generatione; puta si mittantur in dolium, vino plenum; vnde sumptæ fuerunt, cessare ibi esse corpus Christi: In quo fallitur Suarez, *disput.* 57. *sect.* 4. Idem sentit D.Th. apud Victoriam, & Scotum, quia disperguntur in minora minimis. Et *in* 2. *dist.* 17. *quæst. vlt.* negat simile etiam in virtute agere. 62

Assero primò, Similia in qualitate non agere in se inuicem per se, secundùm eandem qualitatem: Colligitur è Diuo Bonauentura, 4. *d.* 44. *parte* 2. *articulo* 3. *quæstione* 2. Innet. *Tractatu* 7. *capite* 3. 63

Probatvr ab Aureolo ratione D. Bonau. quia agens agit: vt sibi passum assimilet. At simile in qualitate est specificè similatum.

Assero secundò, inter dissimilia in qualitate, etsi in gradu similia, esse per se actionem. Colligitur è D. Bonau. *in* 4. *d.* 10. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 1. 64

Probatvr, quia actio venit è virtutis excessu, ex Aristotele *libro de motu animal.* & è contrarietate, ex eodem 1. *de gener. cap.* 8. Sed inter talia similia est contrarietas, & potest esse excessus: Ergo. Prior pars minoris patet: Posterior explicatur. Qualitates primæ ita dispositæ sunt; vt aliqua sit maximæ actiuitatis, & minimæ resistentiæ; vt calor: Alia minoris actiuitatis, sed maioris resistentiæ; vt frigus: Igitur potest calor vt quatuor, agere in frigus vt quatuor; quia calor in pari gradu est actiuior, imò in paucioribus gradibus: Sic enim aqua calida vt quatuor, missa in frigidam vt octo, tepefacit eam. Ex quo malè Zabarella, & Galitius eruunt, posse vnum inferioris virtutis agere in longè intensius virtute; si dixisset *gradu*, ita acquiescerem: at *virtute* non; nam agens debet passo dominari, alioquin, quid imprimet? Sanè calor: quia actiuissimus, superat frigus. Quoad agens æquiuocum, non credo in eodem gradu virtutis illud magis agere, quàm vniuocum: Nam & illud producit effectus eosdem. Ita Sol, cum igne par, producit ignem eiusdem speciei, dicitur verò altioris virtutis: quia in sua forma, alias multas virtute continet; non quia singulæ sint perfectiores formis vniuocis; vt dixi. 65

Assero igitur tertiò. Inter similia omninò non esse actionem. 66

Probatvr à D. Bonauentura ratione Arist. 1. *de gener. cap.* 6. Omnis actio est à contrario in contrarium; ablata enim omni contrarietate, non est maior ratio, cur vnum agat potiùs, quàm patiatur: Ratio est; quia vt vnum agat, debet alterum aptum esse pati: Debet enim vnum esse actu: alterum potentiâ: ergo dissimile.

Assero quartò, dissimile tantùm ratione multitudinis graduum extensiuè, non intendere alterum simile, putà ferrum calidum vt quatuor: lignum calidum vt quatuor. 67

Probatvr. Agens secundùm rationem, quâ agit, debet esse actu; & passum in potentiâ, ex Aristotele *loco citato*, & 3. *Physicorum*, *text.* 17. Sed calidum, vt quatuor, non est actu super calidum

dum vt quatuor, secundùm intensionem: Ergo secundùm hanc rationem non aget.

Probatur secundò ex Aristotele 1. *de Gener. cap. de Rarefac.* Potentia actiua est principium transmutandi aliud, in quantum aliud. Sed agens densum non est aliud à passo, in quantum aliud secundùm intensionem: Ergo.

68 Probatur tertiò argumento D. Bonauent. sumpto ex Aristotele 1. *de Gener. text.* 46. & 50. & 1. *Physic. text.* 41. Actio est inter contraria. Sed inter similia in qualitate, gradu, & virtute non est contrarietas: Ergo. Maior probatur, quia agens agit, vt suam formam inducat, & pellat alienam. Minor probatur; quia sunt eiusdem rationis, nec habent inuicem, quid pellant. Esto agat maiori velocitate, & latiùs hoc, quàm illud.

Probatur quartò. *Nihil dat, quod non habet.* Sed agens calidum vt duo, non habet calorem intensiorem: Ergo.

Probatur quintò. Si multitudo graduum intensionem causat, poterit multitudinem parem sibi producere, etiam mille graduum.

Obiicies primò, densum calidum magis sentitur, quàm rarum.

69 Respondent, non intendere, sed multiplicare species.

Obiicies secundò, calor in ferro magis vrit, quàm in stupa, & tamen non excedit eundem gradum octauum, quem habet in stupa ignita; imò nec tot gradus, cùm in ferro non sit sæpè forma ignis, etsi candens sit.

Respondeo, id fieri ex maiori applicatione agentis, vndique obsidentis passum; stupa verò aliquas sola particulas tangit. Habet etiam ferrum virtutem vnitam, quæ est fortior dispersâ; vt ait Aristoteles 1. *Metaph.* vnde conseruatur, resistens extrinsecis; non sic stupa.

Obiicies tertiò. Ponatur candela in cubiculo, & per fenestram emittat lumen. Addatur alia eiusdem intensionis, emittet longiùs lumen; & hæc actio apud Thomistas est vniuoca; etsi Scotistis æquiuoca visa sit.

Respondeo, lumen continere esse reale, & intentionale; vt dicam *tractat.* 9. *de anima disput.* 5. *cap.* 2. *quæst.* 3. ideò multiplicatur ad modum speciei.

Obiicies quartò, Aër congelat quam, etiamsi frigidiorem; eò quòd maius est ambiens.

70 Respondeo, congelationem fieri præcipuè antiperistasi, vniente se aquâ ad fortiùs resistendum. Neque verò congelata est absolutè frigidior, sed adde viscositates ex *quarto Meteor. text.* 37. Sunt enim aquæ frigidissimæ quæ suo necant frigore, nec congelantur, qualis ea Lethè, quâ necatus est Alexander. Vnde 2. *de gener. text.* 15. ait Aristoteles reperiri varietatem.

Assero quintò. Dissimile in quantitate, ac partium multitudine, tametsi aliis modis simile, probabile est agere. Patet allatis experimentis.

71 Probatur à D. Bonauent. *loco citat.* Si species consecratæ vini proiiciantur in dolium vini, eiusdem speciei, cuius erat vinum ante consecrationem, soluuntur species, & cessat ibi Corpus Christi: Hæc tamen non est inter qualitates contrarias.

QVÆSTIO IV.

An Agenti *fiat resistentia, & quid ea sit.*

Nota è D. Bonauent. 1. *distinct.* 40. *artic.* 4. *quæst.* 1. & *in* 4. *d.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 5. & in *Compend. Theol. loco citat. cap.* 31. & *lib.* 1. *de profectu Religiosi, cap.* 6. & *in Specul. disciplinæ, part.* 1. *cap.* 2. Deum, & naturam rebus naturalibus dedisse, vt se ab aduersis tueantur; ita qualitates actiuas; & restitiuas dedit elementis proportione aptas; vt quæ magis actiuæ sunt, minùs aliis restitiuæ, vt agentes in aliud, hoc resistente propriæ destructioni, ad mixtiones conueniant, fœdere inito. Id etiam secundæ iuuant qualitates; vt durities, densitas, &c. In his autem tria obseruat S. Doctor Primum est inhabilitas ad suscipiendum alienas impressiones; puta in ferro, vel saxo; vt non perforentur & hæc videtur priuatio, orta è duplici positiuo. Primò quidem ex agentis debilitate. Ità pila tormento bellico excussa, non penetrat loricam, quia debili puluere erat coniecta. Secundò ex firmitate passi. Sic Lorica ictui resistit pilæ plumbeæ, quia electo è ferro, ritè purgato, & examinato fabrefacta. Atque hæc est propriè resistentia. Secundum, quod ponderat Seraphicus Doctor, est habilitas, & dispositio passi ad persistendum, quæ est conseruatio illius resistentiæ, seu priuationis impressionum. Tertium est idoneitas ad repellendum agens; & hæc est reactio; de quâ *sequenti quæstione.* 72

Hæc ad spiritualia obiter transfert S.D. comparans cum obstinatione impij, quæ non recipit Diuinas impressiones; durat in sua peruicacia, & Dei inspirationes repellit. Sic etiam iustus non admittit diaboli impressiones, perseuerat, atque repellit, Dei gratiâ, tentationes. 73

Rem arduam, hanc reddunt varij opinantium modi, apud Zabarellam, *de React.* Fabrum *thor.* 43. Aresium *disput.* 6. *Gener. quæst.* 47. Picolom. *l. de Elementis, cap.* 25.

Nota secundò è Diu. Bonau. *in* 4. *distinct.* 16. *art.* 3. *quæst.* 1. creaturas, tum ad agendum, tum ad resistendum, apta instrumenta obtinuisse. Nam, cùm resistentia ad operationes conferat; vt docet Seraph. Doct. *in* 2. *disput.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. ita se tuentur, vt sæpè resistentes antiperistasi, etiam proprias vires exerant, veluti cùm nubes vniuntur ad resistendum exhibitioni; vnde eam corruscantem magno tonitru repellunt, & aqua ab igne inuasa frigus colligit ad extremitates viciniores suo contrario. Ideò labes supposito igni, resistens frigus ad fundum colligit. Sic sanguis ad cor fugit inuasum. Id tamen non omnia præstare valent; quas enim vires lorica, aut saxum colligit, vt bellico resistat tormento? 74

Fallitur P. Galitius, ponens resistentiam in hac virium collectione. Hæc enim non resistentia est, sed præparatio ad resistendum, sicuti & agminis ordinatio ad resistendum inimico; neque semper hæc collectio virium interuenit, vt dixi, ad resistendum inimico; vnde sine ea, lorica resistit. 75

Addit etiam, non admittere actionem, non esse resistere: tum quia etiam ante actionem, nulla admittitur actio, neque adhuc resistitur: Tum quia durat etiam post factam inuasionem: Tum quia sequeretur etiam incorruptibilia resistere: nam hæc non

non admittunt inimicas impressiones. Hæc *part. 2. l. 3. tract. 5. quæst. 2.*

RESPONDEO, pace tanti viri, quando dico, *resistere*, esse non admittere impressionem, supponi, hanc actu attentatam esse ab agente actu. Neque ex eo, quòd non admittitur impressio, benè infert; non esse actionem, cùm in passo subjecto non recipiatur. Dico enim, recipi conatum, sed non ictum. Sic lorica recipit pilam; sed non perforatur, aut concutitur.

AD secundum dico, durare resistentiam secundùm eam partem subjecti, vel gradum illum, quò non admittit impressionem.

Ad tertium dico, incorruptibilia resistere, dum virtute insitâ non admittunt impressiones hostiles attentatas, puta ignis.

IAM verò & ipse fatetur, in hoc motu locali, resistentiam esse priuationem, velnti cum turris non recipit ictum lanceæ.

76 ASSERO ergo, resistentiam esse, non admittere impressiones agentis: eò quòd virtus passi, virtutem agentis superat. Ita sentit Scotus, 2. *distinctione 2. quæst. 9.* & hoc explicat D. Bonau. *in morali*, resistentiam tentationibus oriri, tum è libero arbitrio confortato à Diuina gratia, tum ex infirmitate tentatoris alligati, ne totas vires exerat.

PROBATVR ex dictis; non enim est positiuum quid, alioqui erit reactio; nec est collectio virium, quæ est dispositio tantùm: ergo.

QVÆSTIO V.

De ANTIPERISTASI.

QVIA Aristoteles 1. *de Gener.* ad probandum, simile, non agere in simile, inducit hoc absurdum; fore, vt idem ageret in seipsum, hoc verò potest concipi, fieri vel antiperistasi, vel reflexione: Ideò de vtraque agam.

77 ANTIPERISTASIS Græcum nomen; latinè *circumobsistentia contrarij*, à contrario validiori ambiente obsessi.

PLVRIMÆ de hoc mirabili naturæ effectu peruolant opiniones; omnes tamen magnas subeunt difficultates.

OMITTO Galenum, vocantem antiperistases deceptiones sensuum.

PRIMA opinio censet, Antiperistasim, non includere aliquam in contrarium actionem, sed solam collectionem virium, quæ vnitæ, validiores fiunt.

CONTRA arguit S. Doct. *lib. 2. Comp. Theol. verit. c. 9. & serm. 3. de plurib. Martyr.* Videmus enim aquam superfusam calci, statim inardescere. Aquam aspersam super ferrum candens, resilientem, ac ferrum scintilas eiaculans. Itidem aquam calidam in loco frigido positam, citius congelari, quam frigidam; quia ad præsentiam caloris, frigus fortiter vrget. Sic Faber ferrum in fucinam mittens, aquâ aspergit ignem; quia eùm suum sentit contrarium, incalescit. Actionem pariter experimur in condensatione roris, congelatione grandinis, stipatione fulminis, &, vt ostendam *Tract. 7. disp. 3.* in multis meteoris.

78 SECVNDA opinio est, antiperistasim dicere non modò actionem qualitatum, sed etiam earum intensionem, è condensatione.

CONTRA tamen instant aliqui. Nam aquæ subterraneæ, æstate frigidiores; neque condensationis causam inuenimus.

SED en causa. Quia enim terrâ ex acuta Angulorum radiosa reflexione calefit, & aerem calefacit, concentrantur vapores frigidi, vim caloris inimici fugientes, & sic cauernas, & regiones subterraneas infrigidant; frigus verò aquas condensat. Id indicat Seraphicus Doctor *de septem Itineribus: Itinere 2.*

TERTIA opinio est, qualitates obsessa reflecti suprà seipsas, & se intendere. Ita aquæ puteales, à calore Solis, æstate circumuallatæ, reflectuntur, & innatum frigus intendunt. Sic Tolet. & alij. Subscribit Eustach. *parte 2. Physic. tract. 2. d. 2. q. 3.* Iuuet. *tract. 7. cap. 3.* 79

AT contra. Nihil enim agit omninò in se, *ex 1. de Gener. cap. 7.* Deinde aqua frigida vt sex, non includit formaliter, vel eminenter frigus vt octo: ergo nequit producere.

AT dicam, contineri virtualiter octo gradus frigoris in aqua, quæ per emanationem non impedita (adde adacta necessitate suæ conseruationis) reducitur ad statum innatum.

QVARTA opinio est, contrarium obsessum emittere sui species intentionales, quæ impeditæ reflectuntur in se, multiplicantur, ac fortiùs sensum feriunt. Sic Caiet. Thien. & Marsilius. 80

CONTRA arguit Diuus Bonauentura suprà; quia antiperistasis producit effectus reales. Sic enim aqua hyeme fumigat; & hoc suprà ostensum est; at species intentionales, cùm sint entia diminuta, nequeunt producere effectus reales, qui sunt ordinis perfectioris. Deinde species intentionales, non habent contrarium, cogens eas retrocedere.

QVINTA opinio est, non fieri in Antiperistasi intensionem intrinsecam; sed solùm ab extrinseco, quatenùs veniunt peregrinæ impressiones. Itaque in æstate exhalationes sparsæ, adueniente frigore, concentrantur; & aquas subterraneas calefaciunt; at æstate, aperti cùm sint pori, ascendunt liberè, & terram, in frigiditate innata relinquunt. Vnde & aquæ subterraneæ frigidissimæ sunt. 81

INSTANT aliqui, exhalationes, cùm sint igneæ, non descendere, neque à frigore expelli deorsum. Frigus enim non dat exteris motum localem; sed alterat. Quod si hæ calefaciunt aquas puteales; cur non æstate, eùm plurimæ agente Sole, gignuntur? Esto autem apertis poris erumpant; in transitu tamen calefacerent.

ENIM verò exhalationes multæ, in venis bituminosis terræ genitæ, conantur ascendere; sed à frigore constipante superficiem terræ, eis via obstruitur, atque spatiantur, vt prodeant, & ita regionem subterraneam calefaciunt. Ita frigus non dat motum directè, sed indirectè, obstruens meatus; & halitus cogens deorsum vagari Æstate verò non calefaciunt; quia actio quietem exigit agentis; vt constat in ipsa flamma euolante. 82

ALII dicunt, partes inferiores terræ impeditas in Æstate à calore extrinseco, reflecti in partes interiores, easque infrigidare; sicut ignis potens agere in spatium quadraginta cubitorum, impeditus à culmine fornacis, reflectitur, validiùs agens in fornacem. Ita Toletus.

M AT

At non reddit rationem calefactionis hyeme, quo aquæ fumigant. Quod me magis mouet; hæc, vel præcedens opinio, nullam antiperistasis rationem dant.

84 Sexta opinio est Conimbricensium *in Meteoris*, & Ruuij, antiperistasim esse collectionem contrarij obsessi, & hoc quidem suas qualitates intendere per emanationem à forma, reducente se ad statum innatum; at qualitates peregrinas imprimi ab externis; putà calorem ab halitibus obsidentibus. Ita aër in cubiculis, tempore pluuiæ repentinæ, calefit; quia calor pellitur à pluuia: At in æstu frigus pellitur ad interiora; ideò frigidæ sunt habitationes interiores.

At hoc non est agere proprium, quod in antiperistasi inuenimus; sed allegare solam emanationem. Nec redditur ratio congelationum aquæ variis modis, quæ non fiunt naturali emanatione; alioqui omnis aqua, naturâ suâ esset glacies, sanè neque calor externus per se infrigidat eam aquam. Neque rectè ad antiperistasim adducuntur peregrinæ impressiones, alterantes extrinsecè; alioqui alteratio erit antiperistasis: Antiperistasis durat enim quamdiu obsessum resistit; non quando victum alteratur.

85 Vera igitur antiperistasis ad mentem Seraphici hæc est; Statim, ac corpus obsidetur à contrario, naturali instinctu colligit simul partes viuaciores, & actiuiores, easque simul congregat ad centrum; & hæ vnitæ agunt in alias remissiores, & educunt de earum potentia nouos gradus qualitatis, quibus ad intensionem illi æqualem peruenniant, iuuante naturali emanatione qualitatis è subiecto disposito per nouam actionem; obsidente verò contrario, nec transpirare valente, instructâ veluti acie pugnat.

Sic ferè Poncius *disputatione* 25. *numero* 29. & 30. quæ verò *numero* 31. addit, parum ad rem faciunt.

86 Itaqve omnes antiperisticæ actiones explicantur his fundamentis. Aliquæ enim fiunt per emanationem naturalem, iuuante aliquo extrinseco: Sic aquæ puteales, æstate, liberæ ab exhalationibus ascendentibus; iuuante frigore terræ, quæ cùm in superficie à Solis calore obsideatur, reflectitur ad partes interiores cauernosas, & quam actionem extenderet ad partes superiores, restringit ad interiores, vbi sunt aquæ, easque infrigidat; vt suprà dixi. Sic aër etiam secundæ regionis adiuuat productionem frigoris in nubibus.

87 Secvndò, aliquæ fiunt per actionem partium intensiorum in remissiores, iuuante naturâ, effundente suas qualitates, dum liberatur à contrario. Sic guttæ, è quibus fit grando, congelantur, iuuante aëre secundæ regionis, non naturâ suâ frigido; vt ostendam *tract*. 7. *disp*. 3. sed ob vapores; iuuante etiam terrestri siccitate, quæ est in illis vaporibus necessaria ad congelationem; vt ait Aristoteles 4. *Meteor. à textu* 39. Cardanus è Dioscoride, *de varietate*, *capite* 63. cuius signum est, quod liquefacta grando, vel pruina, in aquam turbidam resoluuntur, & subobscurum quoddam apparet in medio grandinis terreum.

88 Tertiò, aliquæ fiunt per actionem partium intensiorum in remissiores, quæ adunantur, dum corpus obsidetur à contrario. Sic partes igneæ, quæ sunt in calce ad obsidium aquæ excitantur, & accendunt calcem. Dixi igneæ partes, quia sunt ibi partes mixtæ cum calce, habentes formam ignis; vi docet D. Aug. 2. *de ciu. cap*. 4. nec sentiuntur; quia velut sopitæ in cinere iacent.

Qvartò sunt aliquæ, in quibus corpus obsessum, quasi collectum, stat contra suam naturam, ad modum, quo Iordanis, & Mare rubrum steterant transeuntibus Hebræis. Sic vinum stat, adusto dolio, nec fluit, ob sulphuream, ambientemque exhalationem fulminis. Sic nubes stant super aërem, etsi grauiores sint aere. Ergo enim iuuet & raritas, ex calore à Sole inducto, non tamen satis est. Maior est enim raritas aëris in prima regione, maximè calidi, ob reflexionem radiorum è terra, vt patet: nam aër visionem non terminat, sicut vapores illi, qui sunt frigidi, cùm aquei sint: atque adeò densiores. Ideò grauius efficiunt elementum: sunt enim aqua accidentaliter mutata: vt ait Aristoteles 1. *Meteor. cap*. 3. ideò defluunt in aquam reducti ad naturalem statum, alioqui deberet illa aqua se generare.

Qvintò sunt aliæ actiones, in quibus corpus obsessum emittit suam virtutem contra suum contrarium, absque intensione qualitatis propriæ: sic potentia vitalis emittit spiritus calidos ad manum, læsam à frigore niuis, cui iniicitur; ideò incalescunt manus, post niuem compressam; vel pedes, post calcatam. Sic aqua frigida æstate Soli exposita, initio magis friget, quia, antequam alteretur, vnit se, & resistit expellendo, etiamsi quid calidi habeat in se; sed posteà calefit. Idem dic de peponibus, vel cucurbitis, Soli expositis. 89

Sextò, libet alias ponere actiones, in quibus, licèt non sit dubium, quin idem non agat in seipsum, conferunt tamen ad maiorem Antiperistasis elucidationem. 90

Tales sunt, in quibus obsessum à contrario impediente, contra illud fertur Sic exhalatio in finibus terræ compressa, eam quatit, vt ait S. Doct. *loco cit. compendij*.

Tales sunt, in quibus contrarium oppugnatum, pellit contrarium, sic nubes pellit exhalationes, quæ allisæ aliis nubium partibus coruscant; vnde fit tonitru; vel constipantur in fulmen, vt ait S. Doctor, *loco citato* 91

Tales sunt, in quibus virtus vnita, nec transpirans partes viciniores, redditur fortior contra obsidens contrarium. Ita ventriculus, clausis à frigore poris, & obsessus à frigore, magis retinet spiritus, qui sunt caloris vehiculi; & ideò calidior seruatur. Ita nix sub panno rubro, & gelu sub cinere conseruantur.

Tales sunt, in quibus partes se vniunt; virtus autem vnita fortior. Sic guttæ roris in sphæram coeunt. Sic guttæ aquæ decidentes in puluerem. Sic guttæ reflexæ ad lebetis operculum. Sic Fabri Ferrarij tantisper immergunt ferrum in aquâ, vt fortiorem reddant aciem ad scindendum, cuius signum est, quod extra superficiem ferri temperati, remanent quædam, veluti squamæ, à quibus partes validiores recesserunt. Ideò illæ partes facilè comminuuntur, & decidunt è lamina centro induratâ; dum partes magis terreæ igne excoctæ in cineres abeunt, cæteris ferri partibus sub Malleo duriùs solidatis.

Probatvr secundò. Quando fit grando, & congelatur; id fit per emanationem adiuuantib. partibus intensioribus, intendentibus remissiores, vt diximus nos; vel à contrario ambiente, vel ab aëre mediæ regionis, vel à Sole. Non à contrario 92

trario ambiente; quia, cùm sit calidum, produceretur à suo contrario. Non à Sole ob eandem rationem, quia agit per calorem. Neque id facit, veluti cùm lutum exsiccat, quia deberet priùs extrahere humidum. Non à regione media aëris; quia illa totum suum frigus habet à vaporibus; ac proinde non est eius frigus intensius, quàm sit vaporum. Non enim perfectior est effectus, quàm sua causa: Ergo non potest in ipsos agere. Neque dicant Peserius, & Collegium, datum esse frigus intensissimum ei ab origine. Hoc enim gratis dicitur. Nam secunda regio aëris est eiusdem naturæ cum prima calida; vt ostendam *tractatu 7. disputatione 3. quæstione 1.* & in æstate restringitur, ob reflexionem validam radiorum: (nam prima regio extenditur vsque ad terminum reflectionis radiorum è terra;) & in hyeme expanditur; ideò nix in hyeme expansa, grando in æstate indurata cadit. Quare sequeretur, qualitatem illam initio concreatam corrumpi, & reproduci; non sanè à causis secundis, quas excedit; neque à Deo; quia non probatur. Itaque redit quæstio, quando hyeme gignitur nix in spatio primæ regionis, quæ adeò varia est; à quo illud frigus producatur? Igitur vapor condensatur proprio instinctu se tuendi, congelatur à causis suprà allatis; non enim frigus sufficit ad congelandum, aut congelatio intensius arguit frigus, vt suprà dixi. Nam aqua Lethe Alexandrum frigore necauit, & erat liquida. Sic guttula fortissimum Ducem prostrauit. Igitur à contrario obsessa, vires constipat, se in spœram colligens, quippè sic vires in centro colliguntur, ac contrario resistens fortiter vnita, ac viscositatibus iuuantibus congelatur.

93

QVÆSTIO VI.

An Reflexione QVALITAS *se intendat.*

94 NOTA è D. Bonau. *d. 13. art. 3. q. 1. ad 2.* actionum alterantium, alteram esse directam, quâ in obiectum tenditur; vt actio Solis illuminantis hæc inferiora radiis demissis, alteram esse reflexam, quando qualitas potens in tantum spatium, refrangitur in medio, & reflectitur; vt radius Solis, qui à terra reflectitur, & causat calorem. Idem cernimus in motu proiectorum: Directus enim est, quo corpus à proiiciente exit; reflexus, quo contra proiicientem reflectitur: putà pila, iacta in parietem, reflexa. Quæritur hic; an reflexione fiat intensio qualitatis, & à quo fiat?

QVOAD primum, aliqui dicunt, non fieri reflexione aliquam intensionem, putà ex reflexione luminis; sed illud clarius apparere in superficie corporis opaci, ex eius tersa densitate.

SECVNDA opinio est, fieri intensionem non solùm in medio, sed etiam in principali agente, emittente qualitatem; putà lumen. Sic Conimbricenses *1. de Gener. c. 9. q. 1. art. 1.*

TERTIA opinio est, reflexione intendi lumen in medio tantùm. Est communior inter Philosophos. Vide Suar. *disputatione 18. Metaph.* Aresium *1. de Gener. d. 5. q. 42. à sect. 9.* Galitium *p. 2. Phil. lib. 2. tract. 2. quæstione 6. numero 7.* Eustach. *parte 2. Physicorum, tract. 1. de Cælo, d. 2. quæst. 5.* Iuuet. *tract. 7. cap. 3.*

QVOAD secundum. Prima opinio fert, intensionem fieri à corpore repercutiente.

SECVNDA opinio est, fieri à principali; putà à Sole intensionem radiorum.

ASSERO primò, aliquam qualitatem intendi in medio per reflexionem. 95

PROBATVR argumento D. Bonau *loc. citato*, Omne Agens luminosum, habet determinatam sphœram suæ actiuitatis; putà stadium. Si ergo ponatur obstaculum in medio, reflectetur luminis portio, ac multiplicabitur, cùm eminenter habeat esse reale, & intentionale; vt ostendam *Tractatu 9. disp. 5. c. 2. quæst. 2.* & dixi *hic, q. 3.* esse probabile. Non tamen id verum est de aliis physicis.

ASSERO secundò probabiliter, non intendi reflexione qualitatem in principali emittente.

PROBATVR. Nullus effectus valet perficere suam causam per id, quod accipit vltra acceptum (si accipiat necessariò.) Sed reflexio est effectus naturalis corporis directè agentis: ergo nequit dare suæ causæ super acceptum, intendendo illam. 96

ASSERO tertiò, intensionem luminis non fieri à corpore opaco terso, sed ab illuminante directè. Est Aristotelis *8. Physic. text. 32.* à simili. Sic enim & sphœra, reflexa è muro, habet motum à proiiciente. Sic species intentionales, è speculo reflexæ, sunt ab obiecto; nam illud repræsentant. Ita Scot. *4. d. 5. q. 9.* cum suis, apud Ponc. *d. 25. q. 2.* Arriaga, *d. 3. num. 243.* Auersa *quæst. 39.*

ASSERO quartò probabile esse, etiam principale accipere intensionem, putà luminosum recipit intensionem luminis, si habeat remissum. 97

PROBATVR primò. Vbi est proportio inæqualitatis in agente, & potentia in passo, ibi potest esse actio: Sed hæc sunt in casu hoc nostro: Ergo. Maior probatur, nam totum fundamentum actionis, apud aduersarios, stat in hoc; vt dicam *quæst. sequenti.* Minor probatur, quia remissus gradus est in potentia, vt intendatur; & lumen reflexum est fortius.

DICES, esse fortius, comprehenso forsan directo; non autem se solo. Confirmatur: nam reflexio eam qualitatem dat, quam daret directè, si non esset impedita ab obsistente: At ea est eiusdem gradus: ergo.

RESPONDEO, Lumen, cùm sit eminenter reale, & intentionale, multiplicari in medio ad modum specierum vnius obiecti, quæ ad multiplicationem videntium, vel audientium multiplicantur, ideò magis vsque ad sphœram suæ actiuitatis. 98

PROBATVR secundò. Radius reflexus est æqualis radio incidentiæ; vt docet etiam Aristoteles *c. de Iride*, & dicam *tract. 7. d. 3.* ita verò, vt reflexus perpendicularis rectà resultet contra directum; at ferientes ad angulum acutum proiiciuntur ad eundem angulum in oppositum. Ponamus duo luminosa vt sex, & vtrumque feriat idem corpus planum, ita vt radij reflexi vnius ad angulum, cum directis alterius luminosi, vniantur; certum est, quòd illa intensius lumen efficient; vel, si è diametro se percutiant, intendent lumina. Veluti si duæ stellæ vicinæ sint eiusdem intensionis luminis, vt patet ad sensum: ergò inuicem se intenderent, cùm nulla alia causa detur. Cùm ergo & idem luminare habeat lumen remissum, ac proinde in potentia; cur non à suo lumine reflexo iam potest intendi? Sanè, licèt sit idem continuatione radius directus cum reflexo; non tamen sunt idem indiuisibiliter, sed sunt duæ portiones radiorum, quarum vna potest agere in alteram. Itaque non aget idem in seipsum, nisi forsan mediatè.

99 Neque simile agit in simile, quia, quandiù radius extenditur in sua spœra, multiplicatur lumen; vt ait Sanctus Doct. *loco citato*, est enim eminenter reale, & intentionale; ac proinde dum extenditur, potest etiam intendi. Hæc tamen vniuersim non probant. Et exemplum duorum luminum parum vrget.

QVÆSTIO VII.

An idem AGERE *valeat in seipsum.*

IN rebus inanimatis facilè est ex dictis quæstionem soluere. Quoad animata erit quæstio in *libris de anima*, maximè *disput. de Intellectu, & Voluntate*, vbi ostendam idem reflecti, & agere in se sub diuersa ratione. De his latè Toletus 1. *de gen.* q.14. Collegium, *c. 9. quæst.* 1. & aliquid Eustach. *p. 1. Phys. tract. 3. d. 4. q. 7. & p. 2. tract. 2. d. 2. q. 3.* Iuuet. *tract. 7. cap.* 3. Poncius *disputatione* 25. *quæst.* 5.

100 Primò certum est, idem non posse agere in seipsum substantialiter, se producendo, esset enim producens, dum adhuc non habet esse; & esset actu, & non actu.

Potest tamen idem agere in se ipsum partialiter. Sic caro agit mutando in se alimentum, & producendo aliquid sibi, & sui: non tamen agentis, vt agens, est ob latam rationem.

101 Deinde ex dictis de natura constat, idem agere in se, dum forma, quæ est natura, agit, reducendo se ad statum naturalem, per emanationem propriæ qualitatis; putà, cùm aqua calefacta se ad frigus reducit innatum. Vbi necesse est distinguere partem, quæ est ratio actionis, id est formam; & eam, quæ est ratio recipiendi, nempè materiam. Ex quo principio Seraphicus Doctor colligit, Animas, & Angelos constare materiâ, & formâ, vt docet *ibi, de anima* P. Galitius, & nos *Tract. 9. disp.* 1.

QVÆSTIO VIII.

An detur REACTIO, *& quid sit.*

QVÆRITVR: An, dum agens in passum agit contrarium, ab eo reagente repatiatur.

102 Hac de re, sensibus euidenti, altercantur Doctores, quasi de re arcana, & arduam reddunt; vt videre est in Toleto *de Gener. q.* 15. Fabro *Theor.* 43. Aresio *d. 6. q.* 45. Bannesio *q. 3. capite* 6. Zabarella, *de react.* Galitio 2. *p. lib. 3. tract. 5. quæst.* 3. Iuuet. *tract. 7. cap.* 3. Picolom. Buccaferro, & aliis, qui reactionem agnouêre cum Scoto *in 1. d. 17. q. 4. & in 2. distinctione 10. quæstione vnica, & in 3. distinctione 16. quæst. 1. & in 4. d. 44. quæst. 1. art. 1.* vbi potiùs supponit, eam dari; & quid sit. Et cum D. Bonauent. *locis allegandis in arg.* & D. Thom. 1. *de gener. lectione* 2 Galeno *lib. 3. de causis Sympt.* Aristotele 3. *Physicorum, textu* 8. huiusque expositoribus.

Enimverò Burlæus, Ocham, Gregorius, Suessanus, apud Fabrum, Maior *in 1. d.* 17. & Nominales eam negant.

Alii negant, reactionem secundùm eandem contrarietatem, vt dum ignis calore agit in aquam, non reagat hæc frigore; sed humiditate solâ. Ita Nyphus adducens Auerroëm, & Alexandrum.

Alii dicunt, agens difforme à patiente difformi pati secundùm eandem contrarietatem; non secundùm eandem partem, sed agere secundùm partem validiorem; & repati secundùm debiliorem: Agens verò, virtute vbique vniformi animatum, non repati.

Assero, dari reactionem in eadem contrarietate.

Probatvr à D. Bon. *in 2. sent. d. 30. q. vlt.* ex Aristotele, 1. *de Gener. text. 41. & 42.* vbi docet calorem naturalem, sicuti agit in alimentum, & illud conuertit in naturam aliti, ab eodem alimento repati, ac debilitari animal, vt moriatur. Dat exemplum: Sicut aqua in vinum missa, etsi patiatur à calore vini, tamen reagit in vinum, ita vt fiat debile, & aquosum. 103

Respondent aliqui, non fieri reactionem, atque repassionem secundùm eandem qualitatem.

At Arist. explicans hunc textum, 4. *de Gener. anim. c.* 3. ait: *Causa autem, quòd motus soluatur, est, quod omne agens etiam patitur à patiente; vt quod secat, hebetatur ab eo, quod secatur: quod calefacit, refrigeratur à calescente. Denique quodcunque mouet, excepto primo, mouetur mutuo aliquo motu. v. g. quod pellit, pellitur quodammodo: quod premit, reprimitur. Interdum & ita fit, vt quod agit, magis patiatur, quam agat, & refrigeretur, quod calefacit, calefiat, quod frigefacit, cùm aut nihil fecerit, aut minus quàm ipsum affectum est.*

Hvnc textum magis voluit adducere S. Doct. quia in hoc elucidatur etiam ille 1. *de Gener.* etsi in aliquo codice citetur *de hist. anim.* Eum vrgent cum D. Bonau. Zabarella, Buccafer. Faber, & alij.

Probatvr secundò à S. Doct. *in 2. d. 17. q. vlt.* argumento, quod Faber efficacissimum acclamat. Si tolleretur reactio, tolleretur & mixtio: Sed hoc dicere, est absonum: ergo. probatur sequela à Fabro e D. Bonau. quia in mixtione miscibilia debent alterari. Si enim remanerent in sua summitate; putà, si calor ignis non refrangeretur à frigore aquæ; & siccitas ab humiditate, iam ignis non misceretur; est enim mixtio miscibilium alteratorum vnio: vt docet Arist. 1. *de Gener. & 4. Meteor.* vbi mixtionem definit. *Est transmutatio patientium qualitatum ab agentibus, super illas dominantibus.* Idem argumentum habet *q. penult. fund.* 2. sic in nutritione calor repatitur; vt ait Eustach. *parte 2. tractatu 2. quæstione* 4. cum Doctore Seraphico *loco citato.* 104

Probatvr tertiò à Fabro experientiâ: Si enim manu calidâ rem frigidam apprehendas; putà glaciem, eam calefacis, simulque manus refrigeratur à glacie. 105

Obicies primò ex Arist. *lib. de motu animal.* Actio prouenit a victoria, & excessu agentis, respectu passi. Itaque si agens agit in passum, signum est, esse maioris virtutis, quam passum. Ergo passum non potest reagere, cùm sit inferioris virtutis. Ita Poncius *d. 25. quæst.* 3.

Respondet Faber *capite* 4. & alij, agens cum victoria debere excedere in virtute, non autem agens imperfectè: Iam verò Aristotelem loqui de primo modo agendi.

Instant, omnem actionem transeuntem debere producere aliquem effectum. Vt suprà dixi, dari attentatum impressionis, & sæpè agens non admittere

mittere impressionem resistendo, & tunc actio transiens producit eam impressionem, sed repulsam. Vide quæstionem 4.

106 Respondeo secundò, Agentia ita disposita, vt habent virtutem actiuam, & respectiuam, sic contemperatas; vt quæ actiuiora sunt, minus resistant. Itaque agens secundùm formam, quà agit, non inuentâ plenâ resistentiâ, debet passum excedere; at potest esse, vt ea qualitas actiua sit minimè resistentiæ, & à qualitate contraria recipiat impressionem. Sic ignis calore, qui est summæ actiuitatis, agit in aquam, & in hoc eam superat; sed tamen frigus suâ actiuitate reagit in calorem, qui est minimæ resistentiæ, & ita ignis agit, & repatitur in eadem qualitate; sed secundùm virtutem diuersam, excedens virtute actiuâ; sed resistitiuâ cedens. Hæc responsio habetur in D. Bonauentura, 2. *distinctione 17. quæstione vltima, argumento penultimo, & in resolut.*

Obiicies secundò. Si daretur reactio, sequeretur, idem contrariis motibus agi. Probatur sequela. Si ignis calefaciat aquam mediante aëre, & ignis frigefiat ab aqua, mediante eodem aëre; iam idem aër calefiet, & frigefiet, & simul calefiet à parte vicina ignis, & secundùm eandem partem frigefiet ab aqua.

107 Respondeo ex D. Bonauentura *loco citato*, quem sequuntur Faber, & alij, non esse absonum, idem secundùm diuersa contrariis motibus cieri ad terminos contrarios remissè. Sic aquæ calidissimæ infusa frigidissima facit eam remissè calidam, & remissè frigidam. Sic videtur concedere & Scotus *primo, distinctione 17. quæstione 4.* & *in 2. dist. 2. quæst. 9.*

Addit Faber, facilius esse dicere, contraria esse non posse in eodem in esse quieto; posse tamen in pugna; imò esse necessarium, vt possit quodlibet elementum refractum ad mixtionem venire. Idem habes in D. Bonau. *loc. cit.*

Obiicies tertiò. Si datur reactio, frustrabitur finis, intentus à natura, assimilandi sibi passum; si enim agens calidum vt quatuor, agat in frigidum vt duo, & ab hoc repatiatur, iam in fine remanebit calidum solis duobus gradibus, atque cùm sit eiusdem intentionis, non poterit assimilare sibi passum: ergo.

108 Respondeo cum Diuo Bonauentura, *loco citato*, intentum naturæ esse, assimilare sibi passum in ordine ad mixtionem, ac proinde agendo, & repatiendo, non autem alia destruendo: non enim natura particularis ambit sui conseruationem, aliorum desolatione totali; ideò & qualitates datæ sunt proportione.

Obiicies quartò, sequeretur, idem secundùm idem mouêre, & moueri. Nam ignis, vt calidus, calefaceret, & ab aqua frigefieret.

109 Respondeo, calefacere secundùm virtutem actiuam, & frigefieri secundùm debilitatem virtutis resistitiuæ; vnde secundùm illam est in actu: & secundùm hanc est in potentia.

Faber negat sequelam dicens, idem mouêre secundùm formam, vt est actu calidum, & moueri vt est in potentia ad frigus; ratione materiæ: Sic enim omnia agentia naturalia mouentur; vt ait Aristoteles 2. *physic. text.* 8.

Obiicies quintò. Si in fornacem ardentem stilla deiiciatur, patitur, & destruitur; nec tamen reagit. Itidem Magnes trahit ferrum, nec ab eo patitur.

Respondeo, ad reactionem exigi proportionem; ideò nil mirum, si gutta non reagat. Addit Faber, stillam reagere, sed citò opprimi. Videbis enim relinquere sui signum, vbi decidit. Quoad Magnetem, non est ad rem, cùm non sit alteratio. Vel dic, Magnetem agere per propriam formam, & repati; vt ait Picolominus.

Obiicies sextò. Sequeretur, esse in eodem subiecto contraria, v.g. in igne, agente in aquam est calor proprius, & frigus ab aqua reagente.

Respondeo, ibi esse duo contraria remissa, & sub diuersa etiam ratione. Est enim calor à forma, & frigus secundùm potentiam passiuam materiæ. Neque repugnat contraria esse remissè in eodem: vt patet in aquâ, modicè calefactâ, in qua est cum frigore innato, & remisso, peregrinus calor. 110

Faber ait, non manere in igne frigus, sed solum effectum eius, quatenus remanet remissio caloris.

Neque vrget aliorum sequela, fore in eodem contradictoria, id est formam, & eius priuationem.

Dico enim, priuationem totius formæ opponi formæ, at priuationem alicuius gradus opponi soli gradui, quo priuat. Iam verò in eodem est forma remissa, & priuatio graduum intensorum.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm Actio *transiens sit in agente.*

Motvs actioni, & passioni est admodum affinis, sunt enim realiter idem; vt communiter dicunt, neque enim datur motus sine actione, & passione: nil enim addunt motui nisi relationem ad agens, & patiens; hæ autem relationes non differunt realiter à motu. Ideò, vbi de motu, mouente, & mobili agitur, inquiro: An agens sit subiectum actionis?

Prima opinio est dicentium, actionem esse in agente vt subiecto, sicut est ab eo vt principio. Vnde inferunt, Actionem esse rem distinctam a Passione. Ita Scotus *in 4. d. 13. q. 1.* Antonius Andr. *9. metaph. q vlt.* Trombetta *q. 1. & 2.* Zerbius *5. metaph. q. 28.* Canonicus *3. phys. q. 2.* Tartaret. *3. physic. not. 4.* Ioan. de Magistris, *q. 3.* Heruæus *quodl. 4. q. 1.* Flandria *5. met. q. 22. art. 2.* Aquarius *9. metaph. q. vlt.* Citatur à Mastrio infrà Caiet. *p. 1. q. 25. art. 1.* Torres *q. 2. art. 1. dub. 4.* Petrus Bergom. *in tabula, d. 35.* Ferrar. *3. Phys. q. 4.* Raymundus Lullus *p. 2. Prou.* & à Caietano tribuitur D. Thomæ, *2. d. 40. q. 1. art. 4. ad 1. & q. 7. de pot. art. 9. ad 6.* & *art. 10.* & *q. 4. de ver. art. 1. & p. 1. q. 45. art. 1.* quibus addit Flandria alia loca, nempè *quæst. de vnione Verbi, art. 5. & 1. d. 32. q. 1. art. 1.* Zuniga *2. de Trin. d. 12.* & *d. 1. dub.* 8. Faber *Theor.* 41. Iuuet. *tr. 7. c. 3.* Vtinensis *Tract. 8. de Deo, q. 5. art. 1. sect. 2.* Rabesanus *3. Phys. d. 2. q. 3.* Mastr. *d. 7. phys. q. 2.* multos adducens, Zanard. *9. metaph. q. 22.* Scotistæ tamen ab aliis diuersè aiunt; Actionem esse relationem extrinsecus aduenientem.

E regione communiter sentiunt; Actionem, sicut & motum, esse in passo. Ita Aureol. *quodl. 2. art. 1. & 2.* Ægid. *in 2. d. 2. q. 1. art. 4. d. 4. & 5.* Vasq. *part. 1. d. 102. cap. 6.* Argent. *in 3. d. 5. art. 3.* Iand. *1. physic. quæst. 1.* Molina *quæstione 27. articulo 1. d. 8. mem. 2.* Baccon. *d. 34. q. 1. art. 4.* Trigos *q. 20. art. 4.* 111

*art.4.d.1.concl.4.*Perer. *l.13.c.7.* Ruuius, 2. *Phys. tract.1.de motu,q.6.* Hurtad.*d.11. Phys.sect.7.*& *d.16 met.sect.2.*Gratiadeus *d.9.*Venet.*d.18.* Niger *in Sypeo,d.62.* Tol. 3. *Phys.q.2.* Sotus *q.1.* Conimbr. *c.3.q.1.*Masius *sect.2.q.3.*Sonc.*9.metaph..q.20.* Iauel.*q.15.* Ferrar. 3. *Physic.q.4.* & 2 *cont. Gent.c.1.* Capreol. 2.*dist.1.q.2.* & ab eo, atque à Soncinate, & Capreolo adscribitur D.Th. *p.1.quæst.25.art.2.* & *quæst.18.art.3.ad 1.*& *q.23.art. ad 1.*& *q.54. art.1.*& *in 1.d.32.q.1.art.1.*& *d.8.q.4.* & *q.7. de potentia,art.1. ad 8.* & *9. metaph. text. 15. lect. 8.* & *11.met.lect.9.* & *3. Phys. lect. 4.* & *3. de anima, lect. 2.* Quod si alibi videatur aliter loqui, admonent, loqui de actione immanente. Sequitur Hernæus,*quodl.4.q.4.* Hanc amplectuntur Nominales, & communiter Doctores Societatis Iesv, inter quos latè Suar. *d. 48. metaph.* Amicus *tract. 19. Phys. q.8.* & allegati. Subscribunt Eustach.*secunda prima,Physic.tract.2.quæstione 5.*Petrus à S.Ioseph. Fuliensis, 3. *Metaph. cap. 7.*

Tertia opinio est,actionem,quæ est cum motu coniuncta, esse in passo: at quæ sine motu, esse in agente. Ita videtur loqui Diuus Thomas 1. 1. *quæstione 41. articulo 1.* & *2.* Vasq. *parte 1.d.173. cap. 2.*

P.Galitivs *p.1.lib.3.tract.1.q.12.* quartam habet sententiam, Actionem scilicet,vt accidens,esse in subiecto; at verò vt actio est, non comparari ad aliquod subiectum,*in quo*; sed tantùm ad principium *à quo*.Dicere verò,esse in subiecto,vt identificatur cum passione, vel cum motu.

Eodem ferè modo loquuntur Suarez *l.c.sect.4.* Aureol. *in 1.d.27. q.1. art.2.* D. Thomas 1. *d.32. q.1.art.1.* quibus subscribunt Amicus *art.4. n.41.* Ruuius 2. *de anima,q. 4.* Hanc doctrinam primò suspectam sibi,conatur deducere etiam è D. Bonau. passi à P. Galitius.

Dedvcit præcipuè è *d. 38. q. vlt. ad 2.* vbi ait, aliqua esse in anima, vt potentias; passiones,& habitus;alia esse in anima,sed in fieri,prout exeunt ab ea; vt actus,& hæc dici,ac propriè denominari, esse ab anima,tanquam à principio, *à quo*, quam in anima, vt in subiecto quietis, *in quo*.

Distinctione 13. *q. vlt.* docet, aliqua accidentia ita comparari ad agens, & non minùs, quam ad subiectum; eò quòd eorum esse à continua actione pendeat; vt illuminatio, ac ipsum lumen,quod,recedente Luminari,cessat.

Et *in 4. d.17.p.1.art.2. quæst.1. in corpore*, ait, qualitatem aliquam comparari ad principium, à quo exit; ad subiectum in quo est, & ad id,quod expellit contrarium.

112 Probatvr primò ex Aristotele 3. *Phys. text. 20.* vbi postquam docuit,actionem esse actum actiui,ait,idem esse commune agenti,& patienti: nam agentis est, tanquam *à quo*, patientis tanquam *in quo*. Idem docet 2.*Phys. text.22.* & *9. metaphysicorum text.10.* Præclarè verò *3.de anima, tex.133.* actiui, & motiui actus (ait) in patiente fit. Et *3. Physicorum,text.19.* docet eam esse idem cum motu, qui est in mobili.

Respondet Faber, ibi sumi actionem impropriè, pro operatione proueniente ab agente ad patiens; propriè verò esse relationem, extrinsecùs aduenientem.

Indignvm sanè Philosopho est, nunquam propriè loqui, at si vnquam propriè locutus sit, non video, vbi nam dixerit esse relationem illam, quam Faber comminiscitur.

113 Probatvr secundò. Omne accidens denominat subiectum, *in quo*; sed actio non denominat agens, vt in quo sit; sed à quo sit: ergo. Est ratio D. Bonau. *loc.cit.1.* Maior est medius terminus Scoti: Minor est euidens.

Probatvr tertiò. Si actio est in agente; vel est principium actiuum agentis; vel respectus agentis ad passum, vel aliqua entitas absoluta producta in agente, dum agit. Actionem enim, si in agente datur, vnum ex his necesse est esse. At nullum horum est: Ergo. Minor probatur. Non primum. Si enim actio est principium actiuum actionis, erit sui principium: Deinde semper esset actio. Neque secundum; nam relatio est distinctum prædicamentum. Si tertium: ergo productum per actionem: ergo non est actio.

Respondent Scotistæ, esse respectum agentis ad passum, atque relationem extrinsecam, quia positis terminis non consurgit, nisi aliquid extrinsecùs adueniat. Nam posito ligno, & igne, non adhuc insurgit relatio; sicuti posito Petro, & posita platea non insurgit relatio præsentiæ, nisi quis ponat Petrum in Platea, vel eò tendat.

At quid necessarium est, vt resultet relatio? 114
num approximatio ignis ad lignum: at non adhuc est actio. Num calefactio? & ecce actio. Sanè etiam in relationibus quarti prædicamenti non est sufficiens remotum fundamentum.Sic posito Abrahamo, & posita Agar, non illicò insurgit relatio dominij, & seruitutis; sed exigitur extrinsecùs contractus; & positis duabus virgis decuruandis in circulos; vel duobus parietibus dealbandis,non adhuc resultat relatio æqualitatis secundùm diametrum, aut similitudinis.

Neqve posita vlna, & platea, illicò resultat relatio mensuræ, & mensurati, sed requiritur applicatio vlnæ ad spatium plateæ; sic & in actione; vt ait Sanctus Bonauentura, 1. *distinctione 41. articulo 1. quæstione 1. ad 1.* Hinc Aristoteles 5.*Metaphysicorum, text. 29.* agere, & pati, ponit inter fundamenta relationum.

Probatvr quarto argumento D. Bonauent. 115
2. *distinctione 7. parte 2. articulo 2. quæstione 1* Si actio est in agente, nulla erit transiens ad extrà producendum; sed omnis erit immanens, contra Aristotelem, *9. metaph. text.16.*

Respondet Faber, actionem impropriè diuidi in transeuntem; nam omnis actio est immanens: At quis dicet,Philosophum impropriè locutum esse semper de actione? Vrgent omnes Philosophi reclamantes. Sanè, diuisionem actionis, in Immanentem; & transeuntem essentialem, docet Faber cum Schola; vt dicam *Tractatu 9. de Verbo* ex Aristotelis mente, qui *loco citato, metaph.* diuidit actionem per se, sicut materiam, & formam. Neque dicat, eam diuisionem esse essentialem, sed actionis impropriæ: nam hoc est genera inuertere, quæ secundùm propriam essentiam in species, proprias per differentias diuiduntur.

Probatvr quintò. Sequeretur, agens esse prius suâ actione, quam producit; & esse posterius eâ, quia est formaliter agens per actionem sibi inhærentem.

Respondet Faber, fieri æquiuocum de actione. Nam actio pro operatione producitur ab agente, & ita agens est prius; sed actio propriè est, quâ formaliter dicitur agens, & hæc est relatio extrinsecus insurgens in ipso, dum se accingit ad operandum, & agendum rati ne potentiæ suæ actiuæ, quæ est proximum fundamentum illius relationis.

Obsecro

116 Obsecro, quæ est actio, dum se agens potentiâ actiuâ accingit? Quando nam est actiò? num antequam agat? Dum ignis se accingit, nec adhuc operatur, quæ actio est? num acuit vires? num arcum tendit? Arguo, ex his positis extremis igne, scilicet ligno, & fundamento proximo; quod est potentia actiua in igne, refertur agens ad passum; at nondum est aliqua actio: hæc enim omnia sunt ante actionem, & existunt sine vlla actione ignis, aut passione ligni. Quæ ergo relatio actionis resultat? Sanè Nulla est relatio realis, quæ non fundetur in aliqua vnitate reali; vt docet Faber *Theor.93.cap.1.* Iam verò pono ignem potentem vrere, & lignum proximum; at non adhuc est vnio, quâ alter sit agens, alterum passum: Ergò nec relatio. Quid enim agit extrinsecus dum se accingens ignis, non adhuc calefaciens, vnde resultet relatio agentis, & passi?

117 Deinde operatio per te est aliquid actionis, non formale: ergo materiale: ergo prius est operari, quam se accingere ad operandum. Ità priùs operatur, quàm se præparet; sed posteà se parat.

Assero secundò, neque actionem immanentem esse in agente fatetur. Probatur. Nam & in hac datur formalis ratio distincta intellectûs agentis, & recipientis; etiam in via Scoti.

Confirmatvr, quia agere est perfectionis; & recipere dicit potentiam: ergo debent distingui; vt arguit Amicus *art.3.*

Id multò magis est verum de actione, quæ formaliter est immanens, sed virtualiter transiens, qualis est volitio Dei ad producendas creaturas. Hæc enim, sicuti non producitur verè, sed solo modo concipiendi: ità & debet concipi, recepta in potentiâ, non vt actiua, sed vt receptiua. Nam, vt habet rationem transeuntis, recipitur in effectu; vt ostendi *tract.3.d.1.num.21.*

118 Eandem verò esse rationem actionis coniunctæ cum motu, & abstractæ, probatur, contra Vasquez quia vel abstrahit ab omni motu, & sic abstrahit à subiecto, cui opponitur actio eductiua, coniuncta cum motu. At omnis actio naturalis est in subiecto. Vel accipitur abstractio à successione; sed hoc non facit, vt actio sit in agente, si instantanea sit; & in passo, si successiua; quia hi modi non variant substantiam.

119 Assero tertiò, actionem, vt actio est, denominare agens vt principium, non vt subiectum. Ex quo infert Galitius, non habere subiectum *in quo*, nam illud denominaret. Neque denominat passum agens. Itaque sicut relatio non dicit formaliter, in alio esse; sed ad aliud; & solùm vt accidens comparatur ad subiectum; ita, &c. Etsi esset in eo, aliud denominaret; vt docet D. Bonauent. *in 4. distinct. 12. quæst. 1. articul. 1. quæst. 3. fund.1.*

120 Deinde probat, quia actio dicit simplicem vsum potentiæ actiuæ; vt docet Aristoteles *3. Physic.text.19.* dicens *Actio est actus actiui*, ab hac enim denominatur agens, non à relatione Scotica, quam ritè refellunt Amic. *tract.19.Physic.quæst.7. disput.2. artic.1.* Suarez *disput.48. Metaph.sect.1.* Galitius *loco citato.* Ergo solum dicit principium *à quo*. Ergo non in subiecto, nam vnius rei est vna ratio formalis.

Obicies primò cum Scoto. In eodem est respectus, ac fundamentum. Sed potentia actiua, quæ est fundamentum actionis, est in agente: Ergo & actio.

Respondet D. Bonauent. *loco primo adducto*, modo debito vtrunque esse in eodem, quia enim potentia dicit in subiecto esse quietum, est in eo, vt *in quo*, cum habitudine potentiali ad actiones; & quia actio dicit esse à potentia in fieri, dicit esse, *à quo*; & sicut potentia fundat relationem, *vt à qua*; ità & actio. Addo, potentiam non esse fundamentum relationis proximum, sed actio ipsa fundat, nam in agente fuit diù potentia sine actione. Hæc verò sicut est ab agente; ita fundat relationem. 121

Respondet secundò Amicus, non esse necesse, vt relatio eodem modo sit in subiecto; sicuti in eo est fundamentum, quando fundamentum non est id, in quo est relatio, sed ratio fundandi. Sic fundamentum relationis similitudinis inter duos Olores est albedo. Ità sanè in hoc debet esse relatio: at vnitas in respectu similitudinis est ratio fundandi, & relatio non est in eodem fundamento, quoad hoc. 122

Obicies secundò. In eodem non sunt respectus oppositi, saltem ad idem; sed in passo est passio: ergo non est actio.

Respondet Galitius, actionem esse ab agente, non in illo, neque comparari formaliter ad passum, vt subiectum. 123

Respondet secundò, recipi in passo diuersa ratione, materialiter tantùm opposita, quæ non est propria oppositio, cùm ea sit inter formas, non inter materias. Igitur actio est in passo, vt à principio agente: vt verò ponit aliquid in passo, est passio.

Obicies tertiò Id, in quo est forma, est simpliciter tale, quale dat intrinsecè forma. Per vos actio est in passo: Ergo passum est formaliter agens.

Respondeo, eo modo formam dare esse, quo est in aliquo, & quia actio formaliter est ab agente, denominat formaliter agens. Denominat ergo passum, vt eam recipit. Sic & Fuliensis *ad 2.*

Nota verò, actionem non esse formam omninò absolutam à se, neque tamen rectè infers, esse productam per aliam actionem, & abiri in infinitum. Dicit quidem relationem ad passum, atque est, *quâ*, non *quæ*, producitur; ità immediatè exit, non per aliam actionem, sicuti & motus. His soluitur doctrina Fabri. 124

Vrget secundò. Si actio est forma absoluta, vel ponitur in agente; & ità mutatur agens priùs, quàm mutetur passum; vel in passo. Ergò semper mutatur actione, & aliâ formâ, puta qualitate.

Dico cum D. Bonauentura, adducto *Tract.3. disp.1.* agens mutari, dum è non agente fit agens; & passum recipiendo impressionem agentis. At neque dixi actionem esse formam omninò absolutam; non enim potest concipi sine ordine ad passum.

DISPVTATIO XVIII.

De Generatione.

QVÆSTIO I.

An Devs *creaturis vim generandi dederit, & quomodo.*

1 Tertia die, reiectis aquis terram operientibus, Deum vegetabilia condidiſſe, eiſque dediſſe primò virtutem. *Germinet terra, &c.* communiter dicunt: ſed hac die creatas terram, & aquam, oſtendam *Tract.7.diſp.1.quæſt.1.*

Qvæstio autem eſt præſoluenda: An tunc dederit terræ tantùm virtutem generandi herbas, plantas; &c. num verò ipſo facto illas germinauerit.

Prima opinio fuit D. Auguſt. 5. *de Geneſ. ad litt.cap.4.* Deum tunc, illis verbis, cauſaliter tantùm produxiſſe, dando virtutem germinandi ſuis temporibus. Nititur; quia *cap.2.* dicitur Deus produxiſſe omne virgultum, antequam oriretur in terra.

2 Sententia S.Bonau. 2. *d.14.p.* 2. *dub.2.* & *ſerm.14. ac ſeq. Hexaemer.* tunc illicò erupiſſe herbas, & plantas; ibi enim dicitur. *Protulitque terra herbam virentem, & facientem ſemen ſuum, lignumque faciens fructum.* Idem ſenſit D. Baſilius *in Hexaëmer.* quibus authoritatibus nixus eſt S. Doctor, quem ſequuntur alij apud Perer. *l.1.c.1.v.11. & 12. Geneſis.* Arriaga *d.32.ſect.* 3. dicens, omnes Patres id aſſerere; & eſſe communem ſententiam.

Ad locum *cap.* 2. reſpondent, ſignari hæc facta, antequam naturaliter terra germinaret.

3 At dubitatur: num efficienter tunc terra produxerit herbas?

Respondeo è Diuo Bonauent. eam extitiſſe materiam meram, *ex qua*: nam ſubditur; *Produxitque Dominus Deus de humo, &c.* vt innuit Seraphicus, & cum eo relati. Addit rationem S. Doct. nam ideò etiam ante Solis creationem, illam germinare iuſſit; ne Soli prima germinatio attribueretur, tanquam Patri, atque adeò terræ, tanquam matri, quæ eſt ratio D. Baſilij. Oppoſitum tamen cenſet Caietanus eſſe probabilius, quamuis contra D. Thomam, *p.1. q.70. art.1.*

Censent multi, non vbique ſtatim terram fuiſſe repletam plantis, tritico, hordeo, &c.

Addvnt, initio non fuiſſe germina, quæ ex putri; neque plantas, quæ è multis inſitis prodeunt: ſicuti nec animalia è mixtis ſpeciebus, vt mulos, pardos, &c.

Qværvnt verò: An ſpinæ germinarint ab initio?

Videntvr enim datæ in pœnam poſt peccatum. *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Ità videtur ſentire D.Auguſt. *lib.1. de Geneſ. contra Manichæos, cap.11.* Ambr. *lib.3.c.9. & 11.* Alcuin. *in Genes.* Damaſcen. *lib. 2. de fide, cap. 10.* & alij apud Suar. *cap.7.*

4 Commvnior tamen ſententia eſt, fuiſſe ab initio ſpinas. Ita D. Auguſt. qui *lib. 3. de Geneſ. ad lit. c. 18.* ſententiam illam retractauit; vt notant Arriaga *ſubſect.* 2. Perer. *num. 113.*

Dicitvr verò, poſt peccatum, *terra ſpinas, & tribulos germinabit*, non ſimpliciter; ſed (*tibi*) vt notant allegati è D. Bonau. ac D. Thoma.

Dedit igitur Deus terræ virtutem producendi herbas, &c. virtute in ſeminibus infusâ; agente Sole, pluuiis, &c. ad modum, quo & fœminis dedit virtutem concipiendi; vt notant è D. Bonau. *loc. cit.* allegati Doctores. Vbi Seraphicus concedens fœminæ virtutem aliquam actiuam; eam & terræ non negat.

Qvoad venenata germina, arbitror initio creata; ſunt enim ad aliquid vtilia; vt aiunt Baſil. Ambroſ. Theodoretus apud Pererium, & alij.

Qværvnt etiam, cur non refertur productio mineralium? 5

Respondet Perer. *num. 115.* è D. Bonau. *dub. c.* mineralia eſſe omiſſa; quia in abditis terræ ſinibus occulta hæc ſunt. Adde etiam, quoad eſſentias incognita. Sic tacuit Moyſes origines fontium, lacuum, fluminum, præcipuas tantùm res deſcribens; reliqua omittens.

Qvinta die iuſſit. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram. Benedixitque dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris: aueſque multiplicentur ſuper terram.* 6

Sexta die. *Producat terra iumenta, & reptilia, & beſtias.* Sic autem hæc diſtingui, ait Sanctus Doctor *in 2. diſtinctione 15. dub. 2. litt.* vel ex parte *motus*; vel ex parte *finis*. Ex parte *motus* ſic. Omne enim animal, quod mouetur; aut mouetur tractu, anteriùs aliquam partem protendens; & ſic eſt reptile; vt vermes. aut impulſu, & hoc vel pedibus; & ſic eſt greſſibile; aut alis, & eſt volatile. Ex his, alia ſunt apta ſæuire, & dicuntur beſtiæ: alia manſueta; & ecce iumenta. Ex parte hominis ſic. 7

Avt enim eſt in hominis adiutorium; & dicitur iumentum; aut ad hominis exercitium, & hoc nocendo, & dicuntur beſtiæ, quaſi vaſtiæ; quando apertè ſunt nociuæ: aut ex inſidiis, vt reptantia, ſerpentia, &c.

Dvbitatvr: An ea actio producens piſces, &c. fuerit eiuſdem rationis cum ordinaria productione? nam diſpoſitiones ſunt extra eſſentiam productionis. 8

Arriaga *d. 33. ſect.* 2. eſſe diuerſas ait, ratione principiorum quoad ea, quæ ex copula generantur; in quibus etiam mater effectiuè concurrit. hic verò ſolus Deus; ergo non in ſolis diſpoſitionibus fuit diuerſitas. At quoad ea, quæ ex ouo generantur, ait, fuiſſe eiuſdem rationis. Nam & horum animæ, quando connaturali modo generantur, non producuntur immediatè, niſi à ſolo Deo. Sed hæc opinio refellitur *Tractatu 9. diſputatione 1. quæſt. 17.* 9

QVÆSTIO II.

Quid, & quotuplex ſit Generatio.

Dari generationes, ſuppono cum D. Bon. 2. *d.7.p.2.art.2. quæſt.1.* 10

Definitvr ab Ariſtotele 1. de Gener. *Eſt mutatio totius in totum, nulla ſenſibili remanente.* Hæc explicabitur *quæſt. 4.*

Definitvr quoque ab eodem Ariſtotele; *Muta-*

mutatio de non subiecto in subiectum. Hæc ibidem exponetur.

Generatio autem Viuentium definitur à D. Bonauent. in primo, distinct. 9. *Est totius similis de simili, è se productio.* Vel: *est productio è principio intrinseco similis secundùm speciem.* Hanc explicui *tract. 2. d. 2. quæst. 5.* & *disp. 9.*

Hæc autem est definitio generationis vniuocæ; non autem æquiuocæ, qualis est Solis producentis animalia.

11 Nota, in intrinseco generationis non includi mutationem; ideò etiam in Diuinis est. Igitur in solis creatis generationibus est mutatio; vt monet S. Doctor 1. *d. 9. art. 1. quæst. 1.*

Generatio creaturis data est ad conseruationem speciei. Ideò ait Deus, Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei adiutorium simile: Crescite, & multiplicamini, &c.*

Non is tamen solus est finis, vt monet S. Bonau. 2. *d. 3. part. 1. art. 2. quæst. 1.* Alensis *p. 2. quæst. 20. memb. 6. articul. 2.* Scotus 2. *distinct. 3. quæstione 7. ad vlt.* Sanè multiplicatio hominum est ad finem beatitatis. Vide Galitium *de Gener. quæst. 4.*

QVÆSTIO III.

An terminus generationis sit Forma.

Scotus *in 1. distinct. 3. quæst. 6.* docet, terminum formalem generationis esse formam; vltimatum verò, compositum, siue suppositum. Sequuntur Vtinensis *tract. 8. quæst. 8. art. 2.* & alij Scotistæ, ac Conimbr. 1. *de Gener. cap. 4. quæst. 15.* Vasquez 3. *part. disput. 119. cap. 2.* Ruuius *tract. 1. quæst. 3.* Arefius *disput. 2. quæst. 14.* Eustach. *part. 2. Physic. tract. 2. disput. 2. quæst. 5.*

At Hurtadus *disput. 11. Physic. sect. 6.* videtur assignare terminum generationis, vnionem. Arefius verò id asserit in hominis generatione; in cæteris formam vnitam; in omnibus verò, Fuliensis *lib. 2. Physic. cap. 4. art. 2.*

12 Nota, terminum eum dici, in quem ex intentione agentis terminat generatio. Naturæ autem omnium generantium insitum est, speciem perpetuò seruare; vt docet Aristoteles 2. *de anima, text. 34. & 35.* Quoniam igitur corruptibilia nequeunt perpetuò durare, intendunt saltem speciem sartamtectam seruare. Hinc sola corruptibilia vniuocæ generationi incumbunt; vt docet S. Bonauent. *in 1. distinct. 5. artic. 2. quæst. 1. in corpore*, vbi ait, intentionem generandi terminari ad naturam communem, non sanè phrasi Scotica, vt generetur natura formaliter communis; nam ibi testatur gigni solum indiuiduum subsistens; sed quia natura producens hunc, puta hominem, intendit dare naturam humanam, quæ in indiuiduis aliquibus permaneat. Non est tamen hoc solùm intentum, vt innui *quæst. præced.* cum D. Bonauent. & aliis contra D. Thomam *part. 1. quæst. 47. art. 2. & secundo cont. Gent. cap. 93.* ac discipulos. Cùm enim dixit Deus, Genes. 1.
13 *Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei adiutorium*, ità res ordinauit; vt etiam manente Adamo innocente, plurimi generarentur, etiamsi nulli perirent. Nunc verò innumeri enascuntur speciei conseruandæ non necessarij: Pro fine verò beatitatem omnibus destinauit, omnia ad suam emeritissimam gloriam dirigens; vt sæpè monet S. Doctor. E cæteris verò plurima destinauit indiuidua hominum alimento, solatio, adiumento, &c. vt docet D. Bonauent. 2. *distinct. 15. art. 2. quæst. 1.* & *d. 19. quæst. 2. art. 1. corporis*, & alij Scholastici *ibi*, & *in Hexaëmer.* Vide Anton. Gulielmum *de Gloria Sanctissimæ Trinitatis*, vbi præclara profert, ex opusculis Seraphici Doctoris decerpta.

Horum omnium ordinem mirum instituit Deus, vt simplicia generentur, maximè ad mixta facienda; & inanimata plurima corpora ad viuentium species conseruandas.

Hinc generationis scopum pedetentim inuenies, ac terminum. Terminus sanè est, qui finem imponit rei, puta generationi; vt vltrà non progrediatur; sed ibi perfecta sistat. Forma quidem non est vltimò intenta, sed totum illud compositum perfectum. Nam forma est volita, vt pars relatiuè ad totum constituendum; ideò peracto composito, cessat agens; sicuti habito fine, cessat motus. Itaque forma non est propriè terminus, quia non est vltimum intentum. Neque vnio potest dici terminus, quia ordinatur & ipsa vlterius, vt, hac mediante compositum fiat; & ordinatur ad vnum è pluribus faciendum, vt ait Galit. *part. 2. lib. 3. tract. 1. quæst. 5.* Neque potest esse suppositum, quia extra naturæ intrinsecum complementum est. Vnde & in humanitate Christi perfectissima non reperitur humanum suppositum. Miror verò Scotistas, qui credunt suppositum esse negationem, statuere illud pro termino generationis; quæ est actio positiua. 14

Assero, terminum generationis esse formam totius, seu compositum è materiâ, & formâ. 15

Probatvr primò. Ille est terminus intrinsecus generationis, qui intrinsecum limitem perfectum naturæ vltimatè signat. Talis est forma totius, non pars; vt ostendi; Neque vnio, quia in his non quiescit generans. Neque est supositum, quia potest esse generatio perfecta sine eo, vt cùm B. Virgo concepit, non genuit suppositum Diuinum, neque aliud, sed naturam in supposito præexistente.

Probatvr secundò. Terminus generationis est, qui intentus est à natura. Sed is est communicatio naturæ, destinata ad conseruationem speciei Ergo.

Addo verò cum D. Bonauent. non posse naturaliter produci naturam, nisi in hoc supposito, quia illicò emanat à natura, vt modus substantialis, etsi non essentialis. Quare suppositum est terminus substantialis, quo habito finitur totum, & completè finis habetur. Hæc enim est definitio termini, lata ab Aristotele, apud Auer. 5. Metaph. cap. de termino. *Terminus est finis, & vltimum, extra quod alia non considerantur:* sed vltra suppositum nil est; intra verò est forma, vnio, & totum: ergo. 16

Est autem terminus hic in creaturis non genitus; quia ad illud non terminatur generatio, secundùm rationem producendi; sed emanat, resultans è toto. Vnde Aristoteles docet, compositum generari; non (suppositum) vt legunt aliqui. 17

His defluunt oppositiones, additis quatuor verbis: Generatio est via ad formam partis immediatè; sed vltimò ad formam totius intrinsecè terminatur; ab vltimo autem intrinseco sumitur ratiò essentialis termini, & ab hoc denominatur generatio, quæ ibi intrinsecè completur. Vide Galitium *loco cit.*

QVÆ

QVÆSTIO IV.

An Terminus à Qvo generationis sit aliquid.

18 TERMINVS *à quo* est, vnde incipit generatio. Is sanè non est terminus intentus; natura enim, per se, non vult corruptionem. Est autem priuatio in subiecto apto, si comparetur cum forma acquirenda.

ASSERO, terminum *à quo* generationis, esse aliquid. Ita D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1.

PROBATVR; quia virtus naturalis est finita: Ergo non ex nihilo producunt, sed ex aliquo. Tale autem est in materia aptitudo, ac ratio seminalis; de qua actum est *disput.* 2. *quæst.* 4. Quòd verò agens naturale egeat subiecto apto; ostendi *Tract.* 3. *quæst.* 1. 6. *&* 7.

QVÆSTIO V.

An in generatione maneat aliquid in genito, quod erat in corrupto.

ALIO titulo proponitur: An in generatione, & corruptione, detur resolutio vsque ad primam materiam.

19 HÆC quæstio aduocat illam, quam *tract.* 8. *d.* 2 *quæst.* 3. agitabo: An dentur in eodem composito plures formæ substantiales? Vbi id asseram; ac proinde separatâ in nobis, & in brutis corruptâ animâ, manere formam corporis, quæ dicitur corporeitatis: Ità non illicò dari immediatè resolutionem, vsque ad materiam primam; Manere autem formam substantialem apertè conijcitur; quia manent qualitates, quæ non in nuda materia, sed in composito subiectantur; vt docet Aristoteles: infrà, *citandis locis.* Sic in homine mortuo remanent pili, & crinés flaui, aut rubei, eadem in vultu cicatrix, eadem figura nasi, aquilina, &c. Vnde, & à Iudicibus recognoscitur esse corpus Petri interfecti. Sic & Christus, è cicatricibus suis ostendit, se esse illum, qui à Iudæis occisus. *Videte manus meas, &c.* Et in Apostolum Thomam, vi grandi arguit: *Quoniam Ego ipse sum.*

20 DICERE verò, gigni nouam formam cadaueris, & nouum colorem rufum, nouásque figuras similes, incredibile est, neque enim inueniunt, à quo agente ista producantur; cum opposita sæpè necantia sint; qualia sunt ignis, aqua, lapis, aër infectus, &c. quæ non possunt facere idem. Sed de his, loco præfato, contra Thomistas,

NVNC quæro: An in corruptione, etiam elementi simplicis, putà aëris, & generatione aquæ in cauernis, remaneat humiditas, atque alia accidentia communia genito, & corrupto?

PRIMA opinio est; non manere, atque adeò resolui ad primam materiam. Ità Scotus *in* 2. *d.* 3. *quæst.* 4. apud Fabrum *Theor.* 73. *cap.* 5. etsi in contrarium ad lucantur Scotistæ. Hanc verò plausibus amplectuntur Thomistæ, qui vnicam etiam formam in animali admittunt, atque in morte resolutionem immediatam in materiam primam. Rich. 2. *dist.* 14. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 5. Colleg. 1. *de Gener. cap.* 4. *q.* 18. *art.* 2. Capreol. 2. *d.* 18. *&* 19. *quæst.* 1. *art.* 3.

SECVNDA sententia est, non repugnare idem accidens commune corrupto, & genito, manere. Ita Gregorius *in* 2. *d.* 12. *q.* 2. *art.* 2. Aureol. *d.* 15. *q.* 2. *art.* 1. Baccon. *d.* 18. *q. vnica*, *art.* 3. Zabarella, *de rerum ortu, cap.* 9. Aresius *d.* 2. *q.* 11. & alij: eamque laudat Bellarminus *lib.* 3. *de Augustiss. Euch. cap.* 13, Eustachius, *p.* 2. *tract.* 2. *q.* 8. vniuersim, Fuliensis 2. *Phys. cap.* 4. *art.* 4. & est D. Thomæ, 3. *p. quæst.* 9. *art.* 3. *ad* 2.

MEDIAM calcant viam Toletus *de Gener. q.* 7. Suar. 14. *metaph. sect.* 3. & 3. *p. d.* 57. *sect.* 2. vtramque opinionem laudantes, magis verò secundam.

QVID senserit Seraphicus Bonau. videtur incertum, cùm vtrinque loca afferat Galitius. *parte* 2. *Philosoph. lib.* 3. *tract.* 2. *quæstione* 2. satis apparentia.

PRO prima sententia adducit loca, à nobis allata *Tractatu isto, disp.* 1. *q.* 11. vbi videtur asserere, compositum esse subiectum quantitatis. Deinde affert id passim ex Aristotele, quod ore Sancto sæpiùs peruoluit. *Destructis nobis, corrumpuntur & quæ in nobis*; accidentia verò esse in composito, docet *in* 4. *d.* 12. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *arg.* 2. *sed contra*, dicens, accidentia non consequuntur materiam secundùm essentiam; sed secundùm esse, scilicet, vt forma completur, nec aliter materia est subiectum accidentium. Estque sententia Aristotelis 1. *de Gener. text.* 24. vbi ait, subiectum accidentium esse sensibile. Et 8. *Metaph. text.* 8. vbi ait, materiam primò recipere formas substantiales; deinde accidentales.

ÆSTIMAT præ cæteris Galitius ea, quæ docuit Seraphicus Doctor, 4. *distinctione* 12. *parte* 1. *art.* 2. *quæstione* 3. *ad* 1. vbi ait. Esse suprà naturam quantitatis, quòd maneat secundùm se in Sanctissimo Sacramento, mutatione facta; hoc enim est proprium solius substantiæ, & ita suprà naturam quantitatis. Sed non videtur aliquid probare. Nam cùm in Sacramento fiat mutatio etiam materiæ, procul dubio supra naturam est, accidentia manere separata, & quantitatem manere secundùm se, quod est proprium substantiæ; at hoc non infert in mutatione naturali. Vbi obserua, non dicere, solam substantiam in mutatione remanêre. Nam accidentia inhærent. Quare hic locus nil facit pro hac sententia.

E regione stare, probantur loca relata *d.* 1. *quæst.* 11. vbi videtur quantitatem in solâ materiâ ponere.

DEINDE affert Galitius locum *in* 4. *d.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *fundamento vltimo*, vbi docet, quod, quandocunque in mutatione remanet aliquod accidens ex his, quæ fuêre in corrupto, necesse est, vt sit conueniens genito, & corrupto; vt si de aëre fiat ignis, manet calor. Hinc infert, non manere naturaliter odorem, colorem, saporem panis, facta transmutatione panis in corpus Christi; eò quòd talia accidentia non sint Corpori Christi conuenientia, & communia; & cùm maneant, non esse illi inhærentia, sed quantitati panis, concludit.

HVNC locum timet P. Galitius, sed frustrà. Scias in argumentis vtrinque non semper vti Doctores strictè suis fundamentis; & hoc sæpè inuenies etiam in S. Doctore, sed aliquando è probabilibus arguit Hic igitur nil aliud vult, quam conditione

proba

probabili arguere. Si facta mutatione manent in genito accidentia corrupti, ea sunt conuenientia; vt calor igni genito ex aëre; & accidentia panis non sunt conuenientia corpori Christi. Ergo, &c. Ad maioris autem efficaciam sufficit, probabile esse, manere accidentia communia: Nam maior habet hanc negatiuam, quâ nititur conclusio. Nullus dicit accidentia inconuenientia genito, quæ fuère in corrupto, remanêre. Per additum verò dicitur; si enim remanet aliquod; vt multi docent, debet esse conueniens genito, sed accidentia panis non conueniunt corpori Christi: ergo.

ITAQVE hic locus nil facit. Et cùm probabiliùs censeat, quantitatem, & alia accidentia hærere composito; vt ostendi *d.* 1. *quæst.* 11. arbitror S. Doctorem esse primæ sententiæ fautorem, absque dubio. Nam corrupto composito, quod est subiectum accidentium, debent corrumpi accidentia; aut migrare de subiecto corrupto in nouum genitum, quod est absonum.

21 ASSERO ergo, in mutationibus substantialibus elementorum, dari resolutionem ad materiam primam.

PROBATVR primò. Corrupto subiecto, corrumpuntur ea, quæ sunt in subiecto: at subiectum accidentium est compositum: ergo. Maior est euidens. Minor est Aristotelis suprà.

PROBATVR secundò: nam, si in generatione ignis ex aëre manet calor aëris; aut ignis non habebit suum calorem, quem naturaliter ab intrinseco effundit: aut duos calores, alterum remissum aëreum; alterum proprium intensum.

22 ASSERO tamen secundò, cum in via D. Bonau. probabile sit, materiam esse subiectum accidentium, probabile esse etiam, manere aliqua accidentia in corruptione.

PROBATVR primò ex Aristotele 1. *de Gener. cap.* 2. *text.* 24. vbi præclarè docet, cùm ex aëre generatur aqua, manere in genito perspicuitatem, quæ erat in corrupto.

DICERE verò manere eandem specie, videtur iocus (ait Fuliensis.) Confirmatur è *l.* 2. *cap.* 4. *text.* 24. faciliùs ideò elementa Symbola transmutantur, quia vnica pellitur qualitas.

POTEST tamen dici ad primum, *ibi* Aristotelem negare solùm, eam qualitatem communem transmutatione, quæ est à contrario, tolli; sed non negasse destrui ad ruinam subiecti. Ex hac parte minor est difficultas in transmutatione symbolici elementi. Cæterùm ex alio capite non est verum; quia si dissimbolum inire cogitur pugnam cum duabus qualitatibus aduersis, ipsum quoque totidem ad pugnam habet validas.

23 PROBATVR secundò. Si omnia accidentia disponentia ad productionem formæ pereunt, non possunt eam producere, cùm non existant, sed neque producetur à comitantibus formam, quia ab hac sanè iam existente manant.

VRGEO. Si omnes dispositiones destruuntur, iam remanebit materia indifferens ad alias formas, & ad nullam determinata, nulláque fiet generatio.

POTEST tamen dici, formam à forma in subiecto disposito produci, & tunc cum forma veteri, ruere veteres dispositiones; nouásque manare è noua forma.

PROBATVR tertiò. Natura nil frustrà facit. Quorsum igitur calorem hunc aëris remissum destruet omnino; vt alium intensum gignat? Cur potius veterem non auget, vt igni inseruiat, vel remissum non faciat calorem ignis, cùm gignitur aër? 24

DICEREM tamen, naturam prouidam, singulis dare propriam virtutem necessariò emanantem. Hic autem ordo est fixus, ne quando deficiant in suis operibus.

NOTA verò, corrumpi accidentia pro subiecti destructi conditione propriâ.

Ita mortuo animali, pereunt accidentia viuentis: & quia manet adhuc corpus organizatum, manent eius accidentia; nam hæc manent cum subiecto inhæsionis, etsi ablato subiecto denominationis.

QVÆRES, quo sensu generatio vnius sit alterius corruptio? 25

RESPONDEO, non esse verum formaliter, sed consequenter, vel quoad entitatem; vt cùm ex igne fit aer: vel quoad modum, vt cùm animatur corpus organicum; tunc enim forma organizationis incipit habere rationem materiæ, quæ formæ, quia vltima erat, priùs obtinebat gradum.

INQVIRES: An corruptio sit naturalis?

DICO, esse per accidens à naturâ intentam, quæ suam destructionem non intendit: sed conseruationem in generationibus, quæ sine corruptionibus esse nequeunt. 26

DE generatione Viuentium agam *Tract.* 9. *disput.* 3. *part.* 3.

DISPVTATIO XIX.

DE ALTERATIONE.

HIC agendum esset de NVTRITIONE, quæ est aggeneratio partialis; & de AVGMENTATIONE, quæ nutritionem includit. Sed de his *Tract.* 9. *de Anima, disp.* 3.

QVÆSTIO I.

Quid sit ALTERATIO, *& propter quid.*

DEFINITVR 3. Phys. text. 4. *Est motus ad qualitatem.* Eam verò explicat *text.* 23. Quando, manente subiecto sensibili existente, transmutatur in eius passionibus, aut contrariis, aut mediis: vt corpus sanum est; & rursum laborat, manens idem, alteratio est. 1

DIFFERT *à Generatione*; quia huius subiectum primum est materia: (etsi in generatione animalium educitur anima de composito organico) at subiectum alterationis est semper compositum & ens actu completum. 2

SECVNDÒ, terminus generationis est substantia: alterationis est qualitas. Hinc alteratio alterum facit; sed generatio aliud in creatis.

ET quidem alteratio perfectiua non est semper ob generationem, vt patet in Illuminatione. Vide Toletum 1. *de Gener. quæst.* 1. Collegium *cap.* 4. *quæst.* 1. *art.* 1. 3

ALTERATIONES verò corruptiuæ sunt à natura intentæ ob generationem. Sunt enim dispositiones ad generationem, quam tenetur procurare corrumpendo alienas, quod non facit nisi quatenus intendit bonum generationis.

QVÆST.

QVÆSTIO II.

An Alteratio *sit motus continuus.*

ALterationem non esse motum continuum censuit D. Thomas cum discipulis, apud Toletum *quæst. 6.* Zanardus 8. *Physic. q. 9.* qui tamen adducit D. Thomam, Aristotelem, & Auerroëm pro opposita sententia.

Alii è regione, eam docent esse continuam. Sic D. Bonauent. 2. *distinctione* 1. *part.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *in corpore*, Scotus *d.* 2. *quæst.* 9. Toletus *loc. cit.* Collegium 1. *de Gener. cap.* 4. *quæst.* 2. *art.* 2. Perer. *lib.* 14. *cap.* 8. & quotquot nobiscum *disp.* 10. *quæst.* 4. censuêre, motum essentialiter successiuum esse. Subscribunt Eustach. *part.* 2. *Physic. tract.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 10. & alij Recentiores.

Assero, motum alterationis esse continuum per se.

4 Probatvr primò. Omne successiuum est species continui. Motus est successiuus: ergo continuus. Maior patet, nam continuum diuiditur in permanens, & successiuum. Minor est clara *ibi, disput.* 10. *quæst.* 4.

Probatvr secundò. Omne agens debitè applicatum, continuè agit, inducendo formam.

Probatvr tertiò è D. Bonauentura *in* 4. *d.* 44. *part.* 2. *art.* 3. *q.* 2. Ignis agit calore, nec aliter, quàm destruendo contrarium, quod non pellitur, nisi inductione contrarij. Sic enim dispositio inducitur, nec agens cessat agere, sufficienter applicatum. Itaque à quo incepit, non desistet, nisi impediatur, donec qualitatem extensam in subiecto extenso introducat. At exigitur successio temporis, tum ob contrarietatem repertam; tum propter extensionem subiecti, & formæ.

5 Dices interdum agens solummodò disponere: At ignis agit calore calefaciendo, & semper agit: Ergo calefacit. Ita D. Bonau. *in* 4. *distinct.* 44. *parte* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. Deinde dispositio est actio continuata: dum enim calefacit, disponit: Ampliùs, & contrarium abiicitur non nisi per productionem contrarij: ergo priùs est productio, quàm dispositio; vt arguit D. Bonau. *in* 4. *distinct.* 17. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. & D. Thom. *prima secunda, quæst.* 113. *art.* 7. *&* 8. Itaque non eget agens alia dispositione, vt qualitatem inducat; alioqui & ad illam alia egeret, & sic in infinitum; vt monet Galitius *num.* 4.

6 Assero secundò, alterationem, ratione subiecti, esse continuam.

Probatvr, quia agens agit in partem primò sibi vicinam, & sic progreditur vsque ad partem remotam.

Neqve terret dictum Aristotelis 8. *Physicorum, text.* 23. vbi negat, ex parte continuitatis subiecti, motum alterationis esse continuum; quia simul aliquando fit; vt in congelatione, & illuminatione, quas vrget Galitius *num.* 5.

Dico enim, agere ibi Aristotelem contra dicentes, alterationem non posse esse continuam, quia deberet durare tempore infinito, sicuti continuum est diuisibile in infinitum. Quod ergo negat esse continuam, intelligit in sensu Heracliti, quòd debeat esse perpetua, & in infinitum, ad modum continui, secundùm partes proportionales.

Qvoad illuminationem, eam excipio, quia non est actio merè naturalis, sed eminenter naturalis, & intentionalis, quæ fit tempore imperceptibili, & eadem velocitate intendi potest, quia non inuenit contrarium, sed tamen fit successiuè, ratione subiecti. 7

Falsam est porrò, gradus qualitatis acquiri in instanti, vt dicunt aduersarij. Sicut enim qualitas est extensa, ita & gradus eius, ac proinde successiuè fit alteratio intrinsecè, ratione graduum intensionis; vnde ratio intrinseca alterationis sumitur; sicut extrinseca è subiecto, vel spatio desumitur.

QVÆSTIO III.

Ad quas species qualitatis sit Alteratio.

DE hoc latè Amicus *Tract.* 23. *Physic. disput.* 7. *quæst.* 4. cum Toleto 7. *Physic. quæst.* 3. Peretio *lib.* 14. *cap.* 2. & aliis post Aristotelem 7. *Physic. à text.* 14. *ad* 21.

Dvpliciter sumitur Alteratio. Primò pro inductione alicuius qualitatis, etiam perfectiuæ; vt est illuminatio. Secundò pro inductione qualitatis perturbantis, quo sensu Aristoteles 1. *cæli text.* 20. *& seq.* ait, cœlum esse inalterabile. Et 2. *de anima, text.* 52. *&* 58. ait, acquisitionem scientiæ esse aliud genus alterationis, id est non hoc secundo modo; sed primo modo, nempè perfectiuam. 8

Hoc secundo sensu non fiet alteratio ad quartam speciem qualitatis; quia forma, & figura sunt qualitates perfectiuæ.

Similiter nec ad habitus, & dispositiones bonas; sunt enim hæc perfectiones.

Hinc alteratio erit ad Passiones, & Passibiles qualitates, è 5. *Physic. text.* 14. Vide Amicum *loc. cit.* Collegium 7. *Physicorum, capite* 3. *quæstione vnica.* 9

Et sanè, neque ad omnes has est propria alteratio; vt ad odorem, & illuminationem: ratio est, quia ad propriam alterationem aliqua contrarietas exigitur. At illuminatio non habet contrarium. Odor verò, etsi habeat, non tamen necessariò præextitit in subiecto.

Altera etiam conditio requiritur à Collegio, vt non sit aliquid vnum ita cum alio; vt veluti consectariè ad illius acquisitionem videatur acquiri, non per se.

Contra hanc conditionem obiiciunt. Sanitas, & ægritudo sunt idem cum tali intensione primarum qualitatum, & tamen, qui infirmatur, vel sanatur, propriè alteratur.

Dico, è D. Bonauentura *in* 2. *distinctione* 15. *quæstione* 2. *&* 3. Sanitatem consistere in temperamento humorum, atque elementorum ad iustitiam; ac proinde, sicuti in his est vera generatio; ita & in illis veræ alterationes, quæ ex tali mixtione, temperie, & alteratione mutuâ pacificâ deriuantur. Vnde rectè Auicenna negat, sanitatem esse idem cum primis qualitatibus.

Collegivm respondet, esse vtramque veram alterationem, quæ non consequitur aliam rem, cùm præcisè qualitatum productio sit ipsamet sanitatis, vel ægritudinis effectio in animali.

Obicies secundò. Quando nubes in niuem

nem concreſcit, fit alba; non ex contrario nigro.

Dico, etſi non è nigro, fit tamen è ſubiecto, habente aliquid recedens à candore ad alios colores, ſaltem medios, aliquo modo contrarios. Deinde debet eſſe à contrario, cùm primariò ea qualitas acquiritur; non autem cùm eius adeptio ſequitur ad aliam alterationem, factam ſecundùm alias qualitates, à quibus re ipſa diſtinguitur; vt in coloribus, odoribus, & ſaporibus accidit. Ita ſentit Collegium.



DISPVTATIO XX.

De Inceptione Rervm, et Desitione.

1 Svppono multa rerum genera. Aliæ enim ſunt permanentes; aliæ ſucceſſinæ. Ex illis, aliæ diuiſibiles; aliæ indiuiſibiles.

Non ago, quomodo res incipiant ex parte agentium, & ex eorum actione deſinant; ſed de inceptione, & deſitione rerum intrinſeca.

Assero primò, res ſucceſſiuas incipere extrinſecè per vltimum ſui non eſſe.

Probatvr; quia ſi inciperent per primum ſui eſſe ab inſtanti, iam motus in inſtanti fieret.

2 Assero ſecundò, ſucceſſiua deſinere per primum ſui non eſſe intrinſecè.

Probatvr; quia ſi deſinerent per vltimum ſui eſſe, verum eſſet dicere: Nunc eſt motus in inſtanti; & poſt non erit. Hoc autem eſt abſonum; vt dixi.

3 Assero tertiò; eo modo, quo incipiunt ſucceſſiua poſitiua; incipere etiam quietem.

Probatvr. Eodem ordine ſe habent priuationes, quo & formæ oppoſitæ: Sed quies eſt priuatio motus: ergo.

4 Assero quartò, idem dicendum de rebus, quæ motu propriè dicto producuntur. Patet eiſdem rationibus.

Assero quintò. Indiuiſibilia temporis, *& mutata eſſe* motûs, incipiunt per primum ſui eſſe; & deſinunt per vltimum ſui eſſe.

Probatvr; quia habent totum ſuum eſſe indiuiſibile: ergo in menſurâ vnigeneâ debent incipere, & deſinere.

5 Assero ſextò. Res, quæ ſine contrarij expulſione incipiunt, & deſinunt; incipere, & deſinere in inſtanti, vel tempore aliquo; ratione ſpatij; eſto breuiſſimo: vt lumen.

Patet ex dictis *diſput. præcedenti.*

Assero ſeptimò: ea, quæ per creationem incipiunt, & deſinunt per annihilationem; incipere, & deſinere in inſtanti.

Probatvr: quia nulla in his datur ratio retardans.

Assero octauò, idem dicendum de indiuiſibilibus quantitatis.

Patet; quia menſurâ vnigeneâ debent menſurari.

Est autem quæſtio: quo pacto in generatione, & corruptione incipiat forma noua, & deſinat vetus.

6 Commvniter fertur, formam deſinere per primum ſui non eſſe extrinſecè; & nouam incipere per primum ſui eſſe. Sic Gregor. *in* 1. *d.* 17. *q.* 2. *art.* 2. Ferrar. 3. *contra Gent. c.* 65. Conimbr. *lib.* 8. *Phyſ. c.* 8. *q.* 2. Perer. *l.* 4. *c.* 9. Tolet. 6. *Phyſ. q.* 4. Hurtad. *d.* 15. *Phyſ. ſect.* 8. Eſt autem apud Thomiſtas certa, cum Angelico 3. *p. q.* 75. *art.* 7.

E regione D. Bonau. *in* 4. *d.* 11. *p.* 1. *quæſt.* 5. agens de tranſubſtantiatione, aſſerit, ſubſtantiam panis deſinere in inſtanti; & in alio inſtanti contiguo incipere Corpus Chriſti. Eum ſuſtinet P. Galitius *part.* 1. *lib.* 3. *tract.* 1. *quæſt.* 13.

Hoc arduum eſt, quia videtur ponere duo inſtantia immediata in tempore.

Scias duplici menſurâ poſſe aliquam rem menſurari. Primò, menſurâ communi primi mobilis, cuius motu omnia inferiora defluentia metimur. 7
Secundò, menſurâ propria cuiuſque rei, ſumptâ è propriis materiis, iuxta regulam latam, *diſp.* 14. *q.* 3.

Scias etiam, non poſſe quidem in vno continuo eſſe duo indiuiſibilia immediata; poſſe tamen in duobus contiguis.

Probatvr ergo primò ſententia Seraphici Doctoris, argumento omnium aduerſariorum. 8
Menſura debet eſſe vnigenea menſurato. Sed forma panis menſurata eſt indiuiſibilis: ergo & menſura inceptionis, & deſitionis eius: at deſitio eius ponitur ei proportionata, & indiuiſibilis: ergo.

Probatvr ſecundò. Quandocunque definiendum eſt aliquid, debet conſiderari per ſe, non ratione adiuncti: At formæ ſubſtantiali aſſignatur inceptio per ſe in inſtanti, tanquam menſurâ vnigeneâ: ergo & deſinere per ſe. Ita, ſi Deus deſtrueret formam panis, ceſſaret in inſtanti: Ergo & nunc.

Probatvr tertiò. Quæ habent totum eſſe ſimul, nequeunt extenſis commenſurari. Forma ſubſtantialis habet totum eſſe ſimul indiuiſibile: ergo nequit tempore menſurari.

Argvvnt, fore duo inſtantia immediata: Nam 9
illa tranſubſtantiatio motu primi mobilis menſuratur: ergo, ſi in vno inſtanti menſurat deſitionem panis, & alio inceptionem Corporis Chriſti: erunt duo inſtantia immediata.

Respondet P. Galit. ſicut duæ lineæ contiguæ, reſpondent puncto ſubexpoſiti continui: ita duo indiuiſibilia reſpondere vni inſtanti primi mobilis, non enim duo indiuiſibilia faciunt extenſionem. Sic videmus experimento duorum contiguorum, quæ continuò applicantur. Perforetur Cœlum Lunæ in conuexo, & concauo Mercurij, & per foramen 10
tranſeat linea. Sanè vno puncto reſpondebit puncto in ſuperficie Cœli Lunæ. Quæro: Num reſpondebit parte aliqua diuiſibili concauo Cœli Mercurij? An eodem indiuiſibili? Si eodem indiuiſibili: ergo vnum punctum continui reſpondet duobus contiguorum; ſi verò parte aliqua: ergo illa puncta non ſunt immediata contigua; vt ſuppono.

Igitvr non eſt timenda illorum ſequela. Magis verò timendæ ſunt noſtræ. Cur igitur volunt, formam in tempore corrumpi: & alteram in inſtanti generari; Num quia illa ad corruptionem diſpoſitionum ceſſat? ſed cur etiam hæc ad inductionem diſpoſitionum non inducitur? Profectò alius eſt diſtinctus ab alteratione actus corruptionis, ſicut à diſpoſitionibus inductis generatio.

Sed de hoc diſſeram *Tertia parte, Tract. de Euchariſtia.*



TRACTATVS SEXTVS DE COELIS.

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

HACTENùs de Principiis, substantiarum creatarum intrinsecè constitutiuis, actum est; Nunc autem, quoniam ad horum concordiam & socialem nexum extrinseca quædam principia influunt; Disputatio de Cœlis instituenda est; illi etenim rerum corruptibilium natalibus sereniùs affulgent, easque benigniùs conseruant, & amiciùs fouent: Cœterùm in hoc de Cœlis tractatu Seraphicum Doctorem, (tamquam fulgidum firmamenti sidus) errorum tenebras abigentem, clariùsque veritatis lucem diffundentem ad extremum, (quantum licebit) apicem sequar.



QVÆSTIO VNICA.

Quo tempore creati sunt COELI.

1 CVRIOSA est controuersia, quo tempore conditus sit mundus.

NONNVLLI dixêre, conditum mense Iulio. Nituntur verò; quia probabile est, priscos homines, tempore Noë numerasse menses anni, ad normam receptam ab antiquis Patribus. Iam verò post diluuium illicò dicitur, Noë emisisse columbam vigesima quarta die mensis vndecimi; eam verò attulisse ramusculum oliuæ, virentibus foliis: solent autem in climate Armeno, quod idem est ac Romanum, virêre oliuæ, Sole peragrante decimam quintam partem Tauri; ac florêre solstitio æstiuo. Igitur si vndecimo mense virentes erant oliuæ, erant florentes circa Idus Iunij iuxta regulas Plinij, *lib*.8. *cap*.25. atque adeò oportet, vt primus fuerit mensis Iulij, cùm in monte Gordico potuerint oliuæ inueniri virentes mense vndecimo. Confirmant auctoritate Ægyptiorum, in Astronomicis peritorum, qui, vt refert Solinus, censuêre natale mundi; cùm Sol Leonem ingreditur. Id autem videntur ab Hebræis didicisse, qui apud eos diu inquilini degerunt.

2 OMNES tamen communiter in Æquinoctio Verno, aut Autumnali creationem asserunt.

Ideò Ægyptij, sanè vetusti, initio septembris mundum esse conditum tradidere, testante Iosepho 1. *lib. antiq*. Quin etiam Cicero, *libro de Natura Deorum*, & Lactant *libro* 1. *diuin. instit. capite* 6. prodidere, Mercurium, qui Ægypto leges, ac litteras tradidit, appellatum ab Ægyptiis lingua sua IHOTH, à quo, apud eos, primus anni mensis, (qui est nouus apud Latinos) Septembris nomen accepit.

SENTENTIAM verò illam asserentem, mundum in Autumno creatum, asseuerant plurimi Hebræorum eruditissimi, quam sequuntur Lyranus *ad cap*. 8. *Gen*. Abulens. *in capite* 1. *eiusdem* *l.q*.21. Fauet etiam, quod ait Hieron. *in capite* 1. *Ezech*. apud omnes Orientales, primum anni mensem fuisse Octobrem: nam *Thisri* sonans Chaldaicè *Initium*, significabat Septembrem, qui sæpè variatione lunationum excurrit etiam in Octobrem: Inclinat Piccus, *cap*. 6. *lib*. 7. *aduersus Astrologos*. Tostatus etiam *in priori parte sui defensorij*; *cap*. 14. scribit, peritos Hebræorum censuisse, mundum conditum vigesimo primo Septembris; & Adam vltimo die Septembris formatum: primum autem diem Octobris fuisse primum mundi Sabbathum; primique anni exordium. Eam Perer. tuetur sententiam, *ad cap*. 1. *Gen. lib*. 1. Torniellus, *die* 6. Scaliger, *lib*. 5. *de emendatione temporum*, *cap. de conditione* Genebrardus *in Chron*. & multi Hebræi. 3

AT vniuersa ferè scriptorum acies ordinatissima, mundum in Verno æquinoctio conditum asserunt. Sic Poëtarum Princeps *lib*. 2. *Georg*. asserit; sic Astrologi omnes, apud Ouidium. 4

Principium capiunt Phœbus & annus idem.

E Scriptoribus Ecclesiasticis, Eusebius *in Historia*;

ria; Athan. *ad quæstionem 17. Antiochi*; Cyrillus Hierosol *Catech.* 14. Leo primus *ferm.* 9. *de Passione Domini*; Gregor. Nazian. *oratione in nouam Dominicam*; Isidorus, *lib.* 5. *Ethymol. cap. de temporibus*; Damasc. *lib.* 2. *de fide, cap.* 7. Strabo, & Rabbanus *super* 12. *c. Exodi*; Glossa interl. *in* 3. *Genes.* Beda, *libro de ratione temporum, & in Hexaëmer.* & in synodo Palestinæ, de mandato Victoris Papæ congregata à Theophylo Cæsereæ Episcopo, consensu omnium declaratum est, mundum factum Verno tempore, quod incipit decimo Kal. Aprilis; &, quo die Dominus noster crucifixus est, Adamum fuisse creatum.

Hvivs decreti meminit Beda, initio *lib. de sex ætatibus.* Ambrosius *lib.* 1. *in Hexaëmer. capite* 4. Theodoretus, *quæstione* 72. *in Exodum.* Magister *Hist. scholasticæ, in histor. Gen Hexaëmer.* refert; esse dogma Ecclesiæ, mundum creatum in Martio. Idem tenet Cataneus; *in Hexaëmer.* Eam sententiam tuentur scholastici; præsertim D. Bonauentu-
6 ra *in cap.* 1. *lucæ*; Plurimos Patres, & alios refert Ascanius Martinengus, *in Glossa magna*, Amicus *Tract.* 2. *de mundo, quæstione* 4. *disputatione* 2. A Lapide *Genes.* 1. Colleg. 8. *Physicorum, capite* 2. *quæstione* 3. Eustachius Cisterc. *parte* 2. *Physic. tract.* 1. *quæstione* 5. Arriaga *d.* 29. *sect.* 1. & *d.* 32. *in fine*, admonens fuisse Ver in Palestina; at in aliis Oris iuxta varium Solis situm eis respondentem. Ita & Suar: *cap.* 7. Molina *disputatione* 12. & 14. Perer. *de opere tertia diei.*

Assero cum his, mundum fuisse conditum Verno tempore, & mense Martio.

Probatvr à D. Bon. *primò ad c.* 1. *Lucæ.* Recreatio debet respondere creaturæ, & creationi, vt secundus Adam, Sol iustitiæ è Cœlo egrederetur, quando & Sol mense martio egressus est, ad nos accedens, vt terram incarnatis florib. exornaret, sic veritas oriretur Christus, de terra formatus intactâ: quando etiam terra germinauit; vt tellus, ac mundus reformaretur; quo tempore formatus est; sicuti promisit Deus Isaiæ 66. *Sicut Cœli noui, & ter-*
7 *ra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, & sabbathum ex sabbatho: veniet omnis caro; vt adoret coram facie mea.* Vt ita incarnatus requieuerit in vtero Virginis, & mortuus iacuerit in sepulchro; vt secundus Adam suscitaretur è morte; quo die, miserrimus ille, in deliciis Paradisi, se, omnesque filios morte damnauit: & qui in ligno perierat, in ligno redimeretur. Hoc est argumentum Patrum ferè omnium. Id videtur *Isaias* 66. intueri: vbi redemptionem refert, qua populos Dominus ad montem sanctum erat reducturus; vt tempus etiam tantæ salutis optatum annum crearet, subdit, iuxta Hebraicam versionem.
8 *Quia sicuti Cœli noui, & terra noua, quos ego faciens stantes ad facies meas, dixit Dominus; sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum: & erit à tempore mensis, in mense eius; & de tempore Sabbathi, in sabbathum eius; venient omnes gentes, &c.* Vbi parallelos assignat stabilis creationis, & recreationis sabbathi, primi creationis, & secundi redemptionis, quam toto volumine promiserat Isaiæ sub metaphoris germinantis terræ. *Germinans germinabit, &c.* Roris Cœli; *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

9 Probatvr secundò à Seraphico Doctore, ad 22. Lucæ, ad ea verba: *Venit autem dies azymorum*, ex illo Leuitici 23. *Mense primo, Phase Domini est*; vbi componit tempus creationis cum tempore passionis Domini. Itaque primus mensis creationis fuit & passionis Domini, atque redemptionis. Est argumentum D. Ambrosij, & Theodoreti,
loco citato. 10

Enim verò, quia aduersarij, præsertim Perer. hoc loco abutuntur; sedulò rem excutere oportet. Ait igitur Perer. arguens; *Exodi* 12. statuitur præceptum, vt mensis Nisan, qui verno cadit tempore, esset primus deinceps mensium. Quo licet intelligere, ante latum illud præceptum, eum non fuisse primum mensium. Quid enim attinebat, nouo præcepto tam sanctè Iudeis imperare, quod illi suaptè sponte anteà seruauerant? Mox ad suam sententiam roborandam, refert Iosephum *lib.* 1. *antiquit.* vbi ait, diluuium mense secundo, qui ab Hebræis marhesvan vocatur, qui partim Octobri respondet, partim Nouembri, irruisse: Igitur vsque ad tempora Noë, October fuit primus mensis & sanè ex traditione Patriarcharum id habetur: Eius autem computationis ea esse debuit ratio; quia eo tempore mundus incepit: ea de causa Iudei vsque ad Noë constanter hunc ordinem, in suis computationibus fideliter seruarunt.

Omitto nunc, quod aliqui obseruant, 11
Hebræos, antequam Ægyptiis miscerentur, incepisse annum à mense Nisan; sed Ægyptiis mixtos, aut spontè, aut coactos seruasse ordinem Ægyptiacum; iussos verò fuisse à Deo, suum ordinem anni resumere.

Accipio præ manibus locum Exodi 12. *Dixit quoque Dominus ad Moysen, & Aaron in terra Ægypti: mensis iste, vobis principium mensium primus erit in mensibus anni.* Attentè considerãti, hic est sensus. Mensis iste, qui iam vobis in annua computatione est principium mensium: primus erit dignitate, sicuti & ordine, ob summum beneficium liberationis vestræ, summamque solemnitatem, quam Religionis causa instituo, eòque erit solemnior, quò solemnitatem solemnitatum, Redemptionem scilicet totius mundi præclarè adumbrat, Hic videtur esse sensus S. Doct. indicatus.

Idem colligo ex Hebraico, *Mensis iste vo-* 12
bis Capvt *mensium: primus ipse vobis in mensibus anni*: vbi nomen primus est ראשנו Riosoz significans Principem; alterum verò nomen est ראש Rest. vult dicere Ille, qui vobis nunc iam ab antiquo est primus mensium, erit Capvt, seu nobilissimus mensium, ob nouum institutum. Ponitur autem primò Capvt, quæ est phrasis Hebraica, carens articulis.

Ille vobis erit Princeps mensium, qui est ordine primus. Quare argumentum est pro nobis; vt vidit etiam Cataneus *in suo Hexaëmer. Italico.* Amicus, *numero quarto*, ex Nazian. *orat. quadragesima secunda*, & Ambrosius, *libro* 2. *Hexaëmer.* id colligens.

Qvod verò recensetur è Iosepho, nil læ- 13
dit; quod enim mensis Marhesvan, aut Marsomane dicatur secundus, iam liquet ex verbis Iosephi; ait enim, *Contigit vastitas diluuij anno ætatis Noë sexcentesimo, mense secundo, qui* Irvs *à Macedonibus vocatur, ab Hebrais* Marsomane, *qui partim Octobrem respicit, partim Nouembrem: sic enim Ægyptij distinxerunt.*

14 PROBATVR tertiò à D. Bon. *serm.* 15. *Hexaëm.* vbi conferens locum illum Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem*, cum parabola *Matt.* 20. qua describitur veluti pater familias, Deus primo manè exiuisse, vt conduceret operarios in vineam suam; obseruat, MANE fuisse initium creaturæ; quia vocauit Dominus hominem de Paradiso, vt operaretur; adhuc tamen lignum non habebat surculum: quamuis de lignis facere posset, quæ sibi obediebant.

INDICATVR igitur, ibi fuisse mundum creatum primo *Vere*, quo ex loco idem colligunt Ambros. Theodoret. & alij Patres.

15 HVNC tamen locum in caput nostrum euertere conatur Pererius, nam ibidem dicitur: *Germinet terra herbam virentem, & facientem fructum, & lignum pomiferum*; deinde in Paradiso erant fructus maturi: ideò dicitur: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur*; & infrà *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit.*

16 DE Paradiso quoque dicitur: *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum, pulchrum visu, & ad vescendum suaue.* Igitur intra, & extra Paradisum erant fructus iam maturi; sicut decebat: quia Dei perfecta sunt opera. Signum est igitur fuisse Autumnum: Sed hoc fuisse priuilegium fructuum Paradisi, aiunt nostri. Quod enim affert Perer. non indicat; nisi germinasse terram arbores, quæ faciunt fructus ex natura sua; vnde nil extra Paradisum probatur. Concessi quidem *tractatu* 1. *disputatione* 18. productos à Deo fructus. Iam esto: miraculosè; profectò arbores fructibus onustas produxit, qui potuerint, vel toto illo anno durare, vel vsque ad naturalem saltem productionem Autumni: Prætereà in Paradiso, si fuit infra Tropicos, potuêre bis produci fructus; sicut de India refert Plinius; & de Tarprobane Solinus.

ADVERTE etiam cum Molina *de opere 6. dierum, disputatione* 14. Amico, *numero* 6. tametsi Vere florente in vno climate, rigescat Autumnus in opposito: & ideò nequeat vbique terrarum fuisse tunc Ver, cùm creatus est mundus: tamen Moysen, qui scripsit in Arabia inde sumere tempora. Falluntur verò dicentes, cum in Palestina scripsisse: nam mortuus est ante ingressum in eam. *Deuteron.* 34.

17 QVÆ verò opponit adhuc Pererius soluta iacent. Quæ autem timet; ne homo è Paradiso exul, ac bestiæ plurimæ fame conficerentur, nisi fructus Autumnales existerent, manca sunt: nam plurima sunt in Vere, maximè sub zona torrida, circa quam est terrestris Paradisus, quibus homo vesceretur, vt fruges molles, ac fructus verni plurimi. Pro bestiis verò erant herbæ, & fruges teneræ. Quid plura? fructus etiam in Vere, miraculo erant creati. multas omitto congruentias creationis, pro tempore verno. Sanè tempus Veris est totius anni pulcherrimum, amenissimum, rerum omnium generationi aptissimum; est enim temperatè calidum, & humidum, quæ duæ qualitates sunt generationi, ac etiam vitæ, tam stirpium, quam animalium aptissimæ. Tum viget Sol in ariete, quod signum apud Astrologos acclamatur masculinum, fœcundum, propitium, atque beneficum, maximeque rerum primordiis opportunum; cum germinante terra, virescentibus herbis, florescentibus arboribus, & quodammodo reuiuiscentibus viuentibus renascatur; vt testetur, se eodem tempore fuisse primò natum.

E contra, Autumnus, cùm sit frigidus, & siccus, magis corruptionibus, quàm generationibus est aptus: ideoque tunc decidunt folia, cunctaque vigore, viroreque suo priuata paulatim flauescunt, & ad interitum properant. Itaque flores à Deo non fuissent tunc conditi, sed post hyemem. 18

Ita eorum ratio retorquetur.

OBIICIT adhuc Pererius, illud Genes. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super Terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui; vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ.* Et rursùs, *Ex omni ligno Paradisi comede.* 19

RESPONDEO primò, omnia miraculo fuisse creata; quòd si herbæ productæ sunt suo tempore: ergo tempore Veris productæ sunt.

RESPONDEO secundò, Textum ipsum pro nobis esse: nam diuersimodè loquitur de fructibus Paradisi, & de aliis escis extrà Paradisum.

HIC enim ligna, & herbas habentia in semetipsis virtutes seminales appellat; illos verò fructus omnes arborum existentes præmaturos; vt indicet, extra Paradisum, Veris, non Autumni fructus extitisse. In Paradiso verò, sub zona torrida, pro tempore potuerunt esse fructus arborum plurimi pruni, cerasæ: vel etiam dic miraculò additos fructus autumni. Addit Arriaga, in Paradiso futuros, Adam stante, fructus semper viuidos.

OBIICIT secundò *Exodi* 23. iubentur Hebræi solemnitatem tabernaculorum facere, quæ agebatur mense septimo; hoc est, in Autumno celebrare in exitu anni; & *cap.* 34. iubet Dominus, candem solemnitatem celebrari: quando, redeunte anni tempore, cuncta conduntur. Quibus locis eruitur, in Autumno esse anni exitum, & reditum. Quare eo Tempore certè factus est Mundus. 20

RESPONDETVR in exitu anni idem significari, ac in declinatione anni, à medio ad finem. Annus enim dicitur ab An, & NO, quod significat *circum eo*, Circulus enim postquam descriptus est ex eo semicirculus, ad finem properat; ideò Autumnus *ad exitum properans* interpretatur; maximè, quia iam cessant generationes, & omnia ad hyemis miserias ruunt: vnde hyems quasi finis dicitur, maximè cùm Terræ prouentus sint consumpti, & folia decidant. 21

SANE ibi loquitur Dominus, considerando annum, secundùm varietatem redditum, quorum volebat offerri primitias, tribus temporibus: nempè in Vere nouos fructus vernos; in Æstate fructus primitiuos, spicas, &c. & in Autumno fructus Autumnales: sic enim loquitur. *Tribus vicibus per singulos Annos mihi festa celebrabitis solemnitatem azymorum custodies; septem diebus comedes azyma; sicut præcepi tibi, tempore mensis nouorum, quando egressus es de Ægypto; non apparebis in conspectu meo vacuus Et solemnitatem messis primitiuorum operis tui, quæcunque seminaueris in agro: Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.* Ecce quàm exactè progressum anni 22

anni hic iuxta prouentus ordinat; in ordine ad oblationes, non secundùm seriem temporum totius corporis anni. Et cùm dicit *reuoluente*, *&c.* signat in reuolutione anni, vt legit Pagn. seu mediante anno, vt LXX. vel egrediente, vt explicat versio Chaldæa.

QVARE scriptura hæc, quâ adeò nititur Pererius, nihil ei prodest. Omitto responsa Amici, *numero* 4. non enim admodum solida iudit, vt plures existimant.

23 QVOD verò addit Pererius, annum septimum, & annum Iubilei ab Autumno incepisse, nihil obest: erant enim tempora exigentia principium adaptatum cæremoniis, atque prouentibus, ibi intentis; non tamen hinc cum Amico id ad rem nostram aptat.

CÆTERAS congruentias Pererio Autumnales & floccidas, do gratis.

DISPVTATIO I.

DE COELO EMPYREO.

QVÆSTIO I.

An existat COELVM *Empyreum.*

D. B. in 2. d. 2. parte 2. quæst. 1.
D. Th. quæst. 66. art. 3.

1 PRIMÒ quidem Caietanus, à *capite* 12. *secundæ ad Corinthios* sentit, nullum tale Cœlum esse: vult enim primum mobile esse cœleste Beatorum domicilium. Tribuitur Damasc. 2. *de fide*, *capite* 6. Basil. *homil.* 3. *Hexaëmer.* Theodoreto, *quæstione* 11. Eugub. *in cap. prim. Genes.*

2 VNIVERSALIS autem Theologorum consensus astruit Cœlum Empyreum. Ita Scholastici cum Magistro, *in* 2. *d.* 1. vbi D. Thomas, & Diuus Bonauentura, qui id à Patribus sanè antiquis receperunt, nedum à Beda, *in Hexaëmer.* Strab. *in Glos. ordinaria*, ad ea verba Genes. *In principio creauit Deus Cœlum, & terram.* Eandem sententiam tenuêre Alcuinus, Rabban. Lyra, & ferè alij omnes *in Genes.* & Hugo de S. Victore *in summa sententiarum*, *tract.* 2. *capite* 1. Abul. *Genes.* 1. in explicatione operum quinti Diei, & *in capite* 23. *Exodi*, *quæstione* 52. & 53. eamque indicat Basil. *homil.* 1. *Hexaemer.* & Theodoret. *quæstione* 11. *in Genes.* Tandem Anacletus Papa ante omnes, *in exemplari*, 2. *decretal. in fine*; vbi ait: *Dominus è Cœlesti aula, ac Empyreo domicilio in castissimæ virginis purissimum vterum, pro nostra redemptione carnem suscipiens, aduenit.* In Catena Lippom. refertur Diodorus Episc. Tarsen. magister Chrysost. qui ait: *Hoc Cœlum in scriptura vocari Cœlum Cœli*: idem habet Damasc. infrà.

3 ASSERO cum hac sententia dari Cœlum Empyreum: hanc esse in Ecclesia communem testatur Amicus *Tract.* 4. *quæstione* 5. *disput.* 5. Arriaga *infrà cit.*

PROBATVR à Seraphico Doctore ex Patribus, quos retuli *Tractatu* 1. *disputatione* 1. *quæstione* 2. è quibus refert *hic* Strabonem, Bedam, Damasc. 2. *de fide*, & cæteros Ecclesiæ Doctores, quos affert etiam, 3. *parte Centiloq. sectione* 7. nam Cœlum initio creatum differt à firmamento, quod in Cœlos mobiles diuidatur. Idem habet D. Clem. *libro* 1. & 3. *Recognit.* ex Diuo Petro, & alij, ex quorum consensu optimè argui, notant Arriaga, *disp.* 29. *sect.* 2. *numero* 11. Amicus *loc. cit.* qui rationibus S. Bonau. vtuntur.

PROBATVR secundò à Seraphico Doctore, *tract.* 7. *de Ecclesiastica Hierarchia*, *parte* 4. *capite* 1. ex Diuo Basilio, *Homil.* 1. *Hexaëmer.* Præterea ex multis sacræ Scripturæ locis. Isaiæ vlt. *Cœlum mihi sedes est.* Psalm. 10. *Dominus in Cœlo sedes eius.* Psalm. 102. *Dominus in Cœlo parauit sedem suam.* Apoc. 4. *Et ecce ostium apertum est in Cœlo.* Quæ sanè loca infra refert, eaque anagogicè Angelis applicat. Plurima alia loca adducit Amicus, cum Seraphico Doctore. Hoc dicitur *Cœlum Cœli* Deut. 10. Psalm. 113. vt notauit Amicus, post Doctorem Seraphicum. 4

PROBATVR tertiò à Seraphico Doctore *hic* In quolibet genere, mobile præsupponit immobile: quia omne fluxibile ad finem terminatur; sed omnes Cœli, nobis noti, sunt mobiles: ergo supra eos oportet ponere vnum Cœlum immobile.

PROBATVR quartò à Diuo Bonauentura, esse multiforme reducitur ad vniforme, sicut multa præsupponunt vnum; sed Cœlum sydereum, & primum mobile est multiforme: ergo datur aliud vniforme, id est Empyreum. 5

PROBATVR quintò congruentiâ. In quolibet genere, in quo datur medium, & infimum, datur etiam supremum; sed datur infimum, id est corpus fixum, opacum omninò; & medium, id est mediocriter luminosum, scilicet Cœli mobiles: ergo datur supremum, totum LVX, & flammescens, atque immotum: ideò dicitur Empyreum. Hac ratione vtitur Suarez, *libro* 1. *capite* 4. *num.* 5.

PROBATVR sextò à Seraphico Doctore, suppositâ fide, in Cœlo esse habitationem Beatorum: Sicut enim damnatis carcerem destinauit noctis æternæ, qui ad hoc maximè inseruit: ità maiori ratione, Creatorem oportet destinasse quoddam Cœlum, quod futurum esset regnum beatorum; vt etiam verificetur illud Matth. 21. *Venite, possidete Regnum paratum vobis à constitutione mundi*; nam Gloria spiritualis, non in tempore; sed priùs ab æternitate, vt habetur *Ephes. primo*, præparata fuit: ergo loquitur de Regno corporali, in quo degent in perpetuum. 6

Hac ratione nititur Suarez *loc. cit.* Nec benè corrodit Arriaga *num.* 10.


PROBATVR septimò à Seraphico Doctore, *dub.* 2. *litt. huius distinctionis*, ex conuenientia loci, qui debetur Beatis, maximè Corpori Christi, & Beatæ Virginis, qui ascenderunt ad supremum Cœlum. Non enim est verisimile, Christum, & Beatam Virginem stare suprà Cœlum in motu perpetuo existens; alioquin, vel pedes incerto in situ haberent, vel simul cum Cœlo raperentur. Hac congruentiâ nititur Suarez, *num.* 4. Arriaga, *num.* 11. 7

HINC falsò Malonius dixisse conuincitur, apud Suar. *cap.* 5. Cœlum hoc esse fluidum, ad motum, respirationem, & loquelam beatorum; quod placet etiam Tannero *in fine huius tract.* Cornelio à Lapide 8



DISPVTATIO XVIII.

De Generatione.



QVÆSTIO I.

An Devs *creaturis vim generandi dederit, & quomodo.*

1 Tertia die, reiectis aquis terram operientibus, Deum vegetabilia condidisse, eisque dedisse primò virtutem. *Germinet terra, &c.* communiter dicunt: sed hac die creatas terram, & aquam, ostendam *Tract.7.disp.1.quæst.1.*

Qvæstio autem est præsoluenda: An tunc dederit terræ tantùm virtutem generandi herbas, plantas; &c. num verò ipso facto illas germinauerit.

Prima opinio fuit D. August. 5. *de Genes. ad litt.cap.4.* Deum tunc, illis verbis, causaliter tantùm produxisse, dando virtutem germinandi suis temporibus. Nititur; quia *cap.2.* dicitur Deus produxisse omne virgultum, antequam oriretur in terra.

2 Sententia S.Bonau. 2. *d.14.p.* 2. *dub.2.* & *serm.14. ac seq. Hexaëmer.* tunc illicò erupisse herbas, & plantas; ibi enim dicitur. *Protulitque terra herbam virentem, & facientem semen suum, lignumque faciens fructum.* Idem sensit D. Basilius *in Hexaëmer.* quibus authoritatibus nixus est S. Doctor, quem sequuntur alij apud Perer. *l.1.c.1.v.11. & 12. Genesis.* Arriaga *d.32.sect.* 3. dicens, omnes Patres id asserere; & esse communem sententiam.

Ad locum *cap.* 2. respondent, signari hæc facta, antequam naturaliter terra germinaret.

3 At dubitatur: num efficienter tunc terra produxerit herbas?

Respondeo è Diuo Bonauent. eam extitisse materiam meram, *ex qua*: nam subditur: *Produxitque Dominus Deus de humo, &c.* vt innuit Seraphicus, & cum eo relati. Addit rationem S. Doct. nam ideò etiam ante Solis creationem, illam germinare iussit; ne Soli prima germinatio attribueretur, tanquam Patri, atque adeò terræ, tanquam matri, quæ est ratio D. Basilij. Oppositum tamen censet Caietanus esse probabilius, quamuis contra D. Thomam, *p.1.q.70.art.1.*

Censent multi, non vbique statim terram fuisse repletam plantis, tritico, hordeo, &c.

Addvnt, initio non fuisse germina, quæ ex putri; neque plantas, quæ è multis insitis prodeunt: sicuti nec animalia è mixtis speciebus; vt mulos; pardos, &c.

Qværvnt verò: An spinæ germinarint ab initio?

Videntvr enim datæ in pœnam post peccatum. *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Ità videtur sentire D.August. *lib.1. de Genes. contra Manichæos, cap.11.* Ambr. *lib.3.c.9. & 11.* Alcuin. *in Genes.* Damascen. *lib. 2. de fide, cap.10.* & alij apud Suar. *cap.7.*

4 Commvnior tamen sententia est, fuisse ab initio spinas. Ita D. August. qui *lib. 3. de Genes. ad lit. c. 18.* sententiam illam retractauit; vt notant Arriaga *subsect.* 2. Perer. *num. 113.*

Dicitvr verò, post peccatum, *terra spinas, & tribulos germinabit*, non simpliciter; sed (*tibi*) vt notant allegati è D. Donau. ac D. Thoma.

Dedit igitur Deus terræ virtutem producendi herbas, &c. virtute in seminibus infusâ; agente Sole, pluuiis, &c. ad modum, quo & fœminis dedit virtutem concipiendi; vt notant è D. Bonau. *loc. cit.* allegati Doctores. Vbi Seraphicus concedens fœminæ virtutem aliquam actiuam; eam & terræ non negat.

Qvoad venenata germina, arbitror initio creata; sunt enim ad aliquid vtilia; vt aiunt Basil. Ambros. Theodoretus apud Pererium, & alij.

Qværvnt etiam, cur non refertur productio mineralium? 5

Respondet Perer. *num.115.* è D. Bonau. *dub. 6.* mineralia esse omissa; quia in abditis terræ finibus occulta hæc sunt. Adde etiam, quoad essentias incognita. Sic tacuit Moyses origines fontium, lacuum, fluminum, præcipuas tantùm res describens; reliqua omittens.


Qvinta die iussit. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram. Benedixitque dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: aues que multiplicentur super terram.* 6

Sexta die. *Producat terra iumenta, & reptilia, & bestias.* Sic autem hæc distingui, ait Sanctus Doctor *in 2. distinctione 15. dub. 2. litt.* vel ex parte *motus*; vel ex parte *finis.* Ex parte *motus* sic. Omne enim animal, quod mouetur; aut mouetur tractu, anteriùs aliquam partem protendens; & sic est reptile; vt vermes. aut impulsu, & hoc vel pedibus; & sic est gressibile; aut alis, & est volatile. Ex his, alia sunt apta sæuire, & dicuntur bestiæ: alia mansueta; & ecce iumenta. Ex parte hominis sic. 7

Avt enim est in hominis adiutorium; & dicitur iumentum; aut ad hominis exercitium, & hoc nocendo, & dicuntur bestiæ, quasi vastiæ; quando apertè sunt nociuæ: aut ex insidiis, vt reptantia, serpentia, &c.

Dvbitatvr: An ea actio producens pisces, &c. fuerit eiusdem rationis cum ordinaria productione? nam dispositiones sunt extra essentiam productionis. 8

Arriaga *d. 33. sect.* 2. esse diuersas ait, ratione principiorum quoad ea, quæ ex copula generantur; in quibus etiam mater effectiuè concurrit, hîc verò solus Deus: ergo non in solis dispositionibus fuit diuersitas: At quoad ea, quæ ex ouo generantur, ait, fuisse eiusdem rationis. Nam & horum animæ, quando connaturali modo generantur, non producuntur immediatè, nisi à solo Deo. Sed hæc opinio refelletur *Tractatu 9. disputatione 1. quæst. 17.* 9



QVÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit Generatio.

Dari generationes, suppono cum D. Bon. 2. *d.7.p.2.art.2.quæst.1.* 10

Definitvr ab Aristotele 1. de Gener. *Est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente.* Hæc explicabitur *quæst. 4.*

Definitvr quoque ab eodem Aristotele; *Muta-*

mutatio de non subiecto in subiectum. Hæc ibidem exponetur.

GENERATIO autem Viuentium definitur à D. Bonauent. in primo, distinct.9. *Est totius similis de simili, è se productio.* Vel: *est productio è principio intrinseco similis secundum speciem.* Hanc explicui *tract.2.d.2.quæst.5.* & *disp.9.*

HÆC autem est definitio generationis vniuocæ; non autem æquiuocæ, qualis est Solis producentis animalia.

11 NOTA, in intrinseco generationis non includi mutationem; ideò etiam in Diuinis est. Igitur in solis creatis generationibus est mutatio; vt monet S.Doctor 1.*d.9.art.1.quæst.*1.

GENERATIO creaturis data est ad conseruationem speciei. Ideò ait Deus, Genes.2. *Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei adiutorium simile: Crescite, & multiplicamini, &c.*

NON is tamen solus est finis, vt monet S.Bonau. 2.*d.3.part.1.art.2.quæst.1.* Alensis *p.2. quæst.20. memb.6.articul.2.* Scotus 2. *distinct.3. quæstione 7. ad vlt.* Sanè multiplicatio hominum est ad finem beatitatis. Vide Galitium *de Gener.quæst.4.*

QVÆSTIO III.

An terminus generationis sit FORMA.

SCOTVS *in 1. distinct.3.quæst.6.* docet, terminum formalem generationis esse formam; vltimatum verò, compositum, siue suppositum. Sequuntur Vtinensis *tract.8. quæst.8. art.2.* & alij Scotistæ, ac Conimbr. 1.*de Gener.cap.4.quæst.15.* Vasquez *3.part.disput.119. cap.2.* Ruuius *tract.1. quæst.3.* Aresius *disput.2.quæst.14.* Eustach.*part.2. Physic.tract.2. disput.2.quæst.5.*

AT Hurtadus *disput.11. Physic. sect.6.* videtur assignare terminum generationis, vnionem. Aresius verò id asserit in hominis generatione; in cæteris formam vnitam; in omnibus verò, Fuliensis *lib.2. Physic.cap.4.art.2.*

12 NOTA, terminum eum dici, in quem ex intentione agentis terminat generatio. Naturæ autem omnium generantium insitum est, speciem perpetuò seruare; vt docet Aristoteles 2. *de anima, text.34. & 35.* Quoniam igitur corruptibilia nequeunt perpetuò durare, intendunt saltem speciem sartamtectam seruare. Hinc sola corruptibilia vniuocæ generationi incumbunt; vt docet S. Bonauent. *in 1. distinct.5.artic.2.quæst.1.in corpore*, vbi ait, intentionem generandi terminari ad naturam communem, non sanè phrasi Scotica, vt generetur natura formaliter communis; nam ibi testatur gigni solum indiuiduum subsistens; sed quia natura producens hunc, puta hominem, intendit dare naturam humanam, quæ in indiuiduis aliquibus permaneat. Non est tamen hoc solùm intentum, vt innui *quæst. præced.* cum D.Bonauent. & aliis contra D. Thomam *part.1. quæst.47.art.2.* & *secundo cont.Gent.cap.93.* ac discipulos. Cùm enim dixit Deus, Genes. 1.
13 *Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei adiutorium*, ità res ordinauit; vt etiam manente Adamo innocente, plurimi generarentur, etiamsi nulli perirent. Nunc verò innumeri enascuntur speciei conseruandæ non necessarij: Pro fine verò beatitatem omnibus destinauit, omnia ad suam emeritissimam gloriam dirigens; vt sæpè monet S. Doctor. E cæteris verò plurima destinauit indiuidua hominum alimento, solatio, adiumento, &c. vt docet D. Bonauent. 2.*distinct.15. art.2. quæst.1. & d.19. quæst.2.art.1. corporis*, & alij Scholastici *ibi, & in Hexaëmer.* Vide Anton. Gulielmum *de Gloria Sanctissimæ Trinitatis*, vbi præclara profert, ex opusculis Seraphici Doctoris decerpta.

HORVM omnium ordinem mirum instituit Deus, vt simplicia generentur, maximè ad mixta facienda; & inanimata plurima corpora ad viuentium species conseruandas.

HINC generationis scopum pedetentim inue- 14
nies, ac terminum. Terminus sanè est, qui finem imponit rei, puta generationi; vt vltrà non progrediatur; sed ibi perfecta sistat. Forma quidem non est vltimò intenta, sed totum illud compositum perfectum. Nam forma est volita, vt pars relatiue ad totum constituendum; ideò peracto composito, cessat agens; sicuti habito fine, cessat motus. Itaque forma non est propriè terminus, quia non est vltimum intentum. Neque vnio potest dici terminus, quia ordinatur & ipsa vlterius, vt, hac mediante compositum fiat; & ordinatur ad vnum è pluribus faciendum, vt ait Galit. *part. 2. lib.3. tract.1.quæst.5.* Neque potest esse suppositum, quia extra naturæ intrinsecum complementum est. Vnde & in humanitate Christi perfectissima non reperitur humanum suppositum. Miror verò Scotistas, qui credunt suppositum esse negationem, statuere illud pro termino generationis; quæ est actio positiua.

ASSERO, terminum generationis esse formam 15
totius, seu compositum è materiâ, & formâ.

PROBATVR primò. Ille est terminus intrinsecus generationis, qui intrinsecum limitem perfectum naturæ vltimatè signat. Talis est forma totius, non pars; vt ostendi; Neque vnio, quia in his non quiescit generans. Neque est suppositum, quia potest esse generatio perfecta sine eo, vt cùm B. Virgo concepit, non genuit suppositum Diuinum, neque aliud, sed naturam in supposito præexistente.

PROBATVR secundò. Terminus generationis est, qui intentus est à natura. Sed is est communicatio naturæ, destinata ad conseruationem speciei Ergo.

ADDO verò cum D. Bonauent. non posse na- 16
turaliter produci naturam, nisi in hoc supposito, quia illicò emanat à natura, vt modus substantialis, etsi non essentialis. Quare suppositum est terminus substantialis, quo habito finitur totum, & complete finis habetur. Hæc enim est definitio termini, lata ab Aristotele, apud Auer. 5. Metaph. cap. de termino. *Terminus est finis, & vltimum, extra quod alia non considerantur*: sed vltra suppositum nil est; intra verò est forma, vnio, & totum: ergo.

EST autem terminus hic in creaturis non ge- 17
nitus; quia ad illud non terminatur generatio, secundùm rationem producendi; sed emanat, resultans è toto. Vnde Aristoteles docet, compositum generari; non (suppositum) vt legunt aliqui.

HIS defluunt oppositiones, additis quatuor verbulis: Generatio est via ad formam partis immediatè; sed vltimò ad formam totius intrinsecè terminatur; ab vltimo autem intrinseco sumitur ratio essentialis termini, & ab hoc denominatur generatio, quæ ibi intrinsecè completur. Vide Galitium *loco cit.*

QVÆSTIO IV.

An Terminus à Qvo *generationis sit aliquid.*

18 TERMINVS *à quo* est, vnde incipit generatio. Is sanè non est terminus intentus; natura enim, per se, non vult corruptionem. Est autem priuatio in subiecto apto, si comparetur cum forma acquirenda.

ASSERO, terminum *à quo* generationis, esse aliquid. Ita D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1.

PROBATVR; quia virtus naturalis est finita: Ergo non ex nihilo producunt, sed ex aliquo. Tale autem est in materia aptitudo, ac ratio seminalis; de qua actum est *disput.* 2. *quæst.* 4. Quòd verò agens naturale egeat subiecto apto; ostendi *Tract.* 3. *quæst.* 1. 6. & 7.

QVÆSTIO V.

An in generatione maneat aliquid in genito, quod erat in corrupto.

ALIO titulo proponitur: An in generatione, & corruptione, detur resolutio vsque ad primam materiam.

19 HÆC quæstio aduocat illam, quam *tract.* 8. *d.* 2 *quæst.* 3. agitabo: An dentur in eodem composito plures formæ substantiales? Vbi id asseram; ac proinde separatâ in nobis, & in brutis corruptâ animâ, manere formam corporis, quæ dicitur corporeitatis: Itâ non illicò dari immediatè resolutionem, vsque ad materiam primam; Manere autem formam substantialem apertè conijcitur; quia manent qualitates, quæ non in nuda materia, sed in composito subiectantur; vt docet Aristoteles: infrà, *citandis locis*. Sic in homine mortuo remanent pili, & crines flaui, aut rubei, eadem in vultu cicatrix, eadem figura nasi, aquilina, &c. Vnde, & à Iudicibus recognoscitur esse corpus Petri interfecti. Sic & Christus, è cicatricibus suis ostendit, se esse illum, qui à Iudæis occisus. *Videte manus meas, &c.* Et in Apostolum Thomam, vi grandi arguit: *Quoniam Ego ipse sum.*

20 DICERE verò, gigni nouam formam cadaueris, & nouum colorem rufum, nouásque figuras similes, incredibile est, neque enim inueniunt, à quo agente ista producantur; cum opposita sæpè necantia sint; qualia sunt ignis, aqua, lapis, aër infectus, &c. quæ non possunt facere idem. Sed de his, loco præfato, contra Thomistas,

NVNC quæro: An in corruptione, etiam elementi simplicis, putà aëris, & generatione aquæ in cauernis, remaneat humiditas, atque alia accidentia communia genito, & corrupto?

PRIMA opinio est; non manere, atque adeò resolui ad primam materiam. Itâ Scotus *in* 2. *d.* 3. *quæst.* 4. apud Fabrum *Theor.* 73. *cap.* 5. etsi in contrarium adlucantur Scotistæ. Hanc verò plausibus amplectuntur Thomistæ, qui vnicam etiam formam in animali admittunt, atque in morte resolutionem immediatam in materiam primam. Rich. 2. *dist.* 14. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 5. Colleg. 1. *de Gener. cap.* 4. *q.* 18. *art.* 2. Capreol. 2. *d.* 18. & 19. *quæst.* 1. *art.* 3.

SECVNDA sententia est, non repugnare idem accidens commune corrupto, & genito, manere. Ita Gregorius *in* 2. *d.* 12. *q.* 2. *art.* 2. Aureol. *d.* 15. *q.* 2. *art.* 1. Baccon. *d.* 18. *q. vnica*, *art.* 3. Zabarella, *de rerum ortu, cap.* 9. Aresius *d.* 2. *q.* 11. & alij: eamque laudat Bellarminus *lib.* 3. *de Augustiss. Euch. cap.* 13, Eustachius, *p.* 2. *tract.* 2. *q.* 8. vniuersim, Fuliensis 2. *Phys. cap.* 4. *art.* 4. & est D. Thomæ, 3. *p. quæst.* 9. *art.* 3. *ad* 2.

MEDIAM calcant viam Toletus *de Gener. q.* 7. Suar. 14. *metaph. sect.* 3. & 3. *p. d.* 57. *sect.* 2. vtramque opinionem laudantes, magis verò secundam.

QVID senserit Seraphicus Bonau. videtur incertum, cùm vtrinque loca afferat Galitius *parte* 2. *Philosoph. lib.* 3. *tract.* 2. *quæstione* 2. satis apparentia.

PRO prima sententia adducit loca, à nobis allata *Tractatu isto, disp.* 1. *q.* 11. vbi videtur asserere, compositum esse subiectum quantitatis. Deinde affert id passim ex Aristotele, quod ore Sancto sæpiùs perualuit. *Destructis nobis, corrumpuntur & quæ in nobis*; accidentia verò esse in composito, docet *in* 4. *d.* 12. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *arg.* 2. *sed contra*, dicens, accidentia non consequuntur materiam secundùm essentiam; sed secundùm esse, scilicet, vt forma completur, nec aliter materia est subiectum accidentium. Estque sententia Aristotelis 1. *de Gener. text.* 24. vbi ait, subiectum accidentium esse sensibile. Et 8. *Metaph. text.* 8. vbi ait, materiam primò recipere formas substantiales; deinde accidentales.

ÆSTIMAT præ cæteris Galitius ea, quæ docuit Seraphicus Doctor, 4. *distinctione* 12. *parte* 1. *art.* 2. *quæstione* 3. *ad* 1. vbi ait. Esse suprà naturam quantitatis, quòd maneat secundùm se in Sanctissimo Sacramento, mutatione facta; hoc enim est proprium solius substantiæ, & ita supra naturam quantitatis. Sed non videtur aliquid probare. Nam cùm in Sacramento fiat mutatio etiam materiæ, procul dubio supra naturam est, accidentia manere separata, & quantitatem manere secundùm se, quod est proprium substantiæ; at hoc non infert in mutatione naturali. Vbi obserua, non dicere, solam substantiam in mutatione remanêre. Nam accidentia inhærent. Quare hic locus nil facit pro hac sententia.

E regione stare, probantur loca relata *d.* 1. *quæst.* 11. vbi videtur quantitatem in solâ materiâ ponere.

DEINDE affert Galitius locum *in* 4. *d.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *fundamento vltimo*, vbi docet, quod, quandocunque in mutatione remanet aliquod accidens ex his, quæ fuêre in corrupto, necesse est, vt sit conueniens genito, & corrupto; vt si de aëre fiat ignis, manet calor. Hinc infert, non manere naturaliter odorem, colorem, saporem panis, facta transmutatione panis in corpus Christi; eò quòd talia accidentia non sint Corpori Christi conuenientia, & communia; & cùm maneant, non esse illi inhærentia, sed quantitati panis, concludit.

HVNC locum timet P. Galitius, sed frustrà. Scias in argumentis vtrinque non semper vti Doctores strictè suis fundamentis; & hoc sæpè inuenies etiam in S. Doctore, sed aliquando è probabilibus arguit Hic igitur nil aliud vult, quàm conditione proba

probabili arguere. Si facta mutatione manent in genito accidentia corrupti, ea sunt conuenientia; vt calor igni genito ex aëre; & accidentia panis non sunt conuenientia corpori Christi. Ergo, &c. Ad maioris autem efficaciam sufficit, probabile esse, manere accidentia communia: Nam maior habet hanc negatiuam, quâ nititur conclusio. Nullus dicit accidentia inconuenientia genito, quæ fuêre in corrupto, remanêre. Per additum verò dicitur; secus si remanet aliquod; vt multi docent, debet esse conueniens genito, sed accidentia panis non conueniunt corpori Christi: ergo.

ITAQVE hic locus nil facit. Et cum probabiliùs censeat, quantitatem, & alia accidentia hærere composito; vt ostendi *d.* 1. *quæst.* 11. arbitror S. Doctorem esse primæ sententiæ fautorem, absque dubio. Nam corrupto composito, quod est subiectum accidentium, debent corrumpi accidentia; aut migrare de subiecto corrupto in nouum genitum, quod est absonum.

21 ASSERO ergo, in mutationibus substantialibus elementorum, dari resolutionem ad materiam primam.

PROBATVR primò. Corrupto subiecto, corrumpuntur ea, quæ sunt in subiecto: at subiectum accidentium est compositum: ergo. Maior est euidens. Minor est Aristotelis suprà.

PROBATVR secundò: nam, si in generatione ignis ex aëre manet calor aëris; aut ignis non habebit suum calorem, quem naturaliter ab intrinseco effundit: aut duos calores, alterum remissum aëreum; alterum proprium intensum.

22 ASSERO tamen secundò, cum in via D. Bonau. probabile sit, materiam esse subiectum accidentium, probabile esse etiam, manere aliqua accidentia in corruptione.

PROBATVR primò ex Aristotele 1. *de Gener. cap.* 2. *text.* 24. vbi præclarè docet, cùm ex aëre generatur aqua, manere in genito perspicuitatem, quæ erat in corrupto.

DICERE verò manere eandem specie, videtur iocus (ait Fuliensis.) Confirmatur è *l.* 2. *cap.* 4. *text.* 24. faciliùs ideò elementa Symbola transmutantur, quia vnica pellitur qualitas.

POTEST tamen dici ad primum, *ibi* Aristotelem negare solùm, eam qualitatem communem transmutatione, quæ est à contrario, tolli; sed non negasse destrui ad ruinam subiecti. Ex hac parte minor est difficultas in transmutatione symbolici elementi. Cæterùm ex alio capite non est verum; quia si dissimbolum inire cogitur pugnam cum duabus qualitatibus aduersis, ipsum quoque totidem ad pugnam habet validas.

23 PROBATVR secundò. Si omnia accidentia disponentia ad productionem formæ pereunt, non possunt eam producere, cùm non existant, sed neque producetur à comitantibus formam, quia ab hac sanè iam existente manant.

VRGEO. Si omnes dispositiones destruuntur, iam remanebit materia indifferens ad alias formas, & ad nullam determinata, nulláque fiet generatio.

POTEST tamen dici, formam à forma in subiecto disposito produci, & tunc cum forma veteri, ruere veteres dispositiones; nouásque manare è noua forma.

PROBATVR tertiò. Natura nil frustrà facit. Quorsum igitur calorem hunc aëris remissum destruet omnino; vt alium intensum gignat? Cur potius veterem non auget, vt igni inseruiat, vel remissum non faciat calorem ignis, cum gignitur aër? 24

DICEREM tamen, naturam prouidam, singulis dare propriam virtutem necessariò emanantem. Hic autem ordo est fixus, ne quando deficiant in suis operibus.

NOTA verò, corrumpi accidentia pro subiecti destructi conditione propriâ.

Ita mortuo animali, pereunt accidentia viuentis: & quia manet adhuc corpus organizatum, manent eius accidentia; nam hæc manent cum subiecto inhæsionis, etsi ablato subiecto denominationis.

QVÆRES, quo sensu generatio vnius sit alterius corruptio? 25

RESPONDEO, non esse verum formaliter, sed consequenter, vel quoad entitatem; vt cùm ex igne fit aer: vel quoad modum, vt cùm animatur corpus organicum; tunc enim forma organizationis incipit habere rationem materiæ, quæ formæ, quia vltima erat, priùs obtinebat gradum.

INQVIRES: An corruptio sit naturalis?

DICO, esse per accidens à naturâ intentam, quæ suam destructionem non intendit: sed conseruationem in generationibus, quæ sine corruptionibus esse nequeunt. 26

DE generatione Viuentium agam *Tract.* 9. *disput.* 3. *part.* 3.

DISPVTATIO XIX.

DE ALTERATIONE.

HIC agendum esset de NVTRITIONE, quæ est aggeneratio partialis; & de AVGMENTATIONE, quæ nutritionem includit. Sed de his *Tract.* 9. *de Anima, disp.* 3.

QVÆSTIO I.

Quid sit ALTERATIO; *& propter quid.*

DEFINITVR 3. Phys. text. 4. *Est motus ad qualitatem.* Eam verò explicat *text.* 23. Quando, manente subiecto sensibili existente, transmutatur in eius passionibus, aut contrariis, aut mediis: vt corpus sanum est; & rursum laborat, manens idem, alteratio est. 1

DIFFERT *à Generatione*; quia huius subiectum primum est materia: (etsi in generatione animalium educitur anima de composito organico) at subiectum alterationis est semper compositum & ens actu completum. 2

SECVNDÒ, terminus generationis est substantia: alterationis est qualitas. Hinc alteratio alterum facit; sed generatio aliud in creatis.

ET quidem alteratio perfectiua non est semper ob generationem, vt patet in Illuminatione. Vide Toletum 1. *de Gener. quæst.* 1. Collegium *cap.* 4. *quæst.* 1. *art.* 1. 3

ALTERATIONES verò corruptiuæ sunt à natura intentæ ob generationem. Sunt enim dispositiones ad generationem, quam tenetur procurare corrumpendo alienas, quod non facit nisi quatenus intendit bonum generationis.

QVÆST.

QVÆSTIO II.

An Alteratio sit motus continuus.

ALTERATIONEM non esse motum continuum censuit D. Thomas cum discipulis, apud Toletum *quæst. 6.* Zanardus 8. *Physic. q.* 9. qui tamen adducit D. Thomam, Aristotelem, & Auerroëm pro opposita sententia.

ALII è regione, eam docent esse continuam. Sic D. Bonauent. 2. *distinctione* 1. *part.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *in corpore*, Scotus *d.* 2. *quæst.* 9. Toletus *loc. cit.* Collegium 1. *de Gener. cap.* 4. *quæst.* 2. *art.* 2. Perer. *lib.* 14. *cap.* 8. & quotquot nobiscum *disp.* 10. *quæst.* 4. censuêre, motum essentialiter successiuum esse. Subscribunt Eustach. *part.* 2. *Physic. tract.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 10. & alij Recentiores.

ASSERO, motum alterationis esse continuum per se.

4 PROBATVR primò. Omne successiuum est species continui. Motus est successiuus: ergo continuus. Maior patet, nam continuum diuiditur in permanens, & successiuum. Minor est clara *ibi, disput.* 10. *quæst.* 4.

PROBATVR secundò. Omne agens debitè applicatum, continuè agit, inducendo formam.

PROBATVR tertiò è D. Bonauentura *in* 4. *d.* 44. *part.* 2. *art.* 3. *q.* 2. Ignis agit calore, nec aliter, quàm destruendo contrarium, quod non pellitur, nisi inductione contrarij. Sic etiam dispositio inducitur, nec agens cessat agere, sufficienter applicatum. Itaque à quo incepit, non desistet, nisi impediatur, donec qualitatem extensam in subiecto extenso introducat. At exigitur successio temporis, tum ob contrarietatem repertam; tum propter extensionem subiecti, & formæ.

5 DICES interdum agens solummodò disponere: At ignis agit calore calefaciendo, & semper agit: Ergo calefacit. Ita D. Bonau. *in* 4. *distinct.* 44. *parte* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. Deinde dispositio est actio continuata: dum enim calefacit, disponit: Ampliùs, & contrarium abiicitur non nisi per productionem contrarij: ergo priùs est productio, quàm dispositio; vt arguit D. Bonau. *in* 4. *distinct.* 17. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. & D. Thom. *prima secunda, quæst.* 113. *art.* 7. *&* 8. Itaque non eget agens alia dispositione, vt qualitatem inducat; alioqui & ad illam alia egeret, & sic in infinitum; vt monet Galitius *num.* 4.

6 ASSERO secundò, alterationem, ratione subiecti, esse continuam.

PROBATVR, quia agens agit in partem primò sibi vicinam, & sic progreditur vsque ad partem remotam.

NEQVE terret dictum Aristotelis 8. *Physicorum, text.* 23. vbi negat, ex parte continuitatis subiecti, motum alterationis esse continuum; quia simul aliquando fit; vt in congelatione, & illuminatione, quas vrget Galitius *num.* 5.

DICO enim, agere ibi Aristotelem contra dicentes, alterationem non posse esse continuam, quia deberet durare tempore infinito, sicuti continuum est diuisibile in infinitum. Quod ergo negat esse continuam, intelligit in sensu Heracliti, quòd debeat esse perpetua, & in infinitum, ad modum continui, secundùm partes proportionales.

QVOAD illuminationem, eam excipio, quia non est actio merè naturalis, sed eminenter naturalis, & intentionalis, quæ fit tempore imperceptibili, & eadem velocitate intendi potest, quia non inuenit contrarium, sed tamen fit successiuè, ratione subiecti. 7

FALSAM est porrò, gradus qualitatis acquiri in instanti, vt dicunt aduersarij. Sicut enim qualitas est extensa, ita & gradus eius, ac proinde successiuè fit alteratio intrinsecè, ratione graduum intensionis; vnde ratio intrinseca alterationis sumitur; sicut extrinseca è subiecto, vel spatio desumitur.

QVÆSTIO III.

Ad quas species qualitatis sit ALTERATIO.

DE hoc latè Amicus *Tract.* 23. *Physic. disput.* 7. *quæst.* 4. cum Toleto 7. *Physic. quæst.* 3. Peretio *lib.* 14. *cap.* 2. & aliis post Aristotelem 7. *Physic. à text.* 14. *ad* 21.

DVPLICITER sumitur Alteratio. Primò pro inductione alicuius qualitatis, etiam perfectiuæ; vt est illuminatio. Secundò pro inductione qualitatis perturbantis, quo sensu Aristoteles 1. *cœli text.* 20. *& seq.* ait, cœlum esse inalterabile. Et 2. *de anima, text.* 52. *&* 58. ait, acquisitionem scientiæ esse aliud genus alterationis, id est non hoc secundo modo; sed primo modo, nempè perfectiuam. 8

HOC secundo sensu non fiet alteratio ad quartam speciem qualitatis; quia forma, & figura sunt qualitates perfectiuæ.

SIMILITER nec ad habitus, & dispositiones bonas; sunt enim hæc perfectiones.

HINC alteratio erit ad Passiones, & Passibiles qualitates, è 5. *Physic. text.* 14. Vide Amicum *loc. cit.* Collegium 7. *Physicorum, capite* 3. *quæstione vnica.* 9

ET sanè, neque ad omnes has est propria alteratio; vt ad odorem, & illuminationem: ratio est, quia ad propriam alterationem aliqua contrarietas exigitur. At illuminatio non habet contrarium. Odor verò, etsi habeat, non tamen necessariò præextitit in subiecto.

ALTERA etiam conditio requiritur à Collegio, vt non fit aliquid vnum ita cum alio; vt veluti consectariè ad illius acquisitionem videatur acquiri, non per se.

CONTRA hanc conditionem obiiciunt. Sanitas, & ægritudo sunt idem cum tali intensione primarum qualitatum, & tamen, qui infirmatur, vel sanatur, propriè alteratur.


DICO, è D. Bonauentura *in* 2. *distinctione* 15. *quæstione* 2. *&* 3. Sanitatem consistere in temperamento humorum, atque elementorum ad institiam; ac proinde, sicuti in his est vera generatio; ita & in illis veræ alterationes, quæ ex tali mixtione, temperie, & alteratione mutuâ pacificâ deriuan- Vnde rectè Auicenna negat, sanitatem esse idem cum primis qualitatibus.

COLLEGIVM respondet, esse vtramque veram alterationem, quæ non consequitur aliam rem, cùm præcisè qualitatum productio sit ipsamet sanitatis, vel ægritudinis effectio in animali.

OBIICIES secundò. Quando nubes in niuem

nem concrescit, fit alba; non ex contrario nigro.

Dico, etsi non è nigro, fit tamen è subiecto, habente aliquid recedens à candore ad alios colores, saltem medios, aliquo modo contrarios. Deinde debet esse à contrario, cùm primariò ea qualitas acquiritur; non autem cùm eius adeptio sequitur ad aliam alterationem, factam secundùm alias qualitates, à quibus re ipsa distinguitur; vt in coloribus, odoribus, & saporibus accidit. Ita sentit Collegium.



DISPVTATIO XX.

De Inceptione Rervm, et Desitione.

1 Svppono multa rerum genera. Aliæ enim sunt permanentes; aliæ successiuæ. Ex illis, aliæ diuisibiles; aliæ indiuisibiles.

Non ago, quomodo res incipiant ex parte agentium, & ex eorum actione desinant; sed de inceptione, & desitione rerum intrinseca.

Assero primò, res successiuas incipere extrinsecè per vltimum sui non esse.

Probatvr; quia si inciperent per primum sui esse ab instanti, iam motus in instanti fieret.

2 Assero secundò, successiua desinere per primum sui non esse intrinsecè.

Probatvr; quia si desinerent per vltimum sui esse, verum esset dicere: Nunc est motus in instanti; & post non erit. Hoc autem est absonum; vt dixi.

3 Assero tertiò; eo modo, quo incipiunt successiua positiua; incipere etiam quietem.

Probatvr. Eodem ordine se habent priuationes, quo & formæ oppositæ: Sed quies est priuatio motus: ergo.

4 Assero quartò, idem dicendum de rebus, quæ motu propriè dicto producuntur. Patet eisdem rationibus.

Assero quintò. Indiuisibilia temporis, *& mutata esse* motus, incipiunt per primum sui esse; & desinunt per vltimum sui esse.

Probatvr; quia habent totum suum esse indiuisibile: ergo in mensurâ vnigeneâ debent incipere, & desinere.

5 Assero sextò. Res, quæ sine contrarij expulsione incipiunt, & desinunt; incipere, & desinere in instanti, vel tempore aliquo, ratione spatij; esto breuissimo: vt lumen.

Patet ex dictis *disput. præcedenti.*

Assero septimò: ea, quæ per creationem incipiunt, & desinunt per annihilationem; incipere, & desinere in instanti.

Probatvr: quia nulla in his datur ratio retardans.

Assero octauò, idem dicendum de indiuisibilibus quantitatis.

Patet; quia mensurâ vnigeneâ debent mensurari.

Est autem quæstio: quo pacto in generatione, & corruptione incipiat forma noua, & desinat vetus.

6 Commvniter fertur, formam desinere per primum sui non esse extrinsecè; & nouam incipere per primum sui esse. Sic Gregor. *in* 1. *d.* 17. *q.* 2. *art.* 2. Ferrar. 3. *contra Gent. c.* 65. Conimbr. *lib.* 8. *Phys. c.* 8. *q.* 2. Perer. *l.* 4. *c.* 9. Tolet. 6. *Phys. q.* 4. Hurtad *d.* 15. *Phys. sect.* 8. Est autem apud Thomistas certa, cum Angelico 3. *p. q.* 75. *art.* 7.

E regione D. Bonau. *in* 4. *d.* 11. *p.* 1. *quæst.* 5. agens de transubstantiatione, asserit, substantiam panis desinere in instanti; & in alio instanti contiguo incipere Corpus Christi. Eum sustinet P. Galitius *part.* 1. *lib.* 3. *tract.* 1. *quæst.* 13.

Hoc arduum est, quia videtur ponere duo instantia immediata in tempore.

Scias duplici mensurâ posse aliquam rem mensurari. Primò, mensurâ communi primi mobilis, cuius motu omnia inferiora defluentia metimur. Secundò, mensurâ propria cuiusque rei, sumptâ è propriis materiis, iuxta regulam latam, *disp.* 14. *q.* 3. 7

Scias etiam, non posse quidem in vno continuo esse duo indiuisibilia immediata; posse tamen in duobus contiguis.

Probatvr ergo primò sententia Seraphici Doctoris, argumento omnium aduersariorum. Mensura debet esse vnigenea mensurato. Sed forma panis mensurata est indiuisibilis: ergo & mensura inceptionis, & desitionis eius: at desitio eius ponitur ei proportionata, & indiuisibilis: ergo. 8

Probatvr secundò. Quandocunque definiendum est aliquid, debet considerari per se, non ratione adiuncti: At formæ substantiali assignatur inceptio per se in instanti, tanquam mensurâ vnigeneâ: ergo & desinere per se. Ita, si Deus destrueret formam panis, cessaret in instanti: Ergo & nunc.

Probatvr tertiò. Quæ habent totum esse simul, nequeunt extensis commensurari. Forma substantialis habet totum esse simul indiuisibile: ergo nequit tempore mensurari.

Argvvnt, fore duo instantia immediata: Nam illa transubstantiatio motu primi mobilis mensuratur; ergo, si in vno instanti mensurat desitionem panis, & alio inceptionem Corporis Christi: erunt duo instantia immediata. 9

Respondet P. Galit. sicut duæ lineæ contiguæ, respondent puncto subexpositi continui: ita duo indiuisibilia respondere vni instanti primi mobilis, non enim duo indiuisibilia faciunt extensionem. Sic videmus experimento duorum contiguorum, quæ continuò applicantur. Perforetur Cœlum Lunæ in conuexo, & concauo Mercurij, & per foramen transeat linea. Sanè vno puncto respondebit puncto in superficie Cœli Lunæ. Quæro: Num respondebit parte aliqua diuisibili concauo Cœli Mercurij? An eodem indiuisibili? Si eodem indiuisibili: ergo vnum punctum continui respondet duobus contiguorum; si verò parte aliqua: ergo illa puncta non sunt immediata contigua; vt suppono. 10

Igitvr non est timenda illorum sequela. Magis verò timendæ sunt nostræ. Cur igitur volunt, formam in tempore corrumpi: & alteram in instanti generari; Num quia illa ad corruptionem dispositionum cessat? sed cur etiam hæc ad inductionem dispositionum non inducitur? Profectò alius est distinctus ab alteratione actus corruptionis, sicut à dispositionibus inductis generatio.

Sed de hoc disseram *Tertia parte, Tract. de Eucharistia.*



TRACTATVS SEXTVS DE COELIS.

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

HActenùs de Principiis, substantiarum creatarum intrinsecè constitutiuis, actum est; Nunc autem, quoniam ad horum concordiam & socialem nexum extrinseca quædam principia influunt; Disputatio de Cœlis instituenda est; illi etenim rerum corruptibilium natalibus sereniùs affulgent, easque benigniùs conseruant, & amiciùs fouent: Cœterùm in hoc de Cœlis tractatu Seraphicum Doctorem, (tamquam fulgidum firmamenti sidus) errorum tenebras abigentem, clariùsque veritatis lucem diffundentem ad extremum, (quantum licebit) apicem sequar.



QVÆSTIO Vnica.

Quo tempore creati sunt Coeli.

1 CVriosa est controuersia, quo tempore conditus sit mundus.

Nonnvlli dixère, conditum mense Iulio. Nituntur verò; quia probabile est, priscos homines, tempore Noë numerasse menses anni, ad normam receptam ab antiquis Patribus. Iam verò post diluuium illicò dicitur, Noë emisisse columbam vigesima quarta die mensis vndecimi; eam verò attulisse ramusculum oliuæ, virentibus foliis: solent autem in climate Armeno, quod idem est ac Romanum, virère oliuæ, Sole peragrante decimam quintam partem Tauri; ac florère solstitio æstiuo. Igitur si vndecimo mense virentes erant oliuæ, erant florentes circa Idus Iunij iuxta regulas Plinij, *lib.*8. *cap.*25. atque adeò oportet, vt primus fuerit mensis Iulij, cùm in monte Gordico potuerint oliuæ inueniri virentes mense vndecimo. Confirmant auctoritate Ægyptiorum, in Astronomicis peritorum, qui, vt refert Solinus, censuère natale mundi: cùm Sol Leonem ingreditur. Id autem videntur ab Hebræis didicisse, qui apud eos diu inquilini degerunt.

2 Omnes tamen communiter in Æquinoctio Verno, aut Autumnali creationem asserunt.

Ideò Ægyptij, sanè vetusti, initio septembris mundum esse conditum tradidere, testante Iosepho 1. *lib. antiq.* Quin etiam Cicero, *libro de Natura Deorum*, & Lactant *libro* 1. *diuin. instit. capite* 6. prodidere, Mercurium, qui Ægypto leges, ac litteras tradidit, appellatum ab Ægyptiis lingua sua Ihoth, à quo, apud eos, primus anni mensis, (qui est nouus apud Latinos) Septembris nomen accepit.

3 Sententiam verò illam asserentem, mundum in Autumno creatum, asseuerant plurimi Hebræorum eruditissimi, quam sequuntur Lyranus *ad cap.* 8. *Gen.* Abulens. *in capite* 1. *eiusdem l. q.* 21. Fauet etiam, quod ait Hieron. *in capite* 1. *Ezech.* apud omnes Orientales, primum anni mensem fuisse Octobrem: nam *Thisri* sonans Chaldaicè *Initium*, significabat Septembrem, qui sæpè variatione lunationum excurrit etiam in Octobrem: Inclinat Piccus, *cap.* 6. *lib.* 7. *aduersus Astrologos.* Tostatus etiam *in priori parte sui defensorij, cap.* 14. scribit, peritos Hebræorum censuisse, mundum conditum vigesimo primo Septembris; & Adam vltimo die Septembris formatum: primum autem diem Octobris fuisse primum mundi Sabbathum; primique anni exordium. Eam Perer. tuetur sententiam, *ad cap.* 1. *Gen. lib.* 1. Torniellus, *die* 6. Scaliger, *lib.* 5. *de emendatione temporum*, *cap. de conditione* Genebrardus *in Chron.* & multi Hebræi.

4 At vniuersa ferè scriptorum acies ordinatissima, mundum in Verno æquinoctio conditum asserunt. Sic Poëtarum Princeps *lib.* 2. *Georg.* asserit: sic Astrologi omnes, apud Ouidium.

Principium capiunt Phœbus & annus idem.

E Scriptoribus Ecclesiasticis, Eusebius *in Historia;*

ria; Athan. *ad quæstionem* 17. *Antiochi*; Cyrillus Hierosol *Catech.* 14. Leo primus *serm.* 9. *de Passione Domini*; Gregor. Nazian. *oratione in nouam Dominicam*; Isidorus, *lib.* 5. *Ethymol. cap. de temporibus*; Damasc. *lib.* 2. *de fide, cap.* 7. Strabo, & Rabbanus *super* 12. *c. Exodi*; Glossa interl. *in* 3. *Genes.* Beda, *libro de ratione temporum, & in Hexaëmer.* & in synodo Palestinæ, de mandato Victoris Papæ congregata à Theophylo Cæsereæ Episcopo, consensu omnium declaratum est, mundum factum Verno tempore, quod incipit decimo Kal. Aprilis; &, quo die Dominus noster crucifixus est, Adamum fuisse creatum.

Hvivs decreti meminit Beda, initio *lib. de sex ætatibus*. Ambrosius *lib.* 1. *in Hexaëmer. capite* 4. Theodoretus, *quæstione* 72. *in Exodum.* Magister *Hist. scholastica, in histor. Gen Hexaëmer.* refert; esse dogma Ecclesiæ, mundum creatum in Martio. Idem tenet Cataneus; *in Hexaëmer.* Eam sententiam tuentur scholastici; præsertim D. Bonauentu-
6 ra *in cap.* 1. *lucæ*; Plurimos Patres, & alios refert Ascanius Martinengus, *in Glossa magna*, Amicus *Tract.* 2. *de mundo, quæstione* 4. *disputatione* 2. A Lapide *Genes.* 1. Colleg. S. *Physicorum, capite* 2. *quæstione* 3. Eustachius Cisterc. *parte* 2. *Physic. tract.* 1. *quæstione* 5. Arriaga *d.* 29. *sect.* 1. & *d.* 32. *in fine*, admonens fuisse Ver in Palestina; at in aliis Oris iuxta varium Solis situm eis respondentem. Ita & Suar: *cap.* 7. Molina *disputatione* 12. & 14. Perer. *de opere tertiæ diei.*

Assero cum his, mundum fuisse conditum Verno tempore, & mense Martio.

Probatvr à D. Bon. *primò ad c.* 1. *Lucæ.* Recreatio debet respondere creaturæ, & creationi, vt secundus Adam, Sol institiæ è Cœlo egrederetur, quando & Sol mense martio egressus est, ad nos accedens, vt terram incarnatis florib. exornaret, sic veritas oriretur Christus, de terra formatus intactâ: quando etiam terra germinauit; vt tellus, ac mundus reformaretur; quo tempore formatus est; sicuti promisit Deus Isaiæ 66. *Sicut Cœli noui, & ter-*
7 *ra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, & sabbathum ex sabbatho: veniet omnis caro; vt adoret coram facie mea.* Vt ita incarnatus requieuerit in vtero Virginis, & mortuus iacuerit in sepulchro; vt secundus Adam suscitaretur è morte; quo die, miserrimus ille, in deliciis Paradisi, se, omnesque filios morte damnauit: & qui in ligno perierat, in ligno redimeretur. Hoc est argumentum Patrum ferè omnium. Id videtur *Isaias* 66. intueri: vbi redemptionem refert, qua populos Dominus ad montem sanctum erat reducturus; vt tempus etiam tantæ salutis optatum annum crearet, subdit, iuxta Hebraicam versionem.
8 *Quia sicuti Cœli noui, & terra noua, quos ego faciens stantes ad facies meas, dixit Dominus; sic stabit semen vestrum; & nomen vestrum: & erit à tempore mensis, in mense eius, & de tempore Sabbathi, in sabbathum eius; venient omnes gentes, &c.* Vbi parallelos assignat stabilis creationis, & recreationis sabbathi, primi creationis, & secundi redemptionis, quam toto volumine promiserat Isaiæ sub metaphoris germinantis terræ. *Germinans germinabit, &c.* Roris Cœli; *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

9 Probatvr secundò à Seraphico Doctore, ad 22. Lucæ, ad ea verba: *Venit autem dies azymorum*, ex illo Leuitici 23. *Mense primo, Phase Domini est*; vbi componit tempus creationis cum tempore passionis Domini. Itaque primus mensis creationis fuit & passionis Domini, atque redemptionis. Est argumentum D. Ambrosij, & Theodoreti, *loco citato.*

Enim verò, quia aduersarij, præsertim Perer. hoc loco abutuntur; sedulò rem excutere oportet. Ait igitur Perer. arguens; *Exodi* 12. statuitur præceptum, vt mensis Nisan, qui verno cadit tempore, esset primus deinceps mensium. Quo licet intelligere, ante latum illud præceptum, eum non fuisse primum mensium. Quid enim attinebat, nouo præcepto tam sanctè Iudeis imperare, quod illi suaptè sponte anteà seruauerant? Mox ad suam sententiam roborandam, refert Iosephum *lib.* 1. *antiquit.* vbi ait, diluuium mense secundo, qui ab Hebræis marhesvan vocatur, qui partim Octobri respondet, partim Nouembri, irruisse: Igitur vsque ad tempora Noë, October fuit primus mensis & sanè ex traditione Patriarcharum id habetur: Eius autem computationis ea esse debuit ratio; quia eo tempore mundus incepit: ea de causa Iudei vsque ad Noë constanter hunc ordinem in suis computationibus fideliter seruarunt. 10

Omitto nunc, quod aliqui obseruant, Hebræos, antequam Ægyptiis miscerentur, incepisse annum à mense Nisan; sed Ægyptiis mixtos, aut spontè, aut coactos seruasse ordinem Ægyptiacum; iussos verò fuisse à Deo, suum ordinem anni resumere. 11

Accipio præ manibus locum Exodi 12. *Dixit quoque Dominus ad Moysen, & Aaron in terra Ægypti: mensis iste, vobis principium mensium primus erit in mensibus anni.* Attentè consideranti, hic est sensus. Mensis iste, qui iam vobis in annua computatione est principium mensium: primus erit dignitate, sicuti & ordine, ob summum beneficium liberationis vestræ, summamque solemnitatem, quam Religionis causa instituo, eòque erit solemnior, quò solemnitatem solemnitatum, Redemptionem scilicet totius mundi præclarè adumbrat, Hic videtur esse sensus S. Doct. indicatus.

Idem colligo ex Hebraico, *Mensis iste vobis* Capvt *mensium: primus ipse vobis in mensibus anni*: vbi nomen primus est ראשון Riosoz significans Principem; alterum verò nomen est ראש Rest. vult dicere Ille, qui vobis nunc iam ab antiquo est primus mensium, erit Capvt, seu nobilissimus mensium, ob nouum institutum. Ponitur autem primò Capvt, quæ est phrasis Hebraica, carens articulis. 12

Ille vobis erit Princeps mensium, qui est ordine primus. Quare argumentum est pro nobis; vt vidit etiam Cataneus *in suo Hexaëmer. Italico.* Amicus, *numero quarto*, ex Nazian. *orat. quadragesima secunda*, & Ambrosius, *libro* 2. *Hexaëmer.* id colligens.

Qvod verò recensetur è Iosepho, nil lædit; quod enim mensis Marhesvan, aut Marsomane dicatur secundus, iam liquet ex verbis Iosephi; ait enim, *Contigit vastitas diluuij anno ætatis Noë sexcentesimo, mense secundo, qui* Irvs *à Macedonibus vocatur, ab Hebræis* Marsomane, *qui partim Octobrem respicit, partim Nouembrem: sic enim Ægyptij distinxerunt.* 13

14 PROBATVR tertiò à D.Bon.*serm.* 15. *Hexaëm.* vbi conferens locum illum Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem*, cum parabola *Matt.* 20. qua describitur veluti pater familias, Deus primo manè exiuisse, vt conduceret operarios in vineam suam; obseruat, MANE fuisse initium creaturæ; quia vocauit Dominus hominem de Paradiso, vt operaretur; adhuc tamen lignum non habebat surculum: quamuis de lignis facere posset, quæ sibi obediebant.

INDICATVR igitur, ibi fuisse mundum creatum primo *Vere*, quo ex loco idem colligunt Ambros. Theodoret. & alij Patres.

15 HVNC tamen locum in caput nostrum euertere conatur Pererius, nam ibidem dicitur: *Germinet terra herbam virentem, & facientem fructum, & lignum pomiferum*; deinde in Paradiso erant fructus maturi: ideò dicitur: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur*; & infrà *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit.*

16 DE Paradiso quoque dicitur: *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum, pulchrum visu, & ad vescendum suaue.* Igitur intra, & extra Paradisum erant fructus iam maturi; sicuti decebat: quia Dei perfecta sunt opera. Signum est igitur fuisse Autumnum: Sed hoc fuisse priuilegium fructuum Paradisi, aiunt nostri. Quod enim affert Perer. non indicat; nisi germinasse terram arbores, quæ faciunt fructus ex natura sua; vnde nil extra Paradisum probatur. Concessi quidem *tractatu* 1. *disputatione* 18. productos à Deo fructus. Iam esto: miraculosè; profectò arbores fructibus onustas produxit, qui potuerint, vel toto illo anno durare, vel vsque ad naturalem saltem productionem Autumni: Prætereà in Paradiso, si fuit intra Tropicos, potuere bis produci fructus; sicut de India refert Plinius; & de Tarprobane Solinus.

ADVERTE etiam cum Molina *de opere 6. dierum, disputatione* 14. Amico, *numero 6.* tametsi Vere florente in vno climate, rigescat Autumnus in opposito: & ideò nequeat vbique terrarum fuisse tunc Ver, cùm creatus est mundus: tamen Moysen, qui scripsit in Arabia inde sumere tempora. Falluntur verò dicentes, eum in Palestina scripsisse: nam mortuus est antè ingressum in eam. *Deuteron.* 34.

71 QVÆ verò opponit adhuc Pererius soluta iacent. Quæ autem timet; ne homo è Paradiso exul, ac bestiæ plurimæ fame conficerentur, nisi fructus Autumnales existerent, manca sunt: nam plurima sunt in Vere, maximè sub zona torrida, circa quam est terrestris Paradisus, quibus homo vesceretur, vt fruges molles, ac fructus verni plurimi. Pro bestiis verò erant herbæ, & fruges teneræ. Quid plura? fructus etiam in Vere, miraculo erant creati. multas omitto congruentias creationis, pro tempore verno. Sanè tempus Veris est totius anni pulcherrimum, amenissimum, rerum omnium generationi aptissimum; est enim temperatè calidum, & humidum, quæ duæ qualitates sunt generationi, ac etiam vitæ, tam stirpium, quàm animalium aptissimæ. Tum viget Sol in ariete, quod signum apud Astrologos acclamatur masculinum, fœcundum, propitium, atque beneficum, maximeque rerum primordiis opportunum; cùm germinante terra, virescentibus herbis, florescentibus arboribus, & quodammodo reuiuiscentibus viuentibus renascatur; vt testetur, se eodem tempore fuisse primò natum.

E contra, Autumnus, cùm sit frigidus, & sic- 18
cus, magis corruptionibus, quàm generationibus est aptus: ideoque tunc decidunt folia, cunctaque vigore, viroreque suo priuata paulatim flauescunt, & ad interitum properant. Itaque flores à Deo non fuissent tunc conditi, sed post hyemem.

Ita eorum ratio retorquetur.

OBIICIT adhuc Pererius, illud Genes. 19
Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super Terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui; vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ. Et rursùs, *Ex omni ligno Paradisi comede.*

RESPONDEO primò, omnia miraculo fuisse creata; quòd si herbæ productæ sunt suo tempore: ergo tempore Veris productæ sunt.

RESPONDEO secundò, Textum ipsum pro nobis esse; nam diuersimodè loquitur de fructibus Paradisi, & de aliis escis extra Paradisum.

HIC enim ligna, & herbas habentia in semetipsis virtutes seminales appellat; illos verò fructus omnes arborum existentes præmaturos; vt indicet, extra Paradisum, Veris, non Autumni fructus extitisse. In Paradiso verò, sub zona torrida, pro tempore potuerunt esse fructus arborum plurimi pruni, cerasæ: vel etiam dic miraculò additos fructus autumni. Addit Arriaga, in Paradiso futuros, Adam stante, fructus semper viuidos.

OBIICIT secundò *Exodi* 23. iubentur 20
Hebræi solemnitatem tabernaculorum facere, quæ agebatur mense septimo; hoc est, in Autumno celebrare in exitu anni; *& cap.* 34. iubet Dominus, eandem solemnitatem celebrari: quando, redeunte anni tempore, cuncta conduntur. Quibus locis eruitur, in Autumno esse anni exitum, & reditum. Quare eo Tempore certè factus est Mundus.

RESPONDETVR in exitu anni idem 21
significari, ac in declinatione anni, à medio ad finem. Annus enim dicitur ab An, & NO; quod significat *circum eo*, Circulus enim postquam descriptus est ex eo semicirculus, ad finem properat; ideò Autumnus; *ad exitum properans* interpretatur; maximè, quia iam cessant generationes, & omnia ad hyemis miserias ruunt: vnde hyems quasi finis dicitur, maximè cùm Terræ prouentus sint consumpti, & folia decidant.


SANE ibi loquitur Dominus, considerando annum, secundùm varietatem redditnum, quorum volebat offerri primitias, tribus temporibus: nempè in Verè nouos fructus vernos; in Æstate fructus primitiuos, spicas, &c. & in Autumno fructus Autumnales: sic enim loquitur. *Tribus vicibus per singulos Annos mihi festa*
celebrabitis solemnitatem azymorum custodies; sep- 22
tem diebus comedes azyma; sicut præcepi tibi, tempore mensis nouorum, quando egressus es de Ægypto; non apparebis in conspectu meo vacuus Et solemnitatem messis primitiuorum operis tui, quæcunque seminaueris in agro: Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. Ecce quàm exactè progressum anni

anni hîc iuxta prouentus ordinat; in ordine ad oblationes, non secundùm seriem temporum totius corporis anni. Et cùm dicit *reuoluente*, *&c.* signat in reuolutione anni, vt legit Pagn. seu mediante anno, vt LXX. vel egrediente, vt explicat versio Chaldæa.

QVARE scriptura hæc, quâ adeò nititur Pererius, nihil ei prodest. Omitto responsa Amici, *numero* 4. non enim admodum solida sunt, vt plures existimant.


23 QVOD verò addit Pererius, annum septimum, & annum Iubilei ab Autumno incepisse, nihil obest: erant enim tempora exigentia principium adaptatum cæremoniis, atque prouentibus, ibi intentis; non tamen hinc cum Amico id ad rem nostram aptat.

CÆTERAS congruentias Pererio Autumnales & floccidas, do gratis.



DISPVTATIO I.

De Coelo Empyreo.



QVÆSTIO I.

An existat COELVM *Empyreum.*

D. B. in 2. d. 2. parte 2. quæst. 1.
D. Th. quæst. 66. art. 3.

1 PRimò quidem Caietanus, à *capite* 12. *secundæ ad Corinthios* sentit, nullum tale Cœlum esse: vult enim primum mobile esse cœleste Beatorum domicilium. Tribuitur Damasc. 2. *de fide*, *capite* 6. Basil. *homil.* 3. *Hexaëmer.* Theodoreto, *quæstione* 11. Eugub. *in cap. prim. Genes.*

2 VNIVERSALIS autem Theologorum consensus astruit Cœlum Empyreum. Ita Scholastici cum Magistro, *in* 2. *d.* 1. vbi D. Thomas, & Diuus Bonauentura, qui id à Patribus sanè antiquis receperunt, nedum à Beda, *in Hexaëmer.* Strab. *in Glos. ordinaria*, ad ea verba Genes. *In principio creauit Deus Cælum, & terram.* Eandem sententiam tenuêre Alcuinus, Rabban. Lyra, & ferè alij omnes *in Genes.*. & Hugo de S. Victore *in summa sententiarum*, *tract.* 2. *capite* 1. Abul. *Genes.* 1. in explicatione operum quinti Diei, & *in capite* 23. *Exodi*, *quæstione* 52. & 53. eamque indicat Basil. *homil.* 1. *Hexaemer.* & Theodoret. *quæstione* 11. *in Genes.* Tandem Anacletus Papa ante omnes, *in exemplari*, 2. *decretal. in fine*; vbi ait: *Dominus è Cælesti aula, ac Empyreo domicilio in castissima virginis purissimum vterum, pro nostra redemptione carnem suscipiens, aduenit.* In Catena Lippom. refertur Diodorus Episc. Tarsen. magister Chrysost. qui ait: *Hoc Cælum in scriptura vocari Cælum Cæli*: idem habet Damasc. infrà.

3 ASSERO cum hac sententia dari Cœlum Empyreum: hanc esse in Ecclesia communem testatur Amicus *Tract.* 4. *quæstione* 5. *disput.* 5. Arriaga *infrà cit.*

PROBATVR à Seraphico Doctore ex Patribus, quos retuli *Tractatu* 1. *disputatione* 1. *quæstione* 2. è quibus refert *hîc* Strabonem, Bedam, Damasc. 2. *de fide*, & cæteros Ecclesiæ Doctores, quos affert etiam, 3. *parte Centiloq. sectione* 7. nam Cœlum initio creatum differt à firmamento, quod in Cœlos mobiles diuidatur. Idem habet D. Clem. *libro* 1. & 3. *Recognit.* ex Diuo Petro, & alij, ex quorum consensu optimè argui, notant Arriaga, *disp.* 29. *sect.* 2. *numero* 11. Amicus *loc. cit.* qui rationibus S. Bonau. vtuntur.

PROBATVR secundò à Seraphico Doctore, *tract.* 7. *de Ecclesiastica Hierarchia*, *parte* 4. *capite* 1. ex Diuo Basilio, *Homil.* 1. *Hexaëmer.* Prætereà ex multis sacræ Scripturæ locis. Isaiæ vlt. *Cælum mihi sedes est.* Psalm. 20. *Dominus in Cælo sedes eius.* Psalm. 102. *Dominus in Cælo parauit sedem suam.* Apoc. 4. *Et ecce ostium apertum est in Cælo.* Quæ sanè loca infra refert, eaque anagogicè Angelis applicat. Plurima alia loca adducit Amicus, cum Seraphico Doctore. Hoc dicitur *Cælum Cæli* Deut. 10. Psalm. 113. vt notauit Amicus, post Doctorem Seraphicum. 4

PROBATVR tertiò à Seraphico Doctore *hîc* In quolibet genere, mobile præsupponit immobile: quia omne fluxibile ad finem terminatur; sed omnes Cœli, nobis noti, sunt mobiles: ergo supra eos oportet ponere vnum Cœlum immobile.

PROBATVR quartò à Diuo Bonauentura, esse multiforme reducitur ad vniforme, sicut multa præsupponunt vnum; sed Cœlum sydereum, & primum mobile est multiforme: ergo datur aliud vniforme, id est Empyreum. 5

PROBATVR quintò congruentiâ. In quolibet genere, in quo datur medium, & infimum, datur etiam supremum; sed datur infimum, id est corpus fixum, opacum omninò; & medium, id est mediocriter luminosum, scilicet Cœli mobiles: ergo datur supremum, totum LVX, & flammescens, atque immotum: ideò dicitur Empyreum. Hac ratione vtitur Suarez, *libro* 1. *capite* 4. *num.* 5.

PROBATVR sextò à Seraphico Doctore, suppositâ fide, in Cœlo esse habitationem Beatorum: Sicut enim damnatis carcerem destinauit noctis æternæ, qui ad hoc maximè inseruit: ita maiori ratione, Creatorem oportet destinasse quoddam Cœlum, quod futurum esset regnum beatorum; vt etiam verificetur illud Matth. 21. *Venite, possidete Regnum paratum vobis à constitutione mundi*: nam Gloria spiritualis, non in tempore; sed priùs ab æternitate, vt habetur *Ephes. primo*, præparata fuit: ergo loquitur de Regno corporali, in quo degent in perpetuum. 6

Hac ratione nititur Suarez *loc. cit.* Nec benè corrodit Arriaga *num.* 10.


PROBATVR septimò à Seraphico Doctore, *dub.* 2. *litt. huius distinctionis*, ex conuenientia loci, qui debetur Beatis, maximè Corpori Christi, & Beatæ Virginis, qui ascenderunt ad supremum Cœlum. Non enim est verisimile, Christum, & Beatam Virginem stare suprà Cœlum in motu perpetuo existens; alioquin, vel pedes incerto in situ haberent, vel simul cum Cœlo raperentur. Hac congruentiâ nititur Suarez, *num.* 4. Arriaga, *num.* 11. 7

HINC falsò Malonius dixisse conuincitur, apud Suar. *cap.* 5. Cœlum hoc esse fluidum, ad motum, respirationem, & loquelam beatorum; quod placet etiam Tannero *in fine huius tract.* Cornelio à Lapide 8



DISPVTATIO XVIII.

De Generatione.



QVÆSTIO I.

An Devs *creaturis vim generandi dederit, & quomodo.*

1 Tertia die, reiectis aquis terram operientibus, Deum vegetabilia condidisse, eisque dedisse primò virtutem. *Germinet terra, &c.* communiter dicunt: sed hac die creatas terram, & aquam, ostendam *Tract.7.disp.1.quæst.1.*

Qvæstio autem est præsoluenda: An tunc dederit terræ tantùm virtutem generandi herbas; plantas; &c. num verò ipso facto illas germinauerit.

Prima opinio fuit D. August. 5. *de Genes. ad litt.cap.4.* Deum tunc, illis verbis, causaliter tantùm produxisse, dando virtutem germinandi suis temporibus. Nititur; quia *cap.2.* dicitur Deus produxisse omne virgultum, antequam oriretur in terra.

2 Sententia S.Bonau. 2. *d.14.p.* 2. *dub.*2. & *serm.14. ac seq. Hexaemer.* tunc illicò erupisse herbas, & plantas; ibi enim dicitur. *Protulitque terra herbam virentem, & facientem semen suum, lignumque faciens fructum.* Idem sensit D. Basilius *in Hexaëmer.* quibus authoritatibus nixus est S. Doctor, quem sequuntur alij apud Perer. *l.1.c.1.v.11. & 12. Genesis.* Arriaga *d.32.sect.* 3. dicens, omnes Patres id asserere; & esse communem sententiam.

Ad locum *cap.* 2. respondent, signari hæc facta, antequam naturaliter terra germinaret.

3 At dubitatur: num efficienter tunc terra produxerit herbas?

Respondeo è Diuo Bonauent. eam extitisse materiam meram, *ex qua*: nam subditur: *Produxitque Dominus Deus de humo, &c.* vt innuit Seraphicus, & cum eo relati. Addit rationem S. Doct. nam ideò etiam ante Solis creationem, illam germinare iussit; ne Soli prima germinatio attribueretur, tanquam Patri, atque adeò terræ, tanquam matri, quæ est ratio D. Basilij. Oppositum tamen censet Caietanus esse probabilius, quamuis contra D. Thomam, *p.1. q.70. art.1.*

Censent multi, non vbique statim terram fuisse repletam plantis, tritico, hordeo, &c.

Addvnt, initio non fuisse germina, quæ ex putri; neque plantas, quæ è multis insitis prodeunt: sicuti nec animalia è mixtis speciebus, vt mulos; pardos, &c.

Qværvnt verò: An spinæ germinarint ab initio?

Videntvr enim datæ in pœnam post peccatum. *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Ità videtur sentire D. August. *lib.1. de Genes. contra Manichæos, cap.11.* Ambr. *lib.3.c.9. & 11.* Alcuin. *in Genes.* Damascen. *lib.* 2. *de fide, cap,*10. & alij apud Suar. *cap.7.*

4 Commvnior tamen sententia est, fuisse ab initio spinas. Ita D. August. qui *lib.* 3. *de Genes. ad lit. c.* 18. sententiam illam retractauit; vt notant Arriaga *subsect.* 2. Perer. *num.* 113.

Dicitvr verò, post peccatum, *terra spinas, & tribulos germinabit*, non simpliciter; sed (*tibi*) vt notant allegati è D. Donau. ac D. Thoma.

Dedit igitur Deus terræ virtutem producendi herbas, &c. virtute in seminibus infusâ; agente Sole, pluuiis, &c. ad modum, quo & fœminis dedit virtutem concipiendi; vt notant è D. Bonau. *loc. cit.* allegati Doctores. Vbi Seraphicus concedens fœminæ virtutem aliquam actiuam; eam & terræ non negat.

Qvoad venenata germina, arbitror initio creata, sunt enim ad aliquid vtilia; vt aiunt Basil. Ambros. Theodoretus apud Pererium, & alij.

Qværvnt etiam, cur non refertur productio mineralium? 5

Respondet Perer. *num.115.* è D. Bonan. *dub. c.* mineralia esse omissa; quia in abditis terræ finibus occulta hæc sunt. Adde etiam, quoad essentias incognita. Sic tacuit Moyses origines fontium, lacuum, fluminum, præcipuas tantùm res describens; reliqua omittens.

Qvinta die iussit. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram. Benedixitque dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: auesque multiplicentur super terram.* 6

Sexta die. *Producat terra iumenta, & reptilia, & bestias.* Sic autem hæc distingui, ait Sanctus Doctor *in* 2. *distinctione* 15. *dub.* 2. *litt.* vel ex parte *motus*; vel ex parte *finis*. Ex parte *motus* sic. Omne enim animal, quod mouetur; aut mouetur tractu, anterius aliquam partem protendens; & sic est reptile; vt vermes. aut impulsu, & hoc vel pedibus; & sic est gressibile; aut alis, & est volatile. Ex his, alia sunt apta sæuire, & dicuntur bestiæ: alia mansueta; & ecce iumenta. Ex parte hominis sic. 7

Avt enim est in hominis adiutorium; & dicitur iumentum; aut ad hominis exercitium, & hoc nocendo, & dicuntur bestiæ, quasi vastiæ; quando apertè sunt nociuæ: aut ex insidiis, vt reptantia, serpentia, &c.

Dvbitatvr: An ea actio producens pisces, &c. fuerit eiusdem rationis cum ordinaria productione? nam dispositiones sunt extra essentiam productionis. 8

Arriaga *d.* 33. *sect.* 2. esse diuersas ait, ratione principiorum quoad ea, quæ ex copula generantur; in quibus etiam mater effectiuè concurrit, hîc verò solus Deus: ergo non in solis dispositionibus fuit diuersitas. At quoad ea, quæ ex ouo generantur, ait, fuisse eiusdem rationis. Nam & horum animæ, quando connaturali modo generantur, non producuntur immediatè, nisi à solo Deo. Sed hæc opinio refelletur *Tractatu* 9. *disputatione* 1. *quæst.* 17. 9

QVÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit Generatio.

Dari generationes, suppono cum D. Bon. 2. *d.7.p.2.art.2.quæst.1.* 10

Definitvr ab Aristotele 1. de Gener. *Est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente.* Hæc explicabitur *quæst.* 4.

Definitvr quoque ab eodem Aristotele, *Muta-*

mutatio de non subiecto in subiectum. Hæc ibidem exponetur.

GENERATIO autem Viuentium definitur à D. Bonauent. in primo, distinct. 9. *Est totius similis de simili, è se productio.* Vel: *est productio è principio intrinseco similis secundum speciem.* Hanc explicui *tract. 2. d. 2. quæst. 5.* & *disp. 9.*

HÆC autem est definitio generationis vniuocæ; non autem æquiuocæ, qualis est Solis producentis animalia.

11 NOTA, in intrinseco generationis non includi mutationem; ideò etiam in Diuinis est. Igitur in solis creatis generationibus est mutatio; vt monet S. Doctor 1. *d. 9. art. 1. quæst. 1.*

GENERATIO creaturis data est ad conseruationem speciei. Ideò ait Deus, Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei adiutorium simile: Crescite, & multiplicamini, &c.*

NON is tamen solus est finis, vt monet S. Bonau. *2. d. 3. part. 1. art. 2. quæst. 1.* Alensis *p. 2. quæst. 20. memb. 6. articul. 2.* Scotus 2. *distinct. 3. quæstione 7. ad vlt.* Sanè multiplicatio hominum est ad finem beatitatis. Vide Galitium *de Gener. quæst. 4.*

QVÆSTIO III.

An terminus generationis sit FORMA.

SCOTVS *in 1. distinct. 3. quæst. 6.* docet, terminum formalem generationis esse formam; vltimatum verò, compositum, siue suppositum. Sequuntur Vtinensis *tract. 8. quæst. 8. art. 2.* & alij Scotistæ, ac Conimbr. 1. *de Gener. cap. 4. quæst. 15.* Vasquez *3. part. disput. 119. cap. 2.* Rubius *tract. 1. quæst. 3.* Aresius *disput. 2. quæst. 14.* Eustach. *part. 2. Physic. tract. 2. disput. 2. quæst. 5.*

AT Hurtadus *disput. 11. Physic. sect. 6.* videtur assignare terminum generationis, vnionem. Aresius verò id asserit in hominis generatione; in cæteris formam vnitam; in omnibus verò, Fuliensis *lib. 2. Physic. cap. 4. art. 2.*

12 NOTA, terminum eum dici, in quem ex intentione agentis terminat generatio. Naturæ autem omnium generantium insitum est, speciem perpetuò seruare; vt docet Aristoteles 2. *de anima, text. 34. & 35.* Quoniam igitur corruptibilia nequeunt perpetuò durare, intendunt saltem speciem sartamtectam seruare. Hinc sola corruptibilia vniuocæ generationi incumbunt; vt docet S. Bonauent. *in 1. distinct. 5. artic. 2. quæst. 1. in corpore*, vbi ait, intentionem generandi terminari ad naturam communem, non sanè phrasi Scotica, vt generetur natura formaliter communis; nam ibi testatur gigni solum indiuiduum subsistens; sed quia natura producens hunc, puta hominem, intendit dare naturam humanam, quæ in indiuiduis aliquibus permaneat. Non est tamen hoc solùm intentum, vt innui *quæst. præced.* cum D. Bonauent. & aliis contra D. Thomam *part. 1. quæst. 47. art. 2. & secundo cont. Gent. cap. 93.* ac discipulos. Cùm enim dixit Deus, Genes. 1.

13 *Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei adiutorium*, ità res ordinauit; vt etiam manente Adamo innocente, plurimi generarentur, etiamsi nulli perirent. Nunc verò innumeri enascuntur speciei conseruandæ non necessarij: Pro fine verò beatitatem omnibus destinauit, omnia ad suam emeritissimam gloriam dirigens; vt sæpè monet S. Doctor. E cæteris verò plurima destinauit indiuidua hominum alimento, solatio, adiumento, &c. vt docet D. Bonauent. *2. distinct. 15. art. 2. quæst. 1.* & *d. 19. quæst. 2. art. 1. corporis*, & alij Scholastici *ibi*, & *in Hexaëmer.* Vide Anton. Gulielmum *de Gloria Sanctissimæ Trinitatis*, vbi præclara profert, ex opusculis Seraphici Doctoris decerpta.

HORVM omnium ordinem mirum instituit Deus, vt simplicia generentur, maximè ad mixta facienda; & inanimata plurima corpora ad viuentium species conseruandas.

HINC generationis scopum pedetentim inuenies, ac terminum. Terminus sanè est, qui finem imponit rei, puta generationi; vt vltrà non progrediatur; sed ibi perfecta sistat. Forma quidem non est vltimò intenta, sed totum illud compositum perfectum. Nam forma est volita, vt pars relatiuè ad totum constituendum; ideò peracto composito, cessat agens; sicuti habito fine, cessat motus. Itaque forma non est propriè terminus, quia non est vltimum intentum. Neque vnio potest dici terminus, quia ordinatur & ipsa vlterius, vt, hac mediante compositum fiat; & ordinatur ad vnum è pluribus faciendum, vt ait Galit. *part. 2. lib. 3. tract. 1. quæst. 5.* Neque potest esse suppositum, quia extra naturæ intrinsecum complementum est. Vnde & in humanitate Christi perfectissima non reperitur humanum suppositum. Miror verò Scotistas, qui credunt suppositum esse negationem, statuere illud pro termino generationis; quæ est actio positiua. 14

ASSERO, terminum generationis esse formam totius, seu compositum è materiâ, & formâ. 15

PROBATVR primò. Ille est terminus intrinsecus generationis, qui intrinsecum limitem perfectum naturæ vltimatè signat. Talis est forma totius, non pars; vt ostendi; Neque vnio, quia in his non quiescit generans. Neque est supositum, quia potest esse generatio perfecta sine eo, vt cùm B. Virgo concepit, non genuit suppositum Diuinum, neque aliud, sed naturam in supposito præexistente.

PROBATVR secundò. Terminus generationis est, qui intentus est à natura. Sed is est communicatio naturæ, destinata ad conseruationem speciei. Ergo.

ADDO verò cum D. Bonauent. non posse naturaliter produci naturam, nisi in hoc supposito, quia illicò emanat à natura, vt modus substantialis, etsi non essentialis. Quare suppositum est terminus substantialis, quo habito finitur totum, & complete finis habetur. Hæc enim est definitio termini, lata ab Aristotele, apud Auer. 5. Metaph. cap. de termino. *Terminus est finis, & vltimum, extra quod alia non considerantur*: sed vltra suppositum nil est; intra verò est forma, vnio, & totum: ergo. 16

EST autem terminus hic in creaturis non genitus; quia ad illud non terminatur generatio, secundùm rationem producendi; sed emanat, resultans è toto. Vnde Aristoteles docet, compositum generari; non (suppositum) vt legunt aliqui. 17

HIS defluunt oppositiones, additis quatuor verbulis: Generatio est via ad formam partis immediatè; sed vltimò ad formam totius intrinsecè terminatur; ab vltimo autem intrinseco sumitur ratiò essentialis termini, & ab hoc denominatur generatio, quæ ibi intrinsecè completur. Vide Galitium *loco cit.*

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An Terminus à QVO *generationis sit aliquid.*

18 TERMINVS *à quo* est, vnde incipit generatio. Is sanè non est terminus intentus; natura enim, per se, non vult corruptionem. Est autem priuatio in subiecto apto, si comparetur cum forma acquirenda.

ASSERO, terminum *à quo* generationis, esse aliquid. Ita D. Bonauent. *in 2. distinct. 7. part. 2. art. 2. quæst. 1.*

PROBATVR; quia virtus naturalis est finita: Ergo non ex nihilo producunt, sed ex aliquo. Tale autem est in materia aptitudo, ac ratio seminalis; de qua actum est *disput. 2. quæst. 4.* Quòd verò agens naturale egeat subiecto apto; ostendi *Tract. 3. quæst. 1. 6. & 7.*

QVÆSTIO V.

An in generatione maneat aliquid in genito, quod erat in corrupto.

ALIO titulo proponitur: An in generatione, & corruptione, detur resolutio vsque ad primam materiam.

19 HÆC quæstio aduocat illam, quam *tract. 8. d. 2 quæst. 3.* agitabo: An dentur in eodem composito plures formæ substantiales? Vbi id asseram; ac proinde separatâ in nobis, & in brutis corruptâ animâ, manere formam corporis, quæ dicitur corporeitatis: Ità non illicò dari immediatè resolutionem, vsque ad materiam primam; Manere autem formam substantialem apertè conijcitur; quia manent qualitates, quæ non in nuda materia, sed in composito subiectantur; vt docet Aristoteles: infrà, *citandis locis.* Sic in homine mortuo remanent pili, & crinés flaui, aut rubei, eadem in vultu cicatrix, eadem figura nasi, aquilina, &c. Vnde, & à Iudicibus recognoscitur esse corpus Petri interfecti. Sic & Christus, è cicatricibus suis ostendit, se esse illum, qui à Iudæis occisus. *Videte manus meas, &c.* Et in Apostolum Thomam, vi grandi arguit: *Quoniam Ego ipse sum.*

20 DICERE verò, gigni nouam formam cadaueris, & nouum colorem rufum, nouásque figuras similes, incredibile est, neque enim inueniunt, à quo agente ista producantur; cum opposita sæpè necantia sint; qualia sunt ignis, aqua, lapis, aër infectus, &c. quæ non possunt facere idem. Sed de his, loco præfato, contra Thomistas,

NVNC quæro: An in corruptione, etiam elementi simplicis, putà aëris, & generatione aquæ in cauernis, remaneat humiditas, atque alia accidentia communia genito, & corrupto?

PRIMA opinio est; non manere, atque adeò resolui ad primam materiam. Ità Scotus *in 2. d. 3. quæst. 4.* apud Fabrum *Theor. 73. cap. 5.* etsi in contrarium adlucantur Scotistæ. Hanc verò plausibus amplectuntur Thomistæ, qui vnicam etiam formam in animali admittunt, atque in morte resolutionem immediatam in materiam primam. Rich. 2. *dist. 14. art. 2. quæst. 1. ad 5.* Colleg. 1. *de Gener. cap. 4. q. 18. art. 2.* Capreol. 2. *d.* 18. & 19. *quæst. 1. art. 3.*

SECVNDA sententia est, non repugnare idem accidens commune corrupto, & genito, manere. Ita Gregorius *in 2. d. 12. q. 2. art. 2.* Aureol. *d. 15. q. 2. art. 1.* Baccon. *d. 18. q. vnica, art. 3.* Zabarella, *de rerum ortu, cap. 9.* Aresius *d. 2. q. 11.* & alij: eamque laudat Bellarminus *lib. 3. de Augustiss. Euch. cap. 13*, Eustachius, *p. 2. tract. 2. q. 8.* vniuersim, Fuliensis 2. *Phys. cap. 4. art. 4.* & est D. Thomæ, 3. *p. quæst. 9. art. 3. ad 2.*

MEDIAM calcant viam Toletus *de Gener. q. 7.* Suar. 14. *metaph. sect. 3.* & 3. *p. d. 57. sect. 2.* vtramque opinionem laudantes, magis verò secundam.

QVID senserit Seraphicus Bonau. videtur incertum, cùm vtrinque loca afferat Galitius. *parte 2. Philosoph. lib. 3. tract. 2. quæstione 2.* satis apparentia.

PRO prima sententia adducit loca, à nobis allata *Tractatu isto, disp. 1. q. 11.* vbi videtur asserere, compositum esse subiectum quantitatis. Deinde affert id passim ex Aristotele, quod ore Sancto sæpiùs peruoluit. *Destructis nobis, corrumpuntur & quæ in nobis*; accidentia verò esse in composito, docet *in 4. d. 12. p. 1. art. 1. q. 3. arg. 2. sed contra*, dicens, accidentia non consequuntur materiam secundùm essentiam; sed secundùm esse, scilicet, vt forma completur, nec aliter materia est subiectum accidentium. Estque sententia Aristotelis *1. de Gener. text. 24.* vbi ait, subiectum accidentium esse sensibile. Et 8. *Metaph. text. 8.* vbi ait, materiam primò recipere formas substantiales; deinde accidentales.

ÆSTIMAT præ cæteris Galitius ea, quæ docuit Seraphicus Doctor, 4. *distinctione 12. parte 1. art. 2. quæstione 3. ad 1.* vbi ait. Esse suprà naturam quantitatis, quòd maneat secundùm se in Sanctissimo Sacramento, mutatione facta; hoc enim est proprium solius substantiæ, & ita supra naturam quantitatis. Sed non videtur aliquid probare. Nam cùm in Sacramento fiat mutatio etiam materiæ, procul dubio supra naturam est, accidentia manere separata, & quantitatem manere secundùm se, quod est proprium substantiæ; at hoc non infert in mutatione naturali. Vbi obserua, non dicere, solam substantiam in mutatione remanêre. Nam accidentia inhærent. Quare hic locus nil facit pro hac sententia.

E regione stare, probantur loca relata *d. 1. quæst. 11.* vbi videtur quantitatem in solâ materiâ ponere.

DEINDE affert Galitius locum *in 4. d. 12. part. 1. art. 1. quæst. 3. fundamento vltimo*, vbi docet, quod, quandocunque in mutatione remanet aliquod accidens ex his, quæ fuêre in corrupto, necesse est, vt sit conueniens genito, & corrupto; vt si de aëre fiat ignis, manet calor. Hinc infert, non manere naturaliter odorem, colorem, saporem panis, facta transmutatione panis in corpus Christi; eò quòd talia accidentia non sint Corpori Christi conuenientia, & communia; & cùm maneant, non esse illi inhærentia, sed quantitati panis, concludit.

HVNC locum timet P. Galitius, sed frustrà. Scias in argumentis vtrinque non semper vti Doctores strictè suis fundamentis; & hoc sæpè inuenies etiam in S. Doctore, sed aliquando è probabilibus arguit Hic igitur nil aliud vult, quàm conditione proba

probabili arguere. Si facta mutatione manent in genito accidentia corrupti, ea sunt conuenientia; vt calor igni genito ex aëre; & accidentia panis non sunt conuenientia corpori Christi. Ergo, &c. Ad maioris autem efficaciam sufficit, probabile esse, manere accidentia communia: Nam maior habet hanc negatiuam, quâ nititur conclusio. Nullus dicit accidentia inconuenientia genito, quæ fuête in corrupto, remanête. Per additum verò dicitur; [illegible] remanet aliquod; vt multi docent, debet esse conueniens genito, sed accidentia panis non conueniunt corpori Christi: ergo.

Itaqve hic locus nil facit. Et cum probabiliùs censeat, quantitatem, & alia accidentia hærere composito; vt ostendi *d.* 1. *quæst.* 11. arbitror S. Doctorem esse primæ sententiæ fautorem, absque dubio. Nam corrupto composito, quod est subiectum accidentium, debent corrumpi accidentia; aut migrare de subiecto corrupto in nouum genitum, quod est absonum.

21 Assero ergo, in mutationibus substantialibus elementorum, dari resolutionem ad materiam primam.

Probatvr primò. Corrupto subiecto, corrumpuntur ea, quæ sunt in subiecto: at subiectum accidentium est compositum: ergo. Maior est euidens. Minor est Aristotelis suprà.

Probatvr secundò: nam, si in generatione ignis ex aëre manet calor aëris; aut ignis non habebit suum calorem, quem naturaliter ab intrinseco effundit: aut duos calores, alterum remissum aëreum; alterum proprium intensum.

22 Assero tamen secundò, cum in via D. Bonau. probabile sit, materiam esse subiectum accidentium, probabile esse etiam, manere aliqua accidentia in corruptione.

Probatvr primò ex Aristotele 1. *de Gener. cap.* 2. *text.* 24. vbi præclarè docet, cùm ex aëre generatur aqua, manere in genito perspicuitatem, quæ erat in corrupto.

Dicere verò manere eandem specie, videtur iocus (ait Fuliensis.) Confirmatur è *l.* 2. *cap.* 4. *text.* 24. faciliùs ideò elementa Symbola transmutantur, quia vnica pellitur qualitas.

Potest tamen dici ad primum, *ibi* Aristotelem negare solùm, eam qualitatem communem transmutatione, quæ est à contrario, tolli; sed non negasse destrui ad ruinam subiecti. Ex hac parte minor est difficultas in transmutatione symbolici elementi. Cæterùm ex alio capite non est verum; quia si dissimbolum inire cogitur pugnam cum duabus qualitatibus aduersis, ipsum quoque totidem ad pugnam habet validas.

23 Probatvr secundò. Si omnia accidentia disponentia ad productionem formæ pereunt, non possunt eam producere, cùm non existant, sed neque producetur à comitantibus formam, quia ab hac sanè iam existente manant.

Vrgeo. Si omnes dispositiones destruuntur, iam remanebit materia indifferens ad alias formas, & ad nullam determinata, nulláque fiet generatio.

Potest tamen dici, formam à forma in subiecto disposito produci, & tunc cum forma veteri, ruere veteres dispositiones; nouásque manare è noua forma.

Probatvr tertiò. Natura nil frustrà facit. Quorsum igitur calorem hunc aëris remissum destruet omnino; vt alium intensum gignat? Cur potius veterem non auget, vt igni inseruiat, vel remissum non faciat calorem ignis, cum gignitur aër? 24

Dicerem tamen, naturam prouidam, singulis dare propriam virtutem necessariò emanantem. Hic autem ordo est fixus, ne quando deficiant in suis operibus.

Nota verò, corrumpi accidentia pro subiecti destructi conditione propriâ.

Ita mortuo animali, pereunt accidentia viuentis: & quia manet adhuc corpus organizatum, manent eius accidentia; nam hæc stant cum subiecto inhæsionis, etsi ablato subiecto denominationis.

Qværes, quo sensu generatio vnius sit alterius corruptio? 25

Respondeo, non esse verum formaliter, sed consequenter, vel quoad entitatem; vt cùm ex igne fit aer: vel quoad modum, vt cùm animatur corpus organicum; tunc enim forma organizationis incipit habere rationem materiæ, quæ formæ, quia vltima erat, priùs obtinebat gradum.

Inqvires: An corruptio sit naturalis?

Dico, esse per accidens à naturâ intentam, quæ suam destructionem non intendit: sed conseruationem in generationibus, quæ sine corruptionibus esse nequeunt. 26

De generatione Viuentium agam *Tract.* 9. *disput.* 3. *part.* 3.

DISPVTATIO XIX.

De Alteratione.

Hic agendum esset de Nvtritione, quæ est aggeneratio partialis; & de Avgmentatione, quæ nutritionem includit. Sed de his *Tract.* 9. *de Anima, disp.* 3.

QVÆSTIO I.

Quid sit Alteratio; *& propter quid.*

Definitvr 3. Phys. text. 4. *Est motus ad qualitatem.* Eam verò explicat *text.* 23. Quando, manente subiecto sensibili existente, transmutatur in eius passionibus, aut contrariis, aut mediis: vt corpus sanum est; & rursum laborat, manens idem, alteratio est. 1

Differt *à Generatione*; quia huius subiectum primum est materia: (etsi in generatione animalium educitur anima de composito organico) at subiectum alterationis est semper compositum & ens actu completum. 2

Secvndò, terminus generationis est substantia: alterationis est qualitas. Hinc alteratio alterum facit; sed generatio aliud in creatis.

Et quidem alteratio perfectiua non est semper ob generationem, vt patet in Illuminatione. Vide Toletum 1. *de Gener. quæst.* 1. Collegium *cap.* 4. *quæst.* 1. *art.* 1. 3

Alterationes verò corruptiuæ sunt à natura intentæ ob generationem. Sunt enim dispositiones ad generationem, quam tenetur procurare corrumpendo alienas, quod non facit nisi quatenus intendit bonum generationis.

QVÆST.

QVÆSTIO II.

An Alteratio sit motus continuus.

Alterationem non esse motum continuum censuit D. Thomas cum discipulis, apud Toletum *quæst.* 6. Zanardus 8. *Physic. q.* 9. qui tamen adducit D. Thomam, Aristotelem, & Auerroëm pro opposita sententia.

Alii è regione, eam docent esse continuam. Sic D. Bonauent. 2. *distinctione* 1. *part.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *in corpore*, Scotus *d.* 2. *quæst.* 9. Toletus *loc. cit.* Collegium 1. *de Gener. cap.* 4. *quæst.* 2. *art.* 2. Perer. *lib.* 14. *cap.* 8. & quotquot nobiscum *disp.* 10. *quæst.* 4. censuêre, motum essentialiter successiuum esse. Subscribunt Eustach. *part.* 2. *Physic. tract.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 10. & alij Recentiores.

Assero, motum alterationis esse continuum per se.

4 Probatvr primò. Omne successiuum est species continui. Motus est successiuus: ergo continuus. Maior patet; nam continuum diuiditur in permanens, & successiuum. Minor est clara *ibi, disput.* 10. *quæst.* 4.

Probatvr secundò. Omne agens debitè applicatum, continuè agit, inducendo formam.

Probatvr tertiò è D. Bonauentura *in* 4. *d.* 44. *part.* 2. *art.* 3. *q.* 2. Ignis agit calore, nec aliter, quàm destruendo contrarium, quod non pellitur, nisi inductione contrarij. Sic etiam dispositio inducitur, nec agens cessat agere, sufficienter applicatum. Itaque à quo incepit, non desistet, nisi impediatur, donec qualitatem extensam in subiecto extenso introducat. At exigitur successio temporis, tum ob contrarietatem repertam; tum propter extensionem subiecti, & formæ.

5 Dices interdum agens solummodò disponere: At ignis agit calore calefaciendo, & semper agit: Ergo calefacit. Ita D. Bonau. *in* 4. *distinct.* 44. *parte* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. Deinde dispositio est actio continuata: dum enim calefacit, disponit: Ampliùs, & contrarium abiicitur non nisi per productionem contrarij: ergo priùs est productio, quàm dispositio; vt arguit D. Bonau. *in* 4. *distinct.* 17. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. & 2. & D. Thom. *prima secundæ, quæst.* 113. *art.* 7. & 8. Itaque non eget agens alia dispositione, vt qualitatem inducat; alioqui & ad illam alia egeret, & sic in infinitum; vt monet Galitius *num.* 4.

6 Assero secundò, alterationem, ratione subiecti, esse continuam.

Probatvr, quia agens agit in partem primò sibi vicinam, & sic progreditur vsque ad partem remotam.

Neqve terret dictum Aristotelis 8. *Physicorum, text.* 23. vbi negat, ex parte continuitatis subiecti, motum alterationis esse continuum; quia simul aliquando fit; vt in congelatione, & illuminatione, quas vrget Galitius *num.* 5.

Dico enim, agere ibi Aristotelem contra dicentes, alterationem non posse esse continuam, quia deberet durare tempore infinito, sicuti continuum est diuisibile in infinitum. Quod ergo negat esse continuam, intelligit in sensu Heracliti, quòd debeat esse perpetua, & in infinitum, ad modum continui, secundùm partes proportionales.

Qvoad illuminationem, eam excipio, quia non est actio merè naturalis, sed eminenter naturalis, & intentionalis, quæ fit tempore imperceptibili, & eadem velocitate intendi potest, quia non inuenit contrarium, sed tamen fit successiuè, ratione subiecti. 7

Falsam est porrò, gradus qualitatis acquiri in instanti, vt dicunt aduersarij. Sicut enim qualitas est extensa, ita & gradus eius, ac proinde successiuè fit alteratio intrinsecè, ratione graduum intensionis; vnde ratio intrinseca alterationis sumitur; sicut extrinseca è subiecto, vel spatio desumitur.

QVÆSTIO III.

Ad quas species qualitatis sit Alteratio.

De hoc latè Amicus *Tract.* 23. *Physic. disput.* 7. *quæst.* 4. cum Toleto 7. *Physic. quæst.* 3. Peretio *lib.* 14. *cap.* 2. & aliis post Aristotelem 7. *Physic. à text.* 14. *ad* 21.

Dvpliciter sumitur Alteratio. Primò pro inductione alicuius qualitatis, etiam perfectiuæ; vt est illuminatio. Secundò pro inductione qualitatis perturbantis, quo sensu Aristoteles 1. *cæli text.* 20. *& seq.* ait, cœlum esse inalterabile. Et 2. *de anima, text.* 52. & 58. ait, acquisitionem scientiæ esse aliud genus alterationis, id est non hoc secundo modo; sed primo modo, nempè perfectiuam. 8

Hoc secundo sensu non fiet alteratio ad quartam speciem qualitatis; quia forma, & figura sunt qualitates perfectiuæ.

Similiter nec ad habitus, & dispositiones bonas; sunt enim hæc perfectiones.

Hinc alteratio erit ad Passiones, & Passibiles qualitates, è 5. *Physic. text.* 14. Vide Amicum *loc. cit.* Collegium 7. *Physicorum, capite* 3. *quæstione vnica.* 9

Et sanè, neque ad omnes has est propria alteratio; vt ad odorem, & illuminationem: ratio est, quia ad propriam alterationem aliqua contrarietas exigitur. At illuminatio non habet contrarium. Odor verò, etsi habeat, non tamen necessariò præextitit in subiecto.

Altera etiam conditio requiritur à Collegio, vt non sit aliquid vnum ita cum alio; vt veluti consectariè ad illius acquisitionem videatur acquiri, non per se.

Contra hanc conditionem obiiciunt. Sanitas, & ægritudo sunt idem cum tali intensione primarum qualitatum; & tamen, qui infirmatur, vel sanatur, propriè alteratur.

Dico, è D. Bonauentura *in* 2. *distinctione* 15. *quæstione* 2. & 3. Sanitatem consistere in temperamento humorum, atque elementorum ad iustitiam; ac proinde, sicuti in his est vera generatio; ita & in illis veræ alterationes, quæ ex tali mixtione, temperie, & alteratione mutuâ pacificâ deriuantur. Vnde rectè Auicenna negat, sanitatem esse idem cum primis qualitatibus.

Collegivm respondet, esse vtramque veram alterationem, quæ non consequitur aliam rem, cùm præcisè qualitatum productio sit ipsamet sanitatis, vel ægritudinis effectio in animali.

Obiicies secundò. Quando nubes in niuem

nem concrescit, fit alba; non ex contrario nigro.

Dico, etsi non è nigro, fit tamen è subiecto, habente aliquid recedens à candore ad alios colores, saltem medios, aliquo modo contrarios. Deinde debet esse à contrario, cùm primariò ea qualitas acquiritur; non autem cùm eius adeptio sequitur ad aliam alterationem, factam secundùm alias qualitates, à quibus re ipsa distinguitur; vt in coloribus, odoribus, & saporibus accidit. Ita sentit Collegium.



DISPVTATIO XX.

De Inceptione Rervm, et Desitione.

1 Vppono multa rerum genera. Aliæ enim sunt permanentes; aliæ successiuæ. Ex illis, aliæ diuisibiles; aliæ indiuisibiles.

Non ago, quomodo res incipiant ex parte agentium, & ex eorum actione desinant; sed de inceptione, & desitione rerum intrinseca.

Assero primò, res successiuas incipere extrinsecè per vltimum sui non esse.

Probatvr; quia si inciperent per primum sui esse ab instanti, iam motus in instanti fieret.

2 Assero secundò, successiua desinere per primum sui non esse intrinsecè.

Probatvr; quia si desinerent per vltimum sui esse, verum esset dicere: Nunc est motus in instanti; & post non erit. Hoc autem est absonum; vt dixi.

3 Assero tertiò; eo modo, quo incipiunt successiua positiua; incipere etiam quietem.

Probatvr. Eodem ordine se habent priuationes, quo & formæ oppositæ: Sed quies est priuatio motus: ergo.

4 Assero quartò, idem dicendum de rebus, quæ motu propriè dicto producuntur. Patet eisdem rationibus.

Assero quintò. Indiuisibilia temporis, *& mutata esse* motûs, incipiunt per primum sui esse; & desinunt per vltimum sui esse.

Probatvr; quia habent totum suum esse indiuisibile: ergo in mensurâ vnigeneâ debent incipere, & desinere.

5 Assero sextò. Res, quæ sine contrarij expulsione incipiunt, & desinunt; incipere, & desinere in instanti, vel tempore aliquo, ratione spatij; esto breuissimo: vt lumen.

Patet ex dictis *disput. præcedenti.*

Assero septimò: ea, quæ per creationem incipiunt, & desinunt per annihilationem; incipere, & desinere in instanti.

Probatvr: quia nulla in his datur ratio retardans.

Assero octauò, idem dicendum de indiuisibilibus quantitatis.

Patet; quia mensurâ vnigeneâ debent mensurari.

Est autem quæstio: quo pacto in generatione, & corruptione incipiat forma noua, & desinat vetus.

6 Commvniter fertur, formam desinere per primum sui non esse extrinsecè; & nouam incipere per primum sui esse. Sic Gregor. *in* 1. *d.* 17. *q.* 2. *art.* 2. Ferrar. 3. *contra Gent. c.* 65. Conimbr. *lib.* 8. *Phys. c.* 8. *q.* 2. Peret. *l.* 4. *c.* 9. Tolet. 6. *Phys. q.* 4. Hurtad. *d.* 15. *Phys. sect.* 8. Est autem apud Thomistas certa, cum Angelico 3. *p. q.* 75. *art.* 7.

E regione D. Bonau. *in* 4. *d.* 11. *p.* 1. *quæst.* 5. agens de transubstantiatione, asserit, substantiam panis desinere in instanti; & in alio instanti contiguo incipere Corpus Christi. Eum sustinet P. Galitius *part.* 1. *lib.* 3. *tract.* 1. *quæst.* 13.

Hoc arduum est, quia videtur ponere duo instantia immediata in tempore.

Scias duplici mensurâ posse aliquam rem mensurari. Primò, mensurâ communi primi mobilis, cuius motu omnia inferiora defluentia metimur. Secundò, mensurâ propria cuiusque rei, sumptâ è propriis materiis, iuxta regulam latam, *disp.* 14. *q.* 3. 7

Scias etiam, non posse quidem in vno continuo esse duo indiuisibilia immediata; posse tamen in duobus contiguis.

Probatvr ergo primò sententia Seraphici Doctoris, argumento omnium aduersariorum. Mensura debet esse vnigenea mensurato. Sed forma panis mensurata est indiuisibilis: ergo & mensura inceptionis, & desitionis eius: at desitio eius ponitur ei proportionata, & indiuisibilis: ergo. 8

Probatvr secundò. Quandocunque definiendum est aliquid, debet considerari per se, non ratione adiuncti: At formæ substantiali assignatur inceptio per se in instanti, tanquam mensurâ vnigeneâ: ergo & desinere per se. Ita, si Deus destrueret formam panis, cessaret in instanti: Ergo & nunc.

Probatvr tertiò. Quæ habent totum esse simul, nequeunt extensis commensurari. Forma substantialis habet totum esse simul indiuisibile: ergo nequit tempore mensurari.

Argvvnt, fore duo instantia immediata: Nam illa transubstantiatio motu primi mobilis mensuratur: ergo, si in vno instanti mensurat desitionem panis, & alio inceptionem Corporis Christi: erunt duo instantia immediata. 9

Respondet P. Galit. sicut duæ lineæ contiguæ, respondent puncto subexpositi continui: ita duo indiuisibilia respondere vni instanti primi mobilis, non enim duo indiuisibilia faciunt extensionem. Sic videmus experimento duorum contiguorum, quæ continuò applicantur. Perforetur Cœlum Lunæ in conuexo, & concauo Mercurij, & per foramen transeat linea. Sanè vno puncto respondebit puncto in superficie Cœli Lunæ. Quæro: Num respondebit parte aliqua diuisibili concauo Cœli Mercurij? An eodem indiuisibili? Si eodem indiuisibili: ergo vnum punctum continui respondet duobus contiguorum; si verò parte aliqua: ergo illa puncta non sunt immediata contigua; vt suppono. 10

Igitvr non est timenda illorum sequela. Magis verò timendæ sunt nostræ. Cur igitur volunt, formam in tempore corrumpi: & alteram in instanti generari; Num quia illa ad corruptionem dispositionum cessat? sed cur etiam hæc ad inductionem dispositionum non inducitur? Profectò alius est distinctus ab alteratione actus corruptionis, sicut à dispositionibus inductis generatio.

Sed de hoc disseram *Tertia parte, Tract. de Eucharistia.*



TRACTATVS SEXTVS DE COELIS.

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

HACTENùs de Principiis, substantiarum creatarum intrinsecè constitutiuis, actum est; Nunc autem, quoniam ad horum concordiam & socialem nexum extrinseca quædam principia influunt; Disputatio de Cœlis instituenda est; illi etenim rerum corruptibilium natalibus sereniùs affulgent, easque benigniùs conseruant, & amiciùs fouent: Cœterùm in hoc de Cœlis tractatu Seraphicum Doctorem, (tamquam fulgidum firmamenti sidus) errorum tenebras abigentem, clariùsque veritatis lucem diffundentem ad extremum, (quantum licebit) apicem sequar.



QVÆSTIO VNICA.

Quo tempore creati sunt COELI.

1 CVRIOSA est controuersia, quo tempore conditus sit mundus.

NONNVLLI dixêre, conditum mense Iulio. Nituntur verò; quia probabile est, priscos homines, tempore Noë numerasse menses anni, ad normam receptam ab antiquis Patribus. Iam verò post diluuium illicò dicitur, Noë emisisse columbam vigesima quarta die mensis vndecimi; eam verò attulisse ramusculum oliuæ, virentibus foliis: solent autem in climate Armeno, quod idem est ac Romanum, virêre oliuæ, Sole peragrante decimam quintam partem Tauri; ac florêre solstitio æstiuo. Igitur si vndecimo mense virentes erant oliuæ, erant florentes circa Idus Iunij iuxta regulas Plinij, *lib.* 8. *cap.* 25. atque adeò oportet, vt primus fuerit mensis Iulij, cùm in monte Gordico potuerint oliuæ inueniri virentes mense vndecimo. Confirmant auctoritate Ægyptiorum, in Astronomicis peritorum, qui, vt refert Solinus, censuêre natale mundi; cùm Sol Leonem ingreditur. Id autem videntur ab Hebræis didicisse, qui apud eos diu inquilini degerunt.

2 OMNES tamen communiter in Æquinoctio Verno, aut Autumnali creationem asserunt.

Ideò Ægyptij, sanè vetusti, initio septembris mundum esse conditum tradidere, testante Iosepho 1. *lib. antiq.* Quin etiam Cicero, *libro de Natura Deorum*, & Lactant *libro* 1. *diuin. instit. capite* 6. prodidere, Mercurium, qui Ægypto leges, ac litteras tradidit, appellatum ab Ægyptiis lingua sua IHOTH, à quo, apud eos, primus anni mensis, (qui est nouus apud Latinos) Septembris nomen accepit.

SENTENTIAM verò illam asserentem, mundum in Autumno creatum, asseuerant plurimi Hebræorum eruditissimi, quam sequuntur Lyranus *ad cap.* 8. *Gen.* Abulens. *in capite* 1. *eiusdem l. q.* 21. 3
Fauet etiam, quod ait Hieron. *in capite* 1. *Ezech.* apud omnes Orientales, primum anni mensem fuisse Octobrem: nam *Thisri* sonans Chaldaicè *Initium*, significabat Septembrem, qui sæpè variatione lunationum excurrit etiam in Octobrem: Inclinat Piccus, *cap.* 6. *lib.* 7. *aduersus Astrologos.* Tostatus etiam *in priori parte sui defensorij; cap.* 14. scribit, peritos Hebræorum censuisse, mundum conditum vigesimo primo Septembris; & Adam vltimo die Septembris formatum: primum autem diem Octobris fuisse primum mundi Sabbathum; primique anni exordium. Eam Perer. tuetur sententiam, *ad cap.* 1. *Gen. lib.* 1. Torniellus, *die* 6. Scaliger, *lib.* 5. *de emendatione temporum*, *cap. de conditione* Genebrardus *in Chron.* & multi Hebræi.

AT vniuersa ferè scriptorum acies ordinatissima, mundum in Verno æquinoctio conditum asserunt. Sic Poëtarum Princeps *lib.* 2. *Georg.* asserit: 4
sic Astrologi omnes, apud Ouidium.

Principium capiunt Phœbus & annus idem.

E Scriptoribus Ecclesiasticis, Eusebius *in Historia*;

ria; Athan. *ad quæstionem 17. Antiochi*; Cyrillus Hierosol *Catech.* 14. Leo primus *serm. 9. de Passione Domini*; Gregor. Nazian. *oratione in nouam Dominicam*; Isidorus, *lib. 5. Ethymol. cap. de temporibus*; Damasc. *lib. 2. de fide, cap. 7.* Strabo, & Rabbanus *super 12. c. Exodi*; Glossa interl. *in 3. Genes.* Beda, *libro de ratione temporum, & in Hexaëmer.* & in synodo Palestinæ, de mandato Victoris Papæ congregata à Theophylo Cæsereæ Episcopo, consensu omnium declaratum est, mundum factum Verno tempore, quod incipit decimo Kal. Aprilis, &, quo die Dominus noster crucifixus est, Adamum fuisse creatum.

Hvivs decreti meminit Beda, initio *lib. de sex ætatibus.* Ambrosius *lib. 1. in Hexaëmer. capite 4.* Theodoretus, *quæstione 72. in Exodum.* Magister *Hist. scholastica*, *in histor. Gen Hexaëmer.* refert; esse dogma Ecclesiæ, mundum creatum in Martio. Idem tenet Cataneus, *in Hexaëmer.* Eam sententiam tuentur scholastici; præsertim D. Bonauentu-
6 ra *in cap. 1. lucæ*; Plurimos Patres, & alios refert Ascanius Martinengus, *in Glossa magna*, Amicus *Tract. 2. de mundo, quæstione 4. disputatione 2.* A Lapide *Genes. 1.* Colleg. 8. *Physicorum, capite 2. quæstione 3.* Eustachius Cisterc. *parte 2. Physic. tract. 1. quæstione 5.* Arriaga *d. 29. sect. 1.* & *d. 32. in fine*, admonens fuisse Ver in Palestina; at in aliis Oris iuxta varium Solis situm eis respondentem. Ita & Suar. *cap. 7.* Molina *disputatione 12. & 14.* Perer. *de opere tertia diei.*

Assero cum his, mundum fuisse conditum Verno tempore, & mense Martio.

Probatvr à D. Bon. *primò ad c. 1. Lucæ.* Recreatio debet respondere creaturæ, & creationi, vt secundus Adam, Sol institiæ è Cœlo egrederetur, quando & Sol mense martio egressus est, ad nos accedens, vt terram incarnatis florib. exornaret, sic veritas orietur Christus, de terra formatus intactâ: quando etiam terra germinauit; vt tellus, ac mundus reformaretur; quo tempore formatus est; sicuti promisit Deus Isaiæ *66. Sicut Cœli noui, & ter-*
7 *ra noua, qua ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum. Et eris mensis ex mense, & sabbathum ex sabbatho: veniet omnis caro; vt adoret coram facie mea.* Vt ita incarnatus requieuerit in vtero Virginis, & mortuus iacuerit in sepulchro; vt secundus Adam suscitaretur è morte; quo die, miserrimus ille, in deliciis Paradisi, se, omnesque filios morte damnauit: & qui in ligno perierat, in ligno redimeretur. Hoc est argumentum Patrum ferè omnium. Id videtur *Isaias 66.* intueri: vbi redemptionem refert, qua populos Dominus ad montem sanctum erat reducturus; vt tempus etiam tantæ salutis optatum annum crearet, subdit, iuxta Hebraicam versionem.
8 *Quia sicuti Cœli noui, & terra noua, quos ego faciens stantes ad facies meas, dixit Dominus; sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum: & erit à tempore mensis, in mense eius, & de tempore Sabbathi, in sabbathum eius, venient omnes gentes, &c.* Vbi parallelos assignat stabilis creationis, & recreationis sabbathi, primi creationis, & secundi redemptionis, quam toto volumine promiserat Isaiæ sub metaphoris germinantis terræ. *Germinans germinabit, &c.* Roris Cœli; *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

9 Probatvr secundò à Seraphico Doctore, ad 22. Lucæ, ad ea verba: *Venit autem dies azymorum*, ex illo Leuitici 23. *Mense primo, Phase Domini est*; vbi componit tempus creationis cum tempore passionis Domini. Itaque primus mensis creationis fuit & passionis Domini, atque redemptionis. Est argumentum D. Ambrosij, & Theodoreti, *loco citato.*

Enim verò, quia aduersarij, præsertim Pe- 10
rer. hoc loco abutuntur; sedulò rem excutere oportet. Ait igitur Perer. arguens; *Exodi 12.* statuitur præceptum, vt mensis Nisan, qui verno cadit tempore, esset primus deinceps mensium. Quo licet intelligere, ante latum illud præceptum, eum non fuisse primum mensium. Quid enim attinebat, nouo præcepto tam sanctè Iudeis imperare, quod illi suaptè sponte anteà seruauerant? Mox ad suam sententiam roborandam, refert Iosephum *lib. 1. antiquit.* vbi ait, diluuium mense secundo, qui ab Hebræis marhesvan vocatur, qui partim Octobri respondet, partim Nouembri, irruisse: Igitur vsque ad tempora Noë, October fuit primus mensis & sanè ex traditione Patriarcharum id habetur: Eius autem computationis ea esse debuit ratio; quia eo tempore mundus incepit: ea de causa Iudei vsque ad Noë constanter hunc ordinem in suis computationibus fideliter seruarunt.

Omitto nunc, quod aliqui obseruant, 11
Hebræos, antequam Ægyptiis miscerentur, incepisse annum à mense Nisan; sed Ægyptiis mixtos, aut spontè, aut coactos seruasse ordinem Ægyptiacum; iussos verò fuisse à Deo, suum ordinem anni resumere.

Accipio præ manibus locum Exodi 12. *Dixit quoque Dominus ad Moysen, & Aaron in terra Ægypti: mensis iste, vobis principium mensium primus erit in mensibus anni.* Attentè consideranti, hic est sensus. Mensis iste, qui iam vobis in annua computatione est principium mensium: primus erit dignitate, sicuti & ordine, ob summum beneficium liberationis vestræ, summamque solemnitatem, quam Religionis causa instituo, eòque erit solemnior, quò solemnitatem solemnitatum, Redemptionem scilicet totius mundi præclarè adumbrat, Hic videtur esse sensus S. Doct. indicatus.

Idem colligo ex Hebraico, *Mensis iste vo-* 12
bis Capvt *mensium: primus ipse vobis in mensibus anni*: vbi nomen primus est ראשון Riosoz significans Principem; alterum verò nomen est ראש Rest. vult dicere Ille, qui vobis nunc iam ab antiquo est primus mensium, erit Capvt, seu nobilissimus mensium, ob nouum institutum. Ponitur autem primò Capvt, quæ est phrasis Hebraica, carens articulis.

Ille vobis erit Princeps mensium, qui est ordine primus. Quare argumentum est pro nobis; vt vidit etiam Cataneus *in suo Hexaëmer. Italico.* Amicus, *numero quarto*, ex Nazian. *orat. quadragesima secunda*, & Ambrosius, *libro 2. Hexaëmer.* id colligens.

Qvod verò recensetur è Iosepho, nil læ- 13
dit; quod enim mensis Marhesvan, aut Marsomane dicatur secundus, iam liquet ex verbis Iosephi; ait enim, *Contigit vastitas diluuij anno ætatis Noë sexcentesimo, mense secundo, qui* Irvs *à Macedonibus vocatur, ab Hebræis* Marsomane, *qui partim Octobrem respicit, partim Nouembrem: sic enim Ægyptij distinxerunt.*

anni hic iuxta prouentus ordinat; in ordine ad oblationes, non secundùm seriem temporum totius corporis anni. Et cùm dicit *relevante*, *&c.* signat in reuolutione anni, vt legit Pagn. seu mediante anno, vt LXX. vel egrediente, vt explicat versio Chaldæa.

QVARE scriptura hæc, quâ adeò nititur Pererius, nihil ei prodest. Omitto responsa Amici; *numero* 4. non enim admodum solida sunt, vt plures existimant.

23 QVOD verò addit Pererius, annum septimum, & annum Iubilei ab Autumno incepisse, nihil obest: erant enim tempora exigentia principium adaptatum cæremoniis, atque prouentibus, ibi intentis; non tamen hinc cum Amico id ad rem nostram aptat.

CÆTERAS congruentias Pererio Autumnales & floccidas, do gratis.

DISPVTATIO I.

DE COELO EMPYREO.

QVÆSTIO I.

An existat COELVM *Empyreum.*

D. B. in 2. d. 2. parte 2. quæst. 1. D. Th. quæst. 66. art. 3.

1 PRImò quidem Caietanus, à *capite* 12. *secundæ ad Corinthios* sentit, nullum tale Cœlum esse: vult enim primum mobile esse cœleste Beatorum domicilium. Tribuitur Damasc. 2. *de fide*, *capite* 6. Basil. *homil.* 3. *Hexaëmer.* Theodoreto, *quæstione* 11. Eugub. *in cap. prim. Genes.*

2 VNIVERSALIS autem Theologorum consensus astruit Cœlum Empyreum. Ita Scholastici cum Magistro, *in* 2. *d.* 1. vbi D. Thomas, & Diuus Bonauentura, qui id à Patribus sanè antiquis receperunt, nedum à Beda, *in Hexaëmer.* Strab. *in Glos. ordinaria*, ad ea verba Genes. *In principio creauit Deus Cœlum*; *& terram.* Eandem sententiam tenuêre Alcuinus, Rabban. Lyra, & ferè alij omnes *in Genes.* & Hugo de S. Victore *in summa sententiarum*, *tract.* 2. *capite* 1. Abul. *Genes.* 1. in explicatione operum quinti Diei, & *in capite* 23. *Exodi, quæstione* 52. *&* 53. eamque indicat Basil. *homil.* 1. *Hexaemer.* & Theodoret. *quæstione* 11. *in Genes.* Tandem Anacletus Papa ante omnes, *in exemplari*, 2. *decretal. in fine*; vbi ait: *Dominus è Cœlesti aula, ac Empyreo domicilio in castissimæ virginis purissimum vterum, pro nostra redemptione carnem suscipiens, aduenit.* In Catena Lippom. refertur Diodorus Episc. Tarsen. magister Chrysost. qui ait: *Hoc Cœlum in scriptura vocari Cœlum Cœli*: idem habet Damasc. infrà.

3 ASSERO cum hac sententia dari Cœlum Empyreum: hanc esse in Ecclesia communem testatur Amicus *Tract.* 4. *quæstione* 5. *dispu.* 5. Arriaga *infrà cit.*

PROBATVR à Seraphico Doctore ex Patribus, quos retuli *Tractatu* 1. *disputatione* 1. *quæstione* 2. è quibus refert *hic* strabonem, Bedam, Damasc. 2. *de fide*, & cæteros Ecclesiæ Doctores, quos affert etiam, 3. *parte Centiloq. sectione* 7. nam Cœlum initio creatum differt à firmamento, quod in Cœlos mobiles diuidatur. Idem habet D. Clem. *libro* 1. *&* 3. *Recognit.* ex Diuo Petro, & alij, ex quorum consensu optimè argui, notant Arriaga, *disp.* 29. *sect.* 2. *numero* 11. Amicus *loc. cit.* qui rationibus S. Bonau. vtuntur.

PROBATVR secundò à Seraphico Doctore, *tract.* 7. *de Ecclesiastica Hierarchia*, *parte* 4. *capite* 1. ex Diuo Basilio, *Homil.* 1. *Hexaëmer.* Præterea ex multis sacræ Scripturæ locis. Isaiæ vlt. *Cœlum mihi sedes est.* Psalm. 10. *Dominus in Cœlo sedes eius.* Psalm. 102. *Dominus in Cœlo parauit sedem suam.* Apoc. 4. *Et ecce ostium apertum est in Cœlo.* Quæ sanè loca infra refert, eaque anagogicè Angelis applicat. Plurima alia loca adducit Amicus, cum Seraphico Doctore. Hoc dicitur *Cœlum Cœli* Deut. 10. Psalm. 113. vt notauit Amicus, post Doctorem Seraphicum. 4

PROBATVR tertiò à Seraphico Doctore *hic* In quolibet genere, mobile præsupponit immobile: quia omne fluxibile ad finem terminatur; sed omnes Cœli, nobis noti, sunt mobiles: ergo supra eos oportet ponere vnum Cœlum immobile.

PROBATVR quartò à Diuo Bonauentura, esse multiforme reducitur ad vniforme, sicut multa præsupponunt vnum; sed Cœlum sydereum, & primum mobile est multiforme: ergo datur aliud vniforme, id est Empyreum. 5

PROBATVR quintò congruentiâ. In quolibet genere, in quo datur medium, & infimum, datur etiam supremum; sed datur infimum, id est corpus fixum, opacum omninò; & medium, id est mediocriter luminosum, scilicet Cœli mobiles: ergo datur supremum, totum LVX, & flammescens, atque immotum: ideò dicitur Empyreum. Hac ratione vtitur Suarez, *libro* 1. *capite* 4. *num.* 5.

PROBATVR sextò à Seraphico Doctore, suppositâ fide, in Cœlo esse habitationem Beatorum: Sicut enim damnatis carcerem destinauit noctis æternæ, qui ad hoc maximè inseruit: ità maiori ratione, Creatorem oportet destinasse quoddam Cœlum, quod futurum esset regnum beatorum; vt etiam verificetur illud Matth. 25. *Venite, possidete Regnum paratum vobis à constitutione mundi*: nam Gloria spiritualis, non in tempore; sed priùs ab æternitate, vt habetur *Ephes. primo*, præparata fuit: ergo loquitur de Regno corporali, in quo degent in perpetuum. 6

Hac ratione nititur Suarez *loc. cit.* Nec benè corrodit Arriaga *num.* 10.

PROBATVR septimò à Seraphico Doctore, *dub.* 2. *litt. huius distinctionis*, ex conuenientia loci, qui debetur Beatis, maximè Corpori Christi, & Beatæ Virginis, qui ascenderunt ad supremum Cœlum. Non enim est verisimile, Christum, & Beatam Virginem stare supra Cœlum in motu perpetuo existens; alioquin, vel pedes incerto in situ haberent, vel simul cum Cœlo raperentur. Hac congruentiâ nititur Suarez, *num.* 4. Arriaga, *num.* 11. 7

HINC falsò Malonius dixisse conuincitur, apud Suar. *cap.* 5. Cœlum hoc esse fluidum, ad motum, respirationem, & loquelam beatorum; quod placet etiam Taunero *in fine huius tract.* Cornelio à lapide 8

pide *in primum Genes.* Nam scriptura ab Arriaga allata, solidum indicat. Pf. 113. *Cœlum cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum.* Vbi non minus solidam sibi sedem aptasse dicendus, quàm hominibus. Idem habent alia loca suprà, quæ sedem signant. Neque fluxus Cœli ad respirationem fa-
9 cit; vt dicam. De hoc D. Bon. *dub.* 1. *litt. d.* 2. *p.* 2. Quidam enim referuntur dicentes, ibi fore laudes tantùm spirituales, ab omnibus Angelis, & Sanctis decantatas: quia laudes vocales non competunt loco, in quo non est aër ad respirationem; neque locatis, id est Angelis, qui omninò spirituales sunt; nec ibi habent corpora assumpta: vnde voces efforment; quod si visi sunt in terris, & auditi canere, hoc fuit visione, & auditione imaginaria. Alij referuntur, asserere, ibi futuras laudes canoras ab hominibus, qui habebunt organa, & has voces, aiunt, futuras per aërem, qui erit quasi naturaliter animabus complantatus; sicut patet in apibus, & aliis nonnullis. Deindè, quid absoni (aiunt) illic esse corpus tenue, idoneum respirationi?
10 Corpus verò Empyrei, in quo stant beati, esse ad respirationem aptum, non arbitror, nam tenue nimis esse deberet; neque si aqueum, esset aptum, etenim in aquis suffocamur.

QVOAD Angelos, cùm sint puri spiritus, vocalibus non canunt organis. Hinc D. Reg. 2. *mor. c.* 4. ait: *Laus Angelorum est in ipsa admiratione contemplationis.*

11 QVOMODO verò figuratum sit Empyreum, non probatur. Describit autem illud S. Bonau. ad modum montis formati in Amphytheatrum. Alij dicunt, esse sphœricum: quia figura illa est perfectissima. Alij existimant in summo esse quadrum; vt innuitur Apocal 21. *Ciuitas in quadro posita est.* Enim verò nil à ratione certum habemus: quia neque à priori potest cognosci, cùm sit altissimum, & à nobis remotissimum: neque à posteriori, id est à motu; sicut noscuntur alij Cœli.

12 AT Diuus Bonauentura *in corpore* sic resumit rationes solidè: Finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem. Propter motum firmamenti, propter perfectionem vniuersi, & habitationem Beatorum, debemus ponere Empyreum. Propter primum: quia motus primi mobilis debet fieri circa immobile. Propter secundum: quia, cùm detur Cœlum difformiter luminosum, debet dari aliud vniforme: alioqui non erit perfectum vniuersum. Tandem ob sedem Beatorum, quæ debet esse cœlestis, nobilissima, atque lucidissima, decens statum eorum perfectissimum.

13 PICVS Mirandulanus in suo Hexaëmer. *capite* 1. *suæ expositionis peracuta* refert duos Hebræos, Abraham Hispanum Astrologum dicentem, hoc Cœlum empyreum, ab Ezechiele, expressum sapphirino throno; & Isaac philosophum, qui idem astruit Cœlum. Et verè *ex Genesi* habetur fundamentum; vt Patres allati exponunt: nam Cœlum primò creatum, diuersum est à firmamento creato secundâ die, & ratio etiam quadrat; si enim ob viatores tot Cœlos construxerit; Cur non propter Beatos, vnum gloriæ?

QVÆSTIO II.

Cuiusnam natura sit COELVM *Empyreum.*

{ D. B. loc cit.
{ D. T. loc. cit.

FERTVR Eugubinus in *Cosmopeia*, & *in tract. de naturis corporeis* dixisse, Empyreum esse lucem quandam increatam, & Deo coëternam, ex Dei essentiâ promanantem, in qua Deus inhabitat, ad 14
quam Beati admittuntur; neque tamen ipsa sit Deus. Huius lucis, ait, meminisse scripturam Psal. 103. *Amictus lumine, sicut vestimento*; & 1. Timoth. 6. *Lucem inhabitat inaccessibilem*; sic adducitur, & reprehenditur à Bened. Perer. *in cap.* 1. *Gen.* ad illa verba: *In principio.* Catherino *in Genes.* Molin. *p. p. tract. de operibus sex dierum, disput.* 3. Valent. *disp.* 5. *quæst.* 2. *punct.* 1. *columna* 935. Sed iam *Tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 11. omnia in tempore condita ostendi.

ATTAMEN non video ita Eugubinum sentire; 15
non enim intellexit per Empyreum, Cœlum, aut corpus, sicut nos; sed lucem Diuinæ essentiæ; & ideò solùm abusus est nomine Empyrei; illudque Empyreum Cœlum, quod nos tractamus, negauit. Ait enim *loco citato de rebus incorporeis, & inuisibilibus, esse lucem Diuinitatis, quam semper cum Deo fuisse necesse est; & hac, si Cœlum Empyreum est, semper, & sanè ab æterno fuit Cœlum Empyreum, (idest immensa lux Diuinitatis) beatissimum illud, quod est supra Cœlum, quod appellare non audeo: nam neque locus est, neque corpus.* Alia tamen habet, quæ primum sensum, ei imputatum, sonant; vt notat Suarez *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. Quare errat Eugubinus.

ASSERO tamen primò, Cœlum Empyreum esse corpus cœlicum creatum à Deo. Patet ex dictis, 16
Tract. 5. *d.* 1. *quæst.* 2. *atque sequentibus*; vbi etiam ostendimus, Cœlum illud non esse æternum, sed creatum à Deo, initio temporum.

ASSERO secundò esse corpus, è materiâ, & formâ compositum, contra Tostatum *quæst.* 53. *ad* 25. *Exod.* & Arriagam *d.* 29. *sect.* 2. vbi tamen ad nostram deflectit sententiam.

PROBATVR à Suarez, *libro* 1. *capite* 5. *nu-* 17
mero 1. argumento Diui Bonauenturæ, allato *quæstione* 7. *atque* 8. *tract. præcedentis, disputatione* 1. Nam Cœlum illud est quantum, & corporeum, quod sine materia esse non potest. Quia verò cæteris Cœlis perfectius est; sequitur ipsum habere formam.

ASSERO tertiò eandem esse materiam Empyrei, & aliorum secundùm essentiam. Probatur ex dictis *tract. citato, quæst.* 8.

ASSERO quartò esse immobile, ac mensurari 19
Æuo. Ita D. Bon. *loc. adductis, tract.* 4. *disp. vlt.* Sic enim ciuium status exigebat, ob quem fuit creatum, tanquam finem extrinsecum: nam intrinsecus videtur propter operationes naturæ, ad regulam Arist. 3. *de Anima*, *text.* 45. hæc autem operatio est influere, apud Amicum *Tract.* 6. *quæst.* 3. *art.* 3. *num.* 29. de quo infrà.

ASSERO quintò non esse corpus fluidum; quia esset mobile secundùm partes, & Beatorum corporum consistentiæ ineptum.

QVÆST

QVÆSTIO III.

An CÆLVM *Empyreum influat in hæc inferiora.*

{D.Bonau.in 2.d.2. p.2.art.1.q.2.
{D.T.p.1. quæst.66. art.3.

PRIMA opinio est negatiua: ita D. Thomas *in 2.d.2.quæst.2. art.3.* Alen. *part.2. quæst.47. in 1.* Arriaga *disp.29.sect.2.num.16.* Hurtad.*d.2. de cælo, sect.6.* nec refellit S.Bonau. sed problematicus est.

SECVNDA sententia est affirmatiua: ita etiam D. Thom. *hic* à Caietano citatur, Richard. *in 2. d.2.art.3. quæst.3.* Durand. Ægidius, *quæst.2.art.4.* Argentina, *quæst.2. art.1.* Suarez *lib.1. de vniuerso,c.5.* Ferrar. 2. *contra Gent.c.65.* Clauius *in sphæra cap.1.* Fland. 8. *Metaph. text.91. art.1.* Colleg. 2. *cæli, cap.3. quæst.2.* Amicus *Tractat. 6. quæst.3. art.2.*

19 ASSERO cum hac sententia, probabile esse, Empyreum in hæc inferiora influere.

PROBATVR primò à D.Bonauent. Omne corpus; imò omnis substantia creata, completa, & perfecta constat potentiâ, virtute, & operatione; sed Empyreum est talis substantia, quia est corpus nobilissimum: Ergo habet virtutem agendi, & operationem: non est autem potens agere immanenti actione: quia non habet animam: ergo agit transeunte actione: ergo influit in alia, cùm eius virtus sit necessaria. Hanc rationem desumpsere è Seraphico, Durand. Richard. Ægid. & Suar. *locis adductis*, eamque Suar. *num.11.* vocat valdè verisimilem inter rationes aliorum, quas suprà confutauit. Quod verò agat in hæc inferiora, probatur à D. Bonauent. quia vel agit in superiora, & hoc non; quia ipsum est supremum: vel in æqualia, neque hoc: quia nullum habet corpus iuxta se: ergo in inferiora agit. Neque credere debemus, corpus inferius esse incapax impressionis, & ideò virtutem Empyrei manere otiosam.

20 PROBATVR secundò, omnia opera propter humanum obsequium sunt facta: vnde nos sumus quodammodo finis eorum omnium, quæ condita sunt. Ergo etiam Empyreum Cœlum. Vt autem præcludatur effugium dicenti, illud corpus, quia nobilissimum, non influere in hæc inferiora.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Quantò aliquod corpus situ est superius, tantò inter corpora est nobilius: & quantò nobilius, tantò potentius, & melius: & quantò potentius, & melius, tantò in agendo efficacius: si ergo Cœlum Empyreum est supremum: Ergo, &c.

21 PROBATVR quartò. Inter corpora efficacia, luminaria sunt potentiora, vt patet in Sole; sed Empyreum est lucidissimum totum: ergo. Virtus autem eius est naturalis necessaria, ergo operatur. Hinc malè Arriaga ait, nullum adesse huius assertionis fundamentum.

ASSERO secundò cum D. Bonauent. non esse omninò certum, Cœlum Empyreum influere in inferiora.

22 PROBATVR à D. Bonauent. *in corpore*; quia Cœlum Empyreum non est factum ad conseruandas res corruptibiles, per continuam generationem successiuam; sed tantùm propter perfectionem vniuersi, præsertim ad finem supranaturalem, vt sit Beatorum domicilium: ergo est omninò immune ab influendo in hæc inferiora.

RESPONDET Amicus, hunc esse finem operantis extrinsecum, non operis. Quasi Deus ad modum hominum destinet res, non intentas à producente, ad fines extraneos. Itaque responsio inualida est.

RESPONDET Suarez, *num.12.* quòd licèt illud Cœlum sit destinatum domicilium Beatis; tamen est corpus perfectissimum; & ideò maximè actiuum: nec caret proportionato subiecto, in quod agat. Hæc est ratio; ob quam S.Bonauent. oppositam quoque sententiam probabilem censet; non tamen omnino certam: quia non probatur, datam fuisse illi cœlo talem virtutem ad influendum; nec experimento conuincitur.

OBIICIES secundò. influentia cœlestis corporis maximè consistit in diffusione luminis, & caloris, & hoc per motum; sed cœlum Empyreum non mouetur: ergo.

RESPONDET S. Bonauent. posse Cœlum superius influere in inferiores, absque motu, & per 23 cœlos in inferiora corpora mediatè: motus autem aliorum cœlorum est necessarius, non simpliciter; vt cœli influant; sed vt applicent luminaria, solem, Lunam, &c. diuersis mundi partibus, vt ad omnes partes mundi cum vicissitudine asporteptur. At verò cœlum Empyreum, cùm sit perfectissimum, vniforme, potest sine motu influere; cum vniformiter mundum respiciat; neque per motum partes magis illi approximet, &c. neque solùm per lumen fiunt influxus; sed per alias proprietates. Deinde, estò per lumen influat, potest influere in cœlum inferius, & eleuare illud, vt influat in inferiora. Neque sufficit influxus inferiorum cœlorum; vt alij obiiciunt, ad conseruationem mundi; sed maximè exigitur influxus nobilissimus Empyrei ad operationes naturales nobiliores.

QVÆSTIO IV.

Quid influat EMPYREVM *in hæc Inferiora.*

{D. B. loco cit. in corpore & ad 4.
{D.Thom. loc. cit.

FVERE aliqui dicentes, cœlum Empyreum, vtpotè nobilissimum, influere nobilissimum effectum, scilicet vltimas dispositiones ad animam rationalem in corpore organico: eos refert S.Bonauent.

ALII adscribunt Empyreo influentiam ad di- 24 uersas dispositiones, & inclinationes hominum in diuersis orbis partibus. Eam sententiam refert Richard. *in 2.d.2.art.3. quæst.2.* Hanc tamen incertam esse, astruit S. Doctor quam sequitur Suarez *lib.1.cap.5. num.15.* Et primò quidem ignoratur; an cœlum Empyreum influat dispositiones vltimas spirituum ad infusionem animæ; cùm sufficienter Sol, & homo generare dicantur hominem?

QVOAD diuersitatem influentiarum pro diuersis partibus incertum est; cùm cœlum Empyreum sit

sit vniforme, & concentricum, æquè distans ab omnibus mundi plagis. Vide S. Bonauenturam.



DISPVTATIO II.

De Coelis Mobilibvs.



QVÆSTIO I.

An Lvx *primo die creata, fuerit aliquid Cæleste corporeum, an spirituale.*

D. Bonauent. distinct. 13. q. 1.
D. Thom. q. 67. art. 2.

1 Primi diei opus fuit Lvx: quemadmodum à Moyse enarratum est illis verbis, Gen. 1. *Dixit verò Deus, fiat lux, & facta est lux.* Opus autem est explicare, quæ lux fuerit illa, quæ gyro diem, ac noctem faciebat initio.

Celebris est opinio D. August. per Cœlum intelligi naturam Angelicam, informem gloriæ luce. Ita *l. 9. confess. cap. 9. & 16.* & *in Gen. imperf. c. 3. & l. 1. Gen. ad lit c. 9.* & *l. 4. c. 32.* per lucem verò, Angelos gloriâ decoros: per diem autem intelligi considerationem Angelicam: per septenarium numerũ dierum, septemplicem considerationem; & per vesperam diei, considerationem creaturæ in se ipsa: quia creatura est sicut tenebra; per mane verò, reductionem considerationis creaturæ in suo genere ad cognitionem, quæ est in summa Luce, & ad laudem ipsius Dei; & quia post perfectam conuersionem a laude Dei non cessat: ideò septimum diem, in quo est requies, dixit non habere vesperam.
2 Ita loquitur *l. 1. de Gen. ad litt. cap. 3. & 9. vsque ad finem,* & *l. 4. à cap. 21. vsque ad 28.* maximè *in Imperf. c. 5.* & *lib. 22. contra Faustum,* & *lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum, cap. 10. 11. ac 12.* & *lib. 11. de ciuit. cap. 7. & 9.* ait, Angelos in *Gen.* comprehensos, nomine Cœli, vel nomine lucis intelligi: quia tunc formati in gloria, & perfecti intelliguntur. Non accepisse autem D. August. per lucem, Angelos in creatione, probatur argum. D. Bonau. vltimo; quia per diuisionem lucis à tenebris, factam primo die, intelligit separationem bonorum Angelorum á malis; vt ex illis locis est eui-
3 dens; ergo nomine Lucis, non intellexit naturam Angelicam: nam in illa non sunt separati boni à malis Angelis; & ideò segregatio bonorum à malis non est primo instanti creationis facta, alioquin mali aliqui fuissent in primo instanti creationis: alij verò in gloriam translati; vt arguit S. Bonau. & post eum Suarez, *l. 2. cap. 1. num. 3.* quem miror priùs asserentem, in D. August. obscurum esse: an nomine creatæ lucis intellexerit euectionem Angelorum ad gloriam?

4 Attamen S. Bonau. deuotissimus erga D. August. non reiecta tanti Patris sententia, aliam oppositam recipit, vtpotè magis securam, & conformiorem sensui historiæ, & expositioni SS. Patrum.

Assero cum hac sententia, lucem illam primo die conditam, fuisse corpoream.

Probatvr à Diuo Bonauentura, *in fund. 1.* 5
ex scriptura: quia ante formationem lucis præmittitur: *Tenebræ erant super faciem abyssi*; quod de tenebris materialibus est necessariò intelligendum; vt patet è subiecto, in quo erant super faciem abyssi, quod significat voragines materiæ informis. Cùm igitur hæ tenebræ sint, quæ opponuntur huic luci ab ea diuisæ; sequitur, eam lucem fuisse corpoream. Hoc vrget Suar. *lib. 2. cap. 1.* Arriaga *d. 31. sect. 1.* inferens, non fuisse dæmones, qui tales non erant ante aliorum creationem, sicuti ante lucem erant tenebræ illæ *cap. 1. Genes.*

Probatvr secundò à D. Bonauentura, è PP. Dion. *cap. 4. de diu. nom.* Basil. *homil. 1. Hexaëmer.* Chrys. *hom. 2. in Gen.* Ambros. *lib. 1. Hexaëmer. cap. 9.* vbi id supponit cum negantibus, mentionem Angelorum eo capite haberi. Ita D. Atha. *q. 1.* ad Antiochum, Basilius *lib. de Spiritu Sancto, c. 16.* Chrysost. *hom. de ieiuniis*, quæ habetur post expositionem *Gen.* & idem habetur *hom. 2. in Gen.* & *in Psalm.* 8. Epiph. *hæresi 65. initio.* Cyrillus *libro 3. contra Iulianum*, §. 5. Theodoret. *quæst. 2. in Gen.* Hieron. *epist. 139.* & alij, quos vide apud Ascanium Martinengum ad hæc verba *Gen.* Hac auctoritate nititur Suarez *lib. 1. numero 4.* Valentia *disputatione 5. quæstione 3. punct. 1. columna 943.* & alij.

Probatvr tertiò à Diuo Bonauentura, quia 6
scriptura recenset creationem factam sex diebus, & quidem omnes fuerunt eiusdem rationis materiales; vt vidimus, *tract. 1. disp. 1. q. 4.* Iam verò tres primi dies illuxerunt, non à Sole; sed à Luce illa: ergo. Hoc fundamento nituntur Suar. & Valent. *locis adductis.* Confirmatur verò ex hymno, quem Ecclesia canit in vesperis Dominicæ.

Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis nouæ,
Mundi parans originem:
Qui manè iunctum vesperi
Diem vocari præcipis.

Canitur autem primâ die creationis, & alluditur
ad opus primi diei. Hanc rationem refricat, vt eximiam, S. D. in conclusione corporis, & cum eo Suar. *lib. 2. c. 1.* Arriaga *disp. 31.* 7

Probatvr quartò à D. Bonauentura *hic, ad argumenta*, & *art. 2. q. 2. in corpore*, conuenientiâ quadam, cur à luce creationem rerum distinctam exorsus sit Deus: quia lux est forma nobilissima inter corporeas, estque ornamentum Cœlorum, & elementorum, & vniuersarum rerum sensibilium; vnde in tenebris nullus decor, aut pulchritudo cerni potest. Ideò *in libro 4. Esdræ, cap. 6.* dicitur: *Et erat tunc Spiritus, & tenebræ circumferebantur, & silentium, sonus vocis hominis nondum erat abs te. Tunc dixisti de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quo appareret opus tuum.* Hac ratione vtuntur D. Basil. in Hexaëmer. Damasc. *2. de fide, cap. 7.* Hugo de Sancto Victore, *lib. de Sacram. p. 1. capite 8. & sequent.* & Beda *in Hexaëmer.* Hac ni- 8
titur Suarez *numero 5.* negat tamen, lucem substantialem esse formam; vt dicam *q. seq. & quinta.*

Obiicies primò id, quod est ad ornatum aliquod, non potest esse ante illud, quod est ornandum; sed corporea lux fuit ad ornatum firmamenti, quod secunda die solùm incepit: ergo non fuit prima die lux corporea.

Respondet D. Bonauent. lucem completè perfe-

perfectam, prout est in planetis, & stellis; esse ad Ornatum Cœli; at lux illa erat ad distinctionem eorum, & alia suprà dicta.

Obiicies secundò. Si lux illa primæua non fuit natura Angelica; sequitur, nusquam in creatione illam esse recensitam à Scriptura, sed hoc est falsum: ergo: Probatur sequela, quia Angeli fuere creati initio mundi, & quidem ante quartam diem; nam quartâ die iam laudabant Deum. Iob. 38. *Cum me laudarent Astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* vbi Græcus. *Quando facta sunt sydera, laudauerunt me voce magna Angeli Dei.* At neque secundâ die, neque tertiâ recensentur creati: ergo primâ die intelliguntur nomine lucis, vel scriptura deficit in proposito enarrandi creationem vniuersi; aut dic, Angelos non esse de vniuerso, quæ sunt aliena.

Respondet D. Bonau. primò, scripturæ intentum fuisse agere de operibus reparationis humanæ; vt ait Hugo: atque adeò, vt agat de natura eius instituta, enarrat creationem sensibilium; posteà lapsum, cum reliquis, quæ spectant ad hominis conditionem, & conseruationem: & quia Scripturâ non agit de Angelorum lapsu; ideò nec agit de creatione eorum. Ita sentiunt etiam Patres allegati; & post D. Bonau. Suarez, *numero 6.*

9 Dices, ad lapsum hominis, spectabat narrare lapsum Angelorum, ex quibus princeps adorsus est, & expugnauit primos parentes.

Respondetvr ex D. Bonau. *d.* 20. tunc cœpisse agi de diabolo, quando ad hominem spectabat; nec erat necesse ampliùs scire, putà, quòd fuisset pulcherrimus, gratiosus, &c.

Respondetvr secundò ad argumentum *hic*, scripturam esse datam populo rudi: ideò priùs fuisse necesse agere de sensibilibus, & insinuari etiam Angelos: vnde non indoctè natura Angeli potest secundariò nomine lucis intelligi, & litteraliter: nam sensus etiam litterales plures in eadem scriptura sunt; vt notat D. Bonauent. quo cum egimus *Tract.* 1. *disp.* 2. Hanc responsionem amplectitur Suarez, circa finem.

10 Obiicies tertiò cum D. Aug. *loc. cit. imperfecti operis in Gen.* Lux dicitur magis propriè de spiritualibus; ergo cùm scriptura, vt vos clamatis, propriè sit intelligenda, exponi debet de luce spirituali.

Respondet D. Bonau. lucem ex institutione, & vsu sapientium priùs significare naturam corpoream; vt docet D. Dionys. *lib. de diuin. nominibus, cap.* 2. licèt postea translata sit vox lucis ad specificandam lucem spiritualem, siue creatam, siue etiam Dei; eò quòd à sensibilibus rationibus pergimus ad intelligibilia: *Inuisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: inter sensibilia autem præclara est lux; etiam sensibus, & in effectibus, ideò translata est ad significandum spiritualia, & Deum. Hac responsione fulcitur etiam Suarez, *num.* 5. *&* 6.

Obiicies quartò. Lux corporea est ad vitam animalium, & planetarum: at primo die non erant animalia, vel plantæ: ergo fuisset frustra lux illo die.

11 Respondet D. Bonau. forsan habere multas virtutes à nobis ignoratas: præterea vsus eius fuit diem & noctem facere; non ad animalium illustrationem; sed ad diuinorum operum distinctionem; insuper ad erudiendum intellectum de diuinorum operum distinctione.

Obiicies quintò. Si illa lux erat corporea diuidens diem, ac noctem: ergo superfluus fuit Sol.

Respondet D. Bonauent. etsi sufficeret lux illa pro diebus primis, tamen voluisse Deum creare solem ad plenam perfectionem diei.

Obiicies sextò, cum Rupert. *lib.* 1. *in Gen. cap.* 10. vbi eandem tenet sententiam, cum D. August. Si lux illa prima fuisset corporea; durasset solùm tribus diebus, quod est absonum: nam ibi mundus stabilis creabatur. 12

Respondet D. Bonauent. illam lucem manere secundum formam in sole, qui ex ea formatus est; vt infrà dicam.

QVÆSTIO II.

Quid corporeum fuerit lux illa primæua.

D. Bonau. dist. 13. art. 2. q. 1. ad 6.
D. Thom. quæst. 67. art. 4. ad 2.

Concretvm illud corporeum lucis, diem primò constituens, dubium est, quidnam fuerit.

Primo quidem aliqui dixêre, fuisse formam per se subsistentem extra omne subiectum. Citantur à Suarez, *num.* 4. & Val. *col.* 945. D. Basilius, *hom.* 2. *Hexaëm.* & *hom.* 6. D. Gregor. Nazian. *hom.* 43. Eandem sententiam indicat Anastasius Synait. *lib.* 4. *Hexaëm.* Atha. *quæst.* 83. *ad Antiochum.* Theodoretus in verba illa Psal. 144. *Laudate eum Sol, & Luna, &c.* 13

Alii etiam referuntur ab Ascanio in *Glossa magna*; ad hæc verba; sed de his Patribus infrà eam à solo Deo fuisse immissam sine motu, ait Arriaga *d.* 31. *sect.* 3. 14

Secvnda opinio est, fuisse formam lucis depositam in corpore solis, qui iam creatus fuerat.

Tertia sententia est, illam lucem fuisse lumen mundi illuminati, quod lumen non est immissum à Sole, qui nondum erat, sed à Deo solo, absque vllo interuentu alicuius causæ creatæ. Hanc sententiam videtur inuenisse Burgensis *in Gen.* & placet Molinæ *tract. de opere sex dierum, disputatione* 7. Eugubinus, *lib.* 7. *de perenni philosophia, cap.* 8. & Dionysius Cathusianus *in cap.* 1. *Gen.*

Qvarta opinio est, lucem illam non fuisse tunc aliam, de nouo creatam; sed fuisse lumen à Sole immissum in orbem. Cùm enim Sol fuerit simul creatus cum cœlis initio, ante omnes dies, & quidem luce formatus (ne monstra admittantur) prima die, iussu Dei, cœpit orbem illuminare. Ita Suarez *lib.* 2. *de vniuerso, cap.* 2. *num.* 16. Hunc tamen Cornelius à Lapide ibi vocat errorem; est enim contra communem sententiam Patrum, ac Theologorum; vt notat Arriaga *disputat.* 31. *sect.* 2. *num.* 6. 15

Qvinta sententia est, lucem illam fuisse lucem solis, informem tamen, & imperfectam, quæ postea quarta die perfecta est; ratione cuius perfectionis dicitur sol quarta die factus. Ita Greg. de Val. *disput.* 5. *quæst.* 3. *part.* 1. *col.* 945. qui allegat D. Dionys. *cap.* 4. *de Diui. nomi.* & D. Thom. *quæst.* 67. *art.* 4. *ad* 2. 16

Sexta sententia est, lucem illam fuisse corpus quoddam lucidum, siue ignis, siue nubis, siue alterius 17

rius lucidissimi corporis. Ita Hugo de Sancto Victore *lib. 1. de Sacram. part. 1. cap. 9. & 11.* Petrus Comestor. Lyran. Abul. Alens. 2. *part. quæst. 46. articul. 1.* Beda adductus ab Alens. D. Bonauent. *distinct. 13. quæst. 1.* cum Magistro, cui fauet Greg. Nyss. *lib. de histor. Sex dierum*, vbi vocat illam lucem, ignem splendidum. Damasc. *2. de fide; cap. 7.* Hermes apud Cyrillum, *lib. 2. contra Iulianum*; & Pater Mariana *hic*, ac Celada de *Benedict. benedict. 1. num. 19.* Ratio eorum est; quia nullibi mentionem facit creationis ignis, qui est elementum præcipuum. Hæc tamen ratio non est valida: nam, vt aduertit D. Bonauent. *in 2. distinct. 14. part. 1. quæst. 1. ad 1.* neque aëris mentionem facit; quando creatus sit; in separatione autem aquarum à terra facta est distinctio elementorum. Quid verò factum sit de illa luce? aliqui dicunt, dissolutam fuisse quartâ die, ac resolutam in præiacentium materiam: quia cùm esset vice Solis, nascente Sole euanuit. Alij dicunt manere simul cum Sole in Cælo solari. Alij volunt, versam esse in Solem, quem ex hac creatum dicunt. Ita D. Bonauent. & alij.

18 Assero primò, illam lucem non fuisse formam per se subsistentem à materia abstractam. Pro confutatione primæ sententiæ prælibanda est quædam sententia D. Augustin. 2. *suprà Gen. ad litt. cap. 1.* vbi ait: *Hinc quemadmodum Deus instituerit naturam rerum secundum scripturas eius, conuenit quærere; non autem quid ipse in eis, vel ex eis ad miraculum suæ Omnipotentiæ velit operari.* Hanc doctrinam notat S. Bonauent. *distinct. 14. part. 1. quæst. 1. arg. 5. opposito*, quam repetunt Perer. Suar. Val. vt nos dicemus. Neque hoc esset leue miraculum; vt putat Arriaga *num. 16.*

Probatur primò ex D. Bonauent. *distinct. 13. art. 2. quæst. 1.* Lux non potest naturaliter subsistere per se; sed eget subiecto; nisi miraculum interponatur: at verò non sunt absque necessitate miracula in creatione ponenda: ergo. Hac ratione nititur Valentia *loco cit.* Suarez *num. 5.*

19 Assero secundò lucem illam non fuisse formam Lucis in Sole.

Probatur à D. Bonauent. *distinct. 12. dub. 1. litt. & distinct. 13. quæst. 1. ad 5. & distinct. 14. part. 2. dub. 3. litt.* & aliis locis; quia firmamentum Cœlorum factum est secundâ die; at luminaria, quartâ die; sed de hoc infrà, *quæst. 6.*

Respondet Suar. à *num. 16.* firmamentum, & Solem creata initio, cùm dicitur; *In principio creauit, &c.* Arguo ex D. Bonauent. *distinct. 12. quæst. vlt fund. 1.* quia Deus ante omnem diem creauit Cœlum; vt dicitur *Gent. 1. In principio, &c.* at verò lucem creauit primâ die; vt patet ibi: ergo si simul cum Cœlo creauit solem, sol fuit antè omnem diem: ergo cùm ab initio habuerit lucem sequitur fuisse lucem ante omnem diem: ergo illa lux, primâ die creata, non fuit solis. Quòd verò lux creata sit post creationem Cœli, probatur se-

20 cundò; quia priùs dicitur: *Tenebræ erant super faciem abyssi* (nempè post creationem Cœlorum, atque Solis, secundùm Suarez.) Subdit verò; *Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixit verò Deus fiat lux:* ergo prius tempore fuit lux illa prima, quàm Sol; alioquin non fuissent tenebræ, existente Sole. Hæc colligo ex D. Bonauent. *distinct. 13. quæst. 1. in fund.* præcipuè, 1. & 2.

Respondent alij, tenebras illas fuisse tantùm priùs natura; & ideò potuit Sol in eodem instanti temporis, quo creatus est illuminare.

21 At verò, quamvis in via D. August. id dici valeat; vt ait D. Bonau. *distinct. 12. quæst. penult. in corpore*, tamen, quia communiter expositores distinguunt sex dies; vt diximus, *tract. 5. d. 1. quæst. 4.* non est solida responsio: quia tempus aliquod intercessit inter creationem Cœli, & lucis; & ideò tempus aliquod præcessit, in quo non erat lux, vt docet etiam D. Th. *q. 74. art. 3.* post multos Patres, quos indicat etiam D. Bonau. *loc. cit.* & hic. Illi verò Patres volunt, creationem Solis fuisse quartâ die; ideò facile est intelligere, illuminationem Solis fuisse tempore posteriorem tenebris.

Suarez verò, *num. 22.* & alij, qui docent, Solem initio creationis productum cum Cœlis; cùm dicitur: *In principio, &c.* Aliter conantur soluere rationem D. Bonauenturæ. 22

Primò ergo dicit, tenebras potuisse præcedere: quia Deus noluit concurrere primò cum Sole creato ad illuminandum, donec dixit; *Fiat lux*, quam causam sufficientissimam, & probabilem vocat, *numero 22.*

Enim verò ipse, *num. 5.* se ipsum confutat; ait enim, se sæpè, ex D. August. dixisse, non esse credenda miracula in ipsa rerum conditione; cùm res conderet Deus connaturali modo; at verò quis non videt, fuisse magnum miraculum solâ suâ voluntate impedire Solem; ne luceret: sic magnum acclamantur, inter miracula, tenebræ meridianæ Ægypti, tempore Moysis; & totius mundi in morte Christi. Vnde Suarez impingit: ideò, vt vitet miraculum, dicit, non esse creaturæ debitum concursum ad agendum pro eo instanti, quo fit; & ideò sine miraculo suspendit Deus concursum Soli.

Qvapropter, si hæc ita se haberent; neque debitus fuisset concursus in sequentibus, & aliis instantibus: nam in primo instanti habuit esse, virtutem, atque aptitudinem. Vnde; vt ait D. August. si Sol esset æternus, etiam splendor esset naturaliter æternus, vt refert D. Bonau. *in 2. dist. 1. art. 1. qu. 2. in corpore.* Igitur tunc suspendisse concursum, fuit contra naturam. 23

Respondet secundò Suarez ideò præcessisse tenebras, quia non potuit eas Sol pellere: quia aquæ erant profundæ, & densæ: ideò in profundum non penetrabat lux.

At verò non video, quomodo postea verè dicatur factâ esse lucem, quæ diem faciebat: nam etiam nunc Sol diem facit; etsi profunda Marium non illuminet, tunc autem tota illa die permansit abyssus aquarum circumdans terram. Quomodo dicitur ergo, prima die facta est Lux? 24

Respondet, Deum confortasse Solem maiori concursu, vt illuminaret profundum aquarum, vsq; ad terram: At verò hæc gratis videntur excogitari ad effugium: nam, cum virtus solis sit naturalis agens necessario; quomodo naturaliter fuit vigorata post creationem in creatura tali absque miraculo.

Respondet tertiò, illas tenebras, quæ initio præcesserunt; fuisse in nostro Hemisphærio; quia sol creatus est in alio; tunc autem, surgente sole, dixit Deus; *Fiat lux*: super nostrum Horizontem, Moyses enim habuit rationem illius Hemisphœrij, in quo erat. 25

At verò gratis excogitatur Sol factus in alio Hemiphœrio, eò magis, quòd in isto decreuerat præcipua opera patrare, vt ipse notat Suarez, *num. 26.* ideò, *cap. 3. num. 12.* ne admittat lucem creatam in Oriente, dicit, primam diem incepisse in mane, respectu huius Hemisphœrij, in quo & conditus Paradisus.

Paradisus est, & primus Homo creatus. Vnde sibi repugnat: nam, *cap. 2. num.* 21. ait, illam rationem de creatione hominis nihil referre; quia conditus est solùm sexta die. Deinde quod, quæso, opus Dei erit, *Fiat lux?* naturaliter enim Sol ascendisset super Horizontem, si in Cœlo mouebatur, vt ipse Suarez asserit, & tamen lux ab omnibus Patribus acclamatur opus præcipuum Dei, vt suprà vidimus *quæstione* 1. Ideò sancta mater Ecclesia, ad hunc primum diem alludens, inuocat Deum.

Lucis Creator optime, &c.

Cvm ergo lux aliqua ea die creata sit; friuolum est inducere, fuisse solum ascensum naturalem Solis supra Horizontem. Tunc enim solùm hoc fecisset Deus, vt nascente Sole dixerit, *Fiat lux*; quod ridiculum est: cùm enim dico, ascende cum lucerna, non intelligo dicere: fac lucernam, vt notat Arriaga, *disp.* 31. *sect.* 2. Quomodo tunc tantùm diuisit lucem à tenebris, si iam in Hemisphæriis erant diuisæ?

Ita arguit S. Bonauent. *dist.* 13. *quæst.* 2. *in corpore.* Tandem, cùm Moyses loquatur secundùm nostrum Hemisphœrium, in quo erat; vt dicit Suarez, *num.* 26. ergo, cùm prius ponat tenebras; deinde lucem, sequitur lucem creatam in nostro Hemisphærio; vt faceret diem distinctum à nocte; vt arguit Seraphicus Doctor, *loc. cit.*

17 Sed redeamus ad secundam opinionem confutandam: nam, si lux fuit forma condita in Sole, iam existente; sequitur, Solem caruisse aliquando formâ suâ substantiali; & tamen fuisse Solem. Probatur sequela: quia lux est forma substantialis; vt infrà ostendam *quæst.* 5. Vel si est accidens, emanat è forma.

Assero tertiò illam lucem primam nòn fuisse illuminationem, tantùm passiuam rerum creatarum, à Deo manantem solo, absque interuentu causæ secundæ.

Probatvr quia Lux primo die facta est aliquid, faciens diem, ac noctem suo gyro, vel contractione radiorum; vt notat D. Bonauent. *dist.* 13. *quæst.* 2. & quidem ab aliquo corpore lucido; si autem à solo Deo fieret, iam extra naturalem modum fierent dies illi, neque essent naturales.

28 Assero vltimò, (nam quarta, & quinta opinio suprà refutatæ sunt) lucem illam fuisse corpus luminosum naturæ cœlestis, quod postea in Solem formatum est.

Probatvr à Seraphico Doctore, 1. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 6. Id, quod mouetur localiter, est corpus, sed illa lux mouebatur localiter ad distinguendum diem, ac noctem; vt docet Beda adductus à D. Bonau. *dist.* 13. *quæst.* 1. *fund.* 2. & alij Sancti Patres Latini, adducti à D. Bonau. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corpore*: ergo erat corpus lucidum; sed non erat Sol, qui creatus est quartâ die: ergo erat aliud corpus lucidum, quod ait D. Bonau. vocari nubeculam lucidam.

29 Probatvr secundò à D. Bonauentura *d.* 13. *dub.* 2. *litt.* Opus primæ diei fuit productio alicuius Lucis, & opus perfectissimum fuit illâ die productum, & D. Damasc. *suprà adducto*, & D. Aug. 1. *de Gen. cap.* 8. & probatur ab eo: quia dicit: *Vidit Deus Lucem, quod esset bona*; & ideò placuit voluntati Dei, vt pro modo sui generis maneret. quod placuit, vt fieret; neque fuit Sol, etiam secundùm Suar. qui vult illum fuisse creatum ante diem in principio cum Cœlo: neque illa lux fuit corrupta: ergo fuit aliquid permanens, & consequenter, vel fuit in Sole posita, vel ex ea productus Sol: nam alibi ignoratur, vbi potuerit esse; at non est posita iuxta Solem, cùm nihil tale experimento inueniatur: ergo ex ea factus est Sol.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *d.* 13. *dub.* 3. *litt.* & *serm.* 3. *Hexaëmer.* ante medium ex verbis Genes. *Dixit Deus: fiat Lux*; at dicere, est operari, & facere: ergo tunc fecit substantialiter Lucem; sed non fuit Sol, vt suprà ostendi, nec fuit sola illuminatio, vt suprà vidimus, nec fuit lux abstracta: ergo aliud corpus luminosum.

Obiicies primò cum Suar. *num.* 6. & Valen. *col. quæst.* 943. inanem esse illam lucem; cùm ex ea non potuerit fieri Sol, cùm sit ingenerabilis, & incorruptibilis; nec illa iacêre iuxta Solem, ob multa inconuenientia; nec destructa est: hæc enim iniuriam diuino operi afferret. 30

Respondet Seraphicus Doctor, ex ea genitum Solem: neque putare debent, fuisse illam nubeculam ex aere, & aquâ rarefactâ; vt sunt nubes meteoræ, tunc enim non adhuc erant vapores à Sole attracti, cùm adhuc non esset Sol: sed erat corpus, quod lucidum quidem erat, non tamen eâ claritate, quâ Sol præfulget, vt notat D. Bonau. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *ad* 5. atque adeò non fuit superfluum posteà creare Solem. Ideò cautè eam vocari à Magist. & PP. nubeculam, notat S. Doct. *distinct.* 13. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 6. Neque verò dedecet corpora cœlestia à Deo transmutari: vt dicam *disp. hac, quæst.* 9.

Obiicies secundò cùm Val. D. Dion. *cap.* 4. *de diui. nomin.* loquens de luce Solis ait: Ipsa est enim ea lux (etsi tunc erat informis, quod & Moyses ait) quæ prima distinxit, & definiuit dierum nostrorum Trinitatem: ergo illa Lux fuit à Sole.

Respondet primò ex Sancto Bonauentura, *hic, & articulo* 2. *quæstione* 2. *fund.* 3. *& in corpore*, ibi loqui D. Dionisium de naturâ lucis in genere: attamen sumere Solis lucem pro mensura & pro primo vniuocante. 31

Respondeo secundò ex Sancto Bonauentura, *hic*, illam primam lucem Diei Solis, quia fuit, ex qua posteà factus est Sol: ideò vocat eam informem: quia non erat adhuc perfecta.

Respondet Valentia, dici informem: quia tunc Sol carebat motu proprio ab Occidente in Orientem, per eclipticam, quo facit dies inæquales, & tempora anni diuersa.

At quis non videt, quàm impropriè carentia motus dicatur informitas Solis? nam informis aliquis dicitur; dum caret propriâ formâ intrinsecâ, aut saltem vltimâ perfectione, seu qualitate formæ. Hanc autem Aduersarij in Sole præextitisse aiunt. 32

QVÆSTIO III.

Quomodo Lvx *prima, ut cœlestis faceret diem & noctem.*

D. B. dist. 13. q. 2.
D. Th. quæst. 67. art. 4. ad 3.

Prima opinio est D. Basilij, *hom.* 2. *in Hexaëm.* Damasc. *lib.* 2. *de fide*, & aliorum Patrum Græcorum, quos refert D. Bonau. lucem illam fecisse diem,

diem, expansione radiorum, noctem verò, contrahendo radios ad nutum Dei: eo ferè modo, quo *Exodi* 10. refertur Sol fecisse noctem meridianam, contrahendo radios à terris, vbi habitabant Ægyptij, & radios expandendo per terram Gessen, quam Iudæi incolebant. Et sicut in passione Domini factæ sunt tenebræ super vniuersam terram, cùm Luna non sufficiat ad Eclipsim solarem vniuersalem faciendam.

34 Celada *de Benedict. Patriarch. prima, num.* 22. asserit, lucem illam primæuam elementum esse ignis, vndique apparens, dicitque illum ignem siue lucidum vndequaque non potuisse facere vespere, & mane, siue nullibi lucêre potuisse aliquam diem. Hæc tamen dicta à Moyse, *per prolepsim*, idest anticipationem, vt tres illi dies dicantur: quia tantum insumptum est moræ, quantum tribus diebus transiret, sicuti dicitur: *Germinet terra herbam virentem, & protulit terra*; & tamen, *cap.* 2. *num.* 4. dicitur: *Antequam germinaret*, scilicet tertia die mundi. Huic tamen sententiæ non inhæret, sed concedit, ignem elementarem gyro fecisse diem. Sequitur Arriaga *disputatione* 31. *sect.* 3. adducens Tannerum *disp.* 3. Molinam *disp.* 7.

Secvnda sententia, quam refert S. Bonauent. est Patrum Latinorum, inter quos est D. August. *lib.* 1. *supra Genes. cap.* 11. & 16. Beda *in Hexaëm.* D. Thom. eamque sequitur D. Bonau. lucem illam confecisse periodos trium dierum, ac noctium, motu regulari, ab Oriente ad Occidentem.

35 Assero primò, Lucem illam non confecisse dies, & noctes, expandendo, & contrahendo radios.

Probatvr à D. Bonauentura, *in fund.* 1. Quæcunque ad inuicem separantur actu, debent esse actu, sed lux, & tenebræ ad ortum lucis separatæ sunt, & lux *dies* vocata est, & tenebræ *nox*: ergo erant actu in alterutro Hemisphœrio, si autem lux fecisset diem, & noctem, emittendo, & contrahendo radios, non fuisset lux in vno Hemisphœrio, & tenebræ in altero: ergo non fuissent à Deo separatæ. Idem argumentum habetur *in corpore.*

Probatvr secundò à Diuo Bonauentura, lux illa faciebat vespere, & mane *Genes.* 1. si autem solà emissione radiorum fieret dies, & solà contractione fieret nox, nunquam esset mane, & vesperè; sed semper, vel meridies, vel nox obscura.

Probatvr tertiò a Seraphico Doctore, irrationalia omnia ad vnum ita sunt determinata, vt in oppositum per se non ferantur; sed lux illa erat irrationalis: ergo.

Probatvr quartò. Causa naturalis est determinata ad vnum, necessariò proportionatum suæ naturæ; sed lux est causa naturalis, necessaria, determinata ad illuminationem: ergo non poterat contrahere radios, suspendere suam actionem, obscurando: ergo oportebat, hæc fieri miraculo: at verò inducere miracula, sine graui causâ, in creatione non debemus; vt dixi, *quæst.* 2. *assertione* 1. ex Sancto Aug. ergo. Hoc argumento vtitur etiam D. Thom. *loco citato*, & Valent. *disp.* 5. *q.* 3. *p.* 1. *col.* 946.

36 Obiicies primò ad motum vniformem requiritur vniformitas spatij: sed hæc tunc deërat; cùm non fieret in Cœlo: ergo.

Respondet D. Bonau. quod sicuti non est ea lux comparanda Solis claritati: ita neque motus eius regularitati: mouebatur sanè illa lux, per materiam tenuem, lucido corpori cedentem.

Obiicies secundò materia illa erat ex omni parte vniformis: motus autem est propter aliquam diuersitatem, vel in mobili, vel in spatio: ergo ibi non mouebatur.

Respondet D. Bonau. estò materia illa esset vndequaque vniformis, non poterat vndique tamen illuminare, sicuti nec Sol stans: illuminat ergo successiuè.

Obiicies tertiò. Si materia illa erat vniformis: ergo vndique æqualiter illuminabatur: ergo semper erat dies æquè clarus: ergo non erat vespere, & mane.

Respondet S. Doctor, quòd, estò vniformis esset illa materia, tamen illuminatio illa fiebat successiuè ab vno, in alterum Hemisphœrium, & oriens mane faciebat clarum modice, in meridie magis, &c.

Obiicies vltimò, si per suum motum faciebat diem, & noctem: cùm lux priùs fuerit producta, quàm mota, fuit producta ante omnem diem: ergo non erat opus primi diei. Si dicas, quòd simul fuit, & cœpit moueri, & illuminare: quæro, vbi cœpit moueri primò? aut enim ex Oriente, aut ex Occidente, aut ex meridie, aut aliis ex partibus innumeris, intermediis; si ex Oriente: ergo prius fuit mane, quàm vespera; sed hoc est contra Scripturam: Genes. 1. *Et factum est vespere, & mane dies vnus.* Si ex Occidente: ergo Lux cœpit in occasu, quod est absurdum: si aliqua alia ex parte meridiei: ergo illa dies non fuit 24. horarum, quod est contra expositores, & contra naturam diei. 37

Hæc difficultas petit quæstionem, vbi facta sit illa lux, & quâ mora post creationem Empyrei; ex huius verò solutione, soluitur & altera: vtramque autem soluit S. Doct. *ad vltimum.*

Igitvr aliqui dixêre, creationem Cœli, de quo dicitur: *In principio*, &c. fuisse ante creationem lucis, ordine tantum naturæ, at simul tempore. Hanc opinionem D. B. adscribit Hugoni de Sancto Victore, *de Sacram.* hanc verò problematicè, cum oppositâ, defendi à S. Doct. ait Suarez, *lib.* 2. *c.* 3. *num.* 1. & 3. 38

Fvndamentvm esse potest; quia Ecclesia in hymno Dominicæ canit, *Primo die, quo Trinitas beata mundum condidit, surgamus, &c.* & in vesperis canit. 39

Lucis Creator optime, &c.

Quasi eodem die, ac simul creauerit Deus mundum, nempè Cœlum Empyreum completum, & cætera in materia prima; vt dixi, & ideò formauerit Lucem. Suarez *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. obstat: quia oporteret accedere ad sententiam D. Aug. quam S. Doct. non audet confutare; vt dixi, *tract.* 5. *disp.* 1. *quæst.* 4. atque adeò non concedere, tenebras fuisse ante creationem lucis, aliquâ morâ, quod ipse ait esse falsum: cùm tenebræ fuerint realiter ante lucem; cum *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, & posteà facta est Lux. Pro hac successione allegat D. Thom. *part.* 1. *quæst.* 66. *art.* 7. & *in* 2. *distinctione* 13. *quæst.* 1. *art.* 4. vbi dicit, illam esse magis consentaneam Scripturæ, eamque tribuit Basilio, & Chrysost. esseque ait Suarez, omnium Græcorum, & Ambros. *libro* 1. *Hexaemer. cap.* 8. Hieron. *epist.* 83. Hugo de Sancto Victore, *lib.* 1. *de Sacram. p.* 1. *cap.* 6. & 9. carpitque D. Bonau. quòd non adducat locum Hugonis pro opposita sententia.

Enim verò argumentum à Suarez oppositum vidit D. Bonau. *distinct.* 12. *quæst.* 1. *fundam.* 1 & 40

& d.4. art. 3. quæst. 1. attamen ob reuerentiam D. Aug. non reprobat oppositum; licet vbique præcipuè *locis adductis*, & d. 12. art. 1. & 2. & d. 13. quæst. 1. oppositam sententiam, vt communem SS. Patrum magis sequi profiteatur. Ad id, quod addit Suarez de Hugone, dico: adduci verba Hugonis, *eodem libro de Sacram*. Legito Hugonem, vbi ait, quod non fuerit mora interiecta inter creationem, & distinctionis inchoationem, quæ incipit in lucis formatione.

41 Est igitur secunda sententia, quæ est etiam Bedæ, & aliorum expositorum *Genes.* ad hunc locum, lucem factam primâ die, post sex horarum spatium. Qamuis enim illam moram tunc Sol motu suo non mensurauerit: quia motus Solis nondum erat, attamen tanta fuit, ac si sex horæ euolassent. Fundamentum est; quia prima illa dies incepit à vespere; *Factum est vespere, & mane dies vnus*: ergo lux illius diei cœpit in Hemisphœrio à meridie: ergo per sex tantùm horas durauit: nam verisimile est, motum inductum illius lucis fuisse æquinoctialem, vt refert D. Bonau. *loc. cit.*

Arriaga *disp. 31. num. 20.* cum Tennero ait, computatam fuisse diem à media nocte, qui modus computandi diem erat ferè communis. Vnde hora sexta matutina, iuxta æquinoctium, lux illa producta est in Oriente ipso, respectu Palestinæ.

Hic, *num. 5.* Suarez addit, malè adduci Bedam à D.Bonau. sed malè ipse carpit S. Doct. ait enim Beda *in Hexaëmer.* Lucem incepisse in superioribus eiusdem terræ partibus, quas & nunc diurna Solis luxe illustrare consueuit. Superiores autem partes sunt meridiei.

Respondet Suarez *loco citato*, Bedam per superiores terræ partes, intelligere nostrum totum Hemisphœrium, non autem solam altiorem partem: nam subdit; Diuisit lucem à tenebris; non solùm qualitate, sed etiam locorum distantia: lucem, videlicet, in superiori orbis parte diffundendo, in qua humana erat conuersatio futura; inferiora verò priscis in tenebris remanere sinendo; & in-
42 frà dicit: illum diem fuisse expletum 24. horis. Hinc infert Suarez, Bedam oppositum sentire. Sed non aduertit Suarez modum diuersum loquendi Bedæ: nam, cùm enarrat locum, vbi creata est lux, ait, incepisse in superioribus eiusdem terræ partibus, quod sanè respectu nostri loquitur Hemisphœrij, in quo altior pars est meridiana; at verò de diuisione lucis à tenebris, ait, illam fuisse lucem rutilantem super orbis superiorem partem; idest, diuiso orbe in Hemisphœria, fuisse lucem in nostro Hemisphœrio.

43 Tertia sententia est, duodecim horas posteriorem fuisse lucem: Sic Molina *d.7. & 8.*

Qvarta est ignorari, quanto tempore post Cœlum creata sit. Suar. *loco citato*, citat Hugonem de Sancto Victore, *cap. 6. & 9. suprà adductis*, & *capite 29.* Magistr *d. 13.* Perer. *lib. 1. cap. 1. Gen.* Quòd præcesserit aliquâ duratione, patet ex dictis; vbi post creationem Cæli; erant tenebræ, & Spiritus Domini ferebatur super aquas, quæ tempus requirunt. Quòd verò incertum sit tempus, ostendunt; quia nullibi aliquid certum habetur. Hæc sententia est magis ad mentem S. Bonauent. *distinctione 12. quæstione penultima*, quam quidem sententiam, supposito quod lux esset corpus lucidum, Suarez *num. 7.* probabilem censet, licèt alias non refutet, ob reuerentiam erga Patres; quod repetit sæpè, *disp. 12. & 13.* etiam Sanctus Bonauentura.

Qvòd verò neque opinionem Bedæ ipse resolutè sequatur; sed tantùm comparatiuè cum opposita, probabilem admittat, patet: nam fundamentum eius euertit, quòd Lux creata sit in meridie.

Resoluamus ergo, vbi creata sit lux illa prima.

Primo, aliqui dixere creatam in meridie. 44

Probatvr primò à Diuo Bonauentura, quia illa lux faciebat primò vespere; deinde mane: ergo fuit creata non in Oriente, vbi primò fecisset mane, sed in meridie; vnde gyrans ad occasum faceret primo vesperam: deinde re vera faceret mane.

Probatvr secundò quia ex Deut. 32. *Dei perfecta sunt opera*: ergo diem, & lucem fecit in tota plenitudine claritatis. Hæc est opinio Bedæ, vt dixi: adscribitur etiam D. Aug. 4. *de Genes. ad lit.* Chrysost. *hom. 2. & 3. in Genes.* Hanc verò sententiam non omninò refellit Seraphic. Doct. Suar. verò, & Valent. eam sustinere nequeunt.

Secvnda opinio est, Lucem illam creatam in Oriente: Ita Hugo de Sancto Victore, *lib. 1. de Sacram. part. 1. cap. 6. 9. & 29.* vt refert D. Bonau. *loco citato*, & Beda id sentit *in Hexaëmer.* Perer. *in Genes.* Torniel. *in annal. sacris, tom. 1. in expositione prim: diei, num. 5. & 6.* Suar. *num. 12.* (sed credit, fuisse Solem.) Subscribunt Arriaga, & Tanner. 45

Remanet soluendum: cur ergo priùs dicatur factum vespere, quàm mane. 46

Respondet primò Sanct. Bonau. ex Magistro quod mane dicit quandam obscuritatem; quia habet aliquam connexionem cùm nocte: vnde mane, in crepusculis subobscura est lux; at verò creata est in plenitudine claritatis: neque vlla præcesserat nox: ergo lux dicitur incepisse a plena claritate, ac si esset meridies: ergo non dicitur priùs fecisse mane; quia non præcesserat nox; sed priùs vespere, quod est finis diei, & postmodum mane, quod est finis noctis: quia Deus priùs fecit diem, quàm noctem.

Hæc tamen responsio non subsistit: quia etiam alij dies sequentes sic enarrantur. *Factum est, vespere, & mane dies secundus, tertius, quartus, &c:* & tamen præcesserat nox præcedentis diei: Ergo. D. Bonau. iam *distinct. 13. dub. 1. litt.* eruditè responderat, distinguens ita dies; alius est enim dies naturalis, qui est ab ortu Solis, in ortum ad idem punctum: alius est dies artificialis, qui est à mane ad sero, & est pars vnius diei naturalis. Igitur describit factum diem naturalem, in quo & artificialem claudit, quem recenset, denominans à termino *ad quem*, iuxta regulas motus Peripateticas *Factum est vespere*, en prior pars diei naturalis, quæ artificialem includit ad vesperam terminatum. *Et mane*, en altera pars, terminans per noctem ad mane, & ita dies integer naturalis 24. horarum. Idem & de sequentibus diebus intellige. Eadem responsione soluent difficultatem D. Basil. *hom. 2. in Hexaëmer.* Chrysost. *homil. 3. & 5. in Genes.* Ambros. *lib. 1. Hexaëmer. cap. 10.* D. Thom. *quæstione 74. art. 3.* Tost. *hîc* Lyran. Burgen. *hîc*; Valentia *dist. 5. quæstione 3. punct. 1. col. 946.* Suar. *lib. 2. cap. 3. n. 12.* Paulò aliter Arriaga; vt dixi.

Addit autem Burgensis, Hebræos, per vesperam, intelligere noctem, quæ incipit à vespere, & terminatur in mane sequenti: & per mane, intelligere diem artificialem, qui incipit ab ipso mane, & terminatur in vespere sequenti: & sic dicunt, quòd dies naturalis incipit ab initio primæ noctis, & ter- 47

minatur in principio noctis sequentis. Hoc verò probatur: quia tenebræ illæ primæ, quæ *nox* vocantur, præcesserunt lucem, in ordine temporis, quod etiam nos suprà admisimus. Ex quo videtur, quod nox naturalis debet præcedere diem in computatione dierum. Hoc etiam confirmat: quia dies solemnitatis primæ institutus est à vespere ad vesperam; *Exod.* 12. Hoc autem, licèt verum sit in computatione Festorum Hebraicorum; attamen dies naturalis incipit à mane vsque ad mane; de quo Magister reddit rationem mysticam: eò quòd homo à luce, per peccatum corruit in tenebras ignorantiæ, & peccatorum: rursus verò ad lucem vocatus est à Christo, qui est Sol iustitiæ. Hæc ex eo D. Bonau. *loco citato* desumpsit.

48 Addit verò Seraphicus Doctor, aliquos versus, in quibus diuersitatem narrandi dies, ponit. Nam Scriptores, maximè Græci, computant diem à mane in mane. Hebræi à vespere in vesperam. Astronomi à meridie in meridiem: quia Sol est in maiori virtute. Ecclesia à media nocte in mediam noctem. Tunc enim natus est Christus.

Mane diem Græca gens incipit; astra sequentes
In medio lucis; Iudæi vespere sancta.
Inchoat Ecclesia medio sub tempore noctis.

QVÆSTIO IV.

An Lvx præcisè sit Corpus.

D. Bonau. d. 13. art. 2. quæst. 1.
D. Th. q. 67. art. 2.

Aliqvi lucem præcisè esse corpus asseuerant, decepti quibusdam verbis D. August. non ritè intellectis. Attamen *text. Genes.* cùm dixit, *Fiat lux*, intelligit corpus aliquod luminosum.

49 Assero tamen, lucem præcisam non esse corpus. Ita Sancti Doctores, & communiter, ex Valent. *d. 5. quæst. 3. p. 1. col.* 943. contra Proclum. *capite 3. in Timæum Platonis.*

Probatvr à D. Bonau. primò ex D. Damasc. *lib. 1. de fide, cap. 9. & lib. 2. cap. 6. & 7.*

Probatvr secundò à D. Bonauent. Id, quod est maximè principium agendi, est forma, ex Arist. 2. *de Generat. text. 53. & 2. de Anima, text.* 24. sed lux est maximum principium agendi: ergo non est corpus, sed forma.

Probatvr tertiò à Diuo Bonauentura, ex Diuo Augustino, *lib. 22. super Genes. ad litt. cap.* 16. Lux est id, quod est subtilissimum in corpore, &, ob hoc, animæ vicinissimum, quod autem est vicinissimum nobilissimæ formæ, participat maximè esse formæ: ergo, &c.

Probatvr quartò. Nulli corpori opponitur aliquid priuatiuè, vt corpus est: At ita luci opponitur tenebra: ergo.

Probatvr quintò *in corpore*. Nullum corpus caret extensione, & consequenter nec caret materia; vt dixi, *Tractatu 5. disputatione 1. q. 7.* sed lux, ex communi consensu, est forma: ergo non est corpus.

Si tamen consideretur Lux in concreto: sicut sumitur, 1. *Gen.* est corpus; & hoc modo D. August. *libro 2. de libero arbitr. cap. 5. text. 1. & 7. super Genes. cap. 19. text. 3. & Epist. 3. ad Volus.* accinit, lucem esse corpus, vt notat D. Bonauentura. Rationes verò D. Th. pro nostra sententia, supponunt, lucem esse accidens, illud egrediens è corpore.

QVÆSTIO V.

An Lvx sit forma substantialis.

D. Bonau. d. 13. art. 2. quæst. 2.
D. Thom. q. 67. art. 3.

Qvi lucem credunt esse accidens sensibile, oculo expositum, renuunt *hîc* de luce agere; at qui credunt eam formam substantialem, agunt *hîc*: vbi de naturâ lucis, primò creatæ, disseritur.

Prima opinio est, lucem esse accidentalem formam: ita D. Thom. *hîc*, & Thomistæ omnes, ac Ægid. 2. *de Anima*, Scotus *in 2. distinct. 13. quæstione vnica, art.* 2. Faber. *Theor.* 66. & cæteri discipuli, Valentia *d. 5. quæst. 3. punct. 1.* Suar. *l. 2. cap.* 2. Conimbr. 2. *Cœli, cap. 7. quæst.* 2. Tol. *de Anima, quæst.* 18. Perer. *in Genes. lib. 1. cap. 1.* dicens, meritò Bonauenturam refelli; & reliqui Societatis Iesv. Eustachius *part. 3. Phys. tract. 3. d. 1. sect. 2. quæst. 5.* Petrus à S. Ioseph. Fuliens. *l. 3. Phys. cap. 5. art. 2.* 50

Opposita sententia est D. Bonauent. *hîc* cum Theodoreto, *quæstione 7. in Gen.* Lucem esse formam substantialem. Sequitur P. Galitius *p. 2. Phil. libro 2. tractatu 2. quæstione 3.* fuit Empodoclis, Lucretij, Simplicij, quos è modernis sequitur Sebastianus Bassonus 2. *de Cœlo, intentione* 2.

Assero cum hac sententia, lucem esse formam substantialem. 51

Probatvr primò à D. Bonau. Id, quod est primum in generatione, naturâ, & tempore, est substantia, ex Aristotele 2. *Metaph. text.* 4. sed lux formalis est prima inter creaturas; est enim primâ dic creata: ergo est substantia.

Probatvr secundò à D. Bonau. Ea forma, quæ inter corporeas est nobilissima, debet esse substantia, (ideò enim substantia ab Arist. initio *metaph.* dicitur ens; at accidentia, entis entia) sed lux est nobilissima inter formas corporeas: ergo. Minor est D. Aug. *lib. 3. de libero arbitrio, cap. 5. à medio, lib. 2. c. 5. & 7. de Gen. ad litt. c. 19. text. 3. & epist. 3. ad Volus. c.* 2. D. Dionys. *c. 4. de Diu. nomin. post initium.*

Respondet D. Th. *ad primum, art. 2. q.* 67. & Valent. *loc. cit.* August. sumere lucem pro corpore lucido, & idem velle Theodoretum.

Hoc sanè, etiam D. Bonau. *quæst. præced.* vt vidimus, concedit; at non ideò eneruatur argumentum: nam cùm D. August. D. Dionys. & alij Patres dicunt, in corporibus lucem primum locum obtinere, volunt, ea corpora nobilitatem à luce recipere: alioquin valde improprium esset, luci, inter corpora, adscribere primatum. Omnis enim perfectio, & nobilitas est à forma, & eò perfectiora sunt corpora, quò perfectiorem habent formam. Tunc sic arguit Diuus Bonauentura. Id, quod dat summam nobilitatem corporibus, est in eis nobilissimum, atque substantialis forma; sed lux dat esse 52

esse nobilissimum corporibus: ergo est nobilissima forma.

Vrget verò D. Bonauent. ex D. Dionys. *loco cit.* vbi loquitur de luce abstracta, dicens, lucem inter omnia corporalia, maximè assimilari luci æternæ, præsertim in virtute, & efficacia; hoc verò non conuenit corporibus, ratione totius concreti materialis; sed ratione formæ substantialis, quæ est lux.

54 Qvoad D. August. verò certum est, eum sentire, lucem esse id in corporibus, quod est nobilissima forma: ait enim 7. *de Gen. ad litt.* cap. 19. *Per lucem, & aërem, quæ in ipso quoque mundo præcellentiora sunt corpora, magisque habent faciendi præstantiam, quàm patiendi corpulentiam, sicut humor, & terra, tanquam per ea, quæ spiritui similiora sunt, corpus administrat.* Vbi formas substantiales enumerat, singulariter actiuas spiritui similes, nempè lucem, & aërem: ergo supponit, lucem esse formam substantialem. Et *lib.* 12. *cap.* 15. ait. *Quæ cùm ita sint, pertinet corporis sensus ad visa corporalia, qui per quinque, quasi riuulos distanter valentes distribuitur; cum illud, quod est subtilissimum in corpore, & ob hoc, animæ vicinius, quàm cætera, id est lux, quæ per oculos sola diffunditur, emicatque in radiis oculorum, ad visibilia contuenda, &c.* Vbi lucem abstractè, nobilissimam formam nominat, & in corpore obtinere principatum, animæque nobilissimæ assimilari, maximè ob subtilitatem, & efficaciam ad videnda obiecta: addit verò incorporatam effundere claritatem per obiecta, sine aërem, &c. vt sint obiecta sensus: ex quo patebit responsio ad argument. D. Thom. Suar. Valentiæ, Scoti, & aliorum; qui sic vrgent. Quod est sensibile, est accidens, non substantia: lux est per se sensibilis: ergo. Maior est Aristotelis, 3. *de Anima, capite* 36. vbi substantiam dicit esse obiectum intellectuale. Minor est D. August. *loco citato* vbi ait, Lucem mixtam in aëre cum corpulento humore, sensus afficere.

55 Respondet verò D. Bonauent. *ad* 2. hoc non esse ratione suæ essentiæ; sed ratione fulgoris emicantis: clariùs autem, *libro* 3. *de liber. arbitr. cap.* 5. ait: *Quia igitur omnis Anima omni corpore est melior, omnisque peccatrix anima, quo ceciderit, nulla commutatione corpus efficitur, nec omninò illi aufertur quod anima est, & ideò nullo pacto amittit, quòd corpore est melior, in corporibus autem lux tenet primum locum; consequens etiam est; vt primo corpori anima extrema præponatur.* Hinc ergo sic arguo, ex D. Thom. Id, quo vniuntur inferiora cum superioribus, inter inferiora est supremum: quia, secundùm regulam D. Thom. supremum inferioris vnitur cum infimo superioris; sed lux, ex D. Augustino est, quâ inferiora, idest corpora, vniuntur cum anima: ergo est nobilissimum inter res corporeas, seu etiam maxima perfectio corporum: ergo est substantia. Hoc est argumentum D. August. *loco citato.* Idem dic de Theodoreto.

56 Probatvr tertiò à Diuo Bonauentura. Nullum accidens est causa substantiæ per se, ex Scoto, *in* 4. *distinctione* 14. *quæstione* 3. & Fauent. *Theor.* 34. sed lux corporum cœlestium est causa educendi animam vegetabilem, sensibilem, & formas inanimes substantiales, vt sunt mineralia, &c. ergo est substantia.

Respondet Scotus *in* 1. *dist.* 37. *q. vnic.* Solem producere substantias, quidem suâ formâ substantiali; addit tamen, *in* 2. *d.* 13. *q.* 1. luminaria non agere per lucem, quæ non est forma substantialis Solis, &c. Sed mox hoc refellam, ex Patribus.

Secvndò contra arguit S. Bonauent. *in corpore*: quod Scriptura commendat lucem inter formas substantiales, dum dicit, creatam esse: *Fiat lux*; & Ecclesia, dum inuocat Deum, Creatorem lucis, in hymno vesperarum Dominicæ. 57

Lucis Creator optime, &c.

Et die quartâ creans Solem, Lunam, & Stellas, vocat luminaria; vt notat, *d.* 14. *p.* 2. *dub.* 3. & passim *in quæst. illius partis distinct.* Tunc sic: creatio est tantùm ad substantias naturales, non ad accidentia naturalia, (licet supernaturalia creentur) sed lux est creata, & planetæ dictæ sunt luminaria: ergo.

Respondet Scotus, denominari à forma notiori, quæ est lux, licet sit accidens.

Contra: quia ait: *Fiat lux*, in abstracto: ergo id deductum est ad esse, quod imperatur; sed hoc est substantia: ergo.

Confirmatvr ex Sanctis Patribus, Dionys. *c.* 4. *de diu. nom.* Basil. *hom.* 1. *Hexaëmer.* Chrysost. *homil. in Gen.* Ambros. *lib.* 1. *Hexaëmer. cap.* 9. & aliis Patribus exponentibus, lucem, verè corpoream, terminasse creationem primæ diei. Inter substantiam autem numerant lucem: ergo substantialis est lux: nam, sicuti reliqua substantialia nominauit, & nominari iussit animalia ab Adam: ita de luce est asserendum. Ideò D. Nazian. ait, orat. 43. *Hic, vt maioris miraculi specimen ederet, formam priorem protulit: forma enim Solis lumen est.* Hunc locum explicans etiam Nicetas infert, ex D. Nazian. formam lucis fuisse substantialem: quia est forma Solis, qui est substantia nobilis: & D. Ambros. *c.* 9. *lib.* 1. *Hexaëm.* ait: *Proprio itaque sermone naturam lucis expressit*; & D. Basil. *hom.* 7. *Hexaëm.* ait: *Prima Dei vox lucis naturam creauit.* Tunc sic: Differentia constitutiua naturarum substantialium est substantialis; sed lux est differentia constitutiua naturarum cœlestium substantialium: ergo est substantialis. Minor patet *ex* 1. *ad Corinth.* 15. vbi ait: *Sicut stella differt à stella in claritate, &c.* & ex SS. PP. Maior est luce ipsâ clarior. 58

Probatvr quartò à D. Bon. Id, quod per se est actiuum, est substantia, ex Arist. 2. *de anima, text.* 24. & 2. *Phys. c.* 7. Idem enim est principium essendi, & operandi, principium autem essendi est substantia; vt notat D. Bon. 1. *d.* 3. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 3. *in arg.* Tunc sic: sed lux est per se principium perfectissimum operationum: ergo. Minor est D. Dionys. *loco citato* Diui Augustini, & aliorum Patrum. 59

Respondet Scotus, quod alterans, in fine alterationis generat. Sic igitur Sol, post alterationem factam ministerio Lucis, ipse generat.

Contra tamen: primò quia supponit opinionem falsam, substantiam agere in distans, quod refutatum est *Tractatu* 4. *disputatione* 11. *quæstione* 6. *de Angelis* Deinde supponit, Lucem non esse propriam formam substantialem, quod suprà refutatum est, *argum.* 3.

Divvs Thomas *ad tertium* ait, quòd, sicut calor agit ad formam ignis, quasi instrumentaliter in virtute formæ substantialis; ita lumen agit quasi instrumentum in virtute corporum cœlestium ad producendas formas substantiales.

Contra: quia lux dicitur à Sanctis Patrib. optima, inter formas actiuas: ergo non agit virtute causæ

cauſæ alterius principalis: nam cauſa principalis eſt prior inſtrumentali.

60 PROBATVR quintò à D.Bonau. Id quod facit gradus, & diſtinctiones ſpecificas inter ſubſtantias debet eſſe ſubſtantia. Talis eſt lux: Ergo. Maior eſt clara. Minor probatur: quia corpora mundi, ſecundùm quod plures gradus lucis participant, ſunt etiam nobiliora ſubſtantialiter, vt patet, reſpiciendo corpora mundi: nam Empyreum nobiliſſimum eſt: & maximè lucidum; terra opaciſſima: media verò ordinatè lucidiora vel obſcuriora, ſecundùm maiorem, vel minorem nobilitatem.

61 ARGVMENTA aduerſariorum facilè ruunt, *diſtinctione* D. Bonauent. lucem aliquando ſumi pro fulgore illo, radiante à luce, & dicitur lumen, vel ſplendor, aut radius; prout diuerſimodè effulget. Hæc tria oſtendam *Tract. 9. de Anima, de obiecto viſus, diſput. 5. cap. 2. quæſt. 3.* eſſe ſenſibilia, & accidentia.

ENIM verò lux eſt propriè forma illa corporis Luminaris, à qua lumen manat, & hæc eſt ſubſtantialis forma, dans eſſe vltimum corpori luminoſo; ſi enim lux in corporibus eſt nobiliſſima entitas; vt omnes Patres allegati clamant; oportet etiam, eſſe vltimam realitatem perfectionis ſubſtantialis in corporibus luminarium, &c.

62 OBIICIES primò. Nihil eſt de conſtitutione accidentis, niſi accidens; ſed Lux eſt de conſtitutione coloris, qui eſt accidens: ergo. Minor probatur: quia color eſt lux incorporata.

RESPONDET Seraphicus Doctor, Lucem eſſe de conſtitutione accidentis, non formaliter: quia ſimplex eſt; ſed effectiuè; lumen verò formaliter.

OBIICIES ſecundò. Omne, quod eſt per ſe ſenſibile, eſt accidens; Lux eſt per ſe ſenſibilis: ergo accidens.

RESPONDET D. Bonau. Lucem non eſſe ſenſibilem per ſe; ſed ratione fulgoris eradiantis: & hoc vult Diuus Auguſtinus, & alij; vt ſuprà dixi.

63 OBIICIES tertiò. Quod vni eſt accidens, nulli eſt ſubſtantia; Lux alicui eſt accidens: ergo. Minor probatur primò: quia abeſt ab aëre, noctu, abſque eius corruptione. Secundò augetur, & minuitur in corporibus luminoſis; vt habetur Iſaiæ 30. *Erit lux Lunæ, & lux Solis ſeptempliciter.*

RESPONDET D. Bonau. illas mutationes, & augmenta euenire aëri, &c. reſpectu fulgoris, non autem formæ lucis ſubſtantialis, quòd ſi etiam reſpectu lucis fieret augmentum, adhuc ratio non vrgeret: quia, licèt forma ſubſtantialis ſecundùm ſe, non ſuſcipiat magis, & minùs: habet tamen intendi, atque remitti, ſecundùm eſſe ipſius in materia: & hoc maximè verum eſt in formis generalibus, in quibus magis conſiſtit communitas analogiæ, ſecundùm magis & minus; prius, & poſterius, quàm vniuocationis. Hinc ruit baſis Amici, *Tractat. 6. quæſt. 5.*

OBIICIES quartò. Non magis intrinſeca eſt igni lux, quàm calor, ſed calor eſt accidens ignis: ergo etiam lux.

RESPONDEO, negando paritatem: nam forma lucis eſt nobilior, quod patet: quia recedit à forma contrarietatis, corruptionis, & alterationis, magis quàm ignis.

OBIICIES quintò. Si lux in igne eſt forma ſubſtantialis, aut eſt forma vltima, & completiua, aut non. Si eſt forma vltima completa: ergo non differt ignis à Cœleſtibus aſtris; nec luminaria cœleſtia differunt inter ſe ſpecificè cùm ſpecifica conuenientia ſumatur ab vltima forma; ſi non eſt forma vltima: ergo eſt imperfectior; quam forma ignis vltima; cùm forma vltima ſit perfectiſſima omnium: ergo non eſt in igne forma perfectiſſima; ſi verò in Cœlo eſt forma vltima: ergo nobilior eſt ignis, quàm Sol: quia forma vltima, atque nobiliſſima Solis, quæ eſt Lux; in igne eſt imperfectior formâ vltimâ ignis.

RESPONDET Seraphicus Doctor, concedendo, Lucem non eſſe formam vltimam Solis, & ignis, qui ſpecie diuerſi ſunt: atque adeò habere debent formam vltimam diuerſam: non tamen inferri, naturam elementarem ignis eſſe nobiliorem formâ Solis; aut formam vltimam ignis eſſe nobiliorem formâ lucis, licet ſit vlterior; forma enim Lucis non ponitur in eodem corpore cum aliâ formâ; ſicut diſpoſitio imperfecta, quæ nata ſit perfici per aliam formam vltimam; ſed ponitur, vt forma generalis conſeruatiua aliarum formarum, & dans agendi efficaciam, & ſecundùm quam attenditur cuiuſlibet formæ corporalis menſura in dignitate, & excellentia: & quod obiicitur, formam vltimam nobiliorem eſſe eâ, quæ non eſt vltima. 64

RESPONDETVR, verum eſſe de illâ formâ, quæ completur, & perficitur per vltimam; non autem quando additur vltima, ſolùm ad diuerſitatem naturæ faciendam: ſic *verbi gratiâ*, natura ſenſibilis ſpecificatur in Leone, & Boue, per vltimas eorum formas diuerſas: neque tamen formæ illæ vltimæ ſunt nobiliores forma ſenſibili: alioquin ſenſibilitas Leonis eſſet nobilior ſenſibilitate hominis.

RESPONDET ſecundò, formas vltimas, & non vltimas ita ſe habere, vt vltima ſit nobilior, quando vtrobique ſunt in ſuo potiſſimo eſſe; at Lux, quamuis in igne ſit forma non vltima, & imperfectior, nil mirum; quia ibi non eſt ſecundùm eſſe perfectiſſimum, quod in ſumma ſeu perfectiſſima Lucis ſpecie reperitur, cuius variæ ſunt ſpecies; vt ait Faber *Theor. 99.* adducens Scotum, & idem fatentur alij; vt dicam *quæſtione decima ſexta.* Et ſingulæ ſpecies Lucis in Schola aduerſariorum, qui eam credunt accidens, ſuſcipiunt magis, & minus; at in noſtra ſuſcipere poſſunt maius pro materiæ capacitate: vt notat Sanctus Bonauentura *ad 3.* ex Ariſtotele 8. *Metaphyſicorum, text.* 10. ſaltem ad operandum. 65

ITA cùm variæ, ſicut numeri, ſint lucis ſpecies, & in corporibus cœleſtibus perfectiores diſtributæ, remanent & luminaria illa, ſpecie diſtincta, eſto formæ Lucis forent in ſingulis vltimæ: & forma Lucis igne data ex infimis non erigitur ſuper orbes, ſed lambit reuoluens ſe infra eos, pro ſtatu.

HAC verò diuerſitate poſitâ, ad ima deluit aggregata ab aduerſariis obiectionum congeries, quâ validiſſimum expugnationi ſibi aggerem ſtruere moliebantur.

PORRÒ formarum Lucis varietates oſtendam *q. 12. & 25.* Hâc varietate ſuppoſitâ fatetur ingenuè Poncius *de anima, diſp. 3. quæſt. 1.* eneruari obiecta.

OBIICIES ſextò. Id, quod eſt immediatum principium actionis, eſt qualitas, per quam ſubſtantia agat: nam ignis, vt ait Ariſtoteles, non agit, in quantùm ignis; ſed, vt calidus; at

lux

lux est immediatum principium actionis: ergo est qualitas.

66 RESPONDET S. D. negando maiorem: nam forma substantialis, per se est actiua, maximè lux, quæ est maximè actiua, quæ per lumen, & fulgorem emanantem, etiam operatur; vt per instrumentum. Hæc sunt argumenta, quæ ex D. Bonauentura eruta, obiicinnt aduersarij, nec alia proprio marte habent. Hic non agam de lumine: quia de eo agam *Tractatu 9. de Anima; vbi de obiecto visus, disp. 5. cap. 2. quæst. 3.*

QVÆSTIO VI.

An COELI *mobiles sint Firmamentum, secundâ die creatum.*

{ D. Bonau. d. 14. q1. part. 1. & 2.
D. T. quæst. 68. art. 1.

SECVNDÆ diei opus enarratur à Moyse. *Dixitque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum, & factum est ita, & vocauit firmamentum, Cœlum; & factum est vespere, & mane dies secundus.*

67 IAM verò diuersitatem in definiendo, quid sit illud firmamentum, illâ secundâ die factum, inuenio magnam: & hoc inquirendum est hâc quæstione: in sequenti verò Cœlorum naturas suspiciemus.

OMISSA sententia Gasparis Sanctij, qui per firmamentum intelligit terram, quæ diuidit aquas maritimas à pluuialibus; hoc enim est contra textum clarè: nam firmamentum vocatur Cœlum, vt notat Celada *de Benedict. Patriarcharum, Benedictione 1. art. 1.*

PRIMA opinio est, firmamentum illud esse aërem, firmiter diuidentem aquas contentas vaporaliter in nubibus, ab aquis inferioribus, quæ defluunt super terram. Hanc refert, & vt subtilem laudat D. August. *libro 2. de Gen. ad litt. c. 4.* eam amplectitur Ruper. *libro de operibus Trinitatis, cap. 22.* Eugub. *in Cosmop.* Perer. *lib. 1. in Genes.* eamque probabilem putat Durand. *in 2. distinctione 14. quæstione 1. num. 13. & seq.* D. Th. *quæstione 68. art. 1. & 7.* Valent. *d. 5. quæst. 3. punct. 1. col. 948.* Granad. *tract. 2. disp. 1.* Arriaga, *disput. 32. sect. 1. & seq.* Caiet. *in Gen.*. Lorin. ad id Psal. 18. *Opera manuum eius annutiat firmamentum*, Arrias. Mont. & Chaldeus relatus à Genebrardo, Pineda in id Iob. 37. *Tu forsitan fabricatus es cum eo Cœlos?* Torniel. *in annal.* Suar. *lib. 2. de vniuer. cap. 5. num. 7.* Fauet. & D. Hieron. *epistol. ad Oceanum*; vbi ait: *Inter Cœlum, & terram medium constituitur firmamentum*; & subdit: *Iuxta Hebraici sermonis ethymologiam, ex aquis sortitur vocabulum (scilicet) Cœlum* שמים hanc opinionem refert D. Bonauentura, *hic*; adducunt verò textum Genesis, qui habet רקיע RACHIA, id est *expansionem*, vbi nos legimus FIRMAMENTVM.

68 SECVNDA sententia est, firmamentum, secundâ die creatum, fuisse octo sphœras stellatas. Ita Sanctus Basilius *homil. 2. Hexaëmer.* Ambr. *lib. 2.* Ruper. *libro 1. in Genes. cap. 23.* Damasc. *2. de fide, cap. 6.* vbi etiam Clictouæus, Beda *in Hexaëm.* Hugo de Sancto Victore, *libro 1. de Sacram. part. 1. capite 17. vsque ad 23.* D. Bonauent. *hic, dist. 14. quæstione 1.* Dionys. & alij, post Magistrum, Abul. Caiet. *lib. 12.* Cather. *in Gen.* Ægid. *2. p. Hexaëmer. cap. 14.* nec displicet D. Thomæ, Chrysost. verò, *hom. 4. in Genes.* videtur per firmamentum intelligere solam octauam sphœram, vt Suarez allegat; sed ille per Cœlos stellatos etiam planetarios intelligit. Id sentit & Lippomanus *in catena*, & alij, qui obseruant, illud vocari RACHIA, quod est à radice RACKA firmare, & LXX. legunt GERIOMA, solidum, & firmum vt notat Amicus, *Tract. 5. q. 5. art. 3.* Idem sentit Molina, *disp. 10.* Tann. *disp. 6.* qui plures allegat; Bonfer. Cornel. & Oleast. Mersen. verò dicit, esse solam octauam sphœram. In hac sententia, omnes Cœli mobiles includuntur communiter nomine *firmamenti*. Hi omnes etiam asserere debent, hac die factum esse substantialiter firmamentum: quia factum est, ad diuidendas aquas ab aquis. Neque satisfaciet Lyran. dicendo, additam esse qualitatem, ad influendum, hoc enim nil facit, ad diuidendas aquas. Neque sufficit dicere, additam firmamento soliditatem, & duritiem; hæc enim qualitas est, quæ resultare debuit quam primùm è substantia firmamenti. Hanc sententiam Amicus suprà supponit è PP. certam.

ASSERO primò, firmamentum, hac die creatum, 79
non esse aerem.

PROBATVR à D. Bonauent. *d. 14. quæst. 1. fund. 1.* illud est firmamentum, in quo quarta die posita sunt luminaria; sed luminaria non sunt posita in aëre: ergo Maior est de fide, Gen. 1. *Fecit Deus luminaria, & posuit ea in firmamento*; neque aliàs firmamenti fit mentio. Minor est clara.

RESPONDET Suar. *lib. 2. cap. 9. n. 11.* nomine *firmamenti* intelligi totam expansionem corporum diaphanorum, ab octaua sphœra, vsque ad terram. Vnde ex Hebraicâ lectione habetur, posuit stellas in extensione Cœlorum. Itaque stellæ positæ dicuntur in firmamenti parte superiori. Hanc responsionem recipiunt alij; vt videre est in Lippom. Caiet. Perer. ad hunc locum; Valen. *d. 5. q. 3. p. 2. col. 949. & p. 4.* vbi *col. 958.* addit; sic accommodare Moysen historiam sensui rudium. Ideò dixisse, posita esse in firmamento; quatenus iudicio sensuum videntur esse in suprema parte eius spatij, quod patet oculis, & vocatur *Firmamentum*. Allegat D. Th. sed D. Angelicus non asserit hoc, sed tantùm refert *l. c.* à Valent. *1. q. 68. art. 1. ad 3.* Hanc tamen responsionem improbat D. Bon. *q. 1. in corpore*, primò ex Basil. *loc. cit.* Secundò ex text. Scripturæ: nam firmamentum hoc factum est, vt diuidat aquas ab aquis. Iam verò, si per firmamentum intelligitur aer, vel intelligitur triplex regio aëris, vel aliqua ex his, nullum horum subsistit: ergo. Minor patet: quia nec totus aër, nec pars mediat inter aquas, vt ostendam.

RESPONDENT Ruper. D. Thom. atque Perer. *locis adductis*; Arriaga *disputatione 32.* nec longè abest Suarez, *libro 2. capite 5. numero 10.* Valent. *loc. cit. col. 910.* esse secundam regionem aëris sumitur ex D. Ambros. *lib. 2. Hexaëmer. cap. 4.* Basil. *homil. 1.* qui ait, Ad aërem condensatum significandum vti Scripturam nomine FIRMAMENTI. Id probabile putat D. August. *lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 4.* & alij.

Contra est tamen aperta Philosophia: nã secunda 78
regio

regio est ea, in qua sunt aquæ, quas indiuisas asserunt aduersarij, qui aquas cœlestes, vel Cœlum christallinum non admittunt. Quomodo ergo diuidunt aquas, quæ sunt super firmamentum, ab illis quæ sunt sub firmamento? esto aliquando nomine *firmamenti* exprimatur aër addensatus; non tamen quilibet eiusdem generis id signat?

RESPONDET Suar. secundam regionem, simul cum prima, diuidere aquas ab aquis: quia infima intersecat; media verò suis dispositionibus suspensas retinet aquas: atque adeò etiam pars illa aëris concurrit ad detinendas diuisas aquas, ab aquis: quamobrem potuit illa regio nominari firmamentum. Hæc tamen locutio impropria est admodum: quia, si firmamentum est locus aquarum, etiam iste est pars aëris, in qua condensantur nubes: & dicitur firmamentum, propter spissitudinem aëris in parte illa; vt notat D. Thom. *loc. citato*, Ruper. Perer. & Suar. *num.* 9. ergo infima regio, quæ rarissima est ex calefactione Solis, & ex natura sua, excludenda est ita secunda regio, quæ est firmamentum, ob spissitudinem, non intermediat inter aquas, & aquas, vt loquitur Scriptura; maximè secundùm antiquissimas versiones. Ita Resp. Eugub. *in Cosmop.* & Rabbini relati à Tostato, ac Glossa ordinaria, & Eucherius explicat; nec improbat, per firmamentum intelligi infimam aëris regionem, quæ diuidit aquas inferiores marium, à superioribus nubium. Hanc verò expositionem libentiùs amplexatur Suar. *loco citato.*

71 AT verò inanis omninò est; primò quidem, quodnam, obsecro, est corpus eloquio firmitatis indignius, quo decoratur firmamentum, (secundum nostram editionem canonicam, cui stare oportet) quàm infimæ regionis aër? nam firmamentum significat corpus, aliqua soliditate dotatum, vt vox Græca, qua vsi sunt LXX. signat στερέωμα Non dico, soliditatem, veluti ære firmam, admittendo; vt dicitur Iob. 37. de qua infra *quæst.* 9. dicam.

DEINDE quartâ die posita sunt luminaria in firmamento, non in aëre, vt arguit D. Bonauent. & Deus vocauit firmamentum COELVM.

PROPTER hoc argumentum D. Bonauenturæ, Ascanius ait, erroneam illam sententiam esse, quæ, nomine *firmamenti*, aërem accipit.

RESPONDET Arriaga, cùm scriptura vocet firmamentum Cœlum, debet ergo ea die fuisse factum firmamentum, quod dicitur COELVM.

72 EGO par pari reddens dico; Si firmamentum, quod vocatur Cœlum, creatum est secundâ die: ergo Cœlum non est creatum anteà; vt dicitur: *In principio creauit Deus, &c.* Sanè prima die Cœlos conditos hinc multi deducunt, & secundâ die illos stabilimentum super cardines, & axes ad motum, accepisse. Id obseruat Amicus, *num.* 11. & Tanner. *disp.* 3. *dub.* 2.

RESPONDET Suar. *num.* 12. rursus recurrendo ad vocem Hebræam, quæ expansionem, simul cum firmamento, exprimit: vnde multi expansionem interpretantur; vt accinit Psalmista. *Extendens sicut pellem.* De quo Cœlo *in eodem cap. Gen.* dicitur: *Posuit Deus aues sub firmamento Cœli*, at certè non posuit aues in corpore duro, sed raro, idest, aëre: ergo non potest negari, quin aër sub *firmamenti* nomine comprehendatur.

73 DEINDE admittit, firmamentum dictum à firmitate; attamen aëri conuenire dicit, ex aliqua proprietate, quæ corpori, etiam tenui, potest conuenire, licèt non habeat duritiem, vel incorruptibilitatem; quin potiùs omne corpus Physicum, vt distinguitur à mathematico, firmamentum dici potest, ex Orig. *homil.* 1. *in Genes.* & allegat D. Basilium, *homil.* 3. Adducit etiam Rupertum, *loco cit.* vbi ait: *Firmamentum est aër extensus: quia, licèt solidum corpus non sit, Scriptura illud firmamentum vocat: eò quòd diuidat aquas ab aquis.* Allegat etiam D. Aug. 1. *de Gener. ad litt. capite* 10. vbi ait, vocari firmamentum, aut propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum, & inferiorum aquarum; quod etiam ex Chrys. sost. & Ambros. Euch. Beda, & aliis refert Ascanius, *loco citato*, Valent. Vel potest dici firmamentum, ex firmitate situs; vt ait Eugubinus, *in primo Genes.*

ENIM verò pluribus scatent hæ responsiones ægritudinibus apud multos. Primò quidem, estò vox RACHIA significet etiam expansionem, & firmamentum, tamen canonica editio vertit firmamentum, vel si vtrumque in firmamento includitur, quia expanditur in gyrum; vt dicitur in illo psalmo, non debemus aliquam realem firmitatem excludere. 74

QVI verò firmamentum dicunt, præcipuè infimam aëris regionem, imò tenentur eam solam dicere, solamque hâc die creatam, dum sola aquas ab aquis diuidere asseritur: hoc enim est firmamentum hâc die conditum, vt diuidat aquas ab aquis. Quare, duæ aëris superiores oræ, non diuidentes aquas pluuiales nubium à marinis, non sunt firmamentum. Quod enim diuerso sensu secunda regio diuidat aquas nubium eas longè à mari sustentando; friuolum est, & violentum; imò & ipsæ impressa sibi à Sole leuitate, erunt sibi firmamentum. Adde, firmamentum poni medium inter aquas, & aquas. Ita LXX. legunt. *Et sic discernens inter aquam, & aquam.* Et Chaldæus, *Et diuidat inter aquam, & aquam.* Et hoc dicitur: *In medio aquarum, fiat firmamentum in medio aquarum.* Sic omnes versiones legunt. Quare maiori violentia Scripturam trahunt, quàm nubes. Sed sacræ litteræ acriori antiperistasi constipatæ resistunt.

QVOD addit Suarez, Volucres positos sub firmamento, ac proinde in aëre: ergo aër est firmamentum; contra eum est; quod ostendo: firmamentum per te est totum spatium à Cœlo ad aquas marium, & præcipuè infima aëris regio: At volucres positi sunt sub firmamento: Ergo non in aëre, sed sub eo in aquis. Sanè dicuntur Volucres Cœli, quia sub Cœlo à nobis eleuati peruolant. Quid obstat nobis, Volucres sub firmamento degere? 75

PORRÒ quid volubilius infima aëris ora, vt firmamenti antonomasticum mereatur elogium? Quæ illi dos firmitatis?

SI enim ita vocatur, eò quòd est corpus physicum, vt contradistinguitur à mathematico, constante puris dimensionibus; eodem nomine omnia corpora, sic appellari licebit firmamentum. Neque D. Basil. stat pro Suarez, sed contra eum, & pro nobis. Ait enim, *Externi homines id firmum corpus dicunt, quod, quasi solidum, est densum, ac plenum; vt à mathematico corpore distinguant: est autem mathematicum corpus, quod solis dimensionibus consistit; firmum autem, quod cum dimensionibus resistere, & renui potest. Scriptura autem sacra, quod perrobustum est; neque cedit, id omne firmamentum dicere consueuit. Atque adeò, vt in aëre addensato hâc ipsâ voce vti plerumque videatur.* Itaque sufficit illa firmitas, quâ *quæst.* 9. asseremus firmatos Cœlos. Iam verè aër nostræ regionis est rarissimus. Ratio verò

Ruperti

Ruperti, quòd vocetur firmamentum, quia diuidit aquas ab aquis, nulla est: nam prius fuit firmamentum; deinde diuisit aquas ab aquis; & ideò præuia fuit firmitas corporis diuidentis: non autem à diuisione sola dicitur firmamentum. Sicut & à Græcis dicitur APLANEIS, idest non errans.

76 Quòd verò dicatur firmamentum, propter intransgressibilem terminum superiorum, & inferiorum, vt ait D. August. pro nobis est; significat enim, tale esse illud corpus, vt sua firmitate terminos intransgressibiles ponat; & idem volunt alij Patres, allegati ab Ascanio, qui noluut aerem esse firmamentum.

INSTAT Valent. *col.* 549. Aërem etiam vocari Cœlum; sic Matth. 16. *Faciem Cœli dijudicare nostis.* Psalm. 148. nominantur *volucres Cœli*, & *Zachariæ* 8. *& Lucæ* 8. Cœli dicuntur dare rorem suum.

RESPONDEO, nil contra nos. *Faciem enim Cœli diiudicare*, est discernere inter nebulosum, & serenum Cœlum; dicitur enim *facies Cœli*, superficies connexa Cœli, quæ dijudicatur, dum præuidetur; an operienda nubibus, num verò aperta sit, & clara remansura. Volucres verò Cœli dicuntur; quia Cœlum sursum tendunt; & Cœli dare rorem suum: nempè influere ad fœcunditatem rore, &c. nam ros, pluuiæ, &c. à Sole, & Cœlis fiunt.

77 Sic igitur Valentia declarat, Deum secundâ die fecisse aërem purum, seu spatium à terra ad nubes, quod dicitur firmamentum, diuidens inter aquas maris, & vapores, qui fortè tunc erant actu.

78 AT verò quomodo nubes erant, cùm adhuc non esset Sol attrahens? Lux enim debilis erat, & totus aër nebulosus. Eodem modo & cap. 2. dicitur: *Nondum pluerat Deus super terram*; quod saltem ostendit, non esse vapores à Diuina virtute miraculosè eleuatos, vt respondet Suarez, *num.* 19. qui nolens, miracula multiplicat. Ad quid enim Deum eleuare vapores secunda die velociter; cùm pluuiam nollet emittere?

RESPONDENT alij, à quibus non longè abit Pererius, aërem factum secundâ die, cùm primâ die totum spatium esset nebulosâ quâdam materiâ repletum: ex hac verò factum esse aërem; imò & ignem secunda die. Sed contra est Scriptura, quæ dicit; *Fiat firmamentum in medio aquarum*: Vnde ipsi inferunt: ergo iam erant aquæ diuidendæ; non autem nebulosa tantùm materia; vt notat D. Bonauentura *loco citato*, & Suarez, *numero* 16. *cap.* 5.

PRÆTEREA arguit Suarez, *loco citato*, argumento D. Bon. *distinct.* 12. *quæst.* 3. *fund.* 4. *&* 5. Si aër factus est, ex mixto illo medio, inter aërem, & aquam: ergo elementa fiunt, ex mixto; sed hoc est falsum: nam elementa sunt priùs mixto, vt ait Aristoteles 1. *de Gener. text.* 90. miscibilia enim præcedunt mixtum; est enim mixtio miscibilium alteratorum vnio; simpliciaque sunt priora compositis.

79 ASSERO secundò Firmamentum, hâc die secundâ creatum, esse Cœlos mobiles; patet ex dictis auctoritate Sanctorum Patrum, & ratione: nam in firmamento collocati sunt planetæ, & stellæ fixæ.

OBIICIVNT primò Suar. *cap.* 5. *num.* 7. Perer. Valent. & alij *locis adductis*; super Cœlos non sunt aquæ veræ: ergo Cœli non sunt firmamentum, diuidens aquas ab aquis.

RESPONDETVR; si patientiam habuerint, hoc probandum, *quæst.* 8.

OBIICIVNT secundò, Cœlos omnes conditos fuisse ante primam diem.

RESPONDETVR, oppositum ostensum esse, *tract.* 5. *disp.* 1. *quæst.* 2.

OBIICIT tertiò Suar. Genesis ait: *In principio creauit Deus Cœlum*; at nomine Cœli; nisi sensus extorqueatur, intelligitur Cœlum mobile, non empyreum, tunc ignotum. Vrget Arriaga: quia vox indefinita sumitur vniuersaliter: ergo omnes Cœli primâ die sunt facti. Confirmatur. Ecclesia enim in symbolo vocat Deum Creatorem Cœli, & terræ, intelligens omnes Cœlos, vt patet. 80

RESPONDETVR, verè Cœlum significare aliquando etiam Cœlos mobiles; attamen *hic* obstat Scriptura; vt ostendi.

QVÆSTIO VII.

An COELI *è substantia Elementari constent.*

D. Bonau. in 2. d. 14. p. . q. 2.
D. Thom. in 2. d. 14. q. 1. art. 2.

IAM *tract.* 5. *d.* 1. *q.* 7. *&* 8. ostendi Cœlos omnes ex materiâ, & formâ constare, & quidem materiam eiusdem esse rationis cum sublunari. Ideò, nunc quærendum de formâ: an sit eiusdem rationis, cum sublunaribus.

FVIT opinio prima, Cœlos ex igne esse conflatos. Ita Heraclitus, & Pythagoras Ægyptiorum sectatores, vt refert Albert. mag. *Tract.* 1. *de Cœlis, capite* 4. aiebant enim hi, globum igneum, cùm celsiorem mundi partem occupasset, nec iam altius euehi posset, se se in gyrum composuisse, ad eum modum, quo flamma, concameratæ fornacis summitatem attingens, in conuexum deflectitur. Hæc fuit opinio Anaxagoræ, qui Cœlum vocabat Ætherem; vt refert Aristoteles, 1. *Meteor. sum.* 1. *cap.* 3. vbi nomen concedit, non rem. Idem refricat 1. *Cœli, text.* 22. & Plutarchus *lib.* 2. *de placitis, cap.* 13. vbi ait: *Thales glebulenta quidem, sed ignita sydera putat: Empedocles ignea, ex igne constantia, quem Æther in se conceptum in prima elisit elementorum discriminatione. Anaxagoras circumdatum Ætherem, igneum quidem suaptè essentiâ esse, sua autem impetu vertiginis saxa à terra raptantem, suo seipsum igne, in stellas succendisse. Diogenes pumicosa sydera, mundique spiracula putat. Idemque rursus innisibiles lapides sæpenumero è Cœlo deciduos in terra restingui, perhibet, haud secus, atque olim in Ægos flumen, saxeam stellâ igni simillimâ dilapsam esse narratur. Plato maxima ex parte igneas, participantes verò aliorum quoque elementorum ad glutinis instar. Xenophanes ex nubibus ignitis concretas, extinctas autem interdiu; noctu carbonum more recandescere, exortusq; & occasus Solis earum esse accensum restinctionémque stellas credidit.* Rursùs *l.* 2. *c.* 20. ait, referens de Sole sententias, *Anaxagoras, Democritus, Metrodorus globum ferri candentem, aut saxum ignitum. Quia verò ex Aristotele* 2. Cœli 41. *ponentes astra ignea, ponunt corpus sursum esse ignem, vnumquodque enim constat ex iis, in quibus est; liquet & Anaxagoram, & plurimos ex antiquis Philosophis censuisse, cœlum esse ignem.* Diogenes Laertius *lib.* 2. testatur de Anaxagora *Dicebat Solem candens ferrum esse, ac* 81

ac penitus ignitum Subditque Anaxagoram ob id, tanquam Religionis reum, morte damnatum, Quòd Deos immortales læsisset. Cum Anaxagora Cremoninus *fol.* 107. ait Solem esse carbonem accensum. Porro Cœlos esse elementares censuit Philosophorum acies ante Aristotelem, vt ait Poncius *disp.* 22. *quæst.* 2.

82 Hæc visa est sententia SS. Patrum, Basil. *hom.* 3. *Hexaëm.* Ambr. *lib.* 2. *Hexaëm. cap.* 3. Theodoreti *quæst.* 9. *in Genes.* August. 2. *Genes. ad litt. cap.* 3. Nyccen. *in Hexaemr.* Anselm. *lib.* 1. *de Imag. mundi, cap.* 2. & Alcuini *q.* 23. *Genes.* Thomas Gianninius *de Cœli naturâ*, in hoc spernit authoritatis dicens, his non bene probari scientias. At D. Bonauent. sapientiùs obseruat, Sanctos Patres non asserere, Cœlos esse ignem elementarem, sed substantiam lucidam, vt est ignis, atque adeò non esse Aristoteli contrarios, tametsi Platonis sequaces, quem ad Aristotelem trahit Simplicius 2. *Cœli, com.* 3. Videtur sanè in Thimæo, Vniuersum è 4. elementis ponere, & partem supremam ex igne, vt referunt Piccolom. *de Cœlo, cap.* 88. Gianninius, *cap.* 10.

83 Video quidem è quatuor elementis mundum à Platone constitui, atque inter nos ponere formas ordinarias elementares; sed in Cœlis virtutes, atque esto & naturas; sed excellentissimi ordinis superioris? Et natura illa (ait) excellentissima ignis præbet cælo sensibile lumen & viuificum calórem; Sic & natura terræ soliditatem, seu stabilitatem tribuit, & stellis densitatem, quâ videri queant, sicut & Lunæ, quâ repellat radios solares. Natura aëris præstat perspicuam qualitatem, quam nominant translucentem. Natura aquæ affert delicatissimam, & æquabilissimam lenitatem. Eo igitur modo Plato ignem ponit in Cœlis, quo & terram, & aquam, & aërem, nempe eminenter, non formaliter; vt eruditè disserit Marsil. Ficinus *in Thimæum, cap.* 24. qui in sensu Platonico ignem vocari ait Cœlum, quo etiam sensu dicitur *Terra viuentia, & Aqua omnes, quæ super Cœlos sunt.* Iuxta hunc modum acutè vidit D. Bonauent. asseri, Cœlos ex igne à SS. Patribus Constitui, qui Platonici magis, quam Aristotelici fuerunt. Idipsum fatetur Procl. *in Tim.* dicens, Cœlum in sententia Platonis non esse igneum; sed ex deliciis elementorum.

84 Eam verò sententiam in sensu Anaxagoræ sustinet Recens Theologus eruditus P. Matthæus Ferchius Veglensis *in suo Libro*, in quo, tametsi nec veritatem, nec sententiam Seraphici, cui fuit semper deuotus, sectetur; ingenij tamen eximios diffundit radios; Et quia vidit, in rerum creatarum statu exponendo, validam esse SS. Patrum authoritatem, & hos Platonicos ex parte nouerat, conatus est Platonem ad se trahere. Et affert discursum discursum Platonis *in Thimæo*, vbi mundum è quatuor elementis conditum ait, & primò conditum Ignem & terram; mox inter media facta fuisse aquam, & aërem. Attamen concludit, ita compositum mundum, vt aut cuiusquam istorum partem, aut saltem vim haberet, nempè portio mundi sublunaris, formas, & animantia, cæteraque mixta partes elementorum haberent; cælestia verò virtualiter, seu vim continerent, nullaque orbis portio esset, quæ aut partem, aut virtualiter, seu vt exponit Proclus, flores elementorum, eorum scilicet delicias, & veluti quintam essentiam non contineret.

Tales esse testatur hoc secundo modo Cœlos. Sic exponunt Platonem etiam D. August. 8 *de ciuit. cap.* 11. Macrob. *lib.* 1. *in somn. Scip.* Philop. *ad* 6. & 16. *Procli.* Id etiam voluit Alcinous *lib. de Platonis doctrinâ, cap.* 10. dum Cœlum pulchrum animal, ex Platonis sensu, vocat, in quo virtute sunt elementa, ex aliquorum sententia. Hoc Plato intendit dicens: *Est & quinta quædam compositio, quâ Deus ad vniuersi constitutionem est vsus, atque descripsit, ac figurauit.* Vbi quintam substantiam compositam è materia, & forma in vniuerso concedit, & hoc est Cœlum: malè autem extorquetur sensus à Ferichio *cap.* 19. Piccolom. *lib. de Cœlo, cap* 88. Giannino, *cap.* 10. exponentibus, asseri quintam figuram tantum, & hanc toti vniuerso attribui.

Primo enim substantiam, non figuram vocat; eam tamen figuratam antonomasticè figurâ perfectissimâ, quæ est sphœra exquisita, recenset. Deinde descriptis 4. elementis subdit. *Est & quinta, &c.* quod denotat aliquid distinctum; non autem totum enarratum orbem elementorum.

Secunda sententia est, Cœlos ex aqua conflatos. Hanc refert Beda *in Hexaëmer.* ex D. Clem. *lib.* 1. *Recogn.* fuisse D. Petri sententiam. Eam secuti videntur Theodoret. *quæst.* 11. & 14. *in Genes.* Anast. *Syn. l.* 2. *Hexaëmer.* Cyrillus, Hieros. *cathe.* 3. & 9. Basil. *homil.* 3. *de opif. mundi.* Chrysost. *in Genes.* & alij apud Martinengum in Glossa magna. Sed hi asserunt solùm de nona sphœra; vt dicam *quæst.* 8. 85

Tertia sententia fuit Thaletis, & Anaximenis, Cœlos esse terreos, eos tamen non cadere ob rapiditatem motus. Hanc opinionem Anaxagoræ adscribunt Simplic. 2. *Cœli, com.* 3. & Cremoninus *fol.* 153. (mirum!) contra Aristotelis expositionem.

A Peripateticis iam acclamatur in Cœlis quinta substantia, ab elementari diuersa, post Aristotelem, *lib.* 1. *de Cœlo. & mundo, à text.* 8. *vsque ad* 20. & 1. *Cœli, à text.* 16. *vsque* 32. quem refert, & sequitur S. Doct. *hic*, cum Angelico suo collega, & omnibus Peripateticis, vt refert Collegium 1. *Cœli, cap.* 2. *quæst.* 5. *art.* 2. Solùm aduerto cum Arriaga *De opere* 6. *dierum*, *d.* 29. *sect.* 4. Molin. *disp.* 2. esse nobiscum, etsi à Tanero afferatur *q.* 4. cum dicentibus, ex aqua Cœlos componi, cùm dixerit solùm ex aqua, vt termino *à quo*, illos esse productos. 86

Hæc quinta substantia primò asserta fuit ab Archita, vel Occello Lucano, quos secutus est Aristoteles.

Assero primò, Cœlos non esse ex igne conflatos, vel alio elemento.

Probatur à D. Bonauentura primò, authoritate Philosophorum, maximè Aristotelis, & omnium Peripateticorum. 87

Probatur secundò à Seraphico Doctore. Corruptibile, & incorruptibile per naturam non habent eandem formam completiuam. Firmamentum, vt constat, est incorruptibile: elementa corrumpuntur: Ergo. Minor probatur; quia videmus id fieri non modo in elementis, sed etiam in mixtis ex illis; at in Cœlis nullam adhuc generationem nouam cum corruptione vidimus. Hoc argumento nituntur Conimbricenses, Gianninus, atque Fuliensis, 2. *Phys. cap.* 1. *art.* 1. cum Eustachio, 2. *p. Phys. tract.* 1. *d.* 2. *quæst.* 2. qui alia etiam adducenda vrgent.

Respondet Ferchius *cap.* 24. factas fuisse nouarum generationes stellarum annis 1572. 1600. 1604. Testibus Tycone, Clauio, & aliis peritissimis, easque destructas. Itidem factam in substantia

tia stellarum mutationem, ex D. Aug. & Varrone. Ita verò sat esse probari corruptibilitatem de aliqua parte Cœli, nam eadem ratio est de toto.

Hæc facilè soluentur *quæst.* 9. & refellentur, tum quia non adeò certum est, in Cœlis eas stellas fuisse; tum quia hæ potuerunt à Deo creari, salua Cœlorum incorruptione. Malè Gtanninus ipse inducit Theologos æternitatem Cœlorum suspicatos; nam Sanctus Bonau. *in* 2. *d.* 1. *quæst.* 3. probat nullam creaturam esse posse æternam. De facto verò omnes negant.

Probatvr tertiò à Seraphico Doctore. Corporum, habentium motus diuersos, diuersæ sunt naturæ: sed elementa mouentur motu diuerso à Cœlis naturaliter: ergo. Minor probatur. Natura enim est intrinsecum principium motus, & quietis, *in* 2. *Physicorum*, *text.* 3. ergo qualis est motus, talis est natura. Minor probatur, motus lationis est triplex. Rectus, Circularis, & Mixtus, ex istis, 1. *Cœli*, *text.* 12. Iam verò elementa motu recto feruntur; vt ostendam *Tractatu* 7. *disputatione* 1. Cœli verò motu circulari mouentur: vt ostendam infrà *in hac disputatione*. Motus verò speciem a termino *ad quem* sumere ostendi *tractatu* 5, *disputatione* 10. *quæstione* 3. Hoc argumento vtuntur Conimbricences *loco citato*, & Gianninus, *cap.* 11. atque Cremoninus, *demonst.* 5. cum Diuo Bonauentura etiam *distinctione* 17. *articulo* 2. *quæstione* 1.

Respondet Ferchius, *capite* 27. negando maiorem. Nam eidem corpori simplici potest conuenire motus rectus, & circularis, sic igni extra sphœram conuenit rectus; & in sphœra circularis. Negat proinde minorem: nam igni sincero & puro non conuenit motus sursum.

88 Contra: nam Cœlo nequit conuenire motu sursum, aut deorsum ferri, alioqui esset frustrà data hæc potentia, cùm nunquam ita mouendum sit; & nequeat moueri: Quò enim ibit sursùm altiùs; vel quò deorsùm, si ignis est? Ignem verò sursùm ferre velociùs, quò sincerior est, claret experimento. Quod verò circulariter moueatur, non est à naturâ, sed à raptu primi mobilis; vt docent Clauius, & alij peritissimi, à quibus recedere nefas clamat, & ipse fatetur *capite* 17. *numero* 36. & iterum negat, *capite* 31. 116. & 117. dicens, id conuenire ex naturâ primo corpori.

Deinde *capite* 31. *numero* 117. *citato*; idem ait; sed negans hinc inferri, Cœlos esse diuersæ naturæ ab elementis.

Argvo sic. His, quæ sunt eiusdem naturæ, idem motus naturalis conuenit, per te; *num.* 31. & *num.* 116. sed motus circularis ex natura conuenit Cœlo, non elementis, quibus competit violenter ex raptu, per te, *locis citatis*: ergo. Dicat *cap.* 27. *num.* 90. Ignem secundùm Anaxagoram, moueri circulariter ex natura; sed ipse id negatum vidit.

Vrgeo aliud argumentum contra id, quod dixit, ignem sincerum non ferri sursùm, quod refricat, *capite* 26. *num.* 75. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Sed ignis quantò purior eò rectius ascendit. Ideò quando mixtus est, ascendit serpentis modo, terebrans medium, vt ipse notat *loco citato*. Ergo simpliciter purus, rectà ascendit.

Vrgeo Secundò. Quod est graue, aut leue, ascendit, vel descendit; Vnde deducit Ferchius *cap.* 31. *numero* 118. Vt aliquid non sit graue, vel leue, debet carere naturali motu recto, & secundùm totum, & secundùm partem. Sed ignis sincerum elementum, enim mixtum per te *cap.* 26. *num.* 85. non mouetur sursum per te; multò minus deorsum. Ergò purum Ignis elementum non est leue. Dic ergo, quò purior est ignis, eò grauiorem esse, aut simpliciter grauem.

Vrgeo tertiò contra id, quod ait; vnius simplicis esse plures motûs naturales. Subsumo sed terra est corpus simplex: ergo naturaliter fertur non modò deorsùm, sed etiam circulariter, vel sursùm. Sed hæc sunt falsa: Ergo. Confirmatur: nam vnius simplicis vnus est locus: ergo & motus ad hoc datus. 89

Respondet, *cap.* 32. in grauibus esse vnum vnius motum, sed duas quietes, idest recto, & circulari motu.

Contra: Quies est priuatio motus in mobili apto habere actum illum in potentia, sed per te graui vnus tantùm conuenit motus. Ergo & vna quies: Maior probatur: natura non est principium motus, & quietis habito fine: ergo quies respicit eum motum, qui propter quietem datus est; magis verò multiplicantur media, quàm finis. Propterea ignis, & rectè tendit ad sphœram, si purus, & serpendo, si mixtus, vel à medio impeditus; vt ait Ferchius *loc. citato*.

Dicit Ferchius, *cap.* 32. Leuibus elementis singulis duos motus deberi; nempè circularem toti, & rectum parti.

Contra ex dictis; nam circularis leuium est à raptu, quo potest gyrari, & ab aqua: Deinde. Eiusdem naturæ sunt Totum, & pars corporis simplicis, imò & mixti similaris. Si ergo vni, putà Toti, conuenit duplex motus naturalis: ergo & parti. 90

Scotistæ negant, motum circularem esse naturalem.

Contra: instat Seraphicus Doctor. Si aliquis motus est alicui corpori non naturalis, debet reperiri aliquod corpus, cui sit naturalis; multò magis motus primus, sed motus circularis perfectissimus inest firmamento; & per te non est naturalis: ergo dabitur corpus, cui magis conuenit moueri circulariter, quàm firmamento, quod est falsum. Maior nititur Metaphysico fundamento D. Bonau. relato *Tract.* 1. *d.* 1. *quæst.* 5. si datur ens imperfectum, debet dari & perfectum in eo genere, quod sit mensura cæterorum, & hoc in aliquo esse. Cùm autem dentur motus, debet dari & perfectus, qui est circularis, & hic alicui conuenire, sanè perfectiori his, quibus conuenit motus imperfectus. Tale autem corpus esse debet Cœlum. Vel assignent quodnam aliud? 91

Satis autem est ad motum naturalem, vt sit talis, ratione principij, idest naturæ, quæ est tale principium. Sanè & Cœlum est corpus naturale; vt probat Aristoteles 1. *Cœli*, *text.* 5. & 3. *Cœli*, *text.* 1. & hoc sensu id concedit Scotus 12. *met.* *text.* 19. ac Faber *Th.* 63. cum aliis.

Miror, Ferchium acriter prænotare passim authoritates Philosophorum, & Astronomorum plurimi pendendas: maximè *cap.* 19. *integro*, & *cap.* 24. cùm tamen renuat ex motu naturas mobilium perlustrari, *num.* 54. negatis vnius simplicis corporis vnum motum; cùm Astronomi ferè omnes è motuum numero sphœras multiplicent, si credis Collegio 1. *Cœli*, *cap.* 2. *quæst.* 2. *art.* 2. & Philosophi, numerum elementorum è motibus deducant; vt ait Collegium *ibi*, &, Clauius in sphœram.

Probatvr quartò, assertio à D. Bonauentura.

Si firmamentum esset igneum, vt vult Anaxagoras; sequeretur, iam combustum vniuersum. Probatur sequela; quia Ignis; vt ait Herodotus, est bellua inexplebilis, quæ quantò plura consumit, tantò fœcundiùs se parit. Et Spiritus sanctus *Prou.* 30. docet, inter insaturabilia primum dari igni locum, dicens. *Ignis verò nunquam dicit: sufficit.* Roboratur à S. Doctor ex quantitate eius, quæ esset immensa, neque rara, sed densa; vt docent Ptolæmeus, & Clauius, quibus standum clamat Ferchius. Probatur ab ipso *cap.* 13. *num.* 43. nam Ignis rarus non videtur, sed solùm densus, & differunt, sicut opacum, & diaphanum: at Cœli videntur: ergo. Maior patet. Nam ignis in sua sphœra ideò non videtur, quia rarus; vt ostendam *Tractat.* 7. *disput.* 4. *de Igne.* Maximè verò densa sunt Luminaria. Nam & se inuicem eclipsant. Iam verò densum in hoc differt à raro, quod in æquali mole plura insunt, *ex* 3. *cœli, text.* 10. Cùm igitur Cœli sint maximæ quantitatis, & apud aduersarios densi, maxima suscitabunt incendia. Neque iuuat dicere, Cœlos, in sententia Anaxagoræ, esse raros; nam id Ferchius reprobat, vt dixi. Hoc est argumentum Aristotelis 1. *Meteor. sum.* 1. *cap.* 3. quod vrgent Collegium, Giannius, Picolom. & alij.

93 Respondet Ferchius, hoc argumentum magis pugnare contra nos. Primò, quia solem ponimus virtualiter, & eminenti modo calidum efficienter, atque adeò magis calefactiuum, quam ignem; quia causa superior plus influit, quàm inferior *ex* 8. *Physic. text.* 33. ergo noster sol magis combureret omnia. Deinde Anaxagoras ponit Cœlum esse ignem rarissimum; & aërem igni resistentem vsque ad Orbem Lunæ; nos autem sub orbe Lunæ compressum ignem includimus.

Dicit etiam, elementa condita virtute æqualia, & ità ignem, esto immensum, cùm virtutem habeat sparsam, non excedere aliorum virtutes oppositas. Multas rationes adducit Ferchius, *cap.* 21. ob quas, Ignis Cœlorum non absumat elementa. Prima est, quia Prima Mens præsidens, sat est moderandis elementorum excessibus. Hanc verò rationem omittere satagit Ferchius: Omittat: nam, vt arguit S. Doctor Deus sic res administrat, vt eas agere proprios motus sinat, ex D. August. *lib.* 7. *de ciuit. cap.* 30. Et ipse Ferchius fatetur. Quare non debemus Deum inducere miracula patrantem; sicut Babylone, seruando illæsos iuuenes ab igne, legitur.

94 Igitur prima ratio est, quia Astra non sunt tantæ magnitudinis, quantæ apparent, vt tubo Galilæi experti sunt; Et ipse Sol, esto maior Pelponneso, vt ait Anaxagoras, non est tamen tam vastus.

Secunda; quia Anaxagoras extollit sphœram ignis millecuplam supra aërem, & vbique vsque ad Lunam ponit aërem frænantem ignis siccitatem; ità ablatis mille partibus combustiui, positis ab Aristotele, ponit ibi mille partes resistentis; vt ita totum spatium subcœleste prælietur cum toto Cœlesti.

Tertia quia Ignis, cùm in immensum extendatur super Cœlos, dissipatur & infirmatur.

Qvarta, quia ignis efficaciam habet in ascensu. Sic ignis vrit apud nos magis in cono, quàm in basi. Itaque ignis Cœlorum non vret inferiora. Vnde secunda aëris regio infra ignem, etsi vicina, semper riget.

95 Qvinta ratio, quia aër circumdatus ab igne superiori per antiperistasim, se ipsum roborat ad resistendum; at ignis, superiora in spatia euolans, aufugit.

Sexta causa. Duplex motus in via Aristotelis accendit magis ignem, nempe motus Cœli rapidus, & ignis rapti; motus autem est causa caloris; at Anaxagoras vnum motum ignis concedit esse accensorem, nempe proprium.

Septima est, distantia nimia astrorum, maximè Solis, quæ actionem frænat ignis.

Octava, nam ignis, rarus non vrit apud Peripateticos. Ille verò est rarissimus; astra verò in orbe nihil ferè sunt ad totum orbem.

Nona, est nimia velocitas astrorum, non sinens, ignem agere: ad hoc enim mora exigitur. Hinc ducens velociter paleam per flammam, illam non comburit. Hinc sub æquinoctiali temperata est regio; sub tropicis intemperata, quoniam in æquinoctiali motus Solis est velocissimus, non concedit satis temporis igni solari ad ardendum; at sub Tropicis tardior est motus, ac proinde situs ardentior; & quò longiores sunt paralleli dierum; eò dies ardentiores, nisi aliqua regio multum à Sole distet, vt qui ad Polos incolunt.

Decima causa, quia aër, cùm mollis sit, ictus ignis retundit; sic enim Lana obtundit ictus etiam bellici tormenti.

Vndecima, quia humidum non est flammabile, ideò aër non concipit ignem. Hæc omnia facili negotio ordinatè soluo.

Primo quidem, Solem, & astra ita attemperata ponunt Astronomi omnes, vt multa sint virtute frigida, quæ proinde calidorum vim attenuent. Sol verò non ideò Igne calidior, quia sit causa æquiuoca; sed ideò plures effectus ipsumque frigus causare valet, tanquam vniuersalis causa, eminenter Continens contrarios effectus. Hinc, ignis à sole productus, non est diuersæ speciei à producto ab igne. Neque elementum ignis superfluit, vt ipse infert *cap.* 16. aut substantia quinta nostra corpora componit; vt ostendam *Tract.* 8. *disputat.* 3. *quæst.* 1. satis enim est, calorem Cœlestem virtute operari, attemperatum miscendis ad generationes contrariis; qualis non est primò calor ignis; vt dicam *loco citato.* Raritas verò illa Cœlorum reiecta est. Porrò quantitas elementorum comparata Cœlis, calculo omnium Astronomorum, minima est, vt extra chorum sit, elementa aëris, aquæ, & terræ eis comparare; vt refert D. Bonauent. *lib.* 2. *Compend. Theol. c.* 3. Sat accipe, stellas firmamenti aliquas globum terræ, & aquæ excedere centies septies. Disce ex atomo montes. Sol verò centies sexagies sexies illam superat. Vide an Pelponneso æquetur. Consule Ptolæmeum, Clauium, & alios Astronomos, quos colis. Parum autem refert tubo optico videri astra, sine corona radiosa, vt & ego obseruaui. Porrò vastitas ignei Cœli non est talis, vt dissipentur, ignes inaniti. Quo enim pacto videremus Cœlos? Ignem aut flammeum magis in basi, vbi collectus, quàm in pyramidis summo, vrere experior; etsi regio secunda aëris viget; non mirum; mediat enim maxima suprema aëris regio; ignisque ille rarissimus est in sphœra, vt patet, quia non terminat visionem; vt notat D. Bonauent. *lib.* 2. *compend. Theol. cap.* 3. Quo tollitur, quidquid sumit ex igne sphœræ ad suum attenuandum. Motus autem plures Cœlis adscribunt Astronomi, nempè 55. vt notat Gulielmus *discursu* 1. *de Gloria Trinitatis.* Velocitas porrò immensæ molis calorem excitat, maximè si totum Cœlum sit ignis, & omnia astra, & non solus sol. Quod si Cœlum Lunæ est igneum, non longè distat, Lunam

Lunam verò igneam, quæ humiditates influit, asserant idiotæ. Quod verò aër mollis sit, non ignibilis, falsum est. Nam in siccatis balneis vtuntur corpora, vbi aër aduritur. Et in cubiculo clauso pone flammam modicam, atque aër mox consumetur.

97 Ex dictis, ruit etiam responsio lata à Philopono ad rationem D. Bonauent. nempe, non sequi ex ignis extensione caloris augmentum, quia, dum crescit moles, qualitates dispergüntur: Tùm quia ignis Cœlestis est tenuis. Tùm quia aër vicinus est similis igni, atque adeò ab eo non patitur, sic immensus aër ambiens lucernam sub dio, eam non valet extinguere.

98 Hæc sanè inania clamat Gianninus Differunt enim ac si ignis paucus cōditus in spelunca, dissipari cogatur in spatio immenso. Saltem dicat, crescenti mole ignis, induci quidem eundem adhuc gradum dispositionum, & eundem ignem, sed vehementiùs, citiùs, &c. vt ostendi *Tract. 5. disput. 17. quæst. 3.* Adhibe prunam; & inde fornacem, atque experieris diuersitatem operandi etsi vtrobique sint octo caloris gradus. Aërem verò ab igne pati ostensum est. Quòd verò lentius aër agat in ignem lucernæ, non mirum, quia mitis; sanè frigidus aër ignem extinguit. Et hoc exemplum nobis fauet. Si enim ignis lucernulæ agit in tantum aërem, & retundit; quid ignis immensus in tantulum aërem? Destruet quidem omnino.

Probatvr quintò si ponitur imperfectum, debet poni & perfectum in eo genere. Sed dantur corpora contrarietatibus obnoxia, quæ sunt corruptibilia. Ergo datur & corpus non obnoxium contrarietatibus. Sed hoc non est aliquod elementum. Ergo Cœlum. Maior probatur *Dei enim perfecta sunt opera* Deuter 32. *Et Vidit cuncta quæ fecerat. & erant valdè bona.* Hoc argumento D. Bonauent. nititur Picolom. *cap. 4.*

Respondet Ferchius *num. 120.* negando, Cœlum incorruptum existere. Hoc tamen non soluit argumenti rationem.

99 Probatvr Sextò à D. Bonauent. Id, quod reducit contraria ad concordiam, vt causa vniuersalis debet esse ab eis diuersum, potens super illa. Firmamentum reducit elementa contraria, ad mixta generanda. Ergo. Hoc vrget etiam Piccolomineus cum Collegio. Maior est Anaxagoræ, & Aristotelis.

Respondet Ferchius *numero 121. 122.* Ignem dominari cæteris elementis, & esse speciei superioris, & distinctæ. Cæterùm non exigi aliquod primum principium promouens generationes, præter Mentem primam.

Contra: nam & ignis est vnum è contrariis à cæteris auersus, ab eisque repatiens, atque eiusdem ordinis. Ità non promouet concordiam; sed bellum ad destructionem. Hoc habet præcellentiæ, non aliud.

Probatvr Septimò à S. Doctore *in corpore.* Vnius causæ determinati sunt effectus, iuxta qualitatum vim. At Ignis est elementum solis siccitate, & calore præditum. Ergo restricta est virtus ad effectus proportionatos illis qualitatibus; sicut, & in elemento terræ siccitas elementaris & in aëre calor. At Cœli producunt frigida plurima, humida, & innumeros effectus disparatos. Ergo non sunt ignis.

100 Vrgeo cum D. Bonauent. ab effectibus. Omnis causa æquiuoca est nobilior suis effectibus singulis, vt clamant cum Scoto *in 4. distinct. 12. quæst. 3.* Fabro *Theor. 33. cap. 1.* Ignis est ignobilior mixtis, maximè animatis. Ergo non est causa æquiuoca vniuersalis.

Vrgeo è Scoto *loco cit.* Nulla causa, etiam vniuoca producit effectum nobiliorem se; nil enim dat quod non habet. Ignis in multis generationibus est causa vniuoca: ergo nequit producere effectum præstantiorem se. v.g. Mixta ignea mirabilia, qualia videmus sæpe per aërem volitantia.

Probatvr octauò à Seraphico Doctore *in corpore* ex vniuersi perfectione. Causa vniuersalis debet excedere omnes effectus vniuersi, & perfectiones, quarum est causa. At ignis neque adæquat aliquos effectus, ne dum omnes vniuersi perfectiones, productas à causis naturalibus. Minor patet in corporibus organicis, maximè humanis, igne præstantioribus; adde animas sensibiles, nedum vegetabiles. Maior est Scoti, & Scotistarum omnium, è quibus est Ferchius; etsi in multis Seraphico deuotus.

Probatvr nonò à Seraphico Doctore, argumento, quod Cremoninus *in Apologia* primam acclamat demonstrationem. Si datur motus simplex naturalis, debet dari etiam simplex corpus, quod naturaliter eò cieatur. Sed datur motus circularis, qui est simplex naturalis: ergo oportet dari corpus, quod eo moueatur secundùm naturam. Sed hoc est Cœlum, non ignis: ergo.

Ferchivs, *capite 31.* negat, motum circularem esse simplicem; sed mixtum ait; quia sola linea recta est simplex: nam extremæ lineæ rectæ solius sunt incomposita, quippè quæ fluit secundùm vnam dimensionem: at circularis composita est, quod libro integro satagit probare.

Ego autem infra latè refellam *dubio 1.* maximè in contrarietatis assertione, adscripta motui circulari.

Probatvr decimò à Diuo Bonauentura *in corpore.* Certum est, elementa naturaliter sursum, & deorsum motibus contrariis moueri. Ergo naturaliter nequeunt moueri motu circulari, qui vel contrarius, vel omninò est diuersus. Si contrarius, vt Anaxagorei dicunt, Vni erunt plura contraria. Sic motui terræ recto opponetur motus ignis sursum, & circularis eiusdem: si disparatus; non potest eidem naturaliter conuenire; quia vni simplici, vnus simplex debetur motus. Hæc est secunda demonstratio Cremonini. 101

Respondet Ferchius, motum rectum esse contrarium circulari, sed non conuenire eidem omninò; nam circularis conuenit totalitati ignis: rectus verò partibus seiunctis; etsi instes eandem esse naturam Totius, & partis.

Respondet, verum de partibus vnitis Toti; decisas verò non esse ignem purum, sed mixtum. Imò ait motum circularem esse igni simpliciter naturalem, quia vniuersitati sic destinatus; motus verò sursum partibus datus est ad eorum conseruationem.

Hoc supra explosi. Addo: Abscinde partem ignis è sphœra, & illam defer huc. Peto: an ascendet? Si ascendet: ergo eidem simplici duplex motus contrarius. Conuenit secundùm te: si non ascendet: Ergo non est Ignis partibus datum ascendere, ad suam incolumitatem seruandam.

Respondet secundò, motum rectum elementi opponi recto, secundùm propriam formam elementi;

circu-

circulari verò secundùm genus, vt ad bonum vniuersi; atque adeò secundùm rationem diuersam. Vnum autem secundùm diuersas rationes pluribus opponitur. Sic ignis siccitate opponitur aëri, & calore opponitur aquæ.

102 Hæc toti repugnant Philosophiæ: nam elementa etiam ab Anaxagora dicuntur grauia, & leuia: Sanè, quia eorum motus elementares sunt sursum, vel deorsum. Neque totus aër circuit; nam in secunda regione, è nubibus & ex rebus in infima stare dignoscitur; mouetur verò tertia regio cum Igne raptu primi mobilis, non à se; vt docet Ferch. initio adductus, qui vnicum ei motum circularem concedit, vt suprà retuli. Argumenta igitur hæc, ex Aristotele, optima sunt.

Obiicit primò Ferchius authoritatem Sanctorum Patrum, & Philosophorum.

103 Respondet Seraphicus Doctor, eos vocasse Cœlos igneos, non elementares, sed ob virtutes lucis ad illuminandum, & calefaciendum eminenter: vt, inter alios, explicat D. August. ac Plato; vt vidimus.

Obiicit secundò Scriptura non meminit creationis ignis: ergo intelligitur saltem nomine Cœli.

Confirmatur è Diuo Augustino *lib. 3. de Genes. ad lit c.* 10. & Hugone *lib.* 1. *de Sacr. part.* 1. qui videntur admittere, sola 4. elementa etiam computato inter illa Cœlo.

Respondet Seraphicus Doctor, Scripturam neque aëris meminisse; in separatione autem aquarum à terra, censeri & hæc distincta. Patres: verò eo modo ignem posuisse in Cœlis, sicut & aquas, scilicet Cœlum chrystallinum, nempè ob excellentiam quarundam virtutum ignis, putà luminositatis, & caliditatis; non tamen formalis, sed virtualis, & effectiuæ.

Obiicit tertiò. Tantùm sunt quatuor primæ qualitates: ergo quatuor tantùm sunt corpora, mundum constituentia: ergo Cœlum est vnum ex his; aut mixtum.

Respondet Sanctus Bonau. quatuor solas contrarias esse qualitates; & has habent elementa, vt ad mixtiones veniant. Exigitur autem & aliud corpus sublimius, his dominans; vt dixi.

104 Obiicit quartò. Triplex est species ignis; Carbo, flamma, lux: sed Cœlum est lucis naturâ præditum: Ergo est ignis.

Respondet S. Doct. non omnem lucem esse ignem; sed lucem solam quæ est in materia transmutabili; & hæc habet calorem informantem Tale autem non est Cœlum.

Obiicit quintò. Calidum excellenter est ignis elementum: sed Cœli sunt maximè calefactiui: Ergo. Minor patet in Sole, maximè sub zona torrida.

Respondet S. Doct. Corpus quintum calefacere non forma caloris, sed luminis, eminenter continentis virtutem calefactiuam, & alias etiam inditas à Deo, quibus admixtum lumen potest etiam humiditatem, imò, & frigus afferre. Multas rationes congerit Ferchius *à cap.* 8.

105 Obiicit primò. Corpora simplicia ad componenda mixta ordinantur: sed quinta substantia ad hoc non est apta: Ergo. Satis autem sunt ad omnium mixtiones quatuor elementa. Quorsum igitur Arist. 12. *Metaph.* 47. addit quintam substantiam, è 55. corporibus simplicibus specie adeò multiplicari.

Vrget: nam Arist. totidem ponit materias, vt explicat Cremon. quia singuli orbes constant ex tota sua materia: at sicuti sat est vnum primum efficiens ad agendum; ita vna materia ad patiendum. Cur ergo 55. materiæ?

Qvòd si vna est omnium cœlestium orbium; tunc materia lunæ erit in potentia ad formam Iouis. Ergo non est frustra, & aliquando stella Iouis, fiet Luna. Porrò fit superflua entium multiplicatio. Etenim multiplicantur corpora, vt aliqua sint corruptibilia: alia incorruptibilia; aliqua facta; alia non. Ponitur vnio materiæ cum forma in his à nullo agente.

Mvltiplicantvr formæ in singulis orbibus, altera corporea: altera animalis. Multiplicantur prima agentia contraria: putà vnum mouens orbem Saturni: alterum mouens firmamentum contra Saturnum. Multiplicantur infinita genita, infiniti motus, infinitum tempus, sine ordine; quia infinitum ordinem non habet, 8. *Physicorum,* 15.

Ponitvr Ignis, & Aër in suis sphœris violenter circumduci, *ex* 1. *Cœli*, 15. ponitur violentia hæc perpetua. Nec & alia superflua, & impossibilia ponuntur multiplicari, cùm satis superque sint quatuor elementa, & ideò in Cœlis nobilioribus est ignis.

Respondet Sanctus Doctor *hic, & d.* 17. *art.* 2. *q.* 2. quintam substantiam ordinari ad mixta componenda, & conseruanda efficienter virtute influxuum: Numerus verò Cœlorum tradetur *q.* 9. in via D. Bonau. nempè 9. quos & liquidos esse ostendemus. 106

Vna autem materia est secundùm essentiam; vt ostendi *Tract.* 5. *disp.* 1. *q.* 7. *&* 8. vbi etiam ostendi, non sequi absurda illata à Ferchio. Corpora verò dari incorruptibilia, ostendi *loc. cit. quæst.* 8. Omnia verò à primo efficiente, initio temporum, facta, ostendi *Tract.* 3. *disp.* 1. *q.* 5. Formas autem Cœlorum animales refellam *q.* 20. Intelligentias verò motrices non esse contrarias, ostendam *loco citato*, & ostendi *Tract.* 4. *disp.* 14.

Neqve infinita conclamata sequuntur, vt ostendi *Tract.* 3. *disp.* 1. *q.* 12. neque motus æterni; motus verè plures in Cœlis, omnes sapientes agnoscunt, & sensui patent.

Obiicit secundò, *capite* 9. Graue, & leue sunt qualitates collocantes corpora in vniuerso. Sicut autem grauissimum est in centro simpliciter; ita leuissimum, quod est ignis, est in circumferentia. Si dicas, dari corpus, neque graue, neque leue. Contrà. Vel est tale excludens omninò extrema, vel participans de extremis. Primum non potest esse, quia negatio est non ens. Si secundum: ergo stabit sub igne.

Respondet S. Doct. *locis adductis*, dari substantiam corpoream neque grauem, neque leuem; quia hæ non sunt qualitates diuidentes omnia corpora, sed sola elementaria contraria, è quibus manant. Datur verò natura nobilior corporea, aliis præstantioribus prædita qualitatibus, cui motus præstantissimus conuenit. Itaque negatio extremorum fundatur nobili positiuo. Vide in fine *corporis, & ad* 2. Hine corruit etiam Philoponus cum Anaxagora.

Instat *cap.* 10. sursum, & deorsum sunt loci differentiæ *ex* 4. *Physicorum,* 30. ergo omne, quod est in loco, est sursum, vel deorsum. Cœlum est in loco: ergo est sursum: ergo est ignis, qui est leuissimus.

Respondet Gian. cum D. Bonau. *loco citato,* 107 sursum

sursum & deorsum esse positiones signatas, vt terminos motuum contrariorum, in quibus quiescant per se; & sicut elementis datæ sunt grauitas, & leuitas, quæ sunt virtutes limitatæ, ita limitatos habent effectus ordinatos ad vniuersi Harmoniacam dispositionem, vt leuitas aërem super aquam tollat, non vltrà; leuitas ignis eum ferat super aërem; sed contiguè, vt sic agant inuicem, & patiantur ad mixtiones exercendas; & intra hos limites sunt elementorum positiones sursum, & deorsum, ad quos terminos est contrarietas motus recti. Cæterùm datur aliud sursum, non habens deorsum per se contrarium, & hoc datum est corpori nobilissimo, in quo super polos stabilitur ad motus, & etiam ad ascensiones, non rectas, sed circulares. His corruunt, quæ Ferchius glomerat *cap.* 11. fictam verò contrarietatem sursum, & deorsum Cœli, eluam *dub.* 1.

Obicit tertiò *cap.* 12. *Anaxagoræ*, mundalis circulus melior est, quàm Peripateticorum. Circulus enim habet centrum omninò indiuisibile, quia punctus: Circumferentiam verò habet inuisibilem in longitudine, quia linea: Area autem, quæ est spatium intra circumferentiam, diuisibilis est longitudine, & latitudine: quia superficies est. Iam Anaxagoræ naturalem circulum formemus. Centrum est terra, specie impartibilis, vt numerus: Circumferentia verò est ignis, impartibilis etiam specie. Area constat ex duobus, specie diuersis, aqua, scilicet & aëre. En Geometriæ harmonicus circulus: At Peripatetici ex Archita, & Arist. faciunt circumferentiam, è 55. corporibus cœlestibus, & Aream è tribus elementulis, impartibiliorem ipsâ circumferentiâ.

Confirmatvr: quia secundùm Anaxagoram meliùs ita assignantur mundi sphœræ debiti termini, nempè centro terra, & circumferentiæ ignis, siccis, ac proinde propriis terminis terminatis, iuxta definitionem sicci 4. *meteor. c.* 1. Cur ergo terminum termini alium meditamur?

108 Confirmatvr adhuc: quia ignis calore congregat partes similes in circumferentia, dissimiles disgregat. Terra in centro omnia frigore congregat. En optimi sunt orbis constituti limites.

Vlterivs confirmatur: nam è primis qualitatibus redundant primæ qualitates sensibiles, durities, & mollities, quæ in Cœlis conceduntur. Sic & asperum, & lene, quæ sunt qualitates tangibiles: ergo Cœli sunt elementa, vel ex illis constant. Idem vrget, quia in Cœlis est rarum, & densum, quæ sunt qualitates elementorum. His caput 13. insumit.

Respondet S.Bon. *lib.* 2. *Compendij Theol. à capite* 3. mundum constitui è centro, & circumferentia, physicis diuisibilibus, non in via Architæ, vt *Tractatu isto* differuimus, scilicet illum terminis optimis esse limitatum, nempè terrâ, & Cœlo. Sanè ignis, terminorum omnium violator, violentus terminus poneretur, vt differit S.Doct. *in* 4.*d.*47.*art.* 2. Proprietates verò allatæ à Ferchio debentur circulo mathematico, non sphœræ, quæ in vsum humanæ vitæ ordinata est.

109 Qvoad qualitates Cœlorum, respondet S.D. *in* 2.*d.*14.*p.*2.*art.* 2. *q.* 1. aliquas qualitates è diuersis causis oriri. Sic rarum è calore elementari: densum è frigore oritur; at in Cœlis è partium situ, seu ex quantitatis partibus, in quibus hærent, ibi enim neque calor dissoluens, neque frigus condensans datur. Idem dic de aliis qualitatibus suprà oppositis. Sic tangens Cœlos, labiles sentiret, Solem vero durum, & resistentem ex partiũ densitate, vel raritate.

Obicit quartò, *c.* 14. è primis qualitatibus oriuntur colores, perspicuitas, scilicet & opacitas, quæ sunt in Cœlo: ergo ibi sunt etiam elementa.

Dico, non è primis qualitatibus oriri colores omnes; vt ostendam *Tract.* 9. *de anim. d.* 5. *c.* 2. *q.* 1.

Obicit quintò *cap.* 15. Si datur quinta ista substantia, nec erit natura, nec eius motus naturalis, quia natura habet contrarium; similiter & motum naturalem: at vos contraria ab his exulare dicitis. Imò, cùm neque sit quietis particeps, neq; naturam participabit: Cur ergo. Physicus de Cœlis agit? Sanè cùm æquiuocè naturam cum sublunaribus habeant, non spectant ad eandem scientiam rerum naturalium.

Confirmatvr: quia diuersas materias ponunt, atque adeò principia diuersa ab illis, quæ nos naturalia dicimus.

Respondet S.D. naturam esse principium motus, & quietis sanè inter nos, admissâ contrarietate, è contrariorum mixtione manante: Cœlos verò non mixtos è contrariis, neq; experiri in motu contrarietatem; habere tamen naturam, quia intrinsecè sunt apti ad motum, & quietem è suis principiis, quæ sunt materia, & forma; materia inquam vna, secundùm essentiam; vnde non infertur rectè mundi diuersitas, vt Ferch. ibi fallus est. Ita potest Physicus Cœlos pertractare, cùm & materiam eandem atque naturam habeant, quoad intrinseca, iuxta Seraphici principia. Motus autem renuunt sursum, & deorsum. 110

Obicit sextò *cap.* 16. Mobile, quod cietur motu mixto, agitur ab elemento, in composito prædominante. Cœlum agitur motu circulari mixto: ergo est compositum ex elementis. Neq, motus circularis, & rectus satis distinguere valent Cælos, & elementa: nam leuia hæc mouentur in orbem.

Respondet S. D. Cœlum moueri motu simplici naturaliter; ignem violenter. 111

Obicit septimò *c.* 17. sensu percipimus, Cœlum esse ignem: nam calefaciunt astra, & exsiccant. En proprietates ignis, qui & illuminat lucens, si densus est, si rarus; est perspicuus. Hæc in Cœlis experimur. Sic apud Æthiopes dicitur ignis non lucere, quia impurus. Omne etiam lumen calefacit, quod si frigefacit, per accidens est, ratione absentiæ, vel distantiæ. Prætereà Ignis, & Sol generant ignes eiusdem speciei: ergo sunt vtrique ignis, aut si ignis non sunt; Cur duo tantùm coloris principia? sensibilia quoque communia sunt in illis eadem; quantitas, motus, quies, numerus, figura, magnitudo, &c.

Respondet S.D. *hic, in corpore, & ad vlt.* Astra infundere calorem conditum aliis virtutib. propriis, quibus etiam Sol humiditatem è Luna, frigiditatem è Saturno, transmittit; non autem solùm ex absentia, aut distantia hominis. Calorem pariter diuersè conditum affert ab Ariete, à Sagittario, Leone, & ab aliis transuehit. Itaq; non sunt superflui tot calores, vt infert Ferch. sed vniuerso necessarij, de quibus altè differit, & si Laconicè S.D. *libro* 2. *Compend. Theol. à cap.* 3.

Obicit adhuc *cap.* 18. Calor elementaris satis est ad generandum, vt fatetur Arist. *libro* 5. *de hist. animalium, cap.* 19. & ad mixta componenda, vt docet 2. *de generat. text.* 49. & 2. *de Anima, text.* 40. 41. Cur ergo nouus calor inducitur superfluus è quinto corpore? Sanè Chinenses irridebunt, qui Anseres, Anates, Gallinas, ex ouis igne excludi vident, sine matribus, quæ interim aliis ouis edendis incumbunt.

112 Dico, iam satis à S. Doct. expressam caloris cœlestis necessitatem. Itaque valeat Anaxagoras, cum suo illo Chao, suàque mente, ignem vbique spargente. Sanè, si Cœlum posuit patriam beatam, ad quam aspirabat bonus hic Philosophus, vt clamat Ferchius in eius vita, initio libri, & in hoc libro ipse *num.* 53. malè elementum ignis asseruit, qui mordax, & dolorifer ab omnibus fugitur: Non mirarer, si id diceret Aristoteles, quem Plato dæmonem appellabat. (Etsi ob ingenij præcellentiam:) poterat & malitiam ei plurimam concedere: Fuit autem Anaxagoras probior, non perspicacior Aristotele; qui desperatâ salute se in Eurypi vndas immersit: Anaxagoras verò è studiis Sapientiæ rediens, videns suas opes dissipatas, subridens (quippe è rerum mundanarum fluctibus emerserat) dixit: *Periissem, ni periissetis* vt refert Seraphicus Doctor, *serm.* 2. *de SS. Philippo, & Iacobo.*

113 Assero secundò, Cœlos non elementares esse; sed quintam ab his substantiam. Patet è doctrinis allatis.

Probatvr adhuc primò à D. Bonau. *in corpore* ex effectibus causatis à Cœlo diuersis, & variis ab effectibus elementorum. Hinc ingeniosè arguit Zabarella, *lib. de calore cœlesti*, *c.* 1. Arguit autem primò in via Peripateticorum, negantium in Cœlis eccentros, & epyciclos, Posita eadem causa, eodem subiecto, in eadem distantiâ proportionatâ, &c. idem effectus producitur: sed in eadem terra, eodem modo disposita, ac remota, qua ignis naturaliter producit eosdem effectus; Sol è regione diuersos producit: ergo est aliud ab igne agente: Maior est patens. Qualis est enim causa, talis effectus. Minor explicatur, Sol gyrans solùm concentrum, & nullum excentrum, semper eâdem distantiâ circuit centrum, esto decliuior nobis fiat in signis hyemalibus, attamen non more ignis calefacit terram eodem modo, quo in Æstate; sed diuerso, eò quòd calefaciat solum reflexu radiorum, qui altiùs, & proinde acutiùs in estate reflectuntur, dum Sol nostro Zenit est vicinior: at in signis Australibus distans in decliuè radios ad obtusos eiaculatur angulos: hi autem eâdem proportione obtusi, ac debiles, reflexionem faciunt debiliorem; vnde, & prima regio aëris est breuior: secunda verò amplior, quamobrem frigore vehementi sparso niues percipiuntur expansæ, velut lanæ: Hæc autem est distantiæ varietas. Zenit Brixiæ noster est à Polo distans Arctico gradus 45. in medio Zonæ temperatæ, Sol igitur gyrans Tropicum Canceri, distat ab æquatore gradus 23. m. 30. ac proinde à nostro Zenit medio, inter Polum Arcticum, & Æquatorem, distat gradus 21. m. 30. qui faciunt distantiam ab æquatore graduum 45. Dum verò Sol primum gradum Capri, ac Tropicum Australem peruolat, distat præter gradus 45. alios 23. & m. 30. quibus distat Tropicus ab æquatore, & distantia erit grad. 68. m. 30. In æquinoctio autem gradus 45. distat. Si Sol esset ignis formaliter calidus, ageret modo directo calefaciendo; non autem solâ reflexione à terra, vt constat; siue enim ponas ignem in terra, siue altè in cubiculo, siue tibi vicinum ad Zenit, siue decliuem, ardebit; imò quò eleuatur super caput, eò minùs te calefaciet: quia ignis sursùm leuat vim, & magis in cono, seu apice pyramidis, secundùm te, agit, vt vidimus; & tamen oppositum in Sole experimur: Ergo Sol non est ignis.

114 His soluta iacent responsa Ferchij, qui tandem eò vltimò refugit, vt suum ignem calidum virtute, non formaliter concedat; sed non effugit: tum quia non erit Ignis elementaris, tum quia erit diuersa substantia, nempè Sol Peripatetico affulgens, exulante Anaxagora

Qvod verò expirans ait, nobis potiùs timendam sequelam æqualis caloris in hyeme, at in Æstate, quia superaddimus ignem in sphœra; inane euolat; ignis enim sphœræ rarus, ad nos calore non peruenit. Porrò æstus mutatio, ac varietas experientia comperitur ex motu Solis vario, (vt ipse quoque altè confitetur) procedere.

Probatvr secundò in via Astronomorum, quibus Ferchius credendum ait. Hi admittunt Excentros, & epyciclos, atque in his planetas, modò in Auge, seu in Apogæo: modò ad nos accedentes in Augis opposito, seu Nadir, vel Perigæo: Sol quidem in excentro absque epyciclo ambulans, Augem ascendit 22. Iunij, & ad nos descendit in Tropico hyemali, nam 22. Decembris est terræ vicinissimus. Hæc probat Clauius cum aliis plurimis est apparentia Solis, qui prout pergit ad Tropicum Capri, grandior apparet, & quò propiùs ad Tropicum nostrum accedit, pusillior videtur. Est autem hæc natura obiecti visus, vt quò magis elongatur ab oculo, minuatur; quia cùm visio per pyramidem fiat, cuius basis in obiecto est, & cuspis in oculo, quantò longiùs distat obiectum, tantò pyramis elongata tenuior ad oculum venit, & quò propiùs; amplior perueniet. Hinc infero, debere Ignem Solarem magis vrere nos in Decembri, quàm in Iunio, quia directa actione calefaceret. Sanè, quia tunc vicinior nobis: In nostra verò sententia non sequitur, si agit lumine, non formaliter calido, sed eminenter, sola reflexione, quæ maior fit, quò Sol eleuatus ferit ad angulos acutos; vt suprà dictum est. 115

Ferchivs retorquet. Cur Sol, apud Aristotelem virtuosior igne, non vrit hyeme magis, quàm æstate, cùm sit vicinior?

Dico, Solem calefacere lumine virtualiter calido, quod reflexu agit; vt dixi. Cùm autem hyeme decliuis feriat ad angulos obtusos, remissiùs calefacit, quamuis vicinitate aliqua ex parte in Decembri calefaciat, sed mox eleuatur in Ianuario. Adde, Aristotelem negare excentros, & allatam vicinitatem. 116

Respondet directè, Solem, & Astra in Apogæo esse valentiora ex Astronomis. Ampliùs roborat dicens, Solem hyeme remotiorem à Zenit; vt dixi, sed hoc solui. Addit, Solem in Horizonte esse remotiorem, quàm in meridiano; Sed hoc est extra rem: nam etiam æstate radit Horizontem, & inde ascendit; neque in hoc paralelli agnoscuntur.

Addit, hyeme Solem sub terra diutiùs iacere. Fateor; sed cur meridie non erit tantus ignis?

Respondet, remotiorem esse à perpendiculo, & sub terra 16. horas, & quidem tota diametro supprimi, & apud nos octo horas tantùm morari: Vnde nocte frigus terræ vrget, quod nequit breui die absumere: Addit, Ignem eleuatiorem eximi à contrario, & velociùs moueri, atque acriùs hinc incandescere; at in Perigæo contrarium accidere, tardiùs moueri, &c. Experimenta addit: nam sub Cancro Regiones sunt aridæ, quia Sol ex Apogæo est valentior; At sub Capro Terræ sunt humidæ, frigidæ, & aquæ multæ, quia Sol in Perigæo eis superstat imbecillior. Addit Solem

Solem in signis Borealibus nouem dies ampliùs morari.

117 Hæc omnia nil premunt. Primò, Astronomi non dicunt absolutè, cæteris paribus, planetas in Apogæo esse valentiores? sed, si nobis eleuatiores imminent, quàm prius erant, dum sunt in Perigæo. Sanè, si Sol est ignis directè vrens; acriùs vret in Nadir illis horis, quibus super Horizontem meat; motum autem velociorem minuere virtutem, & actionem caloris, confessus est suprà *loc.cit.* & *hic*, afferens exemplum carnis, cui, si applices ignem volantem, non coquetur; ibi verò affert pueros per flammam voluere paleas, & manibus prunas impunè contrectare. De illis autem nouem diebus poterat tacere: Quid enim iuuant. Quod verò ignis eleuatior magis vrat sursum, alibi *cit.loc.* docet; sed infrà fatetur lentiùs vrere. Id solùm aliquid illi prodest, nimirum diurna illa breuis super Horizontem hyeme commoratio: at si ignis esset; 8. horis absque interruptione arderet, vt apud nos videmus. Terrarum porrò sub Capro temperiem adscribat Maribus, & fluminibus, vnde vapores vberrimi, ac pluuiæ frequentes exoriuntur, quæ Deus ibi prouidit, ne vrantur. Vicinitas verò Solis ibi in Nadir non est permanens: singulis enim Centuriis annorum mutatur vnus gradus: & cùm hoc anno 1672. sit Nadir Solis in secundo gradu Capri; erat initio creationis in 20. libræ; Aut in 20. Arietis. Vnde indicium haurio illum creatum fuisse Vere. De quo *quæstione prima*, actum est.

Probatvr tertiò. Si Sol ignis est: ergo media aëris regio, quia vicinior, magis calefieret, quàm infima. Quare nulla afferri potest ratio, cur vapores validè calefacti condensentur à frigore in secunda regione, tanquam frigidiori.

Respondet Ferchius in Appendice, de hoc & nos teneri rationem reddere, si Solem virtute calidum ponimus; & insuper ingentem Ignis sphœram esse, astruimus.

118 Dico, rationem esse iam latam, quia Sol calefacit reflexu, & ignis in sphœra est rarissimus, à secunda remotus regione.

Respondet directè, infimam regionem aëris esse calidam; quia aquis miscetur; at superis in oris aër innatam detinet siccitatem. Calor autem magis intensus est in materia humida, puta aqua, quàm in palea. Deinde quia aër supremus motu calescit, medius verò à montium summitatibus impeditus, vel non mouetur, vel parum, ideò torpens friget. Infimus verò motibus plantarum, animalium, habituum, vaporum, bello pugnaci terræ, aquæ, aëris, ac mixtorum, præsertim calidorum accenditur.

Tertia causa. Aër in regione infima vnitur magis. Sic condensatur vicinitate aquæ, & terræ; calor etiam à Cœlo amplè demissus, & hic colligitur ac intensior in subiecto densiori euadit. Tandem radij hic refracti & reflexi multiplicantur; atque adeò magis calefaciunt; adde antiperistasim ab obsidentibus frigidis.

Aer verò secundæ regionis est frigidus. Quia enim ibi aër amplius, est, & rarior, ineptus est calori; adde, quia siccus est, & torpens à motu. Adde; & antiperistasim ab obsidione ignis: Circuitum montium frigidorum: Nubes densatas; Frigus à zonis frigidis immissum.

Merito Ferchius meliores optat rationes, hæ enim frigidæ sunt, & siccæ. Et primò aërem humidum inueniet, si mundi consonantiam audiet, quam ostendam *Tractatu 7. disputatione 3.* Calorem verò in materia sicca, quia symbola, magis conseruari quis ignorat? Ita magis igne fit saxum, lignum, metallum, quàm aqua. Paleam verò tenuem adducere: est e palea argumentum: Aërem verò mediæ oræ montibus intercipi, ac impediri à motu, vanum est, si enim reflexio radiorum à montibus etiam fit: ergo inter illos est infima aëris regio, non secunda, vt dicis. Infimam verò motu plantarum, animalium, &c. calescere, rideo: quòd aquis vicinus aër ignescat: magis irridendum; imò frigefit; & si ab aqua inficitur aër, non sanè adeò densatur, vt reflexione vsquequaque rarefactus non cedat densitati secundæ regionis, vaporibus, imò aquis septæ; quæ per te debent ebullire quippe igni viciniores.

Qvod aër mediæ oræ frigidus sit; quia rarus, & siccus, ineptus calori, falsum est: Quòd antiperistasi se à calore ignis muniat falsum quoque; nam aer calore est symbolus igni, adde omninò, si & siccitate symbolus est, vt putat Ferchius. Cur ergo quasi hostem ignem repellit. Nubes verò densatas afferre, est petere principium: debet enim reddere rationem frigoris præexistentis, ac densantis. Montium frigiditatem ab aëre non nego; sed adhuc quæro, cur aër sit frigidus ibi in via Anaxagoræ? frigus esse à zona frigidi, rideo: nam æquè vicina nobis est torrida. Reflexio sanè radiorum calefacit hanc oram: at si Sol ignis est, operabitur directè, & ardentius vret superiores regiones. Meritò ob id Ferch. ad reflexionem fugit.

Probatvr quartò ab effectibus aliis, diuersis à calefactione ignis: Radij transeuntes per ampullam vitream accendunt stupam in opposità parte sitam. Cur ita non accendit sine medio ampullam; si est ignis? Profectò ignis apud nos aliter operatur. Nos sanè collectione radiorum Solarium in vnum reddimus è reflexione rationem, redij enim vniri accendunt aërem, & aër stupam. Alia Addunt experimenta Doctores. Ferchius modestè fassus, se rationem nescire, ad reflexionem Peripateticam ocyùs confugit. 119

Probatvr quintò à Seraphico Doctore *in fine corporis*, quia Cœlo conuenit naturaliter motus diuersus à motu naturali ignis, nempè motus circularis, quem simplicem esse, & à contrario immunem, è regione motus ignis, ostendit Sanctus Bonauentura; quem deserit Ferchius, vt suam Anaxagoræ deuoueat sententiam. Propterea, sicuti ille integros libros insumit, vt fundamenta Diui Bonauenturæ euertat; ita ego enitar hàc veritatem basi stabilire. Et sicuti probato, motum circularem esse Igni connatum, ait *in fine primi libri*, superfluam esse aliam quintam substantiam, cui conueniat; ita ego si probauero cùm motum non igni, sed Cœlo esse innatum, probatum relinquam, cam necessariò dandam. Id etiam ostendi *Tractatu 5. disputatione 16. quæstione 5.* & ostendam *dub. hac.* 120

DVBITATIO I.

An Motvs circularis ſit ſimplex.

121 Motvm localem tribus dotibus decorat Ariſtot. dum illum ait eſſe æternum, primum, & ſimplicem. Diuidit localem motum, in rectum, circularem, & mixtum ex his, & primos duos ſimplices ait, *primo Cœli, text. 5.* omnes verò naturales.

Cùm autem de his motibus agat, vt ſunt paſſiones corporum, & de corporibus, vt ſunt partes mundi; eorum eſſentias aſſignat in ordine ad vnum, ad quod & natura determinatur, & hoc eſt vniuerſum. Itaque motus diſtinguit, vt alius à centro, ſeu medio: alius ad centrum, ſeu medium; alius circa centrum; vt monet D. Thom. *ad cap. 2. primi de Cœlo,* Collegium *ibi, quæſt. 1. art. 2.* Zanard. 8. *Phyſicorum, dub. poſt. quæſt. 14.* Galitius *p. 1. Philoſop. tract. 2. quæſt. 3.* cum D. Bonau. *hic,* & *ſerm. 4. de Luminar. poſt medium.*

122 Nota verò primò, non modò lationem à centro, quæ eſt leuium; & ad centrum, quæ eſt grauium; & circa centrum, quæ eſt Cœli, aſſeri naturales; ſed lationem etiam mixtam, quodammodo naturalem vocari, *text. 7.* quia ab elementi prædominantis eſt naturâ, etſi alia, quæ ſunt in mixto, reſiſtant, ac transuerſum agant mixtum.

123 Nota ſecundò, Motum circularem dici circa centrum mundi, quia Ariſtoteles excentros, & epyciclos non admittebat. Tametſi 2. *Cœli, text. 35.* ſolùm primum orbem moueri regulariter circa centrum docet, atque adeò ſimplici motu; vt notat Ferchius, *de Cœleſtis motus compoſitione, capite 11.* vbi in Cœlis inferioribus eccentricitatis irregularitatem, & motus mixtionem timuiſſe, videtur; eò quòd non moueantur ſecundùm lineas æquè, à centro diſtantes; niſi ratione ſui orbis totalis; vt notant D. Th. & Colleg. *hic.* Igitur motus circularis, vt ſit ſimplex, debet perfecto circulo, circa centrum mundi medium, fieri; ſicuti & motus rectus debet breuiſſimâ, quâ fieri poteſt viâ, ferri à centro ad circumferentiam mundi; vel ad centrum, vt ſimplex ſit: nam, ſi deuiet curuè, erit mixtus.

124 Nam linea recta mathematicè definitur, quæ ab vno puncto ad aliud punctum quàm breuiſſimè pertingit. Circularis, quæ ab vno puncto, ſecundùm omnes partes, æquè diſtat. Mixta, quæ inter aliqua duo puncta, non tamen quàm breuiſſimè extenditur: Phyſicus verò motum conſiderans in ordine ad corpora; & hæc in ordine ad totum vniuerſum, definit lineam rectam, quæ à centro mundi ad circumferentiam, quam breuiſſimè dicitur. Circularem, quæ à centro mundi, omnibus ſuis partibus, æqualiter diſtat: Mixtam verò, quæ partim accedit ad centrum mundi, partim recedit. Quapropter ad motum ſimplicem requiritur hæc linearum in magnitudine obſeruatio, & hoc ſufficere docent ſimplicius *primo Cœli, capite 2.* lineæ ſimplicitatem ſat eſſe volens Zabarella *libro 2. de motu grauium, & leuium, capite 4.* Galitius *loc. citato, quæſtione 4.* Poncius, *num. 16.*

125 Alii ad motus ſimplicitatem tria exigunt, principaliter quidem lineæ ſimplicitatem, ſimulque termini vnitatem; minus verò principaliter facultatis mouentis ſimplicitatem. Ità Colleg. alios adducens. Hanc autem facultatem eam eſſe ait, quæ ad vnum *Vbi* inclinat, qualis eſt grauitas ſolius terræ; non verò terræ, & aquæ ſimul. Et hoc Auerroës vocat mobilis ſimplicitatem, quam ſatis eſſe ait; hâc enim poſitâ obſeruatur ſimplicitas lineæ, & recta ad vnicum tenditur *Vbi.* Sic terra ad medium; ignis à medio rectâ pergit, breuiſſimè, quàm poteſt: Ideò Ferchius *de cœleſtis motus compoſitione, cap. 11.* nimias cauſas vocat allatas ſuprà.

Seraphicvs *locis adduct.* & *d. 14. p. 1. art. 3. quæſt. 2.* videtur cum Collegio exigere naturam etiam motricem, quâ ſuppoſitâ ſimplici, ſuperfluè ponit Collegium vnitatem *Vbi* vt mox innui. Addit S. Doctor, propriè dictum motum ſimplicem carere contrarietate, *in 2. diſt. 14. p. 1. art. 1. q. 2. in fine corporis.*

Assero primò, rectè traditam ab Ariſt. & D. Bonau. tripartitam lationis diuiſionem. Conſentiunt omnes Peripatetici, ac Damaſcenus *in Phyſ. cap. 6.*

Probatvr ex dictis, quia omnis motus vel eſt regularis, vel irregularis. Hæc verò eſt diuiſio non habens medium. Adnotate tamen, diuiſionem hanc eſſe in ſpecies accidentales. 126

Assero ſecundò, motum circularem eſſe ſimplicem. Patet ex iactis fundamentis.

Probatvr primò à D. Bon. *locis adduct.* & *in 2. d. 1. p. 1. q. 2. ad. 1.* ratione, quam dicit, non habere oppoſitionem, eamque ſupponit *d. 14. p. 1. q. pen. & vlt.* & *p. 2. art. 1. q. 3. arg. 4.* quod in hoc laudat. Menſura aliorum eſt ſimplex. Motus cœleſtis eſt aliorum menſura: ergo. Maior conceditur etiam à Ferch. *de Cœleſtis motus compoſitione, c. 4.* minor probatur. In vnoquoque genere eſt vnum, quod eſt menſura cæterorum, & hoc eſt primum omnium. Sed motus circularis eſt primus omnium: ergo. Maior probatur à S. D. *ex Metaph. l. 10. text. 3.* Deinde, illud in quouis genere eſt primum, quod eſt perfectiſſimum; motus circularis eſt in genere lationum perfectiſſimus: ergo primus, menſuraque omnium lationum. Minor probatur *ex 1. Cœli, t. 10.* ex Euclide *de elem. l. 1.* & à D. Bon. *in 2. d. 14. p. 1. articulo 2. quæſtione 1.* quia circulus eſt figura capaciſſima omnium, in ea eſt perfectio numeri ſenarij vt exponam infrà. Sexies enim tantumdem reperitur in circumferentia, quantum à circumferentia ad centrum: Eſt etiam ad motum maximè idonea, &, vt Geometræ probant omnes, (ait S. D.) habens figurarum perfectiones. Confirmatur. Id, quod intrinſecè, & per ſe eſt adeò perfectum, vt non ſit in eo genere capax maioris perfectionis, eſt perfectius eo, quod intrinſecè in eo genere poteſt perfici: ſed figura circularis in genere figuræ eſt adeò perfecta, vt nequeat vlteriorem accipere perfectionem; at linea recta in eo genere poteſt perfici additione: ergo. 127

Respondet latè Ferchius *à cap. 4.* lineam rectam eſſe priorem curuis, etenim recta menſurat curuas; vt fatetur Ariſtoteles *primo de Anima, text. 85.* vbi docet, rectum eſſe Iudicem ſui, & obliqui. Ideò curuum reſoluitur in rectum. Eſt enim prior ratione, quia linea circularis per rectam definitur: quoniam à medio puncto omnes ductæ ad circumferentiam ſunt æquales. Illud autem eſt ratione prius, quod in alterius ratione ponitur, 7. *Metaph.* 4. eſt prior etiam generatione, quia linea recta eſt fluxus puncti, & ſtante vno puncto extremo circumducens deſcribes circumferentiam circuli. Perfectione etiam eſt prior, nam 128

prior, nam *ex* 1.*Cœli, text.* 2. & 3. Perfectum consistit in principio, medio, & fine. Atque 3. *Physic.* 64. Perfectum nil est, quod non habet finem; sed linea recta habet hæc; circularis caret: ergo.

FALSVM etiam ait, id esse perfectius, quod prius, nam materia est prior corpore organico, sed imperfectior origine. Negat circulum esse priorem lineam in perfectione. Et cùm affertur ratio; quia non potest ei addi, dicit, in hoc ei tribui infinitum, cui non fit additio: at infinitum mole est imperfectum.

129 DICIT etiam, rectè fieri additionem materialiter, non formaliter. Addit, capacitatem maiorum in dies perfectionum præferre eximium dignitatis stemma. Sic homo plura potest bona capessere, quam brutum 2. *Cœli*, *text.* 63. Addit etiam, circumferentiam posse augere, factâ figurâ maiori.

NEQVE circulus (ait) est figura simplex, quia omnis figura simplex, vel est similaris, vel proxima similari. Talis est linea, & superficies recta, quam in partes rectas secabis: at circulum in circulos non secabis. Secundò, quia circulus recte formatur motu, cuius alterum extremum stet; alterum circumducatur; quando est mixtus, nam motu, & quiete formatur.

ITIDEM figura circularis fit superficie rectâ; at motu curuo. Adde & motu inæquali producitur, nam puncta stanti propriora segniùs mouentur.

TERTIÒ circulus, ex motu Mathematico, probatur compositus. A fluxu puncti, recta producitur linea, qua peracta, altero puncto stante, altero moto, priùs describitur triangulum mixtum ex rectis duabus centro insistentibus, & arcu circumferentiæ, atque regulariter (vt etiam pueris notum est) circulus in sexto mixta triangula, resoluitur per sex semidiametros applicitas circumferentiæ. Resectis igitur per sex illas semidiametros arcubus, resoluetur circulus in rectilinea triangula. Iam ergo componitur è sex triangulis. Hoc est quod ait D. Bonauentura, *in* 2. *distinctione* 14. *parte* 1. *articulo* 2. *quæstione* 1. *fundament.* 4. sexies in eo repetiri tantùm in circumferentia, quantùm â circumferentia ad centrum.) Ex quo sequitur, non esse figuram simplicem.

130 QVARTÒ, quia duæ lineæ rectæ, se in puncto tangentes, angulum constituunt; non figuram: quia non claudunt superficiem, atque adeò aream non habent; tres vtique superficiem claudunt; vnde rectilinearum figurarum prima est trilatera. Secunda quadrilatera; & sic deinceps ordine inuiolato, & omnes in triangulum resoluuntur. Quia verò prior figura, quasi pars in potentia maioris continetur, vt ait Aristoteles 2. *de Anima*, 30. 31. & D. Bonauent. *in* 2. *distinctione* 31. *articulo* 1. *quæstione* 1. *fundament.* 3. veluti tetragonus in pentagono, vnde figuræ, quæ in alias resoluuntur, compositæ sunt ex eis. Circulus igitur superans capacitate omnes figuras rectilineas, atque areas omnium continens, est compositus; Sanè alias potentiâ illa continet. Continet etiam omnium angulos, vt constat, si omnes in circulo describantur; atque adeò in alias resoluitur, vt composita in simplices.

VRGET considerando Cœlos, vt orbes sunt: nam simplicior est sphœra, quàm orbis: hic enim habet plures superficies, concauam, & conuexam: at sphœra vnicam: ergo est simplicior, & prior. Hinc terra erit prior, & simplicior Cœlis; vt inferebat Hesiodus, est enim sphœra vnius superficiei. Hinc etiam motus Cœli est compositus. Multa alia congerit, vt orbem compositum probet, sumpta è figura ipsius, & motu.

PERGIT *cap.* 9. Magnitudini curuæ non conceditur simplicitas. Orbis est curuus: Ergo.

PORRÒ. Motus Cœlorum simplices negat: 131 nam tot Eccentri non mouentur circa centrum. Vnde soli primo orbi Aristoteles dat motum simplicem, sed & huic immeritò; nam habet ab inferioribus resistentiam, & contrarietatem. Itidem Cœli sunt dissimilares ex Cremonino, &, si motus circa centrum est simplex: Ergo stans in centro, & gyrans circum, virgam mouebit motu simplici. Item mouetur duabus superficiebus. Itidem ex pulsu tractu tardo, & veloci motû in ordine ad centrum, ad polos ex concauo, & conuexo; à contrariis situbus à reuersionibus ostenditur compositus.

SVMENDAM ergo ait motus simplicitatem ex fine: Et quia elementa ad sui conseruationem circumeunt per se (esto per accidens recta ascendant, dum extra sua loca sunt.) Hinc naturaliter simplici motu cientur: At Cœli circumeunt ad mixtorum generationes, atque adeò non ab intrinseco suæ naturæ, seu appetitus.

CARPIT etiam id, quod ex Aristotele educitur, Motum simplicem in corpore esse simplicem (secundùm aliquos) mixtum in mixto, quod videtur asserere etiam Diuus Bonauentura suprà. Tandem reformat definitiones motuum simplicium.

POSSVM equidem paucis resoluere tot no- 132 dos: nam distrahit sensum Aristotelicum de motu simplici, & materialiter accipit & Motum, & figuras physicas, quas nos tractamus; esto mathematicè loquatur formaliter. Profectò Aristoteles *hic* physicè considerat Cœlos, vt sunt partes ordinatæ ad constituendum totum mundum, & inseruiendum, suis figuris, motibus, & influxibus, bono vniuersi. Diuersa autem obiecta sunt scientiis diuersis: Ideò assumere obiectum vnius scientiæ etiam subalternatæ adamussim in alia inducit errores. Quare, si figuras Geometricas, vt sic, secundùm nuda essentialia adhibeas, in ordine ad diuersos earum aspectus: eris Perspectiuus ridiculus. Debes ergo eas considerare per commensurationes oculo aptatas; hæc enim conditio est obiecti formalis Perspectiuæ constitutiua. In hoc Ferch. longè, lateque deuiat, opponens Cœlorum figuras, & motus Mathematicè, vt simplices neget; Arist. verò physicè hæc considerat motumque Cœlorum, circa centrum physicum, terram non declinantem, non curuitatibus deuium, aut rectilineis mixtum, simplicem astruit.

ATTAMEN ad normam respondeo singulis argumentis.

SED priùs aduerte, Arist. definire motum circu- 133 larem orbium, ipsosque orbes cœlestes esse simplices, physicè acceptos, non in tota latitudine physica; nam, cùm è partib. physicis componantur; orbes quidem è materia, & forma: motus verò eorum è partib. successiuis, erunt vtraque composita. Sumit autem Arist. esse physicum, seu naturale in ordine ad finem, propter quem natura operatur, ad quē, & ipsa ordinata est, (nam & Ferch. suprà, sub hac ratione consideranda, vrgebat.) Respicit ergo orbes, vt corpora, sed partes vniuersi. & eorum motus considerat, vt ordinatos ad vniuersi administrationem; Orbes quidem, vt ordinat suas lineas à circumferentia ad centrum; motum etiam, vt fit circa centrum.

ADVERTE etiam, lineam primò diuidi in re-

ctam, & curuam; seu in simplicem, & compositam. Et quidem curua, cùm aliquas partes habeat rectas: alias non rectas, sed obliquas, composita est ex his; at circulus non componitur è lineis rectis, cuius signum est, quod si ei applicetur aliquid rectum, tangit illud, non in linea, sed in puncto, vt docet Euclides *lib. 2. & 3. elem.* Quare circulus non resoluitur in aliquam lineam rectam: Lineæ verò rectæ, ductæ à centro ad circumferentiam diametræ, aut semidiametræ, non componunt circulum, sed per aream iam facti circuli ductæ, probant experimento, circulum esse ad regulas Geometricas: sicut vlna mensurans quadratum, illud supponit, non facit. Quod verò ab vno puncto stante circumducatur circulus, non arguit compositionem: nam & linea recta ab vno puncto fixo protrahitur aliis motis. Quod linea recta Iudex sit, & mensura curuæ, seu obliquæ, nil obest: non enim est mensura circuli, qui nil vnigeneum rectæ lineæ habet. Dictum verò Arist. non est ad rem adductum; nam sensus est; rectum virtutis, mensurare virtutis rectitudinem, & vitij obliquitatem, quæ est malum morale; sicuti alias priuationes formâ mensuramus oppositâ: Circulus enim non est defectus rectitudinis, sed species perfectissima à natura primò intenta. Vnde & Dei perfectioni à Trismegisto comparatur. Præcipuè, quia infinitatem præ se refert, quæ respectu finiti, habentis principium, & finem, est perfectior: nam illud habet potentiam per se, vt perficiatur in ordine naturæ, atque adeò est imperfectum naturâ. Talis est linea recta, quæ intrinsecè duobus punctis limitatur; nec habet totam naturæ lineæ bonitatem, sicuti habet circulus. Hinc non ad rem inducitur esse stemma perfectionis, esse capax aliarum perfectionum, qualis homo capax est gratiæ, & gloriæ: Stemus in re, Sanè, si homini desit aliquid naturæ, erit imperfectus naturaliter. Neque dixi, vniuersim, ea perfectiora efficienter, quæ priora; sed ratione finis; efficienter verò quorum causa potest totum statim producere. Absolutè autem id perfectum est, cui nil potest addi in suo genere. Talis est circulus, esto alius amplior fieri queat, qui nil addit priori ad modum, quo lineæ rectæ additur extensione. Quod verò circulus concisus non diuidatur in partes similares; eò quòd non diuidatur in circulos, falsum est; diuiditur enim in suas extensiones eiusdem rationis, more accidentium: & physicè in partes eiusdem
135 rationis. Hinc constat ad plurima primi argumenti media. Quæ verò addit de modo, quo fit circulus, efficientem causam componunt; non circulum. Quòd verò sex triangulis constet circulus, est accidentale, ab arte adinuentum, non autem intrinsecè circulum constituens, qui simplici ductu sextarij circa centrum fit. Quod verò figuræ rectilineæ in triangulum resoluantur. Quid tum? sanè circularis in nullam rectilineam resoluitur. Quod etiam virtute contineat angulos ISOPERIMETRARVM, non facit compositionem; vt monet D. Bonauentura, ibi allegatus; sicuti anima vna simplex est, licèt formaliter, eminenter contineat vegetatiuam, & sensitiuam. Quod verò orbes habeant duas superficies; &c. valdè materiale est ad simplicitatem, vel compositionem, de qua agimus; imò est accidens: motus verò Eccentrorum non vocatur à nobis simplex omninò, vt suprà dixi: motus verò resistentium inferiorum, non detrahit; vt dicem *dubitatione sequenti*: Motus etiam digiti, aut virgæ, circa centrum, non est simplex, quia non est à natura determinata, vt dixi, & notat Collegium *quæst. 1. art. 3.* Cœli enim motus est à principio intrinseco, & cum ordinetur ad bonum vniuersi, non ad complendam aliquam indigentiam eorum, auget simplicitatem, & carentiam compositionis ex actu & potentia; vt ait Seraphicus Doctor *loco citato*, non autem minuit, vt putat Ferchius.

NEQVE verò aut Arist. aut S. Doct. volunt, 136
motum simplicem esse in simplici corpore tantùm; sed solùm dicunt, conueniens esse, vt, sicuti corporum alia sunt simplicia, alia mixta; ita etiam motuum, &c. ita tamen vt & in mixtis concedan motum simplicem à prædominio, etiam simplicissimo corpori debere simplicem figuram, & motum. Ita *in 2. distinctione 14. parte 1. artic. 2. quæstione 1.*

INTER conditiones motus simplicis est, vt à natura sit; motum verò Cœlorum esse naturalem simpliciter, negant Auicenna, *9. Metaphysicorum, capite 2.* Scotus *4. distinctione 48. quæstione 2. & in 2. distinctione 2. quæstione 6.* cum Scotistis, apud Fabrum *Theor. 63.* Durand. *2. dist. 14. q. 2.* aiuntque esse neutrum.

VERA sententia Peripatetica est, talem motum 137
esse naturalem. Sic D. Bonau. *in 2. distinct. 14. articulo 3. quæstione 2.* D. Thom. *3. contra Gent. capite 23.* D. Damasc. *in Philos. capite 6.* & communiter apud Conimbr. *1. Cœli, capite 2. quæstione 3. articulo 2.* vt ostendi *Tract. 5. disput. 16. quæst. 5.*

PROBATVR primò à D. Bonauentura *arg. 1.* Corpus naturale habet naturam, quæ est principium motus, & quietis. Cœlum est corpus naturale: ergo. Hoc argumento nituntur cæteri; præcipuè Collegium *loco citato*, Perer. *libro de Natura, capite 6.* estque argumentum Aristot *1. Cœli, text. 5.*

RESPONDET Faber è Scoto, Cœlum habere principium passiuum tantùm, & hinc naturam ei concedit, quam esse principium motus; merè passiuum astruit.

CONTRA arguo ex D. Bonauentura, sicut violentum est, cui passum non confert vim, sed passiuè mere se habet; ità naturale est quod, huic oppositum, confert virtutem actiuè. Sed de hoc satis *Tract. 5. disp. 9. quæst. 9.*

PROBATVR secundò à D. Bonauentura. Om- 138
nis res naturalis habet aptitudinem ad naturæ operationem, Cœlum est corpus naturale sanè perfectum: ergo.

RESPONDET Faber ex D. Bonau. Cœlum habere aptitudinem intrinsecam, non tamen ratione termini determinati, ad quem eget intelligentia; quamuis enim sphœra perfectissima ad motum sphœricum apta sit; tamen, vt moueatur aptè ad bonum vniuersi per lineam æquinoctialem ab Oriente, & per Zodiaci eclypticam ab Occidente, eget intelligentia dirigente; vt dicam *quæst. 20.* Itaque non omninò merè passiuè forma Cœli est ad motum circularem; vt monet etiam Collegium *hîc, & 2. Physicorum, cap. 1. quæst. 3.* Probatur ab ab eo cum D. Bonauentura, *loco citato*, & *art. 1. quæst. 2. eiusdem dist.* ex figura orbiculari inclinante. Addit carentiam grauitatis, & leuitatis renuentis sursùm, & deorsùm. Arbitror, textum Fabri esse mendosum: nam volens ex Pererio probare, motum circularem esse naturalem Cœlis, arguit ex figura circulari. Adest, ait, pro, *abest*, grauitas, & leuitas est substantia incorruptibilis, non habens contrarium.

Hoc

Hoc medio arguit Seraphicus Doctor *hic*, & *art.* 2. *quæst.* 1. Perfectissimo mobili perfectissima natura, atque adeò, quæ sit principium perfectissimi motus, debetur. Cœlum est corpus perfectissimum, luce formatum; quæ est forma substantialis nobilissima, vt ostendi *quæst.* 5. Ergo.

Obiicies primò cum Scoto. Si Cœlum naturaliter moueretur, haberet aliquod *Vbi*, à quo non posset dimoueri, nisi violenter. Sed hoc non habet. Ergo.

139 Respondeo cum Collegio, ex D. Bonauent. *loco nuper citato*, locum eo modo determinatum, necessarium esse tantùm corporibus, habentibus contraria, à quibus lædi possunt: natura ergo dat satis, dans cuique corpori locum pro sua dignitate. Ita Cœlo dat nobilissimum Vbi. Adde remotum etiam à contrariis (si quæ possent esse) Addo, neque ab eo situ diuelli posse sursùm, vel deorsùm, esto motum circularem, ex vi naturæ, & figuræ, habere posset vndequaque.

Obiicies secundò, nullus motus liber est naturalis: motus Cœli est ab intelligentiæ voluntate: ergo. Adde naturam, ideò quia est talis, determinari ad vnum; at motus Cœli sunt varij: ergo.

Respondet Colleg. è Diuo Bonauentura, *ad* 5. Angelos, iuxta appetitum naturæ, Cœlos mouere; determinari autem spiritus motores per Dei imperium, cui ad nutum parent, perpetuò mouendo donec naturæ opera finiantur. Ad confirm. respondet Colleg. è D. Bonau *fundamento* 4. & magis *in corpore*; Cœlos non habere determinatum motum vnicum naturalem ad occidentem, præfinitum à forma, sed circularem, qui est etiam ad ortum; & ideò dum sphœricè mouentur, illos, ait, moueri iuxta naturæ instinctum.

Obiicies tertiò. Omnis motus à natura, est ab appetitu alicuius boni: at Cœli nullam sibi procurant perfectionem: Ergo. Maior est Aristotelis 2. *Physic cap.* 8.

Respondet Collegium, è Diuo Bonauentura *in corpore*, Causas vniuersales perfici, communicando suos influxus mundo, ad quod sunt à Deo institutæ. Hæ igitur causæ, maximè cœlestes, vt partes vniuersi perficiuntur ad suum finem, dum suis gyris perficiunt mundum generationibus innumeris.

Obiicies quartò. Si motus esset naturalis Cœlo, haberet & quietem naturalem. Et si talis motus esset à natura procedens determinatus, quiesceret ab eo violenter; at Cœli à die iudicij quiescent perpetuò: ergo violentum perpetuum.

140 Respondet Aristoteles, Cœlos perpetuò mouendos necessariò. Addit 9. *Metaphysicorum*, *cap.* 4. *text.* 17. rationem, quia non est eis principium contradictionis. At decipitur.

Respondet Sanctus Bonauentura Catholicè *in corpore*, & *fundam. vlt.* Cœlum, cùm sit sphœricum, nec indigens perfectione propriâ, sed solùm vniuersi, cessante fine, quietem habiturum, non miraculo: nam Angeli cessabunt opportunè ab illo mouendo, finito generationum tempore. Itidem cùm ad motus determinatos habeat principium sufficiens; aptum tamen obtemperare motori ob volubilitatem suæ formæ, nulla grauitate, vel leuitate percitum quiescet perpetuò, nec violenter; vt dicam *quæst.* 20. & latè *dubio sequenti.*

Dubitatio II.

An in Motu *Cœlorum sit contrarietas.*

Pater Matthæus Ferchius, otium nactus, duos integros libros implet cœlestium motuum contrarietatibus cum suo Anaxagora, Xenarcho, & suo Philopono. 1

141 At Diuus Bonauentura *in* 2. *distinct.* 14. *p.* 1. *quæst.* 2. & *art.* 2. *q.* 1. & *art.* 3. *q.* 2. & 2. *p. Breuiloq. cap.* 3. cum Aristotele, 1. *Cœli*, *cap.* 4. vbi D. Thomas, & omnes Peripatetici, apud Collegium *ibi*, *quæst.* 1. Piccol. *de Cœlo*, *capite* 33. Suessan. 1. *Cœli*, negant in Cœlorum motibus contrarietatem vllam reperiri.

Eqvidem crucior videns, homines eruditos in disceptando elixari, & torreri, nolentes ad condictum doctrinas accipere, sed varia sibi mira effingendo, vt laneos, & lineos hostes confingant, quos feriant. Et quod, vt ipse P. Ferchius in suo Epitome, & alibi adductus *Tract.* 2. *disp.* 10. *quæst.* 2. granitcr lamentatur, nulla vtilitate libri impleantur.

Videamvs quam contrarietatem à Cœlorum motibus arcere voluerit Aristoteles, mox eam excludemus, quæ verè excludenda est à Peripatetico Christiano.

Aristoteles quidem, cùm oppositiones quatuor vbique doceat Privativam, Contrariam, Relativam, & Contradictoriam: huic vltimæ primum locum dat, mox contrariæ; deinde priuatiuæ, tanquam minùs obsistenti tametsi alio sensu vocetur prima: tum quia est in substantia, cui nil contrarium; tum quia in omni contrario reperitur, sic frigidum calido contrarium, est non calidum; aptum tamen esse. Mitto relationem, quæ minima est positiuarum, & *hic* ad rem non facit. 142

Errans autem Aristoteles voluit, ea saltem, quæ ad ordinem, & statum vniuersi faciunt, non liberè, sed necessitate naturæ, à Deo statui, atque adeò, non potuisse Deum non applicare intelligentias Cœlis mouendis. Proinde, non posse eos à motu quiescere secundùm naturam, quia in eis non est potentia contradictionis, vt moueantur, vel non moueantur. Sic 9. *Metaphysicorum*, *cap.* 4. *text.* 17. Hinc Græci, Arist. Interpretes negant quietem esse Cœlo naturalem: vt Themist. Philop. Simplic. 2. *Physicorum*, Alex. 2. *l. naturæ*, *quæst. cap.* 18. & è Latinis nonnulli apud Conimbricenses *primo Cœli*, *capite* 2. *quæstione* 3. *articulo* 4.

At Diuus Bonauentura *locis hic*, & *dub. primâ allatis* cum Ecclesia Catholica censet, Cœlos à Deo Angelis liberè demandatos, vt eos moueant vsque ad mundi finem, ob rationes allatas *disp.* 1. Quamuis igitur ad motum sphœricum etiam à forma, & figura aptitudinem habeant; non tamen sufficientem, vt regulariter moueantur; aut quies illis contraria sit, vt sæpè refricat Seraph. Doctor, *distinctione* 14. *part.* 1. *quæst. vlt.* Quare contra nos frustra insumptus est ferè primus integer Ferchij liber, & pars secundi, vbi quietem Cœlis naturalem ostendere, satagit argumentis Diui Bonauenturæ *in* 4. *distinctione* 48. *articulo* 2. quæ nos concedimus.

cedimus. Tùm quia Natura est principium motus, & quietis. Tùm quia motus est actus in potentia ad quietem, quæ est terminus, quo obtento, motus cessat. Et si non est ad aliquem finem, est frustra: Igitur motui Cœlorum conuenit oppositio priuatiua cum quiete. Ex his habeo, meliorem esse quietem, fine habito: nam finis optimi rationem obtinet.

Assero, in motu Cœli non esse contrarietatem.

143 Probatur primò à D. Bonauent. *in 2. distinct.* 14. *quæst.* 2. Contraria latio est à contrario in contrarium: at motus circularis est ab eodem in idem. Ergo. Hoc argumento vtitur Suessanus 1. *Cœli, pag.* 22.

Respondet Ferchius *lib.* 2. *cap.* 6. *&* 16. negans maiorem, etenim etiam in partes oppositas reflexionéve ad idem, est contrarietas, ex Aristotele 8. *Physic. text.* 64. *&* 73. Deinde etiam ad quietem est in contrarium positiuum, quamuis enim quies sit motûs priuatio, tamen natura determinata ad motum, & natura determinata ad quietem, sunt contrariæ.

Contra, quia; vt notat Colleg. ibi Aristoteles loquetur de contrarietate lata; cui verò de ea, quæ sumitur in ordine ad centrum, qualis est sum è distantium grauium, & leuium. Etenim propria contrarietas est in eodem genere maxima distantia. Hinc verò malè Ferchius inducit, motum circularem pati oppositionem, quia fit per diametrum ab extremo ad extremum terminum mundi. Hæc sanè non est contrarietas, quia motus mensuratur prout diameter necessariò centrum tangit, circa quod fit motus. Hoc indicat Seraphicus Doctor, si attentè consideretur, in fine corporis cum Aristotele *hic*.

Respondet Secundo *cap.* 18. negans minorem; tum quia circulatio est ab eodem in idem; sed media contrarietate. Sic ab ortu ad ortum cietur, sed medio transitu per occasum oppositum. Tùm quia reflexio in circulo est cum contrarietate, vnde, & quies mediat.

144 Respondet Aristoteles 1. *cœli, cap.* 4. & Collegium *ibi*, cum D. Bonauent. *loco citato* contrarietatem sumi à se, ex maxima terminorum distantia; hæc autem est secundum lineam rectam, si quidem mensura debet esse certa definita, & minima, seu simplicissima. Talis est linea recta iacens inter duo puncta, vt fatetur Ferchius *lib. vltimo, cap.* 4. & alibi sæpè id vrget. Itaque contrarietates ab eo adductæ corruunt.

Hinc Suessanus cum D. Bonauent. & Aristotele secundum sumit argumentum. Omnis motus circularis est circa medium: Sed hoc constituit vnum specie motum simplicem: Ergo non plures contrarios. Confirmatur ab Aristotele. Si circulatio esset circulatione contraria, frustra esset altera ex eis, nam vtraque ad idem punctum proficiscitur; Deus autem, & natura nihil frustra faciunt. (Ibi Græcus habet nomen Dei Theos, indicans, Aristotelem agnouisse esse Deum, vt obseruat hic D. Thomas)

Respondet Ferchius, motum circularem esse vnum specie subalternâ, qui diuidi potest in species oppositas, sicut etiam motus rectus; & ita vterque diuiditur in naturalem & violentum. Addit, motum non habere centrum pro termino; atque adeò non posse ab hoc specificari.

145 Sed nouum est, duas species subalternas diuidi, & postea reuniri. Nam differentiæ inferiores magis diuidunt semper, vt patet in scala substantiæ. Si ergo motus diuiditur in Alterationem, Augmentationem, & Lationem. Latio in rectam, & circularem; quo pacto essentialiter eadem differentiâ vnientur sub naturali, & violento? Meliùs diceret, naturale, & violentum non esse differentias essentiales motus; atque adeò non specificari à termino *ad Quem*, nam ad locum sursum tendit aër natu.ā; & lapis iactus. Iam septies dixit Aristoteles, vnde simplicitatem, etiam à contrarietate remotam, sumat. Quare non debuit nos tot obiectionibus distractis, & ventosis exsiccare. Addam etiam terminum esse eundem.

Igitur concludo cum D. Bonau. *loco cit.* Suessano à *pag.* 23. quòd, cùm contrarietas in motu sit maxima distantia, & hæc sit secundùm lineam rectam, quæ neque inter circulares esse potest, neque inter motum circularem, & rectum; sequitur, non dari in motu circulari contrarietatem.

Prius probatur ab Aristotele, quia omnes motus circulares sunt circa idem centrum, & ab eodem ad eundem terminum, qui sanè sub diuersis rationibus sunt terminus *à Quo,* & *ad Quem.* 146

Quòd neque motui recto sit contrarius circularis, probatur ab Aristotele, quem sequitur Sanctus Bonauentura; quia motus rectus motui recto est contrarius; si autem eidem recto esset contrarius circularis, iam vni duo opponerentur contrariè, quod est contra veram philosophiam. Quòd verò vnus rectus alij recto sit contrarius, probat Aristoteles; quia tendunt in locum superum, & inferum, quæ loca, vt inter se maximè distant; ita veram motuum arguunt contrarietatem, vt indicat sanctus Bonauent. *loco citato.* Et Collegium *ad Aristotelis textum.*

Respondet Ferchius *cap.* 23. contrarietatem rectam esse secundùm solùm semidiametrum; & ideò non esse maximam; quia non secundùm diametrum totam, æqualiter est in circuli partibus. Deinde non sunt duæ distantiæ à centro ad circumferentiam, & ab hac ad centrum, sed eadem. Vbi ergo duæ contrariæ sunt; Distabit idem à se. Contrarietas in motu recto est ratione reflexionis, in qua est formalis distantia, siue secundùm rectam lineam sit, siue secundùm curuam. Negat ergo maiorem. Negat etiam minorem, nempè inter motum rectum, & circularem non esse distantiam, secundùm lineam rectam; quia mensuratur quarta pars circuli per semidiametrum, per quam distantiæ dignoscuntur; & motus per semidiametrum est contrarius motui per quartam circuli. Imò in Physica magis opponitur, curuo rectum, quàm duo recta; hæc enim eodem medio, eisdemque terminis faciunt motum, & sola reflexione, seu ratione differunt termini: at motus rectus, & circularis in nullo conueniunt, quia circularis est à dextro ad sinistrum: rectus ab extrà ad intrà. Cautè autem, nos fugere naturali modo argumentando, dicit, vnde vera oppositio motuum ex mobili sumitur. Maximam verò distantiam esse secundùm lineam rectam negat. Nam magis differt à curua in prædicamento figuræ, quod est Qualitas: Imò secundùm locum circularis diametrum totam peruadit: rectus verò semidiametrum à centro ad Cœlum quo euolant leuia. 147

Concedit verò passim, vnum pluribus opponi, diuersa ratione. Ita ignem in sphæra secundùm suam totalitatem opponi, ait, aquæ motu circulari; motu autem recto, dum extra locum est. Hæc millies refricat, nec probat, sed circulari gyro repetit principium.

Sic igitur dissero. Puncta extrema diametri in motu circulari in ordine ad centrum, non modo Mathematicè, sed magis Physicè, prout destinantur à natura ad vniuersum constituendum, accipiuntur: Ideò non patitur motus in hoc contrarietatem: at motus rectus elementorum, iuxta eorum naturam accipit suas essentiales differentias secundùm oppositiones terminorum naturalium, *ad quos*; esto per semidiametrum tantùm, & in his est manifesta contrarietas sursum, & deorsum; vt ait Seraphicus Doctor. Neque ad hoc plures lineæ requiruntur; sed plures termini. Itaque quod per eandem lineam ignis sursum; & terra feratur deorsum, id valdè materialiter facit ad hoc; vt monet Aristoteles 10. *Metaph. text.* 14. qui, è terminis solis admittit contrarietatem: Ferchius *lib.* 2. *c.* 4. id adducit, dicens, plura distare vna distantiâ, ignem v. g. & terram; sed ipse nec naturali, seu physicâ phrasi, nec Mathematicâ loquitur; nos autem naturali sensu oppositiones punctorum formaliter accipimus.

148 Quæ verò Ferchius adducit ex vario modo mensurandi semidiametrum, & diametrum; & his circulum; peregrina sunt ad arguendam in eo propriam esse contrarietatem, aut compositionem ad condictum. Simili vitio laborant, quæ corradit è materialibus motus physici; & quæ colligit ex differentiis oppositis lineæ rectæ, & curuæ, quæ sunt in genere qualitatis, & in specie figuræ; quas Aristoteles tradiderat 1. *poster. text.* 31. qui sui immemor, alio sensu hic accipit contrarietatem; vt dixi.

Id tandem, quod in ore perpetuo volutat, vni plura opponi sub diuersa ratione; atque ita motui simplici vnius elementi vnum alterius opponi, secundùm eandem rationem: plures verò secundùm diuersas, sic rursus impugno. Ponit ignem, quo Cœlum, & astra constituuntur, esse vnum corpus simplexque elementum. Sic toto 1. *lib de substantia cœli*, docet eandem rationem, totius, & partium non decisarum in ordine ad motum. Hinc, Totum ignem circuire docet: partes verò abscissas rectà ad sphœram tendere. Et hæc est eius iterata distinctio. Docet etiam, motum rectum esse contrarium circulari, & vnum circularem ab Oriente, seu à dextris opponi motui circulari à sinistris, siue ab occasu. & his motibus, ait, cieri Cœlos, & astra, quæ sunt ignis, qui motus, cum Astrologis apud eum, sunt certissimi.

Hinc sequitur, eidem corpori simplici, secundùm eandem rationem, motus contrarios naturaliter conuenire.

Respondet *libro* 2. *cap.* 18. diuersas esse dispositiones eius ignis; nam pars superior purgatior, motu nobiliori à dextris cietur; at inferior astrorum errantium (inter quæ est Sol) vt fœculentus, motu ignobiliori agitur.

Contra primò, quia motus contrarij adhuc eidem simplici conueniunt, prædicat enim totum ignem cœlestem esse purum, & simplicem; vt retuli suprà *in q.* vt distinguat, quo pacto motus diuersus conueniat igni, inter nos, ascendenti; quia mixtus est, quod etiam refelli *in quæst. cit.* Hic verò sol fons lucis ponitur fœculentus ignis, respectu astrorum, quæ illuminat. Planetas verò, quos *lib.* 1. vnum corpus esse refricat; mox *hic* seiungit.

149 Vrgeo: nam & astra firmamenti quotidie ab Oriente in Occidentem vergunt; & ab Occidente per eclypticam tendunt; vt docent Ptolemæus, Clauius, & omnes ferè Astronomi. Cùm igitur sit ignis simplicissimus, & omninò idem; ergo eidem omninò, secundùm omnia, oppositi motus, istique naturales tribuuntur.

Rursus respondet, Ignem Cœlicum indifferentem esse ad motum dextrum, & sinistrum: determinari verò à mente diuina, & passiuè à propria forma ignis depositi ad vtramque lationem, sicuti cùm sit indifferens ad omnem motum vndecunque, ratione figuræ sphœricæ, determinatur ab axi, & polis ad motum secundùm longitudinem orbis. Sic *lib.* 2. *de motus Cœlici contrarietate, capite* 18. astruit.

En deterius labitur. Iam suprà *libro* 1. qui est 150 vnicus, *de substantia Cœli*, maximè *cap.* 15. vrget docentes, quintum Cœlum esse naturam, & eius motum naturalem; quia nomen *naturæ*, & *naturalis* confundunt, & æquiuocum reddunt. Natura enim habet inter nos contrarium, & motus naturalis habet contrarium, quæ negant Cœlo. Itaque Ferchius insistit, vt probet, naturam esse determinati motus principium, & habere contrarium. Quo igitur pacto motus ignis in Cœlis mouetur naturaliter; & est indifferens; & motibus cietur contrariis? Vbi natura est ab ipso exposita, & ab æquiuocis separata? maximè cùm Cœlum ab eo ponatur vnum è nostris elementis, eiusdem omninò naturæ; exsibilatâ quintâ Aristotelis substantiâ?

Quærit verò à nobis: an elementis quies in sphœram sit naturalis?

Dico, esse naturalem, vt accidens conferens ad conseruationem à contrariis vicinis.

Multa opponit Ferchius, quæ partim soluta 151 sunt; & reliqua mox ruent.

Obiicit nouiter 1. *cap.* 7. Motus præter naturam, est contrarius motui secundùm naturam, *ex* 1. *Cœli*, 10. Et è conuerso: motus secundùm naturam, contrarius est motui præter naturam, sed Cœli conuersio est secundùm naturam *ex* 1. *Cœli, text.* 8. conuersio ignis, & aëris est præter naturam *ex* 1. *Cœli, text.* 14. Et non minùs ipsi igni est, præter naturam conuersio, quàm descensus; *ex* 1. *Cœli* 15. Ergo conuersio subcœlestium est contraria conuersioni Cœlorum.

Dico, differentiam illam esse accidentalem mo- 152 tui circulari considerato, vt est constitutiuus, & essentialis mundo.

Instat, quia sic neque motui recto simplicium erit vllus motus contrarius; quia motus naturalis est constitutiuus naturæ vniuersi; violentus autem non. Deinde motus secundùm naturam, & præter naturam, est prior constitutiuo: Ergo ab hoc non tollitur. Tertiò parùm refert: an oppositio sit accidentalis.

Dico cum diuo Bonauentura, Motum rectum habere contrarietatem secundùm recessum à centro, & accessum: sic enim afficit partes vniuersi in ordine ad totum; at motus omnis circularis in ordine ad totum est eiusdem rationis, quia concentricus est ab eodem in idem: Ita in ordine ad totum mundum non opponuntur. Porrò naturale est constitutiuum naturæ aliâ ratione, vt confert ad conseruationem naturæ; & vt opponitur violento, atq; adeò dato vno opposito, debet dari & aliud oppositum. Motus verò, vt constitutiuus vniuersi, est prior naturali, & violento, quia hi motus ad hunc, tanquam finem constituendi mundum, ordinantur. Porrò differentia per accidens, & extra propositum, qualem ostendi, illam in via, & intento Aristotelis esse nil facit.

Obiicit *cap.* 8. Vbi termini contrarij, ibi

cont-

contrariæ transmutationes. In spatio Cœlestis motûs sunt termini contrarij: Ergo. Minor probatur. Nam accipitur ibi longitudo à polo ad polum: latitudo ab ortu ad occasum; crassities à meridiè ad mediam noctem. Tunc sic. Deus, & natura nihil frustra faciunt. Sed in Cœlis sunt media lationum contrariarum: Ergo & lationes contrariæ. Confirmatur, nam inuicem resistunt.

153 RESPONDEO ex iam dictis, eas non esse contrarietates, respectu totius vniuersi, quæ propriæ sunt, apud Aristotelem, sed respectu partium; quas alibi Aristoteles ipse concedit in motibus Cœlorum. Quare frustra vrget Ferchius Philosophi testimonia contra nos.

OBIICIT *cap.9.* Omnis oppositio est in aliquo, è quatuor generibus oppositio positionum non est contradictoria, nec priuatiua, nec relatiua. Ergo contraria. Vrget sæpè. In vnoquoque genere est vna contrarietas. Motus ad vbi, est vnum genus, quod primò diuiditur in rectum, & circularem. Ergo circulari est contrarius rectus. Confirmatur: nam rectum, & curuum sunt primæ differentiæ lineæ *ex 1. post. 35. & 1. Elem. Eucl.* Ergo contrariæ.

154 RESPONDEO, hos motus sub ratione motus, vt sic, etiam ab Aristotele concedi contrarios. Sed quia hi ordinantur ad constitutionem totius mundi; ad hunc autem scopum non opponuntur, qui est finis motuum. Ideò ab Aristotele meritò negantur esse contrarij.

OBIICIT *cap.10.* In circulo Mathematico est contrarietas in fieri, nam fit altero circini pede; manente altero immoto. Deinde in facto esse, vt fatetur Aristoteles *quæst. 9. mechan.*

RESPONDETVR, iterum, Aristotelem ibi dicere contrarietatem esse quodammodo seu impropriè, nempè secundùm rationem Mathematicam; non secundùm eam, quæ est vniuersi scopus; vt toties dixi. Hinc ruunt sequentia *cap. 11.*

155 OPPONIT à *cap. 12.* in motu Cœlesti contrarietates ex Physicis, quas Aristoteles *1. post text. 178.* ait esse, quæ sunt ex appositione; & S. Doctor per additionem nominat. Supponit verò, Omne corpus naturale habere tres dimensiones Longitudinem, Latitudinem, & Profunditatem, nec plures esse posse; quia omnis mensura Magnitudinis fit per rectam ad angulos rectos. Rectæ ad angulos rectos tres duntaxat erigi possunt, circa vnum punctum, vt demonstrat Ptolemæus apud simplicium *primò Cœli*, & Clauium *in cap. 1. Sphæræ.* Igitur ab his tribus dimensionibus, tres locales contrarietates, triaque contrariorum locorum paria prodeunt: Longitudinis extrema dicuntur sursum, & deorsum: latitudinis dextrum, & sinistrum: profunditatis ante, & retro, ex Aristotele *5. Phys. 10. & 2. Cœli à text. 7.* Easque differentias locum esse in vniuerso secundùm naturam, non secundùm nos, docet Aristoteles *3. Physic. 54.* Primò igitur Cœlo contraria est terra, secundùm locum, quia extremè distant. Secundò in motu, & quiete; vt constat. Tertiò, latio cœlestis à dextro ad sinistrum, quæ est primi mobilis, est contraria latione à sinistro ad dextrum, seu ab occasu in ortum. Quartò, accedunt, & recedunt stellæ à medio mundi Quintò; latio recta, & curua sunt contrariæ physicæ. Ideò etiam recta, & circularis, quæ est curua admittunt contrarietatem. Insuper in circulatione ipsa est contrarietas interna, secundùm diametros ipsius circuli in latione latens, ex Aristotele *1. Cœli, 85.* Hæc, aliaque prosequitur Ferchius, dum contrarietatum argumenta. Congerit.

MIRVM sanè; cùm in ipso Aristotele vir eruditus perlegerit, omnes istas, aliasque à se adductas contrarietates, esse partiales, & in sensu à Philosopho ad alia intento; vt suprà latè exposui; Eam verò, quæ ab eodem negatur, sumpta esse in ordine ad totum vniuersum, modo supra declarato, ac toties repetito. Quare frustra Vir præclarus breuitatis amator, ac veritatis, nec non Seraphico deuotus, viginti septem capita, nec minùs triginta tribus paginis, in doctrina Peripatetica Seraphici euertenda insudauit; vt Anaxagoram defendat, eiusque cathedram iam obesam in Scholas inuectam erigat. Iam Aristoteles apud Doctores classicos, eorumque Gymnasia primatum obtinuit. Quare sectatores Aristotelem non eliminabunt, ne & suos Doctores Antesignanos explodant, qui Peripateticam viam, ne transuerso quidem fere vngue percalcarunt. 156

IGNOSCAT mihi hæc omnia refellenti vt seraphicum sustineam, eiusque doctrinam sartam tectam conseruem. Itaque eius libro Ane dicens, pergo. 157

QVÆSTIO VIII.

An detur COELVM *chrystallinum aqueum.*

D. Bonau. dist. 14. p. 1. quæst. 1.
D. Thom. q. 68. art. 2.

TENEMVR iam assignare aquas illas, super firmamentum, ab inferioribus diuisas.

PRIMA opinio fuit, aquas illas, super firmamentum, esse spirituales, idest Angelos. Ita indicauit Philo Heb. *lib. 1. de mundi opificio, in principio.* Id sentit D. August. *13. confess. cap. 15. & 32. lib. 1. de Genes. contra Manich. cap. 11.* Insinuat D. Hieron. in id Psal. *76. Viderunt te aqua Deus.* Expressius, ad id Psal. 103. *Qui tegis aquis superiora eius*; vbi adducit etiam illud Psal. 148. *Aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Expresè hoc sentit Origenes, apud D. Epiph. *epist. ad Ioan. Episc. Hierosol.* quæ inter epist. D. Hieron. est 60. & satis insinuatur ab Origene, *hom. 1. in Genes.* 158

SECVNDA opinio est, aquas illas esse verè elementares. Ita Ioseph. *lib. 1. antiquit. cap. 2.* D. Iustinus *M. quæst. 93.* Tertul. *lib. de Trinit. quæst. 93.* Basil. *hom. 3. Hexaëmer.* Hilar. *in Psal. 135.* Hieron. *epist. 83.* Epiph. *epist. ad Ioan. Hierosol.* Cyril. Hierosol. *Catech. 9.* Ruper. *lib. 1. in Genes. cap. 23. vsque ad 31.* Ansel. *lib. 1. de imag. mundi, cap. 25.* Hugo de Sancto Victore *lib. 1. de sacram. part. 1. cap. 17. & adnot. in Gent. cap. 6.* Richar. de Sancto Vict. *in tract. de except. lib. 2. cap. 7.* Cum hac secunda sententia sentiunt Hippol. & Seuerianus *in Catena.* Eucherius *in Genes. lib. 1. cap. 3.* Theodoret. *quæst. 11.* Cassiodor. *in Psal. 103.* Haymo *in Psal. 148.* Bruno *ibi.* Damasc. *2. de fide, cap. 6. & 9.* Prosper *in Psal. 103.* Anast. Syna. *cap. 7.* Iunil. & Procop. *hîc.* Beda *quæst. 9. in Genes.* Magist. *in Psal. 148.* Comestor *in hist.* Richar. Pampol. *in Psal. 148.* Euthym *in Psal. 105.* Ansel. Laudun. & strabo Fulden. *hîc.* Marius Victorinus *in Genes.* Drepanus *in hymno 3.* Honcala, Deltius, Salianus, Bonfrierius, Cornel. Mersen. Sirinus, Menoch. adde Celadam *de Benedict. Patriarch.* 159

Patriarch. Benedict. 1. Ascan. Martineng. *in Glossa magna*, Amicum, *Tract.* 4. *de Cælo*, *q.* 3. *dubit.* 1. Tanner. *disp.* 1. *quæst. præced.* Molin. *disp.* 10. *de Operibus sex dierum*, Bellarm. *in Psal.* 148. Salmeron. *tract.* 1. *in Euang. prol.* 5. & *tract. vlt. in* 2. *Petri*, *disp.* 4. qui fixo pede in vestigiis Patrum præcedentium sistunt. Eos omnes addere potes, qui in toto spatio etiam firmamenti dicunt, ante fuisse
160 aquas, quos refert Amicus *loco citato*.

Tertia sententia est, aquas supra Cœlos esse quidem elementares, non tamen supra Cœlos sydereos; sed supra aërem. Hi sunt, qui firmamentum dicunt esse aërem, quos retuli, *quæstione* 6. Eam sententiam S. Augustinus ingeniosam acclamat, 2. *de Genes. ad litt. capite* 4. sequuntur autem Beda, *libro* 2. *de elementis Philosophiæ*. Glossa Interl. Eugub. *in Cosmop.* Hamerus *in Genes.* Vvielmus, & Rabbini, quos refert Ascanius ad eum locum, ac Peret. *lib.* 1. *in Genes. circa opus secundæ diei*, qui in hanc sententiam trahit D. Epiphan. qui ait; ex aquis illis superioribus generale diluuium factum esse. Idem sentit Torniel. *in annal. sacris*, *tom.* 1. *in secunda die mundi*, & probabilem censet D. Thom. *part.* 1. *quæstione* 68. *articulo* 2. atque certam putat Suar. *libro* 2. *capite* 4. *numero* 20. Valent. *disp.* 5. *quæstione* 5. *part.* 2. *columna* 950. Arriaga *disput.* 32. *sect.* 1. *subsect.* 2.

161 Quarta sententia est, aquas illas esse Cœlum quoddam chrystallinum incorruptibile. Ita D. Bonauent. (at D. Thom. est problematicus.) Tuentur Durandus, & alij Scholastici, cùm Magistro *eadem d.* 14. Abul. Caiet. Lyran. Cathar. *in Genes.* Ægid. 2. *p. Hexaëmer. cap.* 14. videtur Bedæ *in Hexaëmer. loc. cit.* Clauius *in capite* 1. *sphæræ*, §. *Cælorum, circa finem*. Hi dicunt, Cœlum illud esse corpus præclarum chrystallinum: vocari autem aquas, non propter naturam aquæ; sed propter similitudinem in aliquibus proprietatibus, vt in perspicuitate, in frigiditate, non formali, sed virtuali. Putant enim, Cœlum illud vim habere frigefaciendi, & in hoc etiam aquis assimilari; vt refert Suarez, *num.* 4. Ex quo patet, hoc non esse à solo D. Bonau. excogitatum, & additum; vt clamat Pererius, *loco citato*, vbi etiam ait, hoc sine fundamento à D. Bonauent. prolata; cùm sit sententia etiam tot Patrum. Insuper D. Clementis Papæ, quam ex D. Petri ore edisceerat *Recognit. libro* 1. vt refert Ascanius, *fol.* 232. Idem D. August. 2. *de Genes. ad litt. cap.* 5. Neque aptè ab Arriaga, *disputatione* 20 *numero* 28. soluitur, Nimirum Clementem asserere tantummodò, Cœlos primâ die fuisse creatos, secundâ solidatos, ipsum legito.

Assero primò, aquas illas, super firmamentum assertas, non esse spirituales, sed corporales.

162 Probatur à Diuo Bonaueneura, 1. *fundamento* 1. ex illo Psal. 103. *Extendens Cœlum, sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius*: nam, sicut ibi de Cœlis corporeis est sermo: ita de corporeis etiam aquis, quibus tanquam tignis operiuntur. Hâc authoritate nititur Suarez, *num.* 3.

Probatur secundò à Diuo Bonauentura, *fundamento* 1. ex D. August. *libro* 2. *capite* 5. *in fine*, *tom.* 3. vbi de illis aquis ait: *Qualitercunque sint, ibi eas esse, non dubitamus; Maior est enim huius Scripturæ authoritas, quàm omnis perspicacitas humani ingenij.*

Eas verò non esse spirituales, probatur ex D. August. qui eam sententiam retractat, *lib.* 2. *Retract. cap.* 6. ergo sunt corporeæ.

Probatur tertiò *ibi* à Diuo Bonauentura, etiam ex Diuo Basilio *loco adducto*, & *in corpore*, ex omnibus Patribus, suprà relatis, inter quos etiam refert Bedam, ex Magistro.

Probatur quartò *in corpore*, ex Scriptura *Genes.* 1. vbi dicitur: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*; sed firmamentum illud diuidens est corporeum, vt omnes fatentur; & est, secundùm nos, Cœlum sydereum, & aquæ inferiores sunt corporeæ: ergo etiam aliæ interdiuisæ debent esse corporeæ. Quorsum enim poneretur firmamentum ad diuidendos Angelos ab aquis; cur non potiùs à Terra? cur non ab aëre? 163

Insana est autem responsio Origenis, diuidere aquas, idest, Angelos sanctos, à dæmonibus: nam etiam aquæ inferiores imperantur illicò. *Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt, & appareat arida*, vt indicat *hic* D. Bonauent. & *dist.* 14. *p.* 2. *dub.* 1. *litt.* & post eum Suarez, *num.* 3.

Assero secundò, illas non esse aquas elementares. Eam opinionem reuerenter, ob Patres, refutat Diuus Bonauentura *argumentis*, *secundo loco*.

Probatur à Diuo Bonauentura, primò ex Diuo Augustino *libro* 13. *confess.* vbi ait: *Sunt aliæ aquæ, quæ suprà firmamentum sunt immortales, & ab omni corruptione semotæ*: ergo non sunt elementares.

Probatur secundò à Diuo Bonauentura; 164 quia aqua est grauis: omne autem graue tendit deorsùm; quomodo ergo possunt in tanta multitudine sursùm in Cœlis detineri? Hoc argumento vtitur Suarez, *num.* 11.

Respondent Patres, eâdem virtute Diuina, quâ ibi constitutæ sunt, detineri sursùm. Ita D. Ambrosius.

Instat tamen Seraphicus Doctor *in corpore*: quia Deus res naturali concinnitate disposuit; vt grauia deorsum, leuia sursum stent modo naturali, sic enim res condidit; vt effectus, & actus suos producere [illegible]at; vt suprà vidimus, *quæstione* 6. & ipse Diuus Bonauentura testatur, *post hanc quæstionem*, *fundam.* 4. ex D. August. 7. *de ciuit. capite* 30. & *hic*, *argum.* 5. *ad oppositum*, ex D. August. 2. *de Genes. cap.* [illegible] nec sunt miracula sine graui causa asserenda; vt cum D. Bonau. & D. August. vidimus *disp. hac*, *quæstione* 2. *in assertione* 1.

Respondent alij, firmamentum non grauari aquarum vllo pondere: quia incorruptibile est, & diuidi non potest; imò, quia est solidum; ita Anselm. & Hilarius.

Addit Suarez, *num.* 11. Forsan posse dici in rigore Philosophico, aquas semel positas extra ordinem elementorum, supra Cœlos, ibi non grauitare: quia inclinatio ad talem locum non est, nisi propter ordinem elementorum inter se. Ita soluit etiam Celada *loco cit. fol.* 9. *columna* 1.

Hæc tamen responsio infirmatur: nam, cùm aqua ex instituto sit grauis, & ideò inclinet infra aërem, & ignem; non est cur dicatur extra ordinem elementorum esse in Cœlis: cùm eius appetitus sit ad terram. Ponamus enim in orbe Lunæ aquas, & infra sit vbique vacuum; quis dicet, eam aquam suspensam naturaliter ita mansuram; eò quòd non adsit elementum inferiùs? vt benè vrget D. Bonau. *in argum.*

Probatur à D. Bonau. tertiò consequenter: 165 quia corpora in mundo simplicia collocantur, iuxta eorum nobilitatem; sed aqua est ignobilior firmamento, aëre, & igne: ergo non locatur super hæc omnia.

Pro

PROBATVR quartò. Corpora naturaliter, secundùm maiorem raritatem, & subtilitatem, aliis superstant; sic aqua terræ, aër aquæ; ignis aëri: ergo aqua super aërem, & ignem violenter detinetur; eò maximè, quia est labilis, & deberet elabi. Et hoc violentum erit perpetuum.

RESPONDENT Patres, non esse violentum: quia iussu Dei id fit: magis est enim naturale aquæ, obedire Deo, quàm proprium ordinem seruare, naturæ particulari conuenientem. Addo, collocationem aquarum super Cœlos esse ad finem naturæ vniuersi, qui singulari præualet, estque naturalior; atque adeò non erit miraculosa aquarum illarum collocatio, ac conseruatio. Hæc ratio à Suarez sumitur, ex D. Bonau. *fundam. 6.*

166 CONTRA arguit D. Bonau. *opposito argum. 5.* ex D. August. 2. *de Genes. ad litt. cap.* 1. vbi ait: *Nec quisquam dicat, hæc omnipotentiâ Dei fieri; qualiter enim Deus naturas fecerit, quæritur; non quid de his, per miraculum sua potentia operatur.* Quoad finem verò illum, res gratis dicta est: vt dicam *argum. 6.*

167 PROBATVR quintò à D. Bonauentura. Habentium eandem naturam, & ordinem, est locus idem: quia enim eadem est natura glebæ, & totius terræ, idem est locus vtriusque: sed per vos est eadem natura aquarum, quæ sunt super firmamentum, & quæ infrà: ergo debent omnes habere vnum locum communem.

PROBATVR sextò, quia nullus finis, nullaq; ratio potest inueniri, ob quam aquæ elementares collocentur super Cœlos.

RESPONDET Cyrillus, *loco cit.* Aquas illas seruari ad opus pluuiarum, cùm terra egeret irrigatione, D. verò Epiphanius vult, paratas ad diluuium emittendum: ideò intelligi illud Genes. *Cataractæ Cœli apertæ sunt.* Idem habet Beda *lib. de Natura rerum, cap.* 8. licèt aliam responsionem magis probet. Rich. verò Pampol. *in Psal.* 148. ait, aquas illas diffluere per pluuias.

168 HÆ autem responsiones euertuntur; quia, quomodo diffluere possent aquæ illæ; nisi, vel penetrando Cœlos, vel diuidendo illos; sicut scindunt aerem, è nubibus pluendo. Secundò, si diffluerent per ignem, illum omninò extinguerent, vel ab eo siccarentur. Tertiò, si effluunt in pluuias, & maximè in diluuio: ergo sunt corruptibiles; vt arguit Seraphicus Doctor *argumento 1. suprà allato*, ex Diuo Augustino, quod S. Pater reprobat; dum ait, aquas illas esse incorruptibiles. Præterea si continuò defluunt in diluuiis, & pluuiis; num corpus aliud in eo loco substituitur? num rarefiunt reliquæ? Hæc sanè noua sunt, & sine miraculo fieri nequeunt, vel saltem opus valdè supernaturale requirunt sine fundamento.

169 RESPONDENT alij, relati à Diuo Bonauentura, aquas illas, supra Cœlum positas, esse ad temperandam ignitam naturam Cœlorum, ne actiuitate suà, cætera corpora corrumpant. Ita refert Iustinus M. *quæst.* 93. vbi vult, hoc temperamentum esse necessarium, tum ad stabilitatem firmamenti, quasi per resistentiam, quam aqua illa adhibet, ne astra suo calore firmamentum destruant: tum etiam ad temperationem inferioris aëris, & ad conseruationem aliorum, in terra degentium *Nam summum* inquit, *frigus ab illis aquis mittitur, quo Solis calor, in aëre temperatur.* Hanc rationem probat etiam Diuus Hilarius, quoad posteriorem partem: Theodoretus verò magis priorem partem laudat, *quæstione* 11. *in Genes.* Attamen Beda *libro de natura rerum, cap.* 8. simpliciter dicit, aquas illas fuisse in Cœlo suspensas ad ignem sydereum temperandum.

CONTRA priorem partem responsi arguit Seraphicus Doctor *arg. 6. & in resol.* quia Deus aptè omnia collocauit ad fines, maximè vniuerso proficuos. Cùm igitur Cœlos incorruptos statuerit, eosq; in æternum mansuros dicit *Psal.* 148. non apposuit vicina contraria corrumpentia, inter quæ calor, & frigus, præcipua sunt; atque adeò cùm hæc virtualiter spectata possent vniuersi effectibus sufficere, dedit & Cœlo chrystallino virtuale frigus, & astris virtutem gignendi calorem, eò magis, quò omnia naturali rationi adaptata concinnauit, ac proinde non decuit, contraria in Cœlis vicina apponere, & cogi vtraque perpetuâ violentiâ eorum actus compescere. Sic ferè, etiam Suar. *numero* 16. & multi alij refellunt dictum aquarum vsum. 170

EODEM modo euertitur & alia responsio: nam quomodo aquæ illæ remotissimæ possunt frigefacere aerem, quin frigefaciant etiam sphœras illas cœlestes? Estò concedam, posse illas agere ad talem distantiam, quæ est maxima; vt refert D. Bonauentura *in Compend. Theol. verit. lib.* 2. *cap.* 3. est enim à terra vsque ad Cœlum stellatum distantia milliarium 109375. ad minimum; vt ait S. Doct. & verè 80000000. milliarium.

PRÆTEREA non sunt necessariæ illæ aquæ, ad temperandum aërem: cùm satis per planetas id fieri possit, inter quos Saturnus est frigidissimus virtute; vt notat Seraphicus Doctor *in Compend. cit. libro 2. cap. 7. & ad vlt.* atque aliæ stellæ; vt Astrologi docent: ergo frustrà excogitatur, aërem per medium, adeò extraordinarium, & violentum, temperari. Deficientibus igitur naturalibus rationibus, alij recurrunt ad morales; aquas illas ibi repositas ad exercitium fidei nostræ. Ita Prosper, *Psal.* 103. vel, vt inde ad laudandum Deum assurgamus. Ita Cassiod. & Haym. Beda verò, & Glossa ordinaria, aiunt: *Ad quid vtiles sint, nouit, qui condidit.* 171

AT verò contrà arguit Seraphicus Doct. Deum conditorem ita coniunxisse finem, & vtilitatem, cum ordine rerum; vt non direxerit res naturales inordinatè ad mundi constitutionem: vnde non est credibile, ibi ad finem alium depositas aquas; neque ad finem moralem; cùm res istæ naturales ordinis necessarij, ordinariique, sint; &, cùm non sint ibi aquæ, non possunt seruire ad veritatem fidei, aut ad laudem Dei; cùm satis ex rebus conditis, in numero, pondere, & mensura, assurgat creatura ad Dei laudes; neque est aliquid fide credendum, quod sit incertum; vt notat D. Bonauentura in *fine corporis.* 172

ASSERO tertiò illas aquas esse Cœlum Chrystallinum, seu aquas virtuales. 173

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *ex Genes.* 1. habetur: *Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis*: ergo diuisæ sunt veræ aquæ, & aliæ sub firmamento, aliæ super firmamentum locatæ sunt. Neque per firmamentum potest intelligi aër, vt ostensum est, *quæstione 6. & tractatu 5. disputatione 1. quæstione 2.* Nam stellæ positæ sunt in firmamento, *Genes.* 1. in 4. die; neque positæ sunt in aëre. Deinde Daniel. 3. dicitur; *Benedicite aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt, Domino*; & posteà subditur: *Benedicite Sol, & Luna Domino*: ergo aquæ illæ sunt super Solem, & Stellas; sed non sunt aquæ spiri

spirituales; vt ostensum est *in prima assertione*, neque elementares; vt visum est *in secunda*: ergo veræ aquæ virtuales. Idem habet 2. *part. Breuil. c.5.*

174 RESPONDENT primò Suar. *cap.4. num.5.* Perer. & alij, quòd dicitur priùs, *Fiat firmamentum in medio aquarum*, per quæ verba significatur, non fuisse tunc aquas factas; sed potiùs tunc diuisas fuisse veras aquas; non enim potest Aqua vocari simul *elementum aqua* ex una parte, & ex altera *corpus Cœleste* nisi æquiuocè. Et non est verisimile, vocem eandem æquiuocè sumi in eadem dictione. Neque solùm corpus Cœleste esse potest, quia aquæ sub firmamento non sunt Cœlestes: ergo sunt elementares omnes iam existentes, ac intersectæ firmamento. Confirmatur: nam sæpè ibi repetitur nomen aquarum; vbi si admittas æquiuocationem, tota synceritas historiæ ruit. Dicitur enim. *Spiritus Domini ferebatur super aquas* vbi non possumus magis dicere, illum superlatum fuisse aquis elementaribus, quàm Cœlo illi chrystallino. Deinde dicitur; *Fiat firmamentum in medio aquarum*; vbi nomen aquarum sumitur vniuocè; deinde dicitur *Diuidat aquas ab aquis*: ergo, cùm sint eædem aquæ, non sunt sumendæ pro elementaribus, ex parte altera: ex altera verò pro Cœlo chrystallino, quod æquiuocè est aqua. Tertiò subditur. *Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt, in locum vnum*: vbi sumitur certò pro elemento aquæ. Cur ergo asseremus excogitatum frustrà Cœlum chrystallinum, nomine aquarum; cùm nec ex scriptura, nec ex Patribus, vel Philosophis, aut Astrologis antiquis colligatur; neque satis ex effectibus colligi possit? Vnde enim probant, præcipuè Bonauentura, esse frigefactiuum, aut vniformiter diaphanum; cùm, potiùs videatur astruendum solidum, opacum ad impediendum, nè ad nos radiet Empyreum Cœlum? Ad illud *Daniel 3.* respondet Suarez, *num.25.* ex hoc ordine nullum indicium huiusce rei trahi: quia post aquas illas ponuntur VIRTUTES Domini, & postea, *Spiritus Dei, & nox.*

175 RESPONDETUR, non probari à Suarez, & Perer. aquas illas iam præextitisse; vnde Hebraicè non dicitur; *diuisit aquas, quæ erant super firmamentum, ab his, quæ erant sub firmamento*; sed dicitur absolutè; *diuisit aquas, quæ subter firmamentum*; & *aquas, quæ super firmamentum*; vt notat Valentia, *col.* 950. Vnde, sicut ipsi dicunt, aquas, quæ erant super firmamentum, esse contentas in nubibus; neque tamen adhuc erant tunc nubes: de quo ipse Valen. dubitare cogitur; vt dixi *quæst.6. ad finem* ita possum dicere, factum esse firmamentum diuisorium inter aquas terrestres factas, & chrystallinum faciendum. Sed estò; do, prius factum esse chrystallinum, & posteà naturâ posteriùs firmamentum diuisorium. (nam prima die è Cœlis solùm Empyreum factum est) Ita benè intelligitur intermediatio firmamenti, inter aquas, & aquas existentes, eò magis, quò materia, ex qua factum est Cœlum chrystallinum, erat velati aquosa, licèt postea formâ incorruptibili prædita; quam responsionem ex parte attingit Molina, *tractatu adducto, disput.* 10. Do autem Suarezio, non dici aquam propriè, à materia illa aquosa, ex qua factum est chrystallinum; sed etiam propter qualitates conseruatas perspicuitatis, & frigiditatis virtualis, quæ sunt proprietates aquæ, vt notat Sanctus Bonauentura, vnde non est æquiuocatio, dum per aquas, primò intelligitur materia informis: dum *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, & subditur: *Fiat firmamentum in medio aquarum.* Quòd verò Zelantur vniuocationem aquarum, dico, debuisse zelari etiam vniuocationem firmamenti. At ipsi pro firmamento, modò sumunt secundam, & primam regionem; modò alterutram aëris; modò expansionem, vsque ad Cœlum; modò ad octauam sphœram; vt vidimus, *quæst.6.* Nos verò non admittimus omnimodam diuersitatem, sed conuenientiam; vt notat D.B. nam etiam cœlum chrystallinum est aqueum in sua perspicuitate, frigefactione, &c. vnde saltem analogia inuehitur. Neq; hoc est absonum in scriptura; dum enim ait: *Fiat firmamentum in medio* 176
aquarum, nomen aquarum non sonat vniuocationem, sed aliquid medium, inter diuersa genera aquarum; & sic subdit: *diuidat aquas inter se varias, scilicet, elementares, quæ sunt infrà, à superioribus.* Ideò, cùm subditur: *Congregentur aquæ in locum vnum*, non inuehitur æquiuocatio: nam intelligitur clarè de illis aquis inferioribus elementaribus, de quibus supra. Quòd si *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; quidni super omnes, etiam cœlestes superlatus dicatur? neque verò metaphoricè solùm aquæ illæ dicuntur; sed aliqua proprietate; vt dixi. Cogi autem nos, eas hoc modo asserere, satis constat ex confutatione opinionis eorum de firmamento facta *quæst. 6.* & de aquis elementaribus *in hac quæst.* &, cùm debeant esse aliquo modo aquæ, debemus eas asserere; vt docet D. Aug. adductus *assertione* 1. & docent omnes antiqui Patres, adducti, *quæstione illa*, dicentes, firmamentum esse Cœlum; vt ibi vidimus; & ideò non est nona opinio, vt ipsi fingunt; sed antiqua, saluans vniuocationem, seu identitatem in vno firmamento recensito à Scriptura, quod ipsi in facies varias, Prothei instar, mutant. Quod verò addunt; vnde colligat D. Bonauent. aut cur addat de suo, illas aquas esse frigefactiuas? dico, eum colligere ex SS. Patribus suprà relatis *in hac quæstione*, qui debent ritè intelligi; si supponimus ibi esse aquas; vt ostensum est, oportet illas habere proprietates præcipuas aquæ, qualium possent esse capaces. Di- 177
cant mihi Perer. & Suarez, vnde habeant, hoc esse falsum; cùm assertum sit à tot Patribus prolatis, *q. ista*? cur dicant additum à Bonau. proprio marte; cùm ipsi Patres referant, id asserentes; qui sanè, cùm nequeant de frigiditate formali intelligi; cur non de virtuali intelligi valeant?

CUM igitur Sancti Patres August. *libro 2. de Genesi, ad litt. capite* 5. Diuus Basil. *loco citato*, & Beda, à Magistro adductus, *disputatione* 14. dicant, non esse adeò curiosè inuertendum, quod Scriptura infallibilis asserit; cur ipsi de hoc calumniantur Seraphicum, qui rationibus, & authoritatibus nititur? Addit *fundamento* 3. congruentiam: sicut enim in Microcosmo, in quo partes respondent maiori mundo, posuit Deus cerebrum aqueum à prædominio: videtur idem præstitisse in maiori mundo; vt aquas super omnes Cœlos poneret.

Ex ordine verò hymni trium puerorum rectè 178
colligitur ordo indicans, eas aquas esse cœlestes. Nam primò inuitantur Angeli; deinde aquæ, quæ super Cœlos sunt: neque hæ sunt aëreæ: quia, licèt aër dicatur *Cœlum*, non tamen in plurali dicitur, *Cœli*; vt patet *Hierem.* 10. & 11. *Psal.* 146. *Psal.* 17. Neque obstat id quod addit Pererius, & Suarez *num.* 24. Nomen Cœli in Hebræo carere singulari; estò enim nomen שמים sit duale, carens singulari: attamen sæpè in singulari traduci-

tur à vulgata editione canonica, ad distinctionem plurium Cœlorum. Neque rationem aliam huius distinctionis inuenies, & debet habere fundamentum. Quod si *Zacha.* 8. 12. dicitur: *Cœli dabunt rorem suum,* ibi includitur Sol: quia ros à Sole,& Cœlis est effectiuè; ab aëre verò tantùm materialiter: adde, ibi promisisse,per *rorem,* influxus Cœlorum fœlices; nam illos opponit beneficiis terræ.

190 Quòd verò, post Cœlos, & Solem vocetur omnis spiritus, imberque; quidni? nonnè Spiritus est ventus, vt plurimi exponunt ea verba: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*? Sic igitur descendit ad secundam regionem aëris, vbi meteoræ sunt impressiones; cùm priùs etiam Stellas, Cometasque inclusisset; deinde Ventos inuocat,qui sunt à nubibus repulsæ exhalationes, & deinde ad infimam regionem: vbi ros, &c. ita bonus ordo seruatur. Tandem Doctores isti confundunt productionem luminarium; Nam,dum dicitur: *Fiant luminaria*, asserunt, data esse luminaribus solùm aliqua accidentia; & alia sexcenta inducunt absona, quæ SS.PP. videntes, cuitare conati sunt. Licèt autem non omninò consentiant in assignanda qualitate earum aquarum; tamen omnes resolutè conueniunt,eas esse super Cœlos stellatos; & ideò eorum authoritas nos mouêre debet. Quidquid dicat Suarez, *c.* 4. *num.* 25.

QVÆSTIO IX.

An plures sint orbes COELI *concentrici.*

D. Donau. in 2. d. 2. p. 2. dub. 2. litt. & d. 14. p. 2. art. 1. q. 1. & art. 2. q. 3. & serm. 1. de B. Virg. & serm. de Apostolis.

191 TAMETSI ad Philosophos spectet, de Cœlis disputare: attamen etiam ad Theologos præcipuè pertinet, de his nobilissimis creaturis disserere: vnde, sicut in hac prima parte,de anima latius agunt, non video, cur etiam de cœlestibus agere non debeant: Iam autem vidimus, *tract.* 5. *disp.* 1. *quæst.* 7. Cœlos ex materia compositos, *&* *q.* 8. ex eadem materia,secundùm essentiam, quâ & sublunaria: Ideò nunc videndum, an sint plures orbes distincti, & eiusdem naturæ: Sed quia in orbibus concentris totalibus ponuntur à modernis Astrologis plurimi alij orbes excentrici, de illis *quæstione sequenti* disputabo.

PRIMA opinio est, vnicum esse Cœlum mobile. Ita D. Chrysost. *Hom.* 4. *in Genes.* Acatius Cisalpinus, & idem sentit Dux Iosue; vt habetur *capite* 10. vbi iussit, stare Solem, insuper & Lunam, putans mouendum adhuc Solem, si Luna moueretur: vt aduertit Tost. *ibi quæstione* 19. Andræas etiam Cisalpinus *lib.* 3. *Peripateticarum quæstionum, quæst.* 4. idem censet.

SECVNDA opinio est, Cœlos mobiles esse plures. Hæc est communis sententia Philosophorum Mathematicorum, Chaldæorum, Ægyptiorum. Ita Plato, *lib.* 10. *de Rep.* Aristoteles 12. *Metaph. cap.* 8. S. August. 10. *de Genes. cap.* 29. & *in Psal.* 32. Ambro. *lib.* 2. *Hexaëmer.* Basil. *hom.* 3. & alij Patres. Est communis Theologorum simul, & SS. PP. Hi tamen diuisi in varias semitas dispertiuntur.

ALIQVI duos tantùm Cœlos posuêre; vt Theodoret: 192
quæst. 11. Damasc. 2. *de fide, cap.* 6. *&* 7. Iustin. *resp.* 37. Theophyl. *ad* 2. *Cor.* 12. Clem. Rom. *lib.* 1. *&* 2. *Recognit.* Acatius apud Lyppom. *in Glossa.* Anast. Syna. *lib.* 2. *Hexaëmer.* Iunet *tract.* 6. *cap.* 3.

ALII tres, vt D. Ambros. *lib.* 2. *Hexaëmer.* Basil. *lib.* 3. Philastr *hæresi* 66. quos secuti sunt aliqui; denuò Fuliens. *lib.* 2. *Physic. cap.* 2. *art.* 3.

ALII octo numerant, ita Aristoteles 12. *Metaph. text.* 47. Chaldæi, Ægyptij, & variarum sectarum Sapientes. Loctensis, Thimæus, Plato *lib.* 1. *de Rep.* Pythagorici, D. Aug. *hær.* 4. Orontius *lib.* 1. *Cosmogr. cap.* 5. Scotus 2. *d.* 14. *quæst.* 4. Hanc communissimam sententiam acclamat Poncius *d.* 22. *quæst.* 6. Ruuius 2. *Cœli, cap.* 5. *quæst.* 2.

ALII nouem Cœlos ponunt; vt Ptolæmeus 7. *Almag.* Alphraganus, & alij, relati ab Amico citando; & à Clanio *in c.* 1. *sphœra*, §. *de numero orbium*: & defenditur à Campano *in Theorica octaua sphœra.*

VNIVERSALIS ferè est recentiorum sententia, 193
præcipuè Astronomorum, qui oppositum sentientes anathemate ferè percutiunt; Cœlos mobiles esse decem, & primò quidem ponunt septem orbes planetarum. Primus, in quo insita est Luna: altior Mercurius; tertius Venus; quartus sol; quintus Mars; sextus Iupiter; septimus Saturnus; octauus verò dicitur Applane; cui affixæ sunt 1022. stellæ notæ: Nonus Chrystallinus: Decimus primò mobilis. Horum fundamentum est diuersitas motuum. Cùm enim vni corpori simplici vnicus motus per se conuenire valeat: videant autem, septem planetas in orbibus solidis, velut ære (aiunt) firmissimo solidatis, moueri ab occidente ad orientem per Zodiacum, nullâ seruatâ inter se conuenientiâ in velocitate; inferunt debere esse plures; & quidem videntes, Lunam diebus 27. horis 8. totum Zodiacum circulum percurrere; Mercurium 348. diebus; & aliquanto maiori tarditate, venerem; Solem diebus 365. horis 5. Minut. 49. sec. 6. (de quibus S.B. *in Compend. Theolog. verit. l.* 2. *c.* 7.) Martem annis 2. Iouem ann. 12. Saturnum annis 30. & hi, non modo inter se; sed neque cùm stellis fixis seruent eandem distantiam, concludunt, hos esse in octo orbibus distinctis; & quidem omnes orbes esse octo, vsque ad Aristotelis tempora creditum est.

Postmodum alij comperêrunt, Cœlum stellatum, ab 194
occidente in orientem moueri; quod multò antè Arsatilis, & Timocharis notarunt, ante Christi ortum, anno 330. Cùm autem viderent iam, ab oriente ad occidentem quotidie euolui; vnde & primum mobile anteà credebatur, & eidem corpori simplici duo motus per se nequeant conuenire; deduxerunt, alterum quidem naturalem esse, alterum verò à supremo ei Cœlo tribui: & ita sphœras numerabant: quod clariùs postea viderunt Abrachius, & Hipparcus, 200. ferè elapsis annis, & post 170. annos, alij; & tandem anno Domini 131. Ptolemæus. Elapsis autem annis 100. quendam motum inuenêre in firmamento, nempè trepidationis, seù accessus, & recessus ab Aquilone ad Austrum, formando quasdam spiras. Hinc Alphonsus, & Ioannes de Regiomonte, atque alij, collegerunt, dandos esse duos Cœlos firmamento superstantes, qui ad motus sibi proprios illud rapiant, & tertium motum vnicum ei naturalem esse, ob rationem allatam: quia corpori vni simplici vnus tantùm motus potest conuenire: itavt supremum, quod est decimum Cœlum ab oriente in occidentem, 24. horarum spatio circumeat, trahens eodem gyro omnes inferiores: nonum ab occidente, in orientem trahens octo inferiores orbes, & firmamentum

mentum motu trepidationis flectatur naturaliter: Multi tamen Recentes vndecim mobiles ponunt. Hos sequitur Eustach. *p.* 2. *Phys. tract.* 1. *d.* 2. *q.* 6.

At D. Bonau. secutus Principem Astronomorum Ptolemæum, nouem Cœlos enumerat, septem planetarios, firmamentum, & chrystallinum: ita *his locis*, & *d.* 14. idem sentit 2. *p. Breuil. c.* 3. & *p.* 3. *Centil. sect.* 11.

195 At verò *in Compend. Theolog. verit. lib.* 2. *capite* 3. videtur ponere decem Cœlos mobiles: nam, enumeratis septem planetariis, firmamento, & chrystallino, subdit. *Nomine autem cœli chrystallini, siue aquei intelligitur illa pars materiæ primæ, quæ, secundùm Philosophos, formata est in duos orbes, quorum superior est primum mobile.* Quoniam verò singulari, erga Scripturam, & Patres obseruantiâ ferebatur Seraphicus; tametsi omnia Mathematicorum inuenta optime nosset: attamen videns Scripturam *Genes.* 1. totum spatium, in quo posita sunt astra, ac planetæ, vocare singulariter firmamentum, & in Hebræo רקיע quod est nomen masculinum; cùm non desinat in ה vel ת, &
196 singulare; alioqui non desineret in ע sed in ים similiter & in Græco ex 70. στερεωμα *stercoma*: Similiter etiam Patres sentire plurimos; ex altera verò Mathematicos acriter pugnare; vt testatur etiam quæstione sequenti, notens omnium Magister esse, asseruit, è septem planetariis, & Applane, constitui vnum firmamentum; dequo loquitur *Genes.* attamen hac quæstione octo distinxit orbes diuersos, secundum formas, sicut aër, & aqua: neque secundùm superficies omninò discontinuas, vt duo lapides; secundum diuersitates motuum. *Hic* verò aduertens grauem difficultatem, hinc emergentem: quomodo, scilicet, possent esse octo orbes, propter motus, diuersi & tamen vnus orbis continuus; coactus est dicere, Cœlos istos, non quidem, vt aerem, esse labiles, sed vt aquam crassiorem; quò fit, vt, sicuti multæ fluunt vndæ in eodem mari, nec tamen discontinuantur omninò: ita etiam ordinatiùs moueretur firmamentum tot motibus, quot infrà numerabimus, tum *hic*, tum *quæst. seq.* nam, vt quibusdam placet, 55. distincti motus, computato etiam gemino primi mobilis, & chrystallini, in Cœlis reperiuntur; vt videre est in Glielmo, *de Gloria SS. Trinitatis, discursu primo.*

197 Neque Astronomorum concutiantur aures, dum audiunt, Cœlos fluidos à D. Bonau. astrui; habetur enim in hoc ab eo consensus sapientiorum, meliùs sentientium; vt notat *in corpore*: & primò quidem, etsi Cœlos esse solidos, tenent Peripatetici, cum Aristotele 2. *Cœli, à text.* 43. Ioseph. *lib.* 1. *antiquit.* Plato *in Timæo*, & multi alij, quos sequitur placidè Amicus, *Tract.* 5. *q.* 1. *dub.* 1. Attamen veteres Rabbini Hebræorum Cœlos soliditatis expertes asserere: vt refert Naclantus *in medulla.* Idem sentiunt D. Iust. *ad quæst.* 39. *Orto lox.* Emyssenus, & Diodorus, apud Lippomanum Hebraici idiomatis peritissimum, qui ibi aduertit, nomen Hebraicum Rachia, significare *expansionem*, non solùm rei solidæ, sed etiam fluxæ. Idem sentit Nyssen. *in Hexaëmer.* Chrysost. *hom.* 6. *in Genes.* Lact. *lib.* 3. *de falsa sapientia, cap.* 24. Basil. *hom.* 1. *in Hexaëmer.* Ambros. *lib.* 1. *cap.* 6. Isid. *lib.* 3. *Etymolog. cap.* 49. Procop. *in cap.* 2. *Genes.* Philast. *in catal. hæres.* Richard. de Sancto Victore, *lib.* 2. *except.* 7. Anselm. *lib.* 1. *de imag. mundi.* Hugo Carensis *hîc*, Carth. *ad vers.* 12. Prisci Philosophi apud Aristotelem, 2. *de Cœlo, à text.* 43. Cicero 2. *de natura Deorum*, Plato *in Timæo*, Seneca, *lib.* 7. *natural.* 99. Tyco Brahe, cum peritioribus Astrologis, anuit Fatñes. *lib.* 2. *cap.* 15. Marianna *hîc*, Norimberg. *lib.* 6. *cap.* 5. *suæ Philosoph.* Celada *de Be edict. Pat. Benedict.* 1. Id probat è scriptura *Gen.* 1. *Ecclesiaste* 1. *Psalm.* 18. vbi motus di- 198
urnos, menstruos, & annuos astris, non Cœlis, adscribit Naclantus *in medulla*, Aresius *infrà cit.* Iunct. *cap.* 3. *Sphæræ* Camerarius *quæst.* 24. Poncius *d.* 22. *quæst.* 5. qui propiùs ad Seraphicum accedit. Adducuntur prisci Philosophi apud Aristotelem 2. *Cœli*, & alij à Clauio *in cap.* 1. *Sphæræ*, vbi de noua stella. Amico *tract.* 5. *quæst.* 5. *art.* 4. vbi perperam negat id à Patre aliquo dictum, at *cap.* 5. ait Patres dicentes, astra moueri per orbem, in ea fuisse sententia, quam refert S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 14. *p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. corpora cœlestia esse lumina, se penetrantia inuicem.

Eum tamen refellit Chrystophorus Scheiner, 199
adducens Magistrum 2. *distinct.* 14. Cleastrum *in Genes.* Cathod. *in Psalm.* 148. Ioseph. *lib.* 1. *antiquit. c.* 1. Rupertum, *c.* 22. *Genes.* Cæteros exactè referunt allegati; ac Lipom. *Cat. in Genes. c.* 3. Tanner. *d.* 6. *q.* 2. *dub.* 2. Ioan. Bapt. Lupus, Societatis in Colleg. Neap. Mathematicus, qui eam tribuit Ptolemæo, *lib.* 13. *magnæ constructionis*, vbi ait: Tales cœlestium corporum implicatos motus saluari, nec se mutuò impedire: quia Cœlum nulla penitus resistendi vi pollet.

Quos autem referunt Tanner. *loc. cit. num.* 24. 200
Amicus, *num.* 10. pro se; solidiùs asserunt alij pro nobis. Et sanè illi negant Cœlos labiles; at concedunt cum D. Bon. aqueos, ad modum vitri, quasi congelatos: fuêre enim Patres antiqui in Philosophia Platonici, à quibus id omnes didicerunt; vt ferè agnouit Amic. *n.* 28. *art.* 4. Talis est soliditas, quam suprà adscripsimus firmamento, quoad septem planetarios Cœlos: Maior verò deberi videtur octauæ sphæræ; vbi stellæ fixæ sunt: Sic Rachia significat extensionem, quâ corpus fluidum formatur; vt notant Basil. *homil.* 3. Chrysost. *homil.* 4. Itaque fatetur Amicus, *art.* 3. *in fine*, omnes authoritates Scripturæ, & Patrum, pro opposita sententia allatas, pro nobis explicari posse; atque monet; vt nullus sententiæ huic, tot Sapientum calculis receptæ notam inurat. Accinit Arriaga *de Cœlo*, & *disp.* 31. *sect.* 4. *Hexaëmer.* applauditque nostrum sæculum. Sic corruit Rocchus 2. 201
Cœli, *q.* 16. illam abolitam clamans. Et sanè expediuntur tot Planetarum errores, & incerti tramites, tot eccentricorum Labyrinthi, Epycyclorum circelli, quæ Astologorum è nimia otiositate in lucem prodeuntia, subtiliorum ingenia euertunt, non exercent. Oculari sanè tubo optico Tyco Brahe, & Galilæus aliqua in Cœlis obseruarunt, quæ soliditati Cœli repugnant.

Omitto, obseruatam esse Lunam in primo 202
quarto, intersecatione luminis habere magnas inæqualitates; mox veluti montem esse eutrium, & infra immanem sphæricam ad punctum cauitatem, glaciales, quasi rugas, Iridis phanaticos, & incuruatos habere colores, Pauonisque ambitiosis fulgere, varietatibus, quæ montibus vallantur, lacunis ambiuntur, pendicib altissimis obsidentur: ita vt, tametsi altissimi terræ montes perpendiculam milliarij non transcendant altitudinem: attamen Lunares longè maiores pendices ad quatuor millia ascendant. Hæc sanè ab Amico, *quæstione* 5. *disp.* 3. *artic.* 3. ita cum aliis explicantur; vt nullæ sint in Lunæ corpore inæqualitates, sed

quod totum lænigatum sit: eas verò aiunt esse maculas veras ex raritate partium multarum resultantes, quæ lumen non retinent. Hoc quidem alicubi maximam tenuitatem arguit, vitrea tenuiorem, quam tubo optico sæpè obseruaui.

Qvòd si ita solidum esset corpus lunare, vndique aliquod lumen retineret. Addunt alij, fore, vt in eo, tanquam in speculo, Solis imaginem intueremur; sed hoc postremum non conuincit: nam, vt obseruat Anguillonius, *libro 5. optica, prop. 56.* immensum est adeò interuallum Solis à Luna, & Lunæ à nobis; vt nulla Solis in Luna imprimatur imago, & nulla nobis appareat. Quare neque hoc est validum; vt ostendit Amicus, *numero 26.* cum aliis. Aliam rationem meliorem reddit Sanctus Bonauentura *distinctione 14. part. 2. dubio 3.* quia speculum, vt emittat imagines, debet esse nitidum: at Lunæ corpus est asperum, & inæquale.

203 Addit Amicus, neque illud cogere, quod astris adscribatur motus; quasi non moueantur Cœli. Cùm enim (ait) Cœli moueantur; vt planetas deferant, dicuntur hi moueri: sicuti, qui super equum vehuntur, vel in rheda, dicuntur ire Romam, &c. non equus, aut rheda dicitur eò ire.

Concedit verò, patres aliquos cum antiquis asseruisse, astra moueri per Cœlos, & aliquos penetrationem admittere; quia existimabant, ea esse corpora subtilissima, vt lumen; sic aliter sensêre quam prisci illi apud D. Bonauenturam *2. dist. 14. p. 2. art. 1. quæst. 2.*

Addit tertiò, aliud responsum; posse astra moueri per canales plenos corpore fluido, quasi aëre: & mittit ad Hurtad. *disputatione 2. de Cœlo, sectione 1. §. 9. & 10.* cui fauet Fuliensis *lib. 2. Phys. cap. 2. art. 3.*

204 Hæc tamen gratis excogitantur; & sanè dicitur sisti equus aduehens, dum sistitur equitans; & ire, dum it. Canales verò illi, aere pleni, chimærici sunt, ad effugiendum vacuum, & alia absurda, quæ non verentur admittere.

Tertiò, Cometæ, obseruatione eruditissimi Tyconis, supra Lunam conspiciuntur, vt refert, *libro 2. de mundi ætherei phænomenis, capite 10. articulo 1. parte 246. Et Epist.* ad Rotmannum *an. 10* 1595. addit, pro stultis, & insulsis habendos, qui Cometas sublunares esse asseuerare in posterùm audeant. Idem ait Rotmannus.

205 At profectò alienum est hoc, non modò à cunctis Peripateticis, cum Aristotele, *lib. 1. Meteor. capite 7.* sed etiam à peritissimis Mathematicis, Ptolemæo, Albumazare, Regiomonte, Vegelino *de Cometis*, Clauio, *libro 1.* Colleg. Conimbr. *t. 3. cap. 3.* Georgio Phranza, *histor. libro 5. c. 21.* qui obseruauit Cometen, *ann.* 1430. sub Luna, eam ecclipsasse; eundem situm obseruarunt alij Mathematici Viennæ, & Græcij. Vitel. *libro 10. Theor. 60.* Cardan. *libro 4. subtilit.* Sualtetus apud Tyconem, *libro 7. capite 10.* Logembac. *cap. 17.* Amicus, *Tractatu 5. de Cœlô, quæstione 1. dub. 1. articulo 7.* vbi totius antiquitatis oculatæ fidem Tyconis fallacibus, & incertis molibus admonet nullatenus esse deprauandam. Addit Tyconem etiam cum suis sequacibus, more cæcorum pugnare. Idem sentit D. Bonau. *lib. 2. Comp. T. de veris Cometis.* Vnum mihi durùm; nam tubo optico mihi magis crescebat proportionatè Luna, quam Cometæ *anni 1665. 1666.* ergo Luna est vicinior; dico tamen, id apparere: quia tubo non apparent radij, spurij circa Cometam, vnde non adeò cernitur crescere, & multiplicari. Et cùm sit corpore exiguus; Ideò nil mirum, si paulò grandior apparet; vt monet Amicus, *n. 36.* Etiam stellæ tubo visæ sunt sine radiis. Sed de his *Tract. 7. disp. 3. quæst. 3.*

Observat autem Tanner. *d. 6. q. 3. d. 3. numero 42.* ex Regiomontano, apud Vgolin. in Comete, a se obseruato, non potuisse maiorem parallaxim esse, quàm sex graduum, quæ sanè ostendit, Cometen super terram attolli 8182. milliaria Germanica: ex quo sequitur, illum Cometen fuisse Lunâ inferiorem. Aduerto tamen, quòd, si etiam Tyconi concessero, Cometes, seu etiam nouas stellas esse in firmamento, non adhuc cogar, Cœlos generabiles, vel corruptibiles concedere. Idem obseruat Amicus *num. 35.* Potuerunt enim virtute Dei illa corpora ibi produci. Sic enim Solem retinuit *Iosuë 11.* Retrotraxit *4. Regum 20.* penitùs in plenilunio rapuit. *Matth. 27. Lucæ 23.* Similiter stella Veneris mutauit colorem, magnitudinem, figuram, cursum, vt refert D. Aug. *20. de ciuit. c. 8.* ex Varrone. Vide Tannerum multa referentem; nec dissentit Tyco, *lib. 1.* Hoc autem potuit fieri etiam per penetrationem, vel corpus cæleste liquidum aperiendo. 206

At esto miraculum non concedatur, potuit absque miraculo fieri in Cœlis hæc innouatio.

Probatvr. Si concedantur aliquæ stellæ in Epicyclis, adeò vastis, vt stellas in Perigæo sensibiliter appositas, in Apogæo visui nostro eripere possint. In his ergo Epicyclis stellæ constitutæ, tardissimo motu possent nobis in Perigæo apparêre, & in Apogæo disparêre. 207

Secvndvs modus est, dicendo, in diuersis Cœli partibus esse particulas quasdam densiores, quæ singulæ non sunt visui sensibiles: attamen aliquando simul coire; vt appareant; posteà verò recedentes disparcant, ita vt, etiam in ipso Solis disco varientur maculæ; de quibus infrà, vt monet Tanner. *n. 10.* cum Lessio, *de prouidentia Dei, l. 1. cap. 2.* & Scheiner. *de miraculis Solis.* 208

Tertiò. Probatur assertio à D.B. Mercurius, & Venus, vt assiduis experimentis, etiam tubi optici, clarè constat, Solem proprio motu circumeunt; quòd si non essent Cœli corpora liquida, deberent ipsum Solis Cœlum penetrare, ac frangere. Similiter & Mars ipsum Solis Cœlum magno spatio intersecat. Similiter deprehensæ sunt quatuor stellæ Iouem circumire, & geminæ Saturnum. Vide Iosephum Blancanum *in sphæra, p. 3. sect. 3. Tract. 1. c. 4.* Amicus persistit in suis toties reiectis chimæris. 209

Tannervs *n. 73.* respondet, inde solùm inferri, hos Planetas non habere proprios cœlos distinctos, terram ambienres, sed solùm Epicyclos proprios, in ipso Solis Cœlo positos: At verò, dum inæqualiter mouentur orbes, iuxta placitum sentientium, esse solidos, quod si eueniret, epicycli iam cum suis orbibus diuiderentur. Porrò has persuasiones Planetarum, ante omnes, vidit D.B. *l. 2. Compend. Theol. c. 5.* circa Martis intersecationem cum Sole, Maginus *Epist. ad Tyconem* dubitat; imo plurimi Mathematici repugnant, qui Tyconem suis illis vastissimis aptatis instrumentis deceptum clamant. Et sanè Keplerus, apud Tannerum, & Amicum, septem errores in Tyconis obseruationibus profert inuentos; sed non probat rectè.

Enim verò sunt alia, quæ Cœlos generabiles, & corruptibiles, in aliqua etiam parte omnino fluidos esse testantur: nempè sydera nonnulla progressu temporis apparentia in aliquo situ, & disparentia: Ex quibus sequitur, ea de nouo genita; 210

genita; & rursùs recessisse. Ea refert Aresius *tom. 5. stemmatum* 122. Clauius *in cap. 1. sphæræ*, Hiparchus, Claueianus, Licetus *lib. 5. de nouis astris*, Leonisius, *apud Tyconem*, Dauid Fabricius, Ioan. Keplerns, Vincislaus, Panthaleon, Nicolaus, Saccus, Ricciolus, Liuius, Ignatius, Bucellenius, Surdus, Cardanus, Vuinclerus, Hagecius, apud quos sequens annorum, Cometarumque series passim descripta recensetur.

Anno 1082. ante Christi aduentum, cometes apparuit per duos menses, & dimidium. Mox venti horribiles montis segmentum altè in Thraciam asportauere. Græcia bello dilacerata: Asia Amasonum, & Cimeriorum armis deuastata est.

211 Anno 692. Cometes hyeme apparuit, qui ab occasu æquinoctiali ad austrum motus, iuxta Orionis cingulum euanuit; sed prius tertiam cœli partem suo splendore illustrabat. Successere venti, ac terræmotus, quibus duæ vrbes Achaiæ, Helice, & Bura, in mari sunt absorptæ. Diluuio tota ferè Prouincia submersa. Mox Spartani imperium multo sanguine amisere.

Anno 482. ante Incarnationem; Xerxe Persarum Rege cum exercitu mille quingentarum miriadum erumpente, apparuit Cometes cornutus.

Anno 424. ante incarnationem; alius apparuit. Hinc Græcia contremuit: Ætna exæstuauit. Ortus est Plato; Duo Persarum Reges mortui sunt.

Anno 410. alius ad Septentrionem visus est: pestis horribilis, terræmotus, inundationes aquarū, & sanguinum: Saxum è cœlo cecidit: Athenæ deuastatæ: & plura alia portenta terrorem mortalium animis incusserunt.

Anno 354. Cometa, veluti tuba, protenso: incepit sacrum bellum. Natus est Alexander Magn.

Anno 341. ante Christi ortum, sub Æquinoctiali Cometes visus est: mox Ventus horribilis Corinthum concussit. Athenienses profligati, Græcia imperio priuata est, & libertate: Bella inter Romanos, & Samnites, atque Pyrrhum exarserunt.

Anno 334. Cometà apparente, Alexander cœpit regnare, & quasi fulmen, Asiam vastauit. Regnauit tamen 12. tantùm annis.

Anno 194. quo natus est Mithridates, qui octuaginta millia Romanorum vna die trucidauit; apparuit Cometa per dies octuaginta.

Anno 183. ante Incarn. alius 80. diebus apparuit Cometa, cum bellis, & pestibus.

Anno 173. Alius Cometes effulsit, successit pestis, bellà arsere inter Antiochum, & Ptolemæum. Antiochus Hebræos vexauit. Video *hic* errorem: nam Antiochus regnauit anno 137. post Regnum Græcorum, *Machab.* 1. Igitur detractis 137. ex annis 322. erit annus 155. ante incarn.

212 Anno 154. Iuda Machabæo triumphante, apparuit Cometes.

Anno 149. affulsit dirus cometa, Solis disco æqualis, inde mortui sunt duo Reges, & Tryphon, Ionatham necauit.

Anno 90. alius emicuit Cometes, quo tempore successere bella. Eum refert Hipporius.

Anno 86. ante incarnationem; Cometa propè terram visus est: Bella mox ciuilia inter Marium, & Cinnam exorta sunt: Bellum quoque nauale funestum Italiæ accidit.

Annum 48. bellum ciuile inter Cæsarem, & Pompeum, Cometes præiuit. Anno 42. Cometa ingens mortem Cæsaris præcucurrit. Alius, anno 42. præuenit Trium-viratum: Alius etiam anno 28. Antonij ruinas antecessit.

In Christi Domini Natiuitate sacratissimâ, orta est stella à Deo creata ad indicandam magis viam Bethleem, Iudæisque stragem innocentium. De hac S. Bonauentura *serm. Epiphaniæ* loquitur.

Circa hoc tempus, Augusto ostendit Sybilla 213 in nube splendida Virginem, & radiosum infantem, vt refert Plinius. Die natalis, fons olei Romæ emanauit, & tota die largiter effluxit. Circulus ad modum cœlestis Arcus circa Solem in toto orbe apparuit. Statua aurea, quam Romulus in suo palatio erexerat, quæ prophetabatur se non casuram, donec Virgo pareret; corruit. Vbi Calixtus P. Basilicam Sanctæ Mariæ trans Tyberim extruxit; vt refert Seraphicus Doctor *in Medit. vitæ Christi*, *cap.* 7.

Anno 12. Cometâ coruscante, grandi clade à Germanis Romani quatiuntur.

Anno 48. incarn. Cometes Famem obortam; iudæosque trucidatos anteiuit.

Anno 56. alius Neronis imperium minitatus; Roma tremuit.

Anno 62. Cometes Neronis excidia præiuit, decciditque super Neronis mensam fulmen.

Anno 66. Cometes apparuit: Secuta est Neronis nex. Tres vrbes voratæ. Initium belli iudaici: S. Matthias occisus.

Anno 68. Apostoli Petrus, & Paulus gloriosâ morte triumpharunt.

Anno 71. Galba occisus: Ottho violentas sibi manus intulit: Vitellius necatus, cometa apparuit. Capitolium exarsit.

Anno 72. apparuit Cometa, quasi ensis super Hierusalem. Anno integro super eam pependit, vt refert Ioseph Hebræus, & Diuus Bonauentura, *ad* 21. *Lucæ*, & exercitus in äere pugnantes 40. diebus; & vitula, inter manus immolantium, agnum peperit. Hæc excidium iudæorum prænunciarunt.

Anno 77. Cometes, vt iaculum, visus est prænuntius pestis. Tres in Cypro sunt vrbes absorptæ. Vespasianus, pacis Templo extructo, pretiosis illud donis exornauit.

Anno 187. Cometæ sunt visi, Commodo sæuiente: Quinque imperatores posteà sunt necati: 214 Parthi quoque trucidati.

Anno 204. Cometa. Seueri imperatoris mortem præiuit.

Anno 220. Cometa crinitus coruscauit: profligatus est Macrinus imperator à Barbaris; occisus à suis.

Anno 323. cometes, Arij nefandam pestem, ac mortem Licinij & Crispi imperatorum, præcessit.

Anno 341. cometa ingens mortem Constantini præiuit, multos menses visus est: probabiliùs est mihi illum tamen obiisse anno 337.

Anno 377. cometen secutus est terræmotus ferè vniuersalis; mare erupit: Saxones à Gallis trucidati sunt.

Anno 389. cometes, sub Theodosio imp. ardens, tempestatem, & grandines biduanas adduxit. Maximus imperator occisus cecidit.

Anno 393. alius ensiformis resplenduit, Eugenius Tyrannicè imperium adiit: Longobardi primum Regem elegêre.

Anno 394. cometa similis columbæ visus est. 215 Terræmotus 6. mensibus, plurimas prouincias succussit. Valentinianus occisus est.

ANNO 403. Cometa, cui non fuit ab initio similis, à Cœlo ad terram expansus erat, vt aiunt Socrates, & Sozomenus, apud P.Bucellenium eruditissimum in Nucleo. Strages factæ sunt Constantinopoli à Gaina. S.Ioan. Chrysost.eiectus ab vrbe exulauit.

Circa annum 411. stella visa est, Booti similis, apud Licet. *lib. 5. cap. 8.* Eam Claudianus audacem vocat; quia meridie affulserat.

ANNO 418. Cometa minitante ruinam, Duo Pontifices summi obiere, si credas Liuio Ignatio, sed Zozimum solum tunc obiisse inuenio.

ANNO 434. Cometes affulsit, Vuandalis Africam vastantibus, obiit S. Augustinus, sed probabiliùs anno 430. Constantinopolis incendio ruinam passa est.

ANNO 448. Cometes Attilæ bellum Gallicum præiuit, vbi centum octuaginta millia occisorum ceciderunt.

ANNO 454. Attilæ crudelitates in Italia fera stella præiuit, sicut & Romæ expugnationem à Genserico. Hoc anno Attila mortuus est: similiter Ætius, heu! occisus.

ANNO 462. Cometa, vt tuba, 40. dies, prænunciauit ignem è Cœlo super Constantinopolim casurum: Terremotu mox contremuit semiusta.

ANNO 488. Comete elucente: Mortuus est Zeno Imperator; Etsi veriùs, anno 491. viuus sepultus est: Obiit Anast.Papa; Heruli sunt profligati; captus Rodulphus eorum Rex. Alium ferunt 515. extitisse.

ANNO 532. Lampadius Cometes prominuit Constantinopoli, mox in seditione quadraginta millia hominum necantur. Belisarius Tyrannos premit.

Anno 539. Cometes in sagittario; Pestis, & fames horribilis, qua humanas carnes vorabantur. Mox D. Syluerius in exilio obiit.

216 Anno 541. Persæ Romanum inuadunt Imperium: Pestis, & terremotus depopulantur Constantinopolim: Alarico infertur nex: S. Placidus cum sociis sanctis occiditur.

Anno 555. cometà, vt Lancea, à Borrea in Occasum protenso, Terræmotus decem narratur dierum Constantinopoli. Narses occidit Totilam, & Gothos absumpsit; Vigilius P. moritur.

Anno 557. Cometà Lampadio emicante: Terræmotus narrantur diuersa loca concussisse. Persæ grandi clade profligati sunt à Christianis. Theodora Imperatrix moritur, postmodum Iustinianus Imperator obiit anno 565. Terræmotum Roma adeò ruinosum sensit, vt nunquam tot ruinæ contigerint. Vrbs Barutis vorata est.

Anno 587. Cometes. Roma obsessa est à Longobardis. Mox 590. multi Principes obiere. Inundationes innumeros homines obruerunt. Totus aër infectus ob multitudinem piscium, & monstrorum maris in aridam eiectorum, plurimos sua lue prostrauit.

Anno 590. Pestis grassatur tempore S. Gregorij magni. Pelagius P. moritur. Mox anno 549. Cometes videtur. Sanctus Gregorius hæreticos debellat.

217 Anno 596. vel (vt ait Paulus Diac.) 599. cometes Xiphus, 6. menses, durauit: Ortus est detestandus Mahometes. Sanctus Gregorius Anglos conuertit.

Anno 601. cometes insignis, mortem Mauritij, vxoris, & septem filiorum à Phoca illatam, præiuit

Anno 603. alius Xiphius 3. menses fulsit, tunc occisus Mauritius.

Anno 604. duo sunt Cometes exorti. Mortuus est D. Gregorius magnus. Bella plurima inter Gallos, & Saxones; Longobardos, & Romanos, & inter tres Reges Francos consanguineos tristi clade totam penè Æuropam vexabant.

Anno 617. per integrum mensem fulsit Cometes. Cosroe Persarum Rex Hierosolymam expugnauit, & raptâ Sanctâ Cruce, capto Patriarcha, populo nefandam cladem intulit. Hæc ab aliis referuntur anno 615.

Anno 633. Xiphius, ad austrum, per mensem visus. Imperator à Saracenis profligatus Sanctam Crucem è Palestina Constantinopolim transfert, Bella sæua vbique tumultuabantur, quibus Barbari Christianum imperium exagitarunt.

Anno 676. Cometes pestem Orienti prænunciauit, Regni Gallici cladem auertit S. Audoenus: Moritur Adeodatus P. Locustæ, & diluuia in Asia grassantur.

Anno 684. Magnus in Oriente coruscat Cometes. Moritur S. Leo P. Mauri Africam occupant. Pestis horribilis Italiam peruadit.

Anno 687. horrendus Cometes, circa Pleiadas 15. dies spatiabatur. Mortuo Pontifice, schisma Ecclesiam diuexauit. Rex Galliæ occisus. Anglia vastata, Theodorici exercitum vicit Pipinus. Diluuium in Italia.

Anno 688. Sergius P. schisma tollit.

Anno 729. Duo cometæ: alter præiens; alter sequitur Solem. Frisios debellat Martellus, & ad Christi fidem inducit: Mox 730. ebullit in Oriente persecutio. S. Gregorius Imperatorem contumacem, anathemate ferit: Mox 731. euolat ad Cœlos S. Gregorius P. II. Saracenos premit Martellus Rex. 218

Anno 745. Cometem in Syria secuta est Pestis in tota Græcia: Terræmotus in Syria. Saraceni Cyprum inuaserunt: S. Bonifacius Germanos iuuat. Carlomannus, gentium victor, cucullum induit, anno 747.

Anno 752. Dum Discoides in Gallia rutilabat, Pipinus, iussu Zachariæ P. salutatur Rex. Moritur S. Zacharias, eligitur Stephanus, isque post quatuor dies moritur. Astulphus Italiam inuadit.

Anno 761. Cometes in Oriente decem diebus: alter in Occidente 21. diebus visi sunt. Persecutio in Oriente aucta est. Bella ciuilia in Gallia exorta sunt.

Anno 763. Cemetes Docetes, vt trabs, in æthere pependit. Aquitaneam tertiò debellat Pipinus. Bulgari suos Principes necant. Mox 764. Pipinus alia gerit præclara. Deinde 765. persecutio à Copronymo dirior grassatur. Mox 766. vniuersa classis Imperatoris contra Bulgaros, demergitur, Annoque 768. moritur Pipinus.

Anno 814. Cometes mortem Caroli Magni præiuit. 219

Anno 838. visus est Cometes in Libra, & anno præcedenti alius in Ariete, quo tempore Regnorum diuisio, & bella ciuilia in Francia grauissima extiterunt.

Anno 842. Cometes in Aquario præiuit; & alter anno sequenti, prænunciauit pugnam illam trium Regum fratrum Gallorum, inter omnes cruentissimam. Conciliantur Reges fratres. Moritur Gregorius IV. Mox 843. edit Glossam ordin. strabo Fuldensis Monachus. Deinde 844. moritur Rex Alphon. castus. Mox 845. Normanni Galliam vastant

vastant. Saraceni terrore Italiam implent, & euertunt, sed mirè in reditu à SS. Apost. Petro, & Paulo, atque S. Benedicto in profundo maris demersi sunt.

Anno 868. Cometes mortem Lotharij Regis præiuit, periurij rei plures extiterunt, Terræmotus magnus passim prouincias succussit.

Anno 876. Cometes præfulsit, rubens, vt Mars. Secutæ sunt Pestes, & inundationes, è quibus tertia vix hominum pars superstitit. Ludouicus Rex moritur. Mox 877. moritur Carolus Imperator, Mœcenas sapientum; Deinde, 779. moritur Ludouicus Imperator.

Anno 882. mense Ian. diro rutilante Cometâ; Ruinam etiam rerum Sacrarum inuehunt Normanni in Gallias. In solo S. Vincentij Monasterio 900. Monachi martyrio coronantur. Fames in Italia exoritur: Moritur anno 884. Marinus Papa; Saraceni Italiam vastant. Mox 885. moritur Adrianus Papa Alium ferunt obiisse anno 899. Bella in Oriente, & breui 4. Papæ obiêre.

Anno 905. Cometes mense maij. Moritur Ioan. P. IX. Mox 906. Benedictus IV. postea 907. Leo IV. incarceratur. Arnulph. Imperator 906. moritur; nec non Constantinus Orientis Imperator.

220 Anno 912. Lampadius visus est, Hunnique clades in Italiam afferunt. Subuertunt Saxoniam inundationes, Anastas. Papa III. moritur.

Anno 941. Constantiæ 14. noctes Cometa durauit, pestis animalium secuta est. Nunni a Bauaris sunt profligati: Hugo Rex Italiæ Saracenorum classem combussit. Ottho imperator Alsatiam vastauit. Mox 943. moritur Stephan. P. Deinde 945. Rex Ludouicus captus à Normannis: præuenta est autem captiuitas eius à grandi Comete, anno 943. seu 945. inter Cephæum, & Casiopeam, qui, & famem Italiæ, & Galliæ, mortemque imperatoris Orientis præcucurrit.

Anno 968. Cometes Italiæ clades præiuit. Pontifex carcere intrusus est.

Anno 975. fulgente cometâ; Mortui sunt Ioan. Imp. Orientis, & Rex Edgardus. Triumphantibus Saracenis Zimesca veneno necatur. Benedictus VII. eiicitur. Fides catholica dilatatur, Vuandalis, & Keriemariis reductis. Bardas inuadit imperium, mox carceratur 976. Saraceni profligati magna clade occubuerunt.

Anno 983. Cometes pestem, famem, & Terræmotus præiuit. Otho II. imperator obiit, nec non Ioan. XIV. in carcere 985. è vitâ decessit.

Anno 999. Lampadius præcessit schisma. Moritur Greg. V. Mox 1003. Syluester secundus. Terræmotus magnus etiam hominibus tremorem incutit.

221 Anno 1005. Cometa horribilis Octobri, Famem signauit vniuerso, & dirissimam pestem.

Anno 1011. Lampadius cadens, pestem, famemque prænuntiauit, quæ maiorem hominum partem absumpsit. Mox anno 1012. moritur Sergius P. succedit Benedictus, eiectus à Gregorio intruso: Hierosolyma à Saracenis capitur, qui Basilicam Sancti Sepulchri diruere. Dani Angliam inuaserunt.

Anno 1017. cometes horridus quatuor menses minitatus est. Saraceni ab Italis sunt dissipati. Manichæos è Galliis expulit Rex Robertus Pius: pestes, & bella vbique sæuiebant.

Anno 1027. cometes præcessit pestem adeò sæuam, vt viuentes non sufficerent cadaueribus humandis.

Anno 1039. Docetes præiuit bella plurima: Mortuus est imperator Conradus. Mox 1040. bellum Bohemicum Cæsari infaustum accidit: anno 1042. Michaëli imperatori oculos effodit Constantinus Monomachus.

Anno 1043. comete prælongam caudam trahente, fertur Elmetium virum sanctitate celebrem dixisse: *Venisti multis Martyribus lugende; dudum est, quod te vidi; sed multò terribiliorem te intueor, patriæ huius excidium minitantem.* Sed 1044. schisma horrendum. Anno 1046. Gregor. VI. Pontificatui ad pacem renuntiat. Henricus imperator duas vrbes Hungariæ demolitur; alias expugnat. Moritur imperatrix.

Hoc anno 1046. referunt Zonara & Curopalates, visum fuisse cometem, in Occidentem propè euntem. Secutæ sunt calamitates Christianorum, quas Turcarum maledicta gens vbique inuexerat.

Anno 1058. in Polonia Cometes apparuit; 222
deinde mortuus est Rex Casimirus. Post 3. annos pestis, & terræ motus Constantiæ contigit. Mortuus est Stephan. IX. Anno 1059. In Concilio Romano, hæresim abiurat Berengarius. Mox 1061. Moritur Nicolaus II. Cadalous intruditur ab Imperatore contra Alexand. II. legitimè electum, & inde magna orbis turbatio secuta est.

Anno 1066. die Paschæ, vniuerso orbi cometa splenduit infaustus. Bella in toto orbe Aquilonari plures exercitus fuderunt. Haraldus Rex Angliæ, à Guglielmo inuasore occisus 1067. Mortuus est Constantinus Ducas, Imp. Orientis. Mox anno 1068. Diogenes de Turcis triumphat. Romanus iterum, atque iterum eos dissipat, qui anno 1071. captus a Turcis; Mox dimissus, oculis priuatur iussu Michaëlis, Ducæ filij. Sabellius, & Palmerius hunc cometem ponunt anno 1067. magnum habentem discum, Lunæ æqualem, mense Maij in fero: Prima die visus est emittere fumum, & nebulam; sequenti comam, quæ, quantò augebatur, tantò Cometem minuebat: Et 40. dies visus est durare.

Anno 1071. Stella insolita apparuit, ac posteà 223
cometes magnus flâmiger. In Oriente res suas promouent Turcæ. Mox 1073. mortuo Alexandro P. omnium acclamatione eligitur Hildebrandus, Prior Cluniacensis dictus Greg. VII. heros summus, qui postcà legibus sanctis imperatorem prouocauit; A Cinnio Vrbis Præfecto captus, à populo liberatur. Mox Imperatorem, conciliabulo tentantem ipsum deiicere, excommunicauit, atque atteriuit, etsi captâ Româ fuerit obsessus.

Alius fulsit 1084. Prouinciæ Orientis à Turcis ereptæ, Romano Imperio annexæ sunt. Anno 1097. cometâ Octobri dominante, Impedita est pluuiis seminatio. Bellum sacrum prouectum est Mahometanorum clade ingenti. Secuta est magna rerum penuria.

Anno 1099. aliàs primo Octobri, per 14. dies, visus. Christiani Hierosolymâ expugnatâ Regeque occiso, Goffredum coronant, qui anno sequenti moritur.

Anno 1101. Ingens cometa, Solis sub occasu emicat, moritur filius imperatoris, obeunt etiam Rex & Regina Daniæ cum Rege Angelorum. Carceri mancipatur Pontifex.

Anno 1104. Plures Cometæ coruscarunt. Multa hinc certamina in Palestina magnam infidelium cladem protulêre. Bella inter imperatorem, eiusque filium dira dominandi cupido prouexit, totoque

orbe pestes, bella, fames, vrbes, prouincias, regna depopulabantur.

Anno 1106. cometes affulsit cubito ferè Solis vicinus. Imperator, multis vrbibus expugnatis, mortuus est, & quinque annos ob excommunicationem iacebat insepultus. Mare 100. passus erupit.

Anno 1107. cometes niger protensâ comâ; Et bis tres Soles visi, prædixêre cruenta infidelibus certamina: Mortuus Boëmundus, & Rex simul Galliæ. Henricus V. Papam premit.

Anno 1108. cometam Bella, & seditiones in Anglia sequuntur.

Anno 1110. Cometa crinitus rutilauit ad Austrum: Bellum Italiæ infert Henricus V. Rex Poloniæ, quadraginta millia Pomeraniæ occidit; & 1113. pestis grassata est.

Anno 1115. cometes fulsit sex menses: Cruentum iniuit certamen Henricus V. cum Saxonibus. Veneti Dalmatiæ vrbibus potiuntur, moritur Paschalis Papa, anno 1118. Terræmotus horribiles; Fames, pestisque animalium passim grassatur. Moritur Alexius imperator Orientis.

225 Anno 1141. comete elucente, multi homines à Lupis vorantur, Schismata obtruncat D. Bernardus.

Anno 1143. ad superos euolat. B. Innocentius II. moritur, cum Imperatore Orientis. Anno 1144. Christiani, ope Sanctæ Crucis, Arabes dissipant: fuit autem Discoides anno 1143. successêre vermes volatiles, & pestis. Breui 3. Papæ obiere: Multi Christiani ad Terræ Sanctæ defensionem abiêre.

Anno 1165. in Scotia, comete, geminato radio, ardente, post dies 14. obiit Malcolmus Rex Scotiæ, *Virgo* dictus.

Anno 1168. duo cometes absque cauda irradiant. Duo Reges, Galliæ, & Angliæ confligunt: Terræmotus & strages, montes, camposque deprimunt. Alium referunt anno 1090. impietates Andronici, Bellaque imperio Romano perniciosa præsignantem.

Anno 1211. Cometa in Polonia, dies 18. caudatus ad Occidentem, præiuit aduentum Sarmatarum, ex Asiaticâ Scythiâ, multas subuertentium prouincias.

Anno 1214. Duo cometes in Scotia exarsere, alter præibat; alter sequebatur Solem. Tartari inundant: Obiit Guillielmus Rex, & Innoc. III. 1216. Galli de Anglis triumphant.

Anno 1221. Cometes in Anglia emicuit, Terræmotus, venti, inundationes pluuiarum, bella, & fames, clades, stragesque vbique accumulant: Moritur Rex Galliæ.

226 Anno 1223. Dirus exarsit in Gallia cometes, Christiani Damiatam perdunt, Rex Daniæ capitur. Terræmotus Sabaudiam concutit.

Anno 1224. Cometes ardet ad Polum Arcticum, radians inter Orientem, & meridiem, præit desolationem Hungariæ à Tartaris aduectam.

Anno 1241. cometes visus est in Anglia 30. dies: ibi bellum adortum est. Mortuus est Cælestinus V. post Greg. IX Mons in Burgundia confractus suâ ruinâ plurima loca subuertit: Fridericus imperator Italiam oppressit: S. Luthgardis Tartaros, à Germania, Polonia, Hungaria, suis auertit orationibus.

Anno 1247. S. Ludouicus bellum sacrum parat.

Anno 1254. Cometes Germaniæ imminebat plures menses. Ventis horribilibus syluæ cuulsæ, domus, & alia ædificia solo æquata iacuêre.

Anno 1255. cometes affulsit Angliæ: Genuenses Venetorum rempublicam vexarunt, Ezelinus sæuit. Factiones Guelphorum, & Gibellinorum recrudescunt in Italia: Manfredus pontificios profligat.

Anno 1264. tribus mensibus cometa ingens rutilauit, & eâ nocte euanuit, quâ Vrbanus IV. obiit: 227
Secuta est pestis, Sultanus in Syria Christianos dissipauit. Polonia magno excidio deuastata est; Mauri in Hispania sæuierunt. Basilea inundatione aquarum desolata est: institutum est festum Augustissimi Sacramenti. Anno 1265. Victi sunt in Hispania Mauri. Mox anno 1266. Carolus Gallus Manfredum in acie necat: Visa est hæc stella ad Aquilonem inter Cassiopeæ signum.

Anno 1268. Cometes in Scotia exarsit: post 228
duos annos, ventus, & tempestas Scotiam vastauit, ignes per domos accendit, & Regnum ferè combussit. Sanctus Ludouicus Rex mira agit: mox Tuneti, Regnum Galliæ cum cœlesti patria, pro fide decertans, commutauit.

Anno 1285. cometes apparuit. Pisani contra 229
Venetos, olim conspirantes cum Genuensibus, ab his trucidantur. Mortuus est Rex Aragonum, vulnere à Gallis in prælio accepto.

Anno 1298. cometes necem imperatoris Adulphi præiuit. Hic ab Alberto Austriæ obtruncatur: Multa bella cædes plures protulêre.

Anno 1300. Cometes Italiæ subuersiones præiuit, Sciara Bonifacium Papam in carcerem conjecit; qui mox obiit.

Anno 1301. Cometes clades in Flandria prænunciat? Venti, & diluuij excidium afferunt.

Anno 1304. cometes tribus mensibus splendescit ad polum. Prælium inter Gallos, & Flandros cruentum terra, marique actum est. Redundauit Danubius.

Anno 1305. cometes hebdomadâ sanctâ fulgurat. Venceslaus, Rex Bohemiæ, necatur. Pestis ferè vniuersalis orbem depopulatur. Sedes pontificialis Auenionem transfertur. Imperator Paleologus obiit, Albertus imperator à nepote interficitur 1308.

Anno 1312. arsit cometes, quo tempore Henricus VII. vi coronatus, Florentiam obsedit; sed 1313. optimus imperator extinguitur. Anno sequenti, equo delapsus in venatione Philippus, Galliæ Rex, moritur. Moritur & Clemens Papa, hoc anno 1314. Cometes horribilis 3. menses fulgurauit, bellum schismale imperij octo annis cruentum perdurauit. Mortui sunt duo Reges Galliæ.

Anno 1337. Duo cometæ, primus quatuor 230
menses; alter tres, visi. Locustæ Solem abscondebant quatuor annos; sed in 4. voratæ à Ciconiis, Coruis, &c. Pestis passim sæuiit: Electores, decertantes pro imperatore, ciuili clade sese mutuò infestant. Saraceni in Hispania trucidati cecidere.

Anno 1340. cometes cladem Francorum, pestemque Tusciæ præiuit, & stragem ducentorum millium Saracenorum Granatæ prænunciauit: obiit anno 1342. Papa Benedictus X.

Anno 1347. sub Tauro Cometes apparuit, magnum mox prælium inter Gallos & Anglos furore magno peractum est, vbi viginti millia hominum periere. Anno sequenti pestis grassata est. Ludouicus imperator venatu rediens, equo delabitur & apoplexiâ

apoplexiâ moritur. Anno sequenti Pax Galliæ redditur. Pestis toto orbe desæuit: Bella inter Patrem, & filium Scaligeros exoritur: Locustæ Cyprum, & Africam demoliuntur.

231 Anno 1353. Cometes fulsit Cœlo ardente; moritur deinde Papa Clemens VI. alij 1352. Veneti Ligures vincunt, Ludouicus Hungarus Venetis bellum infert. Locustæ voraces famem aduocant.

Anno 1365. Comete micante; Amurathes Turca oppressâ Thraciâ, Seruiam, & Bulgariam occupat. Pax inter Gallos, & Anglos concluditur Orientis res prosperæ succedunt.

Anno 1367. Vrbanus sedem Romam refert; cui Paleologus Imperator obediens occurrit.

Anno 1375. Cometem sequitur Caroli IV. Imperatoris Mors. Florentini contra Papam multas vrbes commouent. Ioan. Cantacuzenus ex Imperatore fit Monachus: Mox 1376. a filio exauctoratur Paleologus, à Venetis restituitur.

Anno 1377. hæresim Vuiclephi debellant Monachi in Anglia: Moritur Rex Eduardus. Mox anno 1378. Greg. Pap. XI. & Carolus Imp. è viuis discedunt.

232 Anno 1391. Cometa ad instar Veru, sursùm radians, pessimum præsignauit euentum. Terræmotus successit in Heluetia; Bellum recruduit inter Galeatium Vicecom. & Florentinos: Asiam ferè totam occupant Turcæ. Exurgit Tamerlanes Tartarorum Imp. Graui à Baiazeto afficitur clade Sigismundus Rex Hungariæ. Strage ciuili multi succumbunt; Moritur Antipapa: Mox Galli pro Ecclesia insudant, vti solent.

Anno 1400. Cometa horrendus caudatus incessit. Secutæ sunt calamitates plurimæ, Pestisque atrox. Imperator deponitur. Sigism. Rex. Capitur. Galeatius Dux Mediolani in Italia moritur; anno 1402.

Eodem Anno Cometa Orientem versus means, Tamerlani aduentum præiuit, qui veluti turbidus torrens Asiam exundauit sanguine, vt altos è caluariis muros ad pompam extrueret: In Armenia Turcam Baiazetem victum, benigne excipiens, consedens in stragulo, interrogauit: *Quid de me cogitaras, si victor euasisses?* Cui Turca: *Si mihi numen victoriam misisset, posuissem te in cauea ferrea & circumduxissem ostentui omnibus gentibus*, Cui iratus Tamerlanus ait: *De ore tuo te iudico.* Eum in cauea ferrea inclusum sex annos tenuit, vt eandem ad mensam, & vt stapedem ad equum conscendendum. Is tandem, capite inter ferrum confracto, se necauit: Mox 1404. moritur Bonifacius IX. Deinde Innocentius Papa, fuga incolumitatem arripit.

233 Anno 1403. Cometes Tamerlani mortem anteuolans, Ingens Regnorum catastrophe præsignauit.

Anno 1407. Cometes Mahometis arma præiuit, qui magno impetu sibi subiugauit Valachiam, Seruiam, & Illyricum: Sigismundus à Turcis confractus, interiit. Schismata, & scandala totum mundum concitant.

Anno 1435. in Polonia visus est Cometes, tres menses ad occasum radians; Moritur Rex Vladislaus: Fames in Germania quatuor annis tristem cladem adduxit: Tumultus, & bella peruadunt Italiam. Epidemia in Heluetia oritur: In Concilio Basileæ Schisma horrendum: Ecclesiæ membra discindit; pax Galliæ redditur.

234 Anno 1434. ardente Cometâ, Thessalonica à Turcis ingenti clade expugnatur. Amurathes Belgradum obsidet, & perditis myriadibus centum, abiit confusus.

Anno 1439. Comete in Polonia viso, Pestis Constantiam vexauit. Imperator Sigismundus obiit: Basileæ Concilium Eugenium Pap. exauctorauit intruso Fœlice. Albertus Turcas ab Gungaria auertit, posteà moritur. Mox anno sequenti ars Typographica in Germania inuenta est. Annis seq. Hunniades, Turcarum sanguinem, velut torrentes profudit.

Anno 1444. Cometes in Tropico Cancri prælium illum cruentum Varnæ præfigurauit, quo Amurathes Vladislaum Regem Poloniæ, & Hungariæ necauit. Ioannes Hunniades Turcas anno 1446. compescuit. Scanderbechius eos pariter repetitis cladibus profligauit. Alia prælia, & terræmotus, vrbes & prouincias subuerunt.

Anno 1546. 19. gradus Cancri per mensem Comete durante; Terræmotus in Regno Neapolitano. Procella horribilis in Tuscia: Prælium cruentum Belgradi, Christianis de Turca triumphantibus, contigerunt.

Anno 1457. Cometes niger sub piscibus integro mense stetit. Rex Alphonsus de Genuensibus victor triumphat; posteà moritur: Bella ob id in Italia oriuntur, Pestisque sæua grassatur. Mahometes Corinthum capit, & Achaiam occupat. Moritur Papa Calistus. 1458. Rex Hungariæ veneno necatur. Danus Suetiam inuadit, prælia inter Persas, & Turcas plurimos rerum status inuertunt. 235

Anno 1460. Cometæ radiante: Mahemetes Imperium Trapezuntij, & Metelinum occupat. Hungari cum Venetis contra Turcas rem Christianam promouent.

Anno 1471. Cometes armatur vt miles. Turcæ mox excurrunt Dalmatiam, Croatiam, Stiriam, Eduardus, capto Rege, Angliam recipit. Moritur Georg. Rex, & Paulus II.

Anno 1472. Cometes rubens radio longo, & nigro ad occasum, sub Coluro æquinoctiali, sub Libra; mox ad Polum versus dies 80. visus, Asconès dictus, vt pertica apparuit.

Novvs ignitus visus est in Ariete, ad Orientem vibrans. Papa contra Turcam Principes mouet. Gallias turbat Burgundus: Mox anno sequenti ariditas, pestes, & bella cruenta cientur. Vsvncassanvs Rex Medorum, Persarum, atque Parthorum, bis cum Mahomete Turca confligit cæsis vtrinque innumeris; Alphonsus Lusitaniæ Rex Africam inuadit, multasque vrbes expugnat, è siccitate, Danubio pedibus traniecto, syluæ ardebant. Henricus Hispaniæ Rex moritur, vnde bella, & tumultus conciantur. Anno 1475. Iubileum conceditur. 236

Anno 1475. Cometes in Libra per septentrionem, vsque ad Cepheum motus, mox ad Zodiacum reuersus, per Arietem transiens, à Sole tandem occultatus abiit. Magna siccitas, etiam fontium, lethalem sitim prouocat: Henricus Rex Angliæ, cum filio occiditur. Turcæ Hungariam percurrunt, sed in Moldauia grandi clade percussi ad sua recurrunt. Carolus Heluetiis 500. mersis, & suspensis, ab eis cæditur; necatis 30000.

Anno 1479. in Arabia Cometes, vt trabs acuta, punctis distinctus, & falce appensâ fulget. Turcæ Corinthiam deinde deuastant. Classis Turcarum Otrantum destruit: Dolæ triginta millia Gallorum cæduntur. Hinc Rex Ludouicus iratus Dolam demolitur. 237

molitur: Rhenus inundat. Mox obsident Rhodum Turcæ repulsi, amissis triginta millibus; totidem in Transyluania Stephanus Battoreus mactat; sed ad Hydrontem duodecim millia Christianorum necantur, anno 1480. Venetæ lacunæ gelu indurantur: Mox 1481. Concilium Romæ contra Turcas conuocatur. Moritur Mahometes primus Imperator, Orientis Tyrannus.

Anno 1491. apparuit Cometes, cui pestis animalium succedit. Tumultus in Germania oritur. Exercitus Maximiliani Artesiam occupat: Moritur Innoc. VIII. 1492.

Anno 1492. Cometes duobus mensibus, alto Cœlo eminet: Imperator a Ladislao profligatur. Moritur Rex Poloniæ: Pestis succedit animalium. Morti succumbit Imperatoris collega Fridericus. Turcæ Croatiam prædati ditantur: Galli in Burgundia trucidantur à Germanis: Columbus ad nouum mundum aperit viam.

238 Anno 1500. Cometes in Polonia in Capricorno, ingentis magnitudinis, 18. dies fulguriuit. Tartari interim Russiam, & Poloniam excurrunt. Moscus Lithuanum inuadit. Inundationes aquarum rapidè passim obuoluuntur. Zurici grando procera homines, & bestias occidit: In Heluetia lapides grandinat excessus frigoris, & caloris; Sfortia ab Heluetiis venditur: Hispani Regnum Neapolis occupant. Rex Galliæ ducatu Mediolani potitur: Seditiones in Germania cientur. Iubileum Romæ prædicatur: Galli cum Hispanis pro Regno Neapolis bellantur.

Anno 1502. mox 1503. moritur Alexand. VI. & Pius III. Alburguerguius Indias occupat. Pelluntur Neapoli Galli 1504.

239 Anno 1506. Comete, sub Vrsa maiori, rubente, Moritur Philippus Rex Austriæ. Prælia cruenta Persarum cum Turcis promouentur. Conspiratio omnium ferè Christianorum Principum, contra Serenissimam Rempublicam Venetam, factitatur Bella cruenta succedunt. Selimus contra Baiazetem Imperium parricida inuadit. Terræmotus accidunt Bizantij, Bella in Moscouia & Valachia actitantur. Moritur Rex Angliæ. Almeida clade barbaris respondet. Multæ Venetis Vrbes ereptiuntur.

Anno 1512. Cometes in Vere sanguineus, duobus mensibus se exhibuit: Moritur interea Iulius II. Selimus parricida, & fratricida salutatur Imperio. Ad Rauennam Galli Pontificios, & Hispanos vincunt, cæsis sexdecim millibus Gaston de Fois triumphans, occiditur à milite.

Anno 1513. à fine Decembris ad 19. Febr. Comete à Cancro ad Virginem euolante: Alter fulgebat in Oriente sanguineus. Venit tunc primò Rex Franciæ Mediolanum. Mortuus Rex Philippus II. Solimus Persas vicit, Mamalucos extinxit; ægyptum occupauit. Sultanum suspendit: Multa cruenta prælia rerum vicissitudines ostentabant. Ex Orco Lutheri secta erupit, Franciscus Rex Galliæ, cæsis Heluetiis, Mediolanum recipit.

240 Anno 1520. Docetes, mortem Selimi, Solimanique coronam præiuit, Belgradi quoque casum, & Hungariæ ruinas. Coronam Carolus V. obtinuit.

Anno 1521. Cometes in extremo Cancri emicat. Bella in Papam machinantur, Leo X. moritur. Nauarra bellis oppressa iacet. Anno sequenti Solimanus Rhodum capit. Lutherus proscribitur: Mediolano exuuntur Galli.

Anno 1523. Cometa in Regno Neapolis prominente; Diluuium exundat; postque duos annos viginti quinque millia Hungarorum à Turcis necantur cum Rege: Obiit Adrian. VI. Germani, Angli, Flandri Galliam inuadunt. Rex Galliæ Franciscus fugato Borbonio, Insubriâ ferè totâ, & Mediolano potitur, sed anno 1525. Tycini fusus capitur. Ordo Patrum Capucinorum instituitur.

Anno 1526. comete exiliente; variis obruuntur Italiæ vrbes calamitatibus. Poloni Sarmatas ingenti clade profligant. Locusta, & Bruchus obuia quæque demoliuntur. Buda depopulatur: Veriùs hoc anno, Rex Ludouicus à Solimano occiditur. 241

Anno 1527. Mirabilis figuræ comete, vna hora & quadrante, viso in Palatinatu: Roma expugnatur a Cæsarianis; Pontifex capitur. Borbonius in expugnatione occidit: Henricus VIII. Angliæ Rex a fide deficit. Rex Galliæ ad Papam liberandum exercitus mittit.

Anno 1529. quatuor Cometæ appositi ad quatuor mundi angulos fulminabant. Viennâ obsessâ, & Buda captâ, equites melitensem Insulam acquirunt. Solimanus Hungariam, & Austriam vastat.

Anno 1530. Cometes 20. diebus, per Cancrum, Leonem, Virginem, & Libram euolauit. 242 Bellum Helueticum, Inundationes aquarum, & seditiones prænunciauit. Capta Florentia serenissimo Mediceorum dominio denuò adiicitur. Carolus V. Romæ coronatur. Confessio Augustana editur; Prælia in Hungaria aguntur.

Anno 1531. Cometes, mense toto Augusto radians ad Austrum, sænum in Heluetia præcucurrit prælium: Moritur Regina Galliæ, mater Francisci. R. Poloniæ Rex triumphat. Solimanus Hungariam, Stiriam, Corinthiam, & Austriam inuadit: Occumbit impius bello Zuuenglius.

Anno 1532. cometes effulsit in Virgine per tres 243 menses flammiger: Factiones agitantur inter Danos. Dux Saxoniæ obiit. Prælia vexant Heluetios. Inundationes aquarum demoliuntur terram. Solimanus opulentus spoliis reuertitur: Bellum Ecclesiæ indicit Anglus, seque caput Ecclesiæ acclamans excommunicatur.

Anno 1533. Cometes, radio per octo gradus, ad occasum Xiphus rutilat. Rex Danus obit, Bella & seditiones passim sæuiunt. Turcæ Hungariam vexant. Terræmotus, bella, fames, Dei iram indicant. Prælia Turcarum cum Persis plura hominum millia sternunt. Turcæ Moream occupant. De hæresi euellenda agit Massiliæ Rex Galliæ cum Pontifice Barbarossa, Tunetum capit. Inundationes aquarum in Polonia exoriuntur: Fuit hic cometes retrogradus per Geminos, Taurum, Arietem; Hæresim damnat seueris legibus Rex Galliæ.

Anno 1535. Xiphus irradiabat pridie quàm 244 Monasterium, Vvestfaliæ Metropolis, caperetur.

Anno 1537. Cometes in Piscibus, & alter sub Tauro ad Austrum radiauit diebus 21. interim Basilea terræmotu prosternitur. Ferdinandi Regis exercitus à Turcis dissipatur: Aruêre fontes. Terræmotus obstrepuêre per duos annos; Ignis magnus è terra erupit. Solimanus Venetis, & Austriacis sæua mala intulit.

Eodem anno alius apparuit Cometes in Franconia, qui vento delatus ad terram, metalla absumpsit. Ob terræmotus, mare Neapoli 200. passus secessit. Terra ignes, & cineres euomuit.

Anno 1539. Cometes candâ subnigrâ candicauit ad Austrum: Alius refertur anno 1538. indicans

cans Terræmotus varios. Turca Castrum nouum occupat. Zebethum in Arabia Rege occiso occupatur à Solymanno Ægyptio.

Anno 1540. Cometes ariditatem, & calores magnos induxit, ac proinde penuriam. Gantis incolæ à Carolo V. sunt correcti: Solimanus in Hungariam vocatus, vrbes expugnauit, Templa diruit. Classis Caroli V. in Africa tempestate confracta periit: Bellum inter Regem Galliæ & Carolum V. recrudescit.

245 Anno 1543: Pseudocometa, quasi mola fulminans ad polum, inde ignis, quasi draco, in terram decidens multa adussit. Insecta volantia campos vastarunt. Bella in tota Europa exarsere.

Anno 1544. Cæsar, & Anglus Parisios vsque excurrunt, sed fugantur. Cruenta ad Cærasulam victoria obtinetur. Rex Franciscus 300. nauibus Anglum humiliat. Vualdenses hæreticos delet. Concilij Tridentini exordia celebrantur.

Anno 1545. Confœderati Cæsarem obsident: Sed ille mox anno 57. Saxonem, & Hassum capit. Anglos mox Galli vincunt. Anno 1549. moritur Paulus III.

Anno 1555. Xiphia fulgurante, moritur Iulius III. & Marcellus II. Clades ad fanum S. Quintini 1557. obtigit Gallis, licèt ponatur a nonnullis hoc anno.

246 Anno 1556.com.ingens, vt Lunæ semidiameter, ab Æquinoctiali Libræ, ad polū Arcticum quatuor dierum spatio euolauit: Visus Martio toto ad medium Aprilem. Terræmotus Bizantij, pestisque animalium successit. Locustæ campos in Germania vastarunt: Italia bello exarsit. Galli vrbes Anglis eripuere; Hungaris bellum adoritur: Carolus V. Ferdinandum fratrem electoribus commendans, traditis Philippo filio Hispaniarum Regnis, Monasterio se claudit: Caluinus pestem spargit hæresum.

Anno 1557. flammeus Cometes in Sagittario scintillauit; Tyberis redundauit: Christiani in Hungaria multas vrbes expugnarunt.

Anno 1558. Veru apparuit in Scorpione: Obiit Carolus V. Decollata est Maria Stvart, Regina Angliæ. Regnat Tyranna Elisabeth: Inualescit in Scotia, & Anglia hæresis. Galli ad Grauelingam cæsi iacent.

247 Anno 1559. Cometes à fine Maij ad 22. Iunij, in Oriente prominebat. Henricus II. Galliæ Rex, hasta in arena per oculum transfixus, moritur Hugonotti Duce Gaspare Coligni efferbent in Gallia. Profligantur Christiani ad Gerbas à Turcis: Rex Fessæ conuertitur 1560. Mox anno 1562. tumultuant hæretici in Gallia. Occiditur Antonius Nauarræ Rex 1562.

Anno 1569. Cometes elucebat in Capro; Caluinistæ profligantur, & Dux Condæus miserè perit. Anno sequenti Italia Terræmotu quatitur. Cyprum inuadunt Turcæ, occupantque, postmodum in Christianos sæuiunt.

248 Anno 1572. stella noua apparuit, de qua altius disputatum, in Europa: Hæc in sede Cassiopeæ secus viam lacteam longitud grad. 7. in Tauro. Latitudo borealis gradus 53. m. 45. (Vbi Franciscus spina longitudinem Borealem, deceptus, meditatur) Eius magnitudo excedebat aspectu, nedum primæ magnitudinis astra, sed etiam Veneris, & Iouis, atque adeò cum esset in firmamento aucta tanto disco superabat terræ globum supra ducenties trigesies, cùm stellæ primæ magnitudinis vincant centies quinquies. Itaque Sole maior fuit, atque adeò non ex halitibus fuit. Vnde enim tot halitus? Hic spina victus dat manum. Conuictus Claramont. & Hagecius. Seruauit autem vbique terrarum cernentibus eundem aspectum sine parallaxi, quod sublunaribus repugnat; vt ostendam *Tractatu 7. quæstione 3. disput. 3. de Cometis*, vbi parallaxim explicabo: Deinde eundem prorsus motum habuit cum firmamento. Hinc refelluntur etiam dicentes, fuisse vnum ex astris Cassiopeæ, sed tunc ob expirationum copiam nobis grandiùs apparuisse: Multi enim Astronomi: præter nouum illud astrum; alia tredecim discrevere, & cum tribus aliis illius constellationis figuram Geometricam Rhombi exprimebat. In quo deceptus est Veronensis: Ruit etiam opinio dicentium, fuisse vnam è minimis stellis firmamenti præ exiguitate obtutum fugientibus; tunc autem vaporibus interpositis oculo expositam. Contra enim est: quia vapor non poterat è tot dissitis oris eidem stellæ interponi.

Alii dicunt, non fuisse nouam stellam veram; sed cometen genitum in Applane naturaliter.

Contra arguit Collegium 1. *de Cœlo, cap. 3 quæstione 1. articulo 4.* quia debuisset firmamentum rarefieri in alia parte, vt hic densaretur, quod repugnat soliditati firmamenti, & incorruptibilitati in Schola Peripatetica acclamatis: Si enim Applane est fluidum, mutabunt situm aliæ stellæ, quod nunquam visum est. Neque dicas, alios Cœlos fluidos. Deinde sequebatur motum primi mobilis, quod non valeret, si esset naturæ fluidæ, sicuti videmus in aëre. Sic refellitur Tyco à Collegio Conimbr. sed aliquæ rationes nobis etiam repugnant & soluentur. Vide Clauium, *in cap. 1. sphæræ*, multos allegantem.

Probabilius igitur censet Colleg. ex D. Bonauentura 2. *distinct.* 14. *quæst. vlt.* stellam illam à Deo conditam ad grauissima portendenda, quæ referam. Potuit verò à Deo condi è materia, seu substantia firmamenti, vt aiunt Tyco atque Clauius. Si verò Ignatius opponat, quæ materia tanta eò peruolauit? Dico, esse partes Cœli motu addensatas. Motu enim regulari cum firmamento biennio processit.

Ivre ac merito signum hoc grandes euentus præmonstrauit. Tunc Cypri Regnum à Turcis est occupatum. Victoria naualis Christianorum successit, vbi 25. millia Turcarum cæsa, viginti millia Christianorum redempta, diuersis fortunæ vicibus potiuntur, Ioannes Austriæ Tunetum, Bisertam inuasit in Africa terram purpurauit Cruenta prælia in Moldauia, & Valachia, vbi Princeps Moldauiæ proditus perit. Rex Galliæ Carolus IX. intolerabilem hæreticorum malignitatem ferre ampliùs non potens, Gasparem Coligninium Maris Ducem, quingentos ferè Duces, & Principes, ac quadraginta millia occidit. Mox obiere Imperator, Rex Galliæ, Turca Solimus II. anno sequenti, & 1578. Sebastianus Rex Lusitaniæ, & aliæ duo Reges in Africa. Bella, & seditiones commouentur; vt historiæ referunt.

Anno 1577. Cometes in Capro corruscat, secundum Hesrlinum, in Cœlis. Mortuus est Henricus Rex Lusitaniæ: Philippus regnum adiit armis, Epidemia multos perimit in tota Europa. Bella cruenta inter Moscos, & Polonos suscitantur. Alexander Farnesius multas vrbes gloriosè in Flandria expugnat; Bella ciuilia in Gallia. Bella Turcarum, atque Persarum multas strages protulêre. 249

Anno 1585. viso comete; Obiit Gregor. XIII.

Persæ

Turcarum necant octuaginta millia Persæ, Farnesius Antherpiam expugnat, & anno sequenti alias vrbes. Nostri in Hungaria Turcas vincunt. Mox 1588. Dux Guisius, & Cardinalis frater occiduntur, & anno sequenti Rex Henricus III. ab insano necatur.

Alia stella 1596. in signo Ceti, per duos menses visa, tandem euanuit.

Anno 1600. stella, à multis credita in firmamento grad. 17. Aquarij, fulgebat in pectore Oloris, declin. Boreali 45. grad. Tunc ferè ortus est mundo salutaris Iulius Rospiliosus, Pontifex ter maximus, de quo S. Malachias, Hyberniæ Primas, stemma Pontificatus inscripsit Sydvs Olorvm, mansit hæc stella 29. annos. Bella in Moschia: expugnationes in Hollandia: Bella inter Persas & Turcas deseuiunt. Imperator contra Ottomanos pugnat.

Annus Iubileus indulgetur: Mox anno 1603. ad inferos euolat impia Elisabeth. Ostenda expugnatur à Spinola, cum 1602. stella, Lunæ vicina, non obscuraretur.

Anno 1604. stella noua discolor in genu serpentarij, vt probat Tyco, Annum durauit. Bella in Moschia. Anno sequenti obiit Clem. VIII. Sequuntur expugnationes memorabiles in Flandria, vt suprà. Keplerus de hac librum texuit.

Anno 1607. alia stella. Reuolutiones in Asia
250 contra Turcam factitantur. Princeps Transil. veneno necatur. Discordiæ in imperio, Bella, & seditiones concitantur: Mox anno 1610. Henricum Magnum, Galliæ Regem, Maniacus agitatus, atque illusus à dæmone, impiè occidit. Mox Germania magnis motibus contremuit.

Anno 1614. Prodigia per Bohemiam volitant, quæ motibus grandibus præeunt. Mox anno 1616. Obiit P. Candidus Hucolensis Monachus, mirabilium patrator.

251 Anno 1618. Cometes, Sanguine redundans, prælium inter Persas, & Turcas indicauit. Osmannus Turcarum imperator, exercitu innumero, contra Polonos progreditur. Rebelliones in Bohemia Bellum suscitarunt. Transiluani cum imperatore Occisi sunt: Osmannus quoque interficitur. Moxque eius successor: in Turcarum Imperio Mustapha pariter perit. Præcipitantur à rebellibus ex alto, Comes Slabata, & socij. Mox anno 1619. Moritur Imperator Matthias: Fridericus Palatinus Bohemiam inuadit, & coronatur. Turrianus Com. Viennam obsidet. Betlenus coronatur: Memorabili ad Pragam prælio Borus de rebellibus triumphat. Mox bella in tota Europa excandescunt.

Anno 1652. Cometes pestis prænuncius, bellorumque præuius fulgurabat.

Anno 1664. Cometes ingens; & alius anno sequenti dicitur apparuisse, mortui sunt Rex Hisp. Philippus IV. Alex. VII. & Regina mater Gall. de his *Tract. 7. disput. 3. quæst. 3.* Alios Cometes vide *Tract. allato.*

252 In his omnib. primò habes, Cometas non afferre euentus, è libero arbitrio pendulos; oppositos enim ab eodem cometa euentus habes. Idem autem naturâ agens operatur idem non indifferenter.

Habes secundò, sæpè Deum præmittere Cometas nuncios esse flagellorum in genere, vel specie: & hoc ab Angelis fieri, Regnorum incolumitati intentis, vt populi caueant, & Deum placare studeant, vt monet D. Bonauentura *in 2. distinctione 14. quæstione 1.* cum Damasceno. Et Poncius *d. 28. quæst. 1. num. 5.*

Habes tertiò, non semper infausta prædicere Cometes, vt vides è fœlicibus euentibus, post Cometas enarratis.

Habes quartò, Cometes posse prænunciare naturales euentus, cùm sint ferè grandes halitus; putà ventos, tempestates, terræmotus, ariditates, quæ suprà frequentissimè relata sunt.

Habes quintò, non omnes grandes euentus 253
Cometis præueniri. Etenim hisce temporibus nostris (vt remota mittam) fuit pestis horribilis anno 1630. qua in solo statu Reip. Sereniss. Venetæ quingenta millia periêre. Bella horribilia, Seditiones Regnorum, euolutiones in tota Europa, & Asia: in Gallia, Hispania, Italia, Polonia, & Thracia. Vbi Reges occisi, Gustauus Suecus in acie, Carolus Angliæ decolatus in platea Londini; Germania, Italia, Gallia, Anglia, præliis cruentis inundata, Lusitania, Catalonia immutatæ, & sexcenta alia euenêre; vt Thomas Agnellus piscator, Rex Neapolis. Rex Britanniæ à subditis in platea Londini caput recisum deponeret condemnatus. Mirabiles sæculorum euentus in historiis cusos perlege, è quibus, inter Modernos, Gualdus, & Bisacion, Comites Illustrissimi; Victorius Sirius, ac Baptista Nanius, præcellentissimus Loconicè historicus, Venetæ Serenissimæ Reipublicæ Eques procurator, hæc mirificè posteris commendarunt.

De his consule, tanquam Oraculum, patrem Macedum, qui præclarè, quicquid ab anno creationis ad hunc vsque 1674. contigerat, perlustrauit, hunc vnicum omnes omnia scire summè demirantur.

Ad stellarum peregrinarum classem deducunt Licetus, & alij, septimam pleiadum, quæ non apparet; vt disserit Diuus Bonauentura *serm. 2. de Apost.* Alias accinit S. Augustinus *libro 3. de Trinit.* & Licetus *libro 5. capite 24.* Ingenier. *Meteor. cap. 12.* Mirabilis stellarum Imago, Scripturam repræsentans, visa est Antiocheno Dynastæ, ea nocte, quam secuta est nex Iuliani Apostatæ in perfide, illa hanc scripturam efformabat:

Hodie Iulianus in Persiâ occidetur.

Sic referunt Zonaras, & Aresius. Hic fulmine 254
diuinitùs percussus, sanguinem vomitu profundens, dicebat: Vicisti Galilæe, Vicisti. Sic Dominum Iesum inclamans, vt refert D. Bonauentura *Serm. 3. de Beata Virgine*, fuit autem necatus à S. Mercurio Martyre, iussu B. Virg. Vide Seraphic. Doctorem, qui refert hunc, in fidem rebellem, vt dæmones sibi obsequentes haberet. Refert etiam S. Bonau. *Serm. 1. de Inuent. S. Crucis*, Iulianum adhuc puerum Magicis incumbentem aperiisse Librum artis, absente Magistro, cui apparuêre dæmones; at ille territus, signo crucis eos fugauit.

Qvænam autem sit causa, vel proxima efficiens, vel materialis; vnde tot, & tam portentosæ apparitiones in cœlestibus formentur: varij varias opiniones excogitarunt.

Prima opinio eas asserit non veros esse Cometas, sed quasdam stellas, diuersimodè nobis apparentes; illas tamen exhalationes esse, & Cometas asseuerant Ioannes Prætorius, & alij apud Tyconem, & Licetum, *libro 2. cap. 7.* nec recedit Amicus, qui ex radiosa apparitione dicit eas nobis ita visas fuisse, cùm essent vulgares stellæ.

Sed cùm hæ maiores apparuerint toto terræ globo, oportuisset, totam in flammas resolui terram. Deinde duratio tot mensium, in eisdem aspe-

ctibus,

dibus, motibusque fixarum arguunt, non fuisset Cometes. Tandem Cometes difformes sunt, stellis inæquales, emulantes igneam figuram.

255 ALIAM opinionem refert D. Bonau. *in 2. distinct. 14. in fine*; illas stellas præesse Principibus, & in eorum morte trahere partes cœlicas e corpore Principum: Sed hanc opinionem, quam nonnullis Astrologis adscribit, seriò irridet.

ALIA est opinio aliorum, & adscribitur Hippocrati, Cardano, & Telesio, eas esse reflexiones radiorum solarium.

AT quo pacto ea reflexio, tanto tempore in Sole, tam absente, quàm præsente, durat vniformis in eo situ firmamenti; vbi sanè oporteret materiam illam adaptari?

QVARTA opinio est Liceti, qui viginti duabus aliorum opinionibus refutatis, asserit, eas stellas produci in Cœlis, noua, non generatione, sed condensatione partium aliquarum Cœli: & videtur sententia D. Thomæ apud Aresium, & Rotmannum *de Com. cap. 6.* huius autem condensationis causas, ait Licetus, esse intelligentias, & motûs velocitatem. Hoc responsum, cætera nauseantibus affingi posse, ait Amicus.

QVINTA opinio est Aresij, stellas istas generari in Cœlis; sic enim Patres multi fatentur, Cœlos generabiles esse, & corruptibiles. Eos refert Colleg. 1. *Cœli, cap. 3. q. 1. art. 1.* Nituntur Scripturis; Psal. 101. *Opera manuum tuarum sunt Cœli: Ipsi peribunt; & omnes sicut vestimentum veterascent*, Et 2. Petri 3. *Cœli ardore soluentur.* Neque dicas, eum loqui de aëre, vel aliis elementis; nam de his seorsim ait: *Elementa ignis ardore tabescent.* quam sententiam probant Salmero, Cather. Serarius, Madius, Valesius, Molina, & alij.

256 SEXTA opinio est, has nouas stellas à Deo formatas, ob ingens aliquid ostendendum. Sic sentit D. Bonau. *loc. cit.* cum Damasc. *lib. 2. de fide, c. 17.* Eos secuti sunt Conimbr. Nicol. Saccus, & alij.

257 VVLT igitur Seraphicus, seu creari, seu generari ea lumina, ad aliquid portendendum, siue mortem Principum; siue aliud quid insigne.

ET sanè, si eas stellas percurramus, quas retulimus, inueniemus semper portenta quædam insignia in earum apparitionibus mundo affulsisse, vt suprà descripsi.

VNAM, præ cæteris fulgentissimam, anno 1652. contemplor: Hæc aureo decore Diademate rutilantibus vndique gemmis: spectabilem illam celebritatem depinxit in Astris, quâ Augustissimus Galliæ Rex, MAGNVS LVDOVICVS XIV. Bellicas magni Aui dotes, eximiasque Iusti Parentis virtutes, tenello adhuc complectens pectore, Regium caput cælico perfusus oleo, Rhemis in Regem coronatur. At ne Inglorius, iure Natalium obueniens sibi Regnum adiret. Illud, fremebundis vndique obstrepentium armorum tumultibus occupatum, aggreditur; perque acies densas viam sibi sternens, Thronum conscendit, populoque dans iura, illustrem reponit ensem, concinentibus organis: *Accingere gladio tuo super femur tuum Potentissime*: mox fugatis vnâ quinque exercitibus, pax redit, & Regij Principes optata ineunt fœdera, totusque orbis festiuis serenatur Nuptiis, quæ mox alma beantur prole; dum Serenissimi Delphini Natalibus, vniuersus iubilat orbis.

258 QVO anno 1596. apparuit, illa in signo Ceti, eo sanè anno, in freto Gaditano, ingens bellum: & tunc ferè Henricus IV. fidem Catholicam publicè iam professus, ad florentissimum Galliæ thronum euectus est; & ob rerum gloriosè gestarum meritum, MAGNVS est acclamatus.

ALIA stella, quæ in Cygno, 1600. visa est, ac durauit, vsque ad 1621. ostendit Iubilæum orbi solemnissimum. Anno 1601. Naturam protendit LVDOVICVM XIII. Regem Galliæ. Anno 1605. obiit Clemens VIII. & mox Leo XI. Mox verò Paulus V. creatus; quo anno stupenda apparuit eclipsis; multa etiam insignia illis annis successêre.

QVAE illa etiam, quæ anno 1602. Lunæ vicina affulsit. Cùm Alba Regalis à Turcis arrepta est, ita mundo illuxerat, vt eo tandem Reges viderent Otthomanum Imperium, Christianorum discordiâ organizatum. 1604. in signo Sagittarij: quo tempore Spinola Hollandis abstulit Ostendam; 259
& mox ad superos, vt speratur, abiit Clemens VIII.

PERCVRRANTVR tempora omnia, & sæcula, clarèque elucebit, semper aliqua insignia istis apparitionibus successisse. Quæ cum ita sint, non modò 260
inter Planetas; sed etiam inter stellas fixas miræ varietates apparuerunt, quæ Cœlos fluxos ostenderent, & suspicionem de eorum ingererent incorruptione. Verùm, cùm Parallaxis non se extendat vltra Planetas, non adeò perspicuè id constat de octaua sphœra, sed protracta ratiocinatione, idem suaderi potest: nam, si scriptura non cogit, ad constituendum alium orbem Cœlestem durum, ac solidum, præter Empyreum, & Chrystallinum, hinc omnes Planetarum sphœræ sunt fluxæ: quo firmo fundamento, astruitur alterius orbis soliditas. Enim verò octaua sphœra videtur solida probari: quia constellationes figuratæ retinent semper eandem figuram.

NEQVE verò aliquem moueat illud *Iob. 37. nu-* 261
mero 18. quo vim facit Ruuius *loco citato*, Eustachius, *Physi. Tract. 1. d. 2. quæst. 4.* aliique: *Tu forsitan fabricatus es Cœlos; qui solidissimi, quasi ære fusi, sunt.* D. Bonauentura *distinctione 14. parte 1. articulo 2. quæstione 1.* respondent huic loco, Cœlum dici firmamentum, & firmatum veluti ære; quatenus mirificè à conditore loco suo stabilitum est; ne moueatur sursùm, vel deorsùm, sed semper circa axes suos. Subscribit Pineda, cum Vatablo.

SECVNDÒ, hæc verba non fecit Iob ipse; sed garrulus quidam Rhetorculus, cuius Philosophia *inibi* reprobatur; Quidquid contrà dicat Amic. *n. 15.* esto aliquod ibi ab eo tunc prolatum, à Scripturis dictum sit: nam etiam è Poëtis sumuntur aliqua in Scripturis; & licèt verba essent Iobi, illa in nostram sententiam interpretantur Pineda ibi, & Mersensis *loc. cit.* Et quidem Rabbi Anenezdra: vbi nos legimus, *veluti ære solidati sunt*, habet in Hebræo *extendisti, cum eo* לשחקים *Lischachim*; idest Nubes fortes.

HINC Prouerb. 8. vbi nos legimus, *Quando* 262
æthera firmabant sursùm, legunt LXX. *Cùm validas faceret desuper nubes*, Quæ translatio, ob ea, quæ dixi *quæst. præced. in calce*, non omnino probatur: quemadmodum nec laudo versionem, quæ, cum Regiâ, legit *Æthera*; tametsi *æthera*, & aërem, & ignem significet. In Hebræo habetur, *sicut visio fusili*, aut *sicut speculum fusum* LXX. *sicut aspectus effusionis*: nam כראי, RAAH, est *videre*: inde venit visio, & speculum, in quo nos videmus, quod, quia solet ex vitro, aut ære læuigato fieri, & polito, Vatablus retulit ad *vitrum*, Latinus ad *æs*, vnde etiam specula fiunt. Rectè quidem

quidem etiam eleganter Vitro, fuso igne, comparantur Cœli, non duro solido; sed in fornace excolato. Vnde hæc versio pro nobis stat; vt notat
263 Pineda, *ad hunc locum.* Et hoc tantùm volunt Patres allati ab Amico, *numero* 16. & D. Petrus, apud Clem. *lib. Recognit.numero* 5. non enim chrystallo induratæ Cœlos assimilant, vt fingit.

Instant verò, Apostolum *ad Hebr.* dicere: *Christus penetrauit Cœlos*, penetrare autem est corporis solidi: ergo.

Respondetur, penetrare esse corporis cuiuscunque, ob dimensiones, quæ & in fluidis extenditur; ad sensum verò meliùs in solidis apparêre.

Instant secundò, Iob. 14. dicitur: *Hi, cùm dormierint, non resurgent, donec atteratur Cœlum*; atteri autem conuenit corporibus solidis. Fatetur tamen amicè Amicus, omnia posse à nobis solui, *numero* 21.

264 Respondetur, etiam aërem atteri: sic dicunt Philosophi, aërem attritione concipere ignem, vel excussione; vt fatetur Amicus, *Tract.* 8. sæpè, Et verè corpora inferiora atterenda sunt; non enim orbes cœlestes sunt destruendi, vt communiter sentiunt Patres: sicut autem dicitur, quòd stellæ cadunt de Cœlo: quia Cometes aliquando sunt elapsuri à suprema aëris regione: ita de Cœlis potest dici; & quidem Cœlos, non solidos, sed subtiles asserendos, video. Si enim solidi essent, non possent visionem transmittere vsque ad octauam sphœram, quæ ab orbe Lunæ 19370. milliaria distat, si credis D. Bonauent. *in Compend. Theolog. lib.* 2. *capite* 3. Hoc enim experimur, corpora solida, & chrystallinum intercipere visionem, ne penetret vltrà. Fateor quidem, admodum iuuare terræ opacitatem: at video, id in Cœlis etiam seruatum. Luna enim, quæ nil terræ admittit, Soli opposita, illum eclipsat.

265 Addit Dinus Bonauentura, multa de Cœlis dici ad nostrum captum. Sic Psal. 103. *Extendens Cœlum, sicut pellem*: vbi Hebr. *Sicut cameram.* Vide Sanctum Doctorem *in* 2. *d.* 14. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1.

266 Quæ cùm ita sint, Cœlos moueri absque discontinuatione asseram dicendum: tametsi ex parte discontinuentur: neque verò timenda est corruptio, vt aliqui clamant. Quamuis enim in sublunaribus dissolutio continui sit dispositio ad corruptionem; eò quòd relinquat corpus obnoxium contrario, & infirmum ad resistendum; cùm omnis virtus sparsa sit infirmior; attamen hoc non est Cœlis timendum; cùm modo indissolubili, & à qualitatibus elementaribus impenetrabili componantur. Itaque, licèt orbis Lunæ igni sit contiguus; non tamen potest dissolui, tum ob imbecillitatem ignis rarissimi: tum ob qualitates optimas Cœli, quibus Deus illud instruxit. Itaque ex parte discontinuantur in motibus, non in totis, sicut in vndis videmus; Neque ad continuationem necessaria est vnio vndequaque: nam manus, *verbi gratiâ*, continuatur cum brachio, & digiti cum manu; licèt non vndequaque associentur. Imò non omnis discontinuatio est via ad corruptionem; vt notat Sanctus Bonauent. *in* 2. *distinct.* 20. *quæst.* 4. *ad argumenta*, vbi ideò in statu innocentiæ futuram fuisse, ait, apertionem claustrorum parturientibus: licèt non adesset violentia: sic igitur multò minùs dicendum de Cœlis incorruptibilibus, qui motu non violento discontinuantur. Idem periculum corruptionis amouet S. Bonauent. *in* 4. *distinctione* 49. *part.* 2. *articulo* 3.

Assero primò, omnes Planetas, & stellas esse in vno continuo firmamento, multis motibus acto.

Probatur primò à D Bonauent. *fundamento primo & corpore* Gen. 1. *Fiant Luminaria in firmamento, &c. Fecitque Deus duo Luminaria: Luminare maius, vt præesset diei; & Luminare minus, vt præesset nocti: & stellas*: ergo omnia sunt in vno continuo. Hoc argumentum ex dictis roboratum manet. Similiter Psal. 18. *A summo Cœlo egressio eius; & occursus eius, vsque ad summum eius*: vbi testatur, Solem esse, qui mouetur, non Cœlum. Frustrà verò aduersarij per firmamentum explicant Cœlorum congeriem. 267

Probatur secundò à D. Bonauent. *in corpore, ex eodem cap.* vbi dicitur *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*, idest, Cœlum chrystallinum, ab aquis meteoris, & terrestribus. Vbi per firmamentum, intelliguntur octo orbes, vt vidimus, *quæst.* 6. & per aquas superiores, Chrystallinum; vti vidimus, *quæst.* 8. si autem sola octaua sphæra esset firmamentum diuidens: cur non diceretur etiam septem orbes planetarios diuidere?

Dices; si hæc ratio valet, eodem modo etiam debet includi in firmamento, ignis, & suprema aëris regio.

Respondetur primò, sphœram ignis, & supremam aëris regionem esse corpora tenuissima: ideò omnem rationem firmamenti excludere. Deinde videtur Scriptura indicare, quid intelligat nomine firmamenti, nempè illud, in quo posuit Solem, Lunam, & stellas.

Probatur tertiò *in corpore*; si aliquid cogeret ad distinctionem octo sphœrarum, id essent motus varij; sed hoc non cogit: ergo. Minor probatur: quia corpus, non omnino solidum, mouetur variis motibus, secundùm partes; non tamen discontinuatur omnino; sed Cœlum est corpus labile: ergo. *Isaia* 51. dicitur; *Cœlum sicut fumus formatum* secundùm versionem LXX Seniorum; vbi Diuus Basilius tenuitatem Cœlorum infert; Similiter D. Ambros. & alij Patres allegati suprà *initio quæstionis*. 268

Probatur quartò *fundamento* 2. à Sancto Bonauentura. Quæcunque corpora distinguuntur ab inuicem; distinguuntur, aut formâ, aut superficie; sed corpus Cœli à Luna, vsque ad Applane est vniforme, & non habet terminatam superficiem: ergo non habet pluralitatem. 269

Probatur quintò *fundamento* 3. à D. Bonau. si aliqua corpora sunt distincta ab inuicem, ad motum vnius non sequitur motus alterius; sed vltima sphœra mouet totum, quod infra ipsam est, ab Oriente in Occidente: ergo necesse est, totam naturam Cælestem esse vnum corpus continuum.

Hoc sanè argumentum inferret, aut firmamentum esse primum mobile, aut chrystallinum, quod est superius, esse continuum cum firmamento.

Hic aduerte, S. Doctorem in argumentis apponere sæpè plùs, quàm intendat concludere, quod posteà ad mediocritatem *in corpore* reducit. Quod sanè præstat *hîc, & locis aliis suprà adductis*: vbi, præter octo sphœras stellatas, admittit nonum Cœlum, idest chrystallinum.

Assero secundò, præter octo sphœras mobiles, dari etiam chrystallinum mobile, distinctum specie

à

à firmamento. Ita D. Bonau. *locis adductis*, præcipuè ex professo, *d.* 14. *p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3.

270 PROBATVR primò à D. Bonau. *ibi*, omnis multitudo reducitur ad vnitatem: ergo motus corporis multiformis reducitur ad motum corporis vniformis; sed corpus vniforme non est, nisi quod caret omni luminari: ergo videtur, vltra octo orbes stellatos dari etiam nonum, non stellatum.

PROBATVR secundò, Motus ille, qui est mensura omnium motuum, est ab Oriente in Orientem, per Occidentem, qui est motus effectiuus diei naturalis: quique completur viginti quatuor horis; sed dies naturalis, tempore omninò est vniformis: ergo & iste motus.

PROBATVR tertiò. Si recta ordinatio est medij ad extremos; necesse est, medium participare de extremis; sed, Cœlum chrystallinum est medium inter Empyreum, & firmamentum: Cùm ergo Empyreum sit vniforme, & immobile: firmamentum verò sit multiforme, & mobile: videtur, quod chrystallinum sit, aut multiforme, & immobile, aut
271 vniforme, & mobile; sed multiforme, & immobile esse non potest: nam ad motum disponit potius ipsa multiformitas: ergo necesse est, vt sit vniforme, & mobile.

PROBATVR quartò. Quandocunque aliqua plura concurrunt ad constitutionem alterius, necesse est per vnitatem alterius illa coniungi: ergo cùm plura mobilia concurrunt ad effectum vnum conformem, per suam influentiam, necesse est, coniungi, per alterius orbis vniformitatem. Si ergo vnitas Planetarum, & stellarum concurrit ad productionem effectuum in his inferioribus, secundùm quandam conformitatem; necesse est, vltra illa, esse aliud mobile, per quod coniungantur, & quod habeat in toto, & in partibus vniformitatem; & ita alicui orbi, absque stellis, competit moueri.

272 Ex his deducit, *in corpore*, hoc Cœlum vniforme, quod est mensura motuum aliorum, esse primum mobile. Probatur ratione, quâ vtuntur omnes Mathematici, id asserentes. Quod est primum in vnoquoque, est mensura cæterorum; dari verò hoc Cœlum chrystallinum, patet ex dictis, *q.* 8. Quòd verò hoc nonum Cœlum moueatur; probatur à D. Bonau. *in fine corporis*, ratione, quâ vtuntur Mathematici: quia præter motum firmamenti ab Oriente ad occasum, deprehendunt, illud alio motu cieri; vt 100. annis vno gradu moueatur ad Orientem; vt videre est in Clauio, *in cap.* 1. *Sphæra*. Ioan. de Sacro bosco, *à fol.* 57.

273 ASSERO tertiò, tres esse Cœlos, distinctos specie, idest, Empyreum, Chrystallinum, & Firmamentum. Sic probabiliùs æstimat S. Bon. eiam *serm.* 1. *de B. Virg.* addens orbes aëris, & ignis.

PROBATVR à D. Bonau. *locis citatis*. Et quidem de Cœlo empyreo conceditur ab omnibus, esse nobilius aliis: Chrystallinum verò differre à firmamento, Probatur: quia firmamentum distinguit, & diuidit illud ab aquis inferioribus, tanquam aliquid symbolicum cum aquis. Sicque verificatur dictum Apost. 2. ad Corinth. *Raptum esse ad tertium Cœlum*; & illud *Deut.* 10. cùm dicitur: *Cœlum, & cœlum cœli*. Sic probatur à D. Philastrio Episc. Brixiensi, in catalogo hæresum. Id confirmat Seraphicus Doctor, *loc. cit.* è Patribus, & Scripturæ expositoribus.

274 ASSERO quartò, forsan non dari decimum Cœlum mobile, contra Modernos: sed tantùm nonum. Motus verò ille 36000. annorum est apparens; sicut & iste trepidationis motus, nimis est incertus. Tandem, Cœlis fluidis concessis, non cogimur, cœlos è motibus multiplicare.

ADDO, probabile esse etiam, quod ait S. Doct. *in Compend. Theol. loc. cit.* Cœlum chrystallinum in duos Cœlos diuidi, alterum primum mobile, alterum nonum, quod sequitur etiam Clauius *in Sphæra c.* 1. §. *de num. orbium. cœlest.* ad finem.

PRIOR pars probatur: quia motus accessus, & recessus, quibusdam spiris obseruatus, videtur posse euenire ex concussione raptus à primo mobili vicinissimo, vt stellæ ad polos videantur concuti: sicut videmus in rotis molaribus: nam, quæ primò ab aqua mouetur, inordinatior est ob vim, quam patitur. Magis verò ex labilitate firmamenti. Deinde motus est sensibile commune, in quo oculus potest decipi, in tanta distantia, & tarditate.

POTEST etiam dici, illum motum esse ab Intelligentia Motrice, maximè cùm corpus sit fluidum. 275
Neque illa ratio vrget, vnius corporis simplicis esse vnum motum: verum enim id dicitur de motu, qui ab intrinseco conuenit corpori, non de eo, qui ab extrinseco assistente, quales sunt motus Cœlorum.

ALTERA verò pars probabitur infrà: cùm de 276
variis motibus Cœlorum agetur. Aduerte autem, motum trepidationis excogitatum perhiberi primò à Tebit, anno salutis 1271. & ab Alphonso Rege Hispano 1381. probatum. Itaque hoc fuit tempore D. Bonau. qui natus est anno 1221. & obiit 1274. Iam verò, cùm *in Compend. Theol. verit.* duos chrystallinos ponat: vt probatur *lib.* 2. *cap.* 3. videtur ille motus primò cognitus à D. Bonau. qui librum illum, multò ante ann. 1271. contexuit: nempè Parisiis, cùm adhuc non esset Cardinalis, vel Generalis Religionis; Cœlos enim multiplicat S. Doct. propter motus: vt probat *locis omnib. alleg.* Ruuius; 2. *Cœli. c.* 5. *q.* 2. arguit contra hunc motum trepidationis: quia deberet conuenire etiam Cœlis inferioribus Solis, & Lunæ, quod nemo peritus in Astronomia adnotauit; sed fallitur, vt monet Clauius *in c.* 1. *sphær.* dicens agnitum motum trepidationis in maxima Solis declinatione, vt dicam *q.* 18. Loquitur autem Ruuius his in rebus ex auditu: sicut & Mastrius *d.* 2. *q.* 1. *art.* 2. ineptè inferens Solem à via sua aberraturum. Sanè fatetur mutata esse puncta Æquinoctiorum, & Solstitiorum; ex hoc verò deprehensa est trepidatio, vt ait Clauius.

QVÆSTIO X.

Quo ordine locentur ORBES *cœlestes*.

EX antiquis Aristarchus Samius, quem sequitur Nicolaus Copernicus, *in opere de reuolutionib. Cœlestib.* hunc ordinem inter corpora vniuersi finxêre; vt Sol in centro, seu medio mundo, immobilis sit defixus; circa quem orbis Mercurij voluatur: deinde orbis Veneris; hunc orbis, continens elementa, simul cum Luna, circumuertatur; circa quem orbis Martis; deinde Cœlum Iouis; postea globus Saturni; vltimò tandem stellarum fixarum sphæra rotetur. At vetustissimi Ægyptiorum, Plato in Timæo, Arist. 2. *de Cœlo, c.* 12. & 1. *Meteor. c.* 4. volunt, in infimo esse Lunam, subsequi Solem; deinde Mercurium, Venerem, Martem, Iouem, Saturnum, & tandem Applane. Solus author libri de mundo, ad Alexandrum, qui censetur Aristoteles; Venerem immediatè supra Solem ponit. 277

Vera igitur sententia est Ptolemæi, & Ioan. de Regio Monte, cum Ioan. de Sacro Bosco, quem sequitur Clauius, *lib.* 1. & communiter; vt Luna infimum locum occupet: supra eam verò Mercurius collocetur, Tertia Venus, Quartus Sol, Quintus Mars, Sextus Iupiter, Septimus Saturnus, Octauum firmamentum. Id sentit D. Bonau. *lib.* 2. *compend. Theol. verit. cap.* 3. *& seq.*

Assero cum hac sententia, quoad rationem syderum.

279 Probatvr primò à D. Bonau. *in Compend. l.* 2. *cap.* 5. quoad firmamentum. Quandocunque aliquod corpus maius, apparet visui minus, medio disposito, hoc euenit, quia est remotius; sed stellæ firmamenti sunt maiores Luna, Mercurio, Venere Marte; & aliæ etiam Ioue, & Saturno, & tamen apparent minores: ergo sunt altiores. Maior probatur: quia, secundùm perspectiuos, visio fit per Pyramidem, cuius basis est in obiecto, & cuspis in oculo. Quantò autem in longum protrahitur pyramis, tantò minuuntur lineæ laterales. Minor probatur ex communi obseruatione Mathematicorum. Vide Abbatem Maurolycum, *in Append. Dialog. de Cosmogr.* & Clauium, *in cap.* 1. *sphæræ*, post tabulas stellarum fixarum.

Eodem modo probatur à D. Bonau. *d.* 14. *p.* 2. *dub.* 3. *litt.* de Luna, quæ minor est terra, & consequenter Marte, Ioue, & Saturno; & tamen Maior apparet, & dicitur Magnvm Lvminare. Quod verò Luna sit terrâ minor, probatur demonstratione: Quia enim Sol est amplior, quàm terra: ideò hæc proiicit vmbram conicam: ita vt semper augustior efficiatur, tandemque in apicem desinat: ergo minor est diameter vmbræ terræ, quàm sit ipse Solis diameter. Tota autem Luna intra dictam vmbram, aliquando absconditur, longo etiam temporis interuallo; cùm è diametro opponitur Soli, in cauda, vel capite draconis, in plenilunio existens; vt notat Sanctus Doct. *serm.* 22. *Hexaëmer. circa finem*: ergo diameter eius est minor diametro terræ. Vide D. Bonauenturam etiam *serm.* 2. *de communi Apostolorum.*

280 Probatvr secundò à D. Bonau. *lib.* 2. *compend. cap.* 5. ex eclypsi solari, quæ fit, per interpositionem Lunæ, inter nos, & Solem. Similiter, & Mercurius est super Lunam, & sub Venere: quia à Luna eclipsatur, & Venerem eclipsat. Itidem de aliis: nam omnes Planetæ, ordine prædicto eclipsant se. Licèt autem Venus non possit omninò Solem tegere: cùm solùm centesimam illius partem tegat, & multò minùs Mercurius, cuius diameter visualis, est longè minor diametro Veneris visuali: attamen luna eum ecclipsat, ob nimiam vicinitatem Lunæ ad terram, & maximam illius distantiam à Sole. Hinc enim fit; vt diameter visualis Lunæ appareat nobis maior diametro visuali Solis, & propterea tota Luna maior conspiciatur, quàm Sol: vnde mirum non est, quòd Luna possit Solem contegere, ita vt aliquando nequeat cerni.

Hinc S. Doct. *serm. allegato*, solam eclipsim Solis, & Lunæ adducit; tanquam notas concione populo apponendas; at *in Compend. loc. cit.* omnes Planetas eclipsari differit, etsi non appareant; quia minima pars Solis contegitur à Venere, & Mercurio. De cæteris difficile est discernere.

281 Probatvr tertiò, ratione indicata à Diuo Bonauentura *d.* 14. *parte* 2. *articulo* 2. *quæst.* 1. *in corpore, & aliis locis.* Quo magis Cœlum à natura, & conditione primi mobilis recedit, eò etiam est inferiori loco ponendum: Luna verò celerrimè ab Occidente in Oriente[illegible] [illegible]am Mercurius; & sic de reliquis: nouim[illegible] [illegible]entum tardissimè; vt vnum solum grad[illegible] annis, vt dicam, peragat: ergo signum est, n[illegible]dine à virtute primi mobilis elongari.

De erronea Copernici opinione, differam, *Tract.* 8. *disp.* 1. *quæst.* 3.

QVÆSTIO XI.

An Coeli *sint sphærica figura.*

{ D. Bonau. d. 14. part. 2. quæst. 1.

Senservnt aliqui, Cœlos esse veluti tentoria. Videtur Chrysost. *hom.* 14. *&* 17. *Genes.* Basil. *hom.* 1. *Hexaëm.* Damasc. 2. *de fide, cap.* 6. Lactan. *Diuin. Institut. lib.* 2. Gazei *in c.* 1. *&* 7. *Genes.* Sed loquuntur accommodè.

Communis sensus Mathematicorum est, Cœlos esse sphæricos: ita Ioan. de Sacro Bosco *c.* 1. *sphæra*, Clauius ibidem post Ptolemæum, Alphagranum, *different.* 2. Platonem *in Timæo*, Arist. *de Cœlo, lib.* 2. *c.* 4. Cicer. *l.* 2. *de nat. Deorum*, Hieron. *in cap.* 5. *ad Ephes.* tandem post omnes Sapientes Chaldæos, Babylonios, Ægyptios, & Græcos, inter quos maximè emicat Thales Milesius, asserentes, Cœlos esse sphæricos. 282

Probatvr à D. Bonau. primò, ratione, quâ vsus est Ptolemæus *loc. cit.* Clauius, & alij: quia videmus, omnes stellas fixas semper in eadem distantia ad nos moueri: hoc autem non posset esse, nisi Cœli essent sphærici. Sic etiam Luna in ascensionibus decrescit, & crescit sphæricè. Hâc ratione vtuntur Moderni; ex quibus Ruuius, infrà allegandus. Amic. *Tract.* 5. *q.* 2. *dub.* 3. qui tamen incertum ait, *n.* 7. *art.* 3. an Cœlum Lunæ in concauo sit sphæricum: Sed absque fundamento.

Probatvr secundò à D. Bonau. ratione, quâ vtuntur Ptolemæus, & Clauius. Videmus stellas, quæ sunt propinquiores Polis describere circulos minores, atque quò magis distant à Polis, eò maiores circulos describere vndequaque: ergo Cœli sunt sphærici: nam partes omnes solius corporis sphærici æqualiter à centro distant. Confirmatur sensu; omnia enim Astronomorum instrumenta conueniunt cum motibus corporum cœlestium: supposito, quòd sint perfectissimè sphærica; quod quidē manifestissimum est in altitudinib. astrorum, super Horizontem, quæ, antequam meridianum ascendant, in proportione sphærica scandunt; & postquam meridianum ascenderint, ac pertransierint, eâdem proportione descendunt, quæ in solo corpore sphærico inuenitur. Idem ostendunt omnes aliæ apparentiæ, maximè Horologia, Solaria, quæ sunt constructa, supposito Cœlo sphærico. 283

Probatvr tertiò à D. Bonauent. simplicissimo corpori simplicissima debetur figura. Cœlum est simplicissimum inter corpora; cùm sit subtilissimum: ergo simplicissimam debet habere figuram; sed hæc est sphærica: ergo. Eodem medio de stellis hoc probat S. Doct. *Serm.* 1. *Apost.* cum Clauio *in cap.* 1. *sphæra.* Quod verò figura sphærica sit simplicissima, probant alij; quia sphæram vnica superficies includit. Secundò, quia vnâ æquales diametri mensurantur. Tertiò, quia in ea neque initium, neque finem possumus inuenire. 284

Pro

Quartò, circa centrum reuoluta, semper eundem locum occupat: vnde motûs facilitas, & partium firmitas maximè conceditur. Vltimò tandem est capacissima inter figuras Isoperimetras. Adde, quòd sphœra planam superficiem in puncto vnico tangit; vt patet ex Theodosio, *proposit. 3. primi libri, sphær. item.* cùm ergo sphœrica figura sit nobilissima, iure corpori cœlesti nobilissimo fuit concessa. Hæc vrgent Clauius, suprà; Amicus *Tract. 5. q. 2. artic. 3.* sed vide *quæst. 7.* de hac suprà.

285 PROBATVR quartò à D.Bonau. Corpori, quod est maximè contentiuum, debetur figura capacissima; Cœlum est contentiuum omnium: vt ait etiam Damasc. 2. *de fide, c. 6.* Arist. 1. *Cæli, text.* 19. & *l.* 2. *text.* 22. ergo. subsumo. Sed figura inter Isoperimetras sphœrica, est omnium capacissima: ergo. Hàc ratione vtitur etiam Ioan. de Sacro Bosco, Clauius *ibi*, Amicus suprà, cum aliis.

HÆC argumenta habet etiam Sanctus Bonau. *serm. 1. de Apostolis.*

VT autem meliùs agnoscamus; sphœram esse capacissimam inter figuras Isoperimetras, probatur à Clauio, & Sacro Bosco. Ea enim figura, quæ plura continet latera, quæque regulariùs existit, est capacior. Hinc verò sequitur, sphœram figuris omnibus, angulos habentibus, esse capaciorem, vt patet demonstrationibus; etiamsi minima sit quoad loci occupationem: vt ait Archim. *de Isoper.*

PROBATVR quintò à D. Bonau. Corpori perfectissimo figura debetur perfectissima; Cœlum est corpus perfectissimum: ergo ei debetur figura perfectissima, quæ est sphœrica. Sic etiam Clauius, & alij.

286 PROBATVR sextò, Corpori destinato motui velocissimo, debetur figura tali motui aptissima: Cœlum est motui celerrimo destinatum: ergo data est figura aptissima. Hæc autem est sphœrica, quæ vndequaque absque repugnantia voluitur. Sic etiam allegati.

PROBATVR septimò à D. Bonau. *in oppusc. quatuor lib. sent.* ex illo Eccl. 24. *Gyrum Cœli circuiui*: vbi notat, *hic* exprimi motum in gyro, atque rotunditatem Cœlorum sphœricam. Qua authoritate nititur & Ruuius, *loc. cit.*

TANDEM probatur à Seraph. Doct. *ad 1. Eccl.* illis verbis: *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur; ibique renascens gyrat in meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Vnde colligit, Solem in orbem circumferri. Hàc ratione nititur & Ruuius, 2. *Cæli, cap. 5. quæst. 2.*

VNDE apertè elucet, nostram sententiam non esse contra Scripturam. Quòd astra etiam sint sphœrica, patet ex figura, quam Luna exhibet in augmento, & deliquio luminis: nam apparet corniculata. Ideò S.Doct. *lib. 2. Comp. cap. 5.* astra esse
287 sphœrica statuit; *& cap. 7.* reddit rationem hanc, quà vtuntur Clauius, & alij: Tametsi Ellipticæ, seu oualis figuræ censeantur Sol & Luna à Scheiner. & Ingeniero, è refractione radiosa.

OBIICIES primò Psal. 163. dicitur: *Extendens Cælum, sicut pellem*; alia versio habet: *sicut cameram*; ergo est tentorium Hemisphœricum.

RESPONDET S.Doct. Scripturam *hic*, & alibi, se captui simplicium aptare.

OBIICIES secundò, sequitur etiam Empyreum esse sphœricum, aut magna eius pars erit vacua, aut plus distabit corpus Christi à multis sanctis, quàm Cœlum à terra: cùm ab vna circumferentia ad aliam mediet terra.

RESPONDET Sanctus Bonauentura, quòd Sancti Christum videbunt, vbicunque sit; etiamsi totum Empyreum sit vndique repletum; vel si omnes stent in vno Hemisphœrio, non erit locus vacuus in altero Hemisphœrio; sed ad placitum Beatorum: nec enim aula dicitur vacua, etiamsi à Principe non repleatur, aut ab aulicis. Sanè Deus ait: *Cælum, & terram ego impleo.*

OIICIES tertiò, stellæ magis distant à nobis in Oriente, quàm in meridie.

RESPONDET Ruuius negatiuè, sed malè; distant enim, quantum est terræ, & maris pars, quæ eò vergit. Addo tamen, hanc esse distantiam insensibilem: neque ex maiori figuræ apparentia illam esse maiorem concedere cogimur: nam accidit ex vaporibus; vt monet Arist. 3. *Meteor. cap.* 4. & alij apud Amicum, *art.* 4. 288

QVÆSTIO XII.

An LVMINARIA *fuerint creata quarta die.*

D. Bonau. d. 14. p. 2. dub. 3.
D. Thom. q. 70. art. 1.

IVXTA opinionum varietatem de ordine seruato à Deo in creatione, variæ etiam hac de re emergunt sententiæ.

QVI enim dixerunt, initio ante dies creatum fuisse Cœlum, asseruntque tunc creata & astra, inferunt, quarta die illis additum tantùm aliquod accidens.

Aliqui volunt, additas determinatas virtutes, ad influendum in hæc inferiora, & ad varios effectus educendos. Ita D.Th. quem plurimi sequuntur. 289

ALII volunt, facta hàc die luminaria; eò quòd eis addita fuerit lux.

ALII volunt, lucem hàc die auctam, & completam. Sic Carthus. *in 1. Genes.* cum Beda *ibi*, D.T. *q. 67. art. 4. ad 2.* & *q. 70. art. 1. ad 1. & 2.* Perer. *Genes. 1. circa opus 1. & 4. diei.*

ALII volunt, additos quarta die motus varios, ad illuminandum, & influendum. Ita D.Th. *q. 20. art. 2. ad 3.* & *q. 67. art. 4. ad 3.* Videtur communis opinio recepta à Magistro, *in 2. d. 14. & seq.* Burgens. *Genes.* 1. Suar. *l. 2. de vniuerso, c. 8. n. 16.* Valent. *d. 5. q. 3. p. 4. col. 958.* & eam refert Lyran. *hic.*

Secunda sententia est, luminaria condita fuisse substantialiter quarta die. Ita omnes, qui dicunt, Cœlum initio creatum, esse Empyreum; vt disserui *Tract. 5. d. 1. q. 2.* & *Tract. 6. d. 1. q. 1.* Ita D. Bon. *hic*, & passim Molina *de operibus sex dierum, d. 15.* Tost. *ad 1. Genes.* aliqui verò dicunt, educta è nihilo; alij probabiliùs ex præiacente materia, scilicet, mole illa primæ diei. Ita Molina, post D.Bonau. qui in hoc adhæret Sanctis, Basilio, *Hom. 2. Hexaëmer.* Damasc. *l. 2. de fide, c. 7.* sequuntur Arriaga, *d. 34. sect. 2.* Cornel. à Lapide, *in Genes.* qui oppositum vocat errorem. Amicus *Tract. 3. de Cælis, quæst. 3.* 290

ASSERO cum hac sententia, luminaria quarta die fuisse condita. 291

PROBATVR à D.Bonau. seu potiùs supponitur certum ex verbis Genes. 1. *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento Cæli, &c. fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas. Et posuit ea in firmamento Cæli, &c.*

Singvlæ ferè syllabæ textus nostram firmant sententiam; & oppositam euertunt.

Primò. *Dixit Deus* quarta die: dicere autem
292 Dei, est operari; vt monet cum Patribus D. Bonau. distinctione 13. dub. 3. litt. *Dixit verò Deus, fiant luminaria*: ergo facta sunt hac die: alioqui aliorum etiam dierum opera confundes. Mox additur etiam motus: *Diuidant diem, & noctem, &c. Vt luceant*: en post luminarium productionem, cætera ordinauit. Clarè verò describit dicens: *Fecit duo luminaria*: en substantialiter sunt producta, mox: *Posuit ea in firmamento*. Quid clariùs? Non capio, quemquam, solis accidentibus additis, hoc opus expedire valere.

Respondet Suarez, *libro 2. cap. 9.* cum Vatablo; Verbum *Dixit*, per recapitulationem poni. Ideò traduxerunt aliqui ex Hebræo, *Dixerat verò Deus.*

Enim verò, cùm Hebræi non habeant præteritum plusquam perfectum: neque hoc signetur tempore perfecto, absque addita littera: Et cùm hic nullum signum addatur perfecto; sed iisdem litteris, & punctis scribatur, sicut in aliis: vbi habetur ויאמר & dixit; Vaiomer in Hebræo, non est, cur traducant, *Et dixerat*; nisi fortè Hebræi illi velint, intelligi præteritum perfectum, iam remotum, dum scribebatur: sicuti nonnunquam accipitur eo idiomate. Quid plura? Imperat Deus יהי Iehi, id est *Sint*. Quod & in cæteris operibus dictum aduertimus.

Qvòd verò accipiatur per recapitulationem, gratis dicitur: vbinam enim anteà scripsit facta fuisse luminaria? (quòd necessariò est demonstrandum ab aduersariis, sicuti constat in aliis recapitulationibus,) Aliàs idem de cæteris operibus licebit dicere, omnia illius hebdomadæ sanctæ opera inuertendo.

Respondet secundò, per sequentia verba limitari ad accidentia; ait enim, *& diuidant*, idest, vt diuidant, ita habet Caiet. cum Oleastro.

293 Standvm est proculdubio editioni vulgatæ; vt definit Concil. Trident. non versioni Caietani, qui Hebraicæ linguæ imperitus, à suo Rabbino, cui credere cogebatur, impropriam Scripturæ versionem receperat, vt pluries mihi Forestus in familiaribus colloquiis dicere solebat. At esto ponatur *Vt*: adhuc nil obest: nam ponitur tanquam finis, ob quem sunt facta; & textus à Suarez allegatus, *Erunt* (habet) *luminaria, vt luceant*; si ergo *erunt* (dixit:) ergo non adhuc erant; cùm enim dicatur: *& factum est ita, &c.* signum est, sensum genuinum verbi (*erunt*) esse, luminaria fuisse ad significandum, non autem adhuc fuisse facta.

Respondent Suarez, & Valent. sensum esse, quod luminaria ex tunc cœperunt ibi lucêre, non quomodocunque, sed virtute quadam, tunc acceptâ ad proprios effectus, quam tunc per motus proprios acquisiêre.

At Scriptura ait: *Dixit Deus fiant luminaria, &c.* Mox posito puncto. *Vt luceant in firmamento Cæli.* Pagnin. *& sint in luminaria.* LXX. *& sint ad illuminationem.* En creatio, & finis, distincta enarrantur; alioqui eorum non habebis vllibi creationem.

Addo, Dauidem sæpiùs *Psalmis* 135. 148. *&c.* recensere seorsim à creatione Cœlorum, productionem luminarium. Sic & *Daniel.* 3.

Iam verò S. D. aggreditur, discuttere ex quo, & quomodo facta sint hac die luminaria.

Asserit primò non esse facta ex elementis, vt volebant multi, apud Suarez *d.* 13. *sect.* 11. Amicum, *Tract.* 4. *quæst.* 3. *d.* 1. Molinam, & alios, apud hos. 294

Probatvr à Seraphico, ratione, qua cæteri nituntur. Omne compositum ex elimentis est corruptibile; Cœli sunt incorruptibiles: ergo.

Præterea, si essent mixta perfecta, deberent grauia elementa præualêre, & sic omnia corruere.

Neqve dicas, sustineri à Deo. Non enim quid Deus facere valeat; sed quid faciat naturæ conforme, quærere debemus; vt ait S. August. & cum eo S. Bonau. adducti *quæst.* 8. Hoc latiùs probaui *quæst.* 7.

Probatvr tertiò. Si luminaria essent mixta ex elementis: ergo ob nobilem admodum mixtionem apta essent perfici ab anima; & ita sunt animalia, contra D. Damascenum, 2. *de fide, cap.* 6. vbi Cœlos inanimes dicit, & D. Hieron. *in Ecclesiast. cap.* 1. dicentem, asserere astra animata, esse hæreticum. D. August. *lib.* 1. *retract. cap.* 5. vbi retractat id, quod dixerat *lib. de immort. animæ, capite* 15. *Tom.* 1. Asserit igitur, luminaria, secundùm 295
Philosophum, 2. *Cæli, text.* 41. facta esse ex condensatione aliquarum partium Cœlorum, manentibus cæteris rarefactis, in his positam esse lucem primæ diei, vt huius quasi vehiculi, illæ partes fierent. & hoc confirmat ex D. Basil. *hom.* 2. *& 6. Hexaëmer.* vbi ait: *Hoc solare corpus factum est vehiculum illi primogenito lumini* & ex D. Damasc. 2. *de fide, cap.* 7. qui idem asserit: non quòd existimet, lucem illam, ab omni subiecto segregatam fuisse à Deo productam; vt putat Suarez *lib.* 2. *capite* 2. *num.* 4. sed quia ex corpore illo cœlesti lucis, de quo egi, *quæst.* 2. & quibusdam aliis partibus Cœlorum facta sunt luminaria, tanquam vasa lucis. Hoc autem fatetur S. Bonau. se astruere, ob suam erga Sanctos obseruantiam, quorum dictis, in materia adeò incerta securiùs innititur.

Ex hoc colligit, luminaria, quantùm ad id, quo componuntur, ex firmamento, habere potiùs capacitatem suscipiendi lucem; quoad id verò, quòd lux illa primigenea addit, habere virtutem lucendi, & ideò luminare, cui plurimum Deus dedit de illa luce, nempè nouo gradu substantiali addito, est perfectius specie; & hic est Sol: cui autem dedit minus de luce, minùs perfectè lucet ex se; sed si lucet, hoc fit ex susceptione luminis aliunde; & talis est Luna.

Oritvr hîc quæstio: An omnia luminaria acceperint lucem, ab initio informante: an verò totum lumen accipiant à Sole. 296

Prima opinio est, omnia astra habere formam lucis intrinsecam; solam verò lunam esse intrinsecè obscuram. Ita Macrob. & Auicen. apud Saxon. 2. *Cæli, q.* 20. Picus, *lib.* 2. *cont. Astrol. c.* 15. Philal. 2. *Cæli, post text.* 53.

Secvnda opinio est, omnia astra præter lumen proprium, accipere lumen à Sole. Ita Aristoteles 2. *Cæli*, quem sequuntur Conimbr. *cap.* 7. *quæst.* 4. Saxonia, 2. *Cæli*, Hurtad. *d.* 2. *sect.* 5. Mendoza *virid. probl.* 40. & alij apud eos, quibus subscribit Amicus, *Tractatu 6. de Cælis, quæst.* 5. *disp.* 1. *art.* 3.

Seraphicvs *in* 2. *distinctione* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, & *ad* 4. supponit, luminaria formâ substantiali lucis actuari. Idem iam admisit *dub.* 3. *litt.* vbi lunæ lumen, seu lucem concedit

concedit modicam ab intrinseco. Ex quo etiam obiter infero, debere esse alterius speciei à luce solis: ne in eâdem specie detur magis, & minùs. Clariùs id supponit *in Hexaëmerone.*

297 Assero primò, astra habere ab intrinseco Lucem.

Probatvr primò à D. Bonauent. *quæst. cit. in corpore.* Diuersi ex opposito effectus, in subiectis iisdem, indicant diuersa principia; sed astra producunt, Luce, diuersos in iisdem corporibus effectus: ergo non solo lumine solis accepto.

Nec satisfacit Amicus, *num.* 11. dicens, varios effectus produci ex diuersis subiectis astrorum, in quibus recipitur lumen. Quod enim conuenit alicui ab intrinseco, non amittitur, vbicunque sit. Cùm autem Lumini solis tales conueniant effectus ex intrinseca virtute, non producet oppositos; etiamsi in alieno subiecto receptum. Sunt autem dicta Luminaria ab initio creationis.

298 Probatvr secundò à S. Doctore *ad* 4. nobilissimis corporibus nobilissima forma debetur; Astra sunt nobilissima corpora: ergo data eis est Lux, nobilissima forma. Maior patet Minor etiam claret. Quòd etiam Lux sit nobilissima forma, probatur à S. Doctore 2.*d.*13.*art.*2. *quæst.* 2. assurgendo ex elementis, quæ, quò sunt nobiliora, etiam magis de Luce participant. Idem de mixtis. Ideò gemmæ tanti æstimantur. Confirmatur: nam corpus purum densatum lumen edit. Cum igitur astra sint purissima, & densa, non densitate impura elementari; sed quali dignum est corpus Cœleste: ergo lucent. Assumptum patet in Adamante, Carbunculo, &c. Addunt aliqui, stellas super solem, qui parte supra opacus, vt validiùs feriat, è puteo videri.

Assero secundò, etiam Lunam modicum habere Lumen.

Probatvr à S. Doctore quia in eclipsi aliquid
299 modicum luminis seruat, rubore suffusum: color autem ille indicat aliquid luminis; cum sit medius.

Respondet Scaliger *exerc.* 62. ruborem ei venire dum est in mucrone pyramidis vmbræ terræ, vbi vicini sunt radij; si autem lumen illud haberet à se, id retineret etiam in nouilunio.

Contra: quia etiam in basi conicæ vmbræ est rubea. In nouilunio autem suffocatur à Sole vicino rutilante; vt notant Conimbr. *articul.* 3. *ad* 2.

300 Assero tertiò, omnia Luminaria à Sole Lumen etiam accipere.

Probatvr de Luna, quæ sub eclipticam veniens, & vmbram terræ ingrediens eclipsatur. Idem obseruarunt, tubo optico, in Venere, & Mercurio, quæ corniculata visa sunt. Sic enim etiam Luna, ex maiori, aut minori accessu, atque recessu à Sole, similiter apparet. Recipitur autem Lumen incorporatum: alioqui, si sola reflexione, non posset illuminare, nisi tantum terræ, quantùm ei commensuratur, quæ est pars terræ vigesimanona, vt patet in reflexione speculorum. Hæc tamen ratio non cogit.

Alia ratio est quia in profunditate apparent partes illuminatæ etiam maculosæ, quia sunt inæquales; vt arguit S. Doctor *dub. q.* 9. *cit.* & cum eo Achill in. 4. *de orb. d.* 2. Amic. *Tract.* 6. *quæst.* 5. *disput.* 1. *num.* 18. Deducit verò S. Doctor *loco citato* etiam, cur Luna ad modum speculi non reddat nobis imaginem solis, & terræ, non modò ob distantiam: vt putat Anguillonius adductus, *quæst.* 9. sed etiam, quia habet partes plurimas opacas, asperas, inæquales, quæ non sunt aptæ reflectere imagines, more speculi: nam ideo specula reflectunt: quia nitida sunt æqualiter. Nam ratio distantiæ non cogit, cùm reflectat imago etiam ex aquis, & speculis nostris.

Hinc habes etiam vnde maculæ obueniant Lunæ.

Gloriatvr Galilæus, se primum sydereum nuntium, detectas in Luna asperitates illas maculosas tubo optico, à se excogitato, nobis Cœlitus afferre. Enim verò gloriam hanc Seraphico ne eripiat; nam ducentos, & ampliùs annos, ante eum id sæculis tradidit *in* 2. *distinct.* 14. *part.* 2. *dub.* 3. *littera.* 301

Hinc etiam colligit Amicus *num.* 23. cur Luna eclipset Solem; non sic Mercurius, aut Venus, etsi lumen à sole recipiant: nempè, quia hi planetæ sunt transparentes; at Luna opaca. Addit Clauius, quia sunt parui. Ipsos pati deliquium, constat tubo optico. Quod verò non eclipsentur, est, quia non adeò vnquam à sole recedunt, vt tota diametro distent, & intermediet vmbra terræ: estò vmbra ad Mercurium pertingat, vt vult cum D. Bonauent. *serm.* 2. *Apoc.* Campanus; ad alia verò astra non protenditur. Quòd verò lumen in Marte sit igneum; in saturno pallidum; in Mercurio argenteum, in Ioue, & Venere flauum, non conuincit, eos à sole lumen non recipere, tùm quia propria Lux est eis talis, quæ non immutatur omninò, ab extrinseco solis radio: sed variè apparet, pro varietate subiectorum, in quibus recipitur, ea autem sunt specie Lucis, varia. Quòd verò ea Lux intendatur à Lumine solis, non constat. Vnde nec constat, esse eiusdem rationis; sed potest dici manere vtcunque impermixtum. Hinc argumenta solues contraria.

Observat autem S. Doctor *serm.* 20. *Hexaëmer.* Lunam in oppositione minùs illuminatam, etsi nobis oppositum appareat. Nam è Perspectiua constat, quòd, quando corpus sphœricum luminosum maius est, quàm corpus opacum sphœricum, quod illuminatur; quantò magis appropinquat corpus ad corpus, tantò magis illuminatur opacum; quia basis corporis luminosi est maior, & angulus radiorum maior; quantò verò distat angulus; minor fit, & basis minùs de corpore opaco attingit. Igitur, quia Luna in oppositione cum sole maximè ab eo distat, minùs illuminatur secundùm veritatem; etsi magis secundùm apparentiam. Quantò igitur ad solem accedit basis radiosa; magis Lunam tangit, & illuminat. 302

Qvaeres primò: an in Cœlis raritas, & densitas elementorum sit?

Respondet D. Bonauent. *distinct.* 14. *part.* 2. *articul.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, esse raritatem, & densitatem, provt dicit constipationem partium, quod clarum est. Sed densitatem, & raritatem veram, sicut in elementis reperitur, negat, vt ostendi *quæst.* 7.

Primvm probatur à S. Doctore: nam aliquæ partes lumen transmittunt; aliæ non. Sic & Luna solem operit.

Probatvr secundùm à D. Bonauent. quia raritas, & densitas elementorum sunt secundæ qualitates, ortæ ex primis, puta calore rarefaciente, & frigore stipante; vt ait Aristoteles 2. *de gener. cap.* 2. *text.* 8. 303

Probatvr secundò à S. Doctor quia raritas, & densitas sunt dispositiones ad formas grauium, & leuium, & sunt qualitates, ex eis resultantes; vt ait Aristoteles 4. *Physicorum, c.* 9. *text.* 85. Idem sentiunt

aliqui Recentiores contra Conimbricenses, 1. *de Gener.cap.5. quæst.17.* Amicum, *Tract.5. quæst.2. d.5.* Ruuium, 1. *Cæli, cap.3. quæst.3.* qui nititur soluere rationes D. Bonauenturæ, dicens, eam raritatem, & densitatem differre accidentaliter solùm, à raritate, & densitate elementari. Nam illius effectus formalis est, partes constipare, vel dilatare; hic autem vtrobique inuenitur.

Enim verò quæstionem verbis inuoluit, vt patet. Sanè diuersæ sunt naturæ, secundùm genera, producuntque effectus, genere adeò diuersos.

Qværes secundò: an in Sole sint maculæ.

Iam næuos in luce carpunt, maculas cùm videant in Sole; de quo Sapiens. *Quid lucidius Sole?* Has describunt Scheiner Theorius Aquilis perspicacior *in Rosa vrcina*, Licetus, *lib. 6. de nouis astris, cap. 4.* Vincentius Patricius Patauinus *in suis obseruat.* Ioan. Tardeus *in suo de his lib.* Petr. à S. Ioseph Fnliens. *lib. 2. Physic. text. 2. artic. 6.* Raphaël. Auersa *quæst.34. sect.9.* Tanner. *part.1. d.6. quæst.3. dub.3.* Mastrius, & Bellutus *d. 2. q. 2. articulo 3.* Vrsinus *d. 1. quæst. 3.* Claramontius, *part.4. cap. 21.* Cottunius 1. *Meteor. cap.21.* Ingenierus *libro 2. capite 5.* Farnes. *libro 2. capite 1.*

Conveniunt, maculas numero variari, & situ, ac modò plures in vnam; modò vnam resolui in multas. Eas autem omnes moueri à parte extrema Orientali ad Occidentem, quatuordecim diebus, motu irregulari; vel regulari, dicunt alij.

305 Varietas eorum, in earum definitione, ansam exhibet astruendi, omnes, Talparum more, cæcutientes, hallucinatosve Noctuarum visu. Ideò acutiori præditos oculo, antiquos omnes illas negasse, inter quos D. Bonauent. *serm. 20. Hexaëmer. & seq.*

Aliqui enim cum Liceto dicunt, Solem veluti mare aureum feruens, atque ebulliens fluctibus asperum, partes quasdam euomere, seu lucidas, seu obscuras: has verò maculis eum conspersum exhibere.

Hi Solem corruptionis sibi statuunt causam, vt mirum sit, illum iam non euaporatum, & absumptum esse. Apparentiæ hæ lucis, vehementi fulgori, oculorumque infirmitati potiùs adscribantur.

Alii dicunt, eas esse corpora interposita; Soli autem vicina, quæ ideò parallaxim non causant: Sic Claram. Cottun. Has dicunt Tardeus; Fnliens. Mastr. & alij, esse corpuscula, seu stellas erraticas Solis comites concentricas, iuxta eius sphæram constitutas, aut in Epyciclis propè Solem euolutas; ac proinde dum in transitu interponuntur, apparêre in eadem parte, modò plures, modò vnum pro variatate situs, qui nobis occurrit, eorum epyciclorum, corpusculorum, vel stellarum, in gyro interpositarum.

Hæc verò gratis asseruntur, sine probatione. Si enim stellæ sunt, vel corpora cœlestia; quomodo nigrescunt? Quo pacto cernuntur semper circulis deferri ab Oriente, & nunquam in reuolutione ad Orientem? Et si corpuscula hæc vniuntur, & sparguntur, fateamini Cœlos esse fluidos; non æreos.

Aversa dicit, aliquas Solis partes, virtute cœlestium causarum, reddi opacas: At quo pacto semper ab ortu in occasum illæ meant?

Alii volunt, eas ab aëre obuenire; Hinc aëre vaporoso plures aspici, & maiores. At quo pacto eum motum semper habent? Cur non inficiunt & Lunam, & astra? miror Vincentium, & Licetum id dicere. Hæ enim non essent maculæ in solis Disco.

Assero in corpore Solari non esse maculas. 306

Probatur à D. Bonauent. *loco citato* Sol enim in Scriptura dicitur fons Lucis, Eccl. 17. *Quid lucidius Sole?* Comparatur Christo. *Ego sum Lux mundi* Io. 8. Vbi ideò immaculatam doctrinam suam, ac vitam probat, vt notat D. Bonauent. ad eum librum; Ideò & Ioan. 1. *Erat lux vera; & tenebræ eam non comprehenderunt* quod latiùs prosequitur *ad 1. Io.* Frequens est in scriptura similatio Solis cum Christo: Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum, & ipse tanquam sponsus, &c.* Nempe vt faceret sibi sponsam, non habentem maculam, vt ait Paulus *ephes. 5.* Hinc psal. cit. *Lex Domini immaculata.* Comparatur Deo, *Eccli. 42. & 43.* vt inde immaculata eius sanctitas, & Lex agnoscatur. Omitto, comparari Intemeratæ Mariæ, atque Ecclesiæ. Scio eas, & Lunæ comparari, sed neque hæc propriè est maculata.

Asseram secundò, si quæ maculæ apparent in Sole, eas esse partes fluidas, densatas identidem Cœli, quæ semper ad Occidentem ire videntur, raptæ à primò mobili celerrimè; etsi aliquæ ad Orientem vergant, non discerni earum motum, ob rapidum motum contrarium, quo potiùs ad occidentem ire videntur. Hoc enim experimur in multis. 307

P. Tonsvs in aliis etiam planetis, suo cusis systemate, maculas vidit.

Observa stellas fixas nostro aspectui radios tremulos scintillare, quia ob nimiam distantiam debilitatæ species lucis perneniunt; non ita Planetæ. Et in hoc eas internosci notat Aristoteles.

Qværes tertiò vnde maculæ in Luna?

Agunt hac de re Plutarchus, *Opusc. de facie Lunæ*, Scaliger *exercit. 62.* Cardanus, *3. de subtil.* Albertus *tract. 3. cap. 8.* Saxonia, 2. *Cæli, quæst. 2.* Conimbr. *cap. 7. quæst. 4. art. 3.* Georgius Philal. *conf. 49.* Cremoninus *Apolog. de facie Lunæ*, Maior. *2. d. 14. quæst. 10.* Cælius Rodig. *lib. 1. lec. antiq. cap. 14. & lib. 11. cap. 4.* Amicus *Tract. 6. de influx. Cœlorum, quæst. 5. dub. 3.* Galilæus *In suo Nuncio Astronomico.* 308

Notandvm primò, Lunam, attentè aspicienti, corniculatam in primo quarto exhiberi, vbi obscurum, & lucidum intersecantur inæqualibus, asperitatibus; non, vt ait Amicus, faciem exprimentes humanam; sed quales in rupibus, & scopulis propendent: ex quo, non audacter, vt clamat iste, sed verè asserunt, in ea reales Montium, atque conuallium asperitates, ac prominentia iuga reperiri: vt tubo optico ego obseruaui, cum Galilæo, & aliis modernis; quibus non est adscribenda harum obseruationum gloria, sed Seraphico, qui *in 2. d. 14. part. 2. dub. 3. litt.* asserit, Lunam esse membris inæqualissimam. Ideò non posse admodum speculi reddere imagines: quia non est more speculorum politum corpus, & tersum. Neque verò aliquis Modernorum, cum Zenophane delirauit, asserendo, Lunam, veluti prouinciam vrbibus habitari. De quo agit Cicero, *lib. 4. Academ. quæst. 9.* Et in hoc etiam Amicus fallitur carpens, cum Mastrio *disput. 2. quæst. 2. art. 3.*

Hanc partium Lunæ diuersitatem nuncupauit Plutarchus *Lunæ faciem*: alij verò ex allegatis *Lunæ maculas.* Hinc mastrius miratur, quo pacto facies Lunæ seruetur recta. At hoc fit; quia, dum mouetur epyciclo, ipsa voluitur circa suum centrum, quasi rota in contrarium. Vnde non inuertuntur 309

tuntur illæ figuræ, quod videtur Mastrius sensisse *d.2.quæst.4.art.1.num.128.*

NOTA secundò è D.Bonauent. densitatem, & raritatem à diaphaneitate, & opacitate esse diuersas. Sanè multa densa, sed adhuc diaphana cernimus, vt chrystallum, & è contrà, rara, & opaca, vt atramentum, & spongiā. Monet tamen Auct. *lib. de substantia orbis*, densitatem, & raritatem esse fere causas diaphaneitatis, & opacitatis; vnde fit lucem recipi in perspicuo, siue denso, siue raro; cum hoc tamen discrimine; nam cùm subiectum est rarum, lucet, vt perspicuum; vbi densum, lucet vt lucem effundens; perspicuum enim actu vocat Aristoteles, quod actu lucidum est, siue luce propria, siue aliena. Hinc Peripatetici inferunt, stellas esse partes densiores Cœli; quia sunt ex materia apta ex se lucere; & lucent ob densitatem, quam habent. Hinc aliqui inferunt, Lunam esse omnium infimam; magis ideò impuram, ex condensatione minus lucidam fieri, & ex varietate condensationis variari.

310 PRIMA opinio est, maculas illas esse in Luna, non subiectiuè realiter, sed intentionaliter obiectiuè; easque esse reflexionem terræ, montium, vallium, Oceani; sicut è speculo nitido. Ita Clearchus. Alij dicebant, esse apparentes è nostra visiua imbecillitate. Vide Plutarchum.

ALII dicunt, eas maculas remanere in Luna ex alio corpore, interposito Lunæ, & soli, quò fit, vt ea nequeat totum lumen accipere.

ALII volunt, euenire è corpore, inter Lunam, & nostrum aspectum, interiecto, impediente, ne lumen eius ad oculos perueniat. Plausibilis est verò opinio dicentium, maculas illas Lunæ nil aliud esse, quàm partes eius rariores, quæ non detinent, neque reflectunt lumen solis: sicuti partes aliæ, quæ, solidiores cùm sint, lumen reflectunt. Ita Cardan. *lib.3. de subtil.* Georg. *Tract. ult.* Iauel. *tract.2. cap.5.* & Recentiores aliqui; & tribuitur Auerr. apud Cremoninum, *cap.1.* & Mayronem, *2.d.14. quæst.10. ad 7.* Amic. *num.* 40. allegatis *num.39.* Recentioribus omnibus, sed falsò, vt ipse mox fatebitur. Vrsinus *lib. sup. cit.* Fuliensis *loc. cit.* qui ait, esse communem.

311 NON defuêre tamen dicentes, partes maculatas esse densiores, quia opacæ; partes verò lucidas esse rariores. Tribuitur Auerr. *2. Cœli* 49. sequuntur Thien. & Philal.

CÆTERVM Lunæ corpus omnes hîc asserunt esse læuigatum omninò, tanquam nitidam pilam. Subscribunt Mastrius, & Bellutus.

VERA sententia, quam Amicus, *num.31.* adscribit Recentioribus Mathematicis; & rursus, *num.36.* idipsum refricat, maculas illas apparere, ex inæqualitate partium corporis Lunaris, exurgentium, quasi in montes, prominentium in iuga, in pendices, & rupes, in speluncas, valles, atque cauernas, sinúsque aperientium, sicut in terra videmus; cuius partes inuicem lumen sibi præpediunt, & paulatim illuminantur. Ita Galilæus *in suo Nuntio Astronomico*; non sanè primus huiusce rei obseruator, vt iactat: sed post D.Bonau. *loc. cit.* & *serm.10. Hex.* cui hac nostra ætate plaudunt ferè omnes. Mastrius, & Amicus, vt nos fabellis irridendos suadeant, somniantes aiunt, huc reuocari opinionem Pythagoricorum dicentium, in Luna esse profunditates, & rupturas, continentes aquam, & aërem caliginosum, in quas Solis lumen non penetrat, & opinionem Plinij *lib.9. cap.2.* dicentis, maculas Lunæ oriri è sordibus terræ, quas Luna è sublunaribus attrahit, & absorbet: seu etiam opinionem dicentium, maculas illas esse partem terræ ibi à Deo positam: eam verò esse veram terræ molem, cùm Pythagoricis aiunt asseri posse, non similitudine; vt aiebat Aristoteles. Ego autem ostendam longè à fabulis, Seraphici sententiam esse alienam, sed solidam, & ad sensum comprobatam.

ASSERO igitur cum D. Bonauent. Lunam esse corpus inæquale.

PROBATVR experimento. Nam, vt ego cùm Galilæo obseruaui, beneficio tubi optici, Luna ad primum quadrantem corniculata, asperitates illas exhibet, quæ paulatim ex obscuris fiunt claræ; sicuti & oriente sole primò acumina montium, mox verò media, proinde valles illuminantur: hoc autem non esset, si nullæ partes montuosæ opponerentur, sed tota Luna esset nitida, & rotunda; tunc enim in ea parte luminosa & corniculata cresceret lumen solùm vlteriùs à quadratura, & ab hac ad plenam Lunam exhibendam. At ita conspicitur sinuosa, tuberosa, perforata, & caua, plurimaque habens montium iuga. In his lumen, non secundùm qualem figuram æquabiliter, aut secundùm sphæram excrescit, veluti in solido perfectè sphærico fit; sed inæqualiter, non secùs ac, sole nascente, partes, & iuga montium; ita vt primò intra valles partes soli oppositæ illustrentur, vmbratis adhuc eis, 313 quæ solem versùs in cauitatibus iacent. Quam experientiam veram, sed ad intentum roborandum flocci immeritò pendit Tonsus Abbas Cassinensis; sed laudat Ingenier *lib.92. cap.2.*

PERMVLTÆ itidem apparent lucidæ cuspides intra tenebrosam Lunæ partem, omninò ab illuminata plaga diuisæ, auulsæque, quæ paulatim lumine augentur, & post tertiam horam reliquæ lucidæ iunguntur. Sic & oriens Sol, inauratis primò altis cacuminibus, mox multas disiunctas partes, lumine carentes, luminosis adnectit. Hanc rationem laudat Tonsus.

OBSERVATVM est autem, dum Luna ad primam properat quadraturam, iacêre ad cornu inferius ingentem tenebrosum sinum, partem luminosam subeuntem; mox duabus horis euolantibus, infra medium cauitatis, vertex quidam luminosus exurgere cœpit: hic verò paulatim crescens trigonam figuram præ se ferebat, eratque adhuc omninò à luminosa facie reuulsus, ac separatus: mox circa illam tres aliæ cuspides exiguæ lucêre cœperunt; donec, Luna iam occasum versùs tendente, trigona illa figura extensa, amplior iam facta, cum reliqua luminosa parte nectebatur, ac instar ingentis promontorij, à tribus iam narratis lucidis verticibus adhuc obsessa, in tenebrosum sinum erumpebat. In extremis quoque cornibus splendida quædam puncta, à reliquo lumine disiuncta, emergebant; Eratque magna obscurarum macularum vis in vtroque cornu; maximè inferiori: semper tamen nigricans maculatum pars, Solis locum respiciebat: splendidior verò limbus, in parte Soli aduersa. Hæc Lunaris superficies oculatam Pauonis caudam coloribus æmulans, vitreis vasculis, glacialibus, & vndosis videtur non absimilis: clariores tamen areolæ in superiori parte videntur.

Mox Luna, ante quadraturam primam amplissimam veluti montis basim, in superiori parte expandit, & ad inferiorem, ostendit ingentem veluti cauitatem, sanè sphœricam, cuius pars soli auersa splendet; quæ verò Soli vicinior, vmbrosa veluti vallis videtur, donec paulatim illustretur; cùm è regione, iuga Soli viciniora priùs illustren

illustrentur. Hæc sanè nostram conuincunt assertionem firmissimo argumento: dum lucidior portio cauitatum, ad partem tenebrosam,& obscurior, ad viciniorem Soli, seu iuxta Solem aspicitur, tam in prima,quàm in secunda quadratura. Oppositum in aliis ingentibus inæqualitatibus, quæ, quasi abruptæ rupes, abruptis,angulatisque scopulis consitæ exurgunt. Harum verò celsitudo adeò prominet, vt quatuor milliaria altitudinis perpendicularis transcendant: atque adeò montes terræ altissimos ter excedant, qui vnum milliare tantùm, ad perpendiculum ascendunt, vt obseruat Galilæus. Mastrius verò frustra penetrationem, & vacuum timet.

Obiicit verò Galilæus: Si Luna adeò inæqualis esset, deberent in circumferentia prominere inæqualitates; atque adeò Luna plena, non nitida sphœra apparere, sed, veluti rota dentata, tuberoso ambitu.

Respondet primò, frequentissimos apices, circa Lunam distantes, representare oculo remoto continuatam periphæriam; sic enim accidit aspicienti longam seriem montium, iuga plurima vicina extollentium, & eodem modo videntur multitudines vndarum, ferè contiguarum, quarum intercapedines non distinguis.

316 Respondet secundò, circumferentiæ exactum aspectum opprimi à parte densissima, circa corpus Lunæ, quæ, luminosam periphœriam gyrans, inæqualitates illas abscondit.

Tertiò: Cùm Luna, non adeò procul à Sole abit, splendore non modò ex parte illuminatâ perfunditur; sed tenuis vndique eam luminis periphœria coronat, vt in nocte videbis; vel etiam interdiù, ex obscuro loco aspiciens. Hoc lumen non à Luna emanat; nam & in eclipsi illud retineret. Neque à Venere; quæ Lunam in coniunctione, aut sextili aspicere nequit. Neque à Sole, quasi luminis aurora; deberet enim & interiores partes peruadere. Venit igitur à reflexione radiorum terræ acutorum resilientium ad Lunam, quæ è Sole recedens, non ampliùs acutos ad angulos potest radios resilientes accipere. Ideò quò magis elongatur à Sole, eò periphœria illa euanescit. Hæc omnia Galilæus testatur, tubo optico à se inuento, cerni: at tubus hic à Diuo Bonau.adhibitus est, vt ostendi, & ab eo inuentus. Hæc ferè obseruarunt Fontana, & Tonsus, qui & in Ioue, ac Marte cauitates obseruant.

Probatvr secundò à Diuo Bonau. *loc. cit.* Si Luna esset sphœra læuigata, exprimeret. vt speculum, Solem, & Terram.

Respondet Amicus *numero* 41. Lunam non esse speculum tersum. Id verò cum Diuo Bonauentura refellit Mastrius, & Bellutus, qui etsi læuigatam esse concedant; nitidam tamen eam sustinent.

317 Respondet secundò eum Francisco Anguillonio, *libro* 5. *opt. prop.* 56. id non posse fieri, ob distantiam Lunæ à Sole, & à nobis; non enim specierum reflexio fit ad omnem distantiam; vt patet ex debilitate specierum: quòd si oculus noster esset Lunæ vicinus, non videretur Sol in sua magnitudine, sed paruulus, vt stella.

318 Contra: nam tubo optico exactissimo, quo videntur minima in Luna, non apparet aliqua Solis imago, aut stellaris similitudo. Porrò specula repræsentant nobis Solem, distantiorem profectò, quàm sit aliquando à Luna. Vnde eum vidimus clarè magnum, cum punctis deliquij, tempore eclipsis: ergo neutra distantia est sufficiens: nam deberet sanè Solis imago magna in Lunâ exprimi; cùm in tanto speculo, quantum apparet nobis discus Lunæ, videamus Solem longè remotiorem, & tubo optico Lunam exactè perlustremus. Hæc sanè ratio optima est. Species profectò Solis remotissimi perueniunt ad speculum, elementis fæculentis mixtum, in terra positum, & repræsentant nobis Solem in tota sua distantia; vt si contraponamus aliud speculum, illud rursùs reflectat Solis distinctissimam imaginem. Hinc etiam posset Luna, more speculi repræsentare nobis reflexè terram, maria, &c. nisi adeò inæqualis esset, atque acuminosa, & rugosa, vt eorum species distinctè recipere nequeat.

Obiicit Amicus: Inter partes illas protuberantes montium, elabentes lacunarum, & cauas conuallium, debet esse aliud corpus lunare rarius, continuum, vel contiguum, aut dari vacuum. Si dantur ibi aliæ partes Lunæ rariores; complebuntur inæqualitates, & erit læuigata sphœra; si vacuum, iam natura euertitur.

Respondetvr, intermedium esse ibi corpus tenue, cœleste: nam & Cœli sunt liquidi. Itaque sicut aer circundat montes, & aqua Insulas,& scopulos; ita corpus illud, non lunare sed tamen cœleste, circundat partes vndique inæquales Lunæ: ob illud autem corpus tenue videtur Luna, cum suis membris inæqualibus: non quòd ad id sit ibi positum tale corpus; vt Luna nobis, per illud transpareat, vt putat Amicus, nos asserere; sed ad totum illud spatium replendum; nè detur vacuum. Transparet verò è corpore illo tenui Luna, sicuti ex aere ambiente, montes, & ex aqua circumstante scopuli, & Insulæ. 319

Longivs protrahit Amicus discursum; sed omnia ex dictis patent. Ea, quæ antiqui dixere de fictione apparentium macularum diluta sunt: nam cùm eæ vmbras reddant, ac varient; sunt vera corpora.

Ex dictis capies, quod ait Sanctus Bonauentura, *libro* 2. *Compend. Theol. capite* 7. Luna maculas habet ob coniunctionem eius cum inferioribus; nempè, quia cum terræ inæqualitatibus habet affinitatem. Est enim Luna terræ affinior, propiusque cæterorum Planetarum qualitates influens: Nam Sol, cùm sit medius inter septem, omnium proprietates participat; easque cum suo lumine in Lunam transfundit; Hæc verò illas terræ communicat: vt ait Sanctus Bonauentura *loco citato*, vbi cæteras Lunæ qualitates notas cursim percurrit. Nimirum, quòd crescat & decrescat; quòd eclipsim faciat & patiatur, quòd solis lumen recipiat, & communicet; quod seminibus iaciendis multum conferat, cùm primò intenditur; eò quòd Planetarum omnium occultas influentias colligat, easque temperatas in terram dispertiatur. Frigida est; vnde nociuam Saturni siccitatem moderatur. Humida est; ideoque Martis, & Veneris siccos temperat ardores. Minuitur, dum Solem præcedit, dum verò sequitur, ab eo elongatur, & maior nobis apparet. Hæc apud allatos suprà Authores ex professo fusiùs pertractantur. 320

Qvoad hæc, vide etiam Amic. eruditum sanè, cuius volumina ob Typographorum, aut transcriptoris incuriam, mendis innumeris scatentia perlegere piget.

Diversas obseruat maculas, & inæqualitates

tes D. Odoardus Tonsus Abbas Cassinensis, suo Tubo oculari præcipuè multas, veluti figuras Solis, quas in Luna sculptas, & fixas, non è Solis aspectibus variatas, dixit.

321 Eqvidem, si verè apparent, dicerem, è reflexionibus Solis, in tot partibus distinctis, impressiones illas cerni; sic eminet in speculo, in quo globulis discretis interdistincto, multiplicantur, imperfectè tamen, eiusdem obiecti Imagines.

Id in hoc Sistemate exprimit, vbi etiam aliorum Planetarum mutationes pingit.

Aliqvas asserunt impressiones etiam Francisc. Fontana, & Camillus gloriosus, apud Mastrium *disp. 2. q. 2. art. 3.* his consonas.



322 Qværes tertiò, quomodo Luna, minor omnibus stellis (excipe Venerem, & Mercurium) dicatur Luminare Magnum. Et quidem Luna minor est, quàm terra, viginti nouem vicibus, ita vt, si terra in viginti nouem partes diuidatur, singulis Lunam æquaret. Terra autem, cùm mari vnicum globum faciens 22500. milliaria gyrantur, secundùm Ptolemæum, Clauium, & insigniores Geographos; vt notat Glielmus de Gloriâ Sanctiss. Trinitatis, *discursu* 1. De hac ait Sapiens Eccli. 43. *Vas castrorum in excelsis, in firmamento Cæli resplendens gloriosè: & vas admirabile opus excelsi*; vt notat Glielmus, *loco citato*, de Gloriâ Sanctiss. Trinitatis, post D. Bonauent. *dub. citato litt.* Vbi hinc confirmat sententiam Basil. & Damasc. Corpora luminaria esse vasa lucis. Mercurius gyrat milliaria 1130. Venus est minor terrâ 37. vicibus. Sol verò ponitur à plurimis maior terra 166. vicibus. Sic asserit etiam D. Bonauent. *in Compend. Theol. verit. lib. 2. cap. 7.* licèt errore Typographorum excusum sit 140. vicibus: at Seraphicus secutus Ptolemæum, in antiquis editionibus habet 166. Mars est maior terrâ 7500. milliaribus; est enim amplus 30000. milliaria. Iupiter est maior terrâ 95. vicibus. Saturnus 91. vicibus.

In firmamenti autem superiori Cœlo sunt 1022. 323
stellæ notæ, & aliæ innumeræ; vt tubo apparet optico. Hæ, quæ nocte videntur, 6. ordinum sunt. Stellæ primæ magnitudinis sunt terrâ ampliores 107. vicibus, & hæ sunt 15. Stellæ secundæ magnitudinis 45. sunt, & terram exuperant 90. vicibus. Tertiæ magnitudinis 208. sunt maiores terrâ 72. vicibus. Quartæ magnitudinis sunt 474. & superant terram 54. vicibus. Quintæ magnitudinis 207. superant 33. vicibus. Tandem stellæ infimæ magnitudinis sunt maiores terrâ 18. vicibus, & hæ sunt 49. Galilæus *in suo Nuntio* testatur se alias innumeras vidisse. Vide D. Bonau. *sermonib. de Apostolis*.

Qværitvr ergo, quomodo Luna, ferè infi- 324
ma, Magnum inter luminaria dicatur?

Respondet Diuus Bonauent. *dub. 6. cit.* Lunam dici Secundum Luminare, respectu nostri, seu in lucendo: quia, post Solem, magis nobis lucet, siue ob vicinitatem, siue ob densitatem, & aptitudinem ad lucendum. Ita etiam D. Basil. *hom. 6. Hexaëmer.*

xaëmer. Chrysost. *hom.* 7. *in Genes.* & August. 2. *de Genes. ad litt. cap.* 16. Adde, Lunam eminere inter illas, etiam in præcipuis muneribus, ad quæ Luminaria, hâc die facta, destinantur: nam, vel propter vim illuminandi, vel propter alias etiam qualitates sibi connaturales, maiorem habet influentiam in omnium mixtorum generationem, quàm Cœteri Planetæ, præter Solem. Ideò etiam, magis est in signa, & tempora, & dies, & annos; inde apud aliquas nationes, menses, & anni per eam numerantur; & ad distinguenda tempora, in ordine ad plures ordinatas operationes humanas adhibetur: præsertim ad opera medicinæ, agriculturæ, nauigationis, &c. augmenta, & decrementa Lunæ considerantur. Ita resoluit etiam Suarez, *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 9. Valen. *disp.* 5. *q.* 3. *p*4. *col.* 958. Arriaga *disp.* 33. *n.* 6.

QVÆRES, quo statu augmenti, vel decrementi creata sit Luna.

325 PROBABILE quidem est, factam esse plenam. Ita Beda *in Hexaëmer. & lib. de ratione temporum.* Procop. *in cap.* 1. *Genes.* Damasc. 1. *de fide, c.* 7. Abulen. 1. *Genes. quæst.* 25. At D. August. 2. *de Genes. ad litt. cap.* 15. probabile censet, factam esse initio sui luminis; quia debuit incipere initio sui mensis. Alij dixêre, factam septima die illius augmenti: quia tunc oritur supra nostrum Horizontem; quando sol occidit; & ita poterat totam noctem illuminare, & præesse nocti, iuxta edictum Dei. Sic recitat Suarez, & hunc dicendi modum videtur laudare. At Luna non ascendit suprà Horizontem, occidente Sole, nisi quando est opposita omninò; cùm enim est in septima die citiùs ascendit, quàm Sol occumbat.

QVÆSTIO XIII.

Quomodo LVMINARIA *facta sint in signa tempora, dies, & annos.*

D. Bonau. d. 14. part. 1. dub. 4. litt.

326 FVERE Nonnulli dicentes, hæc facta fuisse in signa, idest, in miracula, quæ signa vocantur *Exod.* 3. *& seq. Deut.* 4. *&* 7. Vnde Psal. 73. *signa nostra non vidimus*: & sic Iudæi signa à Christo petebant *Matth.* 12. *Ioan.* 4. quæ ipse promisit *Marci* 16. *Act.* 2. 3. *&* 4. Hæc tamen significatio signi non rectè adaptatur. Etenim, quamuis in Luminaribus facta sint prodigia, vt *Iosue* 10. *Isaiæ* 53. attamen hæc speciali prouidentiâ Dei facta sunt. Dicuntur ergo *in signa*, aliquid significantia hominibus, quoad communem vsum eorum.

ALIQVI dixêre, *facta in signa*, idest, significantia absque causalitate, fundatique in aliqua ratione figuræ, vel imaginis. Hanc secutus est Origenes, vt refert Eusebius, *lib.* 6. *de præpar. Euang. cap. vltimo*, eam verò eruditorum hominum fuisse, testatur D. August. *lib.* 5. *de ciuit. Dei, cap.* 1.

HÆC tamen sententia infert futura contingentia, ab alio, quam à Deo certò cognosci, quod est erroneum.

ANTIQVI Pagani dixere, signationem stellarum dicere, eas esse omnium futurorum causas, eaque ideò indicare ventura. Stulti! nec vnum è mille diuinant, nec adhuc resipiscunt, vt ait Arriag. *dist. nct.* 33.

327 HIC sanè error damnatus est; vt notat D. Bonauent. & à diabolo inuentus, quem anathematizant Leo Papa, *epist.* 91. *cap.* 11. Concil. Bracha. 1. *cap.* 9. & impugnatur à D. August. 1. *de ciuit. citato*, & D. Thom. *opusc.* 26. & à D. Bonauent. *hic, & locis infrà citandis*; maximè, quia sunt causæ necessariæ. Ideò cum libertate arbitrij non stant; de quo ex professo, *dist.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. & nos infrà, *quæst.* 17.

DICVNTVR ergo facta *in signa*, idest, in significationem futurorum naturalium, quorum ipsa sunt causa, sicut imbrium, ventorum, caloris, frigoris; vt exponit D. Damasc. 2. *de fide, cap.* 7. Vel eorum etiam, quæ à Diuina prouidentia præsignantur; vt sunt signa, de quibus Lucæ 21. *Erunt signa in Sole, Luna, & stellis.* Dicuntur etiam signa, distinguentia temporâ, ætates, &c.

PRO quo aduertit S. Bonauent. *hic, & in Comp. Theol. verit. lib.* 2. *à cap.* 5. & *in Breuil. part.* 2. *cap.* 4. *&* 3. *part. Centil. sect.* 11. præter circulum meridianum, qui est regula motus primi mobilis, super polos mundi, dari alium circulum, seu ZONAM, intersecantem transuersim Æquinoctialem, in duobus punctis, nempè in primo gradu Arietis, & primo Libræ. Dicitur verò Zodiacus à ZOE, quod est vita, eò quòd ab huius influxibus, vitæ causantur, secundùm quod Planetæ per illum mouentur, vel à ZODION animali: figuris namque animalium signatur. Ideò Aristoteles 2. *de gener.* ait, secundùm accessum, & recessum Solis, per circulum obliquum, fieri generationes. Ita communiter apud Suar. *cap.* 9. Arriagam *loco citato.* 328

HABET verò duodecim signa hæc Zona; sex ad Austrum declinant, & sunt. ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓ Sex verò ad Aquilonarem semicirculum vergunt, & sunt ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍. Hæc signa constant singula 30. gradibus: singuli verò gradus continent 60. minuta; & singula minuta 60. secunda; & vnum secundum 60. tertia: & sic vsque ad decem; vt notat D. Bonauent. suprà. *& serm.* 3. *de Apost.* Hunc circulum percurrit sol, anni spatio, moras in singulis signis trahens 30. dierum, & 10. horarum; vt habet S. Bonauent. *loc. cit. Comp. cap.* 7. In hoc itinere distinguit tempora: nam in primo gradu Arietis incipit Ver, vsque ad primum Cancri. Ab hoc vsque ad primum Libræ est Æstas; à primo Libræ, vsque ad primum Capricorni est Autumnus: Ab hoc, vsque ad primum Arietis est Hyems. Conficit verò in hoc circulo, non solùm annos, sed etiam dies inæquales, prout magis ad nos ascendit, vel à nobis descendit. Itaque cum in anno includantur, & menses, & hebdomadæ; dies verò fiant æquales quidem à primo mobili per æquinoctialem, reddantur verò inæquales, ob transuersum iter solis, per Zodiacum, sicut D. Bonauent. Suarez, *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 8. Clauius, & alij disserunt. Sol à solstitio, seu sua statione in ♌, vsque ad solstitium æstatis in ♋, dies incolis Aquilonaribus auget, à ♋ autem, vsque ad ♌, decrescunt dies. In primo autem gradu ♈, & ♎ sunt æquinoctia. 329 330

ADDIT verò, Lunam esse in signa solemnitatum, apud Hebræos: sicut apud Christianos est Sol. Vnde *Eccli.* 43. dicitur *A Luna signum diei festi.* 331

SI quæras, cur Sancta Christi Ecclesia vtatur magis Sole in solemnitatibus? (excepto Paschate) Respondet S. Bon. ex D. Aug. *ad Ianuarium, epist.* 2. *Tom.* 2. quod synagoga in tenebris, & vmbris ambulabat, ideò Lunâ vtebatur: At Christi sponsa, amicta Sole, in luce gratiæ vtitur solis cursu, sed in Paschate, & Pentecoste vtitur Lunâ: quia celebrantur in significationem resurrectionis futuræ, quam expectat in claritate gloriæ; non tamen iudaizat, cum Hebræis.

An

QVÆSTIO XIV.

An LVMINARIA *Cœli differant specie.*

D. Bonau. d. 14. p. 2. art. 2. quæst. 1.

332 PRIMA opinio est, corpora eiusdem Cœli esse eiusdem speciei: Ita Auer. 2. *Cœli, com.* 19. Martinez, *cap.* 8. & alij apud Amicum, *Tract.* 4. *quæst.* 7. *dub.* 1. Tanner. *part.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 4. *dubio* 4. Cremonin *de motu Cœli, sect.* 2. *cap.* 1. *quæstione* 12. asserens, esse Aristotelis, Luminaria etiam esse eiusdem speciei cum suis orbibus; quippè ex eorum sint condensatione compacta, docent Maior, 2. *Cœli*, nec renuit Suarez, *lib.* 2. *cap.* 8. post Albert. 2. *Cœli, tract.* 3. *cap.* 4. Scalig. *exerc.* 61. Thien. *tract.* 2. *quæst.* 1. Philal. *conf.* 56. Achillin. 1. *de orb. disp.* 2. Richard. 2. *distinctione* 2. *dub.* 14. *art.* 3. *quæstione* 6. Eustach. *part.* 2. *Physic. Tract. de Cœlo, disp.* 2. *quæst.* 7.

SECVNDA sententia est D. Bonau. hîc, Lumiria inter se, esse specie distincta: Ita etiam D. Th. *text.* 41. & *p.* 1. *q.* 47. *art.* 2. & 2. *cont. Gent. c.* 92. & 93. vbi Ferrar. Saxonia, 2. *Cœli, q.* 19. Angest. *lib.* 2. *d.* 4. *cap.* 2. Hurtad. *d.* 1. *de Cœlo, sect.* 3. §. 23. Molin. *de operib. sex dierum, disp.* 5. eamque probabilem censet Amicus, *dub.* 3. *num.* 8.

333 ASSERO primò, corpora Cœlorum esse specie inter se distincta.

PROBATVR à multis, cum S. Doct. ex fine Creatoris, qui ea ad vniuersalissimos effectus condidit: ergo diuersas eis naturas, atque virtutes tradidit. Alij probant ex motibus diuersis, quibus singula cientur; neque indiuidua sub eadem specie multiplicantur, nisi ad speciem totam saluandam, indiuiduis ad corruptionem tendentibus.

ASSERO secundò, Luminaria esse specie distincta, inter se, atque etiam ab orbibus.

PROBATVR à S. Doct. 1. *ex Arist.* 7. *Metaph. text.* 15. & 1. *post text.* 12. Sol non est nomen indiuidui, sed speciei; Similiter & Luna: Et *de propr. elem.* ait, orbes à stellis differre.

PROBATVR secundò, *fund.* 3. Corpus naturaliter luminosum, & corpus naturaliter opacum differunt specie; sed Sol est luminosus naturâ suâ: Luna verò opaca, quod patet in eclipsatione Solis: erg.

334 PROBATVR tertiò, *fund.* 4. Luminaria ornant Cœlum; sicut animalia aërem, mare, & terram; sed hæc sunt specie diuersa: Ergo.

PROBATVR quartò, *in corpore*, ex quadruplici causa.

PRIMÒ quidem, ex parte finis. Ea, quæ sunt ad diuersos effectus, sunt diuersæ virtutis, atque adeò naturæ; sed Luminaria sunt ad diuersissimos effectus: ergo. Maior probatur; quia operari sequitur ad esse: Sic & orbes, etsi semper supra terram, non habent effectus aliquos, stellis in altero Hemisphœrio existentibus.

SECVNDÒ, ex parte efficientis, qui, secundùm suam potentiam, sapientiam, & bonitatem, diuersa producit secundùm speciem; vt, quod dari non poterat conuenienter vni soli, daretur pluribus, distinctis specie. Quamuis enim posset Deus vni speciei dare, quod diuersis dedit, *verb. gratiâ*, vni herbæ virtutem plurium, &c. attamen, quia sapientia sic dictabat; vt communicaretur bonitas, secundùm naturalem conuenientiam, atque capacitatem cuiusque; ideò distribuit pluribus ea, quæ naturali conuenientiæ vnius repugnabant. Sicut autem constituit Luminaria cœlestia causas vniuersales omnium effectuum oppositorum, debuit & oppositas eis dare naturas, ac virtutes.

PROBATVR tertiò, ex parte materiæ; sicut enim 335
in mixtis, ex maiori, vel minori dispositione dantur formæ diuersæ, ita & simplicibus corporibus, secundùm raritatem, & densitatem diuersas formas indidit. Hoc verò patet in elementis; quantò enim rarior fit materia, tantò disponitur ad leniorum elementorum formas. Aduertit verò S. Doct. raritatem, & densitatem, in elementis, ex primis qualitatibus prouenire, puta, raritatem ex calore, densitatem ex frigore.: At in Cœlis venit ex sola maiori, vel minori constipatione partium.

PROBATVR quartò, ex parte formæ: Lux enim est vna forma, communis genere omnibus Luminaribus, &, secundùm huius participationem maiorem, vel minorem, sunt magis, vel minus nobilia; & cùm hanc formam diuersimodè participent, diuersa etiam habent formam completiuam specificam.

OBIICIES primò. Corporis simplicis partes sunt eiusdem rationis; sed Cœlum est corpus simplex: Ergo. Sic vrget Eustachius.

RESPONDET S. Doct. simplicitatem corporis 336
tollere diuersitatem, quam habet ex mixtione, & formis, perficientibus mixtum; non verò eam, quæ venit ex variis formis simplicibus: sic etiam elementa habent formas diuersas.

OBIICIES secundò: Luminaria sunt ex aggregatione maiori, vel minori sui orbis, ex Aristot. *lib.* 2. *Cœli, text.* 41. & *lib.* 2. *de Cœlo, & mundo, text.* 15. 16. & 41. sed hoc non facit diuersitatem speciei: Ergo. Sic Eustachius.

RESPONDET S. Doct. aggregationem partium Cœli esse meram dispositionem ad formas Luminarium, non formam ipsam.

OBIICIES tertiò; Flamma maior, & minor non differunt specie; quamuis in vna sit maior aggregatio luminis, quam in alia, sed sic se habent etiam Luminaria Cœlestia: Ergo.

RESPONDET S. Doct. magis differre Luminaria, quàm differat flamma maior à minori; vt patet in diuersis eorum effectibus.

OBIICIES quartò, nobilissima forma in sole est Lux, & nobilissima forma in vnaquaque re est forma vltima: ergo Lux est forma vltima Solis; sed Sol in Luce conuenit cum aliis Luminaribus: Ergo.

RESPONDET S. Bonau. primò formam vltimam 337
esse completiuam sanè; sed respectu formarum, quæ disponunt ad ipsam: Lux autem potiùs est forma perficiens alias formas corporeas, quàm ad eam se habens, sicut vltima forma disponens; cùm, secundùm eius maiorem, vel minorem participationem, formæ corporeæ sint magis, vel minus completæ.

RESPONDET secundò, Lucem esse nobilissimam formarum corporearum, earum scilicet, quæ sunt ei extraneæ; sed non est verum de formis Luminarium cœlestium; in quibus virtus eius, & natura completè saluatur. Addo, posse dici multas Lucis species in igne, &c. vt ostendi, *quæst.* 5.

QVÆSTIO XV.

An diuersa LVMINARIA *habeant diuersas impressiones.*

D. Bonau. dist. 14. p. 2. art. 2. quæst. 2.
D. Thom. q. 115. art. 3.

338 EX diuersitate naturæ, diuersitas virtutis colligitur. Vnde videtur, ex dictis, inferri resolutio huius quæstionis.

ASSERO affirmatiuè, nimirum diuersa luminaria diuersas habere impressiones.

PROBATVR primò à D. Bonau. ex D. August. *lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 16. tom. 5.* vbi ait: *Non vsquequaque absurdè potest dici, ad corporum differentiam afflatus valere sydereos, sicut in solaribus accessibus, & recessibus videntur ipsius anni tempora variari, & Lunaribus incrementis, & decrementis augeri, & minui quædam genera rerum: sicut mirabiles æstus Oceani.*

PROBATVR secundò, ex Astronomorum sententia qui astruunt quasdam stellas calefacere; quasdã frigefacere, &c. has humectari; illas siccare.

PROBATVR tertiò. Varietatem naturarum sequitur diuersitas virtutum; Stellæ sunt naturâ diuersæ: Ergo. Hæc sensibus patere ait S. Doct. Videmus enim à Sole diuersa produci, & astrorum è variis coniunctionibus miram in mundo varietatem temporum, ac rerum: sic vna hyems humida; altera sicca; illa temperata: hæc rigida, &c. Hæc vrget & Vrsinus *quæst. 2. cap. 7.*

PROBATVR quartò; Si luminaria non essent diuersis prædita virtutibus; frustrà Deus plurima in Cœlis collocasset, præterquàm ad ornatum.

PROBATVR quintò, *in corpore*: quia nobiliora, & superiora debent influere in inferiora; sed astra sunt superiora sublunarib. corporibus: ergo.

339 PROBATVR sextò; In motu quocunque necesse est, pluralitatem mobilium reduci ad vnum immobile, secundùm eum motum, quo mouet; sicut pluralitas reducitur ad vnitatem; Sed elementa, & mixta sunt alterabilia, secundùm plurimas qualitates: Ergo necesse est, venire ad aliquod alterans, non alterabile; sed hæc sunt Cœli, & astra: erg.

HÆC tamen ratio non videtur concludere, deueniendum ad aliquod creatum inalterabile; sicut in motu locali, (vt monet S.D.) non venitur ad primum motorem, immobilem, creatum, sed Deum: Dico tamen valere rationem etiam in creaturis; vt non moueantur eo motu, quo mouent: Sic Intelligentiæ mouent Cœlos, nec motib. eorum gyrant. Hoc igitur argumentum est, quo vtitur etiam D.T. Omnis multitudo ab vnitate procedit, quod autem immobile est, vno modo se habet: quod verò mouetur, multiformiter: ergo in tota natura, motus ab immobili procedit: alioquin, si nunquam deueniretur ad primũ, esset processus in infinitum; sed corpora cœlestia sunt magis immobilia; non enim mouentur, nisi motu locali: ergo motus horum inferiorum, qui sunt varij, reducuntur in motum corporis cœlestis, tanquam in animam; seu causam.

340 RATIO, cur diuersos effectus producant, variè assignatur.

ALIQVI dicunt, in Luminarib. esse qualitates diuersas, caloris, & frigoris, non tamen vniuocas cum elementarib. Hi referuntur *in lib. de substan. orbis.*

HOC dictum impugnat S. Doct. quia, si qualitatib. æquiuocis agerent, tunc effectus earum non concordarent qualitatibus: quia non continerent, neq; formaliter, neque eminenter formas elementares.

RESPONDET ergo S. Doct. hoc euenire ex virtutibus eminentib. communicatis à Deo Luminaribus, destinatis ad rerum generationes, alterationes, &c. Sic Luna ex virtute inditâ aspectum habens, & influxum; est Luminare, dominans super humorem, ideò humidum auget. Ideò ad eius præsentiam excrescunt Maria, & quasi exæstuant, & effluunt: ad absentiam verò, in sinum suum colliguntur, & refluunt: Sic intellige de reliquis.

OBIICIES primò, Luminaria, *ex Gen. 1.* sunt tantùm signa; ergo non sunt causa signorum, & aliorum effectuum.

RESPONDET S. Doct. non asseri in Scriptura, Luminaria esse tantùm signa; magis tamen exprimit hoc munus significandi, quàm causandi; quia hoc non est ab eis necessariò, & sufficienter; cùm requiruntur aliæ causæ. 341

OBIICIES secundò ex D. Damasc. 2. de fide, c. 7. *Nos autem dicimus, quòd non sunt causa alicuius eorum, quæ corrumpuntur*: Ergo.

RESPONDET S.D. velle tantùm dicere, non esse causas sufficientes; cùm requirantur aliæ; nec necessarias; cùm possit ab aliis concausis particularib. eorum effectus frustrari; disputat enim contra aliquos antiquos dicentes, Cœlos esse primas causas sufficientes per se, independenter etiam à Deo ad effectus: vt notat D. Thom. etiam, *in cap. 3. secundi, de Cœlo*, & Ruuius, *lib. 2. cap. 3. quæst. 1.*

OBIICIES tertiò: Aut imprimunt formam, quam habent, aut alienam; si propriam; ergo producunt Soles, Lunas, &c. Si alienam: Contra: Nemo enim dat, quod non habet. Præterea agens quærit assimilare passum sibi in forma sua.

RESPONDET D. Bonau. influere per formam, quam habent, & producere effectum similem in forma, quam habent virtute, & eminenter: Neq; enim est necesse, vt agens habeat formam formaliter, quã vult producere, si est agens æquiuocum. Luminaria enim producunt effectus, educendo ex potentia, in qua sunt; vnde non est necesse; vt habeant easdem formas formaliter: sed sufficit virtualis possessio. Neque dant se solis, sed adiuuando causas vniuocas. 342

OBIICIES quartò; Quæ agunt eadem forma, producunt eosdem effectus; sed Luminaria agunt tantùm per lucem: ergo non producunt diuersa, & multò minùs opposita; vt aliqua calefaciant, alia frigefaciant.

RESPONDETVR, negando minorem, vt infrà.

QVÆSTIO XVI.

An LVMINARIA *per solam lucem influant.*

D.B. l. c. & d. 14. p. 1. art. 2. quæst. 1. ad 7.
D. Th. p. p. q. 67. art. 3.

OMNES concedunt, Astra influere suâ luce; vt supponit D. Bonau. *hîc*, & D. Thom.

343 PLERIQVE, præsertim Arist. Interpretes, quib. ipse fauere visus est, aiunt, Astra, solâ luce, influere in hæc sublunaria. Hos secuti sunt Picus Mirand. *lib. 3. cont. Astrol. c. 5. & 6.* Medina, *lib. 1. sue Parænesis, c. 1.* Greg. Agric. *lib. 4. & 5.* Zimar *prop. 49.* Achill. *4. de orbib. d. vlt.* Nyph. *2. Cœli, q. 5.* Perer. *tom. 1. in Gen. s. lib. 2. disp. aduersus astrol. c. 3. ratione 4.* vbi irridens alias qualitates, vocat eas ignorantiæ asylum, & nouitatem. Piccolom. *lib. de vniuers. de qualit. element. c. 14.* & *lib. 1. de Cœlo, à c. 38.* inclinat Tostatus, *q. 53. ad 23. Exodi.* D. Th. *de spirituali creat. art. 3.*

art. 3. *ad* 12. *& in* 2. *d.* 15. *quæst.* 1. *art.* 2. *& part.* 1. *quæst.* 67. *art.* 3. *& q.* 70. *articulo* 1. *ad* 2. vbi Thomistæ.

SECVNDA sententia, præter lucem, ponit etiam alias virtutes. Ita D. Bonau. *hic*, D. Th. *lib.* 2. *de Cœlo*, *lect.* 10. *& in* 2. *d.* 15. *q.* 1, *art.* 2. *ad* 5. Albert. 2. *Cœli*, *q.* 1. Richard. *d.* 14. *q.* 5. *ad* 5. Ferrariens. 3. *contra Gent. ad cap.* 84. Abulens. *in* 3. *Regum*, *cap.* 17. *q.* 9. Tol. *de Gener.* *q.* 2. *concl.* 4. Conimbr. 2. *de Cœlo*, *c.* 3. *q.* 3. & omnes Recentiores, quos refert, & sequitur Ruu. *l.* 2. *de Cœlo*, *c.* 3. *q.* 2. Sennertus *de Chimicorum consens.* *l.* 1. *c.* 10. Suarez *in Metaph. d.* 22. *sect.* 6. Farnes. *l.* 2. *c.* 13. Soucrius, *l.* 1. *contra Atheistas*, *demonstr.* 1. *generali*, *Symbol.* 1. *art.* 16. Vulpes, *p.* 2. *tom.* 2. *d.* 35. Allegant Scotum. Videat, quæso, Pererius: an hæc sit nouitas, & ignorantiæ asylum. Saxon. 2. *Cœli*, *q.* 12. Bannes. *c.* 10. *q.* 1. Salas, *p.* 2. *tract.* 5. *d.* 2. *sect.* 1. & alii quibus subscribit Amic. *tract.* 6. *q.* 7. *art.* 2. Carolus Franciscus Vrsinus, *q.* 1. *c.* 7. Fuliens. *l.* 2. *Physic.* *c.* 2. *art.* 7. Eustach. *p.* 2. *Physs. tom.* 1. *d.* 2. *quæst.* 5.

344 PROBATVR primò, à S.D. *in corpore*: quia Sol producit mineralia in visceribus terræ, vt notat etiam *d.* 14. *p.* 2. *dub.* 2. & hæc sunt diuersa à terra, eáque nobiliora. Ad hæc autem producenda non potest iuuare lux, vt patet: Ergo. Hac ratione vtitur Ruuius, *loc. cit.* Amicus, *num.* 13.

PROBATVR secundò à S.D. *in corpore*, alià ratione, quam efficacem acclamat, & assumit Ruuius. Certum est, Lunam, Solem, & Astra non solùm calefacere, exsiccare, &c. sed etiam per se frigefacere, humectare; vt patet experimentis fœtuum, æstus maris, aliisque stellæ polaris effectibus; similiter producunt corpora frigidissima, & mixta, a prædominio; vt fatentur etiam aduersarij; sed hæc non potest facere sola lux: ergo necessariæ sunt aliæ virtutes. Idem dic de Helitropio Solis, & Lunæ laterconibus, Hispanicis mirabilibus, & aliis floribus; sicut & de ostrearum, conchiliarum, & medullarum, cum Luna incrementis, & decrementis.

RESPONDET Picus, in Luce includi virtutem producendi calorem, qui calor, cùm sit cœlestis, includit etiam alias qualitates.

345 CONTRA tamen: quia lux ipsa, quæ est fons luminis, non includit virtutes frigoris; multò minùs effectus illius, qui est calor. Imò nec ipsa lux producit calorem semper; sed veloci motu, & attritione, ac reflexione radiorum.

RESPONDET Agricola, Lucem, vt est virtus vnius planetæ, producere calorem: vt autem est virtus alterius, producere frigus: sunt enim variæ luces. Ita ait etiam Faber, *Theor.* 99. huc trahens Scotum. Sic etiam Piccolom.

Hoc roborat sententiam S.D. latam *q.* 5. Lucem esse formam reliquarum perfectiuam. Insuper multas esse lucis species varias, è quibus variæ quoque virtutes emanant, ad diuersos effectus requisitas. Ita Lux Solis est eminenter calida, & sicca, communicansque se Lunæ luci humidæ, & frigidæ, in plenilunio, reddit noctes calidas; vt ait Arist. *l.* 4. *de part. animal. c.* 5. Adde Luci alias formas pro luminarium & lucis varietate, quæ modò in vltimo, modò in alio sunt gradu.

RESPONDET autem Auer. 2. *de Cœlo*, *comm.* 42. frigus per accidens produci ex absentia Lucis.

SED contra: nam, vt notat D. Bon. *fund.* 2. ex consensu Astrologorum, & sensu ipso, non minùs producuntur per se effectiuè, necessariò frigus, &c. quàm calor. Quia Cœli sunt causæ vniuersales, quæ ideò debent elementa per se continere.

PROBATVR tertiò, ratione S.D. *d.* 14. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 2. *fund.* 3. Omnis substantia habet propriam virtutem operatiuam, fluentem ab essentia: & nobilissima entia habent nobiles virtutes, singulares, diuersas, emanantes a diuersis naturis; sed astra sunt diuersa specieb. & nobilissima; vt ostendi, *q.* 14. Ergo etiam diuersa sunt virtutibus. Confirmatur experimentis: nam Luna malas in corporibus humanis causat impressiones; vt euenit dormientibus ad lumen eius. Sic pars Cœli Aquilonaris in hominibus malos causat effectus, rodit muros, deuastat lapides, &c. Hac ratione vtuntur cæteri. 346

OBIICIES primò; Arist. nullam alterius qualitatis virtutem agnoscit in luminarib. præter lucem.

RESPONDETVR, ipsum alias etiam cognouisse; vt habet D. Thom. *loc. cit.* 347

OBIICES secundò, cum Pererio. Impossibile est, eundem Planetam habere lucem ad calefaciendum, & aliam virtutem ad infrigidandum; sed habent omnes lucem: ergo. Antecedens probatur: quia, quandò in aliquo subiecto duæ proprietates sunt; generalis est ignobilior speciali, quæ est vltima; At in planetis est lux, quæ est omnium formarum præstantissima, atque communis: ergo non dantur aliæ influentiæ singulares. Secundò, repugnat corpori simplici diuersitas naturarum: ergo etiam proprietatum.

RESPONDET Galir. *p.* 2. *Philosoph. l.* 2. *tract.* 4. *q.* 3. negando antecedens: nam in elementis sunt duæ qualitates distinctæ. Ad probationem negat maiorem: quia quantitas, quæ est accidens nobilissimum, est omnibus communis.

RESPONDET secundò, verum esse de his, quæ à se inuicem dependent; in his enim commune, contractum per differentiam ad speciale, illud reddit perfectius. 348

AT verò, licèt elementa habeant duas qualitates non tamen sunt oppositæ: sicuti dicuntur proprietates Lucis ad calefaciendum, & aliqua ad frigefaciendum. Neque quantitas inter omnia accidentia est nobilissima. At esto; attamen in eodem prædicamento specialissimæ sunt nobiliores communibus.

RESPONDET ergo S.D. *d.* 14. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 2. *in corp.* verum esse, non posse vnam naturam simplicem continere plures qualitates contrarias, formaliter: tamen posse vnam formam habere virtutes ad opposita producenda, vt aspectib. suis super opposita ferantur. Adde, neque diuersas formas alteram intensam, alteram remissam repugnare; talis est lux in syderibus, quæ, cùm partim sit mutata à Sole, operatur reflexione virtutis, accepta à planeta, qui intrinsecè habet virtutem oppositam, puta, Saturnus frigefaciendi; vt notat S.D. *in Comp. Theol. verit. l.* 2. *c.* 7. vbi de singulis planetis eleganter discurrit, dans virtutem caliditatis, & humoris Ioui; Marti calorem, & siccitatem virtualem; Veneri calorem, & humiditatem, Soli calorem excellentissimum, & lumen intensissimum; Mercurio humidum; Lunæ frigus, & humiditatem, & singulis singulas virtutes assignat. 349

AD id illud de Formis respondet S.D. *ead. dist. & part. q.* 1. *art.* 2. *ad vlt.* vt vidimus, *q.* 24. *ad* 4.

OBIICIES tertiò; ridiculum videtur, admittere rem, quæ penitus ignoratur; influentiæ autem illæ sunt ignotæ.

RESPONDET S.D. *hic*, *in fundamentis*, *præcipuè secundo*, has influentias ex ipsis effectibus innumeris, relatis à Doctoribus, sat superque patere.

QVÆSTIO XVII.

An Coeli *influant in humanos mores*

D. Bonau. d. 14. p. 2. art. 2. q. 3.
D. Thom. p. 1. q. 115. art. 4.

350 CElebris hæc quæstio cum Astrologis iudiciariis, & inter Theologos varietatem induxit opinionum.

Ivdiciarii quidem ex motu, & congressu vario astrorum multa se certò diuinare posse autumant. Eos verò referunt Perer. *de Magia, lib. 3. & tom. 1. in Genes. lib. 2. cap. 3.* Bouërius noster contra Atheistas, *lib. 1. demonstr. gener. 1. symb. 1. artic.* 17. Martinus Delrio, *lib. 4. disq. Magic.* Suarez, *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst.* Sixtus *in Biblioth. lib. 6. adnot.* 10. Tost. *ad* 10. *Leuit. quæst.* 18. 19. & 20. Thomas Sanchez, *in summa lib.* 2. *cap.* 38. egregiè confutantes insipientiam Genethliacorum. Contra eos disputat etiam Antonius Ruuius, 2. *Cœli, cap. 3. quæst.* 5. & 6. Petrus Hurtad. *disput.* 2. *sect.* 6. Galitius. *p.* 2. *summ. tract.* 4. *quæst.* 4. post Sanctos Patres, infra subtiliùs afferendos. Vide etiam Valent. *tom.* 2. *d.* 2. *p.* 4. Amicum, *Tract.* 6. *quæst.* 8. *d.* 7. & *sequent.*

351 Notandvm primò ex D. Bonau. *loc. cit.* & D. Th. *loc. cit.* & 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 5. & 3. *contra Gent. cap.* 84. & 85. Durando *in* 2. *d.* 15. *quæst.* 2. Ægid. *d.* 14. *quæst.* 5. *art.* 3. Argent. *quæst.* 1. *art.* 3. Gabriele, *quæst. vnica*, & aliis, duobus modis aliquid agere in aliud, primò directè; sicut ignis agit in lignum, comburendo: secundò indirectè, non habendo actionem in illud immediatè, sed solùm ex connexione, quam habet cum passo; sicut gladius, vulnerans carnem, torquet animam.

Notandvm secundò, ex D. Bonauent. *hic*, & Scoto *in* 2. *d.* 14. *q.* 3. *in fine corporis*, Richardo, *art.* 3. *q.* 5. duplex esse genus causæ, (prout ad nos pertinet) alterum sufficienter operantis: alterum tantummodò disponentis, seu inclinantis. Illud sufficienter operatur, quo posito, ponitur infallibiliter effectus. Illud dicitur disponere inclinando, quod aliquam formam inducit, ex qua tamen non sequitur effectus, sed solum disponitur aliqualiter.

352 Assero primò, Cœlos nullam habere super animam nostram actionem sufficientem.

Probatvr primò, à D. Bonau. Inferius non habet actionem directè in superius ordinis altioris; sed astra sunt homine inferiora creata in ministerium nobis; vt habetur *Genes.* 1. ergo non possunt habere actionem in animam, quæ est summa hominis perfectio. Confirmatur; quia anima est spiritus; astra sunt corpora. Tunc sic, Omne agens agit in subiecto disposito, seu proportionato; sed spiritus non est passum proportionatum actioni corporis, vt patet: ergo. Hâc ratione vtitur Ruuius, *q.* 5. & alij Recentiores suprà *adductis locis*, præcipuè Valent. *Tom.* 1. *disp.* 8. *quæst.* 7. Amicus, *n.* 6. & 7.

Probatvr secundò, à D. Bonau. ex illo Ptolemæi effato, quo plurimi vtuntur. *Sapiens dominabitur astris.*

353 Probatvr tertiò, à D. Bonau. Quod rectè ordinatum est, non potest tendere ad malum culpæ; sed Cœlum cum suis syderibus à Deo ordinatum est rectè; ergo non potest tendere ad mores culpatos: ergo aut omnes homines habent bonos mores, aut bonitas morum non causatur ex operatione syderum.

Probatvr quartò, à S. Doct. Quod causatur à causa naturali, necessaria, & sufficienti, necessariò sequitur; sed per vos humani actus causantur à syderibus, & Cœlis, quæ sunt causæ sufficientes, naturales, atque adeò necessariæ: ergo necessariò sequuntur: ergo non liberè; & sic tollitur libertas arbitrij, & tollitur consequenter meritum bonorum operum, ac laus: tollitur vituperatio, ac pœna scelerum, & operaremur, vt bestiæ; quæ sunt maxima absurda. Est ratio D. Damasc. 2. *de fide, c.* 7. Hinc Spiritus S. ad pestem illam animarum arcendam instat Iob. 35. *Vbi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? qui docet nos super elementa terræ, & super volucres erudit nos*, & Psal. 93. *Qui docet hominem scientiam*, & Genes. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Hierem. 10. *Iuxta vias gentium nolite discere; & à signis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes.* Hanc rationem vrgent omnes ferè, post S. Doct. allegati, præcipuè Ruuius, *q.* 5. Bouërius, Suarez, Valentia, Amicus suprà.

Ex hoc habes, opinionem Iudiciariorum, repugnare Christianæ religioni: primò, quia repugnat fidei, asserenti dari meritum, & culpam, præmium, & pœnam; tollit gratiam, & gloriam. Secundò, quia repugnat honestati morum: dum culpa reorum in sydera refunditur, & habenæ ad malum laxantur, absque stimulo reprehensionis, & homo miserrimus ad sydera adoranda pellicitur. 354

Ex his colligit D. B. hoc esse commentum diaboli aspirantis ad cultum Latriæ, quem damnat Deus. *Deut.* 17. 3. 2. 4. *Reg.* 17. 21. 2. *Par.* 33. & Proph. sæpè.

Probatvr quintò, à S. Doct. ad sensum, ex D. Gregor. inductione, *hom.* 10. *in Euang.* Docent Genethliaci habentes in omnib. suis eandem constellationem, eosdem mores sequi; & tamen Iacob, & Esau eodem conceptu, & partu nati, adeò diuersi fuêre. In eadem constellatione nascitur Princeps, & rusticus; oritur homo, & asinus, qui nullo modo in moribus communicant.

Similiter dicunt, omnes habentes Aquarium in Horoscopo piscatores fieri; at Getulia piscatores non habet. Quis autem neget, aliquem ibi sub aquario nasci? Dicunt, & habentem Libram in Horoscopo fieri Trapezitam: in multis autem locis nascuntur sub Libra: & tamen non habetur apud eos ars Trapezita. 355

Respondet Nigidius relatus à D. Aug. *l.* 5. *de ciuit. Dei, c.* 1. & 3. velocitatem Cœlorum esse maximam, & aliqualem moram inter ortum Geminorum, putà Esau, & Iacob, plurimum immutare. Hoc ipse experimento exponit: Dum enim rotaret velocissimè figuli molem, bis citissimè atramento eam signauit, & signa distantia apparuere: quantò magis motus primi mobilis, qui singulis horis vnum millionem milliarium excurrit: nam firmamentum, infra situm, cùm sit magnitudinis mille, ac decem, & septem millionum milliarium, gyro 24. horarum totam hanc amplitudinem volvit; & ita singulis horis vnaquæq; stella, sub æquinoctio fixa, in quo est regula motus diurni, singulis horis peragrat 42. milliones milliarium. Hæc enim est 24. pars mille decem, & septem millionum milliarium: vt notat Glielm. *discursu* 1. *de Sanctiss. Trinitate.*

Hoc figuli huius figmentum, vasis testaceis fragilius deridet D. Aug. his verbis: *Nam, si adeò in Cœlo interest, quod constellationibus comprehendi non potest; vt alteri geminorum hæreditas obueniat,* 356

ueniat, alteri negetur: cur audent de cæteris, qui gemini non sunt; cùm inspexerint eorum constellationes, talia prænuntiare, quæ ad illud secretum pertinent, quod nemo potest comprehendere, & momentis adnotare nascentium, vt ipsi confitentur?

VRGET adhuc Seraphicus Doctor, *in corpore*: quia hoc est confundere vniuersum, & nobiliora ignobilioribus subdere; dum homo astris subiicitur, qui est creatura dignissima: vt ait Philos. & est finis creaturarum. Vnde Diuus Gregorius, *loc citato*, ait: *Vitam quippè hominum solus, qui creauit, Conditor administrat; non enim propter stellas homo, sed propter hominem stellæ factæ sunt.*

357 DEINDE Seraphic. Doct. ostendit, in ea opinione dari implicantia: Si enim astra sunt veneranda, eò quòd hominis vita ex eis pendet, quæro. Aut necessariò eueniunt bona, & mala homini è syderibus, aut non; si necessariò, cur veneramur stellas, quæ nequeunt aliter nobis facere? si non, cur timemus ea? Sanè est insanum. His, & aliis confutari, a Sanctis, Damasc. 2. *de fide*, *cap.* 1. August. *libro* 5. *de ciuit. cap.* 3. & Gregor. *hom.* 10. *in Euang.* concludit Seraphicus. Arriaga verò *distinct.* 33. relatis eorum figuris, applicitis Regum euentibus, altè ridet. Certè in illis duodecim suis Casis, casus somniant aliorum, & suos inueniunt.

TANDEM eam esse hæresim pessimam clamat Seraphic. Doctor, quam damnauit Sixtus V. anno 1586. Constitutione insigni, quæ incipit, *Cœli, & terræ Creator Deus*: & antea, eam damnarat Concil. Brachar. *primum, c.* 9. Tolet primum, *in asseri. fidei*, Alexand. III. vt habetur cap. *Ex tuarum*, *de sacrilegiis Sacerdotum*; & habetur *in* 2. *p. Decret. cap.* 26. & ante omnes eam damnarat D. Clemens Papa, *lib.* 9. *Recognit.* & alij Patres illam execrantur, præcipuè D. August. *lib.* 7. *confess. capite* 6. Gregor. *hom.* 11. *in Euang. Epiphania*, & alij.

RECLAMANT tamen Iudiciarij; & qui animam corpoream autumant, vt Emped. Democ. atq; Homer. Hi enim dicunt, intellectum subiectum esse causis corporeis, sicut & sensum; vt refert Aristoteles, 2. *de anima*, *cap.* 3. *text.* 150. & illi à syderibus diuinari posse futuros hominum euentus clamant; sed insaniunt.

358 ASSERO secundò, non posse ex Astrorum motibus, & influxibus futura Hominum facta, siue recta siue praua diuinari.

PROBATVR ex dictis: Si enim non habent causalitatem in mores hominum, non possumus ex eorum influxibus elicere effectus. Confirmatur ex definitionibus supra allatis contra Iudiciarios.

RESPONDENT Iudiciarij, luminaria facta esse in signa euentuum futurorum; vt habetur Genes. 1. *Fiant luminaria in firmamento Cœli, & sint in signa, & tempora, dies, & annos*, vt exponit Origenes.

CONTRA arguit D. Bonauent. *dist.* 14. *p.* 2. *dubio* 3. *litt.* Vel sunt signa naturalia, vel supernaturalia, ex Dei dispositione. Non sunt naturalia; nam signum naturale rei, vel est causa, vel est effectus rei, vel procedit simul cum re ab eadem causa; sed stellæ non sunt causa, nec effectus futurorum, nec habent causam simul communem: ergo. Eorum tamen destinantur signa, quorum ipsa sunt causa, nempè naturalium immutationum, Eclipsium, pluuiarum, caloris, frigoris; vt ait Damasc. *loco citato*, & communiter Patres, vel aliquarum rerum è speciali prouidentia Dei, *verbi gratiâ*; Iudicij, Lucæ 21. *Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis.* Non habemus autem aliquam reuelationem Diuinam quæ indicet ea esse in signa futurorum euentuum liberorum: imò oppositum habemus è diuinis reuelationibus; vt mox ostendam; nec reuelata sciuntur naturaliter. Hoc argumento vtitur Ruuius, *quæst.* 6. sed deficit: etenim arguit. Id, quod est signum, vel est effectus, vel procedit à causa communi cum signato. Nunc autem etiam causa potest esse signum effectus: sic terra intermedia est signum eclipsis. Possunt etiam dici signa distinguentia: quia, dum Sol, *verb. grat.* ad talia signa reuertitur, mutantur tempora: sic intrante primum gradum ♈ fit Ver; in primo ♋: Æstas; in primo ♎ Autumnus, in primo ♌ Hyems.

PROBATVR ergo secundò à Diuo Bonau. *in* 2. *d.* 7. *art.* 2. *q.* 3. *in argumentis, additis responsionibus.* 359
Si è syderibus haberemus signa certa futurorum contingentium; sequeretur, hæc nota esse naturaliter omnibus Iudiciariis, & magis Dæmoniis: sed hoc est falsum: ergo. Probatur sequela; quia Iudiciarij, & multò securiùs dæmones sciunt omnes gyros, & influxus astrorum; vt dixi, *Tract.* 4. *d.* 2. *q.* 5. Minor probatur ex dictis eadem *disp. q.* 10. Confirmatur ex Isaac 41. *Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus, quia Dij estis vos.* & capite 46. *Non est vltrà Deus, nec est similis mei: annuntians ab exordio nouissimum, & ab initio, quæ nec dum facta sunt*; & c. 47. *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent, & saluent te augures Cœli, qui contemplabantur sydera, vt ex eis annuntiarent ventura tibi.*

HINC tot Ecclesiæ sanctionibus vetita est Iudiciaria; vt dixi: Hoc argumento vtitur Ruuius, *q.* 6. Adde Sacrum Concil. Trid. prohibens libros Iudiciarios: Adde & decretum Vrbani VIII.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *hic, ad vlt.* Causa instrumentalis, & ministerialis non potest esse signum certum, sicut nec cogens causam principalem; sed Cœli sunt ministerialia instrumenta hominibus ad operationes: Ergo. His iam probatis, quæstio est inter Catholicos Theologos; An sydera influant indirectè in actus humanos. 360

ALIQVI omninò negant; vt Iudiciariorum errores radicitus conuellant: Ita Bonèrius *loc. cit.* & alij.

ATTAMEN S. Doct. cum D. Th. aliisque sapientibus concedit, Astra agere indirectè, & per accidens in actus humanos: quatenùs, scilicet, agunt in complexiones, conferendo talem temperiem, vt cholericam, quæ ad iram inclinat: sanguineam, quæ ad benignitatem propensos reddit: melancholicam, quæ ad liuorem, & inuidiam: Phlegmaticam, quæ ad pigritiam naturaliter inclinat. Enim verò, anima adhuc libera manet in suis actibus ad mala vitanda, & ad bona seruanda, Dei adiutorio assistente: sic videmus multos cholericos mansuetos, melancholicos benignos. Verè tamen fateor, homines, moribus corruptis, voluptates, & scelera laxis habenis sectantes, suis naturalibus temperamentis sæpè inhærere. Itaque sydera agunt indirectè in mores humanos, & per accidens; quatenùs operantur in complexiones, & in totam naturam sensibilem, quam tamen non necessariò consequitur talis intellectus, & voluntatis operatio: non enim operantur ad confundenda intellectûs, & voluntatis obiecta. Itaque per accidens, & insufficienter operantur in mores hominum: nam, posito quolibet influxu Cœli, potest homo bonum, & malum sequi pro libertate. Ita sentit Ruu. *l. c.* Valent. *l. c.* & omnes Thomistæ, ac Scotus, 2. *d.* 14. Tanner. *Tr.* 2. *d.* 2. Amic. *Tr.* 6. *quæst.* 8. *dub.* 7. & cæteri apud istos. 361

362 ASSERO igitur secundò cum hac sententia, Astra indirectè, & contingenter operari in mores hominum.

PROBATVR à D. Bonauentura, primò *in corpore*. Quod operatur in aliquid, in quo aliud consequitur contingenter, & per accidens; operatur, & in illud aliud contingenter, & per accidens; sed luminaria Cœli agunt in complexiones hominum, ad quas sequuntur contingenter mores hominum, qui sæpè suas inclinationes naturales (liberè tamen) sequuntur: ergo operantur & in mores hominum contingenter. Hoc totum patet ad sensum; vt notat D. Bonauentura. Videmus enim sæpè homines cholericos ad iram ruere, sanguineos ad res sibi placentes labi. Minor roboratur: nam intellectus nequit sine sensationibus actus suos complere, *ex 2. de anima, text.* 74. & hinc ex perfecta, aut imperfecta imaginatione sequitur intellectio perfectior, vel imperfectior, *ex text.* 94. quæ diuersitas dispositionum potest oriri à Cœlis, ex D. August. 5. *de ciuit. cap.* 6. & 7. & Damasc. 2. *de fide.* Ii autem oritur ex connexione potentiarum, quæ de eadem anima radicantur. Porrò voluntas est sanè libera; sed tamen eget intellectu: ideò insani non operantur humano modo; sic arguit Ruuius, aliique Recentiores, præcipuè Valentia, *loc. cit. col.* 11. Amicus, *num.* 13. cum Sanctis Doctoribus.

363 PROBATVR secundò à D. Bonauentura, *argumento 2. addita responsione*, ex Aristotele *libro de element. propr.* & 5. *Politic.* vbi ait: *Regna deuastata, & terra depopulata ad coniurationem Iouis, & Saturni: hæc autem euenerunt; quia homines passionum suarum sectatores commotionibus harum stellarum inhæserunt liberè; est enim Saturnus frigidus, & siccus, lethalis complexionibus, fœtibus inimicus; Iupiter verò calidus, & humidus, licet in superiori parte suæ absidis temperet malitiam Saturni: attamen, si dominetur Saturnus, corrumpit etiam bonos influxus Iouis, & ad malignitatem trahit sanguineas etiam complexiones.* Vide Diuum Bonauenturam *in Compend. Theol. lib.* 2. *capite* 7. vbi aliorum etiam Planetarum influentias explicat.

Ex hoc sequitur, posse Astronomos eâ certitudine prædicere futuros euentus liberos, quæ ex his, probabilibus coniecturis potest deduci. Hæc verò prædictio est fallax, vt patet: nam fallaces sunt etiam præmissæ.

364 ASSERO tertiò, posse ex astris præuideri certò effectus naturales, ab eis pendentes. Ita Sixtus V. in allegata Constit. vbi ait: *Futuris euentibus ex naturalibus causis, necessariò, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent, dumtaxat ex eptis.* Probatur: nam ex causis necessariis sufficientibus, necessarij sequuntur tales effectus; sed causæ eorum effectuum sunt necessariò sufficientes: ergo. Probatur minor; Eclipsis enim Solis, positâ interpositione Lunæ, sequitur. Eclipsis verò Lunæ, interpositâ terrâ, necessariò etiam sequitur; nec aliæ causæ requiruntur.

365 ASSERO quartò, morbos, frigora, tempestates, sterilitates posse prædici ex astrorum influxibus, nec tamen omninò certò.

PRIOR pars probatur; hæc enim habent causas necessarias, Astrorum nempè periodos. Attamen, quia etiam aliæ causæ requiruntur, possunt sæpè deficere.

OBIICIVNT primò contra primam assertionem, & secundam. *Fatum est rebus mobilibus inhærens dispositio, per quam Diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus*, ex Boëtio, *lib.* 4. *prosa* 6. *de consolat.* & ex Diuo Augustino, 5. *de ciuit.* cap. 1. *Fatum est vis positionis syderum, quâ existente, quando quis concipitur, vel nascitur, cognoscitur, qualis futurus est*: ergo si totum vitæ regimen consistit in Fato; vt ait Boetius: & Fatum est vis syderum; vt ait D. August. sequitur, vitam nostram e syderibus pendêre.

RESPONDET S. Bonauent. dupliciter vsurpari Fatum: primò, vt signat dispositionem quandam cœlestium corporum, ob quam omnia, quæ in 366
rebus humanis contingunt, necessariò simpliciter eueniunt: & hoc modo illud acceperunt Ethnici dicentes, omnia euenire fatali necessitate, ac eodem modo sumpsit Bardesanes hæreticus, teste D. Aug. *lib. de hæres. cap.* 35. & Priscillianistæ, teste eodem Aug. *ibidem, cap.* 70. quos confutat ibi, & *in loco adducto, de ciuit. Dei*; ibi enim non loquitur ex sua sententia, sed ex aliorum, quos damnat, & confutat; quos similiter damnauit Concil. Brachar. primum, *cap.* 8. his verbis: *Si quis animas, & corpora humana fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianus dixerunt; Anathema sit.* Et D. Greg. *hom.* 10. *in Euang.* ait: *Absit à fidelium cordibus; vt Fatum esse aliquid dicant*: vbi Priscillianistas latè explodit.

SECVNDÒ accipitur Fatum, vt significat certum ordinem causarum secundarum à Diuina prouiden- 367
tia constitutum, ex quo infallibiliter, & certò ita effectus eueniant, sicut à Diuina prouidentia præordinata sunt, idest, aut necessariò, ex causis necessariis; aut contingenter, ex contingentibus; & hoc modo Fatum est aliquid, & ita accipitur à Boëtio.

ATTAMEN, quia Fati vocabulum ab origine 368
sumptum est; priori illo modo non expedit hoc vti vocabulo. Ideò etiam D. August. *loco citato*, ait: *Si propterea humana quisquam Fato Dei tribuit; quod ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat; sententiam teneat, & linguam corrigat: nam id homines, quando audiunt, vsitata loqui consuetudine, non intelligunt, nisi vim positionis syderum.* Hæc Diuus Bonauentura *quæst. sequenti, ad litt.* ferè; Valent. *d.* 8. *quæst.* 7. *p.* 2. Idem habet D. Thom. *p.* 1. *quæst.* 116.

OBIICIES secundò authoritatem Aristotelis. Sed iam cum D. Bonauent. vidimus, quo sensu sit accipiendus.

OBIICIES tertiò, *Matth.* 2. Magi cognouerunt Regis ortum ex apparitione Stellæ. & Ioh. 8. *Nondum venit hora mea*: Si ergo Christus natus est sub constellatione, & horam fatalem expectauit ad passionem; videtur, quòd multò magis alij homines reguntur stellis.

ADDIT verò Petrus de Aliaco Cardinalis, *quæ-* 369
stione in Genes. 30. & *libro de leg. & sectis*, potuisse Magos ex Astronomicis considerationibus præuidere Christi Natiuitatem: licèt enim ipse esset Dominus syderum; attamen potuére sydera sic esse disposita; vt amicos influxus Christo, Deo suo, suppeditarent.

PRIMÒ quidem, sex annis ante Christi aduentum, Iupiter, & Saturnus magna coniunctione coierunt in ♋. Vnde vaticinati sunt Astronomi, magnam futuram religionis mutationem; Sed non satis firmo fundamento.

DEINDE verò ex dispositione Cœlorum in ipsa Christi natiuitate, ait, idem posse colligi. Ea incidit in 42. anno Octauiani Augusti, octauo Kal. Ianuarij, ante noctis dimidium: & in eâ Horoscopus fuit pars Virginis octaua, quæ Religionis immutationes significat, & in culmine Cœli Saturnus,

nus, imum Cœli tenente Sole, cæterisque planetis eo ordine dispositis, quem repræsentat præsens Astronomicum Systema, delineatum ad latitudinem Hierosolimytanæ vrbis, distantis ab Æquatore partibus 36. vt refert Sixtus Senes. *Annot. in hunc locum.*

Constitutio PLANETARVM *Natiuitati Saluatoris Iesu affulgentium.*

270 

HÆC Aliaci sententia est, quam longè antè Albertus Magnus *in libro speculi* tradidit, referens descriptionem signi Virginis, ab Albumazar Astronomo traditam: vbi sic loquitur Albumazar in suo maiori introductorio, tract. 8.
271 *Ascendit* (inquit,) *in prima facie illius signi Virgo pulchra, & honesta, habens in manu sua duas spicas, & nutrit puerum: & vocat ipsum puerum quadam gens* IESVM, *& ascendit cum ea stella Virginis.* Hæc ille. Nos autem scimus, quòd sub ascendente eiusdem Virginis natus est Christus; ex eo, quòd æquatio motus octauæ sphœræ in eodem tempore fuerit octo graduum, & 30. minutorum, secundùm calculationem certissimam, & quòd ipsa erat tunc minuenda de locis planetarum, inuentis per canones: Non quòd subiaceat motui, aut stellarum iudicio, natorum desideratissimus, qui ipsas creauerat stellas; sed quia, cùm extenderet Cœlum, sicut pellem, formans librum vniuersitatis, noluit inter litteras naturæ deesse, ex his, quæ secundùm prouidentiam suam in libro æternitatis sunt scripta, dictum illud elegantissimum, *quòd ipse de Virgine nasceretur.*

272 RESPONDET Diuus Bonauentura falsum esse, quòd Christus natus sit sub aliqua stella; nec apparuit stella, sub cuius regimine nasceretur; sed apparuit, vt signum supernaturale, per quam non quidem solam, sed Diuino afflante lumine, Magi cognoscerent ortum Christi. Neque verò illa stella creata fuit simul cum aliis; sed in Natiuitate Domini producta; ideò nec motum cum aliis stellis communem habebat, sed mouebatur tantùm à Meridie, vbi Arabia est, ad partes Boreales, vbi sunt Hierosolyma, & Bethlehem, & ascendit super domum diuersorij in Zenit, ibique suo munere perfuncta, euanuit. Quòd verò Christus in ortu suo habuerit Virginem in Horoscopo, nil facit ad denotandum Messiam. Quot enim nascuntur Sole intrante signum Capricorni? Quot etiam habent Virginem in ascendente, nec tamen Messiæ sunt, nec de Virgine nati? Deinde, in Vertice domo regia, erat Saturnus Planeta lethifer. Hic sanè Regnum Saluatoris æternum non indicauit, cuius morte vita parata est sempiterna; & Regnum gloriæ omnibus est apertum.

NEQVE ascensum stellæ, sed tempus statutum à Patre ad mortem adeundam expectauit.

OBIICIES quartò: In morte Regum apparent Cometæ, vnde Astronomi multa vera præfantur: hoc autem non esset, nisi mores horum stellis subderentur.

RESPONDET Diuus Bonauentura, Mathematicos posse quidem prædicere ea, quæ ex motibus Cœlorum pendent, vt sunt Eclipses Solis, & Lunæ; ea verò, quæ consideramur circa effectus rerum inferiorum, quæ eis subsunt, posse quidem probabiliter, non tamen certò præuidere, vt tempestates, &c. In his verò, quæ sunt liberi arbitrij, sæpè falli; aliquando autem verum dicere ex diaboli notitia, qui multa præuidet ex his, quæ sunt ab aliquo statuta, vt homicidia, &c. Quoad Cometas verò, sententia D. Damasc. 2. *de fide, c.* 17. est, hos produci Dei iussu, ad hæc portendenda. Si enim naturaliter fierent, non esset ratio, cur magis apparerent in morte Regis, quàm rustici. Ergo Deus talia mittit prodigia, vt prospiciatur bono vniuersali Regnorum, de quibus sunt Angeli solliciti. De hoc egi *quæst.* 9. & latiùs agam *Tract.* 7. *disput.* 3. *quæst.* 3. 273

OBIICIES quintò, Deus regit inferiora per superiora; vt nil casu accidat, respectu Diuinæ prouidentiæ: Ergo nil fit in his inferioribus, quod influxu stellarum non dirigatur; de perfectione autem ordinis est, vt, quod regitur, perfectè subdatur regenti.

RESPONDET Diuus Bonau. Id, quod regit per modum dominantis, in omnibus debet superstare sua gubernatione; non autem quod regit ministrando, sicut regunt Astra. Quia verò huiusmodi actus reguntur à Diuina prouidentia, nil potest, ea non intendente, euenire; & ita nil casu contingit. 274

QVÆSTIO XVIII.

An COELI *omnes sub primo mobili moueantur multiplici motu.*

VARIOS de hoc sensus refert Amicus *Tract.* 5. *quæst.* 5. Ex his, qui vnum Cœlum continuum ponunt, Aliqui sanè omnem à Cœlo motum eliminant, dicentes, videri tantùm nobis Cœlum ab Oriente moueri ad occasum: propterea quòd mouemur nos velocissimè cum terra ab Occidente in Orientem, eò ferè modo, quo existenti in naui videntur arbores, fixæ in ripa, sibi occurrere, quasi ipse perstaret immobilis: eos refert Clauius *in cap. sphœra*, 1. *à folio* 63. 275

ALII verò dixerunt, Cœlum, & terram stare; solas autem stellas moueri, vt aues in aere, ab Oriente in Occidentem.

ALII verò, experimento victi, docent, Cœlum moueri ab Oriente in Occidentem, ac secum trahere stellas: singulas verò stellas moueri ab Occidente in Orientem singularibus motibus.

Ex his verò, qui plures Cœlos numerant, & qui octo tantùm sphœras admittunt, aliqui volunt, singulos orbes ab occasu in ortum singulis motibus cieri, motum autem diurnum ab Oriente ad Occidentem omninò è medio tollunt; videri tamen re-

ferunt moueri Astra ab oriente in occasum: quoniam terra ab occasu in ortum velociori motu planetarum, nempè 24. horis, rapitur, sicut authores primæ sententiæ aiebant.

376 Nonnulli eâdem ratione cùm præallegatis conuicti, non esse admittendos duos motus contrarios, volunt, Cœlos solos moueri diuerso motu, ab oriente in occidentem; & eodem motu omnia elementa cieri, quem motum vnicâ ab intelligentiâ effici putant, quam vocant *Animam mundi*: ita verò, vt, quò propinquiores sunt animæ mundi, eò etiam velociùs moueantur. Vnde dicunt, supremum Cœlum velocissimè euolare; quoniam animæ mundi est vicinius; terram verò tardissimè; ita vt quiescere videatur; cùm tantùm paulatim ab oriente in occidentem rapiatur. Quoniam verò Planetæ videntur cieri etiam ab occidente in orientem: neque semper seruare videntur eandem distantiam inter se: neque cùm stellis fixis; cùm ab eis orientem versùs recedant; (si oculo credis) aduertunt, in hoc decipi aspectum, & è causa suprà allata oriri deceptionem. Quia enim eò velociùs mouentur sphœræ, quò primæ Intelligentiæ sunt viciniores; ac proinde altiores velocissimo aguntur motu; hinc inferiores tardiori passu incedentes, tametsi idem iter prosequantur ab Oriente in Occasum; videntur tamen repedare ad Orientem, & ob id mutari distantias, quæ, è sola maiori superiorum velocitate, & tardigrado inferiorum gressu ad eundem occasum, immutantur. Ità Alpetragius, Achillinus, Fracastorius, & alij.

377 Alii apud Ruuium, & Orontium dicunt, totam massam octo orbium habere vnum communem motum ab oriente in occidentem; præter hunc autem motum communem, singulos orbes habere motum proprium ad orientem, à propria singulorum, Intelligentia percitum. Sic & D. Bonauent. mox citandus. Admonent tamen Philosophi, & Astrologi cum D. Bonau. *lib.2. Compend. c.4. & seq.* diuersâ lineâ & viâ Cœlos ab oriente in occasum, & ab occasu in orientem redire. Vide Ptolæmeum suprà adductum, *quæst.9.* Aristotelem *2. Cœli, cap.2. text. 16.* & *cap.6. text.35.* & *cap.12. text.60.*

Ex his autem, aliqui dicunt, orbes duplici motu opposito simul cieri: ita vt, proprio motu, ab Intelligentia propria in orientem tendant, & ab Intelligentia primi mobilis ad occidentem rapiantur. Ita Colleg. Conimbr. *lib.2. Cœli, cap.5. quæst.4. art.1.* & est communis ferè sententia DD. cùm D. Thom. Clauio *fol. 71. & sequentibus.* Sic ex parte Fuliens. *lib.2. Physic. cap.2. art.5.* Eustach. *part.2. Physic. tract. de Cœlo, disput.2. quæst.6.*

378 Alii verò asserunt, duplici quidem virtute, sed vnico motu orbes sub primo mobili moueri, ab occidente quidem, orientem versùs, à propria Intelligentia; at verò ad occidentem, ab Intelligentia primi mobilis.

Alii, cùm allata sententia, dantes manus ad vnicum Physicum motum statuendum; addunt, hunc motum à duplici Intelligentiâ fieri; vt propria Intelligentia ad occasum impellat; Intelligentia verò primi mobilis in orientem rapiat. Ita Antonius Ruuius, *2. Cœli, cap.5. quæst.5.*

Nos Seraphici Doctoris Bonauenturæ, qui fuit in mathematicis versatissimus, vestigio incedentes, statuemus.

379 Primo asserendum, Terram nequaquam moueri, vt aiebat Copernicus: Ita Ioannes de sacro Bosco, *cap.1. sphœræ*, & alij omnes; sed potiùs moueri solem, & Astra. Ideò opus Nicolai Copernici est prohibitum, donec corrigatur: & epistola apologetica Pauli Antonij Foscarini super opinionem Pythagoreorum, ac Copernici de mobilitate terræ, & immobilitate solis, omninò prohibita est. Vide syllabum librorum prohibitorum, *anno 1629.* Mediolani excusum, *verbo, Nicolaus,* & *verbo Paulus:* sed hæc assertio latiùs ostendetur, *tract.7. disput.14. quæst.3.*

Secundò Cœlos verè moueri ab oriente in occidentem 24. horarum spatio, est asserendum. 380

Probatur primò à D. Bonauent. *in 2. distinct.14. part.2. dub.4. litt.* ex illo Psal.135. *Fecit Solem in potestatem diei: Lunam, & stellas in potestatem noctis.*

Deinde, quia ad sensum videmus quotidie, Solem, ac Lunam ascendere super Horizontem, ac paulatim eleuari; donec ad meridianum perueniant, atque iterùm declinare ad occidentem, donec iterum ad orientem ascendant. Ita probatur etiam à Clauio, *fol.80.*

Quod verò motus iste simpliciter fiat, ab oriente semper recedendo, & tendendo ad occidentem, & quidem circulariter, patet ad sensum: vt notat D. Bonauent. *locis suprà adductis*: Videmus enim vmbras super Horizontem, ab ascensu Solis vsque ad meridianum, paulatim ordinatè decrescere: à meridiano autem, vsque ad occasum, rursùs augeri, quòd non fieret, nisi Sol ab oriente in occidentem renderet circulariter.

Hunc verò motum non esse à singulis propriis Intelligentiis, sed à primo mobili, probatur à D. Bonauent. *loc. cit. Compend. Theol. & in 2. distinct.14. part.2. dub.4.* Clauio. *in cap.1. sphœræ, fol.76.* estque communis Astronomorum, quidquid dicat Ruuius, in Astronomicis modicè versatus.

Probatur à D. Bonauent. *hic, & lib.2. Compend. Theol. cap.4. & 5.* nam motus iste est regularis, communis omnibus super polos mundi, per lineam æquinoctialem, per quam Sol, & Astra super axem mundi describunt quotidie eosdem rectos circulos parallelos, polis mundi eò sanè maiores, quò magis à polis recedunt: & eò minores, quò propiùs polis accedunt. Vndè æquinoctialis circulus est omnium parallelorum maximus, quia remotissimus est à polis, nempè 90. gradibus. At verò orientem versus diuersis viis incedunt; nam Sol semper sub Ecliptica mouetur ab occidente in orientem, alij verò Planetæ hinc inde aberrant: si autem hic motus ad orientem esset à primo mobili, esset vnus omnium per eandem lineam: maximè quia aduersarij tenent, Cœlos solidos esse, vt ostendit D. Bonauent. *locis adductis* sed de hoc *assertione sequenti.* 381

Assero tertiò Cœlos, & Astra alio distincto motu ab occidente in orientem vergere, & hunc motum esse super alios polos, à polis mundi diuersos, esseque à propriis Intelligentiis. 382

Probatur ergo, hunc esse alium motum distinctum, à Ioanne de Regio Monte *in Epitome Almagesti Ptolemai, lib.1. concl.6.* Clauio *in capite 1. sphœræ, fol.8.* & aliis Astronomis, ratione D. Bonau. *lib.3. Compend. à cap.5. vsque ad 8.* Nam Luna, singulis mensibus, ad orientem Zodiacum percurrit, & modò vnitur Soli, modò elongatur ab illo, partes orientales versùs; & hæc diuersitas, ac variatio obseruata est, non solùm in Planetis ad inuicem, sed etiam comparatis cum stellis fixis; ita vt vna die vnus Planeta sit in tali signo; & posteà in alio ad partes orientales: ex variis autem congressibus Lunæ cum Sole veniunt diminutiones Lunæ, Eclipses Lunæ, & solis,

Solis,&c.vt notat S.Bonauent. *in 2. distinct. 14. in dub. litt.& in Comp.c.5. & 7.* Cùm enim in capite, vel caudâ Draconis coniungitur, fit Eclipsis Solis, quia Luna sub Ecliptica linea interponitur; & hoc euenit in Nouilunio. Cùm verò alter est in capite, alter in cauda Draconis, fit eclipsis Lunæ: quia interponitur terra. Vnde Luna ingreditur vmbram terræ; vt explicat D.Bonauent. *in Hexaëmer. serm. 22.ad calcem.* Sunt autem caput,& cauda Draconis duæ interfectiones,de quibus infrà. Idem conspicitur etiam in stellis fixis, quæ à punctis solstitialibus, & æquinoctialibus variant distantiam, cuius rei plurima exempla afferunt Ptolemæus,*dictione 7. cap.2.* Ioan.de Regio Monte *in epist. eiusdem dict. propos.2.*Clauius *in sphæra cap.1.fol.81.*& alij,cum D.Bonauent.*serm.3.de Apost.*

383 Qvod verò motus iste, super polos, diuersos à polis mundi,fiat, probatur ab Astronomis, quos allegat, & sequitur Clauius *fol.8. arg. D. Bonau. in 2.dist.14.part.2.dub.4.* & *in Comp. loco cit.* Planetæ enim omnes variant puncta ortus, & occasus, quod, luce clariùs, in Sole deprehenditur: modò enim oritur intra lineam æquinoctialem, modò vltra; modò citra illam, quæ esse non possent; si Sol per æquinoctium, super polos mundi volueretur, tunc enim super idem punctum Horizontis resurgeret. Idemque in aliis Planetis obseruatum est. In motu diurno Sol non facit sphœram, sed spiram,vt ait D.Bonauent.*ad 1.Eccles.*Rursus non semper seruant eandem distantiam a polis mundi, sed modo ad Polum Arcticum, modò ad Antarcticum accedunt, quod facile colligitur ex eo, quòd non habent semper eandem altitudinem meridianam maximam, siquidem maximam altitudinem meridianam habet Sol in Tropico ♋,& minimam in Tropico ♑, vt perspicuum fit ex vmbra alicuius styli, quæ minima extenditur, Sole in ♋ degente; maxima verò in ♑. Vnde etiam fit; vt non semper eosdem parallelos ad motum diurnum Planetæ describat.Et hinc fit,dies aliquandò longiores,aliquandò breuiores esse; prout Sol accedit ad alterum è Tropicis. Aduerterunt autem Astronomi; Solem, & ferè alios Planetas circumferri in circo, cuius maxima declinatio ab Æquinoctiali est graduum

384 23. & semis. Hinc & Zodiacus voluitur super polos totidem gradibus à polis mundi recedentibus. Idem ferè etiam obseruarunt in stellis fixis, non nasci semper in eodem puncto Horizontis, sed declinare; atque adeò super polos, diuersos à polis mundi,euolui. Vide Clauium, *fol.83.* vbi varia refert exempla.

Qvoniam verò stellæ fixæ, licèt declinent ab Æquinoctiali, eandem tamen retinent latitudinem, quæ est eadem distantia ab Ecliptica, quæ per medium Zodiacum transit; ideò colligere, easdem super polos Zodiaci euolui.

385 Restat solùm argumentum illud, quod adeò authores torquet; vt in auia recedant; sicvt vidimus. Nam vnum corpus simplex non potest simul, & semel motibus contrariis agitari: alioquin recederet à termino *à quò*, & non recederet, imò ad eundem accederet: & plura *Vbi* adæquata haberet acquisita: nam, *Vbi* est terminus intrinsecus motus localis, & corpus spatio commensuratur. Hoc argumento victus Arefius ait, *primo de Gener. disputat. 6. quæst. 45.* neque per Dei potentiam posse fieri; & grauiter vrgetur à Fracastorio de *Omocentr.* Hurtad. *disputat. 2.sect. 3.* Amico, *Tract. 5.quæst.6.dub.9.* & aliis.

Respondent aliqui, hos motus fieri super diuersos polos: nam Cœli mouentur ab oriente in occidentem super polos mundi, per Æquinoctialem lineam; at verò ab occidente, in orientem super polos Zodiaci, distantes à polis mundi 23. gradibus, & semis, per Zodiacum, dictum à Zoe, idest, Vita; quia, Sole percurrente Zodiacum, vita viuentibus communicatur, vel à Zodion, quod est animal: quia ibi 12. Signa sunt, quæ Zodiacum complent, ex quibus ferè omnia exprimuntur signo animalis, vt dixi suprà.

Hæc tamen responsio non stat; nam adhuc super diuersos illos polos motus sunt contrarij; ita vt alter ad occidentem, alter ad orientem vergat. 386

Respondet Clauius, *fol. 12.* prædictos motus non esse contrarios: nam omnes Cœli mouentur simpliciter ab oriente in occasum, & nullum simpliciter ad orientem, sed secundum quid, quatenus ad signa magis orientalia propius accedit; nullum enim datur instans, in quo non recedant ab oriente, & ad occidentem non accedant; etsi aliquantulum rapti ad orientem, ad orientalia Signa accedant. Affert autem Clauius exempla. Moueatur nauis aliqua ab oriente in occidentem, motu celerrimo; nauclerus autem, eodem tempore, tardo gradu perambulet nauim à prora ad puppim: ea videns fatebitur, eum moueri simpliciter ab oriente in occidentem; eò quòd, ad motum nauis celerrimum, tendit in occidentem, & ideò semper ab oriente recedit, quanquam progreditur ipse ad orientem, idest, ad partem orientalem nauis.

Similiter Formica gradiens in rota, contra motum velocissimum; rota simpliciter quidem mouetur ad terminum rotæ, at, secundùm quid, in contrarium mouetur: quia, licèt tendat ad partem oppositam; simpliciter tamen semper recedit ab ea, & vergit ad terminum rotæ, puta orientem. Non igitur motus Cœlorum sunt contrarij, cùm ad terminos contrarios non eant. Contrarij namquè motus ad vnum idemque punctum referri debent; ita vt, vno motu ab illo recedatur, & alio, ad idem accedatur: Ex quibus exemplis liquet, potuisse hos motus fieri etiam super eosdem polos: Imo, in quibusdam id fieri, asserunt: orbis enim sphœræ Lunaris, deferens caput, & caudam Draconis, mouetur proprio motu ab oriente in occidentem super polos Zodiaci, & super eosdem polos, virtute Cœli Mercurij, ab occidente in orientem defertur. 387

Cvr autem super polos, diuersos à polis mundi, deferantur Sol, & alij Planetæ, est gubernatio mundi: vt per accessum Solis, & aliorum Planetarum, per Zodiacum, ad Septentrionem, & ad Austrum, diuersa contingant tempora, Veris, Æstatis, Autumni, & Hyemis, ad rerum productiones, vt notat Clauius, *fol.76.* cum D.Bonau. locis adductis.

Enim verò responsio Clauij ad argumentum, licèt in prospectu appareat subtilis; attamen non est solida; nam Planeta positus in puncto meridiani, tametsi ad partes occidentales proprio motu feratur, attamen fertur etiam ad orientem. Vnde post 24. horas inueniuntur confecisse, non circulos, sed spiras: & hoc clarissimè in Luna apparet, 388

apparet, quæ singulis diebus conficit 27. ferè gradus ad orientem, neque solùm inuenitur partibus magis orientalibus vicinior, sed in orientem 27. ferè gradibus euoluta: quò fit, vt singulis momentis mota sit contra primum mobile: ergo aliquando ab eodem puncto rapiebatur ab oriente ad occidentem, & simul motu proprio in oppositum nitebatur, & mouebatur: alioquin in fine diei non inueniretur aliquod iter confecisse orientem versùs; & ita solùm secuta esset primum mobile, si in quolibet puncto inuenitur solùm ad vnum tendens terminum, & ab eodem puncto fixo recedens.

389 Neqve verò exempla Clauij conuincunt: nam & formica in rota, & Palinurus in naui, mouentur per accidens, ad motum nauis, & rotæ: non autem impulsu quodam per se: vnde nil mirum, si ad partes oppositas, & per se mouentur. At Cœli mouentur per se ad occidentem immediatè, impulsi à primo mobili. Vnde repugnat, alio motu opposito moueri per se. Aresius negat alterum horum esse motum, siuè nautæ, siuè formicæ. Sed mirum est, hæc dici a viro cordato. Nam, quiescente naui, adhuc nauta incedit, & quiescente nautâ, potest incedere nauis: ergo sunt duo motus. Idem de formica: vnde eius responsio non est ad rem; sic ruunt responsa etiam aliorum, apud Amicum, *à num.* 186. qui tamen malè negat cùm Aresio hunc motum.

390 Divvs Bonauent. *in* 2. *distinct.* 14. *part.* 2. *articul.* 1. *quæst.* 1. *argum.* 2. facilè se à tricis explicat. Respondet enim, corpus quidem solidum non posse in oppositos terminos moueri; At corpus subtile labile, quale est Cœleste, posse, secundùm vnam partem, moueri ad vnam partem; & secundùm aliam, ad oppositum; vt patet in marinis vndis, & in aëre, agitatis à ventis. Corpus autem Cœleste non esse solidum, ostendimus, *quæst.* 9. Quare, super geminos eos polos liquida sphœra, motibus secundùm partes contrariis, agitur.

Qvoad motum verò trepidationis, iam *quæst.* 9. in calce est ei satis, superque factum. Incertum sanè illum esse multi proclamant, & iuxta Alphonsi Regis explicationem grauissimis obnoxium difficultatibus, maioribus verò, suppositâ Cœlorum soliditate.

Ardvvm est etiam capere, quo pacto ab octanâ sphœrâ solidâ, diffundatur ille motus ad liquidas inferiores, vsque ad solem, corpus enim liquidum non sequitur ordinatè raptum corporis solidi, Attamen positâ Intelligentiarum assistentiâ, intelligi potest, fieri à Cœlo stellato hæc impressio in planetarios, non adeò labiles, sed, quasi chrystallum fusam, conglobatos, molem regulantibus supernis illis motoribus, qui ad hoc procul dubio virtutem à Deo accepere, dum eos idoneos fecit ministros ad hominis vitam.

QVÆSTIO XIX.

An Planetæ *in Eccentricis, & Epyciclis habeant proprios motus.*

D. Bonau. 2. dist. 14. part. 2. quæst. 2.

391 EX variis Phoenomenis, seu apparitionibus Planetarum, orta est hæc quæstio.

Primo quidem aliqui, ad saluandas hasce apparitiones, existimant sufficere, si Planetis assignentur proprij orbes concentrici, intra orbes Cœlorum contenti, habentes verò peculiares motus. Ità Aristoteles 12. *Metaph. text.* 45. *&* 46. attamen Astronomos in rebus Astronomicis consulendos monet. Hanc verò sententiam sequuti sunt Eudoxius, Callepus, Tiletus *in libris de Cœlo*, Fracastorius *in lib. de Homocentricis.*

Alii verò Eccentricos circulos, imò etiam Epyciclos ponunt necessarios, ad saluandos Planetarum varios aspectus. Ità communiter Astronomi. relati à Clauio *in cap.* 4. *sphæra, Ioan. de sacro Bosco*, eamque probabilem sententiam asserit D. Bonauent. At P. Galitius certissimam credit. Ponit verò *in suo Sistemate* Solum epyciclos, non Cœlos excentricos *part.* 2. *lib.* 1. *tract.* 3. *quæst.* 4.

Alii verò apparitiones illas omninò negant, veras esse; sed solum ex varia interpositione vaporum ita videri.

Seraphicvs non reprobat quidem, Astrono- 392
morum vnanimem ferè sensum asserentium, necessarios orbes excentros, & Epyciclos: attamen non adeò necessarios existimat; vt eos etiam negare cùm Peripateticis probabiliter non valeamus, quorum sententiam rationi magis consonam astruit: ita tamen, vt a suis fundamentis non recedat.


Negat igitur necessarios, ad Phoenomena saluanda Planetarum concentros, & Epyciclos; sed solo motu orbium concentricorum, qui non solidi sed liquidi sunt, posse Planetas eleuari, ac deprimi, retrogradi, & procedere, alias verò retrogradationes esse apparentes ex magna velocitate aliorum orbium, sicuti apparet & in naui existentibus, ac velis plenis euolantibus, videntur enim, fixa in littore, vel alia non ita velociter euntia retrogradi. Salua igitur liquiditate Cœlorum, ritè eliminantur tot orbes; vt notat Celada, adductus *quæst.* 1. & plurimi Doctores ibi allegati. Eam ingenuè fatetur probabilem Amicus, *Tract.* 5. *quæst.* 7. *art.* 3. *num.* 20. aliis relatis.


Vt autem rectiùs confutemus tot orbium phalanges, operæ pretium est hos describere.

Volvnt igitur Astronomi, quemcunque or- 393
bem Planetarium tribus saltem orbibus partialibus construi. Hos autem inæquales astruunt: quia alter in altero continetur. Ex his tribus orbibus, vnus est excentricus simpliciter: quia secundùm vtramque circumferentiam, & conuexam, & concauam, respicit aliud centrum, à centro mundi remotum: habet autem iste orbis vndique eandem crassitiem, atque immersus iacet in orbe concentro, & dicitur deferens Planetam, vel id, cui Planeta
proximè insidet. Hunc orbem simpliciter excentrum 394
circumdant duo alij orbes, etiam partiales; alter operiens conuexam eius superficiem, alter verò sub concaua iacens. Hi autem variam habent profunditatem; nam superior subtilis est ex ea parte, qua excentricus maximè à mundi centro elongatur; atque adeò ex parte opposita est crassissimus: è contrario verò se habet interior orbis, qui est sub concauitate excentrici, qui est medius; nam ex ea parte, qua excentricus eleuatur maximè à centro mundi; quaque exterior orbis est subtilis, interior est crassus, quàque supremus est crassus, infimus est subtilis. Sunt autem hi duo orbes concentrici mundo, secundùm vnam superficiem: supremus quidem, secundùm conuexam, infimus autem, secundùm concauam, secundùm alias vero superficies, quibus conteguntur excentro, habent idem centrum,

centrum, cum orbe eccentro: Itaque ob id dicuntur eccentri, secundùm quid, sicut eccentrus simpliciter est medius. In Eccentro autem (excipe Solis,) ponunt vnam sphœrulam, in profunditate gyrantem, cui affigitur Planeta, & ad cuius motum Planeta mouetur ab Oriente in Occidentem. Tametsi Luna in Epyciclo, etiam non confixa, moueri in oppositum dicatur; vt seruetur eadem facies, seu idem aspectus perpetuus Lunæ. Exponam autem duos Orbes, ex quibus colligendum erit, quomodo Orbes illi se habeant.

395





A Centrum Mundi.
B Centrum deferentis.
C Centrum Æquantis.
D Epyciclus.
E Planeta.
F Statio prima.
G Statio secunda.
H Arcus stationis.
I Arcus Retrogressionis.
K
L Orbis exterior, secundùm quid eccentrus.
M Orbis interior, secundùm quid eccentrus.
N Orbis eccentrus simpliciter.
O Aux.
P Oppositum augis.
Q Æquans circulus, quo irregularitas Planetæ ad æqualitatem reuocatur.
R Referens circus.

D Centrum Mundi.
C Centrum deferentis.
H Centrum Æquantis.
I Epyciclus.
B Linea augis.
G Aux vera Epycicli.
A Principium arietis.
L Linea medij motus.
D K Linea veri motus Epycicli.
A B K Verus motus Epycicli
D M. Linea veri motus Planetæ.


A B M Verus motus Planetæ.

B L Medius motus.
B K Centrum æquatum.
K L Æquatio Centri in Zodiaco.
K Punctum veræ augis.
O Punctum augis mediæ.
H O Linea augis mediæ.

396 NOTA verò, quòd DEFERENS Lunæ est extra Eclipticam lineam, & vna medietas declinat ad Austrum, altera ad Boream. Ex duobus verò punctis, in quibus se intersecant ÆQVANS, & DEFERENS Lunæ; illud, per quod in deferente peruehitur Luna ad Septentrionem, dicitur CAPVT DRACONIS: alterum verò, per quod in Austrum tendit, dicitur CAVDA: Atque hæc duo puncta deferuntur ab Ortu in Occasum ab Æquante Lunæ: Est verò hic Æquans supremus in sphœra Lunæ. Quocirca dici solet Deferens caput, & caudam Draconis, estque maior eccentrico Deferente Lunam. Ex his habes non fieri Eclipsim Lunæ in qualibet oppositione in plenilunio; nisi quando Sol est in Capite, & Luna in Cauda Draconis, vel è contrà: Similiter nec Eclipsis Solis, in quolibet Nouilunio; nisi quando vterque Planeta est in Capite, vel Cauda Draconis; tunc enim vterque est sub ecliptica; & ita Soli opponitur Luna, quæ inter nos, & Solem posita, eum nobis tegit; sicut in illo Plenilunio, interponitur inter vtrumque terra; vt notat D. Bonauentura *serm. 22. Hexaëmer. circa finem*: & post eum Clauius, *in capite 4. Sphæræ.* Deferens autem, & Æquans aliorum Planetarum sunt æquales, & eccentrici simpliciter, & vterque extra superficiem Eclipticæ.

PRÆTE-

397 Praeterea aſſignant cuilibet alij deferenti Planetam, duos alios Eccentros; ſecundùm quid, vnum ſupra ſe; alterum infra, qui appellantur deferentes Augem: (excipe Mercurium, qui habet quatuor orbes Eccentros, ſecundùm quid.)



398 Hinc habes, cur non in omni Plenilunio fiat Eclipſis Lunæ, nec in omni Nouilunio, Eclipſis Solis: quia, ſcilicet, non exiſtunt ſub Cauda, vel Capite Draconis; ſed declinat Luna aliquot gradibus. Eſt autem omne ſignum Zodiaci 30. graduum, ſinguli gradus 60. minutorum, 60. minuta, 60. ſecundorum. Vide hæc omnia in D. Bonau. *ſerm. 3. de Apoſt.* circa medium. Hæc ruditer exarata explicant, quid intendant Aſtronomi in ſuis Circis.

399 Assero tamen, non dari in Cœlis Planetariis Epyciclos, eo modo, quo ab Aſtronomis aſſeruntur.

Probatvr primò à Diuo Bonauentura, quia, poſitis illis Orbibus Eccentris inæqualis craſſitiei, ſequitur ex motu eorum penetratio, vel ſciſſio vtriuſque, vel certè, admittendum eſſe vacuum. Probatur ſequela: quia, cùm vterque orbis moueatur, neceſſe eſt, partes craſſiores aliquando coniungi, & aliquando etiam partes graciliores, atque aliquando vtraſque etiam ſeparari; ſed non poſſunt coniungi; niſi ex parte ſe penetrando; cùm non detur ſpatium ſufficiens, in quo ſimul extendantur; ſed eandem ſaltem partem idem ſpatium occupare neceſſe ſit, quod eſt, ex parte ſe penetrare: dum verò coniungantur graciliores partes, minus ſpatium, quàm groſſiores occupabunt: imò quàm groſſiores vnius, ac tenuiores alterius in aliqua parte

parte motus coniunctæ: Ex quo cōstat sequi aliquam partem spatij occupatam in cōcursu grossioris vtriusque, vel grossiorū vnius, & tenuiorum alterius, permanere vacuum in concursu tenuiorum vtriusque orbis.


400 Aliqui Mathematici respondent, non esse absonum, corpus igneum subtile scindi: Alij dicunt non scindi; quia corpus luminosum potest esse simul cum alio; sed hæc responsio nil iuuat: nam quodlibet corpus habet quantitatem; ideò impenetrabile redditur.

Respondent alij Mathematici, ex eccentricorum motu, non sequi penetrationem, aut scissionem eorum, secundùm aliquas partes, aut ex parte sequi vacuum: quia non ità mouentur, vt aliquando debeant coniungi in eadem parte spatij grossiores partes vtriusque: aut grossiores vnius cum tenuioribus alterius; sed proportionaliter ità mouentur Orbes isti, quasi partiales ad motum totalis, vt partes grossiores vnius semper subsint gracilioribus alterius: atque è conuerso, cùm motus sit vniformis. Hæc responsio à Ruu. excerpta est ex S. Doct. *fund. vlt.* Enim verò eam non admittit. S. Bonauent. Ideò ostendam eam esse nullius momenti.

401 Svppono igitur, in sententia Aduersariorum, Orbes esse contiguos, non autem Elementis intermixtos: Nam ordo vniuersi postulat, vt Elementa infra Cœlos, nobiliores se, sint; vt arguit S. Bonauent. *dist.* 14. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *in argum. ad oppositum,* quæ in hoc admittit, *&* *q.* 2. *in fundament.* & post eum Ruu. *lib.* 2. *Cœli. cap.* 5. *q.* 7. & nos satis disputauimus, *q.* 8. At verò etiamsi demus partibus ibi adductis, Cœlum Chrystallinum, ex aquis constipatum: attamen Orbes inferiores, maximè eccentrici, cùm suis concentricis asseruantur contigui ab omnibus.

402 Deinde suppono, Cœlos ab Aduersariis solidos astrui.

Iam verò probatur assertio. Ponamus Cœlum A. Orbes autem, secundùm quid eccentros B. C. Tunc sic: vt B. moueatur contrà C. necesse est, vt alter Orbis contra alterum moueatur: Aut igitur simul mouebuntur ab vno puncto; vt partes crassiores, cum gracilioribus semper vniformes incedant, & hoc non potest esse: quia, vt motus incipiat, alteram partem sui peragere, oportet, vt cesset locus: Ex altera autem parte detur penetratio, aut partes rarefiant; si verò altera pars prior moueatur, iam sequentur omnia allegata absurda; quæ si velis effugere, negare debes illos



motus vulgates: Quod verò necesse sit, alterum Orbem priùs moueri, probatur: Nam motus incipit extrinsecè per vltimum sui non esse; alioqui, si intrinsecè inciperet, iam aliqua pars motus esset in instanti. Porrò igitur instans extrinsecè, in quo incipit motus, post quod est alius motus, nempè recessus à termino, *à quo*, ad terminum, *ad quem*: vt autem recedatur, oportet iam præexistere aditum ad terminū, *ad quem*; alioquin nenter Orbis valebit moueri; sed semper confixus remanebit cum suo contiguo, cui intimè est coniunctus, & solidè affixus: Hoc autem supposito, iam necessariò sequentur ad eius motum adducta inconuenientia.

Probatvr secundò, quia his, quæ motibus propriis cientur, natura dedit instrumenta ad motum; non enim deficit in necessariis: Sed Astris non dedit instrumenta ad motum: Ergo. Minor probatur; quia ad motum rectum necessaria erat grauitas, vel leuitas; vt sursùm, deorsùmve agerentur: vt autem rectâ viâ incederent, pedes, vel alæ, aut pennæ erant necessariæ: Ad motum autem circularem necessaria erat forma motrix, per quam aliqua sit distinctio à re mota: At Astra sunt simplicissima corpora; ergo non habet proprios motus à se: Hæc tamen ratio solùm probat, non moueri à se; sed ab Intelligentia; vt dicam *quæstione sequenti* cum D. Bonauentura. 403

Probatvr tertiò: Sic ponuntur Planetæ in Orbibus, sicut Stellæ in octaua Sphæra; sed hæ non habent motum proprium: Ergo. Maior probatur: Nam omnes octo Orbes sunt vnico nomine Firmamenti vnius expressi, Genes. 1. *Fiat Firmamentum, fiant Luminaria in Firmamento,* vt ostendi *quæst.* 6.

Probatvr quartò: Si Luminaria mouerentur motibus propriis retrogradationis, & progressionis, iam motus Cœli non esset eiusdem rationis Sphæricus, & directus; sed alius directus, alius retrogradus, contra Aristotelem 2. *Cœli*, *cap.* 2. 404

Respondet Ruuius, non fore motum rectum; sed circularem; quia non esset per lineam rectam; posset tamen esse retrogradus.

Præcipva autem ratio S. Doct. est *in corpore*; quia istæ apparentiæ non sunt conuincentes: Nam progressiones, & retrogradationes sæpè apparent ex maiori, vel minori velocitate alterius corporis, vt dixi: Similiter exaltationes, & depressiones ex medij varietate, vt dicam. Prætereà, cùm Aduersarij ponant cœlos incorruptibiles, & solidos, non benè concedunt in eis scissionem, quam ipsi fatentur ad corruptionem disponere. Nec apparet aliqua necessitas ponendi tot orbiculos, totque segmenta in corpore fluido, vt dixi, *q.* 9. cum S. Doct. Enim verò, quia Aduersarij experimenta luce clariora, decantant, opus est responsione.

Obiiciunt primò, ad probandos Orbes eccentros; quod Sol, & cæteri Planetæ aliquando maiores, aliquando minores apparent; hoc autem non posset esse, si concentricè tantùm voluerentur; tunc enim vndique essent æquales magnitudinis: Sol enim, *verb. grat.* cùm est in Tropico Cancri, apparet minimus; cùm autem in Tropico Capricorni, maximus: &, pro vt à Cancro accedit ad Caprum, semper augetur; &, provt accedit ad Cancrum, minuitur in aspectu: Ergo oportet, vt in Cancro sit eleuatior à nobis, & in Capro, nobis vicinissimus.

Respondet D. Bonau. *in corpore*, Solem non apparere minorem ex aliqua eccentricitate, eleuatum ad aliquam altitudinem; vt putant Aduersarij; sed ex medij diuersitate: In Hyeme enim aër est vaporibus plenus: ideò ibi infranguntur radij visuales, & disperguntur; vt ampliorem nobis Solem afferant: sic etiam non rarò in Oriente Sol nobis maior apparet, quàm in Meridie, eadem die: licèt in Oriente distet magis, nempè quantus est Semidiameter terræ, interiectus Soli Orienti: Hæc tamen maior distantia est insensibilis, vt ait D. Bonau. *serm.* 2. *Apost.* & Clauius. 405

Contra autem arguunt Clauius, Ruuius, & omnes Mathematici: nam in Æstate sæpè aër est nubilosus, & tamen semper minor apparet, quàm in Hyeme, etiam serenissimo Cœlo. Ergo ista maior, vel minor facies venit ex maiori, vel minori vicinitate, quæ sanè in eccentrico posita est.

At verò non benè redarguunt: Nam, Sole exi- 409

stente

stente in signis Australibus, totus aër tum primæ, tum secundæ regionis, à frigore est constipatus, & totus vaporibus aquosus: at verò in Æstate, esto aliqua pars aëris; nempè regio secunda, constricta sit ab altitudine primæ regionis, quæ ampliatur à reflexione valida radiorum, qui percutiunt ad angulos acutos, Sole nobis eminente: Tamen maior pars regionum aëris est à vaporibus expurgata; cùm in hyeme, ob Rarefractionem obtusam radiorum, aër sit densior; quo fit, vt tunc radij visuales magis refracti Solem ampliorem ostendant; at verò in æstate non sic, quia non interponuntur tam vastæ regiones vaporosæ. Sanè comparatio debet fieri sereno Cœlo vtrobique, non autem vsquequaque nubiloso.

Obiiciunt secundò: Sol plures dies insumit in percurrendis signis Borealibus, quàm Australibus, sic ab Æquinoctio Verno, vsque ad Autumnale, nempè à 20. Martij, vsque ad 24. Septembris, elabuntur 187. dies: At verò ab Æquinoctio Autumnali, vsque ad Vernum, solum 178. quod esse non potest, nisi moueatur in alio Orbe eccentrico; itavt maior pars in Hemisphærio Boreali sit, & maius segmentum alicuius eccentrici, quàm in Australi.

407 Respondeo, hoc posse euenire, eò quòd Zodiacus, & Æquinoctialis non intersecentur æqualiter in primo gradu Libræ, & primo Arietis; sed maior pars Zodiaci ad nos vergat; sicut & Deus maiorem partem Stellarum ad Semicirculum Borealem posuit, quàm ad Australem; vt omnes confitentur: Neque omninò Æquinoctia sunt in illis duobus gradibus, sed in alio vlteriori; sunt enim isti duo gradus inuenti ab Astronomis; vt consequenter ad sua fundamenta loquantur.

Obiiciunt tertiò ad probandos etiam Epicyclos, quòd Planetæ, excepto Sole, existentes in eodem puncto Augis eccentrici, non semper eodem modo se habent ad terram, sed modò sublimiores, modò demissiores apparent: ac prætereà modò velociores, modò tardiores: ergo præter eccentros debent dari Epicycli, à quorum gyro tot varietates resultent: Nam Avx eccentri semper se habet eadem distantiâ à terra, eadem velocitate, &c. Ergo ex vi solius eccentri, deberet semper eandem distantiam, eandemque velocitatem seruare: Cùm igitur in eodem puncto eccentrici aliquando remotior, aliquando propior videatur, aliquando velocior, &c. necesse est, ponere Sphærulam, seu Epicyclum in eccentro intra profunditatem, seu crassitiem eccentri, ad cuius motum Planeta reuoluatur: Et ità possit tam variis modis nobis apparere iuxta diuersitatem partium motus eiusdem Epycicli sibi proprij.

408 Experimenta verò addunt: Nam, Sole, & Luna, in eodem situ manentibus, vna Eclypsis maior est alterâ: ergo Luna magis depressa erat ad terram; vt in maiorem vmbram terræ intraret, quæ quidem vmbra proiicitur ad modum Coni; eò quòd Sol multò maior est, quàm terra; at verò Luna, ex vi sui eccentrici, non potest eiusmodi inæqualitates pati; vt probatur ex Theorica Lunæ: quia, ratione illius, in omni Eclypsi habet eandem distantiam à terra; cùm semper, tam in coniunctione eius cum Sole, in qua fit Eclypsis Solis, quàm in oppositione, in qua fit Eclypsis Lunæ, in Auge sui eccentrici existat: ergo necesse est, præter eccentricum, ponere etiam Epycyclum; vt ratione peculiaris motus, quem in eo habet Planeta, seruetur diuersa distantia eius à terra: & sic in eodem eccentrici Auge existat: Et ex hac varietate distantiæ, Luna ingrediatur vmbram; vbi Pyramis vmbræ est magis, vel minus basi vicina; ac grossior, vel subtilior: Vnde diutiùs duret Eclypsis, aut citiùs expediatur ab vmbra.

Confirmatvr à Clauio, *à fol.* 443. vsque *ad* 449. editionis recentis: vbi testatur, se duas vidisse Eclypses, alteram Conymbriæ, anno 1559. in qua totus Sol occultabatur à Luna; itavt nox esset: altera Romæ, anno 1567. in qua Luna ità Solem operiebat, vt circulus quidam Solis circumferentiæ Lunam ambiret, ex quo apparet, non fuisse Solem, & Lunam in eadem distantia a terra, nec inter se: Alioquin vterque eodem modo, in vtraque Eclypsi obscuratus fuisset.

Respondetvr, illas distantias ex varietate medij alterati apparere; sicut sæpè videmus, etiam in Æstate, Solem in Oriente, & Occidente duplò ferè ampliorem: Ex quo etiam habetur; vt sæpè retrogradi, aut progredi velociùs videantur aliqui Planetæ ex maiori apparentia velocitatis alterius Planetæ; vt ait S. Doctor *in corpore.* Quoad Eclypses, sciendum, necessariam esse perfectam oppositionem in capite, vel cauda Draconis, quæ sunt puncta Eclypticæ, in quibus fiunt Eclypses; at verò sæpè non in eodem puncto occurrunt Sol, & Luna, sed longè aliquo gradu, vel quibusdam minutis, vt ait S. Doctor, *serm. 30. de Apost.* Hæc omnia descripsit D. Bonauentura, *lib. 2. Compend. Theol. cap. 5.* 409

Ad omnia hæc potest etiam responderi, admittendo Eccentros, & Epicyclos, lato modo, non quidem solidas Sphæras, sed partes fluxibiles, quæ modò exaltatæ sunt magis, modò magis depressæ: & hoc pacto saluantur omnes apparentiæ, vt habet D. Bonau. *lib. 1. Compend. Theol. verit. cap. 5.* vbi eccentros, & Epicyclos admittit; sed non eo modo, quo Astronomi: Ideò *cap. 4.* præmittit, Cœlos esse naturæ subtilissimæ, & vnum Cœlum ex octo Sphæris construi, & hoc pacto Astronomi, atque Patres saluant Phænomena omnia absque Eccentricis, & Epicyclis, vt dixi, *quæst. 9.*

QVÆSTIO XX.

Vtrum Coeli *moueantur ab Angelis.*

D. B. in 2. d. 14. p. 2. a. 3. q. 2.
D. Th. in 2. d. 14. q. 1. art. 3.

Fvit opinio antiqua, Cœlos esse animatos, atque ab anima propria circumuolui. Ita Græci, atque Ægyptij Platone antiquiores, & ipse Plato *in Cratylo, & Epinomid.*; Cleantes, teste Tullio, *lib. 2. de nat. Deorum.* Plinius 2. *hist. cap.* 8. Senec. *lib. 2. naturalium quæstionum, cap. 5.* cæterique Historici, qui totum mundum vastissimum animal acclamarunt; atque adeò Anaxagoram impietatis accusarunt; eò quòd Solem ignitam massam proclamarit, vt notat Laërtius in eius vita; & D. Aug. *lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 14.* Orbes verò cœlestes animatos asserunt ex Hebræis, Philo, Rabbi Moyses, & Arabes multi, vt Auicenna, Algazelus, Alpharabius, Albumazar: & ex Astronomis Ptolemæus, quam sententiam approbat Origen. *lib. 7. Periarchon, & tom. 1. Commen. in Ioan.* In qua quæstione D. Aug. *lib. 2. de Gen. ad litt.* fuit anceps. Authores habes apud Conimbr. 2. *cœli, cap. 5. q. 5.* Subscribunt Cremoninus *de Cœlo sect. 9.* Villapan. *lib. 2. cap. 2.* 410

Alii dicunt, Cœlos moueri à propriâ formâ, non quidem animâ. Eos refert D. Bonau. nec reprobat: In eis nunc incedunt Vasq *prima secundæ, disp. 25. cap. 3.* Albertus Saxo 8. *Phys. quæst. vlt.* Eustachius Cister. *parte 2. Phys. tract. 1. disp. 2. q. 2.* Camerarius *disp.* 25.

Alii huic principio intrinseco motûs addidêre assistentem etiam Intelligentiam, vt referunt Collegium 2. *Cœli, c. 15. art. 2.* Vales. *controu. 11. ad tyron.*

Nec desunt dicentes, moueri Cœlos à Deo immediatè. Sic Fuliensis, *lib. 2. Phys. cap. 2. art. 5.*

Vervm enim verò primæ Sententiæ resistunt firmiter SS. Patres, & Sapientes Scholastici, D. Cyrill. *lib. 2. cont. Iul.* Ambr. *lib. 2. Hexaëmer. cap. 4.* Basil. *hom. 3. Hexaëmer. & supra Psal.* 48. Lactant. Hieron. ad ea verba Deut. 32. *Audite Cœli, quæ loquor,* & 411

in *cap.* 1. *&* 4. *Isaia*, & *in epist. ad Pammach. & Auitum*. Aug. *lib. de duabus animabus, cap.* 4. *&* *lib.* 1. *Retract. cap.* 7. & *lib.* 2. *cap.* 7. Damasc. 2. *de fide, cap.* 6. & alij, vt refert D. Bonau. hic in corpore, Alenſ. *p.* 2. *quæſt.* 87. *in* 3. *art.* 4. Albert. Mag. *tract.* 4. *de coæuis, quæſt.* 4. *art.* 25. S. Doctor *hic*, D. Thom. *quæſt. de Spirit. creat. art.* 6. & *primo contra Gent. cap.* 47. *& p.* 1. *quæſt.* 70. *art.* 13. Durand. *in* 2. *diſt.* 9. *q. vnica, art.* 1. *& diſt.* 14. *q.* 2. Gabr. *diſt.* 14. *q. vnica*, Ocham, *q.* 12. Ægid. *q.* 3. Argent. *q.* 1. *art.* 1. Henric. *art.* 2. Abul. *in cap.* 3. *Exod. q.* 47. Lyra *in cap.* 10. *Hierem.* Eugub. *in Pſal.* 18. & alij complures, quibus adde Anaxagoram, & omnes Ariſtotelis Interpretes.

Ex his plurimi ſuperaddunt, Cœlos non modò ab anima propria non moueri; verùm neque à propria alia forma, ſed ab Angelis. Eſt communis inter Philoſophos, & Theologos; vt refert D. Bonau. *in corpore*; & poſt eum Perer. *lib.* 1. *ſuæ Philoſophiæ, cap.* 1. & *lib.* 2. *in Geneſ. q.* 6. Ità D. Thom. *q.* 8. *de potentia, art.* 3. & *p.* 1. *q.* 70. *art.* 3. D. Bonau. *hic*, Scot. *diſt.* 14. *q.* 1. Durand. *q.* 2. Ægid. *q.* 5. Alb. Mag. *art.* 6. *&* 12. *Metaph. tract.* 2. *cap.* 10. Capreol. *in* 2. *diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 3. Ferar. 3. *cont. Gentes, cap.* 46. Sotus 2. *Phyſic. q.* 11. *ibid.* Tol. & Conimbr. 2. *Cœli, cap.* 5. *q.* 5. Suar. *diſp.* 8. *Metaph. ſec.* 3. *n.* 36. Ruu. 2. *Cœli, c.* 5. *quæſt.* 8. alios referens cum Amico *tract.* 5. *q.* 6. *dub.* 2. *n.* 25. Galit. *p.* 2. *lib.* 2. *tract.* 3. *q.* 2. Poncio, *diſp.* 22. *quæſt.* 9.

412 Assero primò, Cœlos non eſſe animatos, atque adeò à propria anima non moueri. Eſt de fide, vt docet D. Bonauent. *in* 2. *diſt.* 14. *num.* 30. cum Diuo Hieron. apud Ferch. *de Angelis, quæſt.* 1.

Probatvr à S. Doctore è SS. Patrum vnanimi conſenſu. Addit verò, Si aliquis videtur adſcribere Cœlis animam, intelligendum eſſe Metaphoricè. Sic exponit D. Hieron. in illud Eccl. 1. *In circuitu pergit ſpiritus, & in Circulos ſuos reuertitur*; vbi ait: *Siue ipſum Solem Spiritum nominauit, quòd animet, ſpiret, vigeat, & annuos Orbis Circulos expleat; ſiue quod Lunæ lucentem globum, Titaniaque Aſtra intus alit, totamque infuſa per artus, mens agitat molem, &c.* Quæ verba, vt claret, metaphorica ſunt: Nam, quòd Sol dicatur anima mundi; eò quòd alit, generatque, nil omninò contra nos affert; ſed eo ferè modo loquitur, quo Sapientia Diuina, *Prouerb.* 8. gloriatur, ſe fuiſſe Creatori aſſiſtricem, & mundi nutritiam; Et quidem per ſpiritum, ibi intelligi ventum, vel aërem agitatum, exponit egregiè D. Bonau. ad eum locum *Eccl.* Hoc argumentum ex authoritate vrget Victorellus, *lib.* 1. *de Angelorum cuſtodia.*

413 Probatvr ſecundò à D. Bonau. Quia inter Catholicos hoc, vt erroneum, damnatur. Et primò D. Hieron. *epiſt. ad Pammach. & Auitum*, inter propoſitiones Origenis damnatas à V. Synodo generali ſub anathemate, hanc enumerat, Solem, lunam, & Aſtra, Cœlos animatos eſſe: D. quoque Epiphan. *lib.* 11. *Panar.* Et D. Iren. *lib.* 1. *cont. hæreſ.* eandem referunt inter Marcoſiorum dogmata.

Et quod caput eſt, in Concil. Conſtantinop. quod eſt quintum Generale totius Eccleſiæ, damnatur hiſce verbis, relatis à Iouerio, in ſumma Concil. text. 2. *Si quis dixerit, Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, & Aquas, quæ ſupra Cœlos ſunt, animantes, quaſdam eſſe materiales virtutes; Anathema ſit*: Ac tandem damnata fertur in quodam articulo Pariſienſi: Ideò D. Bonau. hìc, vocat eam contra Catholicos, & erroneam. Idem ferè aſſerunt Gabriel, *diſt.* 14. *quæſt vnica*; Capreol. *diſt.* 9. *quæſt. vnica, art.* 1.

414 Scio, D. Aug. *lib.* 3. *Enchir. cap.* 58. dicere non eſſe definitum: an Cœli ſint animati; & ideò idem aſſerit D. Thom. 2. *contra Gent. cap.* 70. *in fine.* Imò Caiet. *p.* 1. *q.* 3. *art.* 1. De hoc dubitat: Quin & Martinez, *cap. de Cœlo, lib.* 1. *cap.* 1. aſſertiuam partem probabilem ait: Sed arbitror, cos loqui de anima ſenſitiua, & vegetatiua, quas in Cœlis aſſerere, non eſt adeò contra fidem; ſed contra Philoſophiam; eò quòd Cœli non ſunt corpora organica, ſed ſimpliciſſima: At verò Aduerſarij animam intellectiuam aſtruebant communiter: Contra eos verò ſic arguit S. Doctor *in corpore.* Omne animatum anima intellectiua habet gradum ſenſitiuum, & vegetatiuum præſuppoſitum; ſed Cœli non habent gradum vegetatiuum, nec ſenſitiuum: Ergo nec intellectiuum. Maior probatur: quia non eſt cogitare creaturam intellectiuam, corpoream, non pendere in cognitione à ſenſibus, accipiendo ſpecies ab omnibus. Minor probatur: quia ſenſibilia, & vegetabilia tranſmutantur ſubſtantialiter, & corrumpuntur: Nam potentiæ vegetatiuæ partes ſunt Generatiua, Nutritiua, & Augmentatiua: Ità etiam arguit Ruuius, *lib.* 193. Vrgeo: Ad hæc exiguntur Organa: Sed hæc Cœlum non habet: Ergo. Maiorem fruſtra quatiunt cum Platonicis Arriaga, *ſect.* 2. Maſtrius, & Bellutus, *diſp.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 2.

Assero ſecundò, Cœlos non moueri à propria forma; non eſt tamen demonſtrabile: Ità S. Doct. quem ſequitur Amicus: Quare rationes, quibus hanc aſſertionem propugnat, contrariis expugnat. 415

Probatvr à D. Bonau. Quidquid mouetur, ab alio mouetur; non enim poteſt eſſe idem mouens, & motum, ex Ariſt. 7. *Phyſ. text.* 10. & *lib.* 8. *text.* 22. *&* 23. *Sed* Cœli mouentur toti, etiam ſecundùm formam; ergo non à ſua forma.

Hæc tamen ratio paruipenditur à S. Doctore, atque Amico: Nam animal ſeipſum mouet, atque Elementum corpus ſimplex à propria forma graui, aut leui agitur: Ideò & Euſtachius maiorem negat.

Instat Faber, *Theor.* 58. §. *Tertia ratio*, cum Scoto 2. *diſt.* 14. *q. vnic.* & Ægid. Ariſt. diſtinguit mobile in duas partes: in partem per ſe motam, & partem per ſe mouentem, 8. *Phyſ. text.* 40. At in Cœlis hæc non aſſignantur, dum mouentur à propria forma: (ait Ægid.) Nam hæc non eſt mouens per ſe, ſed ratio mouendi: Mouentur verò Elementa à generante. At Cœli à quo mouebuntur, cùm non habeant generantem? Porrò in Elementis eſt virtus motiua, diſtincta ab elemento moto, puta, grauitas, vel leuitas; & ità dicere poteris de Cœlo.

Probatvr ſecundò à S. Doct. Nihil eſt ſimul actu, & potentiâ; ſed totum Cœlum mobile, eſt in potentia: Ergo non eſt quid in eo mouens, quod eſſe debet actu. Hæc ratio è præcedenti ſequitur; maior eſt Ariſt 8. *Phyſ. text.* 40. minor eſt euidens. 416

Respondet tamen Amicus cum S. Doct. Mobile Cœlum, & Elementum eſſe actu, per virtutem motiuam, potentem ea deducere ad terminum: Eſto & virtus motiua ſit in potentia actiua ad terminum, quod non impedit, quin ſit in actu ab Ariſt. dicto.

Probatvr tertiò à S. Doctore: Omne mouens ſufficiens diſtat à mobili; ſed nulla forma extenſa diſtat a materia: ergo nulla forma extenſa poteſt eſſe motor ſufficiens; ſed forma Cœli eſt corporea, & motus eius inter cæteros, cùm ſit præcipuus, eſt à Motore ſufficiente; ergo non eſt à forma. 416

Hæc ratio carpitur à S. Doct. & Amico, mouens, & motum non diſtare ſuppoſito, ſed eſſe idem; vt patet in Animalibus; ſatis autem eſſe diſtinctum ſubiecto; ſic eſt in Cœlis: Nam motus paſſiuè eſt in corpore; virtus autem paſſiua eſt, à qua eſt motus, vnde eſt Motor ſufficiens.

Probatvr quartò: Motus naturalis eſt ad vnum terminum: atque adeò, ſi ab eo dimoueatur, non dimouetur naturaliter; ſed Cœli mouentur natu-

râ,& ad Occidentem,& inde dimouentur ad Orientem: Ergo hic motus non eſt à propria forma.

Hanc rationem reſoluit S.Doctor ſuprà,dicens, Motum aduerſum, Orientem verſùs,eſſe à raptu,vel eſſe apparentem, aut eſſe agitationem corporis fluidi, vndequaque naturaliter defluentis.

Alias rationes exteras refellit Amicus.

418 Probatvr quintò à S.Bonauent. Motus localis non poteſt emanare à forma, tanquam à principio efficiente, niſi terminus, tali motui per ſe comparatus,ſit debitus formæ eius,vel certè eidem corpori, ratione talis formæ; vt euidenti inductione probari poteſt,per ſingulos motus locales Elementorum, & aliorum corporum diſcurrendo; & ratio id oſtendit: quia inclinatio actiua in motum, & ſpeciem, à termino completur,& dignoſcitur; ſed nulla præſentia acquiſibilis per motum, eſt debita Cœlis,ratione formæ, ergo non poteſt motus ei eſſe naturalis, ratione formæ, tanquam a principio efficiente eius: Non poteſt autem dari naturaliter potentia intrinſeca ad motum; ſi is non ſit naturaliter debitus mobili; ergo non eſt poſſibilis naturaliter talis potentia intrinſeca Cœlo. Fundatur hæc ratio in definitione motus,ex Ariſtot. *3.Phyſ.text.17. Eſt actus mobilis, vt mobile*; & ideò qui ſolùm ordinatur, ad perficiendum mobile, in ordine ad proprium terminum: Et in alia,quam habet Ariſt.*ibi initio tertij: Eſt actus entis in potentia, prout in potentia.* Hoc argumentum ait Galitius optimum: Eo vtitur etiam D.Thomas *3.contra Gent cap.23.*Ruuius *loc.cit.*Eadem argumenta habet S.Doctor *in corpore.*

419 Probatvr ſextò à D.Bonauent. Si motus eſſet Cœlo naturalis ab initio,ſequeretur,quietem eſſe illi violentam; ſed hoc eſt falſum: Ergo. Probatur ſequela; quia oppoſitum appetitui naturali,eſt contra naturam. Minor probatur: Si quies eſſet violenta,ſequeretur, violentum aliquod fore perpetuum; ſed nullum violentū eſt perpetuum: Ergo. Probatur autem hæc vltima ſequela,quia Cœli à die Iudicij perpetuò quieſcent. Hanc vltimam vrget Ruu. Vtramque, D.Bonau.*corp.* nec refellit amicus: Nota hîc ſumi naturale ſtrictè. Quod enim paſſiuè motus Cœli naturalis ſit,fatetur D.Bonau. *hic*, & nos *tract.5. diſp.16. quæſt.5.*& *hac diſp.quæſt.7. dub.1.*

420 Assero tertiò,Cœlos moueri ab Angelis: Hanc aſſertionem fidei conſentaneam vocat D.Bonau.*loc cit.*At D.Thom.*opuſc.10.art.3.*& *opuſc.11. art.2.* vocat eam ſententiam omninò certam, & Phyſicis rationibus demonſtratam: Et *de potent.quæſt.6.art.3.* vocat ſententiam fidei: Eam ſtatuit Ariſtot. *8. Phyſic. cap.6. text.52. & lib.12.Metaph.cap.8.text.43.* Plato, *primo de Legibus.*

Probatvr primò à D.Bonauen. *fund.1.* Cœli mouentur motu circulari perpetuo,vt oſtenſum eſt, *q.11.* Sed non mouentur à principio intrinſeco; vt oſtendi aſſertione prima: Ergo à principio extrinſeco,ſeu forma aſſiſtēte: Siquidem nullum eſt medium inter principium intrinſecum, & extrinſecum; ſed hoc principium non poteſt eſſe niſi Angelus: Ergo. Hæc vltima minor probatur; quia hoc principium non poteſt eſſe corporeum; cùm nullum ſit naturaliter ſupra Cœlum; neque in ipſo Cœlo eſſe queat, abſque penetratione; neque ab alio ſublunari moueantur; vt patet: Ergo ab aliquo ſpirituali; ſed hic non eſt Deus per ſe; cum id per creaturas exequatur,quod poteſt exequi in officiis naturalibus: Ergo per Angelos: Hi enim poſſunt Cœlos mouere; vt dixi, *tract. de Angelis, diſp.11. quæſt.3.* Hac ratione vtitur Ruuius, *loco citato.*

421 Probatvr ſecundò à D.Bonau. *in corpore hic,* & *q. præced.in fundamentis*,ratione,quâ vſi ſunt SS. Dyoniſ.*cap.5.Cæleſtis Hierarchiæ*, & de *Diuin. Nomin.cap.8.*Greg.*4.Dialog.cap.4.*Aug.*4.de Trinitate cap.4.*& *de Geneſ.ad litt.paſſim,tom.3.*& *lib.83. qq. quæſt.79.tom.4.* & *lib.3.de lib.arbitr.cap.11. tom.1.*. adductis à D. Bonau.ex ordine,inter res creatas conſtituto,qui in eo maximè poſitus eſt; vt inferiora,per ſuperiora,in propriis functionibus regantur,& corporalis creatura coniungatur cum ſpirituali; atque adeò,ſicut in paruo mūdo,homine videlicet,corpus per ſpiritum gubernatur,ſimili modo in maiori mundo contingit: Orbes autem exactiſſimis adeò periodis voluuntur; vt tot millium annorum gyro,nunquam Saphirinum illud Horologium defecerit, vel minimo; quo fit,vt ab aliquibus Intelligentiis circumuolui deduxerint Philoſophi, qui inde aditum ſibi, ad Intelligentias dignoſcendas,aperuerint. Idem habet D. Bonau. *in corpore.* Hoc argumento nituntur Moderni,vt Ruuius,*loc.cit.*& alij,& D.Bonau.*ad 5.*

Confirmatvr à D. Bonauent. *in reſponſione ad 5.* quia hic motus requieſcet; cum completa fuerit ſuperna Ciuitas, ad quam implendam finaliter ordinatur Angelorum miniſterium. 422

Obiicies primò: Natura eſt principium motus,& quietis in eo,in quo eſt,*ex 2.Phyſ.text.3.* Ergo omnis motus naturalis eſt à forma intrinſeca; ſed motus Cœli eſt naturalis, ſicut probat Philoſophus 8. *Phyſicorum, text.27.* Ergo.

Respondet S.Doct.illum motum eſſe naturalem: quia natura,& figura eius illi motui concordat, 423 & ad eum facit Cœlum aptum,& ſic natura eſt principium motus poteſtate; & etiam actu cooperando, Sic igitur Cœli naturâ, & figurâ cooperantur motui Angeli impellentis; ſicut etiam in pila,eius forma eſt principium motus; ita tamen,vt egeat cooperatione,vt pila voluatur: Alioquin quieſcit; & ità non eſt fruſtrà illa forma: quia etiam actiuè cooperatur motui,nedum paſſiuè,præter alia munera, quæ habet, influendi: Ex quibus ſolis non ſatis deducit Ruuius,Cœlum habere perfectam naturæ rationem.

Dices: Cœlum, hoc pacto,non habet virtutem 424 ſuo fini proportionatam. Dico, Cœlum, ex natura ſingulari, non egêre motu; ſed quieſcere; cùm ſit in ſuo loco; at motū ei dari ad naturam vniuerſi, ad quem dirigi non debet à ſe: Ita & Euſtachio ſatisfit.

Obiicies ſecundò ex Valeſio: Corpora grauia, & leuia,ignobiliora ſunt cœleſtibus; ſed ea mouentur à propriis formis, tanquam à principiis internis: Ergo multò magis Cœli.

Respondet S.Doctor, motum grauium,& le- 425 uium verè eſſe à ſua formâ indigua intrinſecè, à qua manat grauitas, vel leuitas: Ad id concurrere etiam virtutem extrinſecam loci attrahentis, virtutem loci expellentis,& virtutem Corporis quinti;& quia hæc ad motum Cœli nequeunt deſiderari; cùm ſit in proprio loco, neque ab eo extrahi queat, neque egeat inquirere ſuum locum; ſicut egent Elementa: Ideò eius forma non eſt actu principiū motus,per ſe ſolam, cùm illa ſit in proprio loco; eget vero motu circulari, ob bonum vniuerſi,ad quod recepit agilitatem: Ità tamen,vt neceſſarius ſit concurſus Intelligentiæ; vt dictum eſt *ad primum.* Itaque hæc efficientia motus negatur Cœlis, non ex eorum imperfectione, quinimò ex perfectione non exigua: Ità ait etiam Ruuius.

Obiicies tertiò: Plus eſt mouēre ſeipſum, exeundo extra locum proprium, quàm non exeundo; ſed virtus lucis eſt, ſe diffundere per corpora alterius naturæ, & redire: Ergo videntur Cœli, virtute lucis, poſſe ſe mouēre in Orbem, abſque influxu Intelligentiæ aſſiſtentis.

Respondet D. Bonauentura, motum lucis non

non esse localem; sed alterationis; vnde, sicut ignis potest diffundere calorem suum deorsum; tamen, virtute propriâ, non se mouet in propria Sphæra; sic & de Sphæris cœlestibus dicendum.

Obiicies quartò: Motus animalium est ab intrinseca forma, & hoc spectat ad perfectionem motûs; sed motus Cœlorum est multò completior: Ergo erit à propria eorum forma.

426 Respondet S. Doctor, per accidens facere ad complementum motus localis, quod fit à principio intrinseco; confert enim, quatenus natura imperfecta existens, & in potentia ad actum, atque egena se mouet ad illum: Ideò, licèt per actum perficiatur; supponitur in potentia, prout in potentia, vt ait Arist. 3. *Phys.* Ideò vnio formalis mouentis, & mobilis, non dat motui locali complementum, quatenus ab intrinseco mobile se mouet; non enim est perfectio Elementi moueri ad centrum, vel ad Sphœram ex indigentia loci; aut animalis moueri ad suas necessitates expellendas; vel si est perfectio, est secundum quid: Imò talis vnio aliam addit imperfectionem, quòd forma motrix immersa materiæ reddit motum localem minùs expeditum. E contrà, independentia à mobili materiali dicit sufficientiam per se ad perfectè voluendum suo libito mobile: Talis mouens est Angelus, qui separatus secundùm substantiam à Cœlis; his vnitur intimè, virtute suâ nobili, & potenti; & eò perfectior est hic motor supernus, quò maior est independentia à Cœlis, & virtuosa eius applicatio ad illos.

Obiicies quintò: Nullus motus necessarius pendet à voluntate creaturæ, tanquam à principali motore; sed motus Cœli est vniformis necessarius, secundùm Sanctos Patres, & Philosophos: Ergo non est à voluntate alicuius Intelligentiæ.

427 Respondet S. Doctor, Maiorem esse veram de voluntate vertibili, à qua non pendet necessarium; quod potiùs exigit causam necessariam; At verò, quamvis Voluntas Angeli sit naturæ vertibilis, tamen per gloriam omninò inuertibilis redditur, & summæ Maiestati omnia continenti adhæret perfectè; vt ait D. Aug. suprà, *lib. 3. de lib. arbitr. cap. 11.* Ideò necessariò obediens Deo, quem necessariò amat, in orbibus euoluendis, insumit operam, eorúmque motus necessarios causat.

Obiicies vltimò: Omnis virtus finita mouendo fatigatur; sed virtus Angeli est finita; Ergo lassatur in Orbibus euoluendis.

428 Respondet D. Bonauent. lassari Motorem, non ex finitate virtutis; sed improportione motoris ad mobile, vel contrarietate, vel ineptitudine, ex parte mobilis, quorum nullum est in proposito.

QVÆSTIO XXI.

An primum Mobile *à Deo moueatur solo.*

D.Bon.d.14. part.1. art.3. quæst.1.

429 Devm omnibus motibus concurrere, luce clariùs emicat: Quæritur verò hîc; an primum mobile à Deo solo absque ministerio Angelorum euoluatur.

Et quidem fuit opinio Abulensis, *ad cap. 23. Exodi, quæst. 5.* omninò non posse à Deo solo Cœlum moueri, ex imperfectione motus, qui Deo infinitè perfecto conuenire nequit.

Antiqvi verò aliqui asseruêre, primum mobile à Deo solo rotari. Hæc opinio adscribitur Aristoteli ab Alexandro, & Simplicio, 8. *Phys.* D. Thoma 12. *Metaph. ad text. 36.* & aliis, quos citant, & sequuntur Conimbric. 2. *Cœli, cap. 5. quæst. 6. art. 2.* Ruuius *ibi*, qui addit Bonauenturam, Scotum, Aureolum, Herueum & Ferrar. Sed maior pietate, quàm probabilitate ductos ait, Interpretatos fuisse Aristotelem adscribere motori Supremo Deo motum primi mobilis, non tanquam efficienti; sed tanquam fini. Enimverò hi sapientes, non pietate, sed veritate ducti, id asserunt: Nam Aristoteles 12. *Metaph. cap. 7. text. 38.* ait: *Deum mouêre primum Orbem; vt id, quod amatur.*

Respondet Ruuius, ibi solùm in communi asseri, Deum appeti, vt rerum omnium finem, quæ ratio ad omnes extenditur motus in ordine ad Deum; neque negat, eum esse efficientem: At loquitur præcisè de motu primi Cœli, quem ad Immobilem reducit, vt finem optimum; hoc verò ait absolutè, efficienter scilicet cæteros orbes mouere: Ita distinguit causalitatem Dei respectu primi Cœli, à causalitate huius respectu interiorum.

Affert verò Ruuius alia loca, ad ostendendum, Aristotelem id asseruisse; & primò quidem, 8. *Phys. cap. vlt.* ait: *Deum in parte supremi Globi, quæ velociùs agitatur, residère: quia, scilicet, eiusmodi motus ab eo efficitur.* Præterea primus motor est omnis mutationis expers, quod soli Deo conuenit. Insuper 8. *Phys.* ex motu primi Orbis, primum, sempiternumque motorem intulit; & 12. *Metaphys. cap. 4. text. 44.* inter Intelligentias, mouentes Cœlum, Deum recensuit. Hæc vrget etiam Collegium. 430

At verò his locis rectè respondet S. Bonau. ad primum, iuxta principia Aristotelis, hæc non rectè asseri: nam Aristoteles ponit, virtutem motoris adeò proportionari mobili; vt, si modicum quid adderetur mobili, lassanda esset virtus motoris: Sic docet primò, *lib. de Cœlo, & Mundo*; sed ponit, quod Deus moueat primum causatum metaphoricè, per modum finis: In his verò locis citatis, efficientiam motus primi mobilis Deo adscribit, vt primario influenti; cui ideò appropriatur magis motus primi mobilis, quod est primum, quàm inferiorum: Et sanè in primo loco, adducto à Ruuio, nil aliud præexigit; atque ideò in supremo Orbe Deum collocat, tanquam diffundentem omnibus Angelis motoribus, præcipuè primo, influentias: At 8. *Phys.* verè primum Motorem omnis mutationis expertem facit; at verò hunc non facit primum Motorem primi mobilis, sed primum Motorem, omnibus dantem virtutem; alioqui debuisset dicere, Deum dare virtutem primæ Sphæræ; & primam secundæ: Neque deducit primum Motorem, ascendendo à Cœlo ad Cœlum supremum, vt Ruuius supponit; neque hoc est necessarium, ad primum Motorem indagandum; sed arguit sic: Omne, quod mouetur, ab alio mouetur: Ergo aut abeundum in infinitum, aut deueniendum ad primum Motorem, dantem omnibus virtutem, qui sanè immobilis sit: Neque est necesse, Motorem primi mobilis esse immobilem, & omnium primum; sed sufficit, esse primum respectu inferiorum, & immobilem eo motu, quo mouet; non enim oportet, esse statum in motore primi mobilis simpliciter; sed in genere creaturarum; omnes autem creaturæ defectiuæ sunt, & reducuntur ad ipsum Deum, qui est principium, & finis omnium, extra quem non est perfecta quies: Ita D. Bonau. *ad 3.* Tandem 12. *Metaph.* non ponit Deum 431

cum aliis Intelligentiis, in serie mouentium; sed ponit Deum Mouentium Intelligentiarum, è quibus primam, primi Cœli motricem dicit.

432 Assero primò, Deum posse mouere, se solo, primum mobile.

Probatvr à Diuo Bonauentura *ad 1. & in corpore*: Quia Deus est summa causa, dans omnibus causis virtutem ad operandum; vt habet D. Augustinus *3. de Trinitate, cap.4. & 17.* At, quidquid potest creatura efficere à se sola, habet à Deo, qui multò magis potest idem præstare efficienter: Idem argumentum habet Sanctus Bonauentura *in 2. dist.1. part.1. art.1. quæst. 1. ad argumenta*: Vbi etiam soluit rationem Tostati, qui ex imperfectione motus arguebat, non posse esse à Deo perfectissimo agente; Respondet enim, Agens per naturam, ab imperfectione operis accipere imperfectionem; quia communicat naturam, & producit simile; at verò agens per intellectum, & voluntatem, cùm agat per Ideas, agit omne id, quod secundùm cuiusque generis conditionem sibi in mente præstituit, & format: Itaque ea, quæ sunt genere imperfecta, non arguunt imperfectionem; sed prouidentiam, & dispositionem; vt, si Artifex producit statuam; non ideò ipse est statua: Quod, si ex imperfectione rerum timeremus ineutere notam Deo, in producendo, iam omnis creaturæ productio erit Deo neganda: Eodem argumento vtitur Ruuius, *loc. cit.* qui refert D. Thom. *part. 1. quæst. 105. art. 2.* vbi opinionem illam erroneam censet, quam postea Tostatus secutus est.

433 Assero secundò, primum mobile à solo Deo non moueri.

Probatvr à Diuo Bonauentura primò ex ordine Diuinæ Prouidentiæ, quo ima à mediis, media à summis decreuit gubernari: Sic corpora sublunaria à cœlestibus, & Cœli ab Angelis dirigi debent: Cùm igitur commodè possit Deus primum mobile per Angelum euoluere, non est, cur Deum ad hoc opus alligemus: Hæc ratio est Sanctorum Patrum Dionysij; Augustini, Gregorij, & aliorum; vt dixi *quæstione præcedenti* ad secundam assertionem: Hac ratione vtuntur Ruuius, *quæst.9. cit.* & alij.

434 Probatvr secundò à Diuo Bonauentura: Virtus motoris debet proportionari mobili; sed virtus Cœli finita est; virtus autem Dei infinita: Ergo, vt seruetur in mundo proportio debita, videtur, quòd inter Deum mouentem, & Cœlum motum, sit ponere aliquam virtutem creatam, & finitam: Hoc argumentum est Aristotelis *2. Cœli, text. 37. & 7. Phys. text. 35.*

Probatvr tertiò à Diuo Bonauentura: Philosophus dicit, *8. Physi. text. 38.* & *in 12. Metaph. text. 31. & 42.* & *6. Physic. a text. 22. vsque ad 50.* Quod si tanta virtus mouet in tanto tempore, & maior virtus in minori tempore, & maxima in minimo, & infinita mouebit in indiuisibili, & instanti; sed Deus, per te infinitæ virtutis, mouet se solo primum mobile: Ergo in instanti: Ergo gyrat ab Oriente per Occidentem, ad Orientem, motu diurno in instanti, quod est falsum: Hæc ostendunt, Aristotelem non opinari id, quod ait Ruuius: Hoc argumento aliqui negab[illegible], posse Cœlum moueri à Deo solo: At D. B[illegible]uentura subdit, non cogere; quia, cùm Deus [illegible] agens liberum, non cogi[illegible]ur mouere cœlum in instanti; non enim mouet necessitate naturali: Subsumit verò Sanctus Bonauentura: Si ergo iste actus, nempè mouendi successiuè, est virtutis finitæ, erit actus conueniens creaturæ.

Probatvr quartò à Diuo Bonauentura: Ea, 435 quæ sunt à solo Deo, procedunt secundùm cursum mirabilem; vt patet in creatione, iustificatione, ac miraculorum patratione, non secundum cursum naturalem; Sed motus primi mobilis est maximè naturalis: Ergo.

QVÆSTIO XXII.

An singuli Orbes *à singulis Intelligentiis cieantur ad motum.*

Fvit opinio dicentium, vniuersos Orbes ab vna Intelligentia euolui; eos refert Fracastorius *in suis Homocentricis, cap.4. sect.1.* Certa tamen Sententia est, singulos Orbes à singulis Intelligentiis emoueri: Ità Aristoteles *12. Metaph. cap.8. à text.47.* Vbi ex numero Cœlorum colligit numerum Intelligentiarum; sequuntur omnes Theologi, & Philosophi.

Assero cum hac Sententia, singulos Orbes 436 habere suas Intelligentias, à quibus moueantur: Ità D. Bonauentura *serm.5. Hexaëmer.*

Probatvr efficaciter argumento deducto ex Diuo Bonauentura *in 2. dist.2. parte 2. artic. 2. quæst. 2.* præcipuè *argum.2. addit à responsione, & in fundamentis*: quia Angelus debet esse, vbi operatur; Est autem substantiæ finitæ, & virtutis similiter limitatæ: Quare non potest vnus adesse omnibus Orbibus; sed vni tantùm, eique ex vna parte impellendo: Hac ratione vtitur Ruuius, *lib. 2. Cœli, cap. 5. quæst. 9.* & alij.

Dices; Angelus est animâ perfectior; sed anima exercet plura, eaque magis disparata Officia, quàm mouere plures Cœlos: Ergo.

Respondetvr, negando paritatem; nam anima est in corpore continuo, non autem Spiritus: Adde, posse esse, vt vnus Orbis à pluribus Intelligentiis moueatur. Ita D. Bonauentura *in 2. dist.8. part.2. quæst.1. ad 3.*

QVÆSTIO XXIII.

An dentur in Coelis *sex Positiones.*

D.Bon.dist.14. part.1. art.2. quæst.2.
D. Th. 1I. q.66. art.3.

Positiones situs sunt sex, Dextrum, Sini- 377 strum, Antè, Retrò, Sursùm, & Deorsùm: De his est quæstio: Has sanè docet Aristoteles, propriè Animalibus conuenire, *lib. de animal. incessu, cap. 4.* & *2. Cœli, cap. 2.* & Diuus Bonauentura *hîc*: Vbi notat, has positiones à dimensionibus sumi; Sic *Sursum, & Deorsum* à longitudine, id est, à parte superiori, & inferiori longitudinis, putà, à capite ad pedes; *Dextrum, & Sinistrum* à latere, putà, à brachio ad brachium; *Antè* verò, & *Retrò* à profunditate, quæ est à facie ad tergum: Hæc tamen non à dimensionibus adæquatè sumuntur; sed ab eis, in ordine ad motum: Sic *Sursùm, & Deorsùm* ab augmentatione: Atque adeò

adeò & plantis hæ duæ positiones adaptantur; Sumitur autem *Sursum*, vnde accipitur alimentum, & incipit augmentum, & est extremum longitudinis corporis; Videmus enim alimentum primò recipi in ore, & disponi ad nutrimentum; pars verò opposita est *deorsum*: Rursus ea pars, a qua incipit motus localis animalis, dicitur *dextra*, & est extremum latitudinis; hæc autem est principium, vnde cor mouet reliquas partes; opposita verò est *sinistra*: Tandem ea pars, à qua sensitiua alteratio sumit principium, vel certè in qua viget, dicitur *antè*, seu anterior pars; Opposita verò *retrò*.

438 Prima igitur Sententia negat omninò in Cœlis has positiones: Ità Picus Mirand. *lib.* 5. *de examine vanitatis*, *cap.* 9. Scaliger, *exercit.* 67. contra Cardanum, & alij ex modernis, qui irrident, subsannántque oppositam opinionem: Subridet Vasquez, *part.* 1. *disp.* 12. *cap.* 2.

Est igitur secunda sententia, has positiones conuenire Cœlis, vt motis ab Intelligentiis, non per solam denominationem propriè, sicut animalis.

Ita D. Bonauentura *loc. cit.* D. Thomas *in* 2. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 4. Farnesius, *cap.* 13. *lib.* 2. *suarum assert.* Iauellus *ad* 2. *cap.* 2. *de Cœlo*, & alij: Richardus verò, *art.* 2. *quæst.* 5. Colleg. 2. *Cœli*, *cap.* 2. *quæst.* 1. *art.* 2. Ruuius, *quæstione vnica*, *eodem cap. Aristotelis*, volunt conuenire per Analogiam ad motum Animalium.

Assero primò, in Cœlis motis, esse sex positiones dictas.

439 Probatur à Diuo Bonauentura ratione Aristotelis 2. *de Cœlo, & Mundo*, *text.* 19. quâ vtitur Ruuius, *loc. cit.* & alij. Vbi sunt loca determinata inceptionis motus, ibi sunt positiones; sed in Cœlis ea reperiuntur: Ergo & positiones. Probatur minor; quia est determinata pars, vndè incipit motus localis, nempè ab Oriente; vt communiter censetur: Ergo est ibi *Dextrum*; rursus datur in Cœlis pars, quæ recipit virtutem; vt in ea fiat motus; ergo est ibi *Sursum*, & opposita *Deorsum*; rursùs datur pars, recipiens virtutem impulsiuam, continuandi motum: Hæc est *Antè*, & opposita est *Retrò*. Probatur: vbi reperitur posterius, reperitur & prius; sed in Cœlis est dextrum, & sinistrum, quod est posterius aliis sitibus: Ergo, &c. Quod verò hæc ex natura rei sequantur, id est, ex natura motus: Probatur à D. Bonauentura *in corpore*; quia Cœli, naturâ sua, destinati sunt ad influendum; ad hoc autem necessarius est talis motus: Hoc verò rectè demonstratur, pingendo hominem in Sphæra, qui à



dextra Orientem habeat, à sinistra Occidentem; Sursum habeat Polum Antarcticum, à quo incipit motus extrinsecè; & Arcticum deorsum; Antè sit nostrum Hemisphæricum; est enim totum illud spatium, in quo mouetur Cœlum, donec retrogrediatur ad primum terminum; vndè motus incepit, & oppositum erit Hemisphærium Antipodarum: Sic S. Bonauentura *in responsione ad* 3. delineat figuram hanc, quam Modernus quidam frustrà irridet: Vide Amicum, *tract.* 4. *quæst.* 9. *art.* 3. D. Bonauentura obseruat, cum hoc discrimine, has positiones Cœlis, & animalibus conuenire: Animalia enim; quia habent motorem intrinsecè vnitum, ità cientur; vt, quæ est pars dextra, semper sit dextra; & sic de aliis: At Cœli; quia ab extrinseco motore aguntur ex parte quidem determinata, quæ non mutatur, qualis est Oriens; ideò pars illa, quæ ab Oriente nunc impellitur, & est dextra; mox fit sinistra; dum alia pars succedit impellenda. 440

Secundò obseruat, in Cœlo Empyreo has positiones non inueniri: quia immobile omninò est. Duo argumenta prima D. Bonauenturæ ex dictis facilia sunt. 441

Obiicies primò: Dextrum, & sinistrum supponunt sursum, & deorsum, sicut latitudo supponit longitudinem; in Cœlo autem non est sursum, & deorsum; cùm hæc sint contraria, neque *antè*, quia *ante* dicitur ab eo, quod in parte anteriori vigeant sensus.

Respondet S. Bonauentura primò, dextrum, & sinistrum supponere sursum, & deorsum in ratione terminorum dimensionis, non in ratione termini transmutationis.

Respondet secundò, magis ex sensu etiam Aristotelis omnes positiones etiam sursum dari, non in ordine ad diuersos motus; sed quia in eodem motu considerantur vltima trium dimensionum: Ad hoc enim, vt Cœlum reuoluatur, debent poni duo Poli, alter sursum, alter deorsum: Similiter duo Hemisphæria, quorum alterum, id est nostrum, habeat rationem *antè*: alterum *retrò*: Similiter in eodem Hemisphærio debet poni pars, ex qua motus primò appareat; Et hoc ad sensum patebit, iuxta figuram superiorem. 442

Obiicies secundò: Quod habet principium, & finem sui motus extrà, non habet dextrum, &c. Sed Cœlum est tale: Ergo.

Respondet D. Bonauentura, tale non habere dextrum, &c. provt dicunt partes determinatas; sed benè, vt dicunt motus influentiam, ex determinato situ; quod patet, cùm aqua mouet rotam: Nam primò impellit eam partem, quam primò tangit; ex quo fit; vt in illo primo casu pars dextra sit semper dextra: non autem in hoc secundo; & per hoc soluit vltimum argumentum: Similiter, licèt, mota vna parte, moueantur reliquæ sequentes; tamen datur dextrum in hoc sensu secundo; quia habet primò ex illo situ influentiam; & per hoc Sanctus Bonauentura soluit quintum argumentum. 443

QVÆSTIO XXIV.

An motus Coelorvm *sit necessarius, ad influendum.*

Prima opinio est, motum esse ità necessarium Cœlis ad influendum, vt, Cœlis quiescentibus, nullus sequeretur influxus. Ità D. Thom. 2. 444

contra Genes. cap. 20. & *lib.* 3. *cap.* 81. *quaest.* 115. *art.* 3. Ferrar. *ibi.* Aureol. *in* 4. *dist.* 47. *quaest.* 1. *art.* 1. Capr. *in* 2. *dist.* 14. *quaest.* 1. Bannez 2. *de Gener. cap.* 10. *quaest.* 1. Ægid. *in* 2. *dist.* 2. *quaest.* 2. *art.* 2. Perer. *in Physs. lib.* 8. *cap.* 6.

SECVNDA sententia est, motum non esse absolutè necessarium, ad influendum, siuè vt virtutem, siuè vt conditionem, sine qua nullus foret influxus; sed necessarium tantùm, vt conditionem approximantem virtutes cœlorum ad varias mundi partes, ad ordinatè agendum in hæc inferiora. Ita D. Bonauentura *in* 2. *dist.* 2. *part.* 1. *art.* 1. *quaest.* 2. Richard. *in* 2. *dist.* 14. *art.* 2. *quaest.* 6. Scotus ibi, *quaest. vlt.* Suarez, *disp.* 22. *Metaph. sect.* 5. Ruuius, *lib.* 2. *cœli, cap.* 3. *quaest.* 4. Hurtad. *quaest.* 4. *disp.* 2. *ad* 3. *difficul.* Colleg. *cap.* 3. *quaest.* 3. Farnel. *lib.* 2. *cap.* 5. Murcia, *dist.* 3. *quaest.* 2. Dur. 2. *dist.* 1. *quaest.* 3. Soncin. 12. *Metaph. quaest.* 13. Valef. *de sacr. Philosoph. cap.* 31. & *lib.* 4. *controu. cap.* 3. Tolet. 2. *de Gener. quaest.* 11. vbi Aresius, *conclus.* 1. & alij, quibus subscribit Amicus, *Tract.* 6. *quaest.* 6. *dub.* 1. Galitius infrà citandus. Fuliensis *lib.* 2. *Phys. cap.* 2. *art.* 7. Eustach. *part.* 2. *Phys. Tract.* 1. *de cœlo, disp.* 2. *quaest.* 5. Poncius *disp.* 22. *quaest.* 9. alios adducentes.

445 ASSERO primò, necessarium esse cœlis motum; vt applicent, approximando mundi partibus, virtutes luminarium.

PROBATVR à D. Bonauentura *in* 2. *dist.* 2. *p.* 2. *art.* 1. *addita solutione.* Mouens, & motum debent esse simul virtute, vel per diaphanum diffusa, vt lumine; vel per opacum, qualis est virtus, quæ diffunditur ad sinus terræ profundos, ad mineralia producenda: at approximatio fit per motum localem, *verbi gratia*, Solis ad Peruanas plagas; vt producat aurum, & Vere, ad nostras partes; vt terra floreat, quæ, eo recedente, denudata erat.

ASSERO secundò, motum non esse necessarium simpliciter, vt influant cœli.

446 PROBATVR à D. Bonauentura *loco proximè adducto*, primò, Virtus operatiua, emanans à substantia, vel est ei consubstantialis; vel, si accidentalis, est permanens, qualitas cum substantia, etiam in quiete: atque adeò per motum non datur illi; nam terminus motus localis ibi est, vbi non est qualitas. Itaque potest & in quiete exire in actum secundum operationis; sicuti euenit in cœlo Empyreo stante, quod adhuc influit in hæc inferiora; vt ostensum est, *Tract.* 6. *quaest.* 3. *disputationis*, 1.

PROBATVR secundò à D. Bonauentura, *loco primò adducto in corpore*, ex D. August. 11. *conf. cap.* 32. qui ait: *Stantibus cœlis, adhuc rotam figuli mouendam, quis negabit?* Ergo non est adeò necessarius motus, etiam vt conditio tantùm, ad omnes influxus cœlestium corporum.

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura, quia, Iosue 10. *Stetit Sol*, & cum eo omnes cœli; vt probat Tostat. ibi; (alioquin omnes cœlorum combinationes fuissent confusæ), & stantibus cœlis, commissum est prælium, ac plurima sunt patrata, tum in Valle Gabaon, tum alibi.

447 ASSERO tertiò, aliquas cessaturas tandem generationes, cessante motu. Vide Patrem Galitium, *lib.* 2. *Tract.* 4. *quaest.* 6.

PROBATVR, quia Sol cum homine generat hominem, & cursu excentro per Zodiacum tempora adducit; vnde virescat terra, animalia accendantur; eoque recedente, omnia Vigent. Ita D. Bonauentura, *lib.* 2. *Comp. Theolog. cap.* 4.

QVÆSTIO XXV.

An instrumenta deferentia cœlestes influxus sint solùm LVMEN, *&* MOTVS.

EX his, qui, præter lumen, & motum, admittunt particulares in astris, atque orbibus virtutes, ad influendum, plurimi adhuc sustinent, eas virtutes, his Solis duobus instrumentis, ad nos deferri. videtur Scoti, apud Fabrum, *Theor.* 99. Sequitur ipse, cum Pico Mirand. *lib.* 3. *contra Astrol. cap.* 4. *& seq.* Alios vide in Amico, *Tract.* 6. *quaest.* 4. *dub.* 1. & *quaest.* 8. *disp.* 4. Piccol. *lib. de cœlo, cap.* 40. & aliis. Eam verò quæstionem habes 14.

Eadem sententia est D. Bonauenturæ *in* 2. *dist.* 2. 448 *part.* 2. *art.* 1. *quaest.* 2. *ad* 1. & *dist.* 13. *quaest. vlt.*

ASSERO cum hac sententia, virtutes seu influxus cœlorum solo lumine, & motu ad nos deferri.

PROBATVR à D. Bonauentura: Agens, & passum Physicè debent esse simul proportionato contactu, sanè Physico; sed cœli non contingunt inferiora hæc, nisi per lumen ergo. Maior probatur contra Scotum, *primo, dist.* 37. & Fabrum, *disp.* 52. *ex Aristotele* 7. *Phys. text.* 10. *&* 11. *& primo de Gener. text.* 43. *&* 48. Et alibi. Ratio est: Causa omnis creata, cùm sit finita, habet Sphæram determinatam suæ actiuitatis; vt omnes confitentur; quòd si agens hoc pacto non arctatur, non erit ratio assignandæ Sphæræ actiuitatis: atque adeò cur ad infinitam distantiam non extendatur. Quare Mastrius *in* 1. *disp.* 2. *quaest.* 5. *num.* 238. fatetur, semper esse aliquam simultatem passi cùm agente, & contactum intrà Spheram actiuitatis. Quòd verò addit non requiri, vt extendatur, per totam Spheram actiuitatis sed sufficere, quòd sit in agente, intra Sphæram actiuitatis, inuoluit paradoxum; Cur enim assignatur Sphæra actiuitatis; nisi vt virtus eò perueniat, delata per contactum, actioni proportionatum. Quòd si sat est, quod sit in agente; nulla distantia impediet actionem, & nulla determinata Sphæra erit assignabilis, virtutem deferens; vt latiùs probatum est *Tract.* 1. *disp.* 7. *quaest.* 2. *&* *tract.* 4. *disp.* 11. *quaest.* 6. Addit verò ex alio etiam 449 capite, inter creata agentia requiri indistantiam, inter agentia, & patientia, ex ordine vniuersi; vt ait Aristoteles. 1. *Meteor.* Sed hæc non est tota ratio assignata ab Aristotele; vt putat Faber; sed solùm assignatur, in ordine ad partes vniuersi, è quibus inferiores accipiunt, per superiores, suos influxus, vt notat D. Bonauentura *loco adducto.*

PROBATVR secundò, & facilè explicatur, 450 sustinendo, lumina cœlestia esse diuersa specie: atque adeò coniuncta virtutibus variis. Et quidem varietas hæc videtur admitti à D. Bonauentura, *hîc*, & adducitur ab Amico, *Tract.* 6. *quaest.* 5. *dub.* 2. cum Richar. *dist.* 13. *art.* 2. *&* 3. *arg. quaest.* 1. *art.* 3. Alens. *part.* 2. *quaest.* 46. *art.* 4. D. Thom. *p.* 1. *quaest.* 67. *art.* 2. *&* 3. Ægid. 2. *part. Hexaëmer. cap.* 6. 8. *&* 9. & 2. *de anima*, *com.* 76. *dist.* 1. de hoc tractantibus, *dist.* 13. apud Diuum Bonauenturam.

VIDEO, S. Doctorem, *dist.* 13. *quaest. vlt. ad* 1. concedere saltem aliqua lumina eiusdem speciei, quæ, proinde ait, in eodem aëre esse posse: quia suam

suam distinctionem numericam accipiunt à subiectis, idest, corporibus luminosis: at in aëre sunt, vt in deferente.

Videtvr autem distincta asserere *quæst.* 1. *art.* 2. vbi ait, Lucem in Sole esse in omnimoda actualitate, & cum eam asserat, *quæst.* 2. formam esse substantialem; atque adeò non suscipere magis, & minùs, concedet, esse formam substantialiter diuersam. Clariùs, *quæst.cit.*2. vbi *in corpore* asserit, Lucem esse formam substantialem: quia, secundùm maiorem Lucis participationem, corpora sunt entia in genere perfectiora. Et id clariùs arguit *fund.vlt.* Quod varias species inæquales constituit substantialiter, est substantia: forma Lucis constituit varias species essentialiter, diuersas substantiales, prout magis, vel minus habent de Luce: Ergo. Et *in responsione ad* 5. tandem respondet, Lucem ignis, à Luce cœlestium differre specie. Mox Luces has distinctas asserit; vt vidimus, *quæst.* 11. & 14. vbi Luminaria ponit habere modicum Lucis, sed à Sole, in quo est perfectissima, magna ex parte illuminari; mox ea esse specie distincta; cùm hìc asserat, Lucem, in eis esse formam vltimam; & rursus inæquales esse eorum essentias.

451 Probatvr autem primò diuersitas specifica lucis, ignis & cœlorum; à D. Bonauentura *ad* 5., nam in Sole est vltima, redditque Solem, super elementa præstantissimum; ergo si & Lux ignis est eiusdem speciei, & vltima erit eiusdem speciei cum sole; & si non vltima; sequitur, Ignem habere vltimam formam, nobiliorem forma Lucis: nam formæ vltimæ sunt, quæ dant vltimum complementum: atque adeò Ignis erit nobilior Sole. Hæc ratio discussa est *disp.* 2. *quæst.* 5.

Probatvr verò diuersitas specifica, inter cœlestes Luces, à D. Bonauentura *allatis locis*. Quia Astra distinguuntur specie; vt ostendi, *quæst.* 14. sed distinguuntur per formam nobilissimam: hæc autem est lux, ex D. Dion. *cap.* 4. *de Diu.nom.* & D. Aug. *lib.* 3. *de lib.arbitr.cap.* 5. & ostendit D. Bonauentura. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. ergo.

452 Probatvr secundò à D. Bonau. relato à me, *quæst.* 11. ex accidentibus propriis, diuersis in Astris, luce clariùs existentibus, &; ex effectibus variis, quos Planetæ, & Astra singula producunt, quibus pleni sunt libri, plenæ sunt linguæ, plenæ sunt aures sapientum.

453 Probatvr tertiò à D. Bonauentura, *dist.* 13. *quæst.* 1. *in corpore*, ex Philosophis, & Patribus, maximè suprà allatis. Ea, quæ in sui maiori participatione faciunt in substantiis essentiales differentias, sunt diuersa substantialiter; sed natura Lucis est huiusmodi constituens; ergo.

454 Mvlta afferunt, multaque opponunt plurimi, censentes, omnes Luces esse eiusdem rationis, è quibus Amicus, *Tract.* 6. *quæst.* 5. *dub.* 3. vbi effectus varios ex intensione lucis ait oriri.

Contra: nam intensio causæ potest producere effectum intensiorem accidentaliter; si substantiam causæ maior perfectio adiunet; alioqui erit effectus perfectior, quàm causa. Deinde intensio causæ accidentalis producet intensiores effectus, sed non oppositos substantialiter; at stellæ producunt animata, & inanimata, & accidentia contraria.

Rvrsvs accidentia varia Astrorum refert in varietatem subiectorum. Sanè cùm sint corpora simplicia, ex vnica forma prodeunt.

Hinc etiam habeo nouum argumentum. Nam Astra sunt corpora simplicia vnius formæ; quo pacto igitur ab vna forma lucis emanant tot opposita accidentia in Marte, Saturno, &c. Vel, si formam lucis voces accidens, cùm asserueris nobiscum, *quæst.* 14. Luminaria esse specie diuersa; quo pacto idem specie accidens Lucis à formis singulis adeò diuersis manat? sanè, lumen consequi naturam simplicem, fatetur Amicus, *num.* 26.

Opponit, quòd Lumen Solis intendit lumen ignis, ergo sunt eiusdem speciei. Confirmatur; nam & calor ab igne, & à Sole proueniens eiusdem est speciei.

Respondetvr, negando, se inuicem intendere; sed Lumen Solis opprimit potiùs Lumen ignis: calor verò ignis est formalis: at Sol non est formaliter calidus, sed solùm virtualiter, & efficienter: vnde calor productus est elementalis; cùm è potentia subiecti elementaris educatur: possunt verò accidentia communia è variis specie educi subiectis; Ita albedo è niue, lacte, Olore, marmore, calce, charta, tela, serico, educitur. 455

Svpposito autem, quòd cœli, & Astra sint corpora simplicia, vnam formam substantialem habentia Lucis, quam esse substantialem, ostensum est, *q.* 5. sequitur esse Luces diuersas, constituentes astra, specie diuersa, qualia confitetur Amicus, relatus *q.* 14. vbi hoc ostendi. Argumentum etiam opponunt è mineralibus, quod soluam, *quæst.* 26.

QVÆSTIO XXVI.

An ex motu, maximè cœli, producatur calor, & quomodo.

QVæstio antè acta hanc videtur excitare: geminas autem continet opiniones. 456

Qvarvm Prima est, motum localem, ex se, esse indifferentem, ad calorem, vel frigus producendum; sed determinari à corporibus, in quibus existit: eam refert Amicus *Tract.* 6. *quæst.* 6. *dub.* 2.

Secvnda opinio est, ex motu produci calorem, positis quibusdam conditionibus: varij autem sunt, in hisce conditionibus assignandis.

Aliqvi dicunt, excitari calorem, compressione aëris facta à corporibus motis.

Alii, per accidens, motum esse calefactiuum autumant. Ita Durand. 2. *cœli, dist.* 5. *quæst.* 3.

Nonnvlli asserunt, eum causari, quatenus est ratio dissoluendi partes. Ita Albert. 2. *cœli, tract.* 3. *cap.* 1. & 1. *Meteor.tract.* 1. *cap.* 11. Timon, siuè saxonia, 1. *Meteor.quæst.* 7. Zimara, *Theor.* 45. Thomas de Garb. *lib.* 2. *summæ, Tract.* 2. *quæst.* 6. Conimbr. 2. *cœli, cap.* 7. *quæst.* 6. *art.* 2. Sonc. 12. *Metaph.quæst.* 12. Vega, *lib.* 2. *de differ.sub.* D. Thom. 2. *cœli text.* 42. & 1. *Meteor.cap.* 3. Alios modos recenset Amicus., *disp.* 3.

Motvm cœli quidem per se causare calorem asserit D. Bonauentura 2. *dist.* 2. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *arg.* 1. *ad opp.* cum Aristotele 1. *Meteor. cap.* 4

Assero primò, motu causari per se calorem, ratione agitationis. 457

Probatvr: nam videmus lignum, ferrum, &c. mota, vt animalia, calefieri.

Assero secundò, velocitate calorem concitari dispositiuè in corpore solido, per attritionem, seù rarefactionem: requiri tamen causam effectiuam.

Probatvr. Sic enim experimentis fieri videmus.

demus. Vide Amicum. Fit etiam calor ex condensatione partium, vt in fulgure. Vide D. Bonauenturam *in 2. dist. 14. part. 2. art. 2. quaest. 2. ad 4.* Id in cœlis experimur, maximè ex motu Solis, & aliorum cœlorum, quibus agitantur Sphaeræ ignis, & aëris. Vide Zabarellam, *cap. 7.* Amicum, & alios.

458 ORITVR verò quæstio; an frigus etiam, & aliæ qualitates elementorum per se producantur à cœlis.

PRIMA opinio est negantium, ea per se produci à cœlis. Ita Achillin. 4. *de orbibus, disp. vlt.* Iand. & communiter Auerroistæ, Zimara *Theor.* 45. Mirand. *lib. 13. de euers. sign. cert. sect. 2.*

SECVNDA sententia est, secundas qualitates, per se, à cœlis produci. Ita Alb. 2. *dist. 15. quaest. 1. & 2. cœli, tract. 3. cap. 5.* & *part. 1. de 4. Coaeuis. quaest. 4.* D. Thomas 2. *cœli, 42.* Nyphus. *quaest. 5. & seq. de Gener. 20.* Venetus *summa de cœlo, quaest. 29.* Tartaret. 2. *cœli, text. 96. quaest. 2. art. 3.* Maior, 2. *dist. 14. art. 3. quaest. 5. ad 5.* Ferrat. 2. *contra Gent. cap. 84.* Pompon. *de immortalitate animæ,* Martinez, 2. *cœli, text. 42.* Saxon. *quaest. 12.* Conimbr. *cap. 3. quaest. 4.* Murcia, *disp. 2. quaest. 1.* Ruuius, *quaest. 2.* Abul. 3. *Reg. cap. 17. quaest. 9.* & hanc omnes tenent, qui fatentur influentias, vt Astrologi omnes, cùm Ptolemæo *in Quadrip.* Albumazar *in introductorio,* quibus subscribit Amicus, *tract. 6. quaest. 8. dub. 4.* allegans Doctorem Seraphicum, 2. *dist. 14. quaest. penult.* vbi id præclarè ostendit.

459 ASSERO cùm hac sententia, qualitates elementares, seu secundas, per se à cœlis produci.

PROBATVR à D. Bonauentura, primò ex D. August. *lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 6.* vbi è diuersitate temporum discurrit, è quibus alia sæpè frigida, Sole vicino; alia calida, Sole in Austrum exule, experimur; & cum aër sit calidus ex se. Ergò frigescit à cœlis, &c.

PROBATVR secundò à D. Bonauentura *hic,* & *lib. 2. comp. Theol. verit. cap. 7.* ex Ptolemæo, & aliis Astronomis; dominante enim Saturno, annus est frigidus, & siccus; Marte, calidus, &c. Luna, humidus.

460 PROBATVR tertiò à S. Doctore; quia cœlis, & Astris datæ sunt virtutes diuersæ sufficientes, tanquam causis vniuersalibus rerum sublunarium: vnde producere debent ea, quæ maximè constituunt Vniuersi res; ergo elementa, mixta, &c. Hic est enim ordo vniuersi; vt superiora regant, & moderentur, inferiora. Confirmatur à S. Doctore *in corpore:* quia, sicut in motu locali venitur ad primum, ita in alterationibus, secundùm omnes qualitates, veniendum est ad vnum alterans inalterabile, & ingenerabile, idest, cœlum. Confirmatur: alioqui productio aliarum qualitatum esset per accidens, ad Vniuersi conseruationem.

461 HAS qualitates lumine produci, aiunt Albert. D. Thomas, Nyph. Venet. *loco citato,* Piccus *lib. 3. cont. Astrol. cap. 5. & 6.* Georgius Agricola, *lib. 4. & 5. de causis subterraneorum;* Medina, *lib. 2. sua Paranes. cap. 5.* & probant, quia dormienti ad Lumen Lunæ, membra infrigidantur, & paralysim, vt ait S. Doctor, contrahunt. Quo fit, vt variæ sint species Lucis; alioqui semper calorem produceret: quia *idem, manens idem, semper facit idem.*

DICES primò: Luna est calefactiua, ideò noctes in Plenilunio sunt calidiores. Dico, calefieri à Lumine valido Solis, è Luna reuerberato; alioqui hyemem perpetuam faceret, vt aiunt Sapientes apud D. Bonauenturam *serm. 4. de vno Martyre.*

DICES secundò: Multis in venis gignuntur mineralia, & alia frigida, quò lumen non ferit.

RESPONDET D. Bonauent. *in 2. d. 14. part. 2. art. 1. quaest. 2. ad arg.* Lumen diffundi, non quoad illuminationem, sed quoad alios effectus in visceribus terræ, ad mineralia producenda.

QVÆSTIO XXVII.

An Cœlum possit producere animata, & quæ.

PRIMA opinio est, omnia animata, etiam perfecta, quæ ordinariè semine fiunt, produci posse à cœlis. Eos referunt Iustinus Mart. *in Paranesi,* Euseb. 7. *de præpar. cap. 7.* Philo *de mundi incorrupt.* Diod. *lib. 1. & 2.,* Plato *in Menedemo.* tribuitur Auicennæ, 15. *de anima,* Alberto. 8. *Phys. text. 2. cap. 10.* 462

SECVNDA opinio est, animalia imperfecta aliqua produci à cœlis, non perfecta. Ita Alens. 7. *Metaph. text. 23.* vbi Iand. *quaest. 14.* Flandria, & Sonc. *ibi,* Auerro. 12. *Metaph. 13. & 18.* D. Thom. *quaest. 6. de poten. art. 4.* & *part. 1. quaest. 45. art. 8. ad 9.* & *quaest. 70. art. 3. ad 3.* & *quaest. 91. art. 2. ad 2.* D. Bonauentura *in 2. dist. 8. art. 2. quaest. 1.* Capreol. *dist. 9. quaest. vn.* Durand. *dist. 15. part. 2. quaest. 1.* Ferrar. 1. *contr. Gentes cap. 20.* Gabr. *in Can. lect. 41.* Marsil. 1. *quaest. 1. art. 2.*

TERTIA opinio est, disponi quidem materiam à cœlis, formam verò à Deo supplente produci. Ita Scotus, 2. *dist. 2. quaest. 1.* Anton. Andr. & alij Scotistæ. Vide Fabrum, *Theor.* 71. vbi multa curiosa obuiant. 463

ASSERO primò, cœlos non posse generare animalia perfecta.

PROBATVR à D. Bonauentura *in corpore;* quia hæc requirunt è diuina institutione naturæ semen, & hoc recipi in matrice fœminæ, atque organizari multo tempore; atque adeò virtutem seminalem proximam, ad animas istas educendas indidit materiæ organicæ; vt perpetuo experimento visum est: nec vnquam visi sunt Leo, Bos, Canis, Ælurus, &c. aliter in lucem edi; at, si talis virtus putredini esset data, debuisset operari, ne otiosa esset. Hac ratione vtuntur Conimbr. *cap. 3. quaest. 2.* Amicus, *art. 3.* Angest. *lib. 1. de caus. propriet. 15. disp. 3.* 464

ASSERO secundò, Animalia è putri materia produci à Cœlis.

PROBATVR à S. Doctore, experientiâ; videmus enim guttis quibusdam magnis, pòst æstum cadentibus in puluere calido, illicò ranas ebullire, maximè verò Solè quædam signa percurrente. 465

DICERE autem cum Auicenna, produci à Calcodea, risu dignum est.

RESPONDENT authores tertiæ sententiæ, produci à Deo, supplente defectu naturæ.

HOC redarguit S. Doctor, quia Deus naturam ad generationes perfectam condidit: alioqui in eius institutione defecisset. Maximè verò, si valet eorum ratio, quòd cœli, cùm sint imperfectiores omnibus viuentibus, nequeunt esse causæ eorum, ne quid in effectu sit, quod in causa non est. Sanè hoc pacto, neque posset Sol producere aliqua vegetabilia; sic nec terra, cùm sit longè cœlo vilior; cùm tamen sint maxima pars rerum generabilium.

Ita

Ita Deus grauiter defecisset in naturæ institutione, obligans se miraculis, ad vermes, & vrticas educendas: Sanè verò non defuit, dans terræ virtutem seminalem vegetabilium, Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem, &c.* vt notat S. Doctor *loco citato.* Sic igitur & aliquorum vilium animalium dedit terræ, & aquæ virtutem seminalem, in quam, veluti matricem, Sol genitor, operans, educeret formas: Id autem præstitisse, constat experimento, & conuenienter: quia enim generatio est ad speciem conseruandam, hæc autem animalia citò intereunt, dedit causis æquiuocis virtutem. Neque verò est necesse, singulas causas præcellere effectibus. Videmus enim è materia vili educi formas perfectas; vt notat Gabriel, cum D. Bonauentura. Tanquam igitur Seminarium formarum omnium materialium Deus creauit Materiam, quæ, disposita ab agente, illas pareret; sic enim & semen vile producit animal. Satis igitur est, cœlum esse nobilius omnibus simul dispositionibus.

INSTANT: Cœli sunt causa æquiuoca; ergo nobiliora sunt Ranis, ac debent continere perfectionem, quam animæ tribuunt; nemo enim dat, quod non habet. Vnde autem habent Ranæ animas? sic vrget Amicus, *num.* 13. cùm Colleg. *cap.* 7. *quæst.* 5. Fonseca, 3. *Met. cap.* 2. *quæst.* 6. *sect.* 2. Sanè (aiunt) causa principalis hæc asseritur.

467 RESPONDEO, ex D. Bonauentura, causam æquiuocam habere virtualiter perfectionem effectuum. Iam verò in materiæ virtute seminali hæc sunt. Sic enim Terra, & Sol sunt causæ principales vegetabilium, esto aliqua habeant etiam seminis instrumentū. His ruunt obiecta. Mihi planè non libet asserere, Solem nobiliorem anima; est enim contra D. August. 11. *de Trinit. cap.* 16. *lib. de vera Relig. cap.* 19. *lib.* 11. *de ciuit. cap.* 16. Loquitur autem vniuersaliter; nam *lib. de animabus, cap.* 4. Muscam, ait, Sole præferendam; subscribunt D. Thom. 1. 1. *quæst.* 3. *art.* 1 *ad* 2. vbi Thomistæ, Richar. *dist.* 14. q. 4. vbi Argent. Bassolis, *quæst.* 2. Ocham, *quæst.* 23. Colleg. & Run. *cap.* 1. *quæst.* 2.


NEQVE admitto Thomistarum effugium, intelligentiæ generationem illam adscribentium; 468
Angeli enim nequeunt formas substantiales producere; vt ostendi, *Tract. de Ang. disp.* 11. *quæst.* 1. cum D. Bonauentura *dist.* 7. *quæst.* 2. imò cum D. Aug. 12. *de ciuit. cap.* 23. & 3. *de Trinit. cap.* 3.

NEQVE dico, cœlum, veluti semen Dei, esse productiuum viuentium, cum Durando. *loc. cit.* Colleg. 2. *cœli, cap.* 3. *quæst.* 6. *art.* 2. quod responsum probabilissimum, inter omnia, clamat Amicus, *num.* 15. sed modo dicto; Improbabile certè est, quod ipse concludit, *num.* 21. hæc animalia produci à solo Deo, vt authore naturæ, eleuante accidentia cœlestia; vt attingant animarum productionem. omitto eius discursum, nil probantem, iam supra attritum.

DICIT verò, Deum non supplere miraculis, sed vt naturæ Authorem. Nunquid naturam, quam ad perfectiora, ac cætera aptatam, efficacem condidit, omninò reliquit inefficacem, ad putrida gignenda? Absit, (ait S. Doctor) Fateor, hunc modum dicendi æquè mihi displicere, ac alios, quos iam satis superque confutaui.



TRACTATVS



TRACTATVS VII.

DE ELEMENTIS

PROOEMIVM.

ORBEM Elementarem, omnium oculis, haud quidem tubi optici obtutu spectabilem Condiderat Deus, vt in eo quisque, tanquam in publico Gymnasio, diuinæ cognitionis Rudimenta ediscens, Dei Attributa in Elementis, velut vsquequaque sparsa, & quodammodo depicta attonitus stupêret; Ea sanè tanquam supremæ potentiæ magnificum apparatum, supernæque sapientiæ arduum licet suspicere oraculum; His etenim Deus ad nobiliores vtitur effectus; Terram quidem ad hominem formandum, ad reformandum verò Aquam designaûit; nec Aërem, Ignemuè Diuini Spiritus Symbolum esse dedignatur; His quoque propensissimam ad mundi compages seruandas adeò vim indidit, vt quæ deorsum destinantur, sursum citò citius, & vice versâ, volitent, nè vel in puncto vacuum admittant. Ideo etsi sibi summè contraria, amicitia tamen admissa, & omni contrarietate conciliatâ in vnum coëunt; nec minus sua vnitate, quàm vnionis modo, sui Creatoris vestigia exprimunt; Quid enim Materiâ primâ ingenerabili, à qua prodeunt, nisi Primum, Ingenitumque Principium? quid generatâ formâ, nisi genitam Diuini Patris Figuram? quid denique vtriusque vnione, præter supernum spiritum, charitatis vinculum, quantum queunt, mystica loquela demonstrant.

VERVM vt de vnoquoque loquar; Terra, crassum licèt Elemnetum, tanquam tersum tamen summi opificis speculum, quid montium altitudine? quid vallium opacitate? quid denique camporum planitie indicet; Spiritualis homo iudicet, qui inuisibilia Dei ex visibilibus deducit. Aqua, labilis licèt, fixa tamen vestigia sui Conditoris, sub ipsius Maiestatis incessu, tota tremebunda designat, *Psal.20.28. & 76.* Hæc autem à fontibus incipit, fluminibus profluit, in lacubus tandem sistit: Aër etiam tres obtinet stationes; In prima etenim regione lucidis corruscationibus in deciduas stellas, ardentes, scintillantesque abit Cometas: In secunda stillis pluuiarum discriminandis, ac nubium fragori, dum fulmina fremunt, deseruit. In vltima tandem pacatus, leni spirat Zephyro, leuique Susurro Solis compescit ardores. Ignis postremò Cæterorum æmulatus imperium, supremum obtinet

net locum; nec nisi inuitus, huc illucvè à centro diuagatur, nec impunè patitur, aliquando alibi detineri; flammam eiaculatur, è qua splendidior lux resultat; ab vtraque ardoris incendium emanat; quare in pluribus ambit, cœteris præstantiùs Diuinorum Idiomatum indicia, ac omnipotentiæ Diuinæ portenta præ se ferre, sicut & vestigia sequi, *Psal.* 17.20.28.49.67.96.

Horvm Elementorum nos Naturales proprietates exploraturi, ab illis in specie exordiemur, nullam in genere disputationem præmissuri, quæstiones quippe, in ea tractari solitas, aptius alibi tradituri: Ità de Qualitatibus eorum agemus, *Disput.* 3. de quiete in locis suis, *hîc quæst.* 3. de Qualitatum virtute, *Tract.* 8. *quæst.* 1. de efficacia *Tract.* 8. *quæst.* 5. Si quæ aliæ difficultates restant, solutæ iacent, *Tract.* 5. *disp.* 5.



DISPVTATIO PRIMA DE ELEMENTO TERRÆ.

Diceres Terram, vtpotè fæculentiorem, & grauiorem Orbis Elementaris portionem, innato pondere ad imum defluxisse; Sic enim rebus diuersæ speciei, peruiè sibi commixtis, crassiores partes ima petunt; Inter præclara tamen Dei opera huius stabilitio recensetur, Psalm. 118. *Fundasti terram, & permanet*; In eo namque Dei Potentia maximè commendatur, quod infimum, & infirmum Elementum posuerit cæterorum fundamentum; vt notat Seraphicus Doctor *Exposit. in Psalt. Versic.* 10. Nulla porrò Orbis pars plenior potentialitate, quàm terra: Patet etenim Cœlorum influxibus, Solis ardoribus, Agriculturæ laboribus; &c. Quietem tamen, quam nobiliora agentia pro fine expetunt, hæc ab initio obtinet; nisi Copernici erroribus velimus abduci; quos infrà confutabo; Inter cætera etiam Elementa nihilo est vicinior, quamobrem dicitur Iob. 26. *Qui appendit Terram super nihilum:* Quod ideò dici aduertit Sanctus Doctor *loco citato*; quia inter Terram, & nihilum, medium nullum interuenit; nullius enim est resistentiæ, & citissimè destruitur: Verùm vt de hoc Elemento ordine discurram, ab ipsius creatione exordiendum.

QVÆSTIO I.

Quâ die Terra *creata sit.*

D. Bonau. 2. dist. 12. quæst. 2.

1 Commvnis fert opinio, Terram initio creatam fuisse ante omnem diem; cùm dicatur: *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*: Et cùm posteà Lucis creatione dies illuxerit, dum dictum est: *fiat Lux, appellauitque lucem diem.* Eam D. Bonauentura refert, ac sequitur Suarez *lib.* 2. *de Operibus sex dierum, cap.* 6. *à num.* 3. Valentia infrà citandus.

Enim verò D. Augus. *lib.* 1. *de Genesi contra Manichæos, cap.* 5. *&* 12. *& in Genes. cap.* 10. & *lib.* 1. *supra Genes. ad litt. cap.* 15. *& lib.* 4. *cap.* 22. *&* 34. Vult, illam fuisse creatam tertia die, dum dicitur: *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida*: Neque verò ad hoc asserendum, ne-

cessarium est ponere totam seriem creaturarum factam simul;vt putant aliqui:Neque ex illa opinione hæc sequitur, vt videtur asserere D. Thom. *prim.1. quæst.69. art.* 1. Et Gregor.de Val. *disp.5. quæst.3.punct.3.col.95 2.* vt patet in D. Bonauent. *dist.14.part.2.dub.1.litt.* Nam ipse censet, Creaturas conditas fuisse successione sex dierum; & tamen tertia die factam terram. Idem sentiunt alij relati, *tract.5. disp.1. quæst.* 4. & alio loco ibi adducto. Cum D.Bonauent. sunt Philo, *lib. de Opificio mundi*; D. Gregor. Nyssen. *in historia sex dierum*,Tost. *in hunc locum Gen.esi.* At verò Magister, *dist.14. part.2.* Hugo de S.Victore, *lib.1. de Sacrament.part.1. cap.21.* saltem Aquam tertia die factam sustinent: At non est maior ratio de alterutra; nam de vtraque exprimuntur solùm aliquæ proprietates: De aqua,congregatio in vnum: De
2 terra, vt appareret: Concludit verò Tostatus, communem sententiam esse, hac tertia die facta Elementa omnia; licèt mentionem fecerit solius terræ,& aquæ, quæ sunt sensibiliora; At ipse loquebatur populo rudi, cui sufficiebat hæc exprimere; vt intelligeret Deum Creatorem omnium: Ità post Diuum Bonauenturam disserit, & cum eo Glielmus *discurs.* 1.

Ex his colligit Tostat. *loc.cit.*post D.Bonauent. *loco adducto*, Deum omisisse benedicere secundæ diei; quia opus illud non fuit ea die completum: nam,licèt factum sit Firmamentum,vt diuisorium Aquarum Cœlestium, ab Elementaribus; & elementares aquæ simul cum terra factæ sint tertia die, ideò distulit benedictionem ad tertiam diem; neque ad quartam protraxit; licèt ea solùm die creauerit Astra, quæ sunt complementa ornatoria. Idem sentit Rabbi Salomon *hic*, Arriaga, *disputatione 33. infra.*

3 MAGISTER sanè aliam rationem affert, cur Deus secundæ diei non benedixerit? quia scilicet, est numerus diuisionis recedens ab vnitate; Sed hanc rationem irridet Tostatus: Nam Deus duobus præceptis totam legem constituit, *Matth.22.* Binos misit Discipulos, *Luca* 10. & ideò laudat hunc numerum.

AT D. Bonauent. modestiùs erga Magistrum agens, ait, hanc esse rationem solummodò allegoricam, veram tamen; quia Deus diuisionem odit, sicuti est numerus secundus,dum à primo die recedit; at in Præceptis, & Discipulis,non est iste recessus;sed potiùs multarum vnitatum coniunctio

4 ASSERO, hac die factam esse Terram, Aquam, & alia Elementa.

PROBATVR à Tostato,ratione D. Bonau. quâ simul euertitur Aduersariorum fundamentum: Quia Deus, cùm creauit aliquas naturas,licèt non immediatè ornauerit, (Illud enim est extrinsecum;) tamen qualitates intrinsecas, & etiam extrinsecas ab intrinsecis fluentes, dedit, & non suspendit in loco violenter: Locus autem est aliquid consonum naturæ rerum, & similiter qualitas motiua ad locum;Ergo videtur Aquam ab initio creationis habuisse hanc qualitatem, quippe intrinsecam: nec Deus effectum, seu actum secundum impediuisse: Similiter & siccitas est proprietas terræ; ergo eam ab initio Deus ei indidit; sed hanc indidit tertia die, dicens: *Congregentur aquæ in locum vnum; & appareat arida*; Ergo hac die simul factæ sunt terra, & aqua: Arida enim nominatur terra à præcipuâ qualitate,quam etiam statim consequitur: Dicitur verò terra ab effectu; quia teritur. Ità D.Bonauent. *in dub. litt. adducto, dist.14.part.2.*

OBIICIVNT verò,acriter insurgentes Aduersarij, hanc expositionem violentam esse textui: 5
Nam dicitur, *Congregentur Aquæ*: Congregantur autem ea,quæ iam sunt; & quod caput est,subditur: *Quæ sub Cœlo sunt,&c.*Ergo iam erant Aquæ; & patet; quia secunda die factum est Firmamentum,diuidens aquas,quæ sub Cœlo erant, seu Firmamento,quod idem est :Nam Firmamentum appellauit Cœlum: Similiter,cùm dicitur: *appareat arida*, germanè loquitur, iam terram præextitisse, vt oculis apparêret, quæ erat aquis obruta:Nam quod apparêre incipit,iam præexistit; sicuti, cùm dicitur Spiritus apparuisse post resurrectionem Discipulis: Si enim facta est congregatio Aquarum; vt appareat arida, quis inficiabitur, iam terram præextitisse?

RESPONDET autem Tostatus, post D. Bonau. 6
Congregationem illam aquarum,apparitionemque Terræ,fuisse proprietates Aquæ, & Terræ sensibiliores, per quas rectè explicatur creatio earum: Sicuti cùm aliquis artifex facit aliquid,dicitur facere, vt appareat. Itaque Deus tunc fecit, vt Terra appareret,id est, exiret in lucem, cuius signum est, quòd ei tunc etiam imposuit nomen Terræ; & *vocauit aridam, Terram*: Vnde frustrà Aduersarij comminiscuntur,iam initio Terram, & Aquam nominatas; cùm dicitur:*In principio creauit Deus Cœlum,& Terram; & Spiritus Domini ferebatur super aquas.*Per hæc enim intelligitur Materia prima,secundùm aliquas partes densiores, & rariores, magis ad hanc vel illam Elementorum formam suscipiendam,dispositas; vt dixi, *tract.5. disp.1. quæst.2.* cum D. Bonau. Quem sequitur etiam Tostatus *hic*. Tertia igitur die imperauit, vt fierent aquæ,& ad locum suum fluerent: Similiter & terra compareret, iuxta illud dictum: *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Nec est simile de apparitionibus, quas recenset Suarez, *num.3. verb.grat.*Christi,post Resurrectionem; Illæ enim in ipsa subiecta materia, requirunt existentiam. Deinde non negamus, priùs naturâ, facta fuisse Elementa hæc; deinde accepisse actus secundos, quales sunt tendentia ad sua loca, &c. Imò & proprietates,vt terra accepit ariditatem,seu siccitatem,quæ est præcipua,ac summa ipsius qualitas.

INSTAT Franciscus Suar. *num.4.* Locus naturalis aquæ est supra terram; Est enim minùs grauis, quàm terra; cùm sit grauis tantùm secundùm quid:Terra verò grauis simpliciter; ergo cùm dictum est:*Congregentur Aquæ in locum vnum, vt appareat arida*, a naturali situ defluxêre, vt terra ad fructificationem apta redderetur, quæ priùs aquis mergebatur.

RESPONDEO, locum naturalem aquæ esse super terram,ratione grauitatis: Ex alio verò capite, 7
quia aqua fluida est, naturaliter labitur infra venas terræ,maximè,quia aeri non potest superstare. Terram autem esse aqua eminentiorem, tenent communiter Philosophi, & Astronomi,& eos sequuti sunt,*in Genes.* Ægid. Caiet. Honcala, ac Pererius, qui dicit, rem esse claram, & exploratam, quam etiam multis experimentis probant Conimbr. simul ex Patribus allegando in eandem sententiam Chrysost. Hieronym. Augustin. & Damascen. Quod confirmatur ex illo Psalm. 122. *Qui descendunt mare in nauibus*; Et Psalm. 23. *Ipse super maria fundauit eam*, id est terram, vt probat

probat Gregor de Valent. *disputat. 5. quæst. 3. p. 3. col. 952.* Et Clauius, *in cap. 1. Sphæra* : Eo autem situ, quo primò positæ sunt Aqua, & Terra, steterunt, & stant; vt habetur *Hierem. 5. & aliis locis.* Scio, Centrum mundi esse terram; neque aquam esse omninò sub terra; vt aliqui imaginantur; & vt notat D. Bonauentura *in 2. dist. 2. parte 1. dub. 1. litt.*

QVÆSTIO II.

An TERRA *sit Sphærica.*


8 VNIVERSORVM ferè Mathematicorum, ac Philosophantium consensu, asserit Sanctus Doctor *locis allegandis*, Terram esse Sphæricam: Vide Clauium, *in cap. 1. Sphæra*, Amicum, *tract. 7. quæst. 6. dub. 2.*

PROBATVR primò à D. Bonauent. *in Breuil. part. 2. cap. 3.* Partes vniuersi debent esse vniformis figuræ, vt Cœli possint influere in inferiora, & hæc recipere adæquatè influxus, & ob alias etiam rationes; sed Cœli sunt Sphærici: Ergo etiam Elementa; maximè verò Terra, quæ recipit plurimos influxus.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *in Comp. Theol. lib. 2. cap. 8.* Terra est ponderosa, vndique petens Centrum mundi; ergo ex omni parte æqualiter centro inhærens; ergo est Sphærica.

9 PROBATVR tertiò experimentis, vt reor, indicatis à D. Bonauent. *lib. 2. Comp. Theol. cap. 8.* vbi, agens de Terra, ait Terram esse rotundam; circa eam, motu circulari, Cœlum cum Syderibus volui, ab hominibus calcari, & horum aliqua competere terræ, secundùm esse suum; id est, prout variè inhabitatur, ab hominibus obseruari, tum Cœli, tum terræ rotunditatem ex motu Cœlorum circa eam: Nam obseruant, Solem, & Astra citius Orientalioribus oriri, & occidere, quàm Occidentalioribus; Et quod caput est, pedetentim, provt ad Orientem tendis, idem experiris: Et quia primum mobile, 24. horis, complet Circulum per lineam Æquinoctialem; Ideò 360. gradus, his horis absoluit; atque adeò 15. gradus, singulis horis. Igitur incolæ, Orientaliores 15. gradibus, videbunt, vna citiùs hora, apparitionem Stellarum, &c. Et hinc euenit, vt Eclypses Lunæ, quæ fiunt per ingressum Lunæ in vmbram terræ, his, qui sunt per 15. gradus magis Orientales, vna hora tardiùs conspiciantur; & his qui 30. gradibus ad Orientem magis vergunt, duabus horis seriùs appareant, & sic procedendo. Itaque si nobis apparet Eclypsis primâ horâ noctis, erit his tertiâ, ex quo clarum est, eos priùs habuisse noctem; & consequenter priùs etiam Auroram habuisse: Et hæc non aliâ ex causâ, quàm ex rotunditate terræ, ab Oriente in Occidente, proueniunt: Si enim terra esset plana, omnes æqualiter haberent Ortum, & Occasum; quia planus esset Orbis, idemque Horizon: Quod verò hæc globositas sit perfectè sphærica, patet: Nam dies incipit citiùs Orientalioribus ordinatim, provt pluribus gradibus ad Orientem vergunt: His arguit etiam Vitruuius, *lib. 9. cap. 6.* Amicus, *tract. 7. quæst. 6. disp. 1.*

10 QVOD verò & à Borea ad Austrum terra sit rotunda, probatur subtilibus experimentis; Videmus enim, Stellas aliquas Septentrionales Poli magis apparêre, provt ad regiones Polares magis accedimus; recedentibus è contra aliquas Stellas Australes nobis apparêre, & alias Boreales delitescere: Et hoc ordinatim, provt pluribus gradibus elongamur ab Arctico: Ità etiam allegati: Vbi aduerte, eleuationem Poli maiorem, vel minorem ex alio capite variare etiam anticipationem ortus Solis. Itaque magis Septentrionalibus citiùs oritur Sol, dum est in signis Borealibus; è contra, Australioribus tardiùs. His rationibus nituntur Ioannes de Sacro Bosco, *cap. 1. Sphæra*, & Clauius *ibi in Commentario*: vbi latè hæc prosequitur: Vt autem hæc præ oculis defixa stent, hanc perpende figuram.



PROBATVR quartò ex Eclypsi Lunæ circulari, in vmbra terræ interpositæ: Apparet enim vmbra proiecta à terra in corpus Lunæ circularis; Vmbra autem corpus illud, à quo proiecta est, imitatur. 11

PROBATVR tandem, Terram, & omnia Elementa esse per se Sphærica, à Diuo Bonauentura, *serm. 3. de Beata Virgine*, argumento Aristotelis *2. de Cœlo, text. 30.* Dixi per se; quia Aëris Regiones prima, & secunda, ob inæqualem Solis reflexionem, sub Zonis Oualem Figuram habent.

PRIMVM continens est Cœlum, quod est Sphæricum; vt ostendi *tractatu præterito, disputatione 2. quæst. 11.* Ergo & quod immediatè coniunctum est, Sphæricum est; alioqui daretur vacuum: Quale autem est primum continens, tale est & primum contentum; & per consequens, tale secundum, tertium, & quartum: Ergo omnia Elementa, contenta simul cum Cœlis, sunt Sphærica: Terra verò centrum est in medio.

DICES: Deberet videri minùs quàm medietas Cœli ab existente in Terræ Plano.

RESPONDETVR negatiuè: Vide Amicum, *art. 3.* Est enim terræ magnitudo insensibilis, si comparetur Cœlo.

QVÆSTIO III.

An Terra *sit immobilis.*

12 PYthagoricorvm antiqua fuit opinio, Terram in gyrum moueri, Sole in medio mundi immobili stante: Sic refert Aristoteles 2. *Cæli, cap.* 43. Inter eos acriter eam defendit Aristarchus Samius: Ad id allusisse Numam; cùm Templum Deæ Vestæ rotundum extruxit, & in medio Solem posuit, referunt Plutarchus *in Numa*, & alij: Cum Pythagoricis inuoluit Plutarchus, etiam Platonem senescentem.

His verò temporibus, eam secuti sunt Cardinalis Nicolaus Cusanus, *lib.* 2. *de docta ignorantia, cap.* 12. & Nicolaus Copernicus, celebris inter Astronomos: Itaque quamvis Iustus Lypsius, *lib.* 2. *disp.* 9. *Physic.* eam sepultam dicat; tamen non defuêre Moderni, acerrimi eius Sectatores, quos longâ tesserâ recenset Libertus Fromundus in *Antaristarcho*: Posteà alius eruditus, *anno* 1632. Dialogum edidit, eam sustinens; tametsi, ne Sacræ contradiceret Congregationi, eam non approbet.

13 Catholica sententia est, Terram esse immobilem. Ità omnes Philosophi, (exceptis perpaucis relatis) atque Theologi, cum S. Bonauent. D. Thoma, & Scoto; vt refert Aresius, *ad calcem libri 6. de Sacris assumptis*, Tanner. *tom.* 2. *in Hexaëmer. disp.* 6. *quæst.* 4. *dub.* 3. & *disp.* 5. *quæst.* 5. *dub.* 1. Clauius *in Sphæra, cap.* 1. *fol.* 165. Amicus, *tract.* 5. *de Cœlis, quæst.* 6. *dub.* 2. qui oppositam erroris meritò damnant: Fuit sententia Patrum, quos lege in allegatis; & Mastrio *disp.* 4. *quæst.* 4. *art.* 3. Rocco 1. *Cœli, quæst.* 19.

14 Assero de Fide, Terram esse immobilem.

Probatvr primò à Diuo Bonauent. *ad cap.* 1. *Eccles. & in* 2. *dist.* 2. *part.* 1. *dub.* 1. *litt. Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat in Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: Terra autem in æternum stat.* Deinde
15 idipsum probat Psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam*; Et Prouerb. 16. *Quando appendebat fundamenta terræ*: Idipsum probat ibi, miraculo illo *Iosue* 10. vbi Sol iussus est stare; vt vlcisceretur populus: *Steteruntque Sol, & Luna, donec vlcisceretur populus*: Et infrà: *Stetit itaque Sol in medio Cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei.*

Observat autem S. Doctor, debuisse id fieri supra cursum ordinarium descriptum, *loc. cit. Eccles.* Alioqui ad quid opus erat Iosue clamare: *Sol ne mouearе*: Obseruat etiam motum naturalem Solis esse perfectè circularem: Nam, anni tempore, redit ad locum suum, primum scil. punctum Arietis; At motum Diurnum non esse Circulum perfectum, sed spiram; quia non reuertitur ad idem punctum; sed interceptum 59. minutis, & quibusdam secundis, quibus motu naturali contrà incessit ad Orientem; & eo etiam spatio consumpto, non terminat ad idem punctum: quia, secundum illa 59. minuta, recessit à puncto sphærali primi mobilis, secundùm lineam Æquinoctialem, quæ obliquè intersecatur Æquinoctiali.

Deinde, *part.* 4. *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 5. affert illud Iob. 9. *Qui præcipit Soli, & non oritur, & claudit stellas.* Serm. 13. Hexaëmer. affert illud Habac. 3. Vbi miraculo adscribit: *Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo*; & Ecclesiast. 1. *Oritur Sol, & occidit*: Amos 8. *Occidit eis Sol*: Iacobi 1. *Exortus est Sol*: Psalm. 18. *In Sole posuit Tabernaculum suum*: *Exultauit, vt Gigas, ad currendam viam*: Iosue 10. *Sol contra Gabaon ne mouearе, & Luna contra vallem Aialon*: Esther 11. *Sol ortus est*: Ideò *in* 2. *disp.* 14. *parte* 1. *articulo secundo, quæstione prima, fundamento secundo.* Supponit id clarum; & Clauius, *fol.* 247. Sole ipso clariùs hoc assertum clamat, etiam cæcutientibus: Nam *Solem oriri facit super bonos, & malos.* 16

Qvoniam verò Copernicani, Scripturas extorquentes, à sua illa Phrenesi non connalescebant: Sacra Congregatio super indicem Librorum, anno 1616. eam damnat, dicens: *Quia ad notitiam Sacræ Congregationis peruênit, falsam illam doctrinam, Pythagoricam, Diuinaque Scripturæ omninò aduersantem, de mobilitate terræ, & immobilitate Solis, &c.* His authoritatibus nituntur Aresius, & alij omnes: Ideò enim Diuus Philastrius eam opinionem hæresi damnat. 17

Avdaciores Copernicani respondent temerè, non spectare ad Ecclesiam, res Philosophicas definire, eamque olim etiam errasse in Zaccharia Papa, dum Sanctum Vigilium Salisburgensem Episcopum damnauit; eò quod Antipodas assereret.

At, si Ecclesiæ negetur definire Philosophiam, multi errores irruent: Sic animam mortalem cuique licebit asserere; mundumque æternum, quæ eò ipso damnata sunt: Neque Zaccharias negauit Antipodas; sed alios mundos.

Respondent alij, Scripturam describere res, non, vt sunt; sed vt apparent: Sic enim inter Luminaria, post Solem, ponit Lunam; Cùm tamen omnibus ferè Stellis minor sit.

Sed hæc non sunt ad rem: Nam, moueri aliquid, quod quiescit; & quiescere, quod mouetur, implicat; sed asserere magnum, vt sic, nullâ factâ comparatione, admittit rationem apparentiæ, influentiæ, &c.

Probatvr deinde rationibus, quas vt validè iaciamus, animaduerto, tres motus dari terræ ab Aduersariis: Primus est Circularis, circa Solis centrum, spatio 24. horarum; Vndè diem, & noctem effici dicunt: Secundus est progressiuæ reuolutionis circa mundi centrum, in quo Solem collocant: Sic igitur, aiunt, moueri, sicut rotam, quæ reuoluitur, & reuolutionibus progreditur: Et hunc motum annuum aiunt, fieri circa centrum, in quo est Sol, in ea distantia, quam cæteri Astronomi concedunt: ità tamen, vt vbi illi ponunt Solem, hi ponant terram; & in centro, vbi nos terram credimus, illi constituant Solem: Itaque aiunt in circulo illo amplo terram reuolui, simul progrediendo, non secus ac si rota reuolueretur, gyrans circa proprium centrum, & percurreret Orbem suum: In spatio verò, inter terram, & centrum, id est, Solem, ponunt duos Planetas, Veneris, & Mercurij, minores circulos percurrentes. 18

Tertivs motus annuus terræ, in seipsa est contrarius

contrarius alteri annuo; Et si Galilæus, vt implicantiam motuum horum contrariorum declinet, eum vocet potiùs carentiam motus: Figuram autem Mundi Copernicani, hoc sistemate subiicio.



IAM verò sic argumentor primò cum Diuo Bonauentura *ex Ecclesiast.* 1.

EXPERIMVR varietatem aspectuum, ad Horizontem, in ascensionibus Solis, & descensionibus,& altitudinibus in meridiano: Igitur oportet, vt, aut Sol variis motibus id efficiat, aut terra: Sic igitur terra mouetur per transuersum ad lineam æquinoctialem super alium axem, qui obliquè secet axem mundi: Et cùm Firmamentum stet, oportet, vt terra, quæ, 24. horarum spatio mouetur, & transuersim, motu annuo variet in quocumque Horizonte altitudinem Poli cuicumque Vrbi: quia non describet illa Circulum parallelum circa Polum, vt argumentatur Clauius; At verò altitudinem Poli eandem semper cuique Vrbi experimur; putà Brixiæ 45. graduum.

19 NEQVE eadem est ratio diuersitatis terræ ad Stellas, ex eo, quòd Sol, suo motu annuo per transuersum means, nobis aduersùs appareat: Etenim manente terra, non variatur situs in ordine ad Firmamentum; Deinde motus ille annuus oppositus implicat in eodem corpore simplici.

SED primum illum motum circularem terræ, circa proprium centrum multis refellamus. Omitto argumentum Tassoni, & Mastrij, scilicet è profundo puteo multo tempore eandem Stellam fixam videri. Sanè ocyus disspareret, si terra præceps adeò euolaret: Video enim eos respondere, pari tempore disparere; si Firmamentum ea; quâ fertur velocitate, moueatur.

PRIMÒ igitur arguo: Si terra 24. horarum spatio circulo reuoluitur; sequitur, eam velocitate motus excessiua euolare: Itaque Aues, Nubes,& alia omnia, quæ Aërem peruolant, semper apparebunt, contrario motu ferri; cùm nequeant velocitatem terræ insequi, quæ 24. horis, Circulum 22500. milliarium peragit.

20 DEINDE ædificia omnia, tanta velocitate corruerent: cùm adeò raptim à fundamentis, terræ inhærentibus, impellantur.

SECVNDVM argumentum est Aristotelis 2. *Cœli, cap.* 14. Si rectà sursum proiiciatur lapis, aut sagitta; iterùm recidit ad pedes iacientis. Quod si terra moueretur tam rapido cursu, longè multo spatio recideret; & eò longiùs, quo motus ille omnium rapidissimus est. Id praxi constat, si è naui euolante rectà sursum sagittam eiaculeris; decidet enim eo longiùs, post te, quo velociùs Nauis vento arripitur.

RIDENT Copernicani, & dicunt, nos decipi putantes, saxum rectà decidere; cùm & ipsum, tanquam pars eodem motu feratur, quo mouetur totum; & ita sequatur gyrum terræ.

CONTRA; primò, quia deberet motu circulari circa suum centrum lapis ille moueri, & non appareret eadem pars lapidis, & multò minùs sagittæ: Deinde, cito moueatur, non habebit eandem velocitatem, quam habet totum corpus; cùm maior virtus sit in toto: Quod si eadem virtus adsit; adhuc tamen longè retrò manebit: quia maiorem longè circulum conficere tenetur supra terram per aërem: quam doctrinam circa motum Saturni adhibet Seneca, reddendo rationem, cur tardiùs moueatur, quàm cæteri Planetæ; eò quòd amLpliorem circulum describit.

RESPONDENT alij, virtutem magneticam esse in terra, quâ omnia secum trahit: At virtus hæc magis traheret corpora vicina, quàm altiùs remota: & tamen nulla diuersitas apparet: Deindè, si virtus hæc inest terræ; cur in mari, vbi non est hæc virtus, cadit in eodem loco, vnde iactum est saxum.

DEINDE virtus magnetica trahit ad se: ideò 21 posteà deberet gyrare saxum; ergo motus circularis terræ ei non inest ante contactum: Neque mouebitur circulariter; sed illicò ad eundem situm viciniorem trahetur.

ADDVNT Copernicani, aërem simul moueri.

22 Sed non apparet, quæ connexio sit; vt à terra cieatur aër, aut ipse ingentes lapides circulariter voluat.

Tertium argumentum è geminis bellicis tormentis; si alterum ad Orientem, alterum ad Occidentem ferreas pilas excutiat; Pila enim contra Orientem, cùm non moueatur æquali, cum terra, velocitate, retrò multa milliaria manebit; ea verò, quæ ad Occidentem tenderet, caderet ante Bombardam, 9. milliaria, iuxta calculationi Faramundi.

Respondet quidam, motum terræ tantam in pilam orientalem influere velocitatem, vt terram ipsam superet velocitate: ei verò, quæ Occidentem versùs iacitur, auferre velocitatem.

23 Sed inanis est responsio; terra enim in pilam, à se remotam, nequit motum infundere: Et, licet impulsum infunderet, non potest infundere velocitatem, suæ æqualem; vt pila velociùs præcedat: Esto enim ipsa, ab igne impulsa, habeat velocitatem aliquam per se; attamen, vt terram præcedat, oportet æqualem ei infundi cum terra velocitatem; non enim aër, (esto agitatus) tam tenuis, pilæ palmari applicitus, tantam habet virtutem à terra, quantam ipsa terra ad motum diurnum 24. horarum: Pila verò iacta ad Occidentem, non mouebitur, si terra ei resistens, totam suam communicet vim; & si mouebitur, sanè ad Orientem mouebitur, quæ experientiæ repugnant.

Quartum argumentum: Si terra 24. horis, conficit 22500. milliaria; sequitur, aues volantes ad Orientem nunquam ad nidos suos posse peruenire, cùm multò velociùs terra fugiat; eos verò, qui sunt ad Occidentem, ad loca etiam remotissima, vno alarum ictu peruenire; & tamen non magis velociter illi, quàm isti ad Arbores, Turres, vel Montes aduolant.

Respondent, adeò agitari aërem, eaque omnia in eo vagantia, vt eandem seruent distantiam, sicuti, si in clauso nauis cubiculo sint Muscæ, Culices, aliaque genera Animalium peruolantia, eodem modo mouebuntur, stante, & mota naui.

24 At gratis illa aëris liberi concitatio excogitatur: Neque satis cum aëre concluso, delato à naui, vndique circumambiente tabulatum, confertur.

Quintum argumentum: Si terra motu adeò concitato cieretur, iam omnia ædificia corruissent: imò non possent extrui; Si enim paruulus terræ motus ea diruit; multò magis illa vehementissima concitatio.

Præterea sentiretur continuus strepitus in syluis, ac in domibus, ex agitatione aeris, ob eum motum; sicuti, agitato aere sentiri solet.

25 Sextum argumentum: In Planetis obseruamus Retrogradationes, Stationes, (vt dicunt) Ascensiones, & alia huiusmodi; ea verò in Stellis fixis non obseruamus; ergo in eis est motus, non in terra; si enim motus esset in terra, eosdem aspectus haberemus omnium: Quippè ea solùm ratione motus terræ appareant: Multa alia experimenta Astronomica opponere possem, maximè distantias, quas à polis stellæ mutant: Onosura enim sæculo Hipparchi distabat 12. gradus: At nunc duos, & m. 37. Sic de aliis.

Respondent, spatia immensa esse inter terram, & Stellas fixas; ideò non discerni retrogradationes, sicut in Planetis viciniotibus.

26 Contra; Nam & terra in sententia omnium Astronomorum est insensibilis, respectu Firmamenti: Vnde & in Horizonte apparet Hemisphericum Firmamentum cum omnibus signis: etiamsi Semidiameter terræ intersit, qui est 3500. milliarium: Similiter visi sunt Luna, & Sol in plenilunio etiam in perfecta oppositione; & tamen ea omnia adhuc discrimina aduertimus: Nam eleuationem quamcunque Poli in quouis Almicantarath, per lineam Fiduciæ, in Astrolabio discernimus: ità vt singulis 62. milliaribus conspiciatur vnius gradus, è 360 gradibus, mutatio.

Deinde aiunt, tam immensum esse spatium ad Firmamentum, vt totus terræ gyrus, circa Solem, sit veluti punctum: Ex quo ego deduco, Stellas Firmamenti, quæ maiores nobis puncto apparent, esse longè maiores Sole, circa quem fit gyrus terræ: Cur ergo Copernicani venerantur Solem, vt principem Luminarium maximum, & in centro, eum, veluti throno collocant. Quamuis indè mihi suspicio sit, eos credere, Solem esse mundi fœcem: quippè remotissimus ponitur à Cœlis aliis, & in Centro abiecto, infra Aërem, Aquam, & Terram: Forsan in Sole gehennam damnatorùm confingunt. Omitto alia plurima, quæ in Arsio legere cuique est obuium.

Obiiciunt primò. Frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora; sed ordinatio mundi fieri potest per solum paruulum terræ motum; Ergo frustrà tot machinæ ingentes cientur, maximè cùm nobiliores sint.

Respondetur, non posse mundum, solo terræ motu conseruari: Nam necessarij sunt motus Cœlorum, atque stellarum, ad influxus opportunè ad loca deferendos, vt homini conuenit. Deinde non mera necessitas in operibus Dei quæritur; sed conuenientia Dei gloriæ, qui suam potentiam, sapientiam, & maiestatem voluit ostentare; atque Luminaria omnia in motibus, ad ministeria sibi seruientia comprobare: Ne fortè ea, vt Deos in sede locatos veneramur. Id *Deut.* 4. expressit: *Ne fortè eleuatis oculis ad Cœlum, videns Solem, Lunam, & omnia Astra, errore deceptus, adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus, in ministerium cunctis Gentibus, quæ sub Cœlo sunt.* 27

Neque verò indè benè suum argumentum confirmant, quòd motus debeatur potiùs terræ ignobiliori, quàm Astris nobilioribus: Nam, vt dixi, destinata sunt, non ministero terræ; sed hominis nobilissimi inter corporea; atque adeò motus Astrorum non est indecorus.

Obiiciunt secundò implicantias, quæ in contrariis Cœlorum motibus admittuntur à nobis.

Respondetur primò, easdem implicantias, imò maiores, eos admittere in motibus terræ, vt dixi; Nos enim motus oppositos, non per eandem lineam admittimus; sed per transuersum, vt dixi, *tract.* 6. *disp.* 2. 28

Deinde si Cœli fluidi sunt, vt recentiores Astronomi cum S. Bonauentura admittunt, & constanter defendunt; nihil contrarietatis includitur; cùm secundùm diuersas partes moueantur ad modum vndarum.

Obiiciunt tertiò: Primum mobile, secundùm vos, rapit omnes Cœlos inferiores, similiter & Sphæram ignis, & aëris, & sola terra restat immobilis: hoc autem est absonum, rapi Cœlos omnes in contrarium vergentes, & non posse rapi Globulum stantem.

Respondetur, non moueri terram; quia grauis in centro est; nec solidis superficiebus connexis

uexis adnexa ad modum, quo Cœli omnes ſunt: Ex quo etiam deduco, neque aërem eo motu raptus cieri.

Obiiciunt quartò; Sol, cùm ſit Princeps Luminum, & influxuum, debet in centro ſedère; vt vſquequaque diffundat operationes; Sic enim Cor in medio Thoracis reſidet immobilis, ſolis ſyſtole, & Diaſtole contentus.

29 Respondetur, diuerſam eſſe rationem: Nam Soli conuenit motus ad influxus; cum Cor debeat in ſua officina reſidere, ad ſanguinem, ac Spiritus elaborandos. Addo, ſecundùm Galenum, Principem vitæ eſſe Cerebrum, quod in alto ſedet, vbi & oculi, Luminaria referentes.

Obiiciunt quintò. Cuilibet Elemento debet dari motus naturalis, qui toti corpori conueniat; ſed hic non aſſignatur terræ; cùm immobilis ponatur; neque ſurſum moueatur naturaliter, neque tota; ſed ſolùm ſecundùm aliquas particulas reuulſas: Ergo.

30 Respondetur, motum terræ naturalem non eſſe in Orbe, qui eſt ex mero raptu communis etiam aliis Elementis: Deinde motus naturalis debet habere pro fine quietem; at motus circularis non eſt ob quietem: Motus igitur rectus deorſum eſt terræ naturalis, & intrinſecus, non in actu ſecundo, ſed in potentia grauitatis: Vnde in centro poſita non grauitat: neque enim actualis motus eſt eſſentialis naturæ; ſed principium motus, & quietis; vt dicitur 2. *Phyſic.*

Obiiciunt ſextò Motus, qui Stellis fixis à Ptolemæo datur, eſt incredibilis; debent enim quæ per Lineam Æquinoctialem meant, 24. horis, 1017. milliones milliarium percurrere, aliis circa Polum monſtruosè ferè ſtantibus, quæ chimærica ſunt, & ruinoſa.

Respondetur nihil mirum; quia Deus etiam velociorem poſſet motum Aſtris concedere: Neque ruinam patiuntur Machinæ mundialis horologij, à Sapientia Diuina fabrefacti.

Obiiciunt ſeptimò: Motus conceditur, vt medium, ad arcendam putredinem, & corruptionem; hæc autem poteſt terram inficere, non Cœlos.

31 Respondetur, motum Cœlis dari, non ad putredinem arcendam; ſed ad influxus in inferiora: Terræ porrò data eſt ad præſeruationem à putredine ſiccitas cum frigiditate, agitatio Aquarum, Ventorum ſpiratio; neque debuit terra ab omni corruptione præſeruari; cum ad mixtorum compoſitionem ſit ordinata.

Obiiciunt octauò: Quies eſt nobilior motu; ergo debuit Cœlis, vtpote nobilioribus, concedi; Sic enim & in Microcoſmo, Homine, Caput ſtat, & pedes mouentur.

Respondeo primò, motum è propria indigentia eſſe viliorem; non autem eum, qui ob bonum vniuerſi exercetur.

32 Respondetur ſecundò, Terram eſſe ignobiliorem Cœlis, vt ea eſt Elementum; At, vt eſt Sedes viuentium, maximè hominum, eſſe nobiliorem; neque verò mouentur Cœli propter terræ Elementum; ſed propter animantia, præcipuè homines in ea degentes: Adde, motum circularem Cœlorum non opponi quieti: Aliam rationem addit S. Gregor. Nyſſen. *lib. de opificio hominis, cap.* 1. Deus enim ſua dona diſpertitur; vt non omnes omnia habeant: Ità Cœlis dedit incorruptibilitatem, non autem quietem; terræ autem quietem; ſed eam reliquit obnoxiam corruptioni. Ad exemplum de humano capite, dico illud moueti, maiores circulos parallelos cum mundo deſcribendo: Pedes ſanè ſuſtentant caput; Sic & terra homines.

Obiiciunt nonò: Planetæ ſecundùm vos voluuntur circa Solem; non ergo circa terram: Ergo ea non eſt centrum.

Respondetur, omnes Planetas reuolui circa terram: Quod verò aliqui nonnullis motibus miniſterialibus, ad terræ incolarum beneficium, circa Solem gyrent, nihil abſonum; ſed cùm Sol circa terram motùs perficiat, eò diriguntur etiam motus miniſtrorum. 33

Obiiciunt decimò: Cogimur, [illegible] in Cœlis Eccentricos, & Epicyclos ponere, [illegible] ſtibus illis corporibus indignos, quæ cogu[illegible] retrogradi, aſcendere, deſcendere, ſtare, &c. Hæc autem omnia, ſolo motu terræ ſaluantur; ſic enim, motâ inſenſibiliter terrâ, nobis videntur illa moueri, etſi immota ſtent; ſicuti nauigantibus [illegible]dentur, montes, memoraque moueri; vt notat Galilæus.

Respondetur primò, nihil abſonum, nos veritate dictatà à Spiritu Sancto, admittere Terram immobilem; Cœlos verò, & Aſtra moueri aliquo motu; neque indignum eſt Aſtris, pluribus cieri motibus: Adde, nec motu terræ concentrico Soli, eccentros ſaluari aſpectus, vt Sole clarius patet. Nos, admiſſa Cœlorum fluiditate, tolli tot Circulos eccentricos, & epicyclos vidimus. 34

Obiiciunt vndecimò: Conuenit, minora ſeruire maioribus, vt Aulicos Principi circumeuntes; ſic enim & in Cœlis Stellulæ nonnullæ circa Mercurium videntur, quas in honorem Regis Chriſtianiſſimi, Borbonias vocant: Sic 4. Mediceæ circa Iouem, quas Galilæus inuenit; Sic duæ aliæ à Fromondo vocatæ Avstriacæ, circa Saturnum; ſic Mercurius, Mars, Venus, Iupiter, Saturnus, circa Solem voluuntur, & Luna circa terram: Ergo & terra circa Solem volui debet; non è contra Sol Princeps circa ſeruulam; niſi eam è Solis Leucotho Amaſiam fingas.

Iam reſpondi, Solem non terræ inſeruire, ſed Microcoſmo Homini.

Obiiciunt duodecimò Scripturas Pſal. 113. *A facie Domini mota eſt terra.* Iob. 9. *Qui conuertit terram de loco ſuo*: Quid plura? Terra in Hebræo dicitur ארץ *Erets* à radice, רוצ *Ruts* concurrit.

Respondetur, imò noſtram probari ſententiam: Nam miraculis Dei adſcribuntur terræ commotiones contra naturam eius; tum in deſertis Arabiæ, tum in Iudæa, &c. Iob verò loquitur de terræ motibus naturalibus, ob exhalationem vehementem, terræ tam violentis, vt inde alta ruant ædificia. 35

Ad nomen Hebræum; dicitur *Terra* à currendo; eò quòd ſuper terram currat circumdans Sphæra; vt ait Pagninus; vel quia ſuper eam concurrant, & deambulent animalia; vt meliùs ait Fromondus; Sic enim locus, in quo curritur, Circulus dicitur, Græcè *Hyppodromos.*

Tandem dicunt omnes ſequaces Copernici; priùs fuiſſe Ptolemæicos, & Ariſtotelicos; hos verò non eſſe expertos viam Copernici, ad quam trahuntur; neque tamen Acetum eſt Vino melius; Sic & Archeſilaus ſciſcitanti, cur ex aliis Philoſophorum ſectis multi fierent Epicurei; ſed ex Epicureis nulli ad alios tranſirent? Reſpondit; *Quoniam ex Gallis Capones fiunt; non è Caponibus Galli.*


36 MVLTAS à priori aſſignant Mathematici rationes quietis perpetuæ, quâ terra ſtat, quas vide in Clauio, *fol.* 248. vbi eas confutat: Ea verò ſolida eſt, quam affert S. Bonauentura, *lib.* 2. *Comp. Theol. verit. cap.* 8. quam ſumit Clauius,
37 & Sapientiores cæteri Aſtronomi, Immobilitatis terræ fundamentum eſſe pondus à grauitate innata: Hinc enim fit; vt in infimo loco quieſcat, qui eſt centrum mundi, à Cœlo remotiſſimum; quod, cùm ſemel acquiſierit, diuelli ab eo naturaliter nequit: quia contra naturam ſuam aſcenderet. Hac de cauſa omnia grauia ad Centrum mundi ruunt, è quibus terra ſub aqua; & terrea à prædominio ſub aqueis; tunc autem non grauitant. Hinc natantes ſub aquis multis, non ſentiunt pondus ſuper ſe; & aqua in vaſe, demerſa in puteo, non ponderat donec extrahatur ad aërem; Sic autem è contra, leuia ſub grauibus leuitant, ſic ignis ſub aëre, atque exhalationes ſub vaporibus; aër ſub aqua: Vide hanc rationem Ariſtotelis *de Elementis, text.* 96. in Amico, *tractatu* 8. *quæſt.* 4. *art.* 3.

QVÆSTIO IV.

An TERRA *cum* AQVA *vnus ſit Globus.*

D. Bonaū. diſt. 14. p. 2. dub. 1. & in 2. d. 4. p. 1. a. 1. q. 1. arg. 5. addit. reſp.

38 PRIMA opinio eſt negatiua; dicunt enim, Terram, & Aquam, initio mundi, concentricas eſſe creatas: ità vt Aquæ vndique operirent terram: poſteà tertia die congregatas aquas in vnum locum, ſeu in latere vno terræ, & magnum in Globum adunatas; ità vt diuerſum à terra Centrum habeant; ſicque, Deo volente fieri; vt habetur in Scripturis: Itaque dicunt, Globum Aquæ, & terræ ſe mutuò interſecare, vt neuter integer appareat, hoc pacto, vel ſimili: Ità vt



Aqua ſuper Terram eleuetur: Ità Burgenſis, Carthuſianus, Catherin. *in Geneſ.* & indicant ex parte Baſil. *homil.* 4. & Ambroſ. *lib.* 3. *Hexaëmer. cap.* 2. & D. Thomas 1 1. *quæſtione* 69. *art.* 1. *ad* 2. hunc modum reliquis præfert.

ALII verò alio modo explicant ſuam ſententiam: Dicunt autem, initio Deum, per ſolam condenſationem aquarum, abſque alio motu locali, congregaſſe aquas ad locum multò minorem, non eleuando in Globum ſuper terram eas omnes; ſed relinquendo quidem aquam, ſuperiorem terra, in eodem ſitu conſtipatam: ità, vt, quæ totum terræ globum ambiebat, iam condenſata, dimidio ſitu conſtitueretur. Hunc verò modum dicendi probabilem putant D. Thom. *loc. cit.* & Beda *in Hexaëmer.* & alij, moderni: imò etiam D. Auguſtin 1. *de Geneſ. ad litt. cap.* 12. priori modo dicendi illum præfert.

ALII verò, nihil ſupernaturale admittentes, 39
dicunt, tam aquam, quàm terram, iuſſu Dei, à centro mundi receſſiſſe; neque iam ſupernaturaliter aquam detineri, ne defluat ad operiendam terram. Itaque hi tria centra ponunt, primum mundi, ſecundum terræ, tertium aquæ.


SECVNDA ſententia eſt, terram, & aquam 40
vnum conſtituere Globum, idemque centrum habere. Ità omnes Aſtronomi, ac Coſmographi; vt refert Clauius, *in cap.* 1. *Sphæra.* Ità ex Theologis Pererius *in locum hunc Geneſ.* Suarez, *lib.* 2. *Hexaëmer. cap.* 6. & 13. Valent. *diſp.* 5. *q.* 3. *puncto* 3. *col.* 952. vbi aliis opinionibus reiectis, dicit, congregationem aquarum factam intra concauitates terræ, ad quas confluentibus aquis, eodem tempore factis, appareret arida. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Bonauent. *diſt.* 14. *part.* 2. *dub.* 1 *litt.* vbi vult, aquas, per concauitates terræ diffuſas vndique continuare ſphæraliter Globum terræ. Idem elicitur ex *diſt.* 2. *part.* 1. *dub.* 1. Hoc ſenſu intellige id, quod S. Doctor habet, 3. *part. Centil. ſect.* 11. cùm Sphæras Elementorum, ait eſſe quatuor: Idemque *in* 3. *part. Breuil. cap.* 3. agens de Elementis, prout ſunt principia mixtionum, non prout locum occupant: Nam, dum de diſtinctione eorum agit, *lib.* 2. *Comp. Theol. cap.* 3. cùm decem Sphæras ibi ſæpè numerauerit, dicit, ſeptem alios Orbes, Terram, & Aquam ambientes, poſſe vocari Cœlos, & ſunt tres, id eſt, Firmamentum, Empyreum, & Planetarium; Ignis, Aër, cuius tres regiones enumerat.

ASSERO cum hac ſententia, è terrâ, & aquâ 41
vnum conſtitui Globum, vnumque vtriuſque eſſe centrum.

PROBATVR primò ex Diuo Bonauentura *in* 2. *diſt.* 4. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *argum.* 5. *addito reſponſo.* Homogenea, ſeu ſimplicia corpora, quæ ſecundùm vnam partem, vnum locum quærunt, eum petunt etiam ſecundùm ſe tota: Itaque, ſicuti Gleba petit centrum, eodem modo & tota terra: Eſt enim eadem natura Glebæ, & totius terræ; ſed pars aquæ in omni loco petit idem centrum, cum terra per eandem lineam: itavt ſtet, non ſupra, ſed iuxta terram: Ergo, &c. Hac ratione vtitur Clauius, *loco citato*: Hæc verò à Mathematicis oſtenduntur hac ratione: Nam ſi duo grauia, ab aliquo puncto demiſſa, per diuerſas lineas petunt centrum; Signum eſt, ea habere diuerſa centra. Et quamvis ex illo loco, qui vtrique centro, per eandem lineam reſpondet, demiſſa deſcenderent ſecundùm eandem lineam: Ex omnibus tamen aliis locis demiſſa tenderent per diuerſas lineas ad illa duo centra; vt in hac Figura nitidè apparet, in qua centrum Terræ ſit B. centrum Aquæ A. Solùm igitur ex puncto E, quod vtrique centro, per eandem lineam rectam reſpicit, tendet terra, ad ſuum Centrum B. Et Aqua ad ſuum centrum A. Per eandem lineam E. A. Ex quouis autem alio puncto, *verb. grat.* C. Per diuerſas lineas deſcendet Terra, videlicet, per lineam C. B. & Aqua, per C. A. Idemque dices de puncto D. quod non contingeret, ſi vtrumque Elementum ad centrum mundi F. tenderet, ſicut verè tendit: Quare idem eſt centrum Terræ, Aquæ, & totius vniuerſi; ac propterea vna, eademque Sphæra, ſiue Globus, ex terra, & aqua conſtituetur.

FIGVRAM


42 FIGVRAM autem supra expositam, accipe sic, in hac pagina delineatam: Quæ cùm ità sint, erit



idem centrum terræ, & totius vniuersi; Si enim duos Globos diuersos facerent, non possent idem continere centrum; vt colligitur ex quinta propositione tertij libri Euclidis: Dicet aliquis, hac ratione solùm ostendi, centrum totius mundi esse quidem centrum grauitatis terræ, & aquæ, ad quod nimirùm naturaliter tendit; non autem centrum magnitudinis earum: Potest enim vnum corpus habere centrum suæ magnitudinis, diuersum à centro suæ grauitatis: Quod vt intelligatur; notandum, centrum grauitatis alicuius corporis esse punctum illud, quod semper, ad perpendiculum, tendit ad centrum totius vniuersi, quomodocumque, ac quotiescumque suspendatur corpus: Ità tamen, vt liberè pendeat. Quâ ratione quodvis corpus, siue rotundum sit, siue non, centrum grauitatis habet: Centrum verò magnitudinis est punctum, æqualiter remotum ab omnibus partibus extremis: Quod quidem in illo corpore Sphærico reperitur: Hæc duo centra sunt eadem in corpore Sphærico, vniformi in grauitate; vt *verbi gratia*, in Sphæra plumbea, siue ferrea; at in corpore sphærico, deformi in grauitate, vt in Sphæra, partim lignea, partim lapidea, aliud est centrum grauitatis, aliud magnitudinis. De his agit Amicus, *tractatu octauo, quæstione quarta, disput.* 2. Fernelius *libro primo Cosmotheoria*, Coll. 2. *Cœli, cap.* 14: *quæstione* 3.

RESPONDENT Clauius, *loco citato*, idem esse centrum grauitatis, & magnitudinis in vtroque Elemento: Et quidem in terra probatur: quia omnia terrea ita descendunt ad superficiem terræ, vt efficiant similes, ac æquales angulos, & non ad æquidistantiam ferantur: Nam in Centro vniuersi, quod est Centrum grauitatis, coëunt: Ergo idem est centrum magnitudinis, & grauitatis in terra: Confirmatur experimentis perpendiculorum, quibus vtuntur Artifices in construendis ædificiis; non enim in hanc, vel illam aberrant partem; sed æqualiter superficiei terræ insistunt: E quocumque enim loco demittantur in terram, similes semper, & æquales angulos cum ea constituunt, suntque semper fila illorum perpendiculorum in Diametro Cœli, & Terræ: Aliàs ædificia diù consistere non possent.

IDEM probatur de Aqua; Cùm enim Aqua, non impedita, ad loca decliuiora suapte naturâ semper confluat; necesse est, superficiem eius conuexam æqualiter recedere à Centro grauitatis; At punctum illud, à quo omnes partes conuexæ distant æqualiter, est centrum magnitudinis; ergo non potest esse diuersum centrum grauitatis, à centro magnitudinis aquæ. Probatur maior: Si enim conuexa superficies aquæ ex vna parte magis recederet à centro grauitatis, siue vniuersi, quàm ex alia; pars magis remota à centro grauitatis non deflueret ad locum decliuiorem, qui proculdubiò est ille, qui propinquior existit centro grauitatis, vel Vniuersi, vt in hac Figura conspicitur, in qua Centrum magnitudinis terræ idem est, cum centro mundi: Centrum autem magnitudinis Aquæ est distinctum: Quod cùm sit absurdum; & cùm Aquæ naturæ repugnet; efficitur, idem esse centrum magnitudinis, & grauitatis in Aqua:



Scio in Globo, & magnitudine Terræ esse inæqualitates, & partes magis graues, vt Metalliferas; sed hæc est modica diuersitas, vt dicam infrà, & notat cum Clauio Amicus.


PROBATVR secundò assertio eadem ratione, quâ probaui *quæstione prima*, Terram esse 43
sphæricam: Nam, qui nauigant ad partes Occidentales, vt à Lusitania ad Floridam, tardiùs vident, oriri Stellas, & Solem, quàm in Lusitania, eadem proportione, quâ supra dixi, vt singulis quindecim gradibus, vna hora fit tardior.

PROBATVR tertiò ex Eclipsibus Lunæ: 44
Nam in Eclipsi Lunæ, vmbra, aggregata ex terra, & aqua, rotunda est, in quacunque parte Cœli contingat Eclipsis: Igitur necesse est, Terram, & Aquam vnum conficere Globum. Antecedens patet in partibus Lunæ, nondum eclipsatis: Sunt enim corniculatæ, seu circulares: ergo vmbra est eiusdem Figuræ. Consequentia probatur: Nam, vt ostenditur in perspectiua, Figura cuiusque vmbræ imitatur Figuram corporis opaci, à quo proiicitur: Neque dicant, Aquam non proiicere vmbram: Nam, cùm totus Oceanus, & omnia Maria respersa sint innumeris Terræ Insulis, Continenti continuatis: (Non enim supernatare aquis credendæ sunt) si verum esset, quod obiicitur, iam vmbra fracta appareret.

CONFIRMATVR experientiâ, quam 45
affert etiam Ptolemæus, *dict.* 1. *capite quarto*: Nam existentes in Mari, nihil omninò, præter Cœlum, & Aquam intuemur: Quando verò Littora petimus; tunc primùm Montes, Scopuli, Arces, Turres, & eiusmodi alia sensim exurgere cernuntur; quasi ex Aqua emergant, idque, eâ proportione, vt priùs Cacumina, & Apices Montium, & Turrium; deinde mediæ partes; postremò infimæ, iuxta littora appareant: Quod minimè sic ordinatè accideret, si Mare supra terram attolleretur, aut superficies Maris non continuaretur cum terræ superficie: itavt vna ex

vtraque

vtraque conficeretur: Id in hac Figura apparet, in qua summitas Turris videtur, non autem Basis à sedente in apice Mali nauis: Ex quo etiam ruit ratio Aduersariorum, qui dicebant, Aquam super



Terram extolli, quod hac experientia probatur: Non enim ex hac prouenit; sed ex hac orbita Figura Terræ, & Maris.


46 Quæres, cùm terra, & aqua idem possideant Centrum, quâ de causâ sola Terra centrum occupet, & non etiam Aqua: Videmus namque Aquam super Terræ superficiem extendi.

Respondetur ex Diuo Bonauentura, *in 2. dist. 2. part. 1. dub. 1. litt.* quem sequitur Clauius, *in cap. 1. Sphæræ*; Terram esse grauissimum Elementum, & totius molis fundamentum: Vnde dicitur, Psal. 103. *Deus fundauit terram super stabilitatem suam*; Aquam vero, grauem secundùm quid, terræ supernatare; licèt videatur nobis esse sub terra, cui arridet *Psal. 23.* Qui fundauit terram super aquas: Sed de hoc infra *quæst. 5.*

47 Nota tamen, ex terra, & aqua non fieri Globum, perfectè Sphæricum: Nam supereminent Montes, decumbunt Colles; modicum tamen extolluntur, vt ait Galileus ad vnum milliare perpendiculum; & sunt sicuti in Malis Cydonus noduli. Vide Clauium cum D.Bonau. cui plaudit Amicus *tract. 7. quæst. 7. disp. 2.*

Nota secundò: Centrum grauitatis est punctus medius lineæ rectæ, diuidentis corpus in partes æquè graues. Centrum magnitudinis est punctus in medio lineæ rectæ, diuidentis corpus in duas æquales magnitudines.

Obiicies primò: Terra, & Aqua sunt inæqualis grauitatis, vt dixistis; Igitur nequeunt habere idem Centrum grauitatis, & magnitudini; sed terra propellit aquam extra centrum vniuersi; sicuti Globus, partim ligneus, partim plumbeus, non potest habere idem centrum grauitatis cum centro magnitudinis; cùm hoc sit in medio totius Globi; illud verò in parte plumbea, tanquam grauiori: Fit autem inuentio centri grauitatis hoc pacto: Suspenditur corpus liberè, & à suspensionis signo filum cum perpendiculo demittitur, notaturque linea recta, quam filum in corpore signat: Deinde ex alio puncto rursus suspenditur idem corpus, à quo denuò filum cum pependiculo demittitur, notaturque linea ipsius fili, in corpore: Quoniam igitur, vtcunque corpus pendeat, centrum grauitatis reperitur in linea illa perpendiculari, quæ ad centrum mundi vergit; necesse est, vtramque perpendicularem per centrum grauitatis transire: Punctum itaque illud, in quo duæ illæ lineæ perpendiculares se intersecant, erit centrum grauitatis; vt in hoc Schemate conspicis: Hic primum punctum suspensionis est A. Linea verò notata in corpore perpendi-



culi est A. B. Punctum suspensionis secundum, est C. Linea verò perpendiculi, in eodem corpore notata, est C. D. secans priorem A. B. in E. quod idem est cum centro magnitudinis in corpore vario, putà in Globo ligneo, vel plumbeo, vel terreo, & aqueo, &c.

Respondetur ex Diuo Bonauentura *dist. 2. part. 1. dub. 1. litt.* quem sequitur Clauius, *loco citato* obiectionem procedere ex falsa imaginatione, quasi ex vna tantùm parte sit terra, & ex opposito totum Mare, quod falsum est: Nauigantibus enim compertum est, tam sub Polis, quàm sub Æquinoctiali, tam ex Oriente, quàm ex Occidente, & in toto Orbe reperiri Insulas, Continentia, & Peninsulas: Itavt per totum Orbem commixta sint Terra, & Aqua: Refert itaque 48

Terra

terra speciem Globi lignei, in quo plurimæ sint concauitates, in quibus aqua possit recipi: Nam sic æqualitate ponderum, hic Globus, adeò collibratus, idem habebit centrum grauitatis cum centro magnitudinis.

Obiicies secundò: Neque terra, neque aqua sunt rotundæ; ergo nequeunt vnum globum facere; atque adeò oportet, vnum extra alterum collocari.

Probatvr Antecedens: Nam montes supereminent altissimi: vnde magna terræ planities videtur, simul & tractus maris.

49 Respondetvr, id, quod ex apice montis planum videtur, tantillum esse terræ, respectu totius globi: Vnde nihil mirum, si planum videtur; sicuti, si ex aliquo magno globo abscindas particulam, plana tibi videbitur: Addit Galilæus *in suo Nuncio*, altissimos montes non excedere vnum milliare in altitudine perpendiculari.

Ex dictis habes, terram, & aquam esse in centro mundi, id est, in medio; seu ipsum esse centrum, imò insensibilem, respectu mundi: Ita indicat D. Bonauent. *lib. 2. Compendij, cap. 8.*

50 Probatvr à Diuo Bonauentura ad illud Psalm. 118. *Fundasti terram, & permanet*: Et Psal. 103. *Fundasti terram super stabilitatem suam*: Et Isaiæ 48. *Manus mea fundauit terram*: Iob. 38. *Quando fundebatur puluis in terra.* Ex his habetur terræ immobilitas; vt notat Diuus Bonauentura *ibi.*


Probatvr primò ratione, quam tangit D. Bonauent. *loc. cit.* quia Firmamentum circulariter circa eam voluitur: itavt in eadem distantia vndique sit, quam rationem tangit & S. Doctor *in 2. dist. 14. part. 1. art. 2. quæst. 1. fund. 1.* Si enim terra non esset centrum mundi, non videretur medietas circuli vndique; sed arcus minor perciperetur ex eo latere; vnde terra magis eleuatur ad cœlum: hoc verò est contra experientiam. Videmus enim, semper sex Signa nobis apparere supra nostrum Hemisphærium, & sex abscondi: Igitur terra est in medio, seu centro Firmamenti: Hoc argumento vtuntur Clauius, & alij Astrologi.

51 Vervm quidem est in quocunque Horizonte, nos non esse in medio perfectè; cùm tota moles terræ subsit: Attamen illa pars adeò est insensibilis; vt sex signa cœli appareant semper; ea autem pars est tota illa terra, quæ est à nostra superficie, ad superficiem, seu ad Horizontem, transeuntem per centrum terræ; hæc enim sola linea diuidit Cœlum in duas partes æquales; vt constat ex primo libro Theodosij, & patet in apposita Figura.



Hæc verò satis patent ex Sole, & Luna, quidum in Diametro opponuntur in Plenilunio, alterâ quidem stante in Occidente; altera in Oriente, vel saltem dum Sol descendit Horizontem, videmus, Lunam ascendere Hemisphærium; vt notat Diuus Bonauentura *in 2. dist. 14. part. 2. dubio 3. litt.*


Probatvr secundò alia ratione, deducta ex Diuo Bonauentura *in Compend. Theol. lib. 2.* vbi, cùm *à cap. 4.* discurrisset de natura Astrorum; atque oppositiones Solis, & Lunæ, secundùm Diametralem diuisionem fieri asseruisset: Similiter & Eclipses Lunares, ex interpositione terræ probasset; tandem infert, naturam terræ esse in centro; imò esse centrum ipsius mundi: Si enim terra non esset in medio mundi sita, non fierent Eclipses Lunæ semper, quando duo Luminaria per Diametrum opponuntur; sed plerumque euenirent, quando Sol, & Luna non existunt in locis Zodiaci oppositis, quod falsum est: Sit enim centrum A. in quo si ponatur terra, manifestum est, Eclipsim fieri, quando Luminaria per diametrum opponuntur; quia nimirum terra inter vtrumque interponitur: Quando verò non inuicem opponuntur, nulla potest esse Eclipsis: Nam terra non potest impedire Solem, quin illuminet Lunam; quod si terra extra centrum mundi Sedem habeat; vt in B. poterunt duo Luminaria in punctis Zodiaci oppositis existere: & tamen nulla fiet Eclipsis; quia terra non reperitur in illa mundi diametro, secundùm quam opponuntur. Imò Luna patitur Eclipsim; quando minùs quam Semicirculo à Sole distat; vt in supposito Schemate vides. 52




Ex hac rursùs ratione confirmatur: Accipiantur duæ Eclipses Lunæ, quæ contingant in diuersis Zodiaci locis: In vtraque deficiet Luna; quando per Diametrum mundi, Soli obiicitur. Quare terra in vtraque illa Diametro existet: atque adeò in communi earum sectione.

Cvm igitur omnes Diametri mundiales sese in centro mundi intersecent; necesse est, terram in medio mundi esse collocatam: Huiusce autem descriptionis Sistema aspice in columna sequenti.

Dvas



Dvas conditiones Centri innuimus, prima, vt sit in medio; altera, vt sit insensibile; & quidem ostendimus, terræ globum esse in medio: restat, vt videamus, esse insensibilem: Probatur autem sic; si terra esset alicuius magnitudinis notabilis, collata cum Cœlis, iam admodum inæqualiter Horizon diuideret Cœlum in duas partes inæquales; vt in apposita figura cernis.



Idem de mari argumentum currit. Vide Clauium, latè hæc probantem, *loc. cit. &c.*

QVÆSTIO V.

Quo pacto Devs *aptauerit Terram, aquis vnitam.*

54 Prima opinio est, Terram esse depressiorem Mari. Ità Cicero, *lib. 2. de natura Deorum*, D. Thom. *p. 1. quæst. 69. artic. 1.* vbi Thomistæ, Basil. *homil. 4. Hexaëmer.* Canus, Burgensis, Cathar. *in cap. 1. Genesis.*

Secvnda opinio est, Terram esse eminentiorem. Ità Contarin. *lib. 2. de Element.* Molina, *prim. 1. disp. 11.* Lippom. Caietan. & Oncala, *in cap. 1. Ge ef.* Colleg. 2. *Coli, cap. 16. quæst. 4. sect. 2.* Ruuius, *lib. 3. cap. 8. quæst. 3.* Clauius, *in cap. 1. Sphæra, col. 148.* Philal. 2. *cæli, text. 33. & 89.* Ægid. *lib. 2. Hexaëmer.* post SS.PP. Hieron. *in Psalm. 32.* Chrysost. *homil. 9. ad pop.* Augustin. *in Psalm. 135.* Damascen. 2. *fidei, capite 9. & 10.*

55 Tertia opinio est, terram partim excedere, partim excedi. Ità Clauius, *fol. 32.* cui subscribit Amicus, *tract. 8. de Element. quæst. 5. disp. 4. art. 2.* Arriaga, *disp. 2. de Gener. num. 59.*

S. Doctor, *lib. 2. Theol. verit. cap. 8.* Terram infimum Elementorum confitetur, ab aliis circumdatam, aliorum centrum, quippè omnium vilissimam.

Assero primò, Terram esse simpliciter depressiorem mari.

Probatvr à Diuo Bonauentura; quia graue simpliciter, etiam vilissimum, habet locum depressiorem; at terra est grauis simpliciter; vt omnes fatentur: Ergo: Maior patet ex communi calculatione Sapientum; & ordo vniuersi id exigit; vt docet Diuus Augustinus 19. *de Ciuitate Dei, cap. 13.* 56

Respondent Amicus, & alij, non esse absonum, Elementa extra locum degere, ob bonum vniuersi, ac priuari accidente.

At, cùm Deus dederit qualitates grauitatis & leuitatis Elementis; non capio, ea violenter detineri secundùm se tota extra locum. Sanè ordo abrumpitur, & Deus cogitur naturam peruertere: Superficies autem concaua aquæ, est locus naturalis terræ, vt docet Aristoteles 4. *Phys. text. 5.* & cum eo Amicus, *tract. 7. quæst. 5. disp. 1. num. 5.* adducens alios; & de facto, in eo situ esse aquam, fatetur, *num. 6.*

Probatvr secundò à S. Doctore *ad 1. Eccles.* Omnia flumina è mari exeunt, ex his alia è montibus etiam altissimis: Sic dicitur & Psal. 103. *Super montes stabunt aquæ*, easque esse terræ pallium, *Abyssus, sicut vestimentum, amictus eius.* Itidem mirabile illud obseruat S. Doctor, quo pacto Deus, vt aquas in proprio loco detineret, conclusit eas vectibus, nè erumpant: Idcò gloriatur Deus, Iob. 38. *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat?* Sanè Deus hîc suæ mirabili potentiæ hoc adscribit: Quid autem mirum, si in foueis aqua decliuis iaceret? 57

Confirmatvr à Diuo Basilio, oculatâ experientiâ: Mare rubrum apparet nauigantibus altius terra; & obseruat S. Doctor ad 5. Lucæ, id. *Ascendit Iesus in nauim*: Et: *Duc in altum, &c.* Confirmatur: Nam recedentibus à portu, apparet optimè locus, vndè Anchoras soluimus: posteà verò incipit disparere; cùm à tumore aquarum declinamus. 58

Qvæ respondet Amicus, domestica sunt, & ex dictis eruta: Dicit, flumina oriri è mari, vel immediatè, vel mediatè, genita è vaporibus in altis locis. 59

At cur stant super montes, & vbicumque non sit necesse substare aëri? Hic sanè est locus aquæ, super terram, & sub aëre: Esto ex parte cedat, vt locum domiciliis nostris relinquat; vt fatetur Amicus, *tract. 8. quæst. 3.*

Dicit, illudi Nautas in experimentis suis; imò Nautas dico non illudi; sed simplices, dum littora demissiora putant: An non in globum extenduntur? ergo intumescunt: Sic ascenditur in mare; vt ait Lucas Euangelista.

Dices, *Psalm. 106.* habetur: *Qui descendunt mare in nauibus.*

Respondetvr, descendere in nauim: quia in sentinas descendunt nauigantes: Ideò descensus est ratione nauis, non ratione recessus à terra: Descenditur autem: quia Naues altè expiscantur in aquis, maximè armatæ, de quibus *hîc*: Ita D. Bonauent. *serm. 13. Hexaëmeronis.* 60

Qvod verò dicitur Psal. 32. *Congregans, sicut in vtre, aquas maris*, quod vrget Amicus, pro nobis est: Vult enim, Mare, sicut vtrem intumescentem attolli.

Obiicitvr primò; quia velociùs ad portum non redimus; sed è contra, ocyùs recedimus; Sanè quia descendimus.

61 Respondetvr, in recessu esse vires validas, ad remigandum; at in regressu fatigatas: Deinde & Nautæ retinent nauim, ne ad portum illidatur.

Obiicitvr secundò, Aquas ad decliuiora currere.

Respondetvr, ad decliuiora, vbi aër sibi lectum rapuit, ire; non, vt terræ subsit, nisi per accidens; at, dum in loco suo est; exurgit super terram; imò, vt eam operiat; vt ait Amicus, *tract. 8. quæst. 3. disp. 4.*

Obiicitvr tertiò, ad operiendam diluuio terram, oportuisse, cataractas Cœli lacerari; cur Orbis aqueus non suffecit? Sanè idem centrum aqua cum terra habet.

62 Respondetvr, necesse fuisse pluere, ad præcludendos aditus, ascensus ad montes: Aqua enim est minor terra: nam vix milliare in alto Mari descenditur; terra autem habet 7000. milliaria Diametri: Et si vnum Centrum habet cum aqua: Est tamen grauissima; neque eius locum quærit aqua; & si in aliquo profundo sit, & cadat saxum, per præceps currit ad aquam expellendam.

Non nego, terram capita montium super aquas attollere è mari, Insulas natantes erigi; sed quid tum? Hæc extra attolluntur, ob aquarum paucitatem: Quod verò adducit, Terram dici fundatam super Maria, *Ps.* 27. super aquas, *Ps.* 135. Id fateor, dici ad Diuinam sapientiam admirandam, quæ Globum terreum, inter aquas, stabilem firmat; non ab aquis solidatum; sed indita grauitate; vt in Centro non grauitet.

Obiicitvr etiam experimentum: Nam, qui è Lusitania, in nouam nauigant Hispaniam, singulis permeatis quindecim gradibus, vident, tardiùs sibi oriri Solem vna hora; quòd, si mare in tumorem eleuaretur, citiùs viderent Solem; sicut qui sunt in monte.

63 Respondetvr, Terram, & Aquam ex hoc probari Sphæricam; quia, quò magis recedunt ab orientali plaga, eò tardior proportionatè oritur Sol, & occidit; quia licèt mare in globum vertatur, & intumescat; tamen & deflectit, & recedit, atque descendit sphœricè è segmento orientaliori, quod Lusitaniæ magis apparet; q[illegible] plures partes globi apparent: Ideò hinc nihil probatur.

QVÆSTIO VI.

Quæ Terræ *portio sit habitabilis.*

64 Antiqvi Cosmographi, atque Geographi, quinque Zonas in Cœlis, & Terra constituere; duas gelidas ad Circulos Polares restrictas; duas temperatas à Circulis Polaribus ad Tropicos; & mediam inter Tropicos torridam; vt dicam, *tractatu octauo, disput. 3. quæstione 7.* vbi omnia distinguam: Igitur Antiqui duas extremas, ob frigus, & mediam, ob calorem inhabitabiles credebant; solas temperatas incoli.

Enimverò è Veteribus Eratostenes, Polybius, Auicenna; & ex Theologis aliqui apud Diuum Thomam, *prima primæ, quæstione 102. articulo secundo ad 4.* sub Zona torrida Cœli clementiam agnouère, vt ibi terrestrem crediderint Paradisum; de quo disseram, *loc. cit.* Hoc autem ex nauigatione ad eas plagas compertum est. Idem & de Zonis frigidis constat ex Olao M. Etsi Ptolemæus Thulem vltimam statuat, quæ extra Circulum Arcticum tribus gradibus egreditur, cui accinit illud Virgilij,

Tibi seruiat vltima Thule.

Christophorvs Columbus, anno Domini 1493. ex Hispaniæ portis, Noui Mundi nauigationem suscepit, non suo marte, cum itineris ducem habuerit Seraphicum Doctorem, qui anno 1275. ad Cœlos euolauerat, relinquens insignia hæc immortalitati monumenta; vt dicam. 65

Hic igitur *in 2. distinctione 17. dubio tertio, litt.* cum Damasc. *libro secundo de fide, cap. 11.* suprà allato, ponit Paradisum sub Zona torrida ostendens, ibi Cœli clementiam, Solique amœnitatem cum Solis serenitate; tum quia nox æquè ac dies Solis calorem diurnum mitiget toto anni tempore; cùm nos Æstate breues habeamus noctes: Deinde vaporum, atque adeò imbrium adest copia à Sole valido, è locis pluuialibus, atque marinis abductorum, & genitorum. Tertiò, qualitates regioni illi à Deo concessæ, vt esset immortalium, & impassibilium inge domicilium. Quartò, situs montium attemperatus. Quintò, Oceani vicini alluentis conditio; solet enim Mare temperiem afferre. Sextò, Ventorum leniter afflantium auræ. Tandem visus est Deus ventos de thesauris suis; Thesaurosque de Ærariis eduxisse, vt ea Regio, innocentiæ beata veluti patria, parans Dei visum, Paradisus dici iure, ac meritò posset.

Qvia verò errandi periculum erat; docuit S. Doctor *loc. cit. & in Diæta salutis, tit. 5. cap. 1.* tendendum Meridiem versus, vbi Flumina illa quatuor è Paradisi fonte defluunt ad totam regionem alluendam; multaque alia dat indicia, quibus optimè instructus Columbus ad noua climata euolans, indè honorem, & diuitias asportaret; & bonus nuntius Syrus, sub alis descriptam totius Orbis noui Topographiam, ad Posteros deferret, in magnam Europæ vtilitatem, & Christianæ Religionis amplificationem. 66

Is igitur Sancti Bonauenturæ documenta obseruans ab Occidente, semper Meridiem versus iter capescens, continentes, & Insulas inuenit, & nouum Orbem, Seraphici meritis, Poemate dignus à Tasso acclamatur: Eisdem quoque directionibus, Americus Americam inuenit.

QVÆSTIO VII.

De Terræ *Motibus.*

Varias de terræmotûs causâ Sententias referunt, atque refellunt Aristoteles *2. Meteor. cap. 7.* Plutarchus, *libro tertio, de plac. capite 15.* Seneca, *lib. 6. nat. qq. à cap. 4.* Plinius, *lib. 2. à cap. 79.* Mirandul. *lib. 1. de exam. vanit. cap. 12.* Collegium, *tract. 11. Meteor.* Eas mitto, quia inanes. 67

Peripatetici, cum Aristotele, censent, Terram ab halitibus, intra viscera genitis, concuti. Ità D. Bonauent. *lib. 2. Compendij Theol. cap. 9.* vbi ait: *Terra motus est*, id est fit, cùm *Vapor grossus extractus de profundo terra, non potens exire extra superficiem terra, propter eius soliditatem: Sicque coarctatus in interioribus concauitatibus, terram concutit:* Definit autem eum causaliter; quia essentia ignotior; sic enim suadet Aristoteles. Ita & Eclipsim Lunæ, dico esse Terræ interpositionem, vt notat Toletus 2. *de Anima, quæst.* 19.

68 Ne autem incredibile videatur, solidum, & adeò ingentem Globum, à Deo firmatum, halitibus fugientibus tremere; reliquit apud nos similia experimenta: Nam & Ventis euolantibus cedunt moles corruentes; Syluæ his tremefactæ, Turres prostratæ, Ædificia denastata, solo æquatæ Vrbes desolantur. Quid non bellica tormenta pyrico puluere exhalante expugnant? Homines, agitatis phrenesi spiritibus vitalibus, & animalibus, mira operantur, catenas rumpunt, &c. Igitur exhalare nequeuntes halitus, ignefacti subterraneis bituminibus, à Sole, à fœcibus abyssinis, & antiperistasi, sese vnientes ad pugnam, dum exhalare conantur per Cauernas, aufugiunt quæritantes exitum; atque in seipsos reuersi, terram quatiunt, sonantes modo haud absimili, quo & inter cauernosos nubium sinus receptæ exhalationes alto tonitru excutiuntur, excussique Orbem perterrent. Ventus ipse in terræ cauitates irrumpens, valet terram tremore vexare; vt docent Author Libri ad Alexandrum, Metrodorus, Archelaus, & Callistenes; quod malè negat Georgius Agricola, *lib. 2. de ortu Subterraneorum*, vt monet Collegium *cap.* 2.

69 Multas terræmotuum species distinguunt Aristoteles, *loc. cit.* & alij apud Ingenier. *de Terra, cap.* 3. Conimbr. *loc. cit.* Vrsinum *disputat.* 3. quæst. 1. cap. 2. *Brasmatia*, cum halitus sursum moles propellunt. Hoc pacto, Delos insula emersit è mari Ægeo. *Chasmatia*, cum inclinata terra moles vorantur, & absorbentur; Hoc pacto Helice, & Bura in Achaia voratæ sunt. *Climatia*, quæ montes solo æquant plano. *Mycematia*, cum Elementa dissolutis compagibus saliunt; vel relabuntur considentibus terris: Equidem breuiùs expedio, differentias istas accidentarias esse, pro varietate halituum, locorum, sinuum, canitatum, per quæ euolant: Modo enim per latera; modò sursum; modò Deorsum aufugiunt. Inde, Alberto teste, *libro tertio, tractatu secundo, cap.* 18. Alius est terræmotus agitans, subuertens, scindens, perforans, ruinosus, &c. Aristoteles duo genera recenset, alterum simile tremori; alterum pulsus agitationi.

Sonus varij intonant, pro varietate exhalationum, cauearum, &c. Sicuti (ait Aristoteles) etiam variæ sunt voces hominum, pro organorum varietate.

70 Signa quædam terræmotum præsagiunt. Primum, si Putei repentè ex sese turbidi effecti veluti ebulliant, & mephetim exhalent. Secundum, si mare sine flatu intumescat. Tertium, si diutina sit aëris serenitas. Quartum, si in sero linea nubeculæ sit extensa. Quintum, si æstate frigus improbum ingruat: Vide Collegium, *cap.* 5. Vrsinum, *loco citato.*

Loca, terræmotibus obnoxia, sunt caua, fungosa, cauernosa, & calida non excessiuè: Nam in locis æstuantibus dissoluuntur halitus, & exhalant; sicuti & in frigidis, iners calor non trahit halitus.

Montes, quia cauernosi, & Insulæ, quia circumfusæ aquæ obsidione, premunt intus halitùs bituminosos. è spumis salsis iniectis progenitos; vnde Cyprum, Sciciliam, Euboeam, Tyrum, Ænariam, Liparam, Molucasque experimur his motibus crebriùs agitari.

Non assolent vbique simul Terræmotus totam terram quatere, cum non vbique halitus vehementiùs agitati sunt: Aliquos verò terræmotus ferè totius Orbis referunt Corosius *lib. 7. cap.* 32. Et Iuglares, *de veritate*: Vnum verò in morte Domini sui tota passa est terra, vt ait Dydimus *in Catena super Iob. cap.* 9. quo Bythinia concussa, & in vrbe Nicena ædes sunt dirutæ. 71

Accidunt terræmotus; vt ait Aristoteles, magis Vere, & Autumno; Nam Hyeme exhalationes non euocantur; & Æstate soluuntur.

QVÆSTIO VIII.

De Ignibus subterraneis.

Mvltos Ignes subterraneos supponit Diuus Bonauentura, *libro secundo Compendij, capite octauo*: Eorum pabulum sunt Bitumen, & Sulphur: Hinc loca bituminosa incendia emitttunt: Accenduntur autem ab halitibus mutuâ attritione, aut motu accensis. 72

Svnt & plura loca ignifera, perpetuas flammas euomentia: Alia tantum pro stato tempore; Notissima omnibus est Æthna, vicinis Incolis insensissima; hæc à longè Vrbes, Camposque fœdo diuastat incendio; De hac suspicor loquutum Aristotelem, *libro de Mirab. Auscultat.* Cùm ait, circa Sciciliam patere Craterem ignium emicantium, latitudine stadia habentem quadraginta. Vide Collegium, *capite tertio*, atque etiam Vesuuium in Campania, alia loca ignifera indicantem.

In Montibus vsitatiores sunt huiusmodi ignis rupti Carceres: Istinc enim vehementiores Halitus erumpunt; ac maior bituminis copia accenditur: Refert tamen Aristoteles, *loco citato*, in Media psittacine, Persidis regione, iuges ignes exardescere, locis vtique planis, non accliuibus; quare ait Regem Persarum istic Coquinas extruxisse.

Refert etiam ibidem, extra Herculis Columnas iugiter quædam noctu incendia flagrare quædam diù. In Pithecusis Insulis ait, æstuaria esse, ardore quidem, ac vi igneâ intensissima; absque tamen flamma; citatque Xenophanem, in Lypara simile extare referentem; quod decimo septimo quoque anno extinctos ignes recuperat. Item in Lydio emergunt sæpè accensi subterranei vapores, septem diebus continuò ardentes.

Horvm diuersitatem repete ex Bituminum, Sulphurumque diuersa natura, ex variis etiam antiperistasibus, quibus pigriùs, aut ociùs agunt, reaguntque calor, & frigus, aliæque qualitates, ex loci natura, seu Astrorum influxu, Sulphureis vaporibus inditæ, qui ciuilibus odiis, ac bellis inter se agitati, in flammas excandescunt; aut atris aliquando exsufflationibus pro subiecta materia commoti, in atrocioris

cioris discordiæ signum, absque luce, & flamma, præruptas montium moles eiaculantur, ac cœco impetu obuia quæque incendunt, ac subuertunt, vti 4. ab hinc annis ipse vidi, Italiæ in vico Grommensi contigisse, quem Mons ingens propè imminens, etsi siluis onustus, atro ac incinerato Bituminis, lapidumque torrente, totum obruit, vnâque locum cun 80. circiter Incolis sepeliit; tota interim multitudine Vesperas non longè istinc in Ecclesia quadam persoluente; cœteris suæ forsan ignauiæ, ac indeuotionis pœnas, inopinatâ morte luentibus.

QVÆSTIO IX.

De Metallis.

DE his agit Plato *in Timeo*, Aristot. *lib. 3. Meteor. cap. 6.* Theophrastus, *lib. 1.* Plin. *lib. 33. & 34.* Albert. Magn. *de Mineral.* Agricola, *de ortu subter.* Colleg. *tract. 13.* & alij. Sex species sunt, Aurum, Argentum, Æs, Verrum, Stannum, Plumbum, è quibus alia sunt mixta.

73 MATERIAM, è qua Metalla conflantur, Chymici dicunt, esse Mercurium, qui est argentum viuum, & Sulphur.

ALBERTVS Magnus vult esse humorem pinguem.

GEORGIVS Agricola vult potiùs, esse Aquam Terræ admixtam.

ARISTOTELES docet, esse halitum humidum intra Terræ viscera, lapidibus præcipuè conclusum, & ob Terræ, lapidumque siccitatem, ac frigus potissimum, coagulatum. Ità etiam Collegium *tract. 13. cap. 2.* cum D. Bonauent. *lib. 2. Compendij Theol. cap. 8.* Non vult autem Aristoteles, nudum halitum esse materiam Metallorum; sed mixtum vapori; imò & terrulento humori: Et hoc vult D. Bernardus, & cum eo S. Doctor *ad cap. 7. Sap.* dicens, Aurum esse terram rubram, in imo genitam, quod ad contemptum dicit: De Auro mystico egregiè loquitur S. Doctor, etiam *ad Psalmum. 104.* Idem sentit *in 2. dist. 14. part. 2. dub. 2.*

74 CAVSA efficiens Metallorum principalis est Sol, & alia Sydera, vt passim docet D. Bonauent. Adiuuat Ignis, seu Calor subterraneus decoquens; vt docet S. Doct. *lib. 2. Compendij Theol. cap. 8.*

LOCVS, in quo gignuntur Metalla, est terræ gremium, vt ait D. Bonau. *ad 7. Sap.* cum Aristotele *3. Meteor. cap. 6.* Quamvis verò aliqua flumina trahant aurea ramenta, & arenas, vt Ganges, Pactolus, Tagus, non tamen gignunt illud, sed è terra quam radunt, erutum asportant. Mensam auream, expiscatam circa Counm, Vide in S. Doctore *Serm. 5. de S. Agnete.*

METALLORVM plura sunt genera; sed omnium præclarissimum Aurum, quod laudibus prosequitur S. Doct. *serm. 1. de S. Laurentio*, quem auro assimilat: Aurum sanè pulcherrimum est, eiusque color decus colorum. Est maxime ductile, Igne non absumitur; sed purificatur: Rubiginem non contrahit: Est maximæ virtutis contra cordis oppressiones, atque deliquia, maximè confortans, & est febri malignæ, passioni Cardiacæ & Lepræ, eximium Antidotum: Ipsum non minui in igne, sed perfici, docet S. Doctor, *serm. 2. de plurib. Martyrib.*

75 QVOD si aurum sophisticum sit, seu falsum, igne dignoscitur: Vide sermonem illum Seraphici verè aureum, & secundum *de S. Bartholomæo, & ad Psalm. 104.*

QVÆSTIO X.

De GEMMIS.

GEMMA est lapidis species, sicut & Marmor, Cos, Silex, Saxum, vt ait Cardan. *lib. 7. de subtilitate.*

DE his passim agit S. Doctor: Et quidem de duodecim fundamentis supernæ Hierusalem, agit *in Diæta salutis, tit. 10. cap. 5.* Hæc è duodecim gemmis sunt, Iaspide, Sapphyro, Chalcedonio, Smaragdo, Sardonio, Sardio, Chrysolito, Beryllo, Topazio, Ametysto, &c. quarum naturas describit, & virtutes, eas applicans moraliter animæ dotibus, & virtutibus explicandis. Ipsum consule mira de his eloquentem: De aliis, multa *in Sermonibus*, quas Alphabeto referam. De gemma Alectoria, quæ in ventriculis Gallinaceorum reperitur, quæ robur confert, de qua Plinius, *lib. 37. cap. 10.* Solinus *in Polyštore*, Isidor. *lib. 16. Ethymol. cap. 13.* agit S. Doct. *serm. 1. de plur. Martyrib.* 76

ADAMANTEM, igne non calefieri fertur, vt refert Seraphicus *serm. 2. de SS. Philippo, & Iacobo*: Insuper rumpi potiùs; nec figurari posse, ait S. Doctor *serm. 2. de Martyribus*: Frangi verò sanguine hircino, docet *serm. 2. de vna sancta Virgine*, esse ferè incorruptibile, ait, *serm. 2. S. Barthol.* etsi obmurmuret Colleg. Probl. *sect. 4.*

AMETISTVS purpureo violaceus, flammifer, illusiones arcet, ebrietati medetur. 77

BERYLLVS, viridi eluso fulget; aliquantulum pallidus est, & in figura sex angulorum est politus.

CHRYSOPHRASVS igneus, noctu, & diù apparet aureus.

CARBVNCVLVS est luminosus: Ità D. Bonau. *serm. 2. de Sancto Bartholomæo.*

CHALCEDONIVS pallidus, durus, scalpro renitens.

DE Chrysolito aurei coloris scintillante agit, *serm. 1. de plur. Martyr.* vbi ait, positum iuxta Cor, confortare, & Dæmonibus infensum. Vide Albertum *lib. de Lapid.* Camill. Leonard. *in Speculo Lapidum.* Bartholomæum Anglicum, *lib. 16. cap. 29.* & Dioscoridem, ad quos Margo S. Doct. remittit.

HYACINTHVS est coloris aërei, ad cæruleum declinantis, videtur in nubilo nubilus; in sereno serenus.

IASPIS viridis, phantasmata propellit.

MARGARITA, nota Opalus, albus. Rubinus, qui probatur positus in fundo vasis aquâ pleni, vnde lucet, vt ait S. Doct. *in 2. dist. 14. quæst. 1.*

SAPPHYRVS Cœlestis, venenosis antidotum, maximè Araneæ; punctis aureis distinctus. Lapis Regius, in quo Deus sculpsit Legem, formauit sibi thronum coram Ezechiele.

SARDIVS rubens, lætificat cor, timorem fugat.

SARDONYX tricolor, in imo niger, in medio candidus; in summo rubicundus, reddit temperatum sanguinem à feruore.

SMARAGDVS viridis gratiosus, multis morbis antidotum, præsertim Epilepsiæ, seu Caduco morbo; qui & comitialis dicitur, & Herculeus, vt ait S. Doctor, *serm. 2. de SS. Philippo, & Iacobo.*

TOPAZIVS aëreo splendet, & aureo colore, omniumque Gemmarum vincit claritatem, & aspicientes 78

picientes allicit, ac qualitates omnium recipit Gemmarum.

HARVM virtutes Gemmarum, virtutibus gemmatis mirificè adaptat S.Doct. *in Diata, loco allato.*

TVRCA apud Plin. Alb. Ruel. quos sequitur Eustach. *part.* 2. *tract.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 3. addens alias cum Ingeniero, *lib.* 3. *Meteor. cap.* 11.



DISPVTATIO II. DE AQVA.

MVLTA de Aquis vidimus, nempè esse creatas tertiâ die: esse Sphæricas: esse vnum cum terra Globum: esse Centrum mundi, & alia, quæ *in præcedenti disputatione* videntur: præcipuè verò, Mare esse locum aquarum: Ad Mare enim defluunt; vt habetur Eccles. 1. *Omnia Flumina intrant in Mare*: Vide Diuum Bonauenturam *in* 1. *Eccles.* ad allegata verba.

PRÆTEREA inter cætera Elementa, Aqua suo termino non contenta, alieno facilè clauditur; Calori inimica; cuius tamen vi super Cœlos vehitur; verùm vicinitatem terræ appetens, in Imbres mox resoluta decidit, gratâque irrigatione sterilitatem abigit. Olim vltrix Dei Iustitiæ, Mundum ab ardore simul, & fœtore luxuriæ vindicauit: Purgat enim & infrigidat; Contrà creditur igne purgatum iri mundum senescentem, eò quòd tunc Charitatis tepor, seu Auaritiæ frigus sit maximè inualiturum, vt notat S.Doctor 2. *part. Centil. sect.* 6. His notatis: De Elemento Aquæ pauca restant dicenda; quare Disputationem hanc breuius absoluam.



QVÆSTIO I.

An Salsedo insit MARI *à Creatione, an operatione Solis.*

1 MARE quidem salsum esse quis dubitat? Sunt tamen aliqua maria minùs salsa cæteris, vt Septentrionalia: Sunt etiam & aliqua minimè salsa; vt Palus Meotis, ad partem capitis Draconis; & in America Columbus inuenit mare, per 140. milliaria, dulce: Omnia denique maria in fundo non sunt salsa; vt ex vrinatoribus liquet, & docet Aristoteles, *probl.* 30. *sect.* 15. & prope littus sunt minùs salsa; vt docet Aristoteles, *probl.* 31. Hanc verò salsedinem purgari per decursum inter meatus terræ: quod in fluminibus, è mari prodeuntibus, patet. Hinc malè aliqui, salsedinem mari obuenire, quia colatur per terram, quale fit lixiuium, asserunt.

SCIAS verò, aliqua esse maria, quæ salsa sunt, nec iunguntur Oceano euidenter, vt Mare Caspium, & Lacus huic proximus, SANCTVS PAVTA, dictus à Strabone, *lib.* 11. Mareque Galilæum. Sunt & alij Fontes mari ipso salsiores: Relictis autem quorundam fabulis, vt Empedoclis, qui ait, salsedinem esse sudorem maris.

PRIMA opinio est Theophil. Cardan. Nyphi, 2
& aliorum, qui salsedinem maris adscribunt montibus Salis, aquas illas condientibus, quod Aristoteles de Mari Galilæo astruit.

SECVNDA opinio est, salsedinem infuisse à creatione ipsis aquis, attamen tertiâ die separatas fuisse partes salsas à dulcibus; & salsas quidem in concha maris relictas; dulces verò, per meatus, subterraneosque anfractus emissas, tum ad glutinandam terram, tùm ad ipsam fœcundandam. Ità Philo, *lib. de opificio mundi*: Et quidem, quoad eam partem, quòd à Creatore, tertiâ die, fuerit aquis indita salsedo, probabiliùs esse putat Suar. *lib.* 2. *Hexaëmer. cap.* 6. *num.* 21. quod probat: quia tunc congregationes Aquarum vocauit Maria: Dicitur autem Mare, quia amarum est; vt docet D. Isid. *lib.* 13. Orig. *cap.* 14. Idem censet Glielmus *de gloria Sanctissimæ Trinitatis*, Eustachius *part.* 2. *Phys. tract.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 11.

TERTIA opinio est, salsedinem mari inesse, à 3
putrefactione aquarum, factâ ex otio: ità Cardanus.

QVARTA opinio est, Solem extrahere ab aquis partes subtiliores, ac dulciores, & manère crassiores; vnde salsedo sentitur, vt patet in excrementis.

QVINTA opinio est D.Bonauent. *in cap.* 1. *Eccles.* ad ea verba: *Flumina exeunt ex mari*, Salsedinem oriri in mari ex admixtione terrei, quod siccum est; Sole verò extrahente partes subtiliores, remanent partes mixtæ terrestriores, siccis partibus redundantes, quibus aliquæ exhalationes bituminosæ mixtæ sunt, & salsum saporem habent: Sic enim salsedinem generari docet Aristoteles 2. *Meteor. cap.* 3. cum S. Doctore incedunt plurimi Antiquorum, quos refert D.Basil. *hom.* 3. *Hexaëmer.* Nec eam refellit, sed probabilem putat Suar *loc. cit.* Fuliens. *lib.* 2. *Phys. cap.* 5. *art.* 5. P.Galit. *lib.* 2. *quæst. vnic. num.* 17. Idem habet S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 14. *part.* 2. *dub.* 1. *litt. in fine.*

ASSERO primò, Salsedinem non fuisse à Deo in mari concreatam.

PROBATVR *arg. indicato* à D. Bonauentura: 4
Deus enim condidit aquas Elementum purum, tertiâ die; at purum Elementum, nec odorem, nec saporem habet; cùm hæ sint qualitates secundæ resultantes ex mixtione partium. Eodem argumento ostenditur, salsedinem non resultare ex sola extractione partium subtiliorum, ab Elemento puro aquæ: Nam quæcunque partes euaporent ex proprio Elemento, non habent mixtionem necessariam ad secundas qualitates: Quoad montes verò salis, fabulæ sunt, gratis excogitatæ: Vbi enim sunt montes hi? Nota D.Bonau. §. *Item quæritur, loc. cit.* dixisse, omnem aquam per naturam esse dulcem, intellige mixtam è sapidis dulcibus; vel signat esse gratam: Aquas verò mixtas variè esse sapidas; Vide in Collegio, *tract.* 10. *Meteor. cap.* 10.

ASSERO secundò cum Diuo Bonauentura, salsedinem mari obuenire, ex admixtione succi terrei, & bituminosi.

PROBATVR à D. Bonauentura; quia mixtio necessaria

necessaria est ad secundarum qualitatum eruptionem, & talis mixtio ad tales qualitates requiritur; sed salsedo ex tali mixtione oritur; vt patet in Excrementis,& Imbribus autumnalibus; quando decidunt exhalationes siccæ, eleuatæ æstate, ex fructibus acerbis, ex compositionibus bituminosis,ex sulphure, &c.

CONFIRMATVR ex Dioscoride *lib.5.cap.19.* quia mare calefacit; ideò Insulæ quædam Septentrionales sunt calidiores locis minùs Septentrionalibus, vt Anglia est calidior Galliâ, atque etiam Germaniâ.

HINC etiam habes, falsum esse, ex putrefactione fieri salsedinem; putredo enim ab humido, non à sicco venit; Maris verò sal est antidotum putredinis.

6 COLLIGE secundò, cur Maria Australia sunt magis salsa; quia scilicet, plures partes exhalantes attrahuntur à Sole ibi validiori, ad superficiem aquarum, quàm in Borealibus, vbi infirmior est radius: quia ad angulos obtusiores percutit aquam: In America verò, ex concursu plurimorum Fluminum, propellentium aquas marinas,minor salsedo comperitur. Ex hoc habes, cur & lacus non sint salsi: Nam ex concursu aquarum fluentium, & continuo egressu non possunt exhalationes sufficientes attrahi ad superficiem.

QVÆSTIO II.

An MOTVS *Fluxus, & Refluxus maris sit à* LVNA.

7 INTER Creatoris mirabilia, mirabile est mare, quod etiam sale condiuit, & motu dotauit; vt à corruptione immune perseueret. *Mirabiles* (clamat Propheta Rex) *elationes maris*; vt notat Diuus Bonauentura *in Psalm. 4. & Psalm.92.* Huius status, motusque mirabiles sunt; & licèt viluerint aspectibus, tamen causas ignoramus; vt ait D. Augustinus, *libro de vtil. credendi, cap.6.* Gyrat Oceanus circùm, aperitque vndique aditus, ad terram permeandam: Sic angustum Gibalteræ adaperiens meatum, Italiam Mediterraneum peruadit, Adriaticum Dalmatiam abluit, Ægeum Græcos lauat, Rubrum purpurat Ægyptios, & Arabes, Mare Album inter Russiam, & Lappiam exundat, candidatos faciens Sinus illos superbos, Caspium inter Persides, & Sarmatas residens apparet Oceano tributum non soluere; & sanè per sinuosos terræ arcanos anfractus, Caspium Oceano suas vndas fert acceptas, vt testantur Plinius, *lib.3. cap. 17.* Solinus, *cap. 21.* qui dicunt, ipsum è mari Scythico emergere. At secundùm Cardanum, *lib. de subtil.* cum Persico coniungitur. Ptolemæus, & Marcus Polus referunt in naturam Soli, quòd aquæ non sint salsæ; licèt cum mari communicent; In his Maribus multi, ac varij motus conspiciuntur: Horum tamen præcipuus est æstus, quo fluit, & refluit; de quo Scrutatores naturalium plurima scripsère.

8 PRIMO quidem aliqui,vt refer Solin. *cap.21. & 26.* Strabo, *lib.4.* Seneca, *lib.3. natural. quæstionum, quæst. 16.* Plutarchus, *de placit. lib. 3. cap.17.* somniantes, aiunt, mundum vastum Animal, respiratione aquas impellere; sed hæc fabula est.

ALTERA opinio, quam refert præcipuè Plutarchus, asserit huius causam esse Solis calorem; qui exoriens,eleuat è mari exhalationes, & vapores, quæ vnitæ mare impellunt; vndè fluit, & refluit. Alij volunt, mare ab istorum halituum impulsu intumescere; & sic effluere ad littus; recedente verò Sole subsidere, vt contingit in aqua lebetis, admoto, & amoto igne.

TERTIA opinio est Mirānduli, *lib. 3. cont. Astrol. cap. 11.* Buccafer. *3. Meteor. 18.* causam esse naturam terræ, in qua colligitur mare: & hoc dupliciter. Primò, si in medio sit decliuior, quò aquæ decurrunt, iam se collidentes resilient ad littora.

SECVNDÒ; Si decliuitas sit in tota vna parte, eò similiter conuenient aquæ, & est fluxus, indè verò resilient. Adde impulsum ventorum, à quibus aqua ad decliuiora pellitur.

QVARTA opinio est, hunc motum esse mari concreatum, nè putrescat.

QVINTA opinio, apud Plutarchum, *3. de 9 placit. cap. 17.* Mare refert moueri ad augmentum Lunæ.

SEXTA opinio est Adelandi, hinc euenire fluxum,& refluxum; quia terra, cùm sit vnum Elementum, vnum locum desiderat, sicut & alia Elementa; quia verò terræ interiacent aquæ, natura propria agitatæ, conantur in vnum confluere locum; & ideò ad littora accedunt, & ab eis repelluntur: Quam sententiam probabilem putat Ioannes Picus Mirand. *lib. 3. cont. Astrol. cap. 15.* atque probabilissimam inter cæteras acclamat P. Galitius, *lib. 2. tract. 2. quæst. vnica, num. 16.* qui in Diuo Bonauentura versatus, eius sententiam non percepit.

SEPTIMA sententia est D.Bonau. *in 2. dist. 14. part 2. art. 2. quæst. 2. in corpore, & lib. 2. compendij Theol. cap.7.* cum Ptolemæo *lib. 2. cap. 12.* Cicerone *lib. 2. de natur. Deor.* Plinio, *lib. 2. cap.97.* Strabone *de situ Orbis, lib. 3.* Solino, *cap. 16.* Rucr, *ad cap. 1. secundi Meteor.* Alberto, *tract. 3. de mari, cap.6.* Albumas. *lib. 2. maioris introduct. ad Astron.* Alens. *4. part. quæst. 103. membr. 1.* D. Thoma *2. dist. 14. quæst. 1. art. 5. & opusc. 34.* quem sequuntur Discipuli, inter quos egregiè Ioan. à S. Thoma, Scoto, *in 2. dist. 14.* quem imitantur Discipuli apud Ponc. *disp. 28. quæst. 4.* & Mastrium, *disp. 4. quæst. 4. art. 5.* Scalig. *exerc. 52.* clamant, Philosophos balbutire, Contaren. *lib. 2. de Elemen.* Leuin. *lib. 2. de occultis natura mirac. cap. 41.* Authore libelli, *de Element.* Soto, *in 3. dist. 14.* Cardan. *2. de subtilit.* Conimbric. *tractatu 8. Meteor. cap. 6.* Auersa *quæst. 42. sect. 7.* & aliis dicentibus, æstum in mari causari à Luna, non menstruis incrementis,& decrementis; sed ascensionibus,& descensionibus diurnis, super quadrantes Cœli lumine; & arcanis influxibus. Ex his Contar. & Auersa aiunt fieri aquarum rarefactiones, Farnesius, *lib. 2. cap. 8.* addit exhalationes. 10

ITA verò id explicant multi. Luna in quadrato Orientali causat fluxum, trahens aquas secundi Quadrantis ad se, ibique recessum causat. Interim aqua quartæ quadraturæ sub Horizonte, quæ intumuerat, nunc destituta aspectu Lunæ, defluit in tertiam; partim sequitur Lunam surgentem. Ità in quarta refluit, & fluit ex tertia. Itaque in quadraturis oppositis bis in die fiunt fluxus, & refluxus: Concurrit etiam situs Maris, eiusque decliuitas: Sic enim Aquilinaria ad Australiora defluunt; Sic Mæotis Palus defluit in Pontum 11

Euxinum per Bosphorum Cimerium; Euxinus per Bosphorum Thracium in Ægeum, & hic in Siculum decurrit: Idem cernitur in Oceano Boreali, & magis propè Polum. Horum defluxuum Causam affert Aristoteles 2. *Meteor.* 1. Quia multa Flumina è Septentrione defluunt ad Austrum decliuius in mare: Nam in Meotidem paludem defluit Tanaïs, in Euxinum Danubius, & Boristhenes, quibus accedit modica profunditas illius maris. Hæc ratio facit pro Mediterraneo. Pro Oceano facit altitudo terræ sub Polo Arctico; ideò decurrit ad Austrum. Addit Albertus, sub Polo magnam aquæ copiam ex aëre gigni, ob frigus, ideòque ad Austrum decurrere.

12 VARIETATEM aliquam causat etiam motus maris ab Oriente ad Occasum, qui euidens est; Vnde citiùs ab India Orientali itur in Lusitaniam & à Palestina in Hispaniam, quàm è contra. Hinc sæpè impingens, reflectitur ad Orientem: Sic Adriaticum, à Dalmatia in Italiam pergens, reflectitur in Apuliam, vt monet Contarenus.

CONCVRRVNT etiam venti, & Marium flexus, veluti Mæandri; ac fluxus è latissimis spatiis in angustias redacti; sicuti Euripus inter Aulidem, & Eubæam, è latissima Ægei maris effusione, in angustias compulsus inter Cycladum gyros multiplices, quasi circumfluens inter cauernosos anfractus, septies fluit, & refluit; sæpius regurgitans, vario impulsu accedens sæpius, & recedens. Seu (vt Liuio placet *lib.* 8. *decis.* 3.) Improbâ ventorum agitatione, non septies, sed variè veluti ab alto monte deuoluitur torrens: Ad cuius maris littus, diù hæc meditatus Aristoteles, nec percipiens, tædio mortuus dicitur: Vnde in prouerbium abiit: *Aristoteles non habet Euripum: Euripus habet Aristotelem.* Tandem variis ob Syderum aspectus variant fluxum, & refluxum Maris.

13 AT esto his aliquorum ratio reddatur, putà cur vehemens aquarum defluxus è Polo, impediat alicubi refluxum contra Polum, in Mediterraneo: Et cursus maris ad Occidentem impediat, ne ad Orientem refluat; Enim verò, cur in mari Ligustico, Tyrrheno, Narbonensi, & apud Barchinonem, & in Merico ad Cubam, & vicinas Insulas perexiguus, aut nullus sit æstus? Cur ad Begaram in plaga Indica secundùm Gangem, & Indi fauces? In mari Gothico, Flandrico, & Britannico, Lusitano, & Erythræo magnus æstus? Cur Flumina Lusitana æstu retrocedunt? Atlantica minimè? Cur Tamisis in Britannia regreditur 50. milliaria ad fontes; & totidem ferè Bætis in Hispania? Cur in Lusitano Oceano, & aliis locis, magna ex parte, senis intumescit horis; senis detumescit? Cur Garumnæ fauces in littore Aquitaniæ septenis subit Oceanus? & quinis refugit? Ad Guineam Æthiopiæ, siue ad Erythræum, Africæ promontorium quaternis accedit; Octonis regreditur: Denique alibi segnior est; alibi acrior? Ad oram Guineæ tantus est impetus æstuantis maris, vt tres anchoræ vix nauim detineant, ne allidatur? In littore Cambaiæ, quæ est in faucibus Indi, Mare, duarum horarum spatio, 30. Leucas accessu obtegit; binis totidem recessu detegit?

14 QVOD magis vrget, obseruaui, non seruari, vt Luna in quadrantibus, relato modo existente, fiat æstus; sed Luna in quolibet quadrante, adhuc in Mane, decrescere aquas, & postea crescere. Neque semper 12. horas super Horizontem degit, & sæpè etiam in occasu, vel sub terra meant.

OPORTET igitur dicere, Maris æstum adscribi Lunæ, non per se; sed vt Solis promouetur, fouetürque aspectu; nam pro diuersitate aspectuum variatur æstus: Ità in plenilunio maximè feruet; aliàs mitescit.

DICEREM libenter, Lunam, sua indita sibi virtute cum adiutorio luminis magnetici, aspectum habere super Maria, & æstum causare: Id ferè ad litteram dicit D. Bonauent. *in* 2. *loco citato.* Non vult dicere S. Doctor, Lunam, lumine à se recepto, immediatè causare æstum; nam alioqui in Nouilunio non causaret, cùm solum in parte cœlos versus, sit illuminata, vt notat Sanctus Doctor, *sermone* 2. *de Apostolis*; & in Eclipsi non causaret æstum; sed vult dicere, Lumen Solis acceptum, à Luna modificari virtuali maxima humiditate, & ad Solem reflexum cum magna virtute attractiua humidorum, quâ etiam vastam copiam vaporum absorbet, reflecti ad mare; illudque adeò commouère, operante etiam virtute Lunæ singulari, & magnetica, vt in Mane excrescat; mox recedente Sole, decrescat in Oriente; & in Occidente intumescat, ordine dicto: Sic Albumasar apud Scotum. 15

ITA verò fit, vt in Plenilunio maximus æstus fiat, ac in Nouilunio fiat, etiamsi Luna lumine ad nos orba sit; quia lumen à Sole ad nos rectâ reflectitur; magis verò proprio aspectu. Ita pro diuersis aspectibus Lunæ ad Solem, & pro variis sitibus, variisque Astris, dominantibus mundi Regionibus, variisque temporibus, quibus Sol coniungitur Signis humidioribus, vt in Hyeme Lunam adiuuantibus, varij æstus fiant passim. Ideò in quarta □ exilis æstus; nempè, quia Lumen à Luna lateraliter reuerberatur ad Solem; & inde altè reflectitur non ad nos: Ità & hyeme, & nocte vehementes sunt æstus: Dum autem ambo sub Horizonte meant, Sol reflectit ad Stellas; Insuper agitans maria, ibi sic mouentur, & hîc, vt dixi. 16

ITA si & reliqua opposita percurras, inuenies varietatem in æstu, prouenire ex variis Solis, ac Lunæ positionibus, additis Fluminum irruentium fluentis; sitibusque Regionum, expositarum sub Astrorum influxu, adiuuantium Lunæ qualitates, quæ reflectuntur ab obsistentibus aquarum fluctibus, quæ quisque, Geographicæ dispositionis gnarus, optimè percipiet: Video Eustachium, *part.* 2. *Phys. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 11. id inter Diuina arcana reponentem.

ASSERO cum his, æstum maris causari à Luna, modo explicito.

PROBATVR primò ex Diuo Anselmo, *lib. de imag. mundi, cap.* 22. vbi ait: *Mare habet fluxum, & refluxum: Cum Luna crescente, crescit: & cum decrescente, decrescit.* Vbi non intelligit de augmento, & decremento menstruo; sed de ascensu, & descensu diurno: Idem docent D. Ambrosius, *lib.* 4. *Hexaëmer. cap.* 7. Diuus Basilius, *homil.* 16. *Hexaëmer.* 17

PROBATVR secundò à D. Bonauentura; quia ab eo prouenit variatio corporis humidi, quòd dominatur maximè humidis: talis est Luna, Videmus enim, eâ crescente, humida crescere: vt patet in Cancris, Conchis, Ossium, Arborumque medullis: Cerebro, &c. Hoc fundamento nituntur ferè omnes huiusmodi sententiæ authores: Vim autem in aquas magneticam Lunæ dant Conimbricenses.

ADVERTE

18 Adverte autem, solum lumen Lunæ non sufficere, ad hoc efficiendum. Primò, quia fluxus fit, Luna etiam sub Horizonte existente. Secundò, deberet alioqui fieri æstus nullus in nouilunio, cuius oppositum experimur. Tertiò deberet maior esse in ☐, quam in nouilunio, & tamen in ☐ exilis est motus: vndè dicitur Italico proloquio.

Dalle otto, alle noue,
L'aqua non si muoue.

At in Nouilunio est magnus. Præterea deberet fieri maior ætate, quàm Hyeme, cuius oppositum accidit. Vide Plinium, *lib.* 2. *cap.* 2. Vicomerc. *in cap.* 2. *Meteor. secundi. Ioan. Rain.* Scio, fieri maiorem, die, quàm nocte: attamen hoc etiam est pro nostra sententia, Nocte enim Luna dominatur: Die verò Sol. Vide Federicum Delphin. & Ioannem Rasaër *de hoc*: Ingenierum quoque *lib.* 4. *cap.* 3.

19 Hic igitur motus adscribendus est influentiis Lunæ, quæ attrahat cum Sole aquas etiam rarefaciendo; Ideò mare exhalat: vnde odor ille nocuus sentitur: Dum autem tument in Quarta; in Secunda, aliâ influentiâ sic dispositum mare condensatur. Et sicuti videmus, Magnetem ex vna parte attrahere, & ex altera pellere; multò magis id concedendum est Lunæ, quæ omnes ferè influxus, & virtutes Solis aliquo modo recipit, & communicat; vt notat Diuus Bonauentura *in Comp. Theol. loco citato*. Sol autem habet eminentissimum imperium, virtutes etiam oppositas: vndè producit genera formarum oppositarum: atque eò magis, si in diuersis cœli punctis sit; Et enim stellis influxus diuersos, ex punctorum cœli varietate, adscribunt. Adde tandem dispositionem subiectorum, quæ admodum iuuat. Addit Fuliens. 2. *Phy. cap.* 5. *art.* 5. indicia, concursus Solis, &c. Ab æquinoctio enim verno mare est elatum vsque ad Solstitium æstiuum. Hinc vsque ad æquinoctium Autumni depressum; ex hoc ad Solstitium hyemale tumet. Ex hoc signo ad æquinoctium vernum deprimitur. His eliduntur opiniones aduersæ. Omitto fabulosum istud animal, de quo suprà.

20 Qvod non à Sole tantùm æstus marium fit, probatur: Nam etiam nocte fit, dum Sol est in altero Hemisphœrio; fit & hyeme vehementior, Sole longiùs à nobis peregrinante, ac radios imbecilles ad angulos obtusos eiaculante. Deinde fieret æquè fluxus Sole in ☐ Lunam aspiciente, & æquè in Nouilunio, atque Plenilunio, & in singulis quadrantibus; cùm tamen mutetur, vt à primo ad plenilunium tumeat; à plenilunio ad sequens deprimatur, & hinc ad nouilunium crescat; & in sequenti decrescat, sic maximi æstus fiunt, dum est Soli vicinior, & dum maximè nobis illuminatur. Hinc neque semper halitus extrahuntur à Sole.

21 Eliditvr etiam opinio, decliui solo id adscribens, aut eleuato, aut concauo, quo defluant, & refractæ resiliant vndæ. Sanè, si ita mouentur, vt ad locum suum veniant, tandem diminuta paulatim refractione quiescerent, nec senis horis perpetuò fluerent, aut totidem refluerent: Deinde in Mediterraneo esset maximus, quia littus ad meridiem est longè decliuius, quàm ad septentrionem; vt constat in Meotide alta. Prætereà cur fit in littore Hispanico, & Africo; non in opposito mari decliniori?

Præterea deberet fieri passim, vbi aquæ ad canum concurrunt in alto mari, atque inibi vortices concurrere, quod non euenit, vt Nautæ experiuntur.

Neque æstum adscribunt ventis: Nam in ☐ Solis, cum Luna vrgent ventis, sed æstus maris modicus apparet.

Opinio verò illa, quòd motus ille sit mari concreatus, nè putrescat, manca est; quia vnius corporis simplicis vnus est motus; at æstus est multiplex. Secundò æstus disgregat aquam, & resoluit in vapores; & ita est potius contrarius naturæ aquæ. Præterea aqua æstu ascendit; at verò deberet descendere, secundùm naturam grauitatis.

Sententia verò illa, quæ dicit, id ex augmento menstruo Lunæ euenire, falsa est: nam deberet esse æstus semel tantùm in mense. Quòd verò non à solo lumine fiat, iam satis suprà ostensum est. 22

Opinio verò Adelandi est falsa; quia hic æstus esset in omni aquarum congerie, quod falsum est; Probatur sequela; cùm enim omnes aquæ sint eiusdem naturæ, absque dubio refluerent, & fluerent, ad vnionem consectandam.

Respondet Galitius, omnes aquas ad hanc vnionem tendere; flumina quidem, & lacus, per cursum rectum, quem nisi haberent, æstu quaterentur; alia verò maria non agitantur æstu, vel quia currunt, vt flumina; vel quia sunt, ad quæ alia tendunt, vt ibi vniantur.

Hinc Mare magnum, idest, Oceanus, non fluit, aut refluit, quia retinet suum locum. Hæc tamen falsa sunt, quia in Oceano est magnus æstus. Deinde cur statis diebus, & punctis terminatis, solùm *verbi gratia*, plenilunij, ac nouilunij agitur? cur in ☐ quiescit? cur magis Hyeme, &c.? cur in quibusdam etiam maribus dulcibus non excurrentibus? vt ait Albert. *de propriet. element. tract.* 2. *cap.* 1. Cur etiam in alio mari, per sex horas, in alio, per tres, tantùm fit? Vide etiam Alitium Cadamultum, & alios, testantes, in Oceano fieri æstum, &c.

Obiicies primò. Non videntur posse exhalationes, tam æqualiter expirare, vt æstus ita æqualis sit.

Respondetvr, nil mirum; vt apparet etiam in æqualitate exhalationum, in Tertianis, & Quartanis febribus. 23

Obiicies secundò tantam fluxuum varietatem; cùm in vno mari sit maior, in alio nullus; deinde, cur fiat tempore Hyemis magis, quàm æstatis, &c.

Respondetvr primò, in iis maribus, in quibus est motus vehemens, vel à Septentrione, ad Austrum; vt obseruatur in Septentrionali, & Mediterraneo. Meotis enim in Euxinum, Euxinus in Propontidem, Propontis fluit in Ægæum, Gothicum, & Brittannicum, quod ruit in Hispanicum; vel ab Austro in Septentrionem, in freto Magellanico, in sinu Mexicano; de quibus Contarenus *de elementis*, ab his, dico, motibus posse motum æstus impediri, vel minui, tùm quia motus illi non permittunt incalescere, & operari Luminaria; tum quia frangunt aquam, nec sinunt eam tumefieri, & dissipant commotas exhalationes.

Respondetvr secundò, satis redditam esse rationem, ex natura Lunæ, dominantis in humidos. Quod si non adeò euidens ratio videtur, non ob id negandum est: sic non negamus, pluuiam fieri, ex eleuatione vaporum à Sole, ex eò, quòd alicubi eleuantur vapores; nec tamen pluit. 24

Qvo ad varietatem temporum, & locorum, Respondeo primò, motum ab oriente impedire, quò minùs mare fluat contra ipsum ad littus, statim cùm incipit tumefieri, sed tandem vinci. Secundò;

natura soli magis inseruit fluxui, quàm refluxui. Variantur verò horæ, prout variantur motus Lunæ; vt notat Tostat. *tom.* 1. *in Matth. capite* 3. *quæst.* 125. In Oceano Gallico, mare septem horis ingreditur Garumnam, & per quinque horas egreditur; hoc autem prouenit, quia impeditur refluxus maris à tumiditate aquarum, in ore fluminis; ideò expectandum, donec deprimantur. Reliquæ temporum varietates petendæ sunt, vel à Diuersis punctis Quartarum cœli, in quibus est latitudo fortitudinis, & debilitatis; vel ex additione luminis, aut constellationis, à qua infirmetur, vel roboretur Lunæ influxus. Similiter Hyeme, Sol transit per signa magis humida; ideò æstus tunc vehementior, quia addit Lunæ ampliorem in humida virtutem. Si aliqua obiecta remanent, ex dictis facilè euanescent. Tametsi Eustachius *part.* 2. *tract.* 3. *quæst.* 11. non acquiescens dicat, Hoc esse Dei arcanum, nec abnuo. *Mirabiles* enim *elationes maris.*

QVÆSTIO III.

An FLVMINA *omnia è Mari emanent.*

25 PRIMA opinio fuit Platonis *in Phædone* contra quem agit Aristoteles 2. *Meteor. sum.* 1. *cap.* 2. omnes aquas originem accipere à centro terræ, vbi posuit Tartareum fontem maximum, à quo omnes aquæ eleuarentur.

SECVNDA opinio est Alberti, *Tract.* 2. *cap.* 11. Aquas omnes indeficientes, ex Oceano; deficientes verò, ex pluuiis, & vaporibus scaturiginem habere; & hinc flumina augeri perennia. Ita & Louan. *dub.* 8. Iand. *tract.* 4. *cap.* 1. Scalig. *exercit.* 43. Seneca, 3. *natural. cap.* 19. & alij, quibus subscribit Colleg. *Tract.* 9. *Meteor. cap.* 5. Eustach. *part.* 2. *Tract.* 3. *quæst.* 12. Fuliens. 2. *Phys. cap.* 5. *art.* 5. Ingenier. *lib.* 4. *cap.* 2. Poncius *disputat.* 28. *num.* 50. Huius sententiæ est etiam Diuus Bonauentura *in cap.* 1. *Eccles.* ad ea verba. *Omnia flumina intrant, in mare.* Idem sentit probabile Tostat. *cap.* 13. *in Genes. quæst.* 177. vbi omnia flumina vel immediatè oriri è mari, docet, vel mediatè, quia è vaporibus, eductis è mari, efformantur. Idem habet Lyran. *ad* 1. *Eccles.* eisdem ferè verbis, qui addit, aquas maris, excolatas per meatus terræ, factas subtiliores pariter ac dulces, erumpere in fontes, in locis altioribus, quam sit superficies maris; & sic erumpere in mare. Idem docet cum aliis Amicus, *Tract.* 8. *quæst.* 3. *dub.* 1. & *quæst.* 4. *dub.* 3. Id è Diuo Bonauentura collegêre, qui eodem modo exponit illud *Eccles. libro secundo comp. Theolog. cap.* 8.

26 TERTIA sententia est Aristotelis 1. *Meteor. sum.* 4. *cap.* 1. Fontes, & flumina fieri ex aëre, ac vaporibus, intra cauernas elambicatis; ibi enim primò aër in grossiores guttas condensatur, deinde extillans elabitur, &c. Idem tenet Olimpiod. *ad illud. Eccles.* qui ait, Scripturam velle, solùm aliqua indefinita flumina è mari oriri: & hunc esse Scripturæ morem, sicut, cùm dicitur, *omnes declinauerunt.* Idem tenet Alens. Diuus Thomas, Doctores Paris. *in fine* 1. *Meteor. quæst.* 4. Buccafer. *pag.* 96. Philopo. *tract. de aquis medicis, cap.* 3. Cardan. *lib.* 2. *de subtil.* vbi sanè negat, omnia flumina fieri ex tali conuersione: Nam, cùm Tanaïs in Moscia campis scaturiat, admittit tamen, maximam fontium originem esse ex tali mutatione. Eiusdem sententiæ est P. Galitius, *part.* 2. *Philosoph. lib.* 2. *tract.* 5. *quæst. vnica, num.* 17.

ASSERO, omnia flumina è mari emanare, aut mediatè, aut immediatè.

PROBATVR à Diuo Bonauentura *ad cap.* 1. 27 *Eccles.* ex illis verbis: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*: *ad locum, vndè exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant.* Ita exponunt SS. Basil. *hom.* 4. *Hexaëm.* Hier. *hic* Isid. *lib.* 3. *orig. cap.* 20. cum Damasceno *lib.* 2. *de fid. cap.* 9. & alij apud Ingenierum: Hic parumper sistamus. Primò quidem; *omnia flumina intrant in mare*: (ait sapiens) &, vt ostendat, se non indefinitè, vt putant aduersarij, sed vniuersaliter loqui; addit pro magno mirabili, *& mare non redundat*; quod, vt mirabile sit, de omnibus fluminibus non est astruendum; cùm enim flumina paruuli quidam riuuli sint, cum Oceano comparata, non esset mirabile, aliqua flumina in mare illabi, nec mare redundare. Vt autem tollatur omnis admiratio, ne miraculo adscribatur, Oceanum ex tanta aquarum colluuione non exuberare, addit: *ad locum, vndè exeunt flumina, reuertuntur*: quasi dicat: Ideò non redundat, quia flumina omnia intrant quidem in mare, sed priùs exeunt; &, cùm ingressa fuerint currentia, rursum egrediuntur, & iterum ingrediuntur; vt iterum effluant. Hic est sensus germanus; vt exponit D. Bonauentura, Lyra, & alij.

Ex his ruit solutio aduersariorum, scripturam, 28 nempè, non asseruisse vniuersaliter, omnia flumina è mari emanare. Inter quos, miror P. Galitium, Seraphici Alumnum, *loco citato*, & alios Recentiores sapientes, qui notant, scripturam asserere quidem vniuersaliter, flumina in mare irruere: *Omnia flumina intrant in mare*; at non dicere, omnia è mari egredi, sed indefinitè; *Ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur.*

CONTRA enim sic arguo ad hominem: Omnia flumina reuertuntur, vnde exeunt; sed reuertuntur omnia ad mare: Ergo omnia à mari emanant.

RESPONDET Modernus quidam, eundem esse locum, *ad quem*, & à *quo*, eorum tantùm fluminum, quæ defluunt à mari. At responsio hæc ex dictis defluit.

ADDVNT aduersarij ex sua explicatione, optimè apparere mirabile dictum Ecclesiast. quòd 29 omnia flumina intrant in mare, nec tamen mare exuberat; cùm non omnia è mari emanent, euacuando, sed aliqua tantùm; aliter nil mirabile apparet.

AT Frustra hæc excogitata sunt; Non enim mirabile vult esse; imò ad cursum aquarum pertinere, ait, vt ad suum principium refluant; sic enim ad rem faciebat: quapropter antè & de Astris, ac Sole dixit, In circulos suos reuerti; vt inde educat, omnia in gyrum euolui; vt concludat vanitatem vanitatum; ità notat D. Bonauentura *loco citato*. Sanè Scriptura est clara.

RESPONDENT alij, per flumina intelligi torrentes; vt exponit Diuus Hieronym. qui oriuntur à mari, mediante pluuia; imò subtiliùs consideranti apparebit, fontes ipsos mediatè fieri ex mari; quia vapores, ad montium concauitates eleuati, extruduntur è mari, per terram effusos, vel ex pluuiâ, genitâ ex vaporibus, è mari ereptis.

AT hoc non modò nostram non expugnat sen- 30 tentiam, sed roborat, ac soluit oppositas difficultates; vt

vt infra dicam. Quomodò ad tantam altitudinem montium saliant scaturigines aquarum. Quòd verò non soli torrentes, verùm etiam flumina sic intelligantur, luce clariùs est.

Qvid enim mirum, si soli torrentes confluerent in mare, & non redundaret? Deindè nulli ferè torrentes reuertuntur ad mare, sed in fluminibus pereunt, alueo exsiccato manente.

31 Probatvr secundò nostra sententia; quia incredibile est, ex aëre, in cauernis, tot flumina ingentia generari: tum quia aër est tenuis, & ex 10. guttulis aëris, vix vna guttula aquæ fit: vndè iam esset aër consumptus: tum quia cauernæ sunt siccæ; & ideò impediunt conuersionem aëris in aquam: tum quia ibi aër est calidior, quàm extrà in media regione: nam ad specus calor Solis pertingit; aliter non possent extrahi vapores è locis subterraneis; sed, cùm ille aër secundæ regionis non resoluatur in aquam, cur hîc in cauernis resoluatur?

Obiicivnt primò, quia sic deberet maior copia fontium in vallibus erumpere, quàm in montibus; quod est contra Aristotelem, & experimentum.

32 Respondetvr, ex concauitatibus externis terræ non deriuari aquas marinas, sed ex intimis venis, veluti profundis arteriis, vti humores sunt in animali; & ideò, quia valles scaturiginibus claudunt orificia, quid mirum, si ex eis non egurgitant omnes fontes. Multi quidem ex his promanant; imò plurimi; nec experimentum est oppositum: nam in omnibus ferè vallibus excurrunt fluuij.

33 Obiicivnt secundò: Si aquæ è mari effluerent, non scanderent cacumina montium, vnde tot fluminum patent orificia; aquæ enim decliuiora petunt.

Arriaga ad condicta nobiscum *disp. præced. quæst.* 5. ait, nil mirum, cum mare, ex parte, sit terrâ eleuatius. Respondeo secundò, aquas è maris gremio erumpentes, primò decurrendo expurgari, & à fæcibus cribratas, inter cumulos arenarum excolari, expurgari, subtilioresque redditas, fieri aptiores ad conscendendum; conscendere autem, coniectas in angustos terræ sinus ab vrgentibus fluctuantium vndarum impulsibus, vltra irruentibus in eiectas vndas. Deinde verò, Sole, Astrisque peragentibus, multos attrahi vapores ad sublimes cauitates, ex quibus, veluti elambicati, continuò in aquam resoluti, defluunt, explunnt; & repletis cauernis, scaturiunt, erumpunt ex antris, atque expelluntur; gurgitante orificio à repletionibus: imò verò, aliis etiam vaporibus, è mari attractis, ad supernas aëris regiones irruunt pluuiæ, in cauernasque delabuntur, ac rursus euaporant. Itaque ex aquis marinis, vel immediatè, vel mediatè Flumina organizantur. Quidam etiam fontes, altiùs maris æquore, scaturiunt; eò quòd Fluctus intumescentes, eò eleuati, orificia inueniant alta; & ita excurrant; & sicut maris ordinariæ Fluctuationes ordinatæ sunt; ita & Fluctus erumpentes.

Moderni verò obiiciunt aliqua huic postremo dicto, quæ nullius sunt ponderis; quòd fontes non scaturiant vniformiter; Quòd fontes essent salsi; Quòd non essent in tanta latitudine. Hæc ex dictis ruunt.

34 Respondetvr enim, aliquos fontes aliquando ebullire, aliquando stillare, pro aquarum copia, vel inopia. Neque est, cur salsi erumpant; cùm per venas terræ colentur. Benè quidem dices, excauatos fontes, non longe à littoribus salsos sentiri. Adde certum esse, vapores aliquos perpetuò resolui, sicuti certum est, ignes etiam perpetuos reperiri.

Libeat hîc, alias etiam causas assignare; ob quas, aquæ, ascendentes è mari, fontes ex apice montium effundant. Primò quidem, ex impetu aliquo ventorum exhalantium, seu exhalare nitentium è finibus terræ. Secundo, ex multa aëris resolutione, inter meatus obturatos, ne detur vacuum; quod, in fistulis claret euenire. Tertiò; ex immissione corporum grauiorum, puta, lapidum, arenarum, globarum, è summis cacuminibus ruentium, ac fundum implentium. Quartò, ob æquilibrationem: Nam aqua inclinat ad æqualitatem suæ originis; ideò, si à Fluctibus maris impulsa, ad apicem montis euehatur, & descendat, rursum ascendit, si aptos meatus inuenit. Vide Albertum, *tract. 2. cap.* 12. Sic *Genes.* 1. dicitur. *Fons ascendebat*, vbi habet Hebræus; *nubes, seu vapor ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.* Ita Hug. Vict. hîc Ideo etiam nubes, è mari extractæ, fontes gignunt. Aquarum mirabilia referunt Aristoteles. *De admir. auscult.* de quibus nonnihil infrà; Seneca, *lib. 3. cap.* 25. Plin. *lib. 2. com.* 3. Algazel. 3 1: *cap.* 23. Ita respondent etiam D. Basil. *hom.* 4. *Hex.* Plato. *in Phæd.* Plin. *lib. 2. cap.* 65. Addit Theodoretus *serm. 2. de prouidentia* Dei Imperium. 35

De Aquis quoque Thermalibus multa Medici dicunt. Hæ verò sunt mixtæ, solent autem esse tepidæ, vel etiam calidæ; vt ait Aristoteles 2. *Meteor. sum. 1. cap. 3. & sum. 7. cap. 1. & 2. sect. 4. problem.* 17. Fieri enim solent tales ab igne subterraneo, à quo ebullitæ miscentur mineralibus, vt auro, argento, plumbo, vel quasi mineralibus, vt sulphuri, nitro, &c. Miscentur interdum vapores venefici; vt in Germania, propè Salam. Fluuius similiter adest in agro Parmensi, qui ignem facilè apprehendit; de quibus Medici disserunt. 36

Svnt multæ etiam aquæ mirabiles. Sic apud Garamantes est fons, in quo faces accensæ extinguuntur, extinctæ accenduntur, vt refert D. Bonauentura *in 4. dist. 44. part. 2. art. 2. quæst.* 1 teme est Collegium *Tract. 9. Meteor. cap.* 7. cum in Epiro innuat; at Garamanticum diebus frigidissimum, & nocte calidissimum ait. Vide ibi alia aquarum mirabilia.

Stvpendas etiam aquarum species refert Aristoteles *libro suprà citato.* In Sicilia ait, quæ esse vorticem, in quem si Aues, aliaue animantia suffocata immergantur, vitæ restituuntur; Verum an quis hoc experientiæ didicerit, non adeò crederem; cum nec Theoriæ consonum sit; Audiui, Scillam plura ibi vndoso vortice animantia suffocasse, vitæ verò restituere nequaquam.

Item in Bactris ait, Ozum Fluuium splendidas Auri glebulas secum ferre, sicut & similes Theodotontem ad littus ebullire; Verum hoc ex subiacentis Aluei naturâ, mineralia fouente, euenire potest.

Refert itidem, Fluuium esse Thraciæ inter Scithas & Medos, ardentes deferentem lapides, ac ligneas prunas, prius extinctas, inibi iactas exardescere, securasque, inter liquidas vndas, flammas effundere; verum vstæ, ad instar Bituminis, fœtorem talem exhalant, vt reptilia quæque istinc abigant.

Hinc Coniice, quicquid virtutis aquas explorantur inesse, aliundè ipsis suffundi; cùm ex propria natura, frigidæ tantum sit, & humidæ: Quia tamen mixtioni ob Fluiditatem sunt aptissimæ, adiacentium elementorum qualitatibus facilè ditantur.

DISPVTA-

DISPVTATIO III. DE AERE.



IN orbe elementari supra Terram, & Aquam, tertium locum obtinet Aër, quippe, quoniam mobilis, ac peruius, est deferendis astrorum influxibus aptissimus, quibus duo illa Elementa inter se attemperata, res mortalium consultius agant, hisque necessaria suppeditent: Leuis est Aër, quare cum Solo igne pro ascensu certat; nec libens patitur terræ pondus, quam magno impetu velut indignabundus succutit, vt quam dederit natura, sedem occupet. Perspicuus est, & rarus, facilè cedens corporibus, quibus discedentibus ocyùs succedit, ne vel tantillum vacui contingat, cui præcauendo ipsum iugi cura inuigilare non absurdum diceres; ideò corpora ambire, penetrare, ac replere pro ipsorum capacitate non desinit; Impressionum locus est præcipuus, vt infra per singulas discurrendo videbimus: Ipsum simul cum aliis elementis creatum tertiâ die, asserit Diuus Bonauentura *in 2. dist.* 14. *part.* 2 *dubit.* 1. *litt.* vbi docet, in descriptione terræ, & aquæ, includi etiam alia subtiliora elementa; Rationes iam allatæ sunt, cùm de terra ageremus. Magna verò quæstio de hoc solo elemento, circa eius qualitates agitatur; cuius occasione, multa de qualitatibus elementorum, præmittemus; quare hanc disputationem longiùs protrahere necesse habeo.

QVÆSTIO I.

Quænam sint qualitates Aeris.

1 SVPPONO primò, quatuor esse qualitates elementorum, *Calor, Frigus, Humiditas, Siccitas.* De his Aristoteles 2. *de Gener. cap.* 2. *&* 3. vbi eas vocat primas, non simpliciter inter qualitates, sed sensibiles corruptibilium. Idem colligitur ex Diuo Bonauentura *lib.* 2. *Comp. Theol. cap.* 8. & *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 3. *ad* 3. qui formas elementares primas, inter perfectas corporeas corruptibilium, admittit.

2 SVPPONO secundò, qualitates non esse formas substantiales elementorum. Ita Aristoteles 2. *de Gener. text.* 22.

PROBATVR primò, alioqui elementa non essent composita substantialia, eorumque generatio esset alteratio; vt ait Diuus Bonauentura *in* 4. *dist.* 48. *art.* 2. *quæst.* 3. *in corp.* Singulis autem elementis geminas dant Philosophi qualitates: Nempè igni siccitatem, & calorem: Aëri calorem, & humiditatem: Aquæ frigiditatem, & humiditatem: Terræ siccitatem, & frigiditatem.

3 CONTRA tamen hunc vniuersalem sensum aliqui insurgunt, clamantes, aëri solam humiditatem inesse naturaliter; at calorem, vel frigus esse aduentitia. Ita Valesius, *lib.* 1. *controu. medic. cap.* 10. qui eam sententiam tribuit Galeno, *lib.* 2. *de vsu partium, cap.* 3. & *lib. de vsu respirat.* Alij dicunt, Aëri solum frigus inesse naturaliter. Hanc sententiam Stoicis tribuit Galenus, *lib.* 1. *de natural. quæstion.* Aresius etiam, 2. *de Gener. cap.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 10. allegans Plutarchum, M. Tullium, Philon. Clement. Alexand. Galen. & alios: Vult, aërem esse naturâ frigidum; calorem verò esse aduentitium. Alij siccitatem summam ei adscribunt. Sic Ferchius *in calce libri de cœlo.*

4 SECVNDA tamen sententia est Aristotelis 2. *de Gener. text.* 23. & omnium ferè Peripateticorum. Insuper & Sancti Basilij, *hom.* 4. *Hexaëmer.* Gregor. Nyss. *lib.* 5. *Philosoph. cap.* 2. Ambros. *lib.* 3. *Hexaëmer. cap.* 4. Anselm. *lib.* 1. *de imag. mundi, cap.* 3. aërem esse calidum. Hæc est opinio Diui Bonauenturæ; Nam *in* 2. *dist.* 15. *quæst.* 2. probat, mixta componi ex elementis: quod probat de aëre, ex subtilitate eius, & raritate, quæ similis est raritati ignis, ob calorem.

5 DEINDE, *quæst.* 3. ostendit, mixta perfectiora construi magis ex elementis actiuis secundùm virtutem, quàm ex passiuis secundùm molem: elementa verò actiua, ait, esse, quæ qualitate, maximè actiua, constant. Hæc autem qualitas asseritur ab eo esse calor: & hoc idem asserit, *in* 4. *dist.* 48. *art.* 2. *quæst.* 3. *in corpore.* Scio, *in Comp. Theolog. verit. lib.* 2. *cap.* 3. ponere calorem in suprema regione aëris, ob calorem Solis; similiter in infima; in media verò frigus: quia illuc non peruenit repercussio radiorum, *&* *lib.* 7. *cap.* 20. ponere qualitates actiuas, calorem, & frigus; priorem in igne, posteriorem in aqua; At non ob id negat, aërem esse naturâ calidum: Nam subdit in vtroque loco, in media regione fieri impressiones frigidas: atque adeò his adscribit frigus secundæ regionis. Idem habet, *lib.* 2. *cap.* 8. *&* 9. multisque aliis in locis: imò id probat; frigus verò non adscribit mediæ regioni, ex absentia Solis tantùm, sed solùm externum calorem remouet, & tenebras adscribit: eò quòd regio illa nubibus repletur: ideò ait; *in media autem est frigiditas, & obscuritas.*

ASSERO cum hac sententia, Aërem esse calidum.

6 PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *par.* 2. *Breuil. cap.* 3. ratione Aristotelis 2. *de Gener. cap.* 2. *text.* 16. quâ probantur & aliorum elementorum qualitates, eamque adhibet Ruu. *lib.* 2. *de Gener. cap.* 3. *quæst.* 7. elementa sunt, veluti partes mundi integrantes, condita ad generanda ex eis mixta. Generatio autem rerum naturalium fit ex contrariis, agentibus in se inuicem, & reagentibus, vt ad mixtionem veniant: per qualitates autem actiuas fit hæc actio mutua, & reactio. Similiter requiruntur passiuæ qualitates ad resistentiam, vt in se inuicem agendo, nec destruantur omninò contraria, nec omninò maneant distincta. Contrarietas ergo debet esse in quolibet elemento, saltem quoad

alteram

alteram qualitatem; & quoad alteram debent miscibilia conuenire; vt pugna non ad destructionem tendat omnimodam. Sic igitur collata sunt ordinatè elementa; vt iuxta, aliud einum Symbolum, aliudque dissymbolum incolant. Collata sunt autem hoc ordine; vt iuxta terram sit aqua; iuxta aquam, aer; iuxta aërem ignis; vt supponit Diuus Bonauentura *hic, & aliis locis, suprà adductis.* Ignis autem est calidus, & siccus; vt patet experimento: Nam calefacit, & exsiccat ordinatè, atque inferiora reducit in superiora, liquefaciendo terrea, & ea reducendo in aquosa, seu liquida; rursus, ea calefaciendo, reducit in aërea, & aërea in se exsiccando, vt eruditissimè adnotat Diuus Bonauentura, *lib. 2. Comp.*
7 *Theol. cap.* 8. ergo aër vicinus, secundùm vnam qualitatem, est affinis; secundùm alteram inimicus igni; sed non est affinis in humiditate, quam in aere omnis experientia admittit: ergo in alia qualitate; si autem hæc qualitas non esset calor, neque posset esse frigus; cùm frigus calori opponatur, quæ est summa qualitas ignis; vt docet Aristoteles; adducendus *disp. seq.* ergo. Rursus, si esset frigidus, cùm sit & humidus, in nulla qualitate pugnaret cum aqua vicina; ergo in instanti, in eam transmutaretur, vel ipsa in aërem; aqua enim est frigida, & humida; vt patet. Quòd sit frigida, patet: Nam, si calefiat, remoto agente; ad frigiditatem reuertitur, eaque infrigidat, similiter & humectat; & insuper proprio limite difficile continetur, facilè alieno: ergo est humida. Hæc enim est definitio humiditatis, ex Aristotele mox citando. Similiter terra est arida, seu sicca; vt dicitur *Genes.* 1. *Vocauit terram, aridam*; vt notat Diuus Bonauentura *in 2. dist. 14. part. 2. dub. 1. & lib. 2. Comp. Theol. cap.* 8. Et probatur ex diffinitione sicci, allata ab Aristotele *2. de Gener.* text. 9. *Siccum facilè terminabile proprio termino; difficilè autem alieno.* Humiditas verò contrario modo definitur; vt notat Diuus Bonauentura *in 2. dist. 14. part. 2. dub. 1. litt.* qui ideò ait, terram in singulari; aquas verò in plurali, de scribi in creatione. *Congregentur aquæ: & appareat arida.* Similiter est frigida; vt notat Diuus Bonauentura *loco citato.* Miror, Galitium hanc rationem in Seraphico non vidisse.

Mvlta experimenta obiicit Aresius, ad arguendam aëris frigiditatem. Primò, quia aër, remotis impedimentis, est frigidus; vt patet in secunda regione.

8 Respondet Diuus Bonauentura *in Comp. Theol. lib. 2. cap. 3. & 9.* Secundam regionem aëris non esse ità calidam, vt primam, quia eò non peruenit reflexio radiorum Solis: esse vero frigidam; quia eò deducti, & attracti vapores à radiis Solis, ibique derelicti, ad naturam propriam aquæ reuertuntur; & ibi à contrariis obsessi, per Antiperistasim congelantur, & sæpè in grandinem, sæpè in niuem efformati recidunt: ex quo patet, non à sola carentia radiorum Solis ibi frigus regnare; vt putat Zabarella, *lib. de regione aëris, cap.* 7.

Colligitvr etiam, non è sola antiperistasi, facta ex nimio calore superioris regionis, vicinæ soli, & igni; & inferioris à reflexione radiorum, frigus in secunda regione aëris adeò dominari, & vigere; vt putant Tolet. *2. de Gener. quæst. 5. ad 9.* Colleg. *tract. 1. Meteor. cap. 2.* Ruuius *1. de Gener. cap. 3. quæst. 8. num.* 218. Neque verò satis probatur à Ruuio, ex eò, quòd Antiperistasis sit sufficiens causa frigoris; cùm enim aliæ causæ ad tale frigus concurrant, debuit etiam eas assignare cum Diuo Bonauentura: Fateor quidem, Ruuium tandem naturam vaporum afferre causam, quam affert Aristoteles 1. *Meteor. sum. 3. cap. 3.* & ibi Diuus Thomas *lib.* 4. Nam, & si nulla fieret Antiperistasis, adhuc regio illa, aqueis humoribus repleta, frigesceret, quod non vidit Ruuius; sed id notat Galitius, *loco citato.*

Secvndo obiicit Aresius. Aër noctu frigidior euadit, Sole abeunte. 9

Respondetvr, Aërem frigefieri vaporibus roris; &c. qui decidit, non in aurora tantùm; vt putat Galitius; Sed in sero quoque derelictus à radiis Solis. Similiter tempore hyemis frigidus est ex vaporibus, & Signis cœli humidis, dominantibus; ideò, hyeme, loca clausa sunt calidiora apertis. Similiter & loca Aquilonaria sunt frigida, ex vaporibus frigidis indè expiratis; vbi ex debilitate radiorum conglobantur. Per hæc vsque *ad quintum* Aresij patet.

Addit, nos aëre refrigerari: ergo aër est frigidus. Hoc idem habet D. Bonauentura *lib. 4. Comp. cap.* 8.

Respondetvr, Aërem ingredientem 10
esse minùs calidum illo, qui expiratur; cùm naturali calori additus sit flammeus cordis; vel contactus corporis nostri calidi: Similiter & motus, faciem percutiens, vehementiùs percutit, quàm immotus; quia peruadit poros, & agitatur ab aliquo frigido humore, qui impetu magis agit.

Obiicit adhuc. Aër inclusus in ventre dolorem parit, quia frigidus.

Respondetvr, frigidum esse; quia est vapor sæpè aqueus, at, licet esset calid. s posset tamen turbare intestina.

Obiicit adhuc. Corpora, à dæmonibus formata, sunt frigida.

Respondetvr, esse frigidiora, quàm animata, quæ elementari ca'ori addunt italem; vel frigida sunt, quia mixta cum terreo, & aqueo humore; non enim simpliciter aërea sunt; vt notat Diuus Bonauentura *in 2. dist. 8. part. 2. art. 2. q. 1. & 2.* hoc enim necessarium est, vt palpentur solidè; vt terminent visum, &c.

Obiicit adhuc; quòd ventus est frigidus.

Respondetvr, ventos esse exhalationes calidas; alterari vero à regionibus infectis, per quas transeunt. 11

Obiicit adhuc. Aër exsiccat, ergo non est humidus.

Respondetvr, aërem à se solo non exsiccare, sed agente vento, qui est exhalatio; & magis Sole.

Obiicit adhuc. Non potest elementum amittere suas qualitates, quin pereat; sed aër frigidus, & siccus, ex accidenti fit; nec tamen corrumpitur; ergo non est calidus ex natura.

Respondetvr primò, retorquendo argumentum: Nam sæpè humidus fit, & calidus; nec tamen corrumpitur; ergo frigus, & siccitas non sunt ei naturales.

Respondetvr secundò, non adeò frigefieri, & exsiccare, vt proprium sit ei insitum, seu impressum frigus, & siccitas, sed ex aggregatione cum humoribus frigidis sic videtur sentienti. 12

Obiicit adhuc. Si aër esset calidus, cùm & cœlum suo calore agat, iam frigus omne esset destructum.

Respondetvr, calorem aëris esse tenuem; 13
influxus verò cœlorum etiam frigefacere; neque superfluit vterque calor, quia est præcipua qualitas

actiua

actiua ad mixtiones requisita, vt monet passim D. Bonauentura *locis adductis*.

Obiicit tandem id Iob 12. *Si continue it aquas, omnia siccabuntur*: Ergo aër ab aqua habet humiditatem.

Respondetvr è Diuo Bonauentura *part. 4. de Ecclesi. Hier. cap. 5.* quem sequitur Pineda, sensum esse, iuxta LXX. *Si Deus clauserit Cataractas cœlorum, & non pluerit, nec rorem emiserit opportune; omnia terra nascentia, victui necessaria, arescerent.* Hanc expositionem laudat Galitius; sed illam in Diuo Bonauentura non inuenire poterat.

14 Enim verò Aëris regiones tres sunt, variè affectæ. Prima, seu infima, quæ nos ambit, extenditur vsque vbi pertingit reflexio radiorum Solis: quoniam verò pro vario Solis situ reflexio maior est, vel minor; magis etiam, vel minùs attollitur hæc regio. Dum enim nobis est eleuatior, ad angulos acutos terram verberans radiis, hi acutiùs pari passu sursum reflectuntur; quia anguli reflexionis, æquales sunt angulis incidentiæ; atque adeò, dum in signis Australibus est demissior, terras nostras tangit ad angulos obtusós, reflectuntur etiam demissiùs obtusè, & ita prima hæc regio angusta est. Id ostendam *quæst. 15. de Iride.*

Addo tamen, montes aliquos visos excedere etiam secundam regionem. Sic Olympus, & Athos, qui & mons sanctus, inter Macedoniam, & Thraciam super nubes attolli feruntur, vt dicam *quæst. 4.*

Obiicit Carolus Franc. Vrsinus *disp. 1. q. 3. cap. 1.* Prima regio attingit eò, quò reflexio radiorum Solis attingit: at radij reflectuntur etiam super hos montes: Ergo & hi sunt in regione infima.

15 Respondeo, reflexionem, ab his iugis, paruam supprimi à circum ad latera, ambiente frigore secundæ regionis totius terræ non eleuatæ. De hoc, *oco adducto*, agam.

Infima igitur regio aëris est à Sole calefacta, proportione dicta. Quo fit, vt eius altitudo varietur etiam eodem tempore, pro locorum varietate.

Secvnda aëris regio ea est, qua detinentur vapores à radiorum reflexione destituti. Hæc regio frigida est, propter aqueas impressiones, quæ ibi fiunt. Etenim vapores eleuati virtute radiosæ reflexionis, cùm eò peruenerint, peregrino calore destituti, ad innatam redeuntur frigiditatem, & aeris spatia illa frigefaciunt. Accedit antiperistasis; Dum enim aer ille, & vapores suprà à regionis calore mox probando, & infra à primæ regionis iam probato calore, obsidentur; se restringunt, & frigus intendunt; ad modum, quo puteales aquæ æstate rigent.

16 Tertia Regio aeris ab extremitate secundæ ad Sphœram ignis peruenit. Hæc calida est primò; quia Igni contermina est; secundò, ob exhalationes eò euolantes, & ibi morantes; tertiò, ob reflexionem Solis à nubibus; quartò, à motu raptus agitante. Vide etiam Collegium *Tract. 1. cap. 2.* cum Diuo Bonauentura *in Compendio Theol. lib. 2. cap. 3.*

Aivnt alij, inditum esse à Deo initio frigus secundæ regioni, vt ibi Meteoræ fiant impressiones; cæteras autem regiones calore esse munitas ad generationes, &c. Nec esse nouum; Nam & terram, naturâ aridam, humectat.

Sed hoc est ad Sacrum asylum fugere, vt ait Vrsinus.

Qvoniam verò in Aeris Amphitheatro tot nobis apparent mirabilia, & per 52. ferè aeris milliaria, quibus extollitur ad summum suprema regio; vbi Cometæ fulgent (si demonstrationibus Petri Nonnij, *lib. 7. Perspectiuæ*, fidem habeas) Meteoræ impressiones præclara multa exhibent contemplanda: Alia in regione supremâ, nempe Cometas, & alias igneas impressiones, lanceas, capras saltantes, &c. Alia in media, vt tonitrua, fulgura, fulmina; plura verò humida, vt pluuias grandines, niues, &c. Quædam in infima regione, seu ignita, vt Ventos, siue aquea, vt rorem, pruinam, mel, manna. Ideò statui de his, cum D. Bonauent. agere. 17

Primo igitur ignita, etsi diuersarum regionum, simul percurram; mox aqueam perlustrabo. 18

Qvoniam verò Peripatetici Zelotes etiam Circulum lacteum admiscent, de eo primò agam ne, absque meritis, eum in cœlos transtulisse credar. Quod etiam de nonnullis Cometis astruere cogor.

QVÆSTIO II.

De Circvlo *Lacteo.*

Circvlvs Lacteus, qui Galaxia, à Nasone, *primò Metamorph.* laudatur, mirabile candoris portentum, Philosophantium acies disgregauit. Græcè *γαλαξίαν vcant.* Varias de hac sententias recensent Aristoteles *primo Meteor. cap. 8.* Damascenus *in Physic. cap. 15.* Plutarch. *lib. 3. de placit. cap. 1.* Macrob. *lib. 1. in somn. Scip. cap. 15.* Albert. M. *lib. 1. lib. 1. tract. 2. cap. 2.* Stoflerinus *in Sphæram Procli*, Manilius *in lib. Astron.* Picus *lib. 1. de exam. vanit. c. 12.* Hygin. *lib. 2. de cœlestium signorum Historia*, apud Collegium. *Tract. 4. Meteor.* Scotus *primo Meteor. quæst. 20.* Poncius *disp. 28. quæst. 2.* 19

Fabvlas de Iunonis lacte sparso, Herculem ab vberibus auellentis; de Phaetontis incendio; de animarum ad cœlos tramite, Deorum Senatu, & alia Poetarum somnia, otiantium deliramenta, vltrò missa facio.

Possidonivs, apud Macrob. putat, esse aspergìnem syderei caloris ex aduerso Zodiaci, extensam in Zonam, vt frigus attemperaret earum regionum, quæ nimium à Sole distant.

Sed Arctici brumæ non sentiuntur attemperari calore; neque calor ibi formalis est; vt ostendi. *Tractat. 6. disput. 2. quæstione 7.* Virtualis autem non candicat subiectum, in quo est tantùm virtute.

Diodorvs censuit, esse Ignem. Sed hoc refelli, *loco citato.*

Theophrastvs sentit, esse duorum Hemisphœriorum, compagem.

At Deus non eguit in Shgœris fundendis Hemisphœria condere, mox compaginanda.

Democritvs, & Anaxagoras conspirant, esse lumen igneum stellarum, quæ à Sole non aspiciuntur, ob interiectam terram. 20

At Solem Pelponneso adæquatum, & cœlos igneos falsò supponunt; explosos *loco citato*. Profectò vmbra terræ cœlum Mercurij non attingit, vt monet S. Doctor *serm. 3. de Apostolis.*

At

At, esto ad Firmamentum perueniret; non semper eandem partem obumbraret firmamenti, quia Sol itinere obliquo eclipticæ variaret lumen. Ita, modò hæ, modò aliæ stellæ obumbratæ candorem emitterent; si tamen candor luci affinis reddi posset.

21 Antonivs Polus *digress. de circulo lact.* Cremoninus *de via lactea*, Roccus *primo Meteor. quæst.*4. Amicus *tit.*4. *quæst.*7. *dist.*4. cum Aristotele *primo Meteor. cap.*8. putant, eum esse exhalationum concretionem in aëre. Enim verò Scotus *loco citato* Louanij, & Parisiorum nonnulli eruditi, corruptū Aristotelis textum aiunt; sed Græci Interpretes esse eum Aristotelis sensum dicunt. Vera sententia asserit, circulum lacteum in octaua Sphœra esse multitudinem stellularum, quæ lumen tenue, imminutum candore, emittunt. Ita Ptolemæus *dict.*8. *cap.*2. multique apud eum, Scaliger *exercit.*72. Albert. M. *lib.*1. *tract.*2. Colleg. *tract.* 4. *Meteor. cap.* 2. Clauius in Sphœram, Mastrius *disp.* 2. *quæst.* 2. *art.* 5. Vrsinus *quæst.* 5. *Meteor. cap.*2. Galilæus *in suo Nuntio Astron.* vbi testatur, suo se tubo optico innumeras, vbicunque aspiceret, stellulas obseruasse. Hæc est sententia Diui Bonauenturæ *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.*5. & *serm.* 2. *de Apost.* Exponens ibi Philosophum, quem adducit cum aliis, expurgato mendo textus, aut volens exhalationes asseri ab Aristotele, non quidem Galaxiam physicè construere, sed opticè ad Perspectiuam quippè nobis ita coloras stellulas exhibeant. Sic explicat etiam Ioan. à S. Thoma, Recens Eustach. *parte* 2. *Phys. tract. tertio quæstione octaua*, sequitur Seraphicum.

22 Assero primò, Galaxiam non esse ignitos halitus.

Probatvr primò, quia incredibile est, tantam halituum molem tot sæcula perdurasse; imò tantam existere, quæ millies terram excederet.

Probatvr secundò; quia, si esset in aëre, non videretur vbique terrarum vniformiter, circa easdem figuras stellatas; sed diuersis in regionibus mutaret parallaxim: Hæc ratio innuitur à Sancto Doctore *ibi* §. *Dico primò.* Parallaxim describam quæst. sequenti. Hinc sequitur, halitus neque ad visum ordinati candoris perpetui deseruire.

Assero secundò, circulum lacteum esse in octaua Sphœra.

Probatvr; quia compertum est, eodem motu cum ea, ab occasu ad ortum volui.

Assero tertiò, circulum lacteum esse multitudinem stellularum, lumen illud imperfectum, can-
23 dore imbutum, emittentem.

Probatvr à Diuo Bonauentura oculari experimento, quo nititur suprà Galilæus. Hinc falsò Conimbr. & alij volunt, Galaxiam esse partem cœli densiorem, ex reflexu Solis, & astrorum, candicantem: sanè, claro Telescopio in eam fasciam, vbicunque libeat, defixo, stellulæ reperiuntur; vt monet etiam Vrsinus.

Hæc fascia maxima in firmamento ferè geminata, ambit vndique illud transiens per constellationes Cassiopeæ, Oloris, Aquilæ, per Æquinoctialem lineam, per caudam Scorpionis, læuam Sagittarij, crura, pedesque Centauri, Nauim Argi, per Geminorum pedes, Henochivm, Perseum.

QVÆSTIO III.

De Cometis.

Aliqua de his dixi *tract.* 6. *disp.* 21 *quæst.* 9. quæ suppono; Cometis Græcum nomen significat comatam stellam, vt monet Liuius Ignatius ex Diuo Bonauentura *lib.* 2. *compendij Theol. cap.* 9. Quoniam autem variis modis radiantes visi sunt, varia nomina sortiuntur. Qui enim comam, Turcarum more, fundunt, Pagonii seu barbati. Qui iaculo similes, Acontii. Qui ensiformes, Xiphii. Qui sphœrici, Discoides. Qui cornuti, Ceratii. Qui vasa referunt vinaria, Pithiti. Qui comam, veluti equi, spargunt, Hippii nuncupantur. Lege Cardanum *lib.* 4. *subtilit.* Ignatium *in anatome Cometæ anna* 1666. & 1667. de quibus multi multa tradunt, præsertim Claramontius, Carolus Piso, Diuinator Sophisticus, Ioan. Franc. spina, Peregrinus, & alij. 24

Hæc sunt accidentales differentiæ: Verum altius aliæ è naturis eorum indicantur, cum Seneca *lib.* 6. *natur. qq. q.* 11. Sanè ex effectibus eæ coniiciuntur, quibus Planetis sunt similes, vt si liuidi, Saturno; si rubei, marti assimilentur. 25

De Cometarum causis, & loco, altercantur sapientes. Sex opiniones fert Scot. *primo Meteor. quæst.*17. Pontius *disp.*28. *quæst.*1.

Prisci nonnulli, apud Aristotelem *primo Meteor. cap.*6. materiam cometarum cœlestem credidere: Eos allegant etiam Plutarch. *lib.* 3. *de placit. cap.*2. & alij relati, ac referendi.

Pythagorei Cometas aiunt esse stellas quasdam, statis temporibus apparentes. Apollonius Myndius eos inter erraticas numerat. Democritus, & Anaxagoras plurium esse planetarum concursum sentiunt. Pythagorei nonnulli, nec non Hyppocratis, Chivs, & Aschilvs censent, sydus aliquod errans, à septem esse diuersum. His ferè arridet Seneca *lib.* 7. *qq. cap.* 1. Eorum tamen iter auium à cæteris fatentur. Illos variè sequuntur Recentiores. Cardanus suprà, Keplerius de Cometis, aiunt, esse coagulum aëris in cœlo expansi, qui dicitur רקיע Rachiah expansio. *Genes.* 1. 26

Tyco Brahe *lib.* 2. *de mundi ætherei phænom. cap.* 10. & *epist. ad Rotm.* & Christianus longomontanus, credunt, eos fieri è materia viæ lacteæ: Alij verò Tychonici, è varia Luminarium conjunctione eos fieri conjiciunt.

Non longe à Pythagoreis abit Diuinator sophista.

Enim verò Cometas, è materia elementari agnoscunt communiter Peripatetici, cum Aristotele *primo Meteor. cap.* 7. Albumazar *lib. de coniunct.* Auicen. Algezel, Philop. Auer. Alb. *lib.*1. *Tract.*3. *cap.*5. qui dicunt esse halitus mixtos. Consentiunt periti Astronomi, Ptolem. *lib. de coniunct.* Ioan. de Regiom. Vogelinus *de Cometis*, Scipio Claramontius in Antitycone, & *lib. de nouis stellis.* Colleg. *tract.*3. *Meteor. cap.*3. Phranza *hist. lib.*5. *cap.*21. Vitellio *lib.* 10. *Theor.* 60. Cardan. *lib.* 4. *subtil.* Sualterus apud Tyconem *lib.* 7. *cap.* 10. Logembac. *cap.*71. Amicus *tract.*5. *de cœlo, quæst.*1. *disp.*11. Poncius *disp.* 28. *quæst.*1. Vrsinus *disp.* 2. *quæst.* 1. 27

Non longe abiit Seneca dicens, esse ignem. Epigenes vero apud Aristotelem dicens, esse terreum halitum accensum. Id ferè aceinunt dicentes, vel esse aerem, vt Boetius; vel aqueum vaporem, vt Heraclides Ponticus; & qui dixere, esse materiam non accensam, sed illuminatam, vt Scaliger; & qui dixere, aliquando etiam inflammatam; aliquando solùm illuminatam sustentari, dum Atmosphæram, idest quinquaginta duorum milliarium spatium extollitur. Ita Claramont: suprà, & Licatus *de nouis astris*, quod probabile putant Mastr. & Bellut. *disp.* 4. *quæst.* 2. *art.* 4. Eustach. *part.* 2. *Tract.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 2. Camillus Gloriosus *lib.* 5. *de Cometis*, Fuliens. 2. *Phys. cap.* 5. *art.* 6.

28 Aliqui mediâ viâ censent, cometas esse nonnullos in aëre; alios in cœlo. Ità Keplerus *de Cometis*, Licetus *de nouis astris*, Rotman. *de Comete anni* 1585. Isaac Abrectus, Clauius *in Sphær. lib.* 1. Aresius *lib.* 2. *de Gener. q.* 4. Galilæus, *libro*, cui titulus. *Il saggiatore*. Guiduccius *Tract. de Cometis*, Argolis, Sennertes, & fere Carolus Piso *de Cometis*, cum Arriaga *de Cometis*, & aliis.

Volunt tamen Keplerus: *Epithome Astron*, & Gloriosus *lib.* 5. Cometes è Luminarium halitibus compingi, quod à se obseruatum iurant. Ità Luminaria facta ex elementis supponunt, vt monet Cottun. *sect.* 31. vel halitus terrestres in cœlos insinuari, vt inferunt Aresius Guiduccius, & Galilæus. Neque timent, si cœli inducantur fluidi, vt vrgent Mastr. Bellutus, & Cottunius.

29 Ex his habes locum Cometarum. Qui enim ex halitibus elementaribus compactos dicunt, fere omnes infra Lunam locant. Illis adde Hagecium, Sculterum, Noltium, Apianum, Craigum, Keckermannum, & omnes Peripateticos, (excepto liceto) & Arabes.

Qui verò è materia cœlesti conflatos dicunt, eorum incunabula in cœlis ponunt. Relatis adde Bernardinum, Telisum, Ambrosium, Rhodium, Villebrordum, Snellium, apud Ignatium, *cap.* 3.

30 Habes etiam, quid singuli sentiant de forma Cometarum. Qui enim eos ex elementis struunt, sanè essentialiter à cœlis distinguunt: qui vero è cœlesti substantia eos fieri iudicant, essentialiter ab elementis distinguunt.

Horum causam efficientem aliqui solum Deum aiunt, ad aliquid graue portendendum. Allegant Damascenum, *lib.* 2. *de fide*: *cap.* 17. Id ita, vt plurimum fieri, ait Arriaga *disp. vnica de cœlo*. Si res ita se haberet, omnes fere quæstiones solutæ iacerent, vt ait, Kircherus, *lib.* 3. *magnet. artis, prælus.* 1. *pag.* 378.

Mastrius, Bellutus; & alij è regione, naturalibus causis eos adscribunt. Albumasar de coniunctione planetarum, *lib.* 8. *diff.* 1. id soli stellæ Martis adscribit. Hermetes, Saturno. Ptolem. *lib.* 1. *Quadrip. cap.* 2. Soli, magisque in coniunctione dicothoma, seu dimidiante figura & plenilunio, maximè, in Eclipsi. Cooperantur alia sydera, maximè in coniunctionibus, præcipuè in magna illa Iouis coniunctione cum Saturno, huiusque cum omnibus. Collaborat primum Mobile rapidè trahens aërem, atque intra Tropicos, etiam regionem infimam, ipsumque Oceanum, vt refert Verulamius *in sua hist.*

31 Finalem Cometarum causam naturalem, ait Andræas Duditius, deduci è materiæ necessitate; attamen sæpè, Deo ita disponente, nullus inficiatur, eos ad quid altius intendi posse.

Seraphici hac de re placitum paucis aperiam. Is, *lib.* 2. *Comp. Theol. cap.* 9. veros cometes, ex halitibus mixtis dissimilaribus, bitumine, nitro, sulphure, atque aliis viscidis euaporatis construi, docet.

In 2. *dist.* 14. *quæst. vlt. ad arg.* fatetur, aliquam stellam à Deo creari ad fines supernos, qualis ad Christi natalitium Magis affulsit. Stellas huiusmodi cometes cœlestes vocat, inferens, etiam circa cœlestium corporum gyros, posse aliqua diuinari; stellas ibi aliquas nouas, à Deo conditas, concedens. Id è Damasceno *loco citato* probat.

Rursus ad id *Lucæ* 21. *Erunt signa, &c.* Stellas casuras dici ait, nempè exhalationibus contextas.

Quare mediam tenet sententiam; Cometes aliquos in aëre; alios esse in cœlo, è quibus Regum mortes coniici possunt, quia aërem delicatis noxium reddunt; certò tamen diuinare, non nisi Diuino afflatu ait aliquem posse. Ità Seraphicum exponunt Orbellus *primo Meteor. cap.* 3. Mastrius, & Bellutus suprà. 32

Quoniam verò è parallaxibus singuli argumentum petunt; vt cometarum locum, ac proinde naturam inueniant; oportet Parallaxim agnoscere.

Parallaxis, Græcè, diuersitatem sonat aspectuum corporis eleuati: Oritur verò talis diuersitas ex hoc, quod linea visualis, seù ducta ab oculo stantis suprà terram, & tracta ad corpus eleuatum in alto loco, vt, puta ad tertiam aëris regionem, & inde ad cœlum protensa stellatum, quod est vltimum visionem terminans, diuerso itinere tendit ab altera linea, quæ à centro terræ educta, & altè deducta ad aërem, transit per centrum eiusdem corporis sublimis, puta cometæ, & rectà ascendens, vsque ad firmamentum, ostendit verum illius cometæ locum, respectu totius vniuersi considerandum. Ea igitur diuersitas aspectûs, causata à diuerso itinere lineæ visualis, ostendens diuersum esse locũ, à vero illius cometæ, infra firmamentum existentis, loco; illa inquam varietas, quæ in duabus illis lineis diuersa via ductis, apparet, illudque spatium, inter vtraque medium, in firmamento mensurandum, dicitur Parallaxis. 33


Hinc primò deduco, si corpus in ipso sit firmamento, non apparituram aliquam parallaxim, quia diuersitas loci visionis non posset apparere: Nam in eodem centro stellæ terminaret linea visualis, & ea, quæ à terræ centro ducitur. Igitur, quò magis elongabitur ab illo, eò fiet maior Parallaxis, cæteris paribus. 34

Colligo secundò, si corpus esset nobis in Zenit, super verticem capitis, vt ait D. Bonauent. *serm.* 1. *de S. Ioan. Baptista*, non apparituram aliquam parallaxim, quia linea è centro terræ, & linea ex oculo nostro, ascenderent vnitæ vsque ad firmamentum.

Colligo tertiò, si corpus illud elongetur à nostro vertice, apparituram parallaxim, quia linea visualis à linea centrali disiuncta, incipit diuerso itinere ascendere ad cometam, & inde ad firmamentum. Itaque quò magis cometa à vertice nostro recedet, eò magis diuerso itinere pergent lineæ illæ. Hinc, si cometes situs sit in Horizonte, maxima erit diuersitas itineris earum linearum; atque adeò maxima quoque Parallaxis.

Habes etiam, corpus illud, quo vicinius terræ (si cætera sint paria in ordine ad Zenit, & Horizontem) eò maiorem futuram Parallaxim; quia lineæ magis in ordine ad firmamentum disiunctæ recedent. Hoc Sistemate omnia perspicies. 35

Sit



36 Sit Globus terræ A. Sit Firmamentum D. Linea centralis Horizontalis B. B. Aliæ duæ lineæ visoriæ C.C. Horizontem intersecantes. Linea E.E. transiens per Terræ centrum, à Zenit ad Nadir ducta, quâcum coit linea visualis; vnde hic nulla parallaxis apparet; Tandem duæ lineæ F. centralis, & G. visualis. Obserua distantiam linearum C.C. à B. & lineæ G. ab F. in terrestri globo A. Hinc insurgentes, vario itinere, lineæ causant Parallaxim maiorem, quò magis corpus fuerit ad Horizontem, & terræ vicinius.

37 Definitur Parallaxis Angulus, siue concursus radiorum visualium, è diuersis terræ partibus directorum, in idem centrum Astri, vel Cometæ. Ita refert Vrsinus, qui sic eam describit: Parallaxis est diuersitas aspectus, qualis contingeret, si vna pila penderet ex trabe cubiculi per funem, longum duos, vel tres palmos; tunc oculo, constituto in dextera parte cubiculi appareret pila in sinistra parte trabis: Oculo autem, constituto in sinistra parte cubiculi, appareret pila in dextra parte trabis: Illa ergo diuersitas est parallaxis, quæ nulla appareret, si pila immediatè hæreret trabi, siue enim aspiceretur ex vna parte, siue ex alia, semper eadem appareret, & in eodem situ.

Hæc Vrsini declaratio crassa, & manca est, vt constat.

38 Assero primò, dari Cometas elementares in aëre.

Probatur ab allatis Doctoribus, qui experti sunt, multos Cometes maiorem longè parallaxim facere, quàm sit Lunaris: Ergo infra Lunam erant: Id obseruarunt in Cometis vltimò visis. Obseruarunt etiam, motos inordinatè non descripsisse Circulos, parallelos Cœlestibus Orbium, breuique mutasse situm à Stellis, quibus apparebant vicini: Quæ frustrà impugnat Sophista; mox cap 4. dans inuitus dexteram.

Instat, Cometem anni 1664. habuisse 22. gradus longitudinis, nempè 1980. milliaria: Tanta autem massa è terra nequiuit ascendere, quæ ad supremam aëris regionem elata, globum longè terrestri maiorem faceret.

39 Respondent multi, multiplicatas radiorum refractiones tantam exhibuisse molem, radiorum extensione, ex ipso Sole arrepta; vnde illusus oculus, globum longè minorem haud percipiebat.

Sed quanta foret longitudo Globi, si locaretur in Firmamento, Vnde moles tanta?

Vrget, Cometes Telescopio, non tantùm oculo crescere, quantùm Luna: Ergò remotiores sunt, quam illa.

Hoc mihi primò, ea tubo optico aspicienti, scrupulum ingerebat; sed obseruaui, ex luminis maiori intensione, Lunam solidam ampliùs ferire oculos: Nam & Solem, Lunâ altiorem, tubo obseruaui maiorem discum exhibere; Obseruans etiam Stellas fixas primæ magnitudinis, quæ tubo apparebant sine radiis solo globo; atque adeò minores: Cùm igitur Cometæ sint longè Astris minùs lucidi, vtpotè elementares, vel si Cœlestes, non ita solidi, & radiis spuriis amplè coronati; quidni, Telescopio fixiùs, & perfectiùs Cometen videntes, solo nudo globo emensum, minorem offendamus?

Vrgent Tyco, & asseclæ, Stellam in *Cassiopea* visam, anno 1572. & visam 1600. & 1604. & 1618. non dedisse parallaxim, quod de hac vltima Argolis iureiurando asseuerat. Idem testantur alij de visa anno 1652. 40

Sane Anti-Tycones conclamant, Tyconis machinas murarias, experimenta fallacia, scriptaque sonantia: Nos verò cum D. Bonauentura consideramus, plurimos peritissimos Astronomos, supra relatos, præcipue Tyconi eruditissimi consentientes, etiam aduersas rationes vidisse, nec ab eis formidasse; saltem verò aliquos cœlestes Cometas reperisse.

Assero igitur secundò, aliquas nouas stellas in Cœlo apparuisse.

Probatur primò; quia plurimos annos permansêre, vt retuli, *tract. 6. disp. 2. quæstione 9.* At exhalationes tanto tempore non durant.

Probatur secundo ex motu: Obseruarunt enim noctis tempore, quantum Cometes ab aliqua Stella distaret, & hoc pluries: Deindè in Charta vel Globo cœlesti signarunt loca obseruata Cometæ; Viderunt autem loca hæc successiuè motu incidisse in rectam lineam, vel in arcum Circuli maximi, qui diuidit Sphæram in duas partes æquales. Cùm igitur motu ordinato, quo soli Orbes Cœlestes cientur, illæ Stellæ mouerentur; quis neget illas in Cœlis fuisse? Confirmatur ex motu Stellæ nouæ anni 1572. obseruatæ à Clauio, & aliis, quod frustra Scipio negat. 41

Respondet, posse Cometen primo motu rectâ à Cœlis trahi: At quidem aër irregulari raptus gyro, Cometen inordinatè raperet.

42 Probatur tertiò : Maiorem enim parallaxim exhibet Luna, quàm aliqui Cometæ: Ergo, ex dictis, sunt supra Lunam; sic de relata Stella testantur Clauius, Tyco, & alij relati. Idem de visa anno 1600. testantur Clauius, Keplirus, & Griembergerus, quem Argolis secum allegat de Stella visâ 1618. addens sibi Gregorium Boncompagnum.

Instat Ignatius, Tyconem varium fuisse circa Stellam 1571. In hac Hagecium parallaxim inuenisse, & Longomontanum in ea 1618. parallaxim emensum *min.* 15. *secund.* 34. quorum singula sunt sexagesima pars minuti; vt docet Sanctus Doctor, & cæteri, & Claramontium inuenisse eius parallaxim, Lunari maiorem.

At in classes diuisi, se inuicem Quadrantibus, Astrolabiis percellunt; Tyconis machinas admonent; alij eas retundunt, tandem Sanctus Doctor medius gaudet.

43 Cometen anni 1664. Astronomi emen... è parallaxi collegere, distasse à terra 70000. mill... ia Circumferentiam Sphœræ, in qua erat, 398743. milliaria gyrasse. Diametrum disci eius, qui erat initio 4. min. longum 73. milliar. & 800. passus Periphæriam, seu circuitum globi mill. 231. passus 942. Barbam longam 1107. milliaria.

Cvriosvs forsan inquires, vnde luminoso infanti tam ingens barba?

Cardanvs, quem sequitur Tyco, ait, esse radium Solis transeuntem per poros Cometæ, reddique visibilem vnione suâ, & multiplicatione. Sequuntur magno plausu Moderni.

44 Opponvnt alij; quia omnes Cometæ sic essent *Pogomy*; nullus *Xiphius*; Radius enim transiens dilatatur ad modum scopæ, non autem se restringit ad modum ensis.

Deinde nunquam viderentur Cometæ contra Solem vndique criniti; nam radius per Diametrum transit.

Tertiò radij Solares visionem non terminant, nisi opaco corpori innixi, vt probat Keplerus *in Optica Astronomica.*

His argumentis territi Argolis, & Longom. aiunt, radios transeundo perfricatione aliquas secum ferre particulas Cometæ.

At confricatio est corporum, non radiorum.

Vrgeo cum Collegio *tractatu 3. cap.* 4. Si barba è radiis Solis fieret, iam Cometa, ingrediens vmbram terræ, videretur sine lumine tonsus, & eclipsatus, quod nunquam euenit.

Vrgent alij; Esto non ingrederetur vmbram terræ; nulla barba, vel cauda, sursùm respiciens, iam videretur à nobis.

At ita visus est hic Cometa, cùm ad *Orionis* cingulum accessit.

45 Dicvnt alij, Barbam è materia rariori fumosæ exhalationis emitti; sicut crines vndique è partibus densioribus accensis, & illuminatis, quæ nostro aspectui ideò apparent. Ne mirere, flammam, fumumque quadragies septies suum globum excedere igneum, a quo emittitur: Nam Vesuuius anno 1631. flammas, fumumque ad ducenta milliaria in Dalmatiam effudit: Obseruant autem Ignat. & Longomont. fumum ad partem Soli oppositam extrahere ab incendiario aufugientem: Nonnunquam verò sursum ferri pro varia Cometarum mixtione, & situ: Sunt enim sæpe halitus bituminosi erumpentes, qui à Sole fugiunt; vnde erumpit incendium.

Sic euenisse aiunt Cometis anni 1664. & 1665. quos Ignatius air fuisse distinctos: Is Catalogum Cometarum per sæcula intexit. Eum ego retexui, *tract. 6. disp. 2 quæst. 9.*

Argvmenta aduersa ex dictis soluta iacent. 46
Vnum Sophistæ referre libet, quod nostram mediam non lædit sententiam, Tempore nimirùm Eclipsis iuxta Solem videri Cometes.

Recole dicta *tract. 6. disp. 2. quæst.* 12. Lunam in se habere aliquas cauitates rotundas, easque profundas, & inæquales, rariori plenas substantiâ, peruias aliquo modo Solari lumini: Potest igitur aliqua ex illis lumen imperfectum Solis per Lunam interpositam ad nos demittere, quod rotundam, aut ouatam semiluminosam ad nos figuram demittat, & soli tubo optico perspicaci appareat. Simile quid reor apparere in Luna ex vmbra Oceani circùm, tempore Eclipsis eius, vt aliquæ partes sublucidæ è tenui Oceani vmbra è Lunæ Periphæria transpareant: Cometas verò circa Solem non video.

Hic solent Astronomi tabulas Topographicas cudere, vt loca stellis, & Cometis subiecta assignent, quoad naturales influxus, quibus annuit S. Doctor *in 2. dist. 14. quæstione vltima.* 47

Ardvvm mihi tamen, quasdam Stellas assignare dominantes, quibusdam Vrbibus, vel Prouinciis, quibus nunquam sunt verticales, aut trigonæ, aut horizontales, puta Brixiam sub Scorpione, Bergomum sub Ariete; sub Leone Cremonam: Neque percipio, remotissimas secundùm latitudinem sub eadem Stella esse, puta sub Scorpione Brixiarum circuitum (quem Poterus Prouinciam nouit) & Getuliam, quæ in Africa continet Regnum Fezæ, & Marochij; quod Ignatius, & Origanus præstant. Satius cum Diuo Bonauent. *loc. cit.* sub Australiori ponerent signo: Sic D. Gregor. *homil. 10. in Euang. apud D. Bonauent. loc. cit.* Getuliam sub Aquario collocatam refert. Me ab eorum sensibus dimouet ipsorum varietas, vt Sophista dicat, neque Ptolemæo standum; sæpè enim loca Cometis supposita, tranquilla manebant, remotis calamitatum vorticibus.

Prænvnciant Cometæ, meritò effectus sibi connatos, puta calores, siccitates, ventos; quare & Elementares comprobantur: Enim verò inde aliqui frigora, & inundationes prædicant, vt retuli *tract. 6. loc. cit.* eò quòd Planetis symbolis regantur; destituta calidis halitibus remaneat terra: Malè diuinant Regnorum seditiones, Bella, Religionis mutationes, vt videre potes apud relatos, & Restinum, atque Sabinum: Quâ virtute inanimata spiritibus dominantur, necessaria liberis? 48

Aivnt Cometen anni 1664. à Saturno Planeta frigido compactum, in magna cum Ioue perbenigne attemperato, præuiâ coniunctione, dicunt verticalitatem fuisse obseruandam. Non fuit sanè Regno Cretæ verticalis, neque alicui Europæ loco; & tamen in Creta sola & eis exarsit. At Barbam, & Crinem minari locis aspectis respondent. Huius crines in Cœlum eiaculatos vidi: Cùm, iuxta Orionem, Stationarius multos dies radiantem comam in eum iaciens, nobis eam inuisam reddidit. Num in statione nimbosum Gigantem ad certamen prouocabat? num gladio territus immenso, die 5. Ianuarij 16605. milliaria singulis horis excurrens, barbam 11070. longam trahens, auolauit? 49

Dic sanè cum D. Bonauent. *loco citato.* Albert. *lib. 1. tract. 3. cap. 11.* Colleg. *tract. 3. Meteor. cap. 5.* 50
Deum

Deum aliquando cometas Gentibus ostendere, vt mortem Regum portendant; Regnis verò, de quibus Angeli sunt solliciti, prouideatur. Aliquando in cœlis hæc portenta apparent. Sæpè in aeris suprema regione velocissime cum aëre rapiuntur à primo mobili: Secunda enim regio vix sub Zona torrida sic rapi dicitur, & in ea regione citò à frigore destruerentur; sicuti nec intra Tropicos diu vigent; à Sole enim dissoluuntur. Vide Nonnium *lib. de crepusc.* Vitell. *lib.* 10. *part.* 60.

Nvllvs certus durationis terminus Cometis præscribitur, plerumque tamen vltra sex menses non manent: aliquando annum attingunt, sicuti ille Xiphius, ante Hierosolymæ excidium, super eam pependit, vt legitur apud Ioseph *de Bello Iud. lib.* 7. *cap.* 44.

51 Mvltiplex Cometis motus creditur. Primus est ab oriente raptus cū aëris regione. Secundus est ab occasu, qui est potius retardatio raptus; tum quia aër non sequitur adeò celeri volatu cœlos: tum quia cometica moles non recipit aëris totam impressionem, & impulsum. Tertius motus est ad polos à materiæ diuersitate, vel magnetica poli virtute. Quartus est sursum è subtiliatione; vel deorsum è molis terræ accremento; Cometæ autem cœlestes regularibus motibus cientur.

Elementares, pro materiæ varietate, varios exhibent colores; cœlici vero solam è densitate, vel raritate apparentiam colorum obtinent.

QVÆSTIO VI.

De Ventis.

Elementares Cometæ in ventos dissoluti, me, ad horum essentiam hic scrutandam, aduocant; cùm & apud multos sint Aërei.

52 Mvlti Philosophi, ventis non absimiles, ad ventos indagandos in auia rapiuntur. Perlege Aristotelem *primo Meteor. cap.* 13. & *lib.* 2. *à cap.* 4. *ad* 7. Plutarch. *lib.* 3. *de placitis, cap.* 7. Plin. *lib.* 2. *cap.* 45. Albert. *M. lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 6. & 7. Agric. *lib.* 2. *de ortu, & causis subter.* Picum. *lib. primo de exam. van. c.* 12. Collegium *Tract.* 6. *Meteor.*

Pervvlgata fuit opinio, Ventos esse Aërem agitatum. Hippocrates, *lib. de flatibus*, etsi deuictus ratione secundà docet, ventos omnes spirare è niue, glacie, gelu, fluminibus, & stagnis, terraque humidà refrigerata.

Anaximander vult, esse fluxum aëris, cuius partes tenuissimas, & maximè humidas Sol absumpsit.

Stoici ventos, fluentis aeris impetum, vocabant, qui pro regionum diuersitate nomina adepti sunt: Vitruu. *lib.* 1. *architect. cap.* 6. ait, ventum esse aeris fluentem vndam, cum incerta motus re-
53 dundantia. Diuus Isidor. *lib.* 13. Ventum definit, *aërem commotum.* D. Damasc. *lib.* 2. *fid. cap.* 8. *Aëris fluxum, siue agitationem:* Astrologi, *aërem peruium, Ventum* dicunt, *dispari stellarum ictu, radiorum, multiformi iactu commotum*, Porrò ventorum volunt portas aperiri, cum Iupiter Solem, Lunam, & Mercurium, aut hunc Mars diametra radiatione aspexerit, vel ei in quadrato astiterit, vel vbi vterque in signis aëreis hospitetur, vt in *Geminis*, & *Libra*; aut cum Luna, Iupiterque in *Ariete*, & *Scorpione*, pariter ambulent; deinde Luna fuerit Mercurio coniuncta. Visa est hæc sententia Aristotelis *sect.* 26. *probl.* Sed ibi priscorum sensu loquitur. Sequuntur Cardanus, & Aresius, apud Poncium *disp.* 28. *n.* 28. vbi probabilem censet. Moueri autem vel à Sole, ait Seneca; vel raptu Cœli, ait Cardanus; vel ab astris, vt dicunt alij; vel ab Intelligentiis, autumant alij apud Scot. *lib.* 2. *q.* 4. *art.* 3. Philosophus, acie Peripatetica constipatus, docet, Ventum esse halitum calidum, & siccum.

Qvid sentiat D. Bonau. paucis aperiam. In *c.* 1. *Eccl.* ad id: *In circuitu pergit spiritus*, ait: Ventus vel est motus aëris, secundùm aliquos philosophos, vel secundùm Aristotelem 2. *Meteor. cap.* 4. motus vaporis in aëre, ad cuius motum etiam mouetur aër. 54
Mox ad 5. *Sapientiæ* in ea verba: *Sonitus alarum verberans leuem ventum*, ait, Ventum esse aërem motum, secundum illud Damasceni 2. *de fide, cap.* 8. Ventus est aër motus. At *in Comp. Theologiæ, cap.* 9. ait proprio sensu: *Ventus est vapor terreus, aëris superiora transcendens, & aërem fortiter percutiens, & impellens.* Vbi aduerte, Seraphicum vocare ventum vaporem, vt dicam *quæst.* 6. non strictè; sed halitum terreum ignitum, iuxta Aristotelis placitum, relatum suprà: At vapores etiam immixtos concedit cum Metrodoro, apud Plutarch. quibus arridet Poncius, *n.* 31. adducens Collegium. Quare falsò Carolus Franc. Vrsinus, Mediolani Oblatus, huius se *in suo libello* iactat opinionis authorem. Seraphico arridet Fuliens. 2. *Phys. c.* 5. *art.* 7. dicens, esse aërem, vel halitum.

Assero primò, Ventum non esse aërem.

Probatvr tum è plurimis motibus, qui vni simplici corpori nequeunt conuenire; (neque satis assignantur causæ extra exagitantes,) tum ex ventorum vi concutiente syluas, alta conuellente ædificia, &c. 55

Assero secundò, Ventos esse halitus, è terra calidos, & siccos.

Probatvr primò, quia calefaciunt, & exsiccant.

Probatvr secundò à D. Bonau. ex motu naturali sursum, & impulsu ad ima adeò violento, vt tota aëris regio commota subuertatur; mare despumans, susdeque reuersum immugiat; telluris alta contremiscant; atque maritimæ classes, vrbésque munitissimæ, dehiscentibus abyssis, obligurianrur, ac deuorentur, Confirmo: Nam, si non astruantur exhalationes; nequaquam eorum motus percipiemus, vt statim ostendam.

Seneca *lib.* 5. *c.* 6. cum suis Stoicis vult, aerem habere animam.

At inanis hæc ab omnibus eruditioribus censetur excogitatio. 56

Theoprastvs censuit, motum venti esse à simplici prædominante in mixto, vt sæpè, graui, & leui, pugnantibus, transuersim agantur.

At motuum vis, ac vehementia non satis in grauitate, & leuitate causam inuenit. Cur enim transuersim feruntur? Cur è triginta duobus angulis? Cur idem ventus ascendit, & mox descendit? Astrologi volunt, hunc motum agitari à stellis.

Sed motus vehementes adeò varij, & inordinati, non satis ordinato cœlorum motu percipiuntur concitari.

Aristoteles *primò Meteor. summa* 2. ita edisserit: Exhalatio primo eleuatur à terra leniter; ex calore cœli, & astrorum; deinde rapitur à primo mobili in gyrum. Initio debilis est ventus, sed influxu auctus exhalationum, validus vrget; sicuti è multis vnà confluentibus riuulis torrens exundans, turgidus irrumpit. 57

Contra arguunt Aphrod. & alij. Tum quia ven-

ventus moueretur semper solùm ab extrinseco. Tum quia moueretur semper ad occasum, sequens raptum. At oppositum motum ventis conuenire quis ignorat? Imò neque ad occasum rapitur à primo cœlo, à quo infima Aeris regio non cietur; imò nec media; vnde videntur nubes nonnunquam quietæ; non rarò ad ortum, vel ad polos euolantes aspiciuntur inæqualiter, non regulari tractu cœlorum.

Propterea multi Aristotelem deserunt, etsi non valide refellant, non enim à solo raptu cœli ventorum motus ducit; sed ex natura exhalationum.

58 Vera opinio, quam affert Author *lib. ad Alexandrum*, inter Aristotelis opera *cap. 3.* ita ventos describit: Exhalationes innata leuitate ad suam Sphœram, euolantes in vaporosam frigidam regionem aeris impingunt, enitentes peruadere; sed à frigidis obsistentibus valido impetu repulsæ; qua data vi ruunt, hinc illuc discissæ. Quoniam verò aere, ac vaporosis halitibus admiscentur, varios etiam, atque diuersos motus ineunt, pro vt mixta præualent elementa: hinc etiam frigefaciunt, humectant, iuuante etiam regionum, per quas peregrinantur, temperamento, vt, si per oras calidas transeant, vt Auster incalescat: si per brumas, vt Aquilo rigeat; si maria, & paludes superuolet, humescat, illasque nobis communicet qualitates. Ita apud Conimbric. plurimi, quibus arridet S. Doctor, *loco citato comp. & ad 3. Ioan.* in ea verba *Spiritus, vbi vult, spirat; & nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Quod ex Diuo Chrisostomo explicat de ventorum origine, & motibus: Quamuis enim Austrũ à meridie; & à polo Aquilonẽ audias efflãtem, &c. Tamen patria distinctè nõ percipitur, quia, cùm sit exhalatio euolans, & vi in auia dispersa, ignoratur, ex quo sinu vaporis sit reiecta; quòuè exufflata; num dexteram? an sinistram versus? adde variantes syderum influxus imminentes, è variis coniunctionibus, varios, vt docet Sanctus Doctor *locis adductis*, & ad *Psal. 17. & 134.* vbi Epiphonemate illo perorat: *Confitemini Domino, qui producit ventos de thesauris suis.* Eum imitatur Collegium *cap. 3.* Eustachius *part. 2. tract. 3. quæst. 14.*

59 Nvmervm Ventorum, & varietatem lege in Aristotele *lib. 2. Meteor. cap. 6.* Damasc. *lib. 2. de fid. cap. 8.* Seneca *lib. 5. natur. qq. cap. 16.* Gellio *lib. 2. cap. 22.* Plinio *lib. 2. cap. 37.* Auct. *lib. de mundo ad Alex.* Mario Nigro *lib. 2.* Gregor. Stefferino *Part. 2. de vsu Astrolabij, prop. 44.* Mautholyco *2. dial. Cosmogr.* Collegio *cap. 4.* Vrsino *suprà.* Barotio, Orontio, & alij.

Omnivm calculis quatuor sunt principales è 4. mundi angulis spirantes, quos primus Eolvs notauit. His vtrinque duos singulis collaterales ponunt, cum Diuo Bonauentura *ad 1. Eccles.* & *lib. 2. Comp. Theol. cap. 9. & ad 5. & 7. Sap.* Ab Oriente, qui sumitur secus lineam Æquinoctij, vt cœli quadrantes æquè secentur, est Svbsolanvs, temperatus; à dextris eius spirat Vvltvrnvs desiccãs; à læua Evrvs, nubes gignẽs:

60 A meridie Avster calidus, fulmina generans, & densas pluuias; habens à dextris Africvm calidum; à sinistris Notvm temperatiorem; sed pestilentias inducentem. A polo est Aqvilo rigidus, habens à dextris Draciam, niues stipantem, & grandines; à sinistris Boream, nubes cõstringentem, ac pluuias prohibentem. Ab Occidente, sanè æquinoctiali, est Zephyrus florum genitor, habens à dextris Circivm, tẽpestates, tonitrua, & pluuias producentem; à sinistris Favonivm, orienti nubila, sed meridiei serenum afferentem. Vide S. Doctorem etiam *ad Psal. 134.* & ad *Eccl. 11.* in ea verba. *Qui obseruat ventum. Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus?* His locis, & aliis indicat S. Doctor, ex omnibus orbis partibus ventos erumpere. Ideò iam Nautæ triginta duos recensent, hoc ordine.

Primo Horizontem in triginta duas partes 61
æquales secant. Sub Polo Arctico ponunt Septentrionem: & in parte è diametro opposita Austrum. Tum hac diametro ad angulos rectos secta ab ortu æquinoctiali, subsolanum: Sub æquinoctiali occasu, Zephyrum. Inter hos, in puncto medio, alium statuunt. Inter Septentrionem, & Subsolanum, ponunt Mesem. Inter Subsolanum, & Austrum, ponunt Euro-notum. Inter Austrum, & Zephyrum, ponunt Noto-zephyrum. Inter Zephyrum, & Septentrionem, Thracio-zephyrum, & sic 8. sunt iam venti. Rursus, in puncto medio, inter duos, ex his, alium locant. Sic inter Septentrionem, & Mesem collocant Boream. Inter Mesem, & Subsolanum, Cæciam. Inter Subsolanum, & Euro-notum, Vulturnum. Inter Euro-notum, & Austrum, Phœnicem. Inter Austrum, & Noto-zephyrum, Libo-notum. Inter Noto-zephyrum, & Zephyrum, Africum. Inter Zephyrum, & Thracio zephyrum, ponunt Corum. Inter Thracio-zezephyrum, & Septentrionem, Thraciam locant; & ita 16. ventos habes. Rursus in puncto medio, inter quoslibet duos, alium ventum constituunt. Ita 32. recensentur quos nominibus eiuratis vocant. Vide Ingen. *lib. 1. cap. 8.*

Qvalitates porrò imbibunt regionum, 62
per quas vagantur, vt dixi; vnde aliqui salutares; alij noxij fiunt, vt ait Diuus Bonauentura, *loco citato Compendij.*

Svnt venti aliquarum ferè proprij regionum, de quibus Collegium *cap. 6.* Plinius *lib. 2. cap. 47.* Seneca *lib. 5. naturalium qq. cap. 16.* Sunt venti statis designati temporibus. Nam alij Vere, alij Hyeme perflant.

Occvrrit dubium: An locus aliquis ab omnibus sit ventis liber. Perantiqua fertur Traditione, montem Olympum, caput suprà nubes tollentem, pace frui perpetua; expertos autem Idolorum cultores ibi in vertice prophana litantes, litteras aliquas in puluere scriptas, in sequenti anno integerrimas inuentas, quo probatur, puluerem à ventis haud excuti. Fertur etiam, montis in vertice tenuem aërem respirationi ineptum, spongiis, aqua tumidis, incrassari ad ora, vt ibi moram trahere queant. Hæc admittit S. Doctor *serm. 1. de B. Virg.*

Mvlti tamen reclamant. Vrsinus *quæst. vlt. de* 63
ventis, & *disp. 1. quæst. 3. cap. 1.* ait, ibi ventos dominati, cùm è vertice illo exhalationes ascendant, & vapores valeant à sole eleuari, quia est terra. Litteras verò à dæmone, ipsius cultoribus integrè concludit seruatas.

Pererivs *in 9. Genes. lib. 12. de diluuio, disp. 9.* ne admittat, montem hunc, nubibus superlatum, diluuij pluuias non esse passum; fabulosum ait, quod de eo dicitur, testibus, Viues, & Philadelphio, quinimò ex D. Aug. *lib. 3. de Genes. ad litt. cap. 2.* id à se probatum credit *lib. 3. de Parad. cap. 2. quæst. 2.*

Vrget. Si Olympus secundam aëris re- 64
gionem excedit, erit altus supra quinquaginta milliaria; tantùm enim attollitur media illa regio: At maxima altissimi montis celsitudo vnum milliare tantùm perpendiculè super terram extollitur, ex Gallico *in Sydereo Nuntio.*

Plvtar

Plutarchus in Paulo Æmilio scribit, multos existimare; nullius montis altitudinem, nulliusvè maris profunditatem decem stadia, id est milliare, & quadrantem excedere: Addit, Zihagoram, Mathematicis instrumentis, Olympi talem comprobasse celsitudinem.

Plinius *lib. 5. cap. 2.* montem in Syria quatuor milliaria altum scribit: Quomodo igitur altitudinem secundæ regionis aëreæ, quæ est 50. milliarium excedit Olympus? Omitto montem Venarissem, altum sexaginta milliaria, vt refert Poncius, *disp.* 28.

Ego non teneor equidem hæc mordicus ad lantem sustinere; quia Seraphicus, non disputando asserit; sed ea refert ex Authoribus grauissimis, ad sensus indè mysticos eruendos: Sic scribunt, præter relatos, Solinus, *cap.* 14. Colleg. *tract.* 1. *cap.* 2. testatum reddens.

65 Imò S. Augustinus hæc admittit, *lib. 1. qq. super Genes. initio, & de Genes. ad litt. imperf. lib. vnic. cap.* 14. relata hac historia infert; non absurdè nomine Firmamenti accipi expansionem vsque ad illa aëris spatia ob tranquillam à ventis pacem.

At 15. *de Ciuitate, cap.* 27. solùm enititur potuisse aquas Diluuij super montem Olympum eleuari è Mari turgente, & pluuiis adaucto; quia ibi est Terra, aquis grauior, vt concedit Pererius, *de Diluuio, loc. cit.* qui seueriùs prætendit, ibi pluuiis obnoxium montem. Satis sit concedi, Montem turgentibus miraculo vndis opertum, vel ab aëre, à Deo in aquam verso.

66 Locus verò, quem contra nos affert *è Libro tertio de Genesi ad l. cit.* 2. nihil lædens, ad vnguem pro nobis pugnat; Postquam enim historiam veram confessus est, Montem illum nec pluuiis, nec ventis esse obnoxium; adhuc volens Scripturæ sartam tectam seruare historiam de Montibus Diluuio coopertis, nullo excepto; ait, hoc à Deo fieri potuisse conuertendo aërem illum in aquas. Audite S. Patrem: *Quapropter, & si verum dixit quidam secularium Poetarum Lucanus. lib. 2. Phar.* Nubes excedit Olympus. *Pacem summa tenent, quia perhibetur, in Olympi vertice aër esse tam tenuis, vt neque nubibus obumbretur, neque turbetur vento; & tamen & ipse aër est, vnde aquis vicina qualitate diffunditur, & propterea ipse quoque in humidam naturam conuersus Diluuij tempore creditur.* Hæc Sanctus Augustinus, qui omninò loquitur cum Diuo Bonauentura consonè: Propterea etiam aquarum pluuiam, à Deo ex aëre productam super Olympi iugum, credi, tanquam fidei obiectum, non naturaliter possibilem, ait, conuerso aëre in aquas miris modis.

67 Quoad altitudinem secundæ regionis, dico, sumi à profundiori superficie terræ ad regiones illius summum: Montium verò altitudinem, à summis radicibus eorum, quæ super planitiem altè extolluntur; neque illis mensuris credo adamussim: Nam videmus nubes sæpè iugis montium contiguas; imò ea operire.

Ad primum argumentum, quod indè halitus, & vapores eleuari queant; dico, vaporulos paucos è vertice vnico superelato secundæ aëris regioni, in tertia subtili consurgere simul, & à Sole, ac regione calida, & ignea sphœra, in aërem resolui: Exhalationes autem, si quæ paruulæ è sinu obsesso à secundæ regionis bruma, atque constricto expirent, ad sphœram ignis pacificè ascendere, atque adeò rarefactas euolare rectà; vndè neque impulsæ, neque repulsæ ventosæ non redduntur; sed per amica spatia pacificè peruolant.

Sunt tres Venti, præ cæteris, turbulenti: *Ecnephias, Typhon, & Prester*; quorum Anatomiam exhibebo hic, cum Ingenier. *lib. 1. cap. 9.* & aliis.

Si multæ exhalationes densæ coacernatæ ascendant, & in cauam nubem subeant, fit sæpè, vt per Antiperistasim, vel attritu, aut motu calefactæ rarescant, ac locum ampliorem quærant, tandemque per nubem disruptam, more fulminis, magno impetu deorsum irruant: Hi flatus procellam faciunt à Græcis *Ecnephias* dictam; eò quòd præceps è nubibus erumpat. Ab hac timent Lusitani sub Æquinoctiali; ideò, vbi cauam conspiciant nubem, vela demittunt, vt refert Vrsinus ex aliis. Hoc indicat S. Doctor *ad 5. Sap.* in ea verba: *Tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur*, & ad *Psalm.* 10. & *ad* 8. *Lucæ* in ea verba: *Et descendit procella venti*: & *in primo, dist.* 10, *quæstione vltima.*

Quòd si huiusmodi flatus, è nubibus diuersis, vel alia, & alia eiusdem nubis parte protrusi, inter se confusè conglobentur; & in diuersa nitentes, in se pugnaces retorti inuoluantur, & rotati, vorticem efficiunt, qui dicitur *Typho*, seu turbo ab *Ecnephia*, gyro distinctus. Hoc vento aquæ circumuoluuntur, nauesque absorbentur: Sic describitur à Conimbric. *tract. 6. cap.* 7. cum Diuo Bonauentura, lib. 2. Comp. Theol. cap. 9. *Turbo est ventus egrediens de nube, in seipsum reflexus*: Vel sunt duo venti, lateraliter sibi inuicem occurrentes, sesque iuxta terram orbiculariter inuoluentes. Rursus *ad 5. Sap.* in ea verba: *Turbo venti*, ait, id est impulsus compositus è contrariis ventis, pulueri admixtis. 68

Quòd si prædicti halitus, per Antiperistasim, vel repercussione ignem concipiant, & inardescant, ac depressæ nubis è specu erumpentes flammam secum deuoluant; itavt flatus, & ignis vnà deorsum ferantur; *Prester* dicitur, à Græco verbo, quod sonat *Incendo*: Differt verò à Fulmine; quia plus habet flatus, & minùs flammæ. 69

Ventorum mirabilia exhibet S. Doctor *ad* 11. *Eccl.* in ea verba (*Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus, & quâ ratione compingantur ossa in ventre matris: Sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium*: Vbi obseruat, apponi: *iter spiritus* (*venti* רוח legit Pagninus, vt Gradationem, quâ ad sublimiora Dei opera contemplanda ascendatur: Huic apponit vim formatiuam fœtus, quam Auicenna Diuinam acclamat; vt notat S. Doctor, qui adducit, & id Ioan. 3. *Spiritus, vbi vult, spirat, & nescis, vnde veniat, aut quò vadat*, Iuxta Chrysostomi expositionem; & id Psal. 134. *Qui profert ventos de thesauris suis.* Et id Exodi 15. *Flauit spiritus tuus, & operuit eos Mare.*

Multa sunt Ventorum prognostica: Luna rubens, halone cincta: Sol in occasu pallens, aut sanguineus; oriens, aut occidens halone coronatus, vt indicat S. Doctor *lib. 2. Compendij Theol. cap.* 9. Nubes orienti Soli laterales: Sydera discurrentia: Coruscationes sereno Cœlo: Carbones solito magis accensi: Marè silentio intumescens; Hæc, & similia ventos prognosticant. 70

QVÆSTIO V.

De aliis halitibus ignitis in AERE.

MVLTIPLEX halituum compositio apparet in aëre. Aliquas innuo.

71 PRIMA est ignita concretio, quasi fax; cùm multa exhalatio, longè, lateque æqualiter distenta, ità subtilis appareat, vt rota ignescat, de qua S. Doctor *lib.* 2. *Compendij Theol. cap.* 9.

SECVNDA est accensa in longum exhalatio villosa, saltus veluti è leuitate edens, & dicitur CAPRA SALTANS.

TERTIA, quasi trabem, aut lanceam cudit.

72 QVARTA, sunt Sydera discurrentia, quæ tandem elabuntur, Hæ sunt exhalationes candentes, è nube eiaculatæ, & videntur caudatæ in suo descensu; quia vestigium sui lapsus in tramite accenso relinquunt, vt ait S. Doctor *loc. cit.* Sæpe etiam vna aliam accendit, non secus, atque Lucerna accensa fumigantem extinctam reaccendit: Vide Colleg *tract.* 2. *cap.* 2. vbi cum Seneca *lib.* 1. *nat. qq. cap.* 14. velocitati adscribunt longos hos tractus apparentes.

QVINTA dicitur *Draco volans*; Hæc est exhalatio valida, conglobata, inter duas nubes frigidas excusa, veluti fusoriè, & extenditur quasi Draconis collum atque spiramen anterius retrò in gyros incuruatur, vt Coluber, & obliquè mouetur auolans. Vide Diuum Bonauenturam *loc. cit.* Collegium suprà, Vrsinum *disp.* 2. *quæst.* 2. in quibus alia leges, vide & Ingenierum, *lib.* 1. *cap.* 10.

QVÆSTIO VI.

De TONITRV.

73 MIRABITVR quis, Tonitru descriptionem à Diuo Bonauentura traditam lib. 2. Compend. Theolog. cap. 9. *Tonitruum est vaporis sicci egredientis de nube humida, vel in nube frigida, & humida, & scindit quidquid inuenit.*

ADVERTE, Sanctum Doctorem ità se explicare *ad cap.* 12. *Ioan.* ad ea verba, *Dicebant, Tonitruum esse factum.* Tonitruum esse sonum de nubibus, vt dicitur Eccli. 43. *Vox tonitrui eius exprobrauit terram*: Est igitur sonus exhalationis ignitæ, in nube frigida, & humida compressæ, quæ ampliorem sibi viam adaperiens, ictibus vehementibus nubem disrumpens, nube ipsâ agitatâ, & vterum comprimente ad halitum inimicum excutiendum. Hic vide, vaporem pro halitu sicco, & calido latè nominari, vt dixi *parte* 4. *initio.* Definit illud causaliter, vt dixi *de Terremotu, disp.* 1. *quæst.* 7. Hæc est Aristotelis Sententia 2. *Meteor. cap. vlt.* Senecæ, *lib.* 2. *natt. qq. cap.* 17. Lucretij, *lib.* 6. Alberti Mag. *tract.* 3. *lib.* 3. *cap.* 2. & communiter Peripateticorum apud Collegium, *tract.* 1. *Meteor. cap.* 3. Vrsinum *disp.* 2. *quæst.* 3. Ità videmus, Lauros, & alia ligna spirationes claudentia, dum vruntur, crepitare.

74 VARIA sunt Tonitrua, vt docent Aristoteles *lib.* 2. *cap.* 8. Damasc. *in Phys. cap.* 17. Albertus, *lib.* 3. *tract.* 3. Seneca *loc. cit.* Varietas enim soni, è corporum collisorum varietate mutatur: In Æthnæ, ac Vesuuij eruptionibus tonitrua sentimus, dum massæ ignitæ, limitibus arctatæ, ampliùs spatium quæritant.

MALE Empedocles ait, Tonitru esse ignis extinctionem in nube: Sanè cum Tonitruo ignis viuax coruscat, non fumus ignis extincti.

LVDIT & Anaxagoras apud Aristotelem, dicens, Eum ignem, tonitru in extinctione emittentem, è Cœlo elabi. Vide *tract.* 6. *disp.* 2. *quæst.* 7. Mira de hoc habet Beda apud Paulum Mineruam, & Ingenierus, *lib.* 1. *cap.* 11.

QVÆSTIO VII.

De Coruscatione, & Fulgure.

SERAPHICVS, *lib.* 2. *Compendij Theol. cap.* 9. sic coruscationem describit: *Est illuminatio vaporis sicci, incensi in vapore humido.* 75

FVLGVR, ait gigni è vapore crasso eleuato, & calore desiccato; & cùm sit igneæ naturæ, vi Ventorum contra naturam descendit ita vrens, vt nihil ei resistat: Æstate præsertim, altiora percellit.

DIVIDITVR coruscatio in *Fulgetrum*, & *Fulgur*: Fulgetrum est coruscatio sine tonitru: Fulgur est coruscatio cum tonitru: Differt verò à fulmine; quia est rarior. Vide Collegium *cap.* 4. Vrsinum *cap.* 2.

ANAXAGORAS censuit, Fulgur esse ignem è Cœlo. Empedocles autem, è Sole.

ARISTOTELES docet, 2. *Meteor. capite vltimo*, esse exhalationem, in nube accensam Antiperistasi, ac vehementi collisione.

QVAMVIS autem pulsa exhalatio è compressione, tanquam è causa, coruscet; tamen priùs videtur effectus, nempe coruscatio, quam tonitru sentiatur; quia visus in instanti fertur in obiectum; Sonus verò successiuè per aeris motum fertur ad auditum, vt dicam *tractatu* 9. *disput.* 5. *cap.* 2. & 3. Aliquando tamen priùs auditur Tonitru, quàm Coruscatio videatur; quia excutitur halitus, nondum coruscans, seu accensus.

QVÆSTIO VIII.

De Fulmine.

FVLMEN à D. Bonauentura, *lib.* 2. *Compendij Theol. cap.* 9. describitur: *Est vapor terrestris inflammatus, qui tangens nubem aqueam, constipatur, decoquitur, valdissimo calido induratur, lapidescit; & pulsus, quidquid offenderit, vastat.* 76

HALITVM, à quo Fulmen cuditur, lapidescere docet etiam Albertus *tract.* 3. *cap.* 23. dicens, nonnunquam Metalla cudi ex illis halitibus compressis, quæ acumina in partibus superioribus, quippè subtilioribus vibrant; grauioribus obtusis manentibus.

ITAQVE Sanctus Doctor cautè dicit, halitum indurari in lapidem, id est ad lapidis similitudinem: Sic enim particula (*in*) signat; non semper in lapidem, vt vulgò fertur.

EST ergo Fulmen exhalatio ignita in materia halitifera. 77

halitifera. Ità Aristoteles, *lib. 3. cap. 1.* Nonnunquam in lapides concurrere docent Conimbricenses *tract. 2. Meteor. cap. 5.* Auicen. apud Auer. dicens, aliquando & æri similia esse. Vrsinus refert *disp. 2. quæst. 3. cap. 2.* se lapidem huiusmodi habuisse, qui confricatus sulphureum odorem exhalabat, in sagittæ figuram acutum.

QVÆ cùm ità sint, varia construuntur fulmina, vt docet Auer. *ad locum citatum Aristotelis*, Collegium *cap. 5.* cum Seneca, *cap. 40.* Plin. *lib. 2. cap. 43.* & 50. Damasc. *in Phys. cap. vlt.* & alij apud Ingenier. *lib. 1. cap. 12.*

ALIQVA sunt, quæ penetrant quidem; sed non destruunt corpora mollia; sic liquant nummos intactâ crumena; & illæsâ vaginâ ensem soluunt. Hæc subtili materiâ constantur; Ideò, si quid rarum, porosumvè inuenerint, peruadunt: Densa verò oppugnant pertinaciter, ac disrumpunt. Ratio est, quia resistentiâ suâ contumaci, Fulmen in mora detinent, ac vim imprimere sibi cogunt: rara verò viam peruolanti aperiendo sine iniuria sunt, vt ait Theophrastus *lib. 5. de causis plant. cap. 17.* Damascen. *in Phys. cap. 17.* cum Aristotele, *lib. 3. cap. 1.* Hinc aliqui, Fulmine icti, remanent cinerici, absque ligno, vt refert Albertus *tractatu de tonitruo, cap. 22.* Sic integrum manet dolium, vino consumpto.

78 DATVR aliud genus Fulminis, exhalatione constans magis terrea, & viscosa; & hoc comburit omnia, fumum densum vomens; & hoc circumambiens; sæpè more vasis res continet: Sic dolio vsto, vinum continet: Caue hunc; quia veneno inficit, & si bibatur, amentiam, aut mortem infert; Venenata verò, Fulminis tactu, virus deponere, ait Vrsinus, cui sanè non credo.

79 CAVSA impellens fulmen, est compressio nubis, densæ superiùs, & infra raræ: Et quia fulmen terreum ignitum est, vi ruit, & aberrat, pugnantibus contrariis, & grauibus cum leuibus, de loco contendentibus; tandem terram penetrat, nec vltrà quinque pedes, vt ait Plinius, *lib. 2. cap. 55.* Ibi enim extinguitur ignea viuacitas, quod etiam pilis è bellico tormento excussis experimur, quæ in terræ aggere emoriuntur. Accinit Fuliens. 2. *Phys. cap. 5. art. 6.* Eustach. 2. *Phys. tract. 3. disp. 1. quæst. 3.* feriunt summos fulmina montes, & turres præcelsas; quia, cum transuersim agantur, in sublimia impingunt.

80 CREBRA sunt fulmina in locis temperatis; rariùs in valdè frigidis, vel æstuantibus; quia dissoluit halitus, & bruma constringit terram, ne halitus expiret; & expiratos mortificat.

A FVLMINE non lædi Laurum, docent Poëtæ, & Plin. *lib. 2. cap. 55.* & *lib. 37. cap. 10.* Simile priuilegium Corallio, & Aquilæ adscribunt, ac Vitulo marino. Quare Cæsar semel cum à fulmine euasisset, aurum Ioui obtulit, & in posterum marini Vituli pellem induit: Dicunt & gestanti gemmam Hyacinthum fulmina parcere: Alia refert Ingenierus.

HÆC fabulosa clamant Vrsinus *loco citato*, Colleg. *cap. 6.* ni fortè Animalia hæc naturali æstimatiuâ, à tempestatibus caueant. Seraphicum, de horum naturis differentem non inueni, de hoc quidquam mussitasse.

QVÆSTIO IX.

De Nubibus, & Pluuia.

IAM de impressionibus aqueis primæ, & secundæ regionis aëris disserendum. 81

MATERIA Nubium est *Vapor*, causa efficiens *Sol*, & alia astra, vaporem ad secundam aëris regionem attrahentia; adde frigus circumstans, & & condensans: Gignuntur Nubes sic; Vapores, reflexione radiorum vsque ad secundam aëris regionem, vbi terminat reflexio peruenientes, calore illo extraneo destituti, ad innatum aquæ statum, à quo accidentaliter sunt immutati, reuertuntur, iuuante amico regionis istius frigore; sic paulatim vapor concrescit in nubem, aliquando sterilem; quia humiditas imminuta, & substantia Æquo nimiùm attenuata; Alioqui in nubes pluuiales vertuntur. Ità Collegium *tract. 7. Meteor. cap. 1.* Vrsinus *disp. 2. qu. st. 4.* cum Diuo Bonauentura, *libro secundo Compend. Theolog. cap. 9.*

NVBIVM altitudo, secundam aeris regionem non transcendit; eò autem altiores indica, quò minùs earum motum discernis: Censetur altitudo quadraginta tria Milliarium, ad summum quinquaginta: sed alij aeris totam profunditatem ad quinquaginta duo milliaria tollunt, vt ait Collegium *3. Cæli, cap. 5. quæst. 3. artic. 2.* è nubibus pluuiæ fiunt, quarum duplex est species, *Imber*, & *Nimbus*: *Imber* dicitur, cùm guttæ crebriores, & minutiores, ob vaporis tenuitatem, defluunt, vt ait Sanctus Doctor *de septem Itineribus, Itinere secundo in calce. Nimbus* fit, cùm guttæ decidunt paulò grandiores, vt ait Diuus Bonauentura: Id euenit, siue quia frigus aërem occupat, siue quia calor aeris nubem ambit, eam per Antiperistasim constipando; vnde & guttæ plures in vnum coëuntes grossiores cadunt, quod idem, absque Antiperistasi causat frigus, brumæ tempore: Non videntur tamen duæ species pluuiæ; sed accidentaliter distinctæ, vt innuit Seraphicus cum aliis: Multiplices verò pluuias mysticas describit ad *Psalmum 67.* & *12. Lucæ.* 82

AD pluuiæ genituram aliquos ventos conferre; dixi *quæst. 4.* & docent Ingenier. *lib. 1. cap. 1.* Collegium *tract. 7. cap. 5.* Iuuat & aliquorum sydêrum ortus, aut occasus, &c. vt ait Collegium *cap. 1.* cum Diuo Bonauentura, *lib. 2. Compend. cap. 27.* maximè Luna vt ostendi *tract. 6. disp. 2. quæst. 13.* Pluuias albescere crudas, rubescere verò concoctas, aiunt aliqui, more vrinæ. 83

PLVVIAS portentosas nonnulla viderunt Sæcula, Ranarum, Sanguinis, Lapidum, quæ aut Deo ad terrorem immittenti; aut naturæ etiam ingenio referuntur apud Conimbr. *cap. 2.* ac D. Bonauent. *ad cap. 1. Sap.* Eustach. *part. 2. Phys. tract. 3. disputat. 1. q. 9.* Fuliens. 2. *Phys. cap. 5. articulo 3.*

PLVRIMA mutationum temporis præsagia referunt D. Bonauent. *ad 12. Lucæ, in calce*, & *libro secundo Compend. Theol. cap. 9. & seq.* Plinius, *lib. 18. cap. 35.* Collegium, *tractatu septimo, capite 5.* quæ ex inanimatis, & animatis conjiciuntur.

SOL purus occidens, magis verò Mane limpidus oriens, serenitatem promittit: At si in ortu, 84

arcuo grandior, cæruleo aspersus, appareat, imbrem suspice: si igneo colore, ventos. Cùm ante Solis ortum rubescunt nubes, ventos expecta; cùm expalescunt, aut nigræ sunt rubentibus mixtæ, pluuiam præstolare. Si ab ortu pulsæ ad occasum, serenitas erit: Si nubes crassior Solem opprimat, tempestatem time: Si vaporosa eum corona cingat; quà parte sinum aperit, flabit ventus; si euanuerit, serenum spera.

85 A Lvna hæc accipe signa: Si nitidà oritur, serenum conjice: Si rubea, ventos: Si nigra, pluuias. In quintâ cornua eius obtusa pluuiam trahunt; erecta ventos ad agonem vocant. Cornu Septentrionale rigidum, inde ventos ciet; sed si inferiùs rigescat, illos ab Australi vocat. Ambo erecta noctem præsagiunt ventosam: Si in quartà Orbis eam rutilus coronat, ventos, & imbres parat. De hoc ita Varro: *Si quarta die Luna erit directa, tempestatem in mari præsagit, nisi coronam habeat, eamque sinceram; quia tunc, non ante plenam Lunam, hyematum præsagit: Si plenilunio per dimidium, pura fuerit; dies serenos promittit; si rutila, ventos; nigrescens, pluuias: Nascens, si cornu appareat superiore subatro, pluuias decrescens dabit; si inferior, dabit ante plenitudinem; si in media nigritia, imbrem in plenilunio; si plena circum habebit orbem, ex qua parte magis splendet, ventos immittet; si in ortu cornua crassiora, horridam minatur tempestatem.; si ante quartam non apparuerit, vento fauonio flante, hyemalis toto mense erit; si sextadecima flammea, tempestates indicit.*

86 A Stellis hæc accipe prognostica: Cùm Stellarum fulgor obscuratur; idque non nubilo, aut caligine; tempestatem minatur, aut pluuiam indicit: Si in signo Cancri duæ Stellæ, quas vocant Asellos, sudo Cœlo apparêre desierint, atrox Hyems ingruit: Si sub Stella aliqua Halo appareat, pluuiam prænunciant: Si plures, velut Stellæ volitent; ventos præmonstrant.

Ab aliis inanimatis hæc sunt prænuntia: Cùm nubes pileum montium capitibus imponunt, hyemabit: Nubes grauida candicans, grandinem affert: Nubes, vallibus incubantes, serenum nuntiant: Domesticus ignis pallens, & obmurmurans, tempestatem minitatur: Flamma itidem flexu enoluta, seu Mare tranquillum mugiens, procellas aduocat.

87 Ab Animantibus hæc accipe præsagia. Delphini lasciuientes, tempestatem ex ea parte, quà exiliunt, & flatum nuntiant: Aquam turbato in mari spargentes, tranquillitatem loquaci silentio acclamant. Loligo volitans, Echini sese affigentes, aut arena saburrantes, tempestatem prædicunt. Ranæ, solito loquaciores, pluuiam clamant. Fulicæ, matutinum edentes clangorem; Mergi, Anatesque, pennas rostro purgantes; Mergi maria, & stagna fugientes, Grues ad Mediterranea festinantes, pluuiam, aut ventum prætendunt: Alto autem silentio euntes; Alcyonesque in littore cubantes, Noctuæ in imbre garrulæ, serenum clamitant. Corui singultu crocitantes, seque mutuò concutientes, si perdurent, ventos, Graculi recedentes, Hyemem annunciant. Volucres terrestres, contra aquam clangentes, perfundentesque sese; maximè verò Cornix, vel Hyrundo propè aquam radens, vt eam sæpè feriat alis; Anseres clangore intempestiuo vocitantes; Boues Cœlum olfacientes, seque contra pilos lambentes; Porci manipulos fœni dissipantes; Formicæ contra morem industriæ absconditæ; Lumbrici è terra prodeuntes; Scorpiones è latebris erumpentes; Muscæ acriùs solito carpentes, imbres, vel tempestates ominantur. Hæc Plinius è Virgilio *primo Georg.* Aratus *in carm.* Aristoteles *in Probl.* Plutarch. *lib. de causis naturæ, cap.* 18. D. Basil. *homil.* 7. *Hexaëmer.* D. Ambros. *lib.* 5. *Hexaëmer. cap.* 9. D. Bonauent. *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 39. Ascanius Martinengus *in Glossa Magna.*

Cvriose inquires; cur Bruta tempestates, aliasque temporum Crises, magis, quàm nos præsentiant? 88

Respondet D. Bonauent *loc. cit.* D. Thom. *prima primæ, quæst.* 86. Colleg. *tract.* 7. *cap.* 3. Vldaricus *lib.* 4. *Summæ*, & alij; Bruta, cùm intellectûs operationes non exerceant, proindeque tota sensuum functionibus intendant, his magis applicita, magis persentire; cùm homines appliciti discurrendo, diuidendo, componendo; à sensibilibus magis abstracti, ea minùs præsentiant: Eorum tamen prognostica omnia obseruantes, tutiùs præuident.

QVÆSTIO X.

De Nebula, & Caligine.

Vtramqve titulo vnit; sed mox diuidit Collegium *tract.* 7. *Meteor. cap.* 4. At eas distinctè describit S. Bonauent. *lib.* 2. *Compendij, cap.* 9. Nebula est id, quod ex nubibus, aquam pluentibus, relinquitur; Ideò, iuxta Aristotelem, serenum indicat: Caligo est vapor tenebrosus, quem vulgus nebulam vocat. Hic vapor non eleuatur; sed priùs quam in nubem conuertatur, vel pluuiam, deprimitur, & iuxta terram manet. 89

Est igitur Nebula nubis excrementum, post nubis pluuialis effusionem, vt ait Aristoteles *primo Meteor. cap.* 9.

Hanc esse crassiorem nubis fœculentam portionem, censet Olympiodorus cum aliis, apud Conimbricenses.

Vera tamen sententia est, eam esse portionem nubis subtiliorem: Sic D. Bonauentura *ad cap.* 2. *Sap.* Anthor, *lib. de mundis ad Alex.* Albertus, *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. Louaniensis, & aliqui Thomistæ, quos sequitur Colleg. *suprà*, & Vrsin. *disp.* 2. *quæst.* 4. *cap.* 4. Ingenier. *libro primo Meteor. cap.* 1.

Assero cum istis, Nebulam esse nubis pluuialis partem subtiliorem.

Probatvr à Collegio, & aliis etiam; quia crassiores partes, in aquam resolutæ, decidunt; tum quia nebula facilè à Sole soluitur, vt ostendit S. Doctor à 2. *Sap.* infrà allegando. 90

Respondent aduersi, eas esse partes terreas, quæ non à Sole dissoluuntur, sed sponte decidunt.

Probatvr meliùs à Diuo Bonauentura *è loco Scripturæ indicato*, vbi nebula, tanquam leuior, à Nube secernitur; & cum rebus leuissimis componitur, ad nostram vitam inanem demonstrandam: Ibi verò, etsi loquantur impij, non reprehenduntur in hoc, sed in praua illatione: *Dixerunt Impij, cogitantes apud se, non rectè. Exiguum est tempus vitæ nostræ; quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus: quoniam fumus efflatus est in naribus nostris; & sermo*

mo scintilla ad commouendum cor nostrum: quia extincta, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aër, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radiis Solis, &c. Venite ergo, & fruamur bonis, &c.

91 Hic vide nebulam vestigium nubis dici; atque Gradatione Oratoria leuiorem astrui à Sole ocyùs dissolutam iri.

Aliam nebulam assignant Collegium, & Vrsinus, quam Sanctus Doctor caliginem vocat. Hæc fit, cùm è locis palustribus vapores crassi emergunt, & ob crassitiem altiùs efferri nequeunt; sed vicinum terræ aërem occupant; & nebulosa caligine circumfundunt. Hæc, si orientis solis præsentia attenuetur, serenum auspicatur: si ascendat ad aërem frigidum, ibique cum vaporibus concrescat, pluuiam retribuit. Ambas confundit Fuliens. 2. *Physs. cap.* 5. *art.* 3. cum Eustachio *part.* 2. *Phys. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 10.

QVÆSTIO XI.

De Niue.

92 De hac Sanctus Doctor *lib.* 2. *Comp. Theol. cap.* 9. Nix generatur in nube calida, cuius congelatio fit cum conuersione in aquam; & ideò partes eius non inspissantur.

Fit ergo Nix, cùm in media regione aëris expansa, ob debilem solis inclinati reflexionem, vapores non constringuntur loco; sed in lanea veluti fragmenta, molliter condensantur. Debet autem nubes esse calida, cùm fit Nix, tùm quia nondum calor exhalauit, à quo vapor est eleuatus; Tum quia multum aëris includit admixtum, & aliquos halitus calidos, qui inuicem visciditate quadam tenui intexuntur.

Albedo eius est vera, vt monet Sanctus Doctor, *serm.* 4. *Dom.* 2. *Quadrag.* Nam disgregas visum, & durat, etiam niue compressa; etsi reclament Albertus, & Louanienses. Vide Fuliensem 2. *Phys. cap.* 5. *art.* 3.

93 Oritur candor ex aëreis maximè partibus, sicuti è simili causa albescit spuma, & aqua, interfuso oleo, vel aëre; vt docet Aristoteles 2. *de Gener. anim. cap.* 2. vbi niuem, spumam quandam dicit, quem imitatur Plin. *lib.* 17. *quæst.* 2. Oritur etiam è frigore, vt probant Colleg. *cap.* 5. & Vrsinus *quæst.* 4. *cap.* 4. nam è tali causa in oris gelidis, non homines tantùm albi sunt, sed & Lupi, Lepores, & alia; vt Vrsi in Noruegia, & Grotlandia. Sic frigus partes aëris diaphanas, vapori admixtas, atque lucidulas, opaculo albicantes reddit, halitu clauso, vt ait Sanctus Bonauentura.

94 Vetvstate niuem rubère, docet Aristoteles *lib.* 5. *hist. anim. capite* 19. Plin. *lib.* 11. *cap.* 35. quia partes aëreæ tandem tabescunt. Id in Armenia visum tradit Eusthatius *in Iliad.* a forsan ex copia minij, quo abundat, quod halitus expirat; vnde aër inficitur niuibus constrictus.

Ningit, vbi frigus secundæ regionis expanditur. Ideò in hyeme, nix profusa iacet, vel, & etiam æstate in summis montium, iugis secundæ aëris oræ affinibus, vnde solis reflexio angusta, frigus circunstans non temperat. Qui verò montes calidiores aiunt hoc experiantur; vt differit Eustach. *part.* 2. *Phys. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 9.

Concrescvnt niues aliquando in chrystallum pretiosam, & gemmas; vt ait Albert. *libro secundo, tract.* 1. *capite* 15. Plin. *lib.* 37. *cap.* 2. quod malè negat Agricola *lib.* 6. *de nat. fossil.*

QVÆSTIO XII.

De Grandine.

Grando fit è nube calida in eo gradu, quem eius natura patitur, virtute Solis eleuata, quæ in aquam resoluta in medio interstitio aëris rigidissimi ex antiperistasi congelatur, vt ait Diuus Bonauentura *libro secundo Comp. Theol. cap.* 9. & alij *inf. cit.* Ideò non est rotunda, quia è guttis concrescit. 95

Est igitur Grando pluuia in aëre congelata vt ait Aristoteles *primo Meteor. cap.* 12. gignitur enim, cùm pluuia, priusquam ad terram deueniat, congelatur, æstate quidem agente, circumambiente calore, quo obsessa in gelu constringitur per antiperistasim, iuuantibus etiam nonnullis viscidis halitibus, & terreis sordibus, quæ & in ea videntur. In aliis temporibus condensari potest à frigore aëris.

Mvlti dicunt, grandinem gigni in aeris regione infima, & media. Sic Alex. Auer. Philop. Diuus Thomas, Alb. Magnus: Louanienses, & Parisienses, quibus subscribit Colleg. *tract.* 7. *cap.* 6. Addit Vrsinus *quæst.* 4. *cap.* 4. plerumque fieri in infima. Arridet Fuliens. 2. *Phys. cap.* 5. *articul.* 5. Eustach. *parte* 2. *tract.* 3. *disput.* 1, *quæst.* 9. 96

Alii tamen, quos refellit Aristoteles. *lib.* 1. *cap.* 12. in media tantum gigni volunt. Id censuit Anaxagoras, & multi Recentes apud Collegium, & videtur fauere Sanctus Doctor *ad cap.* 5. *sap.* & *loco citato Compendij Theol.*

Assero, Grandines, vt plurimum, in secunda regione aëris fieri.

Probatvr à Diuo Bonauentura *ad* 5. *sap.* illis verbis. *Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et à petrosa ira* (seu ex Græco, *petras iaciente ira*) *plena mittentur grandines.* Vult igitur, grandines, sanè confectas è nubibus, veluti ex arcu sagittas emitti, aut, vt lapides è fundis proiici. Non reor, in altis montibus raro grandinare, vt putat Vrsinus; quia primæ regionis ibi parum sit, in qua generentur; sed quia non adsit calor reflexionis intensus, à quo nubes comprimatur. Ideò faciliùs ibi ningit. 97

Probatvr secundò, quia in prima hac regione non est frigus adeò intensum æstate; neque, vt plurimum, tantus calor, qui cadentes guttas antiperistasi condenset, sæpe enim vidi, frigido hoc aere ob pluuiam grandinare. Non negauerim tamen, posse id aliquando fieri. 98

Hoc

Hoc aliqui probant: Nam sæpe in grandine sunt paleæ, vix sanè à terra eleuatæ: ait Eustachius cum Fuliensi.

Hoc tamen argumentum, paleæ est non dissimile; sicut enim cum halitibus viscidis ad secundam regionem eleuatur materia terrea, metallica, & saxea, vnde grandines, & fulmina exoriuntur; quidni viscidis adnexa ascendat palea? Sanè halitus quidam grandini miscentur bituminosi, & terrei humores nitrei; vt fatetur Collegium ideò grando campos inficit. Facilius autem constipantur, quia, cùm essent priùs calefacti, magis erant partes apertæ poris, & contrarij peruasioni obnoxij, vt ideò Diuus Bonauentura è nube calida fieri dicat. Ita, experimur faciliùs congelari aquam, quæ fuit calefacta, vt docet Aristoteles, & Colleg. *loco citato* ac Diuus Bonauentura, *serm. 3. de pluribus martyribus, qui est vigesimus de comun. sanctorum.*

QVÆSTIO XIII.

De Glacie.

99 GRANDINEM, speciem glaciei vocat Sanctus Doctor *ad 16. sap.* in ea verba: *Nix autem, & glacies sustinebant vim ignis.* Loquitur enim de grandine, Ægyptiis immissa.

GLACIES est Aqua congelata à frigore innato, & ambiente, iuuantibus terreis, concretis, viscidis, admixtisque humoribus; alioqui, si ad aquam congelandam sola sufficeret vis frigoris, iam esset perpetuò congelata, cùm sit summè ex intrinseco frigida; vt inferunt Conimbricenses. Responderem tamen, aquam apud nos non congelandam, quia solis radiis reflexis, terra, & aër calefacta, aquæ vicinæ rigorem attemperant. Vide Diuum Bonauenturam *lib. 2. Comp. cap. 9.* Id meliori ratione probatur, cùm sanè sunt aquæ non gelatæ, gelu frigidiores; vt fons aquæ Læthe, quâ necatus est Alexander Magnus, apud Diuum Bonauenturam *sermone secundo de Sancto Nicolao.*

100 MARIA congelari, negat Plutarch. *lib. de causis nat. cap. 8.* Gellius *lib. 17. cap. 8.* Taciti nixus authoritate: Macrob. *lib. 7. Saturnal. cap. 13.* Dicunt autem, aquas, in mari congelatas, non esse maris, sed fluminum influentium, & supernatantium; marinas verò non congelari, quia exhalationibus refertæ sunt.

AT asserunt Herodot. *de mari Bosph.* Diuus Thomas *ad 38. Iob.* Beda *de natura rerum, capite 9.* Marcus Niger *libro secundo comment.* Georg. Pomponius mela *libro tertio de Orbis situ.* Olaus Magnus *lib. 11. capite 30.* Colleg. *Tract. 7. Meteor. cap. 7.*

QVÆSTIO XIV.

De Rore, & Pruina.

101 RORIS, & Pruinæ materia est vapor subtilis paruus; vt ait Diuus Bonauentura, *lib. 2. Comp. cap. 9.* Causa proxima efficiens, est frigus serenæ noctis, quod si temperatum sit, in rorem cogit; si vehemens, pruinam componit. Generantur in infimo aëre; vt ait Aristoteles *primo Meteor. cap. 10.* quia calor, talem eleuans vaporem, imbellis est. Gignuntur sereno cœlo, nequit vapor concrescere. Vide Sanctum Doctorem ad id Psalm. 118. *Factus sum sicut vter in pruina.*

Fiunt autem Ros & Pruina potius in locis mœrori amicis, ac humilibus; quia ea humidiora euaporant; nec venti spatiantur dissoluentes vapores, sicut in montibus. Fitque altera Hieme; alter Vere plerumque.

ROS, & Pruina opportunè aduenientes prosunt campis, nam Pruina hyeme, terram constringens, calorem concentrans, eam fouet, atque impinguat. Ros etiam rigat plantas, & herbas pingui liquore saginat. 102

AT verò importunæ, noxiæ sunt, sic in Vere Pruina, germina tenella mortificat, ac necat, præcipuè, vitis, lini, & fructuum. Est autem Niue perniciosior; quia plantis adhæret, & comprimens, germina necat humore inde expresso.

ROS etiam nocet, quia, adueniente non raro ardore, in eruginem, & putredinem resoluitur. itidem, si admodum viscosus sit, & à pecoribus ebibatur, ventris profluuium affert. Defluit Ros Sero, & Mane, quia sole recedente in occasu, vapores, derelicti ab eo, ad innatam redeunt grauitatem; & reuertente Sole liquantur vapores cæteri, à nocte reliqui; vel à Luna, & astris debiliter eleuati. Vide Albertum *lib. 2. tract. 1. cap. 14.* Colleg. *loco citato* Vrsinum *cap. 5.* Eustach. *part. 2. Tract. 3. disp. 2. quæst. 10.* Ingen. *libro primo Meteor. cap. 5.* 103

QVÆSTIO XV.

De Melle, & Manna.

MIRABILE profectò est mellificationis opus. Communis sententia est, MEL non confici ab apibus, sed confectum asportari. Sic autem ipsum aiunt componi: Quando cum vapore illo tenui, è quo Ros gignitur, efferuntur, sublucanis præsertim horis, partes quædam terreæ subtiles, ex harum commixtione varia cum humore tenui, si humidum aqueum non admodum dissoluatur, gignitur succus prædulcis, qui herbis, flosculis, foliis, & terræ solo excipitur, & hoc est MEL. Hoc liquore sub aurora arborum folia roscida reperiuntur; eodem perunctas vestes, & concretos capillos sentiunt aliquando, qui noctu sub dio fuere. Eundem verò apes vtereulis congestum in aluearia conuehunt, neque ex alio succo earum MEL constat. Sic docet Aristoteles *lib. 5. de hist. anim. cap. 22.* Ità fauos è floribus construere; ceram ex arborum lachryma effingere; mella ex rore aëris colligere dicunt Peripatetici, apud Colleg. *tract. 7. Meteor. cap. 9.* Vrsinum *disp. 2. quæst. 4. cap. 5.* Videtur etiam Diui Bonauenturæ *ad 24. Lucæ* ad ea verba. *Obtulerunt fauum mellis*, adducentis id 33. Deuteronomij. *Vt sugeret mel de petra*; quasi MEL in silicibus iam confectum inueniatur. Neque reclamat *ad Psal. 8.* dicens, apem ferre mella in ore; in aculeo toxica, non enim ei connatam esse vim mellificandi, ait, sicuti nec veneni: Sed vtrumque aliundè ab ea ferri dicit. 104

MEL

Mel syluestre, quo vescebatur Baptista, ab agrestibus apibus è scissuris decerpitur, vt aiunt Chrysostom. Theophylac. Euthym. Vide alia in Collegio, *cap.* 9. Fuliens. 2. *Physic. capite secundo, articulo* 3.

Manna similem habet cum melle generationem: Etenim, quando cum tenui vapore, ex quo educitur ros, eleuantur partes terræ subtiles; ità, vt humidum aqueum valdè excoquatur, maneantque partes terræ cum modica humiditate, efficitur liquor candidus mellei saporis, qui in arborum ramis, herbis, lapidibus colligitur; vt refert Collegium cum Mathiolo *ad cap.* 73. *lib.* 1. *Dioscoridis*, Valeſ. *in Philosophia sacra, capite quinquagesimo septimo*, dicentes, hoc ad medicinæ vsum, è Libano, Calabria, & aliis locis, colligi. Hinc ait Ingenier. *lib.* 1. *cap.* 5. esse roris speciem, quo Cicadæ viuunt.

106 Conimbricenses existimant, eiusdem esse speciei *hoc Manna*, & quod Hebræis pluit in Deserto; Nam & hoc nomine ambo vocantur מן *Man*: Non videtur tamen id verum; nam hoc est ingrati saporis; illud verò erat mellifluum. Omitto omnem saporem delicatum, ex Dei miraculo sortitum, pro cuiusque desiderio. Sanè modo singulari compactus erat supernè ab Angelis; ideò & panis Angelorum dictus *Sap.* 16. vt ibi eleganter edisserit Seraphicus, & latiùs *ad cap.* 6. *Ioannis, & Sermone* 6. *in Cœna Domini*, vbi eius naturam refert.

QVÆSTIO XVI.

De Iride.

107 Præclara, inter Meteoras formas, *Iris* acclamatur Eccli. 43. *Vide Arcum, & benedic eum, qui fecit illum: Valde speciosus est in decore suo. Gyrauit Cœlum in circuitu gloria sua, manus Excelsi apperuerunt illum*: Hinc & Plato *in Theæteto*, Iridem, *Thaumantis filiam*, propter admirationem dictam, vocat; & Poëta ipsam Deorum Reginæ nuntiam speciosam accinit 5. *Æneid.*

Irim de Cœlo misit Saturnia Iuno.

De huius ortu, coloribus, & figura, variè sentiunt Philosophi, apud Plutarchum *lib.* 2. *de placit cap.* 5. Albert. Magn. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 8. & 26. Picum *lib.* 1. *de exam. vanit. cap.* 12. Colleg. *tractatu* 5. *Meteor.* Carolum Franc. Vrsinum, *disp.* 2. *quæst.* 5. & alios, præcipuè egregium D. de la Chambre in opere Gallico, Argolim *in Pandosio, cap.* 16. Keplerum.

Tria, vt innui, in quæstionem vocantur. Primum est trium colorum varietas. Secundum ordo eorum, vt primo loco puniceus, medio viridis, & infimo purpureus, cernantur. Tertium est figura Arcus semicircula.

108 Prima sententia est, Iridem, seu Arcum, fieri ex immissione directa radiorum Solis in nubem concauam, roridam, stillicidiis aggregatam, vt portio nubis, primò à radiis penetrata, vtpote validis, clarum citrinum colorem efficiat; intus debilitatis, viridem; interius verò adhuc infirmatis, purpureum obscuriorem exhibeant: Porrò, è nubis figura concaua, plures asserunt, apparêre colores semicirculos: Sic Metrodorus, Anaximenes, Anaxagoras, & alij apud Collegium, Albertum, 3. *Meteor. capite decimo quarto*, qui ferè subscribit huic sententiæ:

109 Hi videntes, alias non dissimiles colorum apparentias emphaticas è lucis percussione; vt in bullis ex aqua, sapone intinctâ, conflatis; in vasis terreis, aqua plenis; in Chrystallo triangula, Soli exposita; atque in anteriori parte radiis magis vicina, nitidiores, atque lucidiores apparêre colores, qui sunt subalbus, puniceus, citrinus, fuluus; in interiori viridem, mox intimè purpureum, & violaceum; iidemque colores post, in parietem transpareant, quod & in vitreis fenestris experimur, Irides ad aërem, & murum proiicientibus; similia in Iride Solari, & Lunari arbitrati sunt philosophantes illi.

110 Non diuersus ab his Albertus colores in Iride autumat, dum radij, vaporem roridum peruadentes, recipiuntur in nubem, post vaporem positam, ad modum, quo in pariete recipiuntur colores, è vitro triangulo, Soli obiecto, prodeuntes: Ordinem verò colorum sic expedit: Quia enim colores ex lucis, & opaci admixtione maiori, vel minori fiunt magis, vel minùs clari, atque mutant speciem; In superiori verò parte nubis est subtilior, & purior; ibi lux minùs opacata reddit colorem puniceum: Cumque infrà sint partes crassiores ordinatim magis terreæ, quæ vergunt deorsùm; hinc puniceo succedit obscurior viridis, & infrà adhuc obscurior purpureus, qui magis ad opacum nigrum accedit: Sic & Solem per caliginem aliquandò contemplamur: Circularem verò Figuram, partim è dispositione vaporis, lucem suscipientis, esse formatam ait; partim è Solis Sphæra desumit: Excogitauit autem quasdam in vapore pyramides inuersas, è quarum sectionibus putat Circulum resultare. De his infrà.


111 Cardanvs *libro quarto, de subtilit.* Colores videtur ad Solis reflexionem reducere; vt fiant tamen, modo primo relato, ex mixtione huius Solaris, cum opaco vaporis in sui superficie; Colorum ordinem ad maiorem, & minorem lucis copiam reducit; maiorem verò copiam esse in superiori colore ait; quia Soli pars illa nubis vicinior exhibetur; media minùs; & sic infima minimè: Ita Circulum ad vim reflexionis, & nubis grauitatem reducendam concludit.

E Veteribus Aristoteles, & aliqui Interpretes Alexand. Aphrodisæus, & Olympiod. quos sequuti sunt Piccolom. *de Iride*, & Vicomerc. *in tertio libro Meteor.* satis obscurè loquuti sunt.


112 Aristoteles, aliorum Dux, solito obscurior, pluribus vsus Mathematicis demonstrationibus, ansam Auerroi præbuit dicendi, eum ex alieno sensu loquutum; quippè assuetum eas potiùs supponere: Docet autem, coloris, eorumque ordinem, debili, & valida radiorum reflexione sic explicanda, vt sequitur.

Qvoniam è Perspectiuis, radius perpendiculus in aliquod corpus cadens, est omnium validissimus ad penetrandum; sed ad reflectendum infirmus; Cæteri verò, prout à perpendiculari recedunt, ad penetrandum infirmiores; sed ad reflectendum valentiores, vt, Si ex A. descendant radij A H. A F. A D. A E. A G. super lineam, vel superficiem B C. Radius quidem A D. perpendiculus, erit ad penetrandum fortissimus; sed ad reflectendum in

in A. valdè debilis: Radij verò A E. A F. fortiores, & ipsi sunt ad penetrandum, quam radij A H. A G. sed hi duo fortiùs exilient versus I. & N. quàm illi L. & M. versus.



Sit igitur vapor B C. in quo est Iris; oculus sit in A. à quo ad nubem prodeunt radij visorij A D. A E. A F. A G. solus A D. est perpendicularis; reliqui obliqui, supremus omnium est A C. à perpendiculo remotissimus; atque ideò ad penetrandum in vaporem imbecillimus; sed ad reuerberandum validior cæteris; Ideò copiosam habebit lucem, & colorem reddet præclarissimum citreum, cùm ad Solem G. fortissimè reflectatur; at sequens; quia debilius reflectitur, viridem exhibebit in F. subsequens etiam debiliùs reflectens, quippè ad perpendiculum propius accedens, reddet purpureum in E.



113 Circularem verò Figuram ex reflexionis vi egregiè eruit, quod imitantur Vitellio, Picolom. & quotquot rectè hac de re iudicant, etsi obscurè admodum differant.

Vitellio egregius Mathematicus in calce ferè *suæ opticen*, aliquot propositiones de Iride profert, parum, aut nihil ab Aristotele deuians,& sanè in tenebris: Nobis incumbit, è tenebris ad lucem, veritatem deducere.

Subtiliores Perspectiui, ex vi reflexionis radiorum Iridem constituunt: Cùm enim tota nubes à Sole Sphœrico sit illuminata, peruasa,& colorata; nobis autem Arcus tantùm appareat triplex, in coloribus ordinatis; neque in alio situ appareat, quàm medio inter Solem, & nubem; oportet ex reflexione determinata aliquorum radiorum,ad punctum oculi conuenientium, eo ordine quo dixi, vt semper colores cernantur in arcum semicirculum colligere: Et quia radij è nube, si plana fuerit, non vnientur ad oculum; sed dispersi abibunt iuxta regulas Perspectiuæ, vt ostendam; hinc asserunt, nubem esse debere concauam, vt radij ad oculum stantem inter vaporem, & Solem colores arcuatos deferant. Hi ideò Iridem sic describunt: *Iris est arcus multicolor in nube rorida opaca & concaua è radiorum Solis oppositi reflexione apparens oculis spectantium*; Ità author libri *de mundo ad Alexandrum*, Aphrod.Olym. Piccolom. *loc. cit.* Mastrius; sed Laconicè & obscurè, Ingenier. *cap.* 3. Vrsin. *disp.* 2.*quæst.* 5. *cap.* 1. Eustach. *part.* 2.*Phys.tract.* 3. *quæst.*8. Collegium *cap.* 1.*cum* Plinio *lib.* 2.*cap.* 59.Farnesius *lib.* 2.*assert. cap.* 27. *à num.* 1187. 114


Aliqui verò recentes nubis concauitatem perfectam Geometricè semicirculam, qualis in Iride semper apparet, non dari arbitrantes, neque nubem planam,aptam existimantes ad radios in oculo semicircos vniendos; guttas innumeras Sphœricas ponunt, è quibus Arcus ad præfixum punctum reflectatur ad nos, eo ordine colorum, pro radiorum profunditate infirmiorum. Arridet Scot. apud Ponc. *disp.* 28. *num.* 21. & ibi Auersa.

Seraphicus incidenter totam Iridis historiam paucis adaperuit: Igitur *lib.* 2. *compendij Theol. cap.* 8. Iridis materiam ait, vaporem esse aqueum: Mox *cap.* 9. ait: Iris est lumen Solis,receptum in nube concaua aquosa, ac Soli ex aduerso opposita: Eam verò in reflexione radiorum ad nos confici docet *part.* 4. *de Eccl. Hier. cap.* 4. Idem supponit *in opusc.* cui Titulus *Laus B. Virginis*: Itaque S. Doctor stat cum penultima Sententia, quam explicandam,& sustinendam assumo. 115

Præmitto autem primò contra primam sententiam,nullo modo posse Iridem esse directam radiorum peruasionem; quia, cùm tota nubes sit illuminata; vt liquidò constat è Sphœrali radiorum immissione;iam totam videremus illuminatam, vel si Iridem è nubis cauo intueremur; iam omnes eandem Iridem aspiceremus: At nec totam videmus nubem illustratam, atque coloratam; sed Iridem tantùm semicirculam, & hanc ad situs variationem, variari comperimus. Porrò hoc ostendo:Nemo enim Iridem vidit, nisi ad angulos rectos 116


rectos sibi oppositam, quantumvis locum mutet, & quaqualibeat,se vertat;At si Iris eo pacto nubi hæreret, proculdubio etiam obliquè videretur, ac lateraliter: Ita enim corpus in superficie illuminatum cernimus, etiam ad latera stantes.

Deinde, fulgente Iride, disponantur tres homines, vnus in A. alius in B. tertius in C. Vnusquisque tamen sibi directè oppositam, & vnicam, non plures videbit Irides; quod si in nube susciperetur, post transmissum radium per vaporem, seu nubem, & directè, ac orthogonaliter opponeretur ei, qui est in B. Profectò hoc modo non posset opponi aliis duobus, qui sunt in A. & C. Si autem directa vnicuique sua proiiceretur, illæ se inuicem intersecarent, & vnusquisque omnes videret, quod nunquam factum est.



Tertiò, Iris præcedit eum, qui eam insequitur; & insequitur eum, qui fugit ab ea, quod non fieret, si colores illi in nube,quæ est post vaporem, reciperentur; at cùm ex reflexione ad nos perueniat, quantò ad eam accedimus, tantò minor fit arcus, quippè radiis minùs expansis; ideò videtur à nobis fieri remotior;quæ enim remotiora sunt, minora apparent; quia cùm visio fiat per pyramidem,cuius basis est in obiecto,& cuspis in oculo;quantò recedimus,eò magis subtiliata elongatione pyramis ad nos peruenit.

117 Dispositio verò illa colorum, lata ab Alberto, refellitur, quia in inferioribus Iridis partibus, prope terram A B. colores Iridis, maximè puniceus, sunt viuaciores, quàm in D. quod non fieret, si ibi vapor esset magis terreus, vt patet in subiecto arcu.



Circulus verò positus ab Alberto in quibusdam pyramidibus, percipi nequit: Ponit enim pyramides, quarum bases versus terram; cuspides verò ad Cœlum erigantur; eò quòd vapor ad terram crassior, & Cœlum versus subtilior propendet.

Sane non video, quo instinctu vapores erigantur in pyramides perfectas, cùm adeò inordinatè ferantur, & in Circulos aptentur; atque ex æquidistantibus ab Horizonte, Iris perpendicularis nobis appareat: Insuper,cùm tota sectio Circulorum fiat super Horizontem; cur non integri potius apparent, quàm semicirculi?


Ex his iacet elisa generatio colorum,assignata à Cardano: Ordo verò refellitur primò; quia Solis radij, cùm sint fortissimi, & totam regionem cælestem, atque elementarem æquè illuminent; verisimile non est, in tam pauci spatij maiori vicinitate, qualis est Iridis latitudo, tantam fieri colorum, è lucis varietate, diuersitatem, vt ex intensione vicinioris lucis primò puniceus, mox, post palmum viridis, &c. resplendeat. 118

Secundò, quando Sol est in Horizonte, inferioris Iridis partes sunt Soli viciniores: Ergo maiorem habebunt lucem.

Tertiò, puniceus color non minùs fit in infima parte Iridis, quàm in suprema, Soli viciniore: Ergo par illuminationis vis vtrobique. 119

Quartò; Si vbi maior est vis illuminationis, ibi debet esse color puniceus; vbi minor erit, viridis; vbi adhuc infirmior purpureus;oppositum in arcu appareret, vt in extimo obscurior purpureus; in medio viridis; in intimo citreus: Iris enim est ora, & extremitas basis, quam habet conus illuminationis, quæ verticem habet in A. cuius axis à vertice ad centrum basis, & Iridis perpendicularis à B. ex Cardano: Radius ergo A E. faciens internum arcum Iridis, magis illuminabit vaporem in E. quàm radius A F. in F. & minimè omnium illuminabit A G. quia remotissimus à perpendiculari A B. vt suprà dixi.

Non minùs deficit Cardanus in ratione Circuli tradenda, vt *infrà*. 120



Quoad sententiam Aristotelis; multa mihi persuadent, doctrinam illam non esse ipsius genuinam; sed alicuius antiqui industriâ suppositiam, vt notat etiam Auer. 3. *Meteor. cap.* 2. Primò, quia ibi Mathematicus in demonstrationibus dilatatur, cùm soleat eas potiùs supponere.

Secundò; quia radios ab oculo ad obiectum ducit, cum Platonicis visionem assignantibus per radiosam extra-emissionem, quæ opinio fuit vbique Aristoteli absona.

Tertiò, nequeunt radij ab oculo ad nubem euolare; eam peruadere, & in ea colorari: At esto colorentur; vndenam in tantulo spatio varietas tanta?

Qvartò vnum radium ponit perpendiculum, è multitudine guttarum innumerabili, cùm singulæ suam perpendicularem habeant incidentiam, atque reflexionem : Ergo & ad situm, vbi inest color puniceus.

Quintò ; quia quaquáversus abeas, semper Iris tibi obiicitur per lineam perpendiculam, quæ est etiam perpendicula à Sole ad Centrum Iridis. Ergò cùm ibi sit debilissima reflexio, non appareret color puniceus.


Sextò ; quia ordo ille reflexionis est falsus, vt eò potentiores ad reflexionem sint radij, quò à perpendiculari recedunt; atque adeò ad angulos obtusiores reflectuntur : Sol enim quoad angulos acutiores ferit terram, vtpote ad perpendiculum *Zenit* accedens, eò altiorem reddit primam aëris regionem, & calidam, vt patet in æstatis initio (cito ex iam disposito calore terra acriùs vrat in mense Iulio:Quanto enim Sol ad Antarctica signa accedit, eoque obtusiores radij feriunt, eò debiliores sunt; vt in Hyeme experimur;) tametsi ex dispositionibus præiactis in Ianuario frigus recrudescat : Non est igitur verum, radios, ad angulos obtusiores ferientes, esse validiores in reflexione, & colorem puniceum facere; radios verò, ad angulos acutos ferientes, facere colores obscuriores, tanquam infirmi sint.

122 Præterea, in aliis casibus, in quibus Aristoteles *capite quinto* docet, fieri ex eisdem causis Iridis ordinatos colores, experimur tantulam inter eos situs angustiam, vt varietas illa colorum non possit prouenire è diuersitate illa reflexionum ad angulos acutos, atque obtusos. Vt cùm Aquam ex ore in Solem expuo. Cùm remibus aquam nauigando percellimus; aut aqua allidıtur ad saxa contra Solem; tunc sanè non adest tanta linearum diuersa reflexio, quæ valeat tantùm colores variare, quos exhibent, Iridi non dissimiles.

123 Vt igitur veræ assignentur causæ varietatis colorum, & ordinis eorum in Iride : Nota primò, cum Vrsino, & Collegio *loco citato*, ex Diuo Bonauentura, explicando *tract. 9. dist. 5. cap. 2. quæstione* 1. Lucem, si opaco aliquo permisceatur, transire in colorem, qui nihil est aliud, quàm mixtio lucis cum opaco. Ità, si plurimum luminis in tenuissimo opaco sit, resultabit color extremè lucidus albus; si amplius opaci addas, fiet fuluus; si opacum intendatur, puniceus; atque proindè ad opaci augmentum, noui colores medij resultant, viridis, rubeus, purpureus, vsque ad alterum extremum nigrum. Id experimur in Chrystallo trigona, Soli exposita : Nam in prima impressione, vbi purior Crystallus, & lumen validum, apparet color puniceus; intus viridis; intimè, purpureus. Idem apparet in aëre humido, circa lucernam; in furno circa flammam; in caligine, à Sole penetrata.


124 Qvoniam verò hic ordo colorum non potest in formam arcus, seu fasciæ, nobis apparêre ex directa immissione radiorum; quia deberet videri tota nubes sic ordinatè colorata, non arcus solus, & idem vbique videretur, vt suprà arguebam, contra seriem colorum, assignatam à prima sententia. Quæ rationes refellunt etiam figuram ab eis explicitam; oportet, è reflexione, cum Perspectiuis, causas vtriusque aucupari.

Nota igitur secundò, Corpus tersum, & politum, cùm nequeat intra se, saltem totaliter, rerum formas, siue species, aut lumen admittere, cùm peruium omninò non sit, aliò formas, & species, seu lumen reflectere pro varietate incidentiæ; ità verò; vt, si lumen perpendiculariter cadat super tale corpus; reflectatur in seipsum, vt habetur, 2. *Catoptr. Euclidis* : Si autem cadat ad angulos, reflectatur ad angulum, parem angulo incidentiæ, ad partem, quam maior angulus respicit, *ex* 3. *Catoptric. Euclidis* : Ità si corpus A B. cadat radius perpendicularis C D. in seipsum reflectetur, & eò validius, quò minùs penetrauerit. Itaque fortiùs à corpore densiori, putà auro, reflectetur, quàm è vitro : Si verò radius ad angulum E D. cadat super corpus A B. cum angulo E D B. reflectetur versus F. quò spectat angulus maior E D A. cum æquali sanè inclinatione cum G. angulo F D A. æquali angulo E B D.



Nota tertiò, rem, quæ per reflexionem videtur, non nisi in determinato puncto videri : Nam si forma E. recipiatur in speculo D. ea videri non poterit, nisi oculus sit in aliquo puncto lineæ F D. id est per lineam solam reflexionis : Sic in aquis Luminaria Cœli videmus, ex aduerso in punctis præcisis. 125

Nota quartò, corpus luminosum, maximè Solem, radios suos vndequaque diffundere, ac proinde illuminatio indeterminata expanditur : Potest tamen hæc ab aliquo corpore determinari, & ad aliquam figuram contrahi, vt si Soli opponatur orthogonaliter spatium aliquod triangulare illuminandum, profectò triangulum illud non recipiet omnes radios Solis; sed tantùm partem, atque ità pars illa radiorum, tanquam continua quædam quantitas, ad pyramidem triangularem limitatur, cuius vertex est in D. centro Solis; ba- 126




sis verò in dicto Triangulo A B C. Similiter, si obiiciatur Circulus, iam radij Circu-


lum

lum illuminantes, & è Centro Solis prodeuntes, perfectissimum facient conum; & ità discurre de aliis.

Nota quintò, hinc sequi in talibus superficiebus, Soli obiectis ad illuminandum, diuersos cum diuersis angulis recipi, quorum vnus tantùm (loquor de superficie regulari, siue plana, siue Sphœrica) ad angulos rectos recipitur, & dicitur perpendicularis; reliqui omnes obliquè cadunt magis, & minùs, vnde augulorum multitudo varia exoritur, vt patet in radiis A C. A D. A E. A F. radius verò A B. solus est perpendicularis; reliqui eò minùs acuti, quo recedunt magis à perpendiculo A B.




117 Nota sextò, à quolibet puncto ad substratam lineam, siue finitam, siue infinitam, posse duci duas tantùm lineas inter se æquales; si tamen perpendicularis non cadat subter extremitates dictæ lineæ; & has duas lineas necessariò æquè distare à perpendiculari, & æqualibus angulis suscipi super substratam lineam: Sit enim linea F G. ad quam ex puncto O infinitæ possunt duci lineæ; dico à puncto O, duas tantùm inter se æquales duci posse: Nam, si ducatur O B. perpendicularis, & ad E obliqua A E. sumaturque ex puncto B. æqualis lineæ B E. linea B D. ducaturque O D. hæc linea O D. æqualis erit lineæ O E. per quartam primi; nec potest alia duci, his duabus æqualis, vt patet: Ergo duæ tantùm, & hæ duæ æquidistabunt à perpendiculari, æqualibusque angulis suscipientur super F G B. per *quartam primi Euclidis*: Patet, quia duo trianguli O B D. O B E. habent duo latera æqualia, vtrumque vtrique, id est latus B E. lateri B D. latus verò O B. est commune angulis O B E. O B D. ambo recti. Ergo & basis O D. æqualis est basi O E. Et anguli O D E. O F B. inter se æquales, & angulus B O E. angulo B O D. æqualis, qui duo anguli inter se sunt æquales: Ergo æqualiter facient distare lineas O E. O D. à linea O B. Hæc libeat in Systemate sequentis Columnæ reuoluere.



Nota septimò, pro Circuli Iridis assignanda constitutione: Si à puncto aliquo, seu Centro Sphœræ, ducatur linea perpendicula super medium alicuius substratæ superficiei, posse infinitas lineas, inter se æquales, duci super illam superficiem, quæ omnes æqualibus angulis suscipiantur in ea, & in illa Circulum describent; Possunt enim sumi infinitæ lineæ, se in vno Centro secantes in dicta superficie, & si super vna linea, vt dixi in præcedenti notando, possunt dari solùm duæ, hic possunt dari infinitæ: Ponatur enim superficies A B C D. ad cuius medium punctum E. è puncto S. cadat perpendicula S E. ducantur deinde per Centrum E. lineæ I H. F G. L N. M O. & infinitæ aliæ se inuicem in E. secantes; in singulis istis lineis, poterunt sumi duo puncta, æqualiter distantia à puncto E. vt suprà docui, *verbi gratia*, punctum I. & H. Similiter F. & G. ad quæ puncta ductæ lineæ ab S. æquales inter se erunt, æqualibusque angulis incident, & æqualiter à perpendicula S. & E. distabunt; Æquidistantia autem hæc radiorum erit à radio perpendiculo, vt est necessariò in Orbem posita, ità eorum termini in superficie, eos suscipiente in Orbem necessariò æquidistabunt: Quare describent Circulum, vt patet in radiis S F. S G. S H. S I. à Centro enim E. ad omnia illa puncta lineæ ductæ sunt æquales: Describent ergo Circulum, vt habes in quarta tertij Euclidis.

(Margin numbers in the right column: 118 beside "Nota septimò … assi-"; 119 beside "lis istis lineis, poterunt sumi duo puncta, æqua-".)



130 His positis iam Circulus Iridis à nonnullis explicatur : Quia enim nubes, seu vapor, in aquam conuersus, qui dicitur A. B. C. D. optimè potest radios reflectere, cùm totus illuminetur à Sole S. Ex quolibet etiam sui puncto potest Solis reflectere lucem; ità, vt nullus ad eam radius Solis perueniat, qui seruatâ angulorum incidentiæ quantitate ad æqualem reflexionis angulum aliò non resiliat : Feriat ergò Sol S. radio S I. superficiem vaporis A. B. C. D. in puncto I. ab eodem puncto reflectetur hic radius ad punctum P. radio I P. Omnes ergo radij æquales radio S I. cùm eodem modo recipiantur æqualibus inter se angulis in superficie, æqualibus etiam inter se angulis debent reflecti, vt si radius S I. reflectitur à puncto I. ad P. faciendo angulum E. I. P. oportet, vt reliqui etiam radij, æqualiter in gyro cadentes, in superficie resiliant angulis, æqualibus angulo E. I. P. vt
131 in H P.G P.F P. O P. & seruetur angulorum hæc æqualitas, vt angulus E H P. sit æqualis angulo E I P. Si enim anguli incidentiæ eorum sunt inter se æquales; æquales etiam erunt omnes anguli reflexionis; vt suprà ostendi, *notando secundò* : At non solùm anguli P. reflexionis sunt inter se æquales; sed etiam omnes alij reflexi à radiis æqualibus directis, sunt inter se æquales : Radij enim, reflexi I P. H P. diametraliter oppositi, quippe & eorum directi S I. S H. diametraliter opponantur in eadem superficie cum linea H L. facient duos angulos, minores duobus rectis : Coïbunt igitur ad punctum P. *ex* 11. *pronunc.* 1. *Ecclidis* Coëunt ergo in P. vel simili alio puncto, vbi consideretur triangulum P I H. habens duos angulos E I P. E H P. æquales. Profectò si latus I. P. esset maius latere H. P. Et è contra, maiorem quoque angulum subtenderet *per decimam octauam primi* : Sed non est ità. Ergo æquales sunt inter se radij I P H. & consequenter omnes alij, qui æquales angulos faciunt in superficie A B C D. Quare & ipsi eundem Circulum describunt, quem faciunt radij directi eadem ratione.

Hinc duo deducunt relati Authores : Alte- 132
rum est, omnes radios reflexos æqualibus angulis à superficie resilientes, ad idem punctum coïre : Alterum est, hoc punctum esse in perpendiculari E S. quæ est axis coni illuminationis. Priùs patet; quia radij reflexi omninò pendent à suis directis. Et cùm omnes directi æqualiter descendant ab vno puncto S. & æqualiter recipiantur in eadem superficie A B. C D. æqualiter etiam ab ea reflectentur, & ad vnum punctum omnes conuenient Posterius probatur; quia, si radij coïrent ad aliud punctum extra Axim E S. neque inter se æquales essent, neque æquales angulos in superficie haberent. Quare conus reflexionis P. I. H. Est intra conum illuminationis S. I. H. vterque autem cùm habeat eandem omninò basim L M N O. Et vertex interioris Coni sit in Axi E. S. axis interioris coni coïncidet cum exterioris axi; ità, vt axis E B. & axis E S. sit in eadem linea : Fit igitur Iris circularis; quia à nube rorida A B C D. reflectitur Solis lumen ad oculum nostrum circulariter; quia enim determinata sunt puncta visionis, per reflexionem, vt patet suprà; ideò posito oculo in P. cùm eò non reflectantur, nisi illi radij Solis, qui æquales sunt, æqualesque angulos faciunt, ac proindè in Circulum dispositi; idcircò oculus in P. non videt, nisi circulare spatium L. M. N. O. illuminatum, quod reflectitur tricoloratum, ex debilitate lucis, in opaca nube, ad nos reflexæ, vt latiùs infrà patebit.

Hæc tamen reflexionis terminatio ad punctum 133
P. stare nequit: quia reflexio è superficie A.B.C.D. si plana sit, non concaua, debet fieri extra conum illuminationis sparsa. Probatur primò; quia angulus reflexionis esse debet æqualis angulo incidentiæ; vt ostendi : In hoc autem loco angulus incidentiæ radij S H. maior est angulo reflexionis, cùm angulus E. H. S. contineat angulum E. H. P. quasi totum suam partem. Similiter angulus incidentiæ E. I. S. continet angulum reflexionis E. I. P. Probatur secundò; quia reflexio fieri

fieri debet versus maiorem angulum: Hic verò fertur versus minorem, quod est impossibile *per quintam Catoptric. primi Eucl.* Angulus enim acutus incidentiæ radij S H. est Angulus E. H. S. maior autem est obtusus S H V. Reflexio igitur debet fieri ad Q. non ad P. itavt angulus Q. H. V. sit æqualis angulo incidentiæ S.H.E. Hanc difficultatem mirantur incognitam; sed eam vidit S. Doctor; vt infra ostendam.

Vt igitur præfati Recentiores hanc Syrtim declinarent.

134 Præmittvnt primò; non solùm à corpore polito opaco, puta auro; sed etiam à diaphanis fieri reflexionem; puta à vitro, & aquá, adde & aëre condensato, vt ait Aristoteles *3. Meteor.* ità tamen, vt si corpus reflectens sit continuum quantitatis non paruulæ, totam reflectat formam; si verò sit paruulum, non reflectat totam formam; sed eius colorem, aut lumen, quæ sunt qualitates in infinitum diuisibiles, ad diuisionem subiecti; non sic figuræ rerum, & imagines: Quod si plurima simul congerantur corpuscula, referunt colorem illum, quem reflectunt tanquam continuum.

135 Prælibant secundò, vaporem, antequam in aquam perfectè resoluatur, concrescere in sudorem quendam, & minutissimas stillulas, quæ à Sole repercussæ, cum nequeant totam syderis formam distinctè reflectere ob suam pusillitatem, reflectunt lumen, iuxta vires suas: Et quia guttulæ illæ non sunt planæ, sed sphœricæ, repercutiunt radium contra conum illuminationis, iuxta regulas Perspectiuæ, ad P. Videtur arridere Vitellio *cap. 66.*


Ocvlvs igitur positus in P. videbit circularem confluentiam radiorum tricoloratam; ex rationibus suprà refricatis.

Sic igitur Iridem exponunt: Illuminatur tota illa massa guttularum ad aliquam profunditatem; vnde reflectitur lumen in anteriori parte fortior; sed ex admixta nubis aquosæ opacitate, & guttularum pusillitate, non lucem reddit; sed colores in summo puniceum, qui nobis primò obiicitur: ab interiori verò parte Iridis, viridem, ob radium infirmatum; intime verò purpureum.


Ita ordo colorum non sumitur secundùm differentias sursùm, & deorsùm, siue à centro ad circumferentiam Iridis, vt dicebant Antiqui; sed secundum antè, & retrò in crassitie ipsius corporis, prout idem radius magis, vel minùs vaporem penetrat, & secundùm suam longitudinem consideratur. 136

Cvr ergo (inquit) vnus infrà alium apparet? 137

Respondent, hoc esse, ratione perspectiuæ, quá planorum sublimiorum, quæ remotiora sunt, depressiora apparent, oculo Eucl. *obt. 11. prop.* Propterea ergo, quia maior videtur continere minorem; Ideò vnus cernitur sub alio, licèt reuera non sit ita; imò potiùs purpureus, qui infimus apparet, reliquis duobus altior est dicendus, & puniceus depressior; quia radius Solis S I. cùm non sit parallelus Horizonti S E. sed ab ea semper remoueatur ex anteriori parte vaporis A B minorem partem abscindet, quam è reliquis duobus C D. & F G. Minorem etiam ex C D. quàm ex F G. Hoc idem circa colorum ordinem in Iride mihi videtur sensisse Vitellio, vt percipiet, qui eum perlegerit, maximè *propositione 17. Eucl. 10.*




Hic tamen modus, etsi Iride ipsâ speciosior, nulla tamen mihi ratione probatur; cùm enim guttulæ illæ non sint continuæ; sed in vnum confusæ, & irregulariter aggregatæ; vt Aristoteles docet, ac recentiores allegati; & quod caput est, adeò perexiguæ, nec adamussim sphœricæ, & in superficie quasi planæ; profectò incredibile est radios Solis adeò ordinatè eas ferire obliquè, vt cogantur reflectere illos ad perpendicularem, & nobis perfectum semicirculum exhibere; &, aut singulas stillas validè adeò vsque ad nos radios posse reflectere, vel omnes simul in illa confusa multitudine adeò conuenire; vt plurimæ eadem lineâ recipiantur, & ordinatè reflectantur: Addo, vaporem, in quo fit Iris, sæpè non esse in proxima aquæ dispositione, vt in pluuiam resoluatur; imò potius sint pluuiæ; iam antè actæ, steriliores reliquiæ: Etenim Iris non rarò, post elapsam omninò pluuiam cernitur, nec vltra pluit. 138



139 Cæteris igitur modis reiectis, iam vnicus est reliquus in sententia Seraphici, qui præclarè perspiciens, non posse aptam Iridis, seu Arcus visionem à nobis, è vapore plano, vel è stillulis haberi, ad nubis concauitatem confugit.

Considerat, vaporem aqueum à calore extraneo, regionem illam ambientem, obsessum, se in sphœralem, quantum valet, massam colligere; hoc enim est Elementis innatum. Ideò & guttæ pluuiæ, & roris in Sphœrulas colliguntur, vt Aduersarij in suis guttulis reflectentibus asserunt: Cùm verò à Sole dudum compresso, iam validè radios constrictos eiaculante, sentiat se vapor sphœraliter transfigi, cedit se colligens in concauum, vt resistat, & sanè perfectum, pro radiorum sphœrica ad vnguem percussione, cedens vapor, & veluti eliquatus vndique sinum in arcum curuat: Quoniam verò Recentiores illi, huius concauitatis derisores, clamant, nubes irregulares moles (Esto ex parte cauæ nonnunquam sint) atque adeò apparituram Iridem non semper Arcum; sed sæpè figura Parabola, Eclipsi, Hyperbole, &c. ostendam cum Sancto Doctore *ad 5. Sapientiæ*, nubium perfectam concauitatem: *Ibunt directè emissiones fulgurum* (ait Spiritus Sanctus) *& tanquam à bene curuato arcu nubium ad Scopum insilient*: Obseruat autem Sanctus Doctor *hic*, non nominari arcum, hoc loco, Iridem; sed ipsam nubem, ex qua Grandines, & Fulmina eiaculantur. Præterea Arcus hic ità scribitur Græcè τοξου: Arcus verò Iris τοξον, *Ecclis.43. & 50.* & *Apoc. 6.* mutatur ν, vltima littera, & ponitur in his locis ν, ibi verò υ Ypsilon: Textum autem Græcum obseruandum, ait Sanctus Bonauentura ibi. Igitur nubis perfectum Hemisphærium intelligit.

Hac igitur Figurâ suppositâ, radij angulares, intrò reflexæ ad punctum P. ostendent oculo ibi medio inter nubem, & Solem stante, Iridis Circulum: Talem enim reflexionem intuemur, in Chrystallo concaua, contra Solem, in qua radij vniti ignem accendunt: Sic & Archimedes Chrystallis in Figvram Parabolicam, quæ est instar catini, aptatis super muros Syracusanos, contra Solem, Romanorum naues combussit. 140



141 Hinc ruit Aduersariorum congeries.

Opponvnt etiam, Elementa, motu recto, non circulari, moueri.

Respondeo ex dictis; etiam Figuram Circularem ab eis quæri, ad vires vniendas, vel semicirculam ad se tuendum; Ideò Aduersi vaporem in guttas componi asserunt: Nonne aqua, è vapore genita, in Sphœrulas se contrahit, vt ipsi dicunt? Idem dic de rore, &c.

QVÆSTIO XVII.

De secunda Iride.


142 De huius oigine Arcus, qui super priorem simul nobis apparet, varia sunt philosophantium placita.

Fvit opinio dicentium, secundam Iridem esse imaginem primæ, ex alia nubi, veluti è speculo, ostensam. Ità Collegium *tract.5. cap.2.*

Hæc tamen refellitur primò; quia Iris nulla est in nube; sed determinatur ad Arcum, à reflexione perspectiua aliquorum radiorum ad oculum: Sic ergo deberet nobis è Speculo ostendi tota nubes colorata, non autem Arcus.

Secvndò: Esto Arcus formaliter esset in nube inferiori, non posset ab altera nube altiori nobis ostendi eo modo, quo illum in tali situ cernimus, nisi ea, quæ speculi vice fungitur, esset illi orthogonaliter opposita; At verò nubes superioris arcus non sic opponitur ad angulos rectos. Quod si opposita sic esset, seruaret eundem colorum ordinem; & tamen ordine inuerso apparent: Cùm igitur nubes secundæ Iridis non sit priori opposita; sed supereminens, & insistens, deberet repræsentare totum arcum eccentricè, non verò concentricè; Conuexum enim E prioris Iridis A B C. secundùm dispositionem nobis reflectentis repræsentaretur in E. termini verò A C. in D F. & cætera.

Tandem



Tandem si instar speculi repræsentaret nubes superior Arcum inferiorem, non posset eius imago, quæ putatur secunda Iris, nisi in vno puncto videri, vt patet ex dictis *quæst.* 16. & tamen quisque illam è diuersissimis punctis intuetur.

143 Secvnda opinio est Aristotelis 3. *Meteor. loc. cit.* Picolom. *de Iride Vitellionis* 72. *decimi*, Conimbr. *tract.* 5. *Meteor. cap.* 2. Vrsini *disp.* 2. *quæst.* 5. *cap.* 1. Atque D. Bonauent. supponit Secundam Iridem fieri, è noua reflexione radiorum prioris Iridis, ad vaporem supereminentem.

Cvm autem sint tria, in quibus hæc à prima est diuersa; hæc sola discutiam; cætera enim primæ Iridi communia, discussa sunt: Primum, in quo differt, est, quod omnes colores huius sunt debiliores. Secundum, quod ordine inuerso dispositi. Tertium, quod longè amplior sit arcus.

144 Qvoad primum, nulli dubitandum, oriri ex hoc, quod radij noua reflexione debilitati sunt; quantò enim à Sole prima sua causa elongantur, tantò infirmiores euadunt.

Aliqvi addunt, oriri etiam è maiori secundæ huius Iridis distantia; quæ enim remotiora sunt, debilius feriunt organum, & obscuriora videntur: Ideò & Cœlum nobis apparet cæruleum, quia remotum debilitatas species affert.

E distantia sumunt aliqui rationem inuersi ordinis colorum; atque adeò remotissimum nobis purpureum apparêre dicunt.

145 Contra primò; quia si distantia facit, vt supremus color appareat oculo purpureus, cùm deberet esse puniceus; sequitur debere, imò, esse nigrum: Nam infimus color primæ Iridis est purpureus, cùm tamen sit ibi radius primus, ac proinde fortior, atque vicinus: Ergo altissimus ille remotissimus, ac debilioris radij proles, erit violaceus obscurior, aut niger.

Deinde, num in superiori Iride puniceus emanat è purpureo inferioris? Forsan maior distantia iuuat, vt ex obscuro opaco vicino producatur clarius? Sanè ex opaco non generatur lucidum: Neque distantia reddit clariùs, sed obscuriùs, vt à vobis assertum est.


Tertiò, Puniceus superioris Iridis, cùm sit remotior ab oculo, & debilior, quàm purpureus inferioris, quomodo est illo clarior?

Qvartò, viridis superioris Iridis, cùm sit remotior, & debilioris radij partus, cur non sit obscurioris speciei, si è sola distantia vicinus, qui deberet esse puniceus, sit purpureus?

Tandem, si plus potest distantia, quàm radij virtus, vt hi dicunt, & Iris superior ex radio imbecilliori producitur, & remotissima est; nullum colorem habebit puniceum. Adde, id, quod causat distantia 100. cubitorum oculo forti, id causat distantia 50. cubitorum debili, vt ait Sanctus Doctor *in primo, distinct.* 3. *parte* 1. *artic.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. Posset ergo aliquis oculus debilis esse, cui puniceus primi Arcus, purpureus appareret. Addo, tantam nutritionem in tanto spatiolo latitudinis, arcus non posse colorum species inuertere, vt ea diuersitas colorum appareat. 146

Dic ergo, ordinem colorum inuerti ex noua reflexione radiorum primæ Iridis, in eminentem nubem, adeò vt in prima impressionis parte, clarior puniceus; in interiori debilior viridis reddatur; in intima purpureus totam nubem coloret, quamvis Soli tot radij ad nostrum oculum coëant, quot arcum exhibent, vt clariùs infrà apparebit.

Tertii verò dubij, Cur Iris superior, etsi remotior sit, grandior appareat, solutio est facilis. Secunda Iris fit à radiis longè remotioribus à perpendiculari, qui, vt maiorem assumunt conum; ità maiorem accipiunt basim: Radij enim S I. S H. habent pro basi I H. at verò radij S B. S C. habent basim B C. quæ est maior priori. 147




Maior contentio viget in assignanda causa, cur in spatio intermedio inter vtramque Iridem non appareat nobis tota nubes lucida: Hæc difficultas Interpretes Aristotelis torsit.

Notandvm primò, causas secundæ Iridis, è causis primæ accipi; vnde, sicuti tota nubes, ex qua fit prima Iris, est illuminata; & tamen solus arcus apparet nobis; quia non omnes radij ad idem oculi punctum reflectuntur; sed aliqui tantùm, qui huc coïre valent; vt ostendi, *quæst.* 15. Ità Philosophari tenemur de secunda: Vnde eo modo secunda Iris mutatur, mutato oculo, quo 148

prima;

prima, cùm semper sit primæ concentrica, & simul cum prima accedat, & recedat, crescat, & minuatur, cùm fiat per Solares radios, reflexos à prima; vnde, sicuti mutato situ, noua ad nos prima Iris mittitur, distincta à præcedenti; ità & noua superiori è nube protenditur; quia alij noui radij ad noua puncta sunt reflexi.

149 Nota secundò, non esse vtramque Iridem in eadem superficie; vnde & radij reflexi ad eadem puncta difficiliùs coëunt. Ità si radius S I. reflectitur ad punctum P. radius S R. ad idem punctum non reflectetur; sed ad Q. Nam, si ex R. lux ità reflecteretur ad P. sicut ex I. pari ratione posset reflecti lux Solis ad idem punctum P. etiam ex G. & O. atque aliis innumeris: Quare videremus totam nubem coloratam, aut saltem spatium totum inter vtramque Iridem, quod est R I. Non est igitur vtraque Iris in eadem superficie E G. vel si est, reddenda est ratio, cur etiam ex O. ad punctum P Q. radij non reflectantur, quam tamen nullam assignant. Addo, quæri posse, cur sæpe prima sola appareat sine secunda? nunquam verò secunda sine prima? si tamen eodem modo fit secunda, quo prima, videretur facilè posse respondere.



Deinde maior est distantia ab Iridi artificiali ad primam naturalem, quàm ab hac ad secundam; & tamen non mutantur colore; aut deberet, etiam in artificiali apparêre secunda, quod non contingit: Has difficultates coniunxi; quia eisdem soluuntur principiis.

Ammonivs, & Olympius ad primam 150 difficultatem respondent, ideò ex intermedio illo spatio, lumen non reflecti; quia radius visualis perpendiculus sit ad illud spatium medium, inter primam, & secundam Iridem; atque ità nimis in nubem penetrando, ad Solem non reflectatur.

Sed, cur radius penetrat solùm illud spatium, non autem illud, in quo est prima Iris; cùm tamen radij, facientes primam Iridem, validiores sint aliis, intermedio spatio interceptis; quia viciniores sunt perpendiculari: Neque verò possunt omnes illius spatij radij esse perpendiculares; ità, vt totum perpendiculis repleatur, vt constat ex Perspectiua, etiamsi à guttulis reflexi dicantur; vnus est enim à qualibet guttula sphœrica perpendicularis; neque mihi vnquam probabunt, eos omnes in totum illud spatium medium tantùm esse directos; vel spatium illud replere, non locum Iridis.

Arphrodisevs respondet, id prouenire, 151 quia aspectus ex vna tantùm parte possit reflexionem accipere. Eum sequitur Picolom.

Sed non assignant rationem, cur ex illo spatio non fiat reflexio; & fiat è duabus nubibus duplici arcu.


Vicomercatvs, *in 3. Meteor.* respondet, id euenire; quia in illo spatio medio, nubes est caua, & oculatior.

Hic propiùs ad Sanctum Bonauenturam, & ad veritatem accedere visus est; sed non attingit adhuc; Nec reddit causam, cur spatium illud medium semper in ea dispositione sit cauitatis, vt nunquam lumen reflectat, cùm à duobus lateralibus Irides effulgeant.


Moderni relati *in quæstione decimasexta* nubis cauitatem incredibilem proclamantes, 152 ità difficultatem soluisse sibi certò persuadent, vt totam simul Iridis secundæ historiam tradidisse glorientur.

Dicvnt igitur, Iridem hanc fieri, è secunda solarium radiorum reflexione. Ità radij Solis impingunt in primum vaporem, è guttulis constipatum. Inde aliqui reflectuntur ad nos, Iridem ostendentes; alij in altum, à corpusculis illis conuexis eiaculati in alia corpuscula, similia secundi vaporis; vnde ad nos in determinato puncto stantes, nouam Iridem portendunt; atque ità, cum ad oculum non veniant, nisi æquales, deferunt solùm duas Irides, cæteris radiis aliò reflexis; ac proindè reliqua spatia, non repræsentant illuminata.

Melivs



153 Melivs hanc Perſpectiuam ſaluarent, ſi vaporem in aliquanto ordinatas Sphœrulas grandiores effingerent, quales experimur Æſtate, ſæpè in grandines congelari: Ità enim reflexiones primæ Iridis, ac reflexionum reflexiones ſaluarent; Aliter verò quo pacto guttulæ toties ad nos reflectentur?



Ratio igitur, ob quam Iris in toto ſpatio non appareat, eſt; quia reflexio non fit, niſi ad determinatum punctum: Itaque, ſi oculus ſit in E. ad eum non perueniet radius reflexus CF. DG. Sed ſolùm BE. Secunda verò Iris venit ex alio vapore, qui ſit BK. ad quem cùm reflectatur radius BK. iterùm poteſt reflecti ex K. ad E. Et quoniam radius aſcendens penetrando vaporem ſecundò, adhuc magis debilitatur; Ideò erit in P. puniceus; in V. viridis; in K. rubeus, ſeu purpureus.

Hvnc modum repuli, *quæſtione decima ſexta*. Vrgeo; nam cùm reflexio veniat è Sphœrulis ſtillarum, quibus tota nubes aggregatur, & aliquæ concidantur, ad oculum reflectere oportet, vt cæteræ in eadem diſpoſitione aliquos radios ex aliqua parte conuexa (quæ vndique illuminata reflectit radios) aliquem ex eis ad oculum eiaculentur; & ità etiam è ſpatio intermedio peruenient radij ad E. oculi punctum, niſi concedant, maſſam guttularum confuſam, debiliſſimè reflectentem, radios in auia diſperdere; vt dixi *quæſtione decima quinta*.

Deinde, cùm earum prima reflexio oſtendant non Iridem ſecundam, ſed aliam primam. Huic non reſpondent.

Ad primum reſpondent, hinc ſolùm colligi, debere dari latitudinem aliquam in Iride; alioqui Iris eſſet linea indiuiſibilis; non poteſt autem Iris videri ità in C. medio; ſicut in B. ſi magna ſit diſtantia; quia guttulæ illæ ob nimiam paruitatem, paucos admodùm ſuſcipiunt radios; neque omnes, quos ſuſcipiunt, reflectunt; ſed eos tantùm, qui ſunt debiliores ad penetrandum, quippè remotiores à perpendicula deueniente ad ſingulas guttas: Gutta ergo C. reflectet aliquos radios, quorum vnus venit ad F. Similiter alia gutta paulò ſuperior reflectet alium radium; ſed ex diuerſo puncto ad eundem oculum poſitum in F. ex quo euenit aliqua Iridis latitudo, quæ augetur; quia radij Solis non veniunt ex vno puncto indiuiſibili; ſed à corpore toto Solis.

Contra; quia, ſi adeò debiles ſunt guttæ, quo pacto aliquæ vſque ad oculum reflectunt è ſuperiori loco Iridis ſecundæ; & aliæ in eadem angulorum 154

gulorum latitudine, è spatio inferiori, medio inter superiorem, & inferiorem Iridem, non reflectunt; cùm totum illud spatium nubis sit similibus guttis plenum in eadem oppositione ad Solem? Hoc sanè non soluitur responso; sed adhuc probatum manet, totam nubem, maximè in spatio illo medio, cerni coloratam.

Si vellem cum Conimbr. dicere, secundam Iridem, esse repræsentationem primæ ostensæ, tanquam è Speculo, è nube illa eminenti; atque more speculorum, ostendere ordine inuerso colores obiectos, difficile soluerem hanc difficultatem; quia, vt dixi initio quæstionis; deberet tota nubes, etiam in spatio medio colorata exhiberi.

155 Semitas Sancti Doctoris calco. Nubes concaua; vndique sphœralibus Solis radiis repercussa, aliquos reflectit vnitos intra conum illuminationis ad oculum, qui semicirculum tricolorem referunt (non Circulum, ob rationes infra afferendas:) alios verò vndequaque spargit, qui ad alia puncta nobis Iridem ostendent primam ex eadem nube: Ex eis, qui primam Iridem formant, fit secunda Iris, dum primi, in aliam præeminentem cauam nubem rursus reflexi, eam penetrantes, primo citrinum colorem reddunt; interius viridem; & intimè altius purpureum: Et sicuti prima nubes, quamvis tota colorata, solum arcum è Perspectiua determinatum exhibet; ità & secunda ob eandem rationem; atque adeò non modò spatium inter vtramque; sed etiam tota nubes reliqua decolorata apparet.

156 Contingit sæpè, hanc secundam reflexionem non fieri è prima; eò quòd non adsit vapor concauus, & tunc secunda Iris non apparet.

Est autem secunda Iris semper concentrica primæ; quia fit è radiis, reflexis à loco primæ, & ex illis illi soli faciunt Iridem, qui æquales inter se, à prima transeunt ad secundam, cum æqualitate angulorum: Itaque equidistabit semper secunda, à prima: Quare erunt sibi concentricæ.

157 Posset verò & prima Iris, facta ex prima reflexione radiorum Solis, videri, si daretur nubes aptata, in quam radij ad nos reflexi impingerent; quo casu videretur prima, non alia secunda, tanquam obiectum in speculo.


Posset etiam euenire, vt radij è secunda nube, secundò reflexi, in aliam impingerent, & sanè debiliores reflecterent nouam Iridem; quia quò pluries reflectitur radius, refrangiturque, eò magis debilitatur. Has reflexiones reflexionum admittit Vitellio *part. 69. vndecimi.*

In Iride verò artificiali, cur non mutentur colores, quid dicam? Sanè non inuenitur secundum subiectum aptum, recipiens primæ Iridis colores, & paulatim eos debilitans.


Ex dictis colligere potes, cur nobis existentibus in plano Horizontis, vix semicirculus Iridis appareat; Sole itidem in Horizonte existente: Tunc enim Centrum Solis, oculus noster, & Centrum Iridis sunt in eadem vnicâ lineâ rectâ: Nam, cùm Iris sit extrema ora basis coni illuminationis visæ, Sole existente in Horizonte, etiam noster oculus intelligitur in plano Horizontis; & Centrum Iridis, id est centrum basis coni illuminationis, in plano Horizontis esse oportet; & sic in eadem rectâ lineâ cum Sole, & nostro oculo: Tunc igitur ex tota basi coni, non nisi dimidia extat; quippè planum Horizontis sit ad planum basis lucis per centrum: Et proindè semicirculus tantùm apparebit, vt habes in sequenti Sistemate, vbi S. est Sol. O. Oculus. I. Iris. A B. ora coni illuminationis, C. Centrum: 158

Quando autem Sol est super Horizontem, quantò altior est, tantò minùs Iridis segmentum appareat, necesse est; quanta enim est Solis eleuatio, tanta est Centri Iridis C. infra Horizontem depressio; ac proinde plani basis coni occultatio, vsquequò omninò dispareat; Quod fit secundùm aliquorum obseruationes, quando Sol est eleuatus per quadraginta duos gradus; quod si supereleuetur, nihil Iridis super Horizontem remanet: Hæc ferè percipies, imaginans Figuram hanc mobilem esse, eam gyrans, manente oculo in plano Horizontis, vel secundam aspiciens Figuram, in qua pars Segmenti ob reflexionem aliò diuertentem vides. 159

Colliges



160 Colliges secundò, vnumquemque suam Iridem videre: Immeritò igitur Cardanum reprehendit Scaliger, *exercit.* 80. *num.* 2. & 7. quod dixerit, vnam esse lineam, in qua sit Sol, Oculus, & Centrum Iridis; Hoc enim & Aristoteles, & alij grauissimi Authores admittunt, & ratio suadet allata *quæst.* 16. & experientia conuincit, *ibi,* allata, & *hic* descripta: Quod verò ait, se vidisse alteram coronidem Iridis, arbitror deceptum; Non enim spatium illud mensurauit, aut illa non fuit Iridis; sed Virgarum impressio: Id in hac Figura vides.



Hvic consurgere debet Semicirculus Nubis.

Colliges tertiò, posse aliquando Iridem, semicirculo maiorem apparere, & spiram integri ferè Circuli, duabus de causis, à Cardano indicatis, quas inepte Scaliger impugnat.

Prior est, si oculus sit in monte prælto, & magna vaporum copia adsit, vt Sol sit in Horizonte A. Oculus in monte C. Centrum Iridis in B. Protendetur ergo Iris vsque ad D. & E. Oportet tamen, montem non impedire radios Solis, quin valeant vaporem illuminare vsque ad D E. 162

Alio

Alio etiam euentu reor, posse Iridem videri Semicirculo maiorem; si videlicet in eminenti simus loco, & substratum nobis vaporem habeamus; Solem etiam satis eleuatum: Ità sit Horizon A B. oculus in C. Sol in D. vapor F E G. Centrum Iridis erit in E. protenditur Iris vsque ad F. & G. absoluetque ferè Circulum: dummodò altitudo G H. non opacet vaporem.

Hoc potest confirmari ex artificiali Iride; quam cernimus in aqua, ex ore dispersa; In ea enim maxima Circuli pars apparet, quando Sol est altus: Immeritò igitur Vicomercatus adductos ab Auerroe oculatos huius rei testes negat.

163 Colliges quartò, solam Iridem semicircularem ad angulos rectos Horizonti insistere; reliquas autem, quæ segmenta sunt Circulorum, siue maiora, siue minora, obliquas esse supra Horizontem; segmenta verò minora propendere ad alteram partem contra nos; ità vt faciant angulum obtusum cum ea parte plani Horizontis, quæ intercipitur inter nos, & planum Horizontis; & semper magis obtusum, quò Sol altior, & segmenta minora apparent: è contra verò, si Segmenta sint maiora, & Horizontem attingant. Hoc facilè intelliget is, qui imaginatur, Iridis illud circulare planum semper esse perpendiculare lineæ illi, quæ à Sole per Acalam nostrum attingit Centrum dicti plani Iridis, quæ linea est axis vtriusque coni iam expliciti.

Colligitur quintò, solâ reflexione radiorum, constitui posse Iridem, neque exigi refractionem, quæ propriè dicitur Fractio, seu Diaphasis; Refractio verò propriè idem nomen apud antiquos habuit cum reflexione, nempè *Anaclasis*: Existimauit Vitellio, exigi etiam fractionem radiorum, vt irradiatio magis sensibilis fiat, quàm fit in solo medio perspicuo, ac lumini peruio; ex aggregatione autem radiorum id fieri docet. 165

Enim verò hæc aggregatio sufficienter fit ex eo solùm, quòd in superficie vaporis perspicuum sit terminatum; & indè fiat reflexio.

Refractionem autem non esse admittendam, probant aliqui; quia è solâ superficie apta est reflecti lux; At si hîc opus esset refractione, penetraret necessariò radius, & non posset ad nos peruenire; sed ad contrariam ferretur partem, & generaretur color in crassitie guttarum, & ibi confusus omnibus appareret: Tandem sic tota ratio Circuli periret.

Confirmatur experimento; Conspergatur, contrà Solem, vinum satis rubrum, in eo ità apparebit Iris, ac si esset aqua limpida: Ergo radius non penetrat; alioqui colore vini appareret tinctus: Si non penetrat; Ergò nulla fit ibi refractio.


Hoc tamen non videtur consonum antedictis; nam mutatio colorum, etiam apud huius Colligeti Assertores, prouenit è penetratione radij in partes interiores, adeò vt, quò interius penetrat, eò plùs debilitatus reddat colores magis opacos; alioqui, quo pacto nubes reflecteret illos colores, quos in se non habet? Igitur radius penetrat: Illud autem Experimentum vini non est verum: Nam licèt Colores in prima percussione nitidiores sint; tamen rubescunt aliquo modo: Verum tamen est, ruborem vini sparsi in aëre peruadi ab aëre, & radio; neque posse suam retinere opacitatem.

Vnum me torquet; Nam vidi Iridem, in qua sub purpureo erat noua fascia obscurior subuiridis coloris, & sub ea, alia purpurea obscurior; & ità Arcus erat quinque colorum.

Reor tamen non esse refractionem; sed nouam in suppressa ex parte alia nube, quæ puniceum opertum non valebat ad nos reflectere.

Colliges sextò, veros in Iride colores dari ex luce vera, opaco admixtâ; quod enim alius non videat Colores Iridis, quam ego video, non oritur, quia Colores phanatici sint, sed quia non videntur, nisi per reflexionem ad tale punctum: In hoc errat Cardanus, cui non fauet Aristoteles, *sect.* 12. *probl.* 3. dicens, Iridem per se non facere odoratos Colores, vbi ea incubuerit, vt vulgus credit; sed solùm per accidens, actione humidioris vaporis; quia Iris nulla natura sit, sed obtuitus refrangendi tantùm affectio; Ibi enim Aristoteles vult Circulum, ex obtuitu in tali puncto reflexionis oriri, cùm tota nubes sit colorata, non autem solo arcu picta: Itaque colores è Physicâ, formam verò arcus è perspectiuâ sumit. 166

167 Nota verò etiam è Lunæ reflexione fieri Iridem; sed imbellem; & hanc circa Plenilunium: Est verò, hæc decolor, albicans,& rarò conspicitur; quia in solo Plenilunio fieri valet, & sæpè cætera non concurrunt necessaria.



Colliges septimò, duas tantùm Irides, situ remotas, aspici, etsi tertia possit fieri; vt ait Vitellio *prop.* 71. *decimi*, Si sint duæ vaporis vicinæ superficies; erit autem humilior in vapore propiori; sublimior in remotiori; quia guttæ inferiores suas reflexiones faciunt minùs remotas à linea perpendicula; Vapores verò superiores magis remotas, *verbi gratiâ*, reflexio fit è puncto E. ad G. at verò ex K. fit ad H. & ex D. ad I. Confirmatur experientiâ Iridis lucernæ, ad quam si accedas, minuitur: Si recedas,augetur: Ea est autem causa; quia reflexio fit ex inferiori parte, vbi vapor est corpulentior; quia grauitas aquæ fundum petit; partes ergo depressæ videri nequeunt in suo fundo, nisi accedas; & ideò lucem reflectere cernuntur propè; superiores autem non ita: Nam si accedas, impedieris à suppositis inferioribus; at si recedas;apparebunt: Si igitur remotior vapor ex altiori parte reflectit; accedens subtus, minùs de eo apparebit tibi supposito, & extrà posito magis videbitur.

168 Collige octauò; cur Iris sequentem fugit; & fugientem insequitur; vt loquitur Philippus, & Ditellio: Id sanè ità apparet, eò quòd, quantò ad vaporem illustratum accedis, eò minorem arcum videre cogeris; vt diximus: Et quò magis recedis, eò maiorem arcum intueris; quæ verò minori angulo cernuntur, remotiora apparent; & quæ maiori, propinquiora videntur.

Hinc infer primò, non posse assignari determinatam Iridis magnitudinem, cùm hæc pendeat ex maiori accessu, vel recessu à vapore; posse tamen à vaporis altitudine determinari; cùm enim per accessum eò deueneris, vt Iris reflectatur è summa vaporis parte, non poterit tibi adhuc longius recedenti amplior apparêre.

Secundò deduco, Climatum varietatem, nullam in hoc afferre diuersitatem, nisi quatenùs in vno climate vapores altiùs ascendunt, quàm in alio; vnde in vno climate ampliores Irides apparebunt; quia ibi altior sit media aëris regio.

Deduc tertiò, ex hoc accessu, & recessu, quo nouæ succedunt continuò Irides, totam nubem esse coloratam: Nam, si tota percurratur, tota cernitur Irides reflectere;nisi tantùm elongeris; vt eòvsque reflexiones non valeant ad te peruenire; aut tantopere accedas, vt in vaporem ingrediaris; debes enim esse medius inter vaporem, & Solem, vt is vaporem feriat, & vapor radios reflectat ad oculum. 169

Collige nonò, cur Iris in vertice debilior appareat, quàm in imo: An quia in summo tenuior; & ideò faciliùs penetratur à luce, quæ inde vix reflectitur, ac proptereà sæpè duo Iridis crura apparent sine vertice; interdùm verò, ex defectu vaporis, vnicum crus apparet. Sic Iris, crure trunco, semipes Iunonis Nuntia,gressum trahebat imparem,vt finxit Poëta.

Collige decimò, cur in parte meridionali nunquam nobis fit Iris; nempe quia non essemus medij, inter vaporem, & Solem: Vapore enim nobis ad Meridiem cubante, deberet Sol in Septentrione reperiri, vt essemus medij. 170

Collige vndecimò,etiam ad Septentrionem vix posse Iridem à nobis cerni; nam *ibi* deberet fieri Iris, Sole in Meridie, vel circa existente, quo tempore maximè super Horizontem eleuatur: Enim verò, si infra quadraginta duos gradus sit, vt in Hyeme, dum non excedit viginti vnum, aut viginti duos gradus in hoc Climate Sol existens in Tropico Capricorni; & feriret nubem aptam ad Aquilonem;adhuc paruum Arcus segmentum appareret, vt suprà ostendi: Igitur Iris fit ad Orientem, Sole ad occasum eunte; vel ad occasum, Sole exurgente: Loquor autem de Iride magna, & vera, quæ duplicata, vt plurimum, apparet; nihil enim obstat, quin radij Solares interdum reflecti queant à nube aquosa ad vaporem sibi lateralem, tam Septentrionem, quàm Austrum versus; & inde ad nos reflexi, plures Irides exhibeant; sic & Vitellio 69. *decimi* testatur, se quatuor simul Irides Patauij conspexisse.


Collige duodecimò, cur Sole propiùs Horizonti existente, maior pars quidem Circuli appareat Iridis; sed tamen Circuli minoris, sicut Sole altiùs ascendente, minor Circuli pars apparet; sed amplioris Circuli: Hoc proposuit Aristoteles; sed non soluit: Interpretes autem eius, varias adducunt solutiones. 171

Olympius respondet primò, id euenire; quia, Sole existente circa Horizontem, Iris est alta, & suo conuexo sublimi euehitur ferè extra vaporis percussiones, quæ sunt semper propè terram: Quare in sua magnitudine apparent: Quando verò Sol est eleuatus, conuexum illud est in vapore crasso: Maius igitur apparet, sicuti & Sol, & Astra, quando sunt propè Horizontem. Secundò id refert ad distantiam, quæ fit maior, quando Iris est Semicirculus totus; quia tunc est sublimior, quàm quando est segmentum, quia est propior semper,ac depressior, nobisque proptereà propinquior;vnde fit, vt hæc maior: illa verò minor appareat:Hæc secunda responsio, nulla ratione, est admittenda; quoniam semper eadem omninò distantia est,ab oculo nostro eiusdem 172

eiusdem Iridis, quantumvis eleuetur, aut deprimatur; Est enim idem conus, idem axis, iidem radij; ea autem eleuatio, & depressio Iridis non fit secundùm lineam rectam; sed circularem, cuius Centrum oculus, &c.

Sed neque prior responsio soluit negotium: Nam partes superioris Iridis viderentur esse partes minoris Circuli: Inferiores verò maioris, quæ semper sunt in crasso corpore: Et si dicat, hanc inæqualitatem, ob distantiam non percipi. Vrgeo; neque ergo percipietur hic effectus, cuius causam inquirimus, qui tamen, tanquam sensibilis, est obseruatus.

Vitellio, quem sequitur Picolom. ad refractionem confugit; putat enim, minui basim 173 illam coni, in qua est Iris, quando Sol est propè Horizontem, ex eo, quod vapores crassi, nondum attenuati à virtute Solis, qui tunc est debilis, refringant Solis radios, tendentes ad vaporem, in quo faciunt Iridem: Huius opinionem subtilem, in eo obscurari, elucidare cōnabor iuxta hoc Paradigma:



174 Sit enim radius Solis A B. reflectere debens Iridem ex B. à vapore D B. Interponatur vapor crassus F N. radius A B. transiens per vaporem densum F N. frangitur in H. versus perpendicularem A D. & progreditur ità fractus ad M. Et vapor sit multum densus, qualis est, Sole posito in Horizonte; eò enim aliquantulum attenuabitur vapor F N. & proinde radius A N. minùs refrangetur in H. progredieturque ad L. Demum eleuato Sole adeò, vt vapor F N. maximè attenuatus, non ampliùs frangat radium A H. progredietur rectà ad B. & secundùm has refractionum varietates basis coni, in qua est Iris, vt primò habeat semediametrum D M. quando Sol est in Horizonte, postea D L. denique D B. Et ità oculus G. primò videt Iridem semicirculam in M. Deinde segmentum ipsius in L. Tertiò denique segmentum adhuc minus in B.

175 Hæc mihi quidem videntur acutè excogitata; non tamen omninò satisfaciunt; quia, licèt radius A H. aptus ex B. reflectere Iridem ad G. propter impedimentum vaporis F N. cogatur descendere ad N M. & L. tamen radius A E. stante vapore F N. refractus in E. recipietur in B. ac proindè, quod erat præstiturus radius A H. præstabit radius A E. & ità ex E. videbitur semper Iris in B. Si absit impedimentum, fiet ibi A H B. si verò adsit, fiet ibidem à radio A F B.

176 Quare soluerem ego dubium ex maiori vaporis D B. distantia; quia enim Sole Oriente, vel occidente, abundat vapor; ideò ... nobis propior est sui superficie, quàm sit, Sole ele..., qui resoluit anteriores eius partes, & propter ipsius superficiem cogit retrocedere; quantò autem superficies vaporis roridi, Iridem reflectentis, est nobis propinquior; tantò minor fit Iris nostro aspectui: & è contra, vt suprà explicui.

QVÆSTIO XVIII.

De Corona, Virgis, & Pareliis.

Coronam sic describit Sanctus Doctor, *libro 2. Compend. Theol. cap. 9.* Corona est albus Circulus, qui quandoque dependet circa Solem, aut Lunam, vel Stellas, & causatur è reliquiis nubium, per Planetarum radios attractis, & illuminatis; Talis autem Circulus signum est serenitatis: Est autem duplex Ascendens, & Descendens; Ascendens fit ex partibus vaporis inflammati in supremo aeris, & videtur ascendere, sicuti, si euolarent scintillæ de Fornace: Albus verò descendens, est ignis detentus in nube; qui tamen expellitur, obuiante nube frigida, & cadit continuè, propter quod videtur, quod Stella cadens sit longa; quia relinquit vestigia casus post se: Hæc Sanctus Bonauentura: Hanc Græci vocant ἅλον, *alon.* 177

Vitellio 68. *decimi*, vult, fieri per refractionem propriam Diaclasim: Putat igitur è quouis maiori sydere A. dependere radios super vaporem substratum E F. G H. & illud penetrare, solamque perpendicularem A L. iuxta naturam refractionum, procedere rectà ad D. Reliquos verò radios, obliquè cadentes in dicta superficie, refrangi ad perpendicularem; & indè refractos vlterius procedere, & tandem coïre, vt sunt radij A B. A C. qui refracti in B. & C. coëunt tandem in D. Oculus igitur positus in D. videret Circulum eadem ratione, quâ videbatur Circulus Iridis: Id ferè, vt reor, vult Fuliens. *2. Phys. cap. 5. art. 4.* & Eustach. *part. 2. Phys. tract. 3. disp. 1. quæst. 7.* Ingen. *lib. 1. cap. 2.* 178

180 Aristoteles tamen vult, Iridis, Coronæ, Virgarum, atque Parellij eandem esse causam, videlicet Anaclasim: Neque sanè vapor ille videtur adeò crassus, vt tanta fiat refractio: Quare si angulus refractionis D C L. paulò minor esset angulo incidentiæ A C L. Paulò ergo minor etiam esse deberet radius refractus C D. radio directo A C. & non possent coïre radij refracti C D. B D. nisi ferè in æquali, imò fortè etiam maiori post vaporem illum distantiâ, quæ est à vapore ad Sydus; & tamen in refractione est ferè maior distantia à vapore ad sydus, quàm à vapore ad nos.

Igitur Aristoteles vult, Coronam fieri per reflexionem, sicuti fit Iris; cùm hoc discrimine, quod in Iride oculus ponitur inter Astrum & vaporem: at in corona, vapor est inter oculū, & astrum: Astrum enim diffundit super vaporem roridum, sibi obiectum, radios suos, quorum vnus recipitur perpendiculariter, & transit, vt est radius
181 A L D. reliqui obliqui recipiuntur, & impingunt in latera guttularum, indeque reflectuntur non solùm in partem superiorem, vt radius A M. A N. ad P. sed etiam inferiorem, vt radij A B. A C. ad D. seruatâ videlicet æqualitate radiorum reflexionis, & incidentiæ, vt in Iride: Ideò coniungentur radij reflexi in A G H. coni A D. illi scilicet, qui æqualibus incidunt angulis, vt dictum est de Iride, quique Circulum in vapore describant; Oculus igitur D. videbit vaporem illustratum circulariter micantem, ob reflexionem radiorum eò concurrentium: Ex hac reflexione fit, vt in eo Circulo maior copia lucis cernatur, quæ est *Corona*, siue *Halo*, nec appareant colores Iridis; quia nimia lux, quæ est super vaporem, impedit omnem opacitatem, quæ
182 possit impedire nostrum visum, & colores producere; nam si esset oculus in puncto B. videret perfectissimam Iridem integro Circulo; Opacitatem enim vaporis, quæ causat colores, adiuuaret opacitas terræ subiectæ, nostrum visum terminantis, quam tollit lux A. manentibus nobis in B. Hæc differunt Moderni quidam Authores.

Mihi tamen discursus hic non placet: Primò; quia talis reflexio ad D. est ficta; cùm enim guttulæ in massam constipatæ sint, non fit reflexio distincta à singulis; sed confusa ab omnibus; vel si à singulis, nequeunt reflecti, nisi vnde radio directo sunt percussæ; non percutiuntur autem, nisi in Hemisphœrico superiori, ob longissimam distantiam, vt patet è Perspectiua; atque adeò nulla reflexio fieri potest ad D. Cùm tamen videatur totus Circulus luminosus ad modum Coronæ, & insuper magnum spatium circum illuminatum, quod paulatim in opacum terminat: Adde, Coronam sæpè fieri, non in nube rorida aquosa; sed albâ, & sterili, serenitatis signo, quippè è reliquiis nubis compactâ, vt monet D. Bonauentura, & cum eo Conimbricenses. 183

Nota primò è Dino Bonauentura, & Collegio *tract.* 4. *cap.* 4. *Meteor.* Coronam sæpiùs fieri circa Lunam, quàm circa Solem; quia Sol, virtute vehementi, dissipat vapores, non sinens, eos adeò coagmentari; At Luna, vt imbellis, circumuallatur non rarò vaporibus.

Nota secundò, quod Astrum percutit vaporem vndique sphœricè, atque agit, vt dissipet; vapor verò se colligit recedens concauè, vt resistat: Itaque radius perpendicularis, & vicinior magis penetrant; cæteri verò partim suprà ad Conum illuminationis reflectuntur; partim, vbi latior infrà est aditus, decidunt ad D. vbi oculus videt Coronam, è reflexione radiorum, à perpendiculari remotiorum, ad angulos obtusos vndique in Coronæ figuram ferientium: Non renuo, plurimos refractos vndique circum descendere, vbi profundior est vapor, & ità è refractione, ac reflexione ostendi nobis aream illam luminosam, vt ait Vitellio. 184

Arbitror, innare etiam exhalationes lucidas intermixtas, quæ reddunt colorem album, non secus atque Cometæ, luci viciniorem, vt notat D. Bonauentura *loco citato*.

Ex his deduco, eos, qui supra vaporem essent, visuros sæpè Iridem circularem; sæpè etiam Colorum plurium varietatem. 185

Hinc multi etiam philosophantur, quid sint virgæ luminosæ; nempè radij sunt reflexi è nube cauâ, è latere Solis sitâ inæquali concretione contextâ; hinc radij, ad nubis cauitatem se adaptantes, perpendiculariter ad terram protenduntur, afferentes oculo virgarum spectra, vt docent etiam Conimbricenses, *cap.* 5. Fuliens. 2. *Phys. cap.* 5. *art.* 3.

Dicunt tamen alij, difficile nobis esse reflexiones illas ad modum virgarum cernere descendentes, nisi fortè segmenta curua appareant: Putant potiùs, seriem illam virgarum esse partes vaporis illuminatas, & colores illos non reflexione; sed directè aspici vapori inhærentes.

Euenit etiam aliquando, vt vapor æqualis nondum cauatus, tersus in fronte; & à tergo terminatus, opponatur Soli, imaginem Solis, tanquam speculum, ostendens: Rursus & alius vapor similis huic oppositus specularis, eandem imaginem, à primo Speculo acceptam, rursus repræsentet; & ità multos Soles, vno tempore, intueamur; aut Lunas, si vapor Lunæ specularis opponatur, & huic alius, &c. Hi dicuntur Parellij; vel Parellesenæ, si Lunæ imagines sint. 186

Svnt

SVNT aliæ etiam massæ vaporosæ in medio densæ, atque profundæ, quæ foueæ dicuntur; & aliæ ingentes, quæ voragines imitantur. Sed de his satis.

187 OMITTO Iridem Lunarem, quam Aristoteles *3. Meteor.* ait posse fieri bis tantum, spatio 50. annorum, in 14. Lunæ; Addit Ingenier *lib. 1. cap.* 4. exigi & stellam vnam è præclaris, cum Luna radiantem. Erit autem Arcus iste subalbus, noctis frigore nubem constipante (ait) Sed rideo, tunc enim cessante solari reflexione, frigus secundæ regionis dispergitur.



DISPVTATIO IV. DE IGNE.

SO cæteris Elementis virtuosior Ignis, quò minùs habet de potentia, totusque versetur in actu, resoluendo terrea in aquosa, aquosa in aërea, & hæc tandem in se, vt habet Seraphicus Doctor *lib. 2. Compend. cap.* 8. Loca in quibus peregrinatur, veluti nobilis hospes, sua Luce illustrat, cum absque claritate in propria Sphœra com-
188 moretur; corpus enim Diaphanum est, ideò illuminabile, nisi opaco societur. Hîc igitur ideò lucet ignis, quia compactus in materia addensatâ, idque patet, quia si Candelam vnam alteri opponas, vmbram facit, vt aduertit *hîc* Sanctus Doctor; quod si in centro suo ignis luceret, aut compactus esset, continuam eclipsim stellis, quæ supra ipsum existunt, offunderet. Hoc Elementum, præclarum Diuini amoris Symbolum, sicut & Iustitiæ ministrum, indicant Sacræ litteræ; id eximiè ostendit Seraphicus *in Diata, tit. 5. cap. 2.* & *lib. 7. Comp. cap.* 15. Hinc applicabitur senescenti mundo, vt Auaritiæ gelu resoluatur, quo sæcula postrema nimis torpescent, vt suprà in limine disputationis 3. *de aqua*, animaduerti cum Sancto Doctore. Quam vero figuram, quemue situm habeat Ignis, supra actum est: Hic de eius Sphœra, motu, & qualitatibus, paucis restat dicendum.

QVÆSTIO I.

An detur Sphæra IGNIS, *& in qua sit.*

PRIMA opinio est negantium Sphœram Ignis, sub orbe Lunæ decantatam. Ità Thomas de Garbo, *tract. 1. quæst. 2.* Cardan. 2. *de subtil.* Valesc. *de Sacra Philosoph. cap.* 1. & 40. *Meteor. cap.* 4. Sagarra, *libro primo de nat. homin. com.* 37. Francisc. Patrit. *lib.* 1. *disquis. Peripat.* Delrius, *lib.* 4. *disq. Mag. cap. 2. quæst.* 2. Scipio Cap. *lib.* 2. *de punc. Phil. Alex.* Tasson. *quæst. var. quæst.* 1. Ticho Brache *lib. 1. Progymnasij*: Aresi. 2. *de Gener. disp. 1. quæst. 3. sect.* 3. Camil. Gloriosus *lib. 4. de Cometis.* Tribuitur Philoni. *lib. de som. Senecæ, lib. 2. natural. qq. cap.* 4. & Plinio, *lib. 2. cap.* 38. Poëtis, apud Authorem Adagiorum, imò SS. PP. Hieronim. *Epist. ad Fabiolam*, August. 2. *de Genes. ad litt. cap.* 3. Plat. *in Timæo*, Zoroastro, Orphæo, Rabbano, Strab. apud Magist. 2. *dist.* 17. 189

SECVNDA sententia in contrarium nititur; & est communis Philosophorum, & Medicorum: Auic. *sentent.* 1. *lib.* 2. vbi Medici, Scaliger. *exercit.* 9. Clau. *in Sphœram*, post Aristotelem, 1. *cæli, cap.* 1. & 3. & 2. *cæli, cap.* 3. & 4. *cæli, cap.* 23. & alij, apud Amicum, *tract.* 8. *quæst.* 1. *art.* 3. Est Diui Bonauenturæ *lib.* 2. *Comp. Theol. cap.* 8. & 9. & *in* 2. *dist.* 14. *part.* 2. *dub.* 1. & *dist.* 17. *dub.* 3. & aliis locis, infra citandis; præclarè *dist. 17. dub.* 1. *litt.* & *dist. 16. art. 1. quæst. 2. ad* 4. 190

ASSERO cùm hac sententia, dari ignis propriam Sphœram.

NITITVR communi consensu Philosophorum; vt refert Martineng. *in Glossa Magna, fol.* 1061. Ità Plato, apud Ascanium, Aristoteles. *lib. de longit. & breuit. vitæ, cap.* 2. vbi quærit, cur ignis sursum corrumpitur, & 2. *cæli* probat, dari ignem, & terram, quia sunt duo loca, sursum, & deorsum. Diuus Basil. *hom. 6. Hexaëmer.* Aug. 22. *de ciuit. cap.* 11. Hieronim. *epist.* 128. Clem. Alex. *lib. 1. strom.* Origen. *homil.* 13. *in Genes.* apud Mastrium, *disp. 4. quæst.* 2. Damascenus, & omnes ferè Patres Græci, qui chaos dixere ità dispositum, vt ignis esset in sua Sphœra. Diuus Ambros. Diuus Thomas, Alensis, & alij apud Ascanium Martinengum *in Glossa magna*, Amicum *tract. citat. quæst. 1. disp.* 1. Saxoniam *primò cæli, quæst.* 4. Sic & Rabbi Moys. teste Hamero.

PROBATVR primò ratione à Diuo Bonauentura *lib.* 2. *Comp. Theol. cap.* 8. Natura non mouetur frustrà; ignis naturaliter mouetur, à centro ad circumferentiam, sursum super aërem: ergo habet ibi Sphœram. Id vrget Eustach. *part.* 2. *Phys. tract. 2. disp. 3. quæst.* 1. 191

CONFIRMATVR, quia omnia elementa tendunt, ad locum naturalem: alioqui nobilissimum elementum non haberet locum. Idem habet Sanctus Doctor *in* 2. *dist.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 2. Hoc argumentum instar omnium acclamant Mastrius, & Bellutus, ipsum Scoto adscribentes.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura *loco citato*, & *cap.* 3. & *seq. eiusdem. lib.* &. *in* 2. *loco suprà mox adducto.* & alibi. Corpora posita sunt in suis locis, iuxta eorum excellentiam; sed ignis inter elementa est supremus: ergo. Id vrget etiam Amicus, *loco citato*, Fuliens. 2. *Phys. c.* 3. *art.* 6.

192 RESPONDET Aresius, per hæc non probari intentum; quia id, quod ascendit, est fumus accensus, non ignis; alioqui deberet ascendere & carbo, & pruna, sicut vter aëre plenus aquæ supernatat: Similiter & cadauera, quia aëre plena sunt; cùm tamen viua descendant ad ima. Confirmat; nam ignis, è tormento bellico erumpens, non ascendit, sed rectâ egreditur viâ; Quòd si ratio vrgeret, deberet dari & Sphœra fumi: affert & D. August. 2. *de Gener. ad litt. cap.* 3. vbi ait, ignem velle quidem sursum ascendere, sed præpollenti conspiratione aëris extingui. Concludit igitur, locum ignis esse supra aërem: attamen non posse illum adipisci.

FATEOR, hæc admodum inconcinna esse; si enim ignis, naturali motu perpetuò conatur ad suum locum tendere, nec tamen consequitur; ergo motus naturalis vniuersaliter semper est frustra: nullus autem naturæ appetitus est frustrà. Ascendit verò flamma, non prunæ, quia hæ terreæ sunt, vt ait, Sanctus Bonauentura *serm.* 9. *de Apost.* flamma autem ideò ascendit, quia ignis est; fumus verò, quia mixtus est ex aëre, & igne: Neque necesse est assignare locum fumi, sed sufficit locus simplicium. Tormentum verò bellicum violenter pellit ignem per fistulam æneam, sic pellit & pilam ferream, & plumbeam grauissimam sursum, vel rectà. Diuus verò Aug. ibi subdit; *Itaque super aërem, purus ignis dicitur esse cælum.* Infert ergo, quòd, licèt ignis paruulus faculæ nequeat spatium totum aëris superare; attamen, quia ad eam partem mouetur, adeò necessariò, vt etiamsi facula capite deorsum verso teneatur, attamen flamma resiliat sursum, ideò necessariò ad suum locum naturalem tendere, vbi est in sua Sphœra, supra aërem. Sic enim per cœlum, intelligunt Patres & aërem, & ignem; vt notat Martinengus, *fol.* 175. *Glossa magna.* Ideò Aresius in fine fatetur, secundum Aristotelem, supra aërem esse plenum exhalationibus calidis, & siccis: ergo est ibi ignis, non aër; vt arguit S. Bonauent. *lib.* 2. *Comp. Theol. cap.* 9. alioqui solum nobilissimum elementum carebit loco. Sanè sub terra vrget, vt ascendat, terramque quatit. Dato verò, quòd nullus ignis, eò perueniat, non adhuc tollitur Sphœra; sicut neque negatur centrum, eò quòd nullum saxum eò pertingat.

OBIICIES primò, cùm Aresio, ex Aristotele. Frustra & insane quærimus rationem, dimittentes sensum, & experientiam; sed nulla experientia ostendit, ibi esse ignem; ergo. Non enim apparet; cùm certo certiùs apparere deberet.

193 RESPONDET Diuus Bonauentura *lib.* 2. *Comp. cap.* 8. motum eius sursum indicare, ibi esse locum proprium; ardêre quidem, & lucêre in materia aliena, non in sua Sphœra, quia compactus non est; si enim in sua Sphœra compactus esset, eclipsaret omnes stellas, quæ suprà ipsum sunt; ne autem id præstet, Deus indidit raritatem. Hîc verò apud nos lucet, ob condensationem materiæ, in qua est.

OBIICIES secundò: Ignis, quando alimento caret, deficit, vt experientiâ patet; ibi autem non adest alimentum igni: ergo nullus ibi ignis ardet.

RESPONDET Diuus Bonauentura, ignem ibi resoluere aliquam partem aëris in se, licèt, ob raritatem parum egeat pabulo, & parum resoluat.

OBIICIES tertiò: Si ibi esset Sphæra ignis, iam totus mundus semper æstuaret.

RESPONDET D. Bonauentura hîc, ignem ibi raritate adeò tenui esse præditum, vt parum ardeat.

OBIICIES quartò: Ignis in illa Sphœra est frustraneus, sufficit enim calor Solis.

RESPONDET Sanctus Bonauentura *lib.* 2. *Comp. cap.* 3. ignem ad complementum vniuersi ibi esse; nec sufficere actiones Sphœrarum, vel Luminarium, sed requiri etiam ignem elementarem. Idem habet *in* 2. *dist.* 4. *part.* 2. *dub.* 1. & in qq. maxime verò *part.* 1. *quæst.* 2. *eiusdem distinctionis.* 194

PRÆTEREA instat, multa placita Antiquorum referens, addensque Scripturam, quæ nullam ignis creati mentionem facit, cùm tria alia commemoret. Deinde quia Rabban. & Strabo, apud Magistr. *in* 2. *disp.* 17. Paradisum in concauo Lunæ ponunt; ergo ibi non est ignis, sed aër; alioqui non possent ibi viuere animalia.

RESPONDET Diuus Bonauentura *in* 2. *dist.* 14. *part.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. Scripturam neque de aëre expressam mentionem habere; sed de solis magis sensibilibus apertè loqui; in separatione verò elementorum, idest, aquarum à terra, intelligenda est distinctio elementorum facta esse. Idem habet *part.* 2. *dub.* 1. *litt.* Hugo verò, & Richard. de Sancto Victore dicunt, ignem, & aërem cœli nomine intelligi. 195

AD illud de Paradiso, respondet Sanctus Bonauentura *in* 2. *dist.* 17 *dub.* 3. *litt.* Paradisi situm esse eminentissimum, adeò, vt eò non conscendant vapores; sed sit aër mundus, & propter puritatem aëris, esse ibi temperatum calorem; neque dici propriè ad Lunam pertingere, quò ad situm, sed secundùm quandam proprietatem; siuè quia ei conformatur in raritate, luminositate, & tranquillitate; siuè quia vapores, quibus dominatur Luna, illuc non pertingunt.

OBIICIES quintò Diuus Hieronim. ad Fabiolam, ait. *Vestis hyacinthina, à capite vsque ad talos veniens, indicat aërem de cœlis, vsque ad terram fusum.*

RESPONDETVR, non dicere *à cœlis*, sed *de cœlis*; sicut autem illa vestis non pertingebat vsque ad summum, sed ad humeros, ità neque aër vsque ad cœlum. At, quòd includat & ignem, patet: nam hæc vestis erat ex bysso, seù lino terræ, ex purpura marina, ex hyacintho aëreo, & cocco igneo. Ideò & sapiens dicit: *In veste enim poderis totus erat orbis terrarum.* 196

QVÆSTIO XI.

An Ignis in Sphæra moueatur naturaliter.

ALIQVI dixêre, moueri quidem ignem in gyrum circa Sphœram, sed violenter. Alij verò, motum illum neutrum esse, nec naturalem, nec violentum. Ità D. Thomas *primo cæli*, *lect.* 11. Auer. 3. *cæli*, *com.* 20. Zabar. *cap.* 8. *de calore cælesti*, *& de motu ignis, in orbem*, vbi & primæ Authores opinionis refert. Farnes. *lib.* 2. *cap.* 14. Mercatus, *assert.* 25.

ASSERO primò, hunc motum esse naturalem, probabiliter, sed imperfectè. 197

PROBATVR: nam à natura, seù potentia passiua habet, vt possit gyrare, nec forma reclamat; verè tamen non est naturalis ab appetitu naturæ. Ex his habes, motum hunc non fore perpetuum; imò quietem perpetuam non fore violentam; quia talis motus à Motore pendet; vt de motu rotæ, vel cœli loquitur D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 38. *art.* 2. *quæst.* 2.

ASSERO

Assero secundò hunc motum posse dici violentum à primo mobili raptore. Vide *tract. 6. 2. 2. quæst. 7.*

QVÆSTIO III.

Vtrum IGNIS *sit decies maior, quàm aër.*

191 FVIT opinio D. Damasc. & Parisiensium, singula elementa, decupla proportione, se inuicem superare. Opposita tamen sententia est Astronomorum; vt habet Clauius, *in cap. 1. Sphæra*: Amicus, *tract. 7. quæst. 6. dub. 3.*

QVO ad Diuum Bonauenturam, authores primæ sententiæ ipsum ad suum placitum trahunt: quia S. Doct. cum Aristotele ait *in 2. dist. 15. quæst. 2. in corp.* ex vno pugillo terræ, fieri decem aquæ, ex vno aquæ, decem aëris; & ex vno aëris, decem ignis: sed verè non id benè inferunt; vt notat Clau. Nam Aristoteles Amic. Clau. ac D. Bonauentura solùm volunt, quòd, si ex tota aqua generandus esset aër, iam esset decuplo maior; &, si ex toto aere
192 ignis fieret, iam decuplo maior esset: non autem volunt, elementa, vt nunc extant, esse in decupla proportione; ita enim deberet materia in omnibus elementis esse æqualiter. Hæc sanè diuersa sunt. Hoc secundum tamen nec Aristoteles, nec D. Bonauent. asserunt. Imò S. Doctor dicit, solùm in mixtione, se peruadere inuicem, in decupla proportione. Quòd verò sit secundæ sententiæ, clarum est *in comp. Theol. lib. 2. c. 3.* licèt, incuria Typographorum, numeri non sint benè summati; vbi enim à centro terræ, ad Lunam habetur milliaria 15625. & subditur, sunt stadia 1260. vult dicere 126630. cùm à centro terræ, ad Lunam sint 33. semidiametri terræ; & semidiameter terræ sit 3579. vt cùm Ptolemæo peritiores computant, relati à Clau. *ad cap. 1. Sphæra*, &. Glielmo, *de gloria Sanct. Trinit. discursu Italico 56.* hi enim, ter trigesies multiplicati, faciunt suprà dictum numerum: ex quo patet, non dari istam proportionem decuplam; alioqui à centro terræ, ad orbem Lunæ essent tantùm 1111. millia milliarium; vt patet in hac subsequenti proportione decupla, 1. 10. 100. 1000. omnes enim hi numeri, in vnum collecti, faciunt 1111. Hoc verò est impossibile; vt Astronomicis patet experimentis.
193 Vide clauium. Ex his habetur etiam terræ diameter, id est, milliarium 2250o. stadiorum verò 18000. Ex quo obiter patet error Librariorum, in excudendo opere Diui Bonauenturæ nam scribunt, milliaria 1562. facere stadia pauciora, nempè, 1260. cùm stadium sit octaua pars milliarij; vt colligitur ex D. Bonauent. *in Diata, tit. 10. cap. 5.* & in *Ioan. 11.* ad ea verba. *Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam, quasi stadiis quindecim*; quod est iter, in Sabbatho olim concessum.
194 ASSERVNT igitur Mathematici, terram asse aquâ maiorem: nam profunditas marium ordinaria ad dimidium milliarij non peruenit, & paucis in locis ad duo, vel tria milliaria descendit, vt nautæ, demissa bolide, experti sunt. Excipe paucissima quædam loca, quorum vada non adhuc reperta sunt, vt Sueuica littora, & quæ Lusitani commemorant, cum his, quæ memorat Plin, *lib. 2. cap. 102.* in mari Pontico, ex aduerso Coraxorum gentis. Cùm autem diameter terræ sit 7500. milliarium, quæ est tertia pars circumferentiæ, iuxta regulas Ptolemæi, sanè multò profundior est terra; vt arguunt Galilæus *in suo Nuntio sydereo*, Fern. *lib. 1. Cosmoteoria, cap. 2.* Amic. *tract. 7. de elem. quæst. 6. disp. 3.* vbi colligit etiam profunditatem aeris, quæ non excedit 52. milliaria; quò perueniunt exhalationes; vt probat Nonius, *lib. de crepusc.* Vitellio, *lib. 10. prop. 60.* Alhazenus, *lib. 1. perspectiua*, Sed profunditas terræ est maior, vt dixi.

EST tamen maior circumferentia aëris, cuius quantitas nescitur; vt docent Conimbr. *3. cœli, cap. 5. quæst. 3. art. 3.* ex Scaligero. *exercit. 39.* Clau. *in cap. 1. Sphæra*, Baroc. *lib. 1. Cosmograph. cap. 2.* Plin. *lib. 2. cap. 23.* & aliis apud Amicum, *dub. 3, art. 1.*

PROFVNDITATEM Ignis Mathematici multi ponunt 120578. milliarium, à summa altitudine exhalationum, ad concauum Lunæ. Itaque magnum in eo excessum agnoscunt; vt notat Amicus, *art. 1.* 195

QVÆSTIO IV.

An calor, & siccitas æquè IGNI *conueniant.*

HÆC quæstio vniuersalis est omnibus elementis. 196

ASSERO primò, è qualitatibus alteram esse intensam in summo, alteram remissam.

PROBATVR ex Aristotele *2. de Gener. text. 23.* vbi ait, Ignem magis esse calidum, quàm siccum; Terram magis siccam, quàm frigidam; Aquam magis frigidam, quàm humidam; Aerem magis humidum, quàm calidum. Probatur etiam experientiâ.

ASSERO secundò, siccitatis qualitatem non esse in igne, per admixtionem contrarij. Idem dic de cæteris, contra Naturales, quos refert Tol. *2. de Gener. quæst. 6.*

PROBATVR: alioqui humiditas esset naturalis Igni; & sic duo contraria naturaliter vni simplici inessent.

OBIICIES primò: Aristoteles *5. Physic. tex. 19. & 2. cœli, text. 33.* & D. Bonauent. *in 2. dist. 3. dub. 2. litt.* & *in 3. dist. 14. dub. 3. litt.* dicunt contrarium non nisi à contrario posse remitti.

RESPONDETVR, hoc verum esse in pugna, seu per actionem; non autem naturaliter.

OBIICIES secundò; sequeretur posse Ignem siccare in instanti, vsque ad octauum gradum. Probat sequela; quia non inuenit resistentiam.

RESPONDETVR, inuenire incapacitatem; debent enim induci dispositiones propriæ, ad intensiorem humiditatem necessariæ. 197

OBIICIES tertiò: Agat aer fortior in Ignem, & pellat siccitatem remissam Ignis, puta, sex gradus; vel inducet formam aeris, vel non; si primum; ergo aer inducetur cum humiditate remissa: si non; ergo stabit Ignis sine aliquâ siccitate.

RESPONDETVR, non posse pelli totam siccitatem, nisi tota humiditas inducatur; non enim vnus gradus siccitatis pellitur ab vno gradu humiditatis; plus enim debet induci humiditatis, vt pellat siccitatem.

QVÆSTIO V.

An CALOR *Ignis, Solis, & Animalis sint eiusdem speciei.*

198 PRIMA opinio est, illum differre specie. Ità Fernel 4 *suæ Philosoph. cap.* 1. & alij.

SECVNDA opinio est negatiua. Ità Diuus Bonauentura *in* 2. *dist.* 17. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corp.* Diuus Thomas, & Colleg. *de Gener. cap.* 3. *quæst.* 7. *art.* 3. citans Seraphicum. Eustachius *part.* 2. *Phys. tract.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 2.

ASSERO cum hac sententia, Ignis, Solis, & Animalium eundem esse specie calorem.

PROBATVR primò: Si differrent specie, vni essent plura contraria, idest, vni cuicumque frigori omnes isti calores.

199 PROBATVR secundò, quia omnes isti calores se mutuò intendunt; est enim calor ille, qui à cœlis producitur, intensior, cum calor ignis ipsi adiungitur.

PROBATVR tertiò, quia ignis producitur in vitro à radiis Solis.

OBIICIES. Calor, in febribus extraneus, lædit calorem vitalem.

RESPONDETVR, lædere quidem ex intemperata eius intensione, non ex aliqua oppositione.

DVBITATIO VNICA.

An aliqua animalia in IGNE *viuant.*

ALIQVI id asserunt de Salamandra. Ità Aristoteles, *lib.* 5. *de hist. anim. cap.* 19. Plin. *lib.* 10. *cap.* 67. Ælian. *lib.* 2 *cap.* 30. Diuus Augustinus, *lib.* 21. *de ciuit. Dei.* .*c.* 4. Olympiodor. *in* 4. *Meteor.* 200

ALIOQVI de animalculis Pyraustis alatis, pennatis, veluti muscis grandioribus, quæ enasci feruntur è fornacibus ærariis in Cypro, idem asserunt cum Aristotele *loco citato* Plinio *lib.* 11. *cap.* 37. CAPITE, verò 3. *de gener. animal.* ait Aristoteles, nullum prorsus animal ab igne posse generari.

ENIM verò de Salamandra id negant Dioscorid. *lib.* 2. *cap.* 52. Galenus *lib.* 3. *de temperat.* D. Thomas *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 3. *art.* 1. *quæst.* 3. Et de omnibus animalibus Aristoteles *loco citato*, Colleg. Probl. *sect.* 4. Ratio est, quia ignis, sua acrimonia, temperiem, ad vitam requisitam, destruit. 201

DIVVS Bonauentura *serm.* 2. *de SS. Phil. & Iacobo*, & *serm.* 2. *de plur. mart.* asserit, pellem Salamandræ, igni iniectam, non vri; sed perfici, cum Aristotele, & Plinio suprà; & D. Aug. *loco citato*, addente idem de Adamante cum Plin. *lib.* 37. *cap.* 4. addens, resistere ictibus mallei, vnde Adamas Græcè ex duritie nominatur: De hoc satis actum est *d.* 2. *in Calce.* Addit S. D. *serm.* 1. *citato* etiam ligna Sethim non comburi, ex his fabricata erat Arca *exod.* 25. 202



TRACTATVS



TRACTATVS VIII. DE CORPORIBVS MIXTIS.



PROOEMIVM.

POSTQVAM quadripartitum orbem occuparint Elementa, ac sedem Sphœramque Actiuitatis suæ vnumquodque sibi vindicarit; mox Mixtorum propagationi impigrè incumbunt: Effundit ocyùs aqua, Diuino vrgente iussu, natatilium ac volatilium bipartitum agmen; vt dum hæc volarent in Aura flabili, ista natarent in Vnda labili; vt ait Diuus Augustinus *lib. 3. de Genes. ad litt. cap. 6.* Gressilium verò gregem stabilis parturit Terra, desuper intereà Cœlis, Sole, Luna, ac Stellis, clariùs effulgentibus. Ita sapientissimus Opifex, Sacræ illius hebdomadis triduo, Lucem à tenebris, Aquamque ab Aquis, & à Terrâ secernendo, impenso; triduum etiam triplicis naturæ impendit ornatui: Quarta quippe die luminosam Astris Naturam, Cœlos scilicet, illustrauit; Die quinta perspicuam, Aquam nempe, & Aërem, suis decorauit incolis: Sexto denique die opacam Terram, inhabitantium Reptilium cœtu, multiplici Bestiarum specie, ac in cæterorum consummationem, Hominis tandem creatione ditauit, vt habet Seraphicus Doctor 3. *parte Centiloq. sect:* 10. Verum vt æmulam Elementorum pugnam compesceret, ita suis singula couclusit centris, vt inito tamen fœdere in vnum omnia confluerent; idemque esset omnium inconfusa mixtione partus; sicque innatum principiorum dissidium, in enato cunctorum fœtu facilè componeretur: Hoc est CORPVS MIXTVM, in quo contrariæ qualitates eâ dominantur æquitate, vt eiusdem eas muneris, ac regni collegas haud absurdè diceres; suas ita prædominij vices pro temporum vicissitudine sibi alternatim cedunt; Hoc in corpore humano, Mixtorum Nobilissimo, exploratum est; huius etenim imperium occupat ignis intensior vis, sex illis horis, quibus altior Sol ad meridiem accedit, receditque; mox tantundem terræ grauedine obtunditur; deinde aquea succedit fluiditas; demum gracilioris aëris subit dominium: Itidem, iuxta ætatum gradus, hominis pueritia, aëris leuitati non absimilis, Adolescentiam flammeis æstuantem affectibus præcedit: Adest mox virilior ætas ad instar terræ ponderibus librata suis: Verum hæc in lapsantem Senectam, humoribus perfusam defluit; vt eximiè discurrit, *in sua Theologia Naturali*, Iuo Noster, quem Theoriæ Naturalis oraculum multi non immerito propalant: Non negarem tamen in quibusdam Mixtis, inanimatis saltem, vnum Elementum perpes dominium obtinere; quare ad mixtionem quidam dixere, aliqua sufficere Elementa, nec omnia omnino requiri; de quo infrà.

DISPV

DISPVTATIO I.

DE CORPORIBVS MIXTIS IN GENERE

1 MIXTIO vulgari loquendi modo fit, quando duæ res, vel plures, sibi peruiæ, in inuicem suscipiuntur, siue res illæ sibi sint in quantitate pares, impares ue: Et quidem hæc mixtionis acceptio impropria est, vt habet Sanctus Doctor *in 4. distinct.* 11. infrà citandus, imo Aristoteles 2. *de Generat. context. vlt.* Sonat enim sic non rarò transmutationem vnius speciei in alteram; hinc ait Philosophus *loco citato* quòd si guttula aquæ misceatur Amphoræ vini, non fiet mixtio, quia prioris species soluitur: Quare propriè mixtio sumitur, quando ita miscibilia vniuntur, vt ex primarum qualitatum vnione, & altercatione in tertiam Naturam alterentur, non verò omnimodè destruantur. Ordo verò mixtionis exigit vt Terræ moles corpulentior priùs ab aqueo humore subigatur; aliàs ob puluerulentam siccitatem citiùs dissolueretur; posteà subintrat Aër per secretiores vtriusque Elementi meatus, quò tota massa, veluti fermento, inflata exurgit; ex his tribus ita intermixtis, & mutuò pugnantibus, aiunt nonnulli, Ignem efferbescere, qui totam litem excellentioris virtutis ostentatione dirimit; Verum hoc facetiùs, quàm veriùs dictum est: Cùm ignis nequeat illis inexistere ante completam compositionem: Quare à Sole potiùs, & Astris, Ignea quædam vis in mixta transmittitur, qua compinguntur, & vltimatè actuantur. Pro varia autem primarum qualitatum remissione, intensione, & ad inuicem mixtione, exoritur varietas illa aliarum qualitatum, virtutum, & actionum, qua tam mixta, quàm impermixta diuersificantur, & in se mutuò agunt, reaguntque, modò excedunt, modò deficiunt; & sic vicissitudine quadam totum orbem circumuolui designant; Verùm vt hæc clariùs elucidentur, illam primò adorimur difficultatem, quâ de numero Miscibilium agitur.

QVÆSTIO I.

An MIXTA *ex quatuor elementis componuntur.*

D. Bonauent. in 2. dist. 15. quæst. 2.
Diu. Thomas ead. dist. quæst. 1. art. 1.

ANSAM disputandi præcipuam præbuit nobis ipse Conditor; dùm Plantæ ex elemento terræ: Pisces, & Aues ex aquis; Quadrupedia verò è terra euocantur. *Germinet terra herbam virentem*, tertia die. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram*, quinta die. Tandem die sexta. *Producat terra animam viuentem, in genere suo, iumenta, reptilia, & bestias terræ, secundum species suas, & factum est ità*; vt notauit D. Bonauent. *in 2. loco citato.*

2 SVPPONO primò, hæc animalia, non solùm seminaliter, sed formaliter esse producta his diebus; vt notat D. Bon. *dist.* 15. *q.* 1. *in corp.* & *in dub. litt.*

PROBATVR à Diuo Bonauentura ex verbis illis: *dixit Deus: fiant volatilia, &c.* Ità & Suarez, *lib. 2. Hexaëmer. cap.* 10. *num.* 2.

3 SVPPONO secundò, cum Diuo Bonauentura *dist.* 15. *quæst.* 1. *in corp.* hanc productionem non fuisse ex nihilo; & ideò non fuisse creationem propriè; licet aliquando dicatur creatio: *Creauit Deus Cete grandia, &c.* Dicitur enim: *Producant aquæ. Germinet terra.* Ità & Suarez, *loco citato, num.* 3.

TRIA igitur agmina animalium, & acies plantarum creauit Deus. Mirabilis est plantarum sylua; admirabilia animalium castra: de quibus vide Gliel. *de glor. SS. Trinit. discursu primo.*

HIC verò non de mixtis accidentalibus ago, qualia sunt aggregata, vt cumulus granorum milij, hordei, & tritici, sed de substantialibus: de quibus vide Diuum Bonauenturam *in 3. d. 6. art. 2. quæst.* 1. & Aristotelem 1. *de Gener. cap.* 10. *in fine*, sic definientes, *Mixtio est miscibilium alteratorum vnio.*

4 SCOTVS *in 2. dist.* 15. *quæst. vnica*, negat, plura miscibilia Elementa ad corpus mixtum requiri. Idem vult Tol. *tract. de mixt. qualit.* Picolom. *de corpore mixto, cap.* 13. Hi tamen virtualem existentiam

virtualem existentiam Elementorum in eo concedunt. Aref. verò, 1. *de Gener. disp.* 7. *quæst.* 50. solam terram, & aquam formaliter, cætera virtualiter admittit. Ægid. autem, *dist.* 18. *quæst.* 8. *art.* 2. mixta perfecta, ex omnibus fieri Elementis; imperfecta verò, ex aliquibus tantùm, astruit resultare.

HANC video esse sententiam Diui Bonauenturæ *in secundo, distinct.* 15. *art.* 1. *quæst.* 2. *& 3.* & *distinct.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. Alens. *part.* 2. *quæstione* 53. *art.* 1. *quæst.* 1. *litt.* Richard. *art.* 1. *quæst.* 1. Argent. *art.* 1. Titel. *lib.* 5. *cap.* 16. *&* 17.

ASSERO, ad omnia mixta perfecta internenire quatuor elementa componentia.

5 PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *fund.* 1. quod est Aristotelis 2. *de anima,* loquentis de animalibus; vbi, è sensu tactus, in sentiente quatuor qualitates, colligit existentiam Elementorum, quæ quatuor qualitatibus armantur. Sensus enim est operatio animæ in corpore, secundum conformitatem organi ad suum obiectum.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, in animalibus, ex multiplici motu progressiuo, dilatatiuo, &c. Certum est autem, vnicum Elementum vnico motu cieri.

PROBATVR tertiò à Diuo Bonauentura ex multitudine operationum, quas habent mixta, præcipuè animalia, ad quas necessariæ sunt diuersæ virtutes, atque adeò naturæ.

PROBATVR quartò, ex nobilitate animæ, quæ nobilius subiectum requirit; nobilius autem est corpus mixtum, quàm Elementum.

6 OBIICIES primò Genes. 1. Deus ex simplicibus Elementis eduxit mixta: *Germinet terra herbam, &c. Producat terra omne animal. Producant aqua, &c.*

RESPONDET Perer. *Tom.* 1. *in Genes. lib.* 1. *cap.* 1. *ad vers.* 20. Sic primò, animalia ex Elemento aliquo esse producta, vt tamen Elemento aquæ reliquas formas Elementorum addiderit; adscribi verò vni Elemento, putà, aquæ, aues; & pisces; terræ autem quadrupedia: quia hæc Elementa sunt in eis prædominantia.

HANC responsionem sumpsit ex D. Bonauentura, *quæst. citata.* Quòd verò aues omnes etiam ex terra sint, patet: nam *Genes.* 2. habetur: *Formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, &c. adduxit ea ad Adam*; vbi humus humorem etiam aquæ includit. Ideò non erat necesse, vt Valentia, *disp.* 5. *quæst.* 3. *punct.* 5. *col.* 961. adeò laboraret contra Caietanum, & Catherinum, ex hoc loco deducentes, Aues, non ex aqua, sed è terra factos: nam humus humorem includit; vt ait Diuus Bonauentura 3. *dist.* 13. *in corpore*, non meram terram, aridam; ideò ruit eorum fundamentum, ex responso Diui Bonauenturæ, quod afferam, *disp.* 2. *quæst.* 1. Nec repugnat secundus textus priori: *Producant aqua omne volatile.* Hoc indicat Diuus August. 9. *de Gener. ad litt. cap.* 1. relatus à Suarez, *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 16. vbi etiam responsionem Diui Bonauenturæ laudat.

7 AFFERT Sanctus Bonauentura aliam responsionem, *ad* 5. producta esse animalia ex quatuor Elementis, quæ non sunt pura, sed mixta; secundùm verò eam partem, quà se magis contingunt, denominari: & sic aquam, quæ partim cum terra, partim cum äere miscetur, dici materiam Aquatilium, provt cum terra magis miscetur; Auium verò, secundùm eam partem, quà miscetur aëri. Hinc multi, aues ex aëre factos, aiunt. Ità Diuus August. *lib.* 3. *de Genes. ad litt. cap.* 3. & *in Imperfecto, cap.* 14. Beda *in Hexaëmer.* Ruper. *lib.* 1. *in Genes. cap.* 50. & Eucher. *hîc,* Diuus Thomas *quæst.* 71. & Suarez *loco citato*, *num.* 17. qui cum Sancto Bonauentura concordat etiam hos authores, qui, ex aëre formatos aues, dicunt. Imò Sanctus Bonauentura *dist.* 15. *quæst.* 3. idem cùm ipsis astruit; de quo *disp.* 2. *quæst.* 1.

OBIICIES secundò. Forma nobilior debet habere subiectum nobilius; sed anima est forma nobilior; ergo debet habere subiectum nobilius; hoc autem est corpus simplex: Nam simplicia sunt compositis perfectiora. Confirmatur: Nam forma debet proportionari materiæ: Anima autem est simplex.

RESPONDET Sanctus Bonauentura, formam debere habere corpus, idest, subiectum, proportionatum suis operationibus; &, vt forma est actuans, & plura operans, ad hoc necessarium est corpus mixtum: &, licèt in spiritualibus simplicitas sit stemma perfectionis, prout ad Deum acceditur; attamen in corporalibus non est ita; nam corpus ex multitudine perficitur. Ità Syruppus compositus est perfectior, quàm liquor simplex, cæteris paribus. 8

OBIICIES tertiò: Sydera, ornantia cœlum, sunt eiusdem naturæ cum cœlo: Ergo & animalia, quæ ornant terram, è terra; & quæ aquam, ex aqua facta sunt.

RESPONDET Sanctus Bonauentura, non esse simile; quia corpora, ornantia cœlum, non habent tam varios motus, & actus à se; ideò non egent organis.

OBIICIES quartò: Ex iisdem composita sunt prima mixta, & hæc, quæ nunc sunt; sed prima non fuêre ex quatuor Elementis; alioqui Elementa, per violentiam, extra Sphœram starent; ergo corpora mixta essent contra naturam: neque verò in potestate naturæ est facere, vt ignis descendat in aquam, ad pisces progignendos; terra in aërem, ad aues efformandos, &c.

HOC argumento oppressus Ruuius, *tract. de mixt. quæst.* 1. *num.* 9. cum aliis Modernis concedit, naturaliter nunquam dari mixtionem ex omnibus Elementis; quia repugnat, ignem congregari, siuè in terra, siuè in aëre, & hoc ait, ab omnibus ferè Recentioribus asseri.

SERAPHICVS verò strenuè soluit argumentum, dicens, ad compositionem mixtorum non inferri, aut à Conditore esse illatam vim naturæ elementorum: quia tam aqua, quàm terra non sunt elementa pura; sed terra præcipuè ignem continet, ac continuò genitum ex bituminibus fouet; ideò, quà parte fuit Conditori materia mixtorum; exhibuit etiam ignem, similiter & aërem, & aquam; sicuti & aqua aërem, & aër aquam, & ignitas exhalationes. At demus, illa esse Elementa simplicia, in vno Elemento sunt cætera in potentia, & ex vno possunt fieri omnia; si adsit virtus alterans, & actiua, sine alia mutatione locali; atque adeò sine violentia. Itaque in productione mixtorum, natura 9

non trahit violenter ignem ad terram, aut aquam, aut aërem; sed eum ignem, qui vel est in terra, vel generatur à Sole, aut aliis agentibus, componit ad mixtionem animalis; sæpè verò non est necesse, vt ignis de nouo gignatur, *verbi gratia*, in auibus producendis, vel piscibus; quia in ouis, vel in fœtibus clauduntur quatuor Elementa, ex generatione, vel, si fit in aliis, generatio ignis non est violenta: quia enim natura semper appetit, quod melius est; vt ait Philosophus, materia, quæ est sub forma Elementari, appetit esse etiam sub alia, *verbi gratia*, ignis, vt fiat mixtum, quod melius est Elemento; & quæ est sub forma mixti, appetit esse sub forma, magis completa; ideò, cùm è pluribus Elementis fit mixtio, appetitus innatus materiæ completur, & violentia nulla infertur. Fateor verò, aliqua mixta imperfecta non ex omnibus Elementis constare, vt Nubes, Sal, &c.

QVÆSTIO II.

Vtrum Elementa sint in MIXTIS *formaliter.*

10 PRIMA sanè opinio est, elementa solùm virtualiter in mixto reperiri. Ità Diuus Thomas, 1. *de Gener. ad text.* 84. & *prima primæ quæstione* 76. *ad* 4. *articul.* 4. Scotus, *in secundo, distinctione* 15. *quæstione, vn.* Caiet. *ad hunc locum Diui Thomæ.* Capreol. *in secundo, dist.* 15. *art.* 1. *concl.* 2. Iauel. *tom.* 3. *cap.* 3. *lib.* 1. Zanard. 8. *Metaph. quæst.* 11. Fauent. *Theor.* 60. *cap.* 4. Vulpes, *tomo secundo, parte secunda, disputatione* 38. *articul. vltim.* Ægid. *in secunda, dist.* 18. *dubitat.* 2. *litt.* & *quæstione prima, articulo secundo*, Arimin. & Argent. *ibid.* Duran. *dist.* 30. *quæstione prima*, & *in quarto, distinctione* 15. *quæstione prima*, & *in quarto, dist.* 13. *quæst.* 3. Gabr. *dist.* 15. *quæstione vn. articulo secundo*, & alij Nominal. Rocc. 1. *de Gener. quæstion.* 31. Eustach. *parte secunda, tractat.* 2. *quæstione* 13. Fulien. 2. *Phys. capite* 5. *articulo primo*, Iunet. *tract.* 7. *capite* 15. Titel. *lib.* 5. *cap.* 15. Tol. *prim. de Gener. quæst.* 17. Colleg. *ibi cap.* 10. *quæst.* 5. *articul.* 2. Suarez *in Metaphysica, disputat.* 15. *section.* 10. Fonsec. 5. *Metaphica, capite secundo, quæst.* 1. *section.* 1. Ruuius, *libro primo, de Gener. cap.* 10. *tract. de mixtione, quæst.* 4. Hurtad. de Mendoza, *disp.* 6. *in lib. de ortu, sect.* 6. Collius *de Sanguine Christi, lib.* 4. *disp.* 4. *cap.* 3. Aresf. 1. *de Gener. disp.* 7. *quæst.* 51. *sect.* 4. Hi tamen variè tuentur hanc sententiam; aliqui enim dicunt, manere virtualiter hoc esse, vt permaneant non solùm virtutes actiuæ, qualitates scilicet; sed etiam formæ substantiales; non tamen formæ ipsæ, & qualitates formaliter, sed tantùm virtute: ità Scot. *loco*

11 *citato*, Greg. & Gabr. *dist.* 16. Ægid. 2. *de Gener. ad text.* 48. Faber suprà. Dant aliqui exemplum; sicut enim in colore medio, puta viridi, continentur extremi, albus, & niger, virtute; ità in mixto continentur elementa.

ALII volunt, ea manere virtualiter; quia remanent veræ qualitates, quæ sunt virtutes actiuæ. Ità Caiet. *loco citato*, ad quem propè accedit Ruuius *quæst.* 4. *in dub* Diuus Thomas Ægid. Marsil. & Buccafer. Porrò hanc sententiam aliquo modo tuentur omnes Thomistæ, Scotistæ, & Iesuitæ, quos lege.

SECVNDA sententia est, elementa formaliter in mixto reperiri. Ità Auicen. 1. *suffic.* Philopon. *ad* 1. *de Gener. text.* 74. Albert. *ibid. tract.* 6. *capite quinto, & libro tertio de cœlo, tract. secundo, capite primo, & octauo*, Nyphus, 1. *de Gener. comm.* 218. *quæstione* 12. & 8. *Metaph. distinctione quarta*, Iand. 6. *Phys. quæstione quarta*, Zima. *Theor.* 48. Scaliger. *exercit.* 101. Contaren. *in lib. de element.* Aquil. *libro tertio de element. articulo tertio*, Vega, *libro primo de arte medic. capite primo*, Thomas de Garbo, *libro primo, sum. medic. titul.* 1. *quæstione prima*, eamque tribuit Galeno, *lib. de substant. nat. ad finem*, & 2. *Methodi, capite secundo*, Aureol. *in secundo, distinctione* 17. Auerro. 2. *de Gener. com.* 90. *& libro tertio de cœlo, com.* 67. Zabar. *lib. vn. de mixt. capit.* 7. *&* 8. Baccon. *in* 3. *dist.* 16. *quæstione vn.* Picol. *de mixt. capite* 9. Senert. *de consensu Chimic. capite* 12. Mercat. *tom.* 1. *quæstione* 33. 12

HÆC est sententia Diui Bonauenturæ *in secundo, distinct.* 15. *articulo primo, quæstione secunda, & tertia*, & *distinct.* 17. *articulo secundo, quæstione prima*, maximè ad 1. *& quæstione secunda*, & *ead. distinct. quæstione vlt.* & *in* 3. *dist.* 6. *articulo secundo, quæstione prima*, & *in* 4. *dist.* 49. *art.* 4. *quæst.* 1. post Alens. *part.* 2. *quæst.* 77. *in* 2. *art.* 1. *&* 2.

Hi tamen diuisi sunt in modo explicando.

AVICENNA, *loco citato*, vult, remanere in mixto formas substantiales Elementorum integras, facta castigatione in solis qualitatibus. Idem habet Albertus *tractat.* 6. *capite quinto.* 13

AVERROES vult, tam formas substantiales, quam ipsas qualitates refractas in mixto iacere. Itaque secundùm istos, sunt quatuor corpora substantialia, & quintum ex his mixtum. Videtur Diui Bonauenturæ, *loco primo, adducto in corpore.*

ZABARELLA, post Bacconium, vult, mixtum esse medium, ex Elementis compactum: ità tamen, vt specie, ab omnibus, & singulis differat elementis; ita vt sit tertia natura, ex quatuor elementis. Id etiam probabile putat Aresf. *loco citato ad calcem*: quia (inquiunt) sic Elementa in mixto remittuntur, vt tertiam constituant Naturam.

AVREOLVS verò vult, formas Elementorum manere fractas, sicut litteræ. S. *verbi gratia*, in compositione syllabæ, SIS: Nam priùs sonabat. S. quasi ES, posteà verò aufertur realitas illa soni E. manente tamen essentia. S. Sic, ait, auferri aliquam realitatem Elementi, manente essentia elementari.

AT Sanctus Doctor *in* 3. *dist.* 6. *lib.* 1. relatus à P. Galitio, *parte secunda sum. lib.* 4. *text.* 1. *quæst.* 3. *numero* 11. vult, Elementa priùs in se inuicem alterari, ac corrumpi, posteà produci mixtum, quod est tertia entitas, includens formas Elementorum, consequutas illam perfectionem, ad quam ordinantur, nempè, vt componant Mixtum; quòd sanè est veluti totum, à partibus distinctum, & vltimum, in quo est subsistentia; 14

stentia; sicuti in animalibus, anima est forma, in qua est vltima perfectio, & totum simul animal substantiale vnâ subsistit subsistentiâ. Hæc ratio mixtionis, si rectè percipiatur, omnia argumenta aduersariorum euertit, quæ obiiciunt; quòd si plura Elementa essent in mixto formaliter, vel esset aggregatio, non mixtio; vel penetratio, quòd essent plura subsistentia, &c. Post Diuum Bonauenturam incedunt Zabarella, & Piccol. cùm Baconio; vt refert Faber. *cap.* 3.

15 Assero primò, Elementa manare formaliter in mixto.

Probatur primò à Diuo Bonauentura *in dieta salutis*, *tit.* 1. *cap.* 3. initio, & *tit.* 8. *cap.* 3. ante medium, *ex Genes.* 2. vbi Deus ad Adam ait. *Puluis es, & in puluerem reuerteris:* Vbi LXX. *Terra es, & in terram ibis*: vbi non solùm materiam, ex qua, velut terminum, à quo Adam compactus est, astruit; sed etiam formam terræ, de præsenti, cuius argumentum est clarum: quia vnumquodque resoluitur in ea, ex quibus componitur: Deus autem ait, *in terram ibis*, vel *in pulnerem reuerteris; quia terra es.* En, totum argumentum est Diuinum; vt omittam, id esse Aristotelis, relatum *de Gener. lib.* 1. *text.* 88. vbi ait, miscibilia posse iterùm separari à mixto, & mixtum resolui in Elementa; ex resolutione enim compositio colligitur; vt notat Senertes, *de coloribus*, contrà Peripateticos, post Diuum Bonauenturam *in Dieta, loco citato*, secundò.

Respondet Fauentinus *capite* 5. *ad* 7. generari sanè ex mixto Elementa, non tamen eadem numero separari, quod valde diuersum est; & hoc solùm ait Aristoteli in mentem venisse. Ex quo arguit pro sua sententia: Signum ergo est etiam Elementa non manere in mixto, secundùm substantiam, sed secundùm similitudinem tantùm: Sic ex cadauere generatur terra, ab igne comburente; qui conatur vertere in ignem; sed, cùm nequeat, ob resistentiam passi, cui terra dominatur, ideò in terram vertit.

16 Languida certè responsio; nam Deus non dicit, generari de nouo terram, è mixto humani corporis, sed mixtum resolui, & reuerti in terram distinctam; sicut nunc terra est, quia habet formaliter terram in compositione. Idem habet Aristoteles.

Respondet Fauent. circa finem, resolutionem nil facere pro nobis: Nam fatemur, Elementa corrumpi, nec manere eadem numero, sed specie.

At iste Doctor non vult, nos intelligere: Nam, licèt in mixtione corrumpantur, & alia numero distincta gignantur: attamen hæc eadem numero, quæ actu sunt in mixto, sunt ea, quæ in resolutione mixti separantur. Vndè laborat in æquiuoco. Hinc ait Deus. *Puluis tu, & in puluerem reuerteris:* Ex Hebr. אתה Tu indiuidue signatur.

17 Probatur secundò à Diuo Bonauentura *ad cap.* 29. *vers.* 34. *Ioannis*, ad ea verba, *Lancea latus ejus aperuit; & continuò exiuit Sanguis, & Aqua*; & id indicat etiam, *serm.* 1. *in Parasceue:* Christus è latere veram effudit aquam; vt se verè hominem compositum ex quatuor Elementis, demonstraret. Notandum verò pro huius argumenti soliditate, de fide esse, è latere Christi veram aquam profluxisse; vt notat Suarez, *parte tertia, quæst.* 51. *art.* 3. *sectione prima*, sic enim definita est ab Innocentio III. Cap. *In quadam nostra, de celebratione Missarum*: & habetur *in libro tertio Decretal. Gregorij, tit.* 41. *cap.* 8. contra audentes dicere, non veram aquam; sed Pituitam effluxisse: & sanè Euangelista, aquam esse testatur; & subdit, se verum testimonium reddere de visu. Neque verum est, quod aliqui ferunt, naturaliter in corpore mortuo frigescente, gigni aquam, per resolutionem phlegmatis; (quos refert Abulens. *paradox. secunda, capite* 29. *&* 30.) & ità potuisse accidere corpori Christi; quia, vt notat Suarez, neque aqua potuit tam citò gigni: alioquin idem eueniret etiam aliis cadaueribus, quod est falsum.

Vult ergo Innocentius eam aquam, sicut & sanguinem miraculosè erupisse, vt veritas humanæ naturæ assumptæ, illo testimonio probaretur: de quo Ioan. prima Epistola can. cap. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis.* Spiritus enim clamore emissus, & Patri commendatus, testatus est, fuisse in Christo veram animam rationalem; Sanguis vero, & Aqua testati sunt, corpus Christi fuisse verum, compositum ex quatuor humoribus, quorum præcipuus est sanguis, & ex quatuor Elementis, quorum vnum est Aqua, quæ ad huiusmodi ministerium magis erat apta, quàm cætera: Significabatur enim ablutio, per Baptismum, & sanctificatio Ecclesiæ; vt habetur ad *Ephes.* 5. & *Ioan.* 5. Diuus Ambros. *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 1. Cyprianus *de Montibus Sina, & Syon, in fine; & serm. de passione Christi, in fine*, Tertullian. *lib. de Baptism. capite nono, &* 16. adiuncto Hieronymo, *Epist.* 83. Vide alios, in Suarez. *Tom.* 2. *parte tertia distinctione* 30. *sect.* 3. 18

Videamus ampliùs, quid Pontifex addat: Cùm igitur, *allegato loco*, ex fluxione aquæ, & sanguinis, ac emissione Spiritus, id deduxerit, quod nuper dixi subdit: *Per hoc autem, quòd sanguis exiuit, & aqua, probatur apertè, quòd Christus verum corpus habebat; Cæterum, sicut fuit verus sanguis, ità procul dubio vera aqua: Nam, si non fuisset aqua, sed Phlegma; ille, qui vidit, profectò non aquam, sed phlegma dixisset: nec in hoc verum regenerationis Sacramentum fuisset ostensum; cùm in Sacramento Baptismi non regeneremur in Phlegmate; sed in aqua; neque per hoc posset vero argumento probari, quòd in Sacramento Eucharistiæ admiscenda sit aqua vino. Restat igitur, vt qualiscunque fuerit illa aqua, siuè naturalis, siuè miraculosa (intellige, quo ad effluxionem, nam & effluxio sanguinis mira fuit,) siuè de componentibus, ex parte aliquâ resoluta, procul dubio vera fuit; cùm naturaliter poßit, & compositum in componentia, & elementatum in Elementa resolui. Cùm autem ad compositionem humani corporis quatuor Elementa concurrant, videlicet, Terra, Aqua, Aër, & Ignis; & ad vegetationem eiusdem corporis, quatuor* 19

20 *humores, illis consimiles conueniant, videlicet, sanguis, cholera, phlegma, & melancholia; vt veritatem humani corporis expreßius demonstraret, vnum ex illis; & vnum ex istis Ioannes expresſit; illaque potiùs ex illis, & ex istis, quæ magis mysterio congruebant; ex elementis aquam, & ex humoribus ſanguinem, in quibus duobus, duo maxima Sacramenta, videlicet, redemptionis, & regenerationis, elucent.* Huc vſque Pontifex Maximus. Hîc siste, vt mente reuoluas necessarium penitus fuisse, aquam illam
21 ex componentibus Elementis extitisse: alioquin, si Diuina virtute creata, & in eo posita fuisset, non argueret verum corpus, ex quatuor elementis compactum; ſicuti nec aqua, quæ è ſilice excussa fuit miraculosè à Moyse, vel quæ è marmoreis vasibus erumpit, indicat lapides illos, ex aqua compositos; ſed tantùm esse vasa aquam deriuantia. Ex hoc principio declarat Pontifex, è corpote Christi veram aquam emanasse, quia è quatuor compositum Elementis, & tale se voluisse comprobare vnius ex illis emissione; ſicuti ad ostendendum è 4. humoribus constare; verum sanguinem inter eos præcipuum fudit; Non definit autem: vtrum aqua illa fuerit è parte corporis aliqua resoluta; eò quòd ſanctissimum corpus non erat visurum corruptionem, & ideò ad intenta mysteria baptismi signanda concessa fuerit, ex vna parte, illa aquæ resolutio: an verò diuinitus expressa. Sanè & naturaliter id fieri potuisse astruit, quippe corpus Elementatum, seù Elementis formaliter actu compositum, potest in Elementa ipsa resolui. Vult itaque humanum corpus, & cætera mixta è 4. Elementis, ita constare Elementis, vt ibi sint formaliter, & per resolutionem separentur. Idem habet etiam Aristoteles 5. *Metaph. text.* 4. vbi ait: Elementum est, ex quo componitur res, & manet in eo; & *text.* 3. ait, Elementum esse id, ex quo inexistente fit aliquid.

Miror autem Fauentini, *cap.* 5. responsionem, Aristotelem per Elementum, accipere materiam primam, cùm, luce clariùs, de Elementis loquatur, vt patet in exemplis; confert enim Elementa cum aliis corporibus; at materia non est corpus. Deinde affert exemplum litterarum, in compositione nominis. Verum pro his vellem, responderet ipsi Pontifici.

22 Probatur tertiò, à Diuo Bonauentura *in* 2. *dist.* 15. *quæst.* 2. *fund.* 1. Sensus est operatio animæ in corpore, secundùm conformitatem organi, ad obiectum; ſed quodlibet animal habet tactum, qui est perceptiuus quatuor qualitatum formaliter, & radicatur in quatuor Elementis, nec potest esse qualitas, absque natura sua naturaliter: Ergo quodlibet animal componitur ex quatuor Elementis formaliter.

Respondet Fauentinus, has qualitates esse solùm similitudines Elementarium.

At hoc vanum est: Nam intendunt qualitates Elementares, & intenduntur ab illis, atque sunt oppositæ; vt calor frigori Elementari; si autem qualitates essent diuersæ ab Elementis, iam vni calori, *verbi gratia,* naturali, plura essent opposita, idest, frigus mixti, & frigus Elementi aquæ, & terræ, quæ sunt absona.

23 Probatur quartò à Diuo Bonauentura *fund.* 2. quia motus naturalis est signum corporis, cuius est passio; ſed in mixto sunt motus, sursum, & deorsum, similiter delatationis: ergo signum est, ibi plura esse Elementa; vt mixtum ità moueatur.

Respondet Faber, cùm Scoto, prædominium Elementi in mixto attendi penes qualitatem, in qua Mixtum magis assimilatur Elemento.

Contra: nam Aristoteles, ait, esse ab Elemento prædominante. Præterea, cùm illa qualitas habeat eundem effectum cùm Elementari, scilicet, mouere sursum, vel deorsum, signum est, esse eandem naturam: Nam vna operatio sequitur vnam naturam, & varia operatio variam naturam; vt arguit Diuus Bonauentura, *fund.* 3.

Probatur ergo quintò à Diuo Bonauentura, *fund.* 3. & *in corp. cit. quæst.* Corpus animalis debet esse organicum, & aptum ad diuersas operationes; sed non esset tale per vnicam naturam mixti, excludentem formas Elementorum: Nam diuersitas virtutum diuersitatem naturarum sequitur, & arguit; nec esset mixtum ex diuersis naturis, nisi ex eis esset compositum; si enim sola esset forma simplex mixti: Ergo mixtum habet de mixtione solùm accidentia, & substantialiter non est mixtum; cùm non sit compositum. 24

Respondet Ruuius *num.* 44. mixtum, ex parte substantialis formæ, non esse magis compositum, quàm Elementum; esse tamen magis compositum ex qualitate; quia vnum Elementum duas solas qualitates postulat; at mixtum omnes; ex qua compositione accidentali fit, vt forma substantialis dicatur magis composita, quia postulat plures simul dispositiones.

Contra; quia mixta formaliter substantialia, dicuntur corpora, in genere mixti: Ergo sunt secundùm rationem corporis substantialis diuersa. Deinde verò non soluit argumentum; imò vrgetur à Diuo Bonauentura, quia virtutes, siue qualitates sequuntur naturam: Ergo plures qualitates, plures naturas substantiales sequuntur; sed in mixto, per te sunt omnes qualitates Elementorum: ergo signum est, ibi esse etiam earum principium.

Probatur sextò à Diuo Bonauentura *quæst.* 3. *dist.* 15. *fund.* 1. ex illo Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem. Producant aquæ reptile; & motabile. Producat terra, &c. iumenta, & bestias:* vbi scriptura efficientiam non adscribit Elementis; vt omnes aduersarij concedunt, præcipuè Suarez, *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 7. adducens Basil. Ambros. Chrysostomum in Genes. Lyram: Abul. Perer. Ascan. & alios; insuper Diuum Thomam, 1. 1. *quæst.* 71. *art. vn. ad* 1. Non enim elementa naturalem vim habent, *verbi gratia,* terra, ad iumenta, & plantas producendas; neque aqua ad pisces; Neque credendum est, elenatum esse elementum ad supernaturalem potestatem. Idem habet Suarez, *cap.* 10. *num.* 3. ergo solam materialem causalitatem habuêre; ea verò fuerunt vera elementa formalia: ergo ex his quidem, vti magis prædominantibus, ex aliis verò etiam inclusis componuntur mixta: Alioquin, si sola elementorum materia esset remanens formaliter in mixto materiali, dicerentur Elementa esse materia mixtorum, cùm elementa à formis talia sint, non autem à materia. 25

Probatur septimò, à Diuo Bonauentura *fund.* 1. 26

fund. 2. Ex eisdem componuntur animalia, quibus nutriuntur, ex Aristotele 2. *de Gener. text.* 4. & *text.* 50. Sed nutriuntur rebus, in quibus sunt verè elementa, maximè terrâ, & aquâ; ergo. Minor probatur, in pane, & sexcentis esculentis, & poculentis; maximè verò ex alimento plantarum, quod est aqua, & terra mixta.

Si dicant, adesse qualitates. Contrà: quia, vt arguit Sanctus Bonauentura *in* 4. *loco citato*, nos sumus substantiæ, non accidentia: atque ideò non nutrimur accidentibus.

27 PROBATVR octauò, à Diuo Bonauentura *fund.* 3. Ex iis maximè colliguntur elementa, quæ eorum formas sequuntur, vt sunt qualitates, & actus; vt motus, & etiam quies. Sic terra probatur, quia quiescit in centro, & si in alto suspensa, nititur cadere, pondere vincula rumpens; Sed corpora multa sic quiescunt; vt sunt metalla, corpora quadrupedum; & plantarum ergo verè habent terram, à prædominio; sic de aliis licet Philosophari.

RESPONDENT aduersarij, habere qualitatem, similem grauitati Elementi. At suprà ostensum est, vnum specie actum, ab vna specie virtute; & hanc ab vna natura prouenire, vt arguit S. Doctor *quæst. præced.*

28 PROBATVR nonò à Diuo Bonauentura *fund.* 4. Quia in constitutione animalis sunt præcipuè membra, quæ per humores nutriuntur. In membris autem sunt qualitates terræ, maximè, & aquæ; in humoribus verò, maximè aquæ: ergo signum est, ibi esse hæc Elementa.

PROBATVR decimò à Diuo Bonauentura *argument.* 1. *ad opposit.* quia, inter qualitates Elementates, præcipuè sunt calor, & humiditas; sed hæ maximè alunt, & fouent animal: Ergo in hoc sunt Elementa, è quibus manant; & sanè qualitates iuuantur à Symbolis, læduntur à dessymbolis Elementorum: Ergo sunt eiusdem speciei.

PROBATVR vndecimò à Diuo Bonau. *arg.* 2. Lux est id, quo mediante, corpus vnitur animæ, ex Diuo Augustino, *lib.* 1. *de Genes. ad litt. capite tertio*, & *lib.* 7. *cap.* 15. & *de spiritu, & anima, cap.* 54. Sed lux est proprietas ignis, & corporum cœlestium; corpora verò cœlestia non ingrediuntur compositionem sublunarium, vt ipse ostendit, *disp.* 17. *art.* 2. *quæst.* 1. & nos infrà, *disp.* 2. *Tract.* 1. Ergo in corpore animali est ignis formaliter. Hoc sanè argumentum explicat, *dist.* 17. *quæst. penult.* vbi ei obiicitur, Lucem esse etiam cœlestem. Respondet, Lucem, quæ proximè est susceptibilis vitæ, esse generatam ex æqualitate complexionis, indeque consurgere, non autem esse simplicis elementi, vel cœli; cœlum enim influit lucem solùm efficienter; vt docet *in respons. ad* 1. *&* 2. nec ad mixtionemm venit; elementum autem debet misceri.

29 PROBATVR 12. à Diuo Bonauentura *arg.* 3. quia corpora animalium, quadrupedum maximè, resistunt motui: vndè & fatigantur, quia grauia sunt; ergo habent in se principium grauitatis; sed hæc est proprietas Elementi terræ simpliciter, & aquæ secundùm quid: Ergo.

PROBATVR 13. *fund.* 4. Motus sequitur naturam Elementi prædominantis, & in eo Elemento quiescunt corpora mixta: Ergo ibi sunt Elementa.

RESPONDET Faber, *lib.* 1. & Runnius *num.* 42. qualitatem prædominantem esse secundam, resultantem ex mixtione primarum.

CONTRA: quia hic est effectus primarum: Ergo ibi sunt primæ; ergo & earum formæ substantiales, è quibus manant.

PROBATVR verò 14. *in corpore.* Finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem; sed corpus animale ordinatur ad sensum, & motum; ergo debet necessariò esse tale; vt ad hæc sit aptum; sed ad tactum necessarium est Elementum terræ, à prædominio, quoad molem, ex Diuo Augustino, *lib.* 3. *super Genes. ad litt. cap.* 4. vnde per totum corpus spargitur, quod maximè ex terra est: similiter ad motum requiritur virtus ignis; vt ait Diuus Augustinus *de genes. ad litt.* & ideò, cùm corpus frigescit, obtunditur sensus; quia motus pigrescit, qui ex calore inest corpori. Hæc Diuus Bonauentura *illis duabus qq.* Ex quo liquet, benè à Gabriele, *loco citato*, adduci illa loca Diui Bonauenturæ, ad eum in hanc sententiam numerandum. Ideò non benè Galitius ait, ex his duabus *qq.* nil colligi ex Diuo Bonauentura pro hac sententia. 30

PROBATVR 15. à Diuo Bonauentura *dist.* 17. *art.* 2. *quæst.* 1. *in fine corporis*, ex illo Genes. 2. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, & ex illo: *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ.* 31

PROBATVR 16. *quæst. cit. ad* 1. quia corpus animale debet tale esse, quale est necessarium ad opera naturæ; sed ad hæc necessariæ sunt quatuor proprietates Elementorum actiuæ, & passiuæ; similiter & omnes qualitates resultantes, vt durities, mollities, &c. Ergo ibi sunt formaliter Elementa.

PROBATVR 17. à Diuo Bonauentura *dist.* 17. *quæst. vlt. argum.* 1. *&* 2. ad opposita, quæ conceduntur, quò ad hoc. Quia, vbi sunt proprietates formales elementares, ibi sunt Elementa formalia, sed in animali est calor, & humiditas, quæ sunt proprietates elementares formaliter, vt patet: Ergo, &c. Minor probatur: Nam omnis operatio animæ in corpore est per calorem, vt aiunt Medici, & Naturalistæ; at magnum calorem in corde, & hepate experimur. Confirmatur à Diuo Bonauentura *argum. penult.* quia calor consumit alimentum, & transmutat, & fouetur ab Elementari.

PROBATVR 18. *argum.* 3. Vbi est motus, & quies, ibi est natura, principium motus, & quietis; ergo vbi est talis motus, & talis quies; ibi est principium talis naturæ; sed in mixtis sunt motus sursum, & deorsum, & talis quies; secundùm prædominium corporis; ergo ibi formaliter sunt elementa. 32

PROBATVR verò 19. *ead. dist. quæst. penult.* Non est reperire naturaliter accidens, sine sua propria substantia, ex Aristotele *lib.* 16. *de animalibus*; In animali est calor elementaris; ergo est substantia ignis Elementi.

DICES, ibi esse etiam calorem cœlestem.

RESPONDETVR, ibi esse efficienter; non formaliter; vt dicam infrà.

PROBATVR vigesimò, *loco citatò*, *argum.* 5. In quolibet organo sensus prædominatur aliquod corpus simplex, ex Diuo August. 3. *super Genes. ad litt. cap.* 5. ergo ibi sunt corpora simplicia. Vbi Diuus Bonauentura notat, vnum Elementum in duobus organis dominari: Sic aqua, in ratione vaporis dominatur in Olfactu; sub ratione humoris dominatur in gustu; vt habet Diuus Augustinus, ibi, *libro tertio*, *capite* 7. 33

stitutio: & hoc, quia vnibilia non habent repugnantiam; sed mutuam dependentiam; sicut vniuntur corpus, & anima ad constitutionem hominis: Quædam verò est vnio, in qua non est transmutatio, nec tertiæ naturæ constitutio; sed vnum vnibilium tantùm fundatur in altero; sicut quando surculus inseritur stipiti alterius arboris; tunc vtraque arbor seruat naturam propriam; & surculus substantificatur, seu sustentatur in stipite alieno; & sic Naturæ Diuinæ vnita est natura humana in hypostasi.

Ex his habes, vnam esse hypostasim omnium formarum Elementorum; quia omnes in formâ mixti tanquam materiâ sunt; & sic forma mixti cum formis Elementorum in vna materia, vnoque supposito, subsistit.

INSTAT Ruuius *num.* 39. hinc sequi, in qualibet materià dari saltem duas formas substantiales, id est, formam mixti, & formam vnius saltem Elementi.

41 RESPONDETVR ex Diuo Bonauentura *locis adductis*; imò in singulis materiæ partibus esse plures formas elementares, & formam mixti: Ità tamen, vt formæ elementares se habeant, vt materia formæ mixti; sicuti in singulis membris animalis sunt plures formæ, nempè mixti, forma organica, & anima; quòd si in distinctis partibus separatim iacerent, iam non esset mixtio; sed aggregatio per accidens: Ex his habes, in quolibet mixto esse vnum suppositum, non plura.

OBIICIES quintò cum Scoto: Non potest aliquod subsistens habere duas formas specificas, quarum vna non est nata perfici ab alia; at si ponantur Elementa manere in mixto, secundùm formas substantiales, daretur subsistens per se, habens duas formas specificas, quarum vna non est nata perfici ab alia: ergo non possunt in mixto manere plures formæ substantiales actu. Maior probatur: nam etiam, qui ponunt in vno corpore plures formas substantiales, non ponunt eas contrarias; sed vnam subordinatam ad aliam, respectu cuius alia se habeat, vt materia. Minor probatur: quia formæ Elementorum sunt contrariæ, nec vna ad aliam subordinatur, vt perficiatur.

RESPONDET Zabarella, formas Elementorum manere, secundùm realitates, quibus aduenit noua formalitas; & sic realitas formæ elementaris fit alia forma.

42 MELIVS respondet Sanctus Bonauentura *in* 2. *dist.* 15. *quæst.* 2. *ad vlt.* Materiam sub vna forma Elementi ordinari ad formam meliorem, & habere ad eam appetitum; atque adeò formas Elementorum adinuicem ordinari, vt in mixto conuenientes, ac se inuicem perficientes, mixtum componant; non enim formæ Elementorum sunt vltimæ; sed inuicem subordinatæ; vt per contrarietatem non se destruant, sed tertiam naturam componant; & sic Elementa actiua perficiant virtute passiua, & passiua mole compingant, & solident actiua; vt notat Diuus Bonauentura *dist.* 15. *quæst.* 3. Dat exemplum Aristoteles 2. *de generat. text.* 90. Si multa metalla colliquentur ad componendam Statuam Auri, Argenti, Æris, & Ferri, secundùm perfectionem simpliciter aurum perficiet æs; at verò, ad finem artificis, æs perficiet ipsum aurum: Itaque quatuor Elementa non habent ex contrarietate oppositionem, vt simul & inuicem, absque prædominantia intermiscentia tertium componant, id est, mixtum; vt habet Sanctus Doctor *in* 3. *dist.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. Et sic Elementa actiua perficiunt passiua, secundùm quantitatem virtutis, & perfectionis; & passiua perficiunt actiua, soliditate, seu quantitate molis: exactiùs etiam, quod est magis actiuum, perficit id, quod est minùs actiuum; similiter philosophemur de passiuo excellentiori ad resistendum, ipsum adiuuare minùs resistens, ad temperandam, atque frænandam actionem actiuorum. Argumentum tertium, quod sequitur, solutum est.

OBIICIES sextò: Impossibile est, terminum, *à quo*, manere cum termino, *ad quem motus*; sed in mixtione, Elementa sunt terminus, *à quo*, & terminus, *ad quem*, est mixtum; ergo Elementa cum mixto sunt incompossibilia: Sic arguit & Liuius Rabesanus, *quæst.* 7.

RESPONDET D. Bonauent. *in* 3. *distinct.* 6. *artic.* 2. *quæst.* 1. Elementa esse terminum, *à quo*; atque adeò non manere eadem numero; sed reproduci alia contemperata, atque vnita, habentia formas simul, in singulis particulis materiæ; atque adeò materialiter se habentia, veluti subiectum formæ mixti, in quo sunt qualitates contemperatæ, atque refractæ, ne alterum prædominetur, vt notat Sanctus Bonauentura, *loc. cit.* 43

OBIICIES septimò, omne subiectum corporeum consequitur quantitas, quæ est propria passio substantiæ corporeæ; at forma Elementi constituit subiectum corporeum: Ergo iam consequitur propria quantitas; sed propria passio non est plurium subiectorum; ergo in vno subiecto erunt plures quantitates, vt quantitas mixti, quantitas Ignis, Terræ, Aëris, Aquæ; & ità vel duo, ac plura corpora erunt simul per penetrationem; vel mixtio erit mera iuxtapositio.

Hoc argumentum contra priores Auerroistas est solidissimum.

Nos ex Sancto Doctore respondemus, plures quantitates in mixtione corrumpi, & ex generatione mixti, in pluribus formis elementaribus residentis, tanquam in subiecto produci quantitatem communem omnibus: Nam ex Sancto Bonauentura *in* 2. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *arg.* 4. *addito responso*, quantitas residet in corpore, non in nuda materia; quod probabile sustinui, *tract.* 5. *disp.* 1. *quæst.* 11. Corrumpi verò prima Elementa docet Sanctus Doctor *in* 2. *dist.* 17. *art.* 2. *quæst.* 2. *corp.* Ideò cœlestem substantiam, ait, non posse misceri; quia est incorruptibilis. 44

Hoc sanè argumentum valet etiam contra Piccolom. & Zabarellam, qui censent, materiam tribus dimensionibus semper affici; ità vt soli materiæ inhæreant, & ab ea nunquam separentur: Vndè in hac opinione eadem numero quantitas perseuerat, in hac, & aliis formis: Neque Sanctus Bonauentura *in* 2. *distinct.* 3. *artic.* 1. *quæst.* 2. benè citatur pro hac Sententia: quia loquitur de materia, prout primò à Deo creata; quæ sub quantitate illa habebat dimensiones innumeras; vt probabiliter sustinui, *loc. cit.* hoc solo fretus argumento; quod validè stringit, ac premit.

OBIICIES octauò cum Ruuio, *num.* 37. quia multa fiunt mixta, vbi non potest esse ignis; vt in Elemento Aquæ, simul & in aëre, vbi multa Animalia gignuntur.

RESPONDET D. Bonauentura, vt vidimus, *quæst.* 1. *ad* 4. non esse necesse, vt ignis trahatur in aquam è sua Sphæra; sed virtute Solis gigni ibi, & misceri, vel in Elementis intermixtum; 45

nisi per multiplicem naturam in multiplici Elemento fundatam, vt suprà tactum est.

Iam verò de Elementorum in hisce corporibus mutuo prædominio disserendum; in quo Diuina Sapientia summè spectabilis, & mirificè conspicua cernitur, quæ soliditatem Terræ, & mobilitatem Aquæ in cunctis Animantibus subesse voluit Aëris agilitati, Ignisque vigori, vt sicut postrema hæc Elementa duo illa priora agitant, ne frigescente mole obtusa pigrescant, ità ab illis temperata compescuntur, ne agili virtute soluta nimis insolescant; & sic Dei factura in quadam æquitatis consistentia libratur.

Hvic adijce aliud supremæ sapientiæ argumentum, quod Materia in his corporibus, etsi potentialitate, & aliarum formarum capacitate plena, fido tamen consortio illi adeò formæ, quam possidet, adhæret, vt non nisi interitu diuelli queat, alias interim in eius obsequium partiales, & subordinatas formas admittens; Verum hæc quæstionibus elucidabimus.

QVÆSTIO I.

An Corpora *Animalium magis ex actiuis, quàm passiuis Elementis sint condita.*

{D.Bonau. in 2. dist.35. quæst.3.

1 Iam vidimus, corpora mixta ex quatuor Elementis, formaliter inexistentibus, conflari: nunc videndum, in quo temperamento reperiantur, maximè in nobilioribus, quæ sunt animalia: De hoc enim est quæstio præcipua, maximè apud Sanctum Doctorem *loc. cit.* Richard. *cit. dist. quæst.* 1. Brulefer. *quæst.* 3. ex cuius decisione etiam de inanimatis colligitur definitio.

2 Nota ergo ex Diuo Bonauentura *in corpore*, Temperamentum Mixti consistere in quadam proportione, seu harmonia primarum qualitatum: Ità tenet cum Seraphico Marsilius, 2. *de Gener. quæst.* 22. Fernel. *lib.* 2. *Philosoph. cap.* 3. Tolet. 2. *de Gener. quæst.* 18. Conimbr. *cap.* 8. *secundi, de Gener. quæst.* 1. *art.* 1. Et videtur D.Thom. *prim.* 1. *quæst.* 16. *art.* 4. *ad* 4. vbi simul cum Diuo Bonauentura ponit quatuor primas qualitates contemperatas pro dispositione ad animam, quæ est forma animalis: Hos sequitur Ruuius 2. *de Generatione, cap.* 8. *quæst.* 1.

3 Probatvr à Diuo Bonauentura initio corporis; quia temperamentum non est aliud, quàm debita dispositio, per quam conseruatur forma in materia; sed hæc non potest esse aliud, præter primas qualitates attemperatas: Ergo. Probatur Minor; quia per eandem dispositionem conseruatur forma in materia, per quam introducitur in eam; quia introductio ordinatur ad conseruationem; sed primæ qualitates, sic attemperatæ, sunt dispositio ad formam mixti inducendam: Ergo. Confirmatur, quia ex intemperie primarum qualitatum oriuntur morbi, & mors, vt dicunt Medici. Hæc ratio elicitur ex Diuo Bonauentura *in medio corporis*, quam habet Ruuius, *num.* 13.

Hæc libaui; quia multi volunt, temperamentum animalis consistere in quadam qualitate quintâ, distinctâ à primis. 4

Notandvm secundò ad cognoscendum, quænam Elementa in animali præcipuè, secundùm quantitatem, prædominentur; duplicem esse quantitatem; alteram molis, alteram virtutis, quæ notiores sunt, quàm vt in illis immoremur.

Notandvm tertiò, ex Elementis aliqua dici actiua, aliqua passiua: Cùm enim Deus ità constituerit elementa, vt ad mixta componantur, elargitus est illis qualitates, aptas ad mixtionem; 5 Alias quidem, quæ plus habent actiuitatis, & minùs resistentiæ, vt Calor, & Frigus; ex his Princeps Calor est maximæ actiuitatis, minimæ verò resistentiæ; deindè Frigus, quod habet maiorem actiuitatem, quàm virtutem resistendi contrario: E regione Humiditas, & Siccitas sunt minimæ actiuitatis, & maioris resistentiæ: In his siccitas principem locum tenet: Sic igitur Elementa condidit; vt secundùm alteram qualitatem, habeant maiorem actiuitatem, & minorem resistentiam secundùm alteram, vt sic in pugna non deficiant; sed aduersarium ad compositionem trahant, vt ait D.Bonauentura *in* 3. *dist.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore.*

Ita Ignis summo calore est actiuissimus; sed minimæ resistentiæ; est verò siccus remissè, vt resistat quidem; sed non summè: Aër est maximè humidus: & ità resistitiuus magis, quàm actiuus: Est etiam remissè calidus, vt sit actiuus; sed non summè; & vincitur in actiuitate ab igne, & vincit eum in resistentia; quia humiditas, cùm summa sit, superat remissam siccitatem in passiua renitentia; & humiditatem remissam aquæ; ab hac verò superatur, intensâ frigiditate; quæ locum secundum tenet in agendo; atque adeò modicum aëris calorem mortificat, & ignis ardorem: Itaque & terram siccam suâ humiditate mortificat, & humiditatem aëris non æquat: Porrò terræ frigiditatem excedit, & adiuuat ad frænandum deuorantem ignis calorem, cui magis resistit terra stipata, densa, & sicca. 6

Qvare Elementa actiua vocantur, ex quibus insunt qualitates actiuæ, quæ sunt Calor, & Frigus in summo; ex quo fit, vt Ignis, & Aqua vocanda sint Elementa actiua: Aër verò, & Terra passiua; & sic vocantur etiam à Diuo Bonauentura, allegato vbi suprà: Quia tamen Aër cum Igne obtinent principem inter actiuas qualitatem, id est, Calorem, licèt Aër remissum habeat; ideò hìc à Diuo Bonauentura actiua Elementa vocantur; Terra verò, & Aqua dicuntur passiua. 7

Assero primò; Elementa inferiora, quæ passiua dicuntur, id est, Terra: & Aqua, in Plantis, & Animalibus dominari, quoad quantitatem molis.

Probatvr primò à Diuo Bonauent. 1. Genes. *Germinet terra herbam virentem, & omne lignum faciens fructum*; Certum est autem non ex nuda terra productas fuisse plantas. Similiter cùm dicitur: *Producant aquæ reptile, volatile, & motabile. Producat terra iumenta, & bestias*: Id autem 8

in

in corpore exponit: Neque verò ex nuda aqua Pisces, & Aues; aut ex nuda terra bestias constituit; sed veluti Artifex, miscendo terram cum aqua, facit lutum, & ex illo componit Statuam; sic, dum liquor aqueus terræ miscetur, fit humor: & dum ille coagulatur, fit corpus organicum: Ità etiam habet Aristoteles 2. *de Gener. text.* 49.

9 Hoc pacto condita sunt Animalia, aut ità, vt aquæ fluxibili commixta sit terra; aut, vt terræ aridæ immixta sit aqua: Ideò aliqua ex aqua; aliqua ex terra condita esse feruntur; non quia ea, quæ ex aquis condita dicuntur; plus habeant de aqua, quoad substantiam, quam de terra, cùm omne corpus animatum in sui constitutione plus de terra recipiat; tum quia ipsa est, quæ dat soliditatem, & consistentiam corporibus; tum quia ipsa est, quæ plus habet de materia, & minùs de specie, seu forma; sed ideò dicuntur multa ex aqua; quia in eis plus dominatur natura aquea, quam in aliis; non quantum ad dominium actiuæ, vel passiuæ qualitatis; sed quoad aliquam conformitatem in natura, per quam ea, quæ ex aqua producta sunt, libentiùs in aquis degunt.

10 Qvoniam verò humor aqueus, vel se habet, vt humor fluctuans, vel vt vapor exhalans; ideò Aqua est principium duplicis generis animalium, id est, Natatilium, & Volatilium: Natatilium secundùm rationem humoris; & ideò illa remansêre in aquis. Volatilium ratione vaporis; & ideò, cùm ille vapor sit commixtus aëri, & feratur sursùm, Volatilia in aëra subleuantur; & eò vsque possunt ascendere, quò vsque inueniunt aërem, humidis vaporibus pinguem: Et hoc est, quod ait

11 Diuus Augustinus 3. Genes. ad litt. cap. 6. *Iste inferior aër, qui excipit exhalationes humidas maris, & terræ, & ad aues sustinendas quodammodò crassatur, non nisi ex aquis accepit animalia: Quod enim eius humidum est, hoc portat alitum corpora, quæ ità vtuntur pennis volantes, quemadmodum pisces quibusdam suis alis natantes.*

12 Deinde: *scienter Spiritus Dei, ex aquis dicit pro ducta esse volatilia: Aquarum enim natura bipartitum locum sortita est: Inferiorem; scilicet in vnda labili; superiorem verò in aura stabili; illum deputatum natantibus, istum volantibus: Sic huic Elemento, congruos etiam duos sensus animalibus datos videmus; olfactum explorandis vaporibus; gustum explorandis liquoribus*: Hæc S. Bonauentura in corpore allegat.

13 Probatvr secundò à Diuo Bonauentura, *fundamento secundo*: Ex iisdem constant Animalia, quibus nutriuntur ex Aristotele 2. *de Generatione, text.* 4. Sed animantia, nempè, plantæ, & Bestiæ maximè ex terra, & aqua nutriuntur: Ergo.

Probatvr tertiò à Diuo Bonauentura: Ex his maximè constituuntur corpora, in quibus requiescunt; sed animantia maximè in terra quiescunt, & aqua: Ergo. Maior est Aristotelis 8. *de historia Animalium, cap.* 1. Et probatur: Quies attenditur penes appetitum; & appetitus attenditur penès quantitatem prædominantis, ex Aristotele 2. *de Anima, text.* 45.

14 Probatvr quartò à Diuo Bonauentura. In compositione corporis naturalis, membra officialia fiunt ex consimilibus, & consimilia ex humoribus; sed in humoribus maximè dominatur natura aquea; & in membris solidis maximè dominatur terra: Ergo, si elementa non veniunt in compositionem corporis, nisi per humores, & membra; videntur, omnia animalia ex his constitui.

Assero secundò. Elementa actiua, nempè, Aër, & Ignis prædominantur, quoad virtutem, corporibus animatis. 15

Probatvr primò à Diuo Bonauentura: Vita est præcipuè per calidum, & humidum, ex Aristotele. *lib. de longitud. & breuitate vitæ*: Ergo in viuentibus omnibus hoc dominatur, ergo illud elementum, cui hæ proprietates præcipuè conueniunt; sed hoc elementum est actiuum, nempè, Aër: Ergo.

Probatvr secundò. Lux est id, quo mediante corpus vnitur animæ, ex Diuo August. 1. *de Genes. ad litt. cap.* 3. *& cap.* 54. *tom.* 3. Sed Lux præcipuè est in igne: Ergo in corpore animalium dominatur ignis.

Probatvr tertiò. Anima sensitiua, sicut est principium sensationum; ità etiam motus: Ergo corpora animalium, non modò ad sensum, sed etiam ad motum debent esse habilia; sed elementa grauia minimè sunt ad motum habilia; & hæc sunt elementa passiua: Ergo corpora animalium magis ex actiuis, quàm è passiuis constant. 16

Probatvr quartò. Nobili perfectioni debet respondêre nobile perfectibile; sed anima sensibilis est perfectio valdè nobilis; ergo corpus illius debet ex iis elementis constitui, quæ sunt nobiliora, inter corpora simplicia: hæc autem sunt elementa actiua, non passiua: Ergo.

Probatvr quintò ab aliis; quia motus sequitur naturam prædominantis, sed aues mouentur sursum in aerem; ergo in eis dominatur aër. 17

Hoc argumentum eludit Seraphicus, dicens, motum quidem naturalem sequi naturam elementi prædominantis; at motus Auium sursum non est naturalis, naturaliter enim descendunt: ideò egent alas quatere, & fatigantur in volatu, ita vt aliquoties mortui descendant.

Explicat verò in *corpore*, & probat vtramque simul assertionem, dicens, vtramque sumi ex fine animalium; finis enim imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem; finis autem corporis complexionati est anima, quatenus dat ei vitam, sensum, & motum. Ad vitam autem non esset habile corpus, si prædominarentur elemēta passiua, quantum ad virtutem, & molem, propter suam grossitiem, & soliditatem; sicut sunt corpora Mineralia, in quibus dominantur Terra, & Aqua; vt patet ex eorum operationibus, & motibus; similiter non esset habile, si prædominarentur elementa actiua, quantùm ad virtutem, & molem; quia statim consumerentur elementa passiua; nec esset, quod posset vegetari ab anima; & ità oportuit, vt ex quadam mutua prædominantia consurgeret mutua quædam proportio, & concordia, ex qua illud corpus esset aptum, ad vitam suscipiendam, & animam, quæ est quædam harmonia. 18 19

Ad sensum pariter non esset illud corpus idoneum, nisi prædominaretur natura elementi passiui, quantum ad molem, quia tactus est primus inter omnes sensus animalis, in quo sensu prædominatur terra; & ità, si non prædominaretur terra in corpore, non esset habile ad tactum; ergo nec ad aliquem sensum. 20

Similiter oportet, ad hoc, vt sit aptum ad sensum, vt prædominetur ignis, quantum ad virtutem caloris; calor enim, & spiritus sunt instrumenta virtutis sensitiuæ, & hoc est, quod ait Diuus August. 3. super Genes. ad litt. cap. 4. *Tactus, qui* 21

est

est quintus in sensibus, terreno elemento magis congruit; perinde per totum corpus animantis, quod maximè ex terra est factum, tactè sentiuntur; & post, *Anima, cui sentiendi vis inest, cum corporea non sit, per subtilius corpus agitat vigorem sentiendi. Inchoat namque motum in omnibus sensibus, per subtilitatem ignis.* Et ità ex hoc patet, quòd ad hoc, vt corpus sit aptum ad sensum, debet esse prædominium motuum actiuorum, & passiuorum elementorum.

22 SIMILITER ad motum necesse est, vt actiua elementa dominentur virtute, qua virtute, vis motiua ad membra pertingat; necesse est etiam, vt dominentur passiua, secundùm molis quantitatem; vt constituantur membra solida, ad ordinatum motum idonea; & hoc ait Diuus August. 3. super. Genes. ad litt. *Ignis omnia penetrat; vt motum in eis faciat.* Ideò autem caloris priuatione, cùm corpus nimis frigescit, obtunditur sensus: quia motus pigrescit, qui ex calore inest corpori. Sic igitur, & propter motum, debet esse mutuum prædominium elementorum actiuorum, & passiuorum; vt membra sint mobilia; vt vigorem habeant, & agi-
23 litatem ex aëre, & igne: Soliditatem verò ex aquæ, & terræ prædominio. Hæc Sanctus Bonauentura.

QVÆSTIO II.

An detur, vel dari possit MIXTVM *saltem ex perfectioribus animatis, æquale ad pondus.*

Diuus Bon. dist. 17. quæst. vlt.

QVÆSTIO hæc generalis est de omnibus mixtis. Enim verò de nobilioribus animatis præcipuè agitur: quia talis temperies, si danda est, videtur illis concedenda, eisque conceditur, non omnibus, à quibusdam Doctoribus.

24 SCIAS itaque primò ex Diuo Bonauentura, *hic*, quem sequuntur Theologi, *in 3. dist. 15. & 16. & 3. part. quæst. 14. art. 4.* & omnes Medici, ac Philosophi, duplex temperamentum dari; alterum, quod dicitur Iustitiæ; alterum, quod dicitur ad Pondus. Prius temperamentum dicitur illud, quod constat primis qualitatibus, & ea quantitatis mole omnium elementorum, quæ debetur tali naturæ; quia quod debitum est alicui, dicitur ex iustitia; alterum verò temperamentum consistit in æquali gradu singularum qualitatum, *verbi gratia*, calore vt quatuor; frigore vt quatuor, &c. constat & æquali mole, *verbi gratia*, cubito aëris, cubito ignis, vel saltem altera æqualitate, seù qualitatis, seù quantitatis.

25 PRIMA opinio concedit naturaliter tale temperamentum, æquale ad pondus secundùm primas qualitates. Ità Galen. *lib. 1. de temperament. cap. 9.* & *lib. 2. cap. 1.* vbi hoc temperamentum vocat optimum, & dari asserit in specie perfectissima, nempè, Hominis. Idem sentiunt Fernel. *lib. 8. Philosoph. cap. 4.* Thomas de Gar. *in sum. tit. 2. de complex. quæst. 9.* Valles. *lib. 1. controuers. cap. 7.* Isaicus, *cap. 1. diat. vniuers.* & Medici omnes. Marsil. *quæst. 22. secundi de Gener.* Colleg. 2. *de Gener. cap. 8. quæst. 2. art. 3.* Ruuius, *quæst. 2.* vbi ait, esse philosophorum consensum.

SECVNDA opinio negat omnino, dari tale temperamentum. Ita Auicenna, *sententia prima, doct. 3. cap. 10.* Auer. *primo de cœlo, com. 7. 10. Metaph. com. 21. 4. Meteor. com. 10. & 2. de Gener. com. 48.* quem sequuntur omnes Arabes, Diuus Thomas, *in 2. dist. 29. quæst. vnicâ, art. 4.* & *in 3. dist. 16. q. 1. art. 1.* Michaël Medina *in sua Paranesi.* Conciliator, *different. 18.* & ferè Tolet. *2. de Genes. quæst. 11.* 26

TERTIA opinio est quorundam Medicorum, ex quibus est Hugo Senens. qui quatuor temperamenta ponunt. Primum dicitur Innatum, sub quo genitum fuit animal. Secundum Influxus, resultans ex influxu quarundam partium in alias, *verbi gratia*, cordis in cerebrum, &c. Tertium Mixtum ex duobus allatis; Vltimum vocant Aggregatum ex omnibus qualitatibus. Primum negant, similiter & secundum; concedunt verò tertium, & quartum. 27

SERAPHICVS verò primò negat, dari temperamentum æquale ad pondus, secundùm qualitatem, & quantitatem simul. Secundò negat, dari temperamentum æquale in mole. Similiter & tertium, in virtute qualitatum, etiam in corpore à Deo condito, quod fuit Adæ. In hoc tamen concedit æqualitatem ad iustitiam, quam in homine præcipuè statuit, vtpotè nobilissimo. Hanc verò æqualitatem non consistere in indiuisibili, asserit; sed habere latitudinem, & gradus, secundùm status diuersos; est enim status gloriæ, status innocentiæ, & status iustitiæ. In statu gloriæ, debetur corpori humano temperamentum, in quo nec actu, nec potentiâ, sit intemperies. In statu innocentiæ repugnat temperamento pugna actualis, quæ in statu miseriæ inre inuenitur. 28

HVNC igitur statu medium temperamenti concedit Adæ, in statu innocentiæ; Christo verò concedit statū corporis perfectum, iuxtà conditionem, & statum debitum illi homini. Optimum ergo temperamentum, seù complexionem corporis ei astruit qualis debebatur perfectissimæ animæ. Ita Sanctus Doctor *in 3. dist. 15. art. 1. quæst. 1. & 2.* Richard. *quæst. 3. & 5.* Durand. *quæst. 1.* & Diuus Thomas. *3. part. quæst. 14. art. 4.* Suar. *sect. 2.* Valent. Vasq. & alij ad eum locum. Concedit verò, *dist. 16. quæst. 3.* talem assumpsisse passibilitatem, vt corpus illud sanctissimum posset senio deficere, quod concedit etiam Suarez, *sect. 2.* circa finem. 29

ASSERO primò, non posse dari temperamentum, & æquale omninò ad pondus, nempè secundùm qualitatem, & quantitatem.

PROBATVR à Diuo Bonauentura, *in corpore*, Elementa ità subordinata sunt, vt, quæ plus habent de materia, minus habeant de forma; &, quæ minùs habent de materia, plus habeant de forma. 30

HINC sequitur euidenter, non posse ea in mole, seù massa materiæ simul & in virtute æquari; sicuti repugnat, aurum, argentumque æquari in pondere, seù massa, & in valore. Hoc concedunt etiam aduersarij: Diuus verò Bonauentura asserit, hanc æqualitatem ità repugnare, vt etiam intellectu percipi nequeat.

ASSERO secundò, æqualitatem elementorum, secundùm qualitates, repugnare.

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura, *dist. 15. quæst. 3. argum. 1. ad oppositum.* Illud temperamentum est ineuitabiliter necessarium animalibus, in quo stat vita eorum; sed vita illorum maximè est per calidum, ex Aristotele *lib. de longitu. & breuitate vitæ*: Ergo in eis necessariò dominari debent calor, & humiditas. 31

PROBA

32 PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura aliis argumentis, suprà allatis, pro secunda assertione *quæstione prima*.

PROBATVR tertiò ab Auerroë. Ad mixtionem requiritur inæqualis gradus qualitatum; ergo etiam ad mixtum. Probatur consequentia, quia temperamentum mixti ex mixtione elementorum resultat. Probatur antecedens, quia, si in mixtione esset æqualis gradus qualitatum, non posset in alterutrum agere; vt notat Diuus Bonauentura, *dist.* 17. *art.* 2. *quæst.* 2. *&* 3. *&* *in* 3. *dist.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. cum Auerroë. Hoc est argumentum Sancti Bonauenturæ, *hîc, argum.* 4. *ad oppositum*, & *in corpore*. §. *Tertia sententia.*

33 CONFIRMATVR à Toleto. Vel mixta sunt perfecta, quæ constant ex quatuor qualitatibus; vel imperfecta, quæ non habent omnes qualitates; si perfecta; omnia sunt fortia, & consistentia, quibus prædominatur Terra; vt patet in omnibus, quæ in terra degunt: Sed prædominante terra, debent prædominari qualitates eius, siccitas scilicet, & frigus, quæ animantibus sunt aduersæ: Si vero sunt imperfecta, euidentius debet in eis prædominari elementum, à quo extrahuntur.

RESPONDET Ruuius, negando antecedens, nam æquali gradu qualitatis possunt agere: quia ea, quæ magis sunt actiua, vt ignis, & aër, si applicarentur in minori quantitate, minùs verò actiua in maiori, agerent.

34 PRÆTEREA hæc in maiori densitate, iuuante actionem, illa verò sub minori; & ita applicata proportionarentur, & possent agere, & pati ad inuicem; & misceri. Ad confirmationem respondet, in perfectis dominari terram, & aquam, quoad molem, & maiorem copiam substantiæ, quæ requiritur ad consistentiam corporis animalis, non secundùm intensionem qualitatum: Nam secundum hanc, prædominantur elementa illa, quæ magis sunt necessaria ad vitam, vt calor in *Corde*, & *Hepate*; frigus in *Cerebro*; humiditas in *humoribus*; siccitas in *ossibus*.

35 ITA colligitur ex Diuo Thoma: Eandem habet Sanctus Bonauentura, *hîc, in corpore*, & *dist.* 15. *quæst.* 3. *ad litt.* ex quo Toletus argumentum sumpsit; & Ruuius responsionem. Hinc tamen non sequitur id, quod Ruuius intendit, nempè, reducendas illas qualitates ad æqualitatem intensionis, per actionem; imò futuras inæquales, nam ad mixtionem requiritur refractio mutua qualitatum elementarium; vt ad temperiem veniant; sed per te, elementa, etiam gradu similia, agunt, & patiuntur; ergo reducunt se ad æqualitatem.

36 PRÆTEREA multitudo partium, absque intensione, non facit intensum; frigus, *verbi gratia*, vt quatuor, in aqua bicubitali non inducet frigus, vt quinque, in aërem bicubitum. At, esto multitudo graduum iuuet, tamen non erit æqualis. Imò ex Ruuij responsione sic arguit Sanctus Doctor *hîc*, ad hominem, *argum.* 1. *&* 2. *ad oppositum*, quæ conceduntur etiam, *dist.* 15. *quæst.* 3. *in argumentis*, *&* *corpore*. Illud temperamentum est necessarium ineuitabiliter in animali, quod est ad vitam necessarium; sed tale est prædominantis caloris, & humidi; ideò Cor principium vitæ est calidissimum, similiter & Iecur; in aliis verò regnat Phlegma, &
37 Melancholia; similitèr & in arteriis requiruntur spiritus calidissimi; & nerui tepentibus spiritibus perflantur ad sensationem: vnde & cerebrum, principium sensuum, est frigidissimum. In his, quæ ad consistentiam requiruntur, vt sunt ossa, exigitur dominans siccitas; ergo malè inducit hinc Ruuius sibi responsionem, imò contrà se oppositam. Cùm igitur in perfectissimis viuentibus hæc intemperies exigatur; multò minus potest in imperfectis, secundùm intensionem, reperiri æqualitas.

HOC argumentum difficile confitetur Ruuius. Respondet tamen, *num.* 39. verè non reperiri in omnibus, & singulis partibus æqualitatem intensionis graduum: ex hoc tamen non sequi, negandum esse temperamentum, æquale ad pondus: quia in maiori parte reperitur æqualitas, nempè, vbicumque inest tactus; sensus verò tactus dispersus est per totum ferè corpus; & in hoc sensu intelligitur ab omnibus opinio communis, quam sequimur. 38

VERVM enim verò quis non videt, Ruuium cum cæteris dare nobis manus; si enim omnes ferè partes organicæ vitales, animales, & naturales intemperiem qualitatum seruant; quod liquidò patet; & sola pars obiecti tactus, quæ est cutis, seruat temperiem; vt excellentias tangibilium sentiat, iam compositum inæquale ad pondus in qualitate concedent; Tactum enim Sanctus Bonauentura *dist.* 15. *quæst.* 3. *in corpore*, moderatam illam temperiem requirere, vt omnes excellentias sentiat, libenter concedit; atque adeò vitat excessus, qui ad corruptionem ducunt. Tactum quidem generalem in omnibus membris concedit *in Comp. Theol. lib.* 2. *cap.* 35. Non ità tamen, vt totum membrum sit organum, sed nerui; vt docet, 1. *part. Centil. sect.* 21. Christum verò habuisse tactum actualissimum, quia homo erat temperatissimus, concedit Sanctus Doctor *in* 3. *dist.* 16. *art.* 1. *quæst.* 2. *fund.* 4. cum Aristotele quò ad homines, 2. *de Gener. animal. cap.* 4. & *probl. sect.* 30. *probl.* 3. Neque adeò exaltent tactum, vt principium scientiarum: Nam potior est auditus, & visus; vt notat D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 24. *dub.* 2. *litt.* cum Aristotele. 39 40

PROBATVR quartò à Diuo Bonauentura. Si omnes qualitates essent in corpore humano, putà Adæ, vel Christi, æqualis intensionis; iam calor non consumpsisset alimentum, in substantiam aliti id transmutando; ergo alimento non indiguissent; quod est contra D. Aug. 13. *de ciuit. Dei, cap.* 23. *tom.* 5. & alios SS.PP. 41

PROBATVR quintò à Diuo Bonauentura *arg. vlt.* Cùm Adam peccauit, non fuit ei ablatum aliquid, quod esset ex parte corporis; ergo si priùs erat compositus complexione æquali, posteà fuit similiter complexionatus; ergo post peccatum nulla fuit in corpore eius pugna; ergo nec infirmitas, nec mortalitas; sed hoc est falsum: Ergo.

SCOTVS *in* 3. *dist.* 16. *quæst. vnica*, & Faber *ibi, dist.* 41. *num.* 1. reprehendunt Diuum Bonauenturam, quia similem ibi rationem habet de corruptibilitate corporis Christi; eò quòd eam deducit ex compositione elementorum: Nam (aiunt Scotus, & Fauentin, etiam post hanc vitam corpus erit tale, compositum ex contrariis; & tamen non erit mortale. Præter hanc igitur necesse est, vt hæc mortalitas non impediatur à beatitate, vel originali iustitia, quæ sunt extrinseca impedimenta; & tunc hoc impedimentum erat ostendendum non esse in Christi corpore; cùm deberet gloria animæ in corpus redundare. 42

SCOTVS verò remouet hanc causam, dicens; Per speciale miraculum cessauit redundantia illa gloriæ in corpus Christi; & consequenter illud relinquebat in naturâ suâ corruptibili.

VERVM hæc nullius sunt ponderis. Hæc sanè extrinseca 43

extrinseca impedimenta Sanctus Doctor nouerat, ac supponit ex *2. dist. 17. quæst. vlt. in corpore*, vbi de corpore Adæ.

IAM verò Sanctus Doctor *in præced. qq.* præcipuè *art. 1. quæst. 1. ad argumenta*, maximè *ad tertium*, præmisit, Christum non esse per cœlestem suam beatificam contemplationem præseruatum à doloribus; sed reliquisse naturam corporis in statu suo passibili.

DEINDE *in ea quæst. 3. in argumentis* iam ostenderat rationibus, & auctoritatibus, naturam, à Christo assumptam, relictam esse in statu naturali. Ex quo euidenter sequitur, colligi sufficienter ex ea natura corruptibili passibilitatem corporis Christi. Prætereà Magister, cui se conformare profitetur Seraphicus Bonauentura, *dist. 16. quæst. vlt.* vbi hanc rationem tractat, apertè ait, Christum de gloria assumpsisse tantùm impeccabilitatem, & contemplationem perfectam; sed simul assumpsisse de statu lapso pœnam. Hæc obiter intermiscui, quæ disseram exactè *3. part. tract. 1. disp. 16. & sequenti.*

44 ARGVMENTVM igitur Sancti Bonauenturæ est validum, ex naturali compositione corporis humani haberi pugnam inter miscibilia, & corruptionem, quæ à prædominio aliquo ortum habet.

45 PROBATVR vltimò à Diuo Bonauentura *in corpore*. Si enim daretur mixtum æqualis intensionis, secundùm qualitates, iam corpus illud careret ratione calidi, frigidi, humidi, & sicci, & aliarum qualitatum elementarium. Igitur frustrà esset ex diuersis constitutum; ergo careret debita operatione; ergo natura in simplicibus frustrà intenderet mixtum.

RESPONDEBIT aliquis, naturam intendere productionem mixti; vt temperatum sit; & quò magis temperatum, eò perfectius esse, & magis intendi, secundùm regulam Diui Bonauenturæ *2. dist. 15. art. 1. quæst. 2. ad vlt.* Non vt intemperatum fiat, vel sit. Idem habet Diuus Bonauentura, *hîc, fund. 1. & 2.*

46 VERVM respondet Sanctus Bonauentura *in corpore*, naturam intendere mixtum, in ordine ad operationes animæ, quæ est eius forma. Itaque tali debet esse præditum temperamento, quale est necessarium ad animæ operationes. Ad has autem non est aptum æquale ad pondus.

ASSERO tertiò. Nec potest dari mixtum, æquale ad pondus, secundùm quantitatem molis, secundùm magnitudinem substantiæ, & qualitates motiuas.

47 PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *argum. 3. ad oppositum.* Si corpus illud esset constitutum, secundùm omnimodam æqualitatem, ergo tantum ibi esset de graui, quantum de leui; ergo corpus illud esset indifferens ad motum, & ad quietem. Si igitur non esset natum moueri, nec quiescere, nec sursum, nec deorsum sistere; ergo
48 non esset corpus naturale; cùm ab intrinseco non haberet principium motus.

NEQVE verò haberet locum aliquem naturalem; cùm nec sursum, nec deorsum ipsum haberet; ergo nec naturam, quæ est principium quietis. Hoc argumentum desumpsit Ruuius, *2. de Gener. cap. 8. quæst. 3. num. 44.*

RESPONDENT aliqui, locum talis corporis naturalem fore medium inter sursum, & deorsum:
49 ità quiesceret inter aquam, & aërem, & eò tenderet, tanquam ad Sphœram propriam.

CONTRA tamen; quia elementa sunt immediata; ità vt conuexum Aëris sit locus Aquæ; ex Aristotele 4. *Physicorum*: ergo tale mixtum non potest habere locum intermedium; cùm non sit leue, sicut aër; nec graue, vt aqua.

HOC argumentum adeò est efficax, vt hinc arguant plurimi, neque posse diuinâ potentiâ fieri, vt 50
detur corpus æquale ad pondus, secundùm qualitates motiuas, quæ ex multitudine partium subtilium dimensarum veniunt. Quamuis enim daretur mixtum, æquale secundùm mensuram, puta, habens cubitum terræ, & ignis, qui est rarior; tamen illud non diceretur æquale ad pondus, quia plures partes terræ essent ibi, ob densitatem, quàm ignis; & ideò actiuior, saltem ad motum, imò secundùm plurimos, etiam ad agendum in aliud: nam fortior est calor æqualis in ferro, quàm sit in stupa. Iam verò hoc corpus non esset graue, nec leue ab intrinseco, atque adeò nec haberet principium motus; ergo implicaret esse naturale. Hoc igitur solùm infertur ex hoc argumento, quod infert Sanctus Bonauentura, *loco citato, & in corpore, §. alio modo.* Nam posset Deus talem æqualitatem Diuina virtute imprimere; vt notat & Ruuius, *quæst. 3. num. 48.*

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura 51
in corpore, quia mixtum illud non posset durare; elementa enim actiua statim passiua consumerent; si enim adæquarent in multitudine partium subtilium, adeò actiua excederent in virtute, vt potiùs consumptio, quàm mixtio succederet.

PROBATVR tertiò à Diuo Bonauentura. Perfectissima corpora Adæ, & Euæ, erant grauia à prædominio.

OBIICIES primò contra secundam assertionem, ex Aristotele, *sect. 5. Problem. quæstione 22.* 52
Corpora, ad æqualitatem temperata, facilè in morbum incidunt, atque etiam facilè curantur; ergo supponit dari mixtum æquale.

RESPONDETVR ex Diuo Bonauentura, æquales dici, qui minùs sunt inæquales; ideò non ad pondus æquales statuuntur. Quòd si id de æqualibus mathematicè intelligatur, sequetur, Christum cæteris hominibus maximè in ægritudines labilem fuisse, atque adeò imperfectum.

NEQVE verò excusatur Ruuius, *numero 32.* 53
dicens, plurimum adiuuare euitationem contrarij; & quòd Christus euitauit nociua. Hoc enim est falsum; nam labores plurimos, in summo exantlauit; ità vt videretur in trigesimo-tertio anno senex; vt notat Diuus Antonius Patauinus ad ea verba: *Quinquaginta annos nondum habes;* vbi Iudæi iudicarunt, eum esse ferè quinquagenarium; ieiunabat enim, & pernoctabat assiduè in montibus sub cœlo aperto, pluuiis, ardoribusque obnoxius: neque alimenta carnium optimatum cum antiprandiis absumebat. Tandem, vt quidam contemplatiuus clamat.: *Volue, & reuolue vitam boni Iesu, & eam totam inuenies in cruce, in amaritudine, & angustia.*

OBIICIES secundò. Non inuenitur 54
repugnantia talis temperamenti, caloris vt quatuor, frigoris vt quatuor; siccitatis vt quatuor, & paris humiditatis: nam ad rationem mixti pertinet habere temperiem qualitatum; ergo, quò mixtum est perfectius, requirit maius temperamentum; ergo humanum saltem in statu creationis, & generationis, per Spiritum sanctum, in Adam,

Adam, & Christo datum est tale temperamentum.

55 CONFIRMATVR primò; Nam optimum temperamentum est id, quod maximè distat ab extremis, quæ sunt principia corruptionis: at corpus Adæ erat habile ad perpetuam durationem: Ergo.

CONFIRMATVR secundò: quia hic inter homines habetur tactus perfectissimus; ex Aristotele 2. *de partibus animal. cap.* 16. Sensus autem tactus exigit temperiem qualitatum; vt possit sentire qualitates tangibiles; non enim sentit eas in eo gradu, in quo eas habet, sed solùm in excellentiori; ideò dicitur, sentire tantùm excellentias qualitatum tangibilium; ex Aristotele 2. *de anima, text.* 118.

56 CONFIRMATVR tandem. Vbi est inæqualitas, ibi pugna, ibique pœna est: at corpus Adæ non erat tale: Ergo. Hæc ratio nullo modo est Diui Thomæ *p.* 1. *quæst.* 91. *articulo primo ad tertium*, nec *art.* 3. *ad* 1. vt iactat Ruuius, *num.* 31. *quæst.* 2. ibi enim solùm arguit in homine maiorem esse temperiem, quàm in cæteris animalibus: quia habet tactum meliorem, sed alios sensus, puta, visum, auditum, olfactum hebetiores. Verùm hæc rationum congeries affertur, & soluitur à Diuo Bonauentura *in argumentis*.

57 RESPONDET ergo Sanctus Bonauentura tale temperamentum fuisse necessarium; vt plurimis animæ operationibus deseruiret: quia anima nobilissima plurimas, easque diuersas operationes organicas exercet; ideò debuit habere corpus proportionatum. Sic igitur debuit esse à prædominio terrenum, & graue, ob soliditatem necessariam membrorum, & ob tactum, &c. qui tempe-

58 ramentum requirit in neruis, qui sunt SENSORIVM tactus; in reliquis verò, quò maiores, & plures sunt partes, eò magis humidum, & calidum regnare debebat; vt vitæ inseruiret. Habuit tamen æqualitatem iustitiæ, & talem; vt in statu innocentiæ præseruarentur à pugna elementa, & à corruptione mixtum; & tale temperamentum sufficit ad finem, intentum à natura. Hæc habet Sanctus Doctor, *hic, & aliis locis adductis, disp.* 15. præcipuè, *quæst.* 2. & 3.

QVÆSTIO III.

An in CORPORIBVS AMIMATIS *plures formæ substantiales sint.*

59 QVÆSTIO hæc celebris admodum, aliis verbis agitatur: An in viuentibus, præter animam, quâ viuificantur, debeat forma adiungi organizationis.

PRIMA opinio est, vnicam in corpore, etiam viuo, formam esse. Ità Diuus Thomas, *p.* 1. *quæst.* 76. *art.* 4. Caietan. *ibi.* Capreol. *in secundo, dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 1. *conclus.* 3. Ferrar. 2. *contra Gentes, cap.* 58. Bannes, 1. *de Gener. quæst.* 8. Zanard 2. *de anima, quæst.* 2. & alij Thomistæ.

E reliquis Gregor. *in secundo, dist.* 16. *quæst.* 2. *articulo primo.* Gabriel. *ibi quæst. vn. articulo primo, concl.* 1. Argent. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *articulo primo, concl.* 2. Gandau. 2. *de anima, quæstione* 5. Suarez *in Metaph. disputatione* 15. *sect.* 10. Valen. *tom.* 1. *disp.* 6. *quæ.* [illegible] *p.* 3. *assert.* 2. Fonsec. 2. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 1. *sect.* 8. & *lib.* 5. *cap.* 2. *quæst.* 1. *sect.* 1. Conimbr. 1. *de Gener. cap.* 4. *quæst.* 20. *articulo* 2. Hurtad. *disputat.* 4. *Physic. sect.* 3. Tolet. 1. *Phys. quæstione* 15. Ruuius, 2. *de anima, tract. de modo, quo anima informat corpus, quæst.* 6. vbi alios refert, nempè, Heruæum, *tract. de vnit. formæ, quæstione vltim.* Argent. *in quarto, dist.* 13. *quæst.* 1. *articulo primo.* Marsil. *in tertio, quæstione* 13. *art.* 1. Palud. *in* 3. *dubit.* 21. *quæst.* 4. *art.* 3. Auerroes *libro de substant. orbis*, & alios. Subscribit Arriaga *disp.* 6. *Phys. sect.* 6. oppositam vocans labilem, non receptam, Auersa *quæst.* 20. *sect.* 3.

SECVNDA sententia est, in viuente, præter animam, reperiri etiam formam organizationis. 60
Ità antiquissimi Stoici, & cum eis Pericles quidam Lydius; vt testatur Simplic. *primo Physic. in sua digressione de corporeitate materiæ primæ.* Auic. *lib.* 1. *suffic. cap.* 2. Alensis 2. *part. quæst.* 77. Rich. *in* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 5. Henric. *quodlib.* 2. *quæst.* 2. & *quodlib.* 4. *quæst.* 3. Scot. *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. cum Schola, Ant. Andr. 7. *Met. quæst.* 16. & 17. Faber. *theor.* 73. Rabes. 2. *de anima, disp.* 1. *quæst.* 4. Poncius *dist.* 1. *quæst.* 3. Mastrius & Bellutus *disp.* 2. *Phys. quæst.* 4. & *disp.* 5. Rocchus 2. *de anima, quæst.* 20. Cauell. *disp.* 1. *sect.* 4. Exteri Aureol. 4. *dist.* 11. *quæst.* 4. *art.* 1. Baccon. 2. *dist.* 19. *quæst. vn. art.* 1. Zabar. de rerum gener. *cap.* 2. Piccol. *de consid. form. cap.* 2. Ares. *p. de Gener. disp.* 2. *quæst.* 10. & 12. Fuliens. 3. *Phys. cap.* 1. *art.* 2. Eustach. 3. *part. Phys. tract.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 8. & ex parte Perer. *Tract.* 1. *in Genes. lib.* 1. *ad vers.* 1. *cap.* 1. *num.* 50. Adducitur D. Thom. *tract. de nat. materiæ*, sed negat Capreol. hunc librum esse Diui Thomæ; sequuntur Murcia, Dandin. apud Ponc. Coninch. *de sacram. quæst.* 76. *art.* 2. Camerarius 2. *part. quæst.* 27.

SERAPHICVS, tametsi à nonnullis in anceps reuocetur, præclarè hanc tenet sententiam *in* 1. 61
dist. 23. *art.* 2. *quæst.* 2. & *in* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad vlt.* & *in* 3. *dist.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, & *serm.* 1. *supra Genes.* & *serm.* 4. §. *tertia diuisio*, & *in* 4. *dist.* 44. *dub.* 4. *litt.* & *dist.* 49. *art.* 4. *quæst.* 5. & *alibi.* Vide P. Galitium, *part.* 1. *summ. Philosoph. lib.* 1. *tract.* 6. *quæst.* 4. *num.* 4. alia loca infrà ego feram. Insignem locum addo *in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 4. *in corpore*, quem discutiam 3. *part. Tract.* 1. *disp.* 40. *quæst.* 10.

ASSERO, plures in viuente formas substantiales reperiri, subordinatas tamen, & totales, simul 62
cum partialibus formis organorum.

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *serm.* 2. *in octaua Paschæ*, argumento validissimo ipsius Christi Domini. *Ioan.* 20. & *Lucæ vlt.* vbi ad probandum, se esse eundem omninò hominem viuum, mortuum, & resuscitatum, vtitur hoc argumento: *Videte manus meas, & pedes meos: quia ego ipse sum.* Hoc autem modo Christus arguebat. 63
(ait Diuus Bonauentura) Manentibus iisdem accidentibus, manet idem subiectum; subiectum accidentium non est pura forma, sed compositum; sed manent eædem cicatrices: Ergo idem corpus; impossibile enim est, accidens mutare subiectum, & transmigrare. Si autem non daretur alia forma, recedente anima, iam Christus non fuisset idem patiens, viuus, & mortuus, ac rediuiuus; & consequenter nec eadem haberet vulnera: atque adeò malè argumentaretur, se esse eundem numero, ex cicatricibus. Quòd verò idem esset corpus Christi, 64
viuum, & mortuum, probatur etiam ex Diuo Ambrosio; & habetur *de consecrat. dist.* 2. Diuo Leone *serm. de Ascens.* Fulgentio *de fide ad Petrum*, & *serm. de Ascens.* Gregorio *in capite* 20. *Ioannis*, qui

qui contra hæreticos contendebant, Corpus Christi non fuisse resolutum, nec corruptum. Idipsum aiunt alij Patres. Hoc argumentum Scoto attribuit Rabesanus.

RESPONDENT Caietanus, & Ruuius fuisse idem corpus Christi mortuum, quia idem erat suppositum Verbi, ipsum sustentans: Sic exponere, ait, Patres, Nos verò inani timore percelli. Ita vrget cum Suarez etiam Ioan. à Sancto Thoma.

65 CONTRA: nam corpus è materia, & forma constituitur, non è diuino supposito. Cùm autem per vos forma non adesset, quæ est principalis constituens, quo pacto erat idem corpus? Id vrget Poncius *hic* cum suo Magistro Higuæo *ad locum citatum Scoti*.

DEINDE ex accidentibus cicatricum, quæ non in nuda materia, sed in composito inflicta seruabat, suam numericam corpoream arguit identitatem.

TEMERE profectò dices, destructo composito, ea fuisse destructa, & noua producta: Dic velim Quibus clauis? quibusuè instrumentis? Procul dubio, destructo subiecto, destructa sunt, quæ in illo erant vulnera. At Christus ex illis numero iisdem infert sui corporis identitatem, non ex vnitate suppositi, cuius ne syllabam quidem mussitat. Principium sanè indiuiduationis est hæc forma; non suppositum, etiam apud Diuum Thomam, vt ostendi *tract.5.disp.5.quæst.*4.

66 HINC etiam cultui Sanctarum fauebitur Reliquiarum, dum eadem adoramus ossa numero, vt notat Fuliensis, non primam materiam, impiis etiam ossibus communem.

ALTERVM è corpore Christi duco argumentum. In consecratione panis, ex vi verborum, de fide est verum corpus Christi ibi solum esse; cætera verò per concomitantiam. Itaque si in triduo mortis aliquis consecrasset panem, non fuisset ibi anima; sed tamen verum adesset corpus, iuxta institutionis verba. HOC EST CORPVS MEVM: Ergo fuisset vera corporis forma.

HINC malè respondet Suarez, conuersionem fieri in materiam, quatenus habet esse corporeum ab anima.

67 MALE etiam Arriaga dicit terminum esse materiam cum accidentibus.

CONTRA enim, quia ex vi verborum non adest anima, è Concil. Trid. *sess.*13.*cap.*3. Neque in triduo aderat anima; & tamen verum erat corpus de prædicamento substantiæ, quod ex accidentibus non resultat.

HÆC ratio elicitur è Diuo Bonauentura *in* 4. *dist.*10.*part.*1.*art.*1.*quæst.*2. Eam verò adscribunt Scoto, Faber, *cap.*1. & alij.

68 IDEM argumentum ducetur è consecratione sanguinis in triduo mortis Domini Iesu, si fuisset consecratum. Vrgeo: nam mortuo Christo, ictu lanceæ, exiuit verus sanguis, vt testatur Diuus Ioannes, *cap.*19. & definitum est ab Innocent. III. vt vidimus *tract.*601.*disp.*1.*quæst.*2. Ergo erat ibi forma substantialis sanguinis; non sola materia cum accidentibus.

69 PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura 3.*part.Centil.sect.*19. Anima, ex Aristotele, *lib.*2.*text.*6. *est actus corporis organici, potentia vitam habentis*; ergo anima vnitur corpori, iam existenti, vt forma, & perfectio perfectibili: ergo supponitur corpus animæ. Clariùs hoc deducit Diuus Bonauentura *in Comp. Theolog. verit.lib.*2. *cap.*29.

CERTVM est, nempè, animam esse vnibilem corpori, non cuicunque, puta de genere quantitatis, sed Physico, & organico. Ideò *in* 2. *dist.* 8. *part.*1 *art.*1. *quæst.*1. præcipuè *in corpore, & ad* 2. negat, Angelum posse informare corpora assumpta: quia non sunt perfectè formata organis. Hoc argumentum Scoto, & sibi attribuit Faustinus.

RESPONDET Ruuius argumento, quod putat Scoti; posse, nomine corporis organici, intelligi materiam organizatam. 70

ALII addunt, corpus organicum in definitione allata includere etiam animam.

CONTRA tamen: quia Aristoteles definit animam, vt partem distinctam, esse actum corporis organici: alioquin licuisset dicere, est ENDELECHIA, faciens corpus organicum. Materia verò sola cum dispositionibus non potest dici corpus organicum. Itaque agens, producens in Leone animam, eam produceret in materia nuda.

PROBATVR tertiò ex Diuo Bonauentura *in* 2. *dist.* 8. *part.*1.*art.*1.*q.*1.*in fundamentis*, & *ad duo vltima argumenta*. Omne, quod dat esse formale, secundùm aliquam speciem, debet esse tale actu formaliter respectu eius, cui dat tale esse, vt ostendit Aristoteles 7. *Metaph.* nam forma dat esse, dando se ipsam, secundùm suam formalitatem; sed anima, nec genere, nec specie est formaliter corpus, vel corporea: ergo non dat esse corpori. Hoc argumentum deducit Diuus Bonauentura ad probandum, Angelos non vniri formaliter corporibus. 71

RESPONDENT Thomistæ, animam habere virtute esse quantum, illudque posse communicare corpori. 72

CONTRA: nam dare aliquod formale, vt in ratione formæ, seu vt formam, requirit esse formaliter tale; sed anima non est formaliter corporea: ergo.

PROBATVR quartò à Diuo Bonauentura *in* 2. *dist.*18. *quæst. vltim. ad argumenta*, ratione, quam Faber, *cap.*1. attribuit Scoto. Vbi sunt plures mutationes substantiales, ibi sunt plures formæ substantiales; sed in composito animato sunt plures mutationes substantiales; ergo. Maior probatur: quia vnaquæquè mutatio substantialis terminat ad formam substantialem; ex Aristotele. Minor probatur à Diuo Bonauentura, quia alia est mutatio ad corpus organicum, alia ad animam, saltem nostram: quia inducitur à diuersis agentibus: nam corpus inducitur à generatione; anima verò rationalis à Deo. 73

RESPONDEBVNT, adueniente perfectiori forma, imperfectiorem corrumpi. Sed contrà arguit iam latè Diuus Bonauentura *dist.* 15. *quæstione secunda, & tertia*, & *primo, dist.* 15. *fund.* 1. & 3. Vbi sunt operationes, quæ à sola aliqua forma nequeunt esse; ibi datur alia forma, quæ est principium virtutis operantis; sed in mixto animato sunt tales operationes; ergo. Maior probatur à Diuo Bonauentura, quia operationes diuersæ à virtutibus diuersis manant, & virtutes diuersæ diuersas arguunt naturas; *operari enim sequitur ad esse*. Minor probatur à Diuo Bonauentura, primò, quia, cùm sensus sentit obiectum, debet organum conformari obiecto, & sentire proportionatas qualitates; sed tactus sentit quatuor qualitates, quæ sunt propriæ formarum elementarium; neque ab anima esse potest: ergo. 74

PROBATVR secundò minor, *quæst.* 3. *fund.* 3. Motus, & quies sunt indicia naturæ, quæ est eorum principium; sed animalia secundum prædominium formæ elementorum mouentur, & quiescunt; sic quadrupedia, pisces, auesque (dempto gressu, & volatu, qui est ab anima; vt dixerat Sanctus Bonauentura *quæst.* 2. *fund.* 2.) mouentur deorsum tam viua, quàm mortua. Vnde animal è turri præcipitatur in terram, moueturque à se ipso, non ab anima: ideóque, si in medio aëre moriatur, adhuc continuat casum deorsum; ergo ibi est forma, quæ est principium grauitatis; hæc autem non est anima, sed sunt elementares formæ: ergo.

76 CONFIRMATVR à Diuo Bonauentura *dist.* 11. *articulo secundo, quæst.* 2. *argum.* 2. quia vbi sunt accidentia, ibi est forma substantialis; sed in mixto est calor elementaris: ergo. Minor probatur ex Aristotele, *lib.* 16. *de animalibus*, & Diuo Augustino, *libro tertio*, *de Genes. ad litt. cap.* 3. vbi ait: in quolibet organo dominatur aliquod corpus è simplicibus. Idem habet, *libro tertio, cap.* 7.

77 CONFIRMATVR adhuc à Diuo Bonauentura, *dist.* 17. *quæst. vlt.* quia in corpore humano prædominantur calor, humor, & grauitas; vt patet experimento; hæc verò à materia sola non sunt, sed ex forma elementorum.

RESPONDENT Caiet. & Sauellus, 7. *Metaph. quæstione* 19. hæc virtualiter operari ab anima.

78 CONTRA est id, quod ait Diuus Bonauentura, *suprà* allatus: quia forma dat solùm id, quod ipsa formaliter est; concurrit enim intrinsecè, ad componendum tale ens, quia forma dat esse, communicando suam essentiam formaliter; vt arguit Sanctus Bonauentura *in* 1. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *fund.* 2.

PROBATVR quintò à Diuo Bonauentura *serm.* 4. *in Genes. circa medium.* Impossibile est, formam vniri materiæ, nulla præcedente; sed anima est vltima forma; ergo vnitur, mediante alia; Maiorem negare, insanum esse asserit Sanctus Doctor. Hinc iudica Arriagam dicentem, posse stare materiam nudam.

79 TANDEM probatur ad hominem. In nutritione producitur forma substantialis, ex Diuo Thomas, *prima primæ*, *quæstione* 119. *articulo vlt.* vt dicam *tractatu de anima*, *disputatione tertia*, *quæstione quinta.* Sed hæc forma non est anima, saltem in nobis; imò nec in cæteris animalibus, habentibus animam indiuisibilem; ergo forma corporea.

OBIICIES primò. Vnius entis vnum est esse, sed esse est à forma: ergo vnius entis vnica est forma.

RESPONDET Scotus, *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 3. & Fauent. *cap.* 3. ex Diuo Bonauentura *in* 2. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corpore*, plures formas subordinatas non constituere plura entia, sed vnum completum. Itaque vnius entis vnum est esse completum. Eandem responsionem desumpsêre Piccolom. & Zabarella.

80 INSTAT Caietan. *p.* 1. *quæst.* 76. *art.* 3. nos cæcutire; nam plures superuenientes formæ faciunt vnum per accidens; cùm per primam formam iam sit ens actu; quòd verò enti actu superuenit, est accidens.

AT falsum assumitur à Caietano; nam, quando vna forma ad aliam subordinatur, se habet, respectu superuenientis, tanquam materia; vt habet Aristoteles, *in calce*, 4. *Meteor.* atque adeò sola postrema forma habet rationem formæ, & actus; itaque superueniens forma non inuenit ens actu; vt notat etiam Diuus Bonauentura, *loco citato.*

DICES, Aristoteles, 7. *Metaph. cap. de vnit.* definit: In substantiis non est ordo: ergo nulla subordinatur. 81

RESPONDETVR, Philosophum ibi dicere, si est negatio, addere priorem differentiam posteriori; idem erit, si è conuerso fiat: quia in substantiis, quantùm ad has differentias, non est ordo; sed hoc nil facit ad rem.

OBIICIES secundò. *Generatio vnius est corruptio alterius, & è contrà*; ergo, cùm corrumpitur animal, generatur forma cadaueris, & consequenter non datur forma organizationis; alioquin esset simul cùm forma cadaueris. 82

RESPONDETVR, hoc axioma adduci ab Aristotele ad probandum perpetuitatem generationum, absque immensa materia; ad cuius intentum sufficit, vt ad generationem vnius sequatur corruptio alterius; & è corruptione generatio, saltem mediatè, vel quò ad modum; vt ad corruptionem animalis per mortem, sequatur generatio compositi inanimati, quoad modum; ita vt corporeitatis forma, quæ priùs habebat rationem materiæ, nunc sit forma; & posteà ex illa forma corporeitatis, sic dispositâ, generentur vermes, & alia. Quòd verò illud axioma non sit vniuersale patet ex generatione lucis in aëre; vel specierum in medio.

DICES, generatio est totius in totum, nullo sensibili remanente, *ex primo de Gener. text.* 13. ergo cùm generatur, vel creatur in corpore anima, nulla forma remanet. 83

RESPONDET Tartaretus, ibi Aristotelem loqui de sensibili completo, vel loqui de generatione inanimatorum, vt cum aqua fit ignis, vt dixi *Tract.* 5. *disp.* 18. *quæst.* 5.

RESPONDETVR secundò, sumi generationem viuentium, secundùm suum esse totum; ità vt de primo termino à quo, quod est semen, nil remaneat formæ, &c. 84

OBIICIES tertiò. Si in viuente plures essent formæ, sequeretur, hanc propositionem: *Homo est animal*, non esse in primo modo dicendi per se: nam prædicatio, sumpta à diuersis formis, est accidentalis; sicuti hæc: *Homo est albus*; si autem in homine sunt plures formæ substantiales, iam prædicatio sumitur à pluribus formis.

RESPONDETVR, negando sequelam: Ad probationem dico, propositionem illam esse de formis, quæ sunt diuersi prædicamenti, vt substantiæ, & qualitatis, non autem de his, quæ sunt eiusdem generis, quarum vna ad alteram subordinatur. 85

OBIICIES quartò. Illa caro, quæ non potest fungi officio carnis, est æquiuocè caro; ex Aristotele 4. *Meteor. cap. vlt.* sed caro mortua est talis; ergo. 86

RESPONDETVR, carnem mortuam non esse propriè carnem, quia caro dicit animationem; ergo non potest officio carnis viuifico fungi; potest tamen nutrire, atque adeò est substantia, cùm substantiam producat, vt experti sunt aduersarij, edentes Vitulos, Capones, 87

nes, & Ortygometras, qui sunt Perdices, sic dictæ ab Ortygra terra, in qua primò sunt visæ; vt ait Sanctus Doctor ad *c. 16. sap.* vel ab orthon rectum gogos, idest ductio, & metros, mensura, quasi esca Hebræis rectè adducta in mensuram, vt ait Sanctus Doctor, *ad cap. 19.*



DISPVTATIO III.

DE CORPORE HVMANO.

PEDETENTIM ad corporum nobilissimum ventum est, Humanum scilicet: illud nobis hic tractandum, non quale iam suis æstuat concupiscentiis, aliisque infirmitatibus obnoxium languet; Sed quale in primo Parente vegetabat, vigetque modò, iuxta naturalem sui statum: Primum in prima hac disputatione prosequemur; secundum in sequentibus. Porrò Protoplasti corpus, licèt plura præ cæteris priuilegia sit nactum, non tamen adeò eleuabimus, vt naturam ei purè cœlestem affingamus, qualem nonnulli somniarunt, quos abundè refutat Seraphicus Doctor vbi infrà *in corpore*. Sed cum in statu medio inter gloriam, & miseriam fuerit positum, ita vt passibilitas non fuerit ei impossibilis, vti est in beatis; nec fuerit actu, vt in miseris; medio quodam passu incederet, vt nec elementorum discordiam actu sentiret nec eam penitus impossibilem cognosceret; statum tamen quemdam fœlicitatis experiretur, dum in Paradiso, deliciarum promptuario, nequaquam moriturus moraretur; Verum vt de his fusiùs ordine agamus; sit.



QVÆSTIO I.

An CORPVS *primi hominis factum sit de materia cœlesti; An Elementari.*

Diuus Bon. in 2. dist. 17. art. 1. quæst. 1. 2. & 3.
D. Thom. quæst. 91.

1 ASSERO primò, Adami corpus è limo terræ factum, atque adeò ex elementis.

PROBATVR à Diuo Bonauentura *in corpore*, ex historia Genes. 2. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ.* Idem habetur *Iob* 8. *& Isaia* 64. Idem significatur Hierem. 18. *&* 9. *ad Romanos*; *&* 1. *ad Corinth.* 15.

RATIONEM litteralem ponit Sanctus Bonauentura *quæst. 3. dist. 15.* & Diuus Thomas *dist. 17. quæst. 3.* quos sequitur Valent. *disp. 7. q. 1. punct. 1. col. 1083.* Suarez *lib. 3. de hominis creatione, cap. 1. num. 2.*

CORPVS Adæ ex iis elementis compositum est, quæ in eo prædominantur, secundùm materiæ suæ substantiam; sed talia sunt terra, & etiam aqua, ex qua fit limus; ergo. Minor probatur: quia, cùm corpus humanum, ob sui perfectionem, habeat multum de virtute ignis, & aëris; de calore, & humore (vt dicunt Medici, & Naturales) quibus vita maximè continetur; oportet vt habeat etiam plus de substantia aquæ, & terræ; de quarum virtute (nempe frigiditate, & siccitate) minus habet; vt hac ratione corpus, secundùm molem, & virtutem attemperetur. Confirmatur: nam corpus humanum est graue; ergo magis terrenum, & aqueum, quàm igneum, aut aëreum. 2

HINC colligunt Suarez, & Valentia, corpus humanum etiam de aliis duobus elementis, idest, aëre, & igne coagulatum. Ità latè Diuus Bonauentura *quæstionibus additis*, de hoc disserit. 3

PROBATVR secundò à Dicto Bonauentura *quæst. 2. hic*, ex constitutione ipsius hominis; quia debuit esse talis; vt communicaret cum omnibus creaturis; atque adeò in vegetatione cum plantis; in sensatione cum animalibus; & sic intelligeret cum Angelis; sed ad hoc requirebatur multitudo organorum, ex elementis compositorum: ergo.

PROBATVR tertiò à Diuo Bonauentura ex ordine ipsius hominis: quia enim vertibilem arbitrio decuit esse hominem; ideò debuit habere tale corpus, vt posset sanè durare, in nocentiam seruans; at perduellis corrumpi; ergo non ex materia cœlesti, sed elementari, quæ contrarietatibus obnoxia est, debuit fieri. 4

PROBATVR quartò à Sancto Doctore quia, cùm homo esset finis omnium creaturarum, debuit fieri talis, vt possent illæ obsequium ei præstare.

PROBATVR quintò à Seraphico Doctore; sicut enim vna natura rationabilis, idest, Angelus, facta est in loco sublimi spiritus purus; ita alia debuit fieri in infimo ex elementis; & ideò habere corpus aptum domicilio elementari. 5

PROBATVR sextò. Cùm homo crearetur in reparationem Angelicæ naturæ, debuit in humilitate contineri; vt per superbiam non elaberetur. Hanc rationem reddit Eccli. 10. *Non est creata homini superbia.* Quia non est conditus in illa altitudine, quam solet Scriptura superbiam vocare; vt, cùm dicitur; *Mecum sunt diuitiæ, & opes superbæ*, Prouerb. 8. Vide Seraphicum latè, & diuinitus de his præclara disserentem, vbi ostendit, non decuisse creari è cœlesti substantia; cùm ea non veniat in compositionem aliorum; & solùm corpora simplicia formaliter constituat; licèt efficienter ad omnia sublunaria componenda concurrat. 6

ASSERO secundò. Corpus Adæ à prædominio, secundùm molem, fuit è limo, idest, aqua, & terra; secundùm virtutem autem, aëreum, & igneum. Vide Diuum Bonauenturam, *dist. 17. quæst. vlt.* De his ego *disp. 2. quæst. 1.* Ideò dictus est homo ab HVMO; vt notat Diuus Bonauentura, *in Pharetra, lib. 1. cap. 7.* 7

QVÆRES, an Deus vsus sit ministerio Angelorum in creatione corporis Adæ. Multi respondent negatiuè; 8

negatiuè; vt patet *in text. Genes.* 1. Idem enim dicitur esse, qui formauit corpus de limo, & qui inspirauit spiraculum vitæ; sed hoc solus Deus præstitit, cùm Angeli id nequeant. Minor probatur. *Faciamus hominem; &c.* Vbi D. Basil. *hom. 9. in Genes.* & D. Cyrill. *lib. 1. contra Iulianum*, qui oppositum vocant erroneum: At Diuus Bonauentura *in comp. Theol. verit. lib. 2. cap. 6.* concedit aliquod ministerium Angelorum, vt, formare lutum, confin-
9 gere statuam; quod Suarez, *lib. 2. cap. 1.* laudat; & est D. Thom. *quæst. 91. art. 2. ad 1.* Idem habet Valentia *Tom. 1. disp. 7. quæst. 1. punct. 1.* Arriaga *disput. 34. sect. 1.* non refellit.

QVÆSTIO II.

An Corpvs Adæ *factum sit cum Anima.*

Diuus Bonauentura dist. 17. arti. 1. quæst. 3.

10 PRima opinio est, in vno instanti fuisse organizatum corpus, & Animâ præditum. Ità videtur sentire Diuus Thomas *quæst. 91. art. 2. & sequent.* quem sequitur Suarez, *lib. 3. de mundo, cap. 1. num. 8.* alios adducens Theologos. Imò & Damascenus *2. de fide, cap. 12.* vbi ait: *Corpus, & anima vnà creata sunt; non autem (vt Origenes delirauit) hoc priùs, illud posteriùs.* Verùm ex hoc loco nil colligitur: nam ibi solùm refutat errorem Originis, insanientis, animas ante corpora creatas; & ex eis aliquas immissas in corpora, ob peccata, quem errorem etiam explodit D. Bonauentura, *hîc.* Hanc sententiam tuetur etiam Valent. *disp. 7. quæst. 1. punct. 1. col. 1085.* qui addit, Nyssenum refutare dicentes, corpus Adæ priùs formatum; sed Nyssenus non agit contra illos.

11 Secvnda sententia est, corpus Adæ priùs productum, deinde anima informatum; atque adeò videtur interuenire successio. Ita Diuus Chrysost. *hom. 12. & 13. in Genes.* Abulen. *Genes. 1.* Castro. *contra hæreses, verbo anima, hæresi tertia*; & Diuus Bonauentura, *hîc.* Non enim volunt hi Doctores, corpus Adæ perfectè humanum, idest, cum vltima dispositione ad animam, tempore præcessisse informationem animæ; hoc enim contra philosophiam est. Intelligunt ergo, corpus hominis delineatum, & externa hominis forma compositum, & imperfectè dispositum præcessisse, tempore, introductionem animæ; ac proindè ab imperfecto ad perfectum, successiuè procedendo; tandem ad vltimam dispositionem peruenisse.

12 Assero cum hac sententia priùs fuisse formatum corpus Adæ, deinde animam ei infusam.

Probatvr à Diuo Bonauentura primò, *fund. 1.* ex illo Genes. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Hoc enim loco sermo est de formatione hominis, quo ad corpus; vt sentit Diuus August. *lib. 13. de ciuit. Dei, cap. 24.* vbi docet quòd Deus non nisi corpori inspirauit spiraculum vitæ; at verò corpus illud iam habebat faciem hominis, quando inspirauit in eum spiraculum vitæ; ergo prius fuit homo formatus de limo terræ, & externam formam hominis habuit, quam informaretur anima; ac proindè successiuè formatum est; & hoc clarè exponit Esdra, *lib. 4. cap. 3.* Hoc argumentum vrget Arriaga *disp. 34. num. 8.* vbi ad nos propendet.

Respondet Valentia, hæc solum exponere modum, non successionem. Sed hoc gratis dictum est; vt suprà ostendi. 13

Probatvr secundò ratione à Diuo Bonauentura *in 3. dist. 3. part. 2. art. 3. quæst. 2. arg. 4. addita responsione*; vbi de corpore Christi concedens ipsum formatum esse in instanti, ex miraculo, ibi cæteris hoc priuilegium negat: quia cætera corpora non sunt tot magnis miraculis exaltata. Non enim potest corpus formari, nisi materia consolidetur, condensetur, & alibi rarefiat, quæ non fiunt absque motu locali.

Rvrsvs consolidationem, & rarefactionem præcedit conuersio, & conuersionem seminis decisio, quarum operationum singulæ requirunt vel instans, vel tempus, & altera est ad alteram ordinata; & ordinario modo nequeunt fieri simul, nisi per omnipotentiam Dei, & hæc singulari priuilegio vix conceditur Christi corpori; vt videbimus *3. part. Tom. 1. disp. 29. quæst. 3.* & latè probat Suarez *tom. 2. in 3. part. disp. 11. sect. 2.* penè difficultatibus quàm plurimis succumbens. Hinc verò non videtur ità exaltanda creatio Adæ, vt cùm Christo comparetur. Quod videtur esse sensus Diui Augustini *1. Retractat. capite 10.* 14

Addit Sanctus Doctor *dist. 18. articulo 1. quæst. 2. argum. 6.* ex Diuo Augustino *2.* suprà *1. Genes. cap. 1.* vbi ait, Deum, in rerum conditione, non vti rebus, ad miraculum suæ potentiæ, sed secundùm quod competit ipsarum rerum naturæ. 15

Probatvr tertiò à Diuo Bonauentura, *hîc, fund. 3.* Forma, pluribus succedens, post eas debet esse producta; sed anima est talis, succedens mixtioni elementorum, organizationi, seù partium heterogenearum productioni: Ergo.

Confirmatvr *fund. 4.* Ordinata productio procedit ab imperfecto ad perfectum. 16

Obiicivnt Valentia, & Suarez, *Genes. 1.* dicitur: *Faciamus hominem, &c. & creauit Deus hominem; & formauit Deus hominem.* In quibus verbis vltimis non necessariò intelligitur solùm corpus, sed totus homo; vel si de solo corpore intelligitur, non indè colligitur, ipsum fuisse priùs tempore formatum.

Confirmatvr; quia sic producta fuère etiam alia animalia. Roboratur (ait Suarez) optima ratione; quia, licèt Deus produxerit hominem, & cætera animantia ex præiacente materia; tamen produxit ea altiori modo, quàm per naturalem generationem; & ideò per quendam veluti secundæ creationis modum; ideoque sicuti per creationem, ex nihilo in instanti fit corpus humanum cùm omnibus suis partibus; ita etiam, præsuppositâ materiâ, potuit id in instanti formari.

Addit Valentia, intelligi ibi, factum hominem simul totum; nam solum corpus non est homo.

Respondet Sanctus Bonauentura se suam sententiam ex iis verbis non colligere, sed ex allegatis à se; hæc autem reaccinunt solùm creationem, & formationem hominis; illa verò primò distinctè enarrant factum. Adde, nec omnia simul facta *hîc* dici. Quod verò assumit de aliis accidentibus, eadem scatet falsitate, nec aliquid rationis addit. 17

Qvod

Qvod autem subdit, illa sua optima ratione, respondeo ex Diuo Bonauentura *in 3. loc. cit.* friuolum esse, quod assumitur; Dispar enim omninò est ratio; nam in formatione ex materia requiruntur plures alterationes, ex indispositione materiæ, & repugnantia positiua cum corporis organici statu, nempè, raritate, vel densitate, &c. At in creatione est tantùm oppositio priuatiua, quæ non contradicit.

19 Obiicies secundò; Indecens fuit, nobilissimam creaturam imperfectè per partes condi.

Respondetvr, ex Scriptura, id colligi etiam ex *lib. 4. Esdræ, cap. 3.* vbi clarè asseritur: Habet autem liber ille authoritatem historiæ; etsi canonicus non sit.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Corpus Evæ *fuerit ex costa Adæ productum; & quomodo.*

D. Bonau. dist. 18. quæst. 1. & 2.
D. Thom. quæst. 92. artic. 2.

Videretvr temerarium de hoc disputare; nisi insurgeret, qui impugnaret.

20 Caietanvs enim, Thomistici gymnasij Atlas, succumbens apparentibus rationibus, quæ veritatem Catholicam formationis Euæ de costa Adæ impugnant, ausus est, fugam arripiens, dicere, hæc metaphoricè dicta: Verè quidem fuêre Origenistæ, qui latrarunt, Euam ex Adamo non esse factam; vt habetur *in 6. Synodo Generali, Act. 11. in epist. Sophronij.*

Assero tamen, Euam de costa Adæ fuisse verè formatam.

21 Probatvr à Diuo Bonauentura in Pharetra, *lib.* 8. ex multis Patribus.

Probatvr à Diuo Bonauentura secundò *hic, in argumentis, & in corpore* ex Genesis historia: *Immisit Dominus Deus soporem in Adam: Cùmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea: Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Narratio autem illa est historica; sicut creatio præcedens Adæ, vt notat Diuus Bonauentura *dist.* 18. *ad Textum Magistri*; & post eum Suarez, *lib. 3. cap. 2. de hominis creatione, num. 3.* Idem habetur, vt dicitur: *Masculum, & fœminam creauit eos*; vt notat Suarez *loc. cit.* post D. Bonauenturam *argumento primo.*

22 Confirmatvr à Diuo Bonauentura ad illud *Sapientiæ 1.* vbi loquens de Adam ait: *Primus formatus est à Deo Pater Orbis terrarum, cùm solus esset factus*, vbi notat D. Bonauentura, & post eum Suarez, fuisse solum (profectò ante creationem Euæ.) Idem aduertit Valentia, *infrà citandus*: Addit Ecclis. 17. *Creauit ex ipso adiutorium simile.*

Hoc verò tota Ecclesia adeò sensit vnanimiter, vsque ad Caietani tempora, vt Alphonsus de Castro, *verbo Adam*, & Prateolus dixerint, doctrinam Caietani esse nouam hæresim: Idem innuit Pererius, *lib. 4. in Genes. disp. de formatione Euæ.* Tametsi Molina, *tract. de operibus sex dierum, disputatione 24.* alios innuat idem cum Caietano sensisse.

Vere D. Hieronymus *in epistol. ad Philemon.* ait, non posse aliquem in Deum credere, nisi credat, vera esse, quæ scripta sunt, quæ sic enumerat, Adam à Deo plasmatum: Euam ex costa illius, & latere fabricatam; Enoch translatum, & cætera. 23

Confirmatvr à Sancto Doctore *in corpore, quæst. 1.* ex comparatione, quam facit Ecclesia formationis corporis Euæ, de latere Adæ, cum formatione Ecclesiæ, è latere Christi: Sic loquitur D. Hieronymus, *epist. 61. ad Pammach.* Chrysostom. *hom. 15. in Genesim*: Augustin. 21. *de Ciuitate Dei, cap. 23.* Gregor. *hom. 6. in Ezech.* consentiunt omnes Patres *super locum Genes.* & ad *Ephes. 5.* Clementina 1. *de Summa Trinitate, in Concil. Vienn.* & Innoc. III. *in cap. Gaudemus, de diuortiis.* 24

Mysteria autem huius fabrefactionis vide in Sanctis Patribus allegatis, & D. Bonauent. *in corpore*: Vbi etiam congruentias talis formationis Euæ perpulchras assignat. Eum sequitur Valent. *tom. 1. disp. 7. quæstione 1. punct. 3. col. 1089.* cum cæteris. 25

Iam verò nobis superest, ea argumenta diluere, quæ Caietanum terruêre: Et quidem, si Diuum Bonauenturam perlegisset, non statim Aduersariis veritatis manus dedisset.

Obiicies primò hoc dilemma: Vel illa costa non fuit necessaria Adæ, atque adeò vigesima quinta; vel fuit necessaria, id est, vigesima-quarta, quæ in cæteris hominibus claudunt thoracem; Si fuit necessaria, remansit ex illius subtractione mancus; si non fuit necessaria; ergo creatus est monstruosus: Deinde, ad quid Deus repleuit carnem pro ea; non enim hoc oportebat fieri. 26

Svpponitvr in argumento numerus costarum ordinarius: de quo *disp. 4. quæst. 1. cap. 5.*

Respondet D. Bonau. *ad vlt.* fuisse sanè creatum Adam cum illa costa vigesima quinta, cuius loco Deus repleuit carnem, post illius extractionem; illa enim costa, licèt esset superflua Adæ, vt indiuiduo, erat tamen necessaria; vt ex ea educeretur mulier, quam è costa vigesima quarta ob maxima mysteria, eruere sapientissimè decreuerat: neque verò fuit ideò Adam monstruosus; sicuti nec monstruosus est homo ex semine suo indiuiduo superfluo; generationi solùm necessario. cum Diuo Bonauentura stant communiter Theologi, præcipuè D. Thom. *p. 1. quæstione 92. art. 3.* Abulens. *Genes. 13. quæst. 393.* Hugo de S. Victore, Lyranus, & alij *ad eum locum Genes.* & Anatomici. 27

Instabis, non esse naturale exemplum: Nam semen naturale est homini, non tanquam pars eius; sed tanquam superfluum alimenti, quod ex nutritione naturaliter sequitur: Ad sapientem autem Deum spectauit, superfluum illud ad bonum speciei ordinare: At verò costa illa supra numerum, non est homini naturalis; ergo ex ea fuit Adam monstruosus; sicuti si in manu sex digitos habuisset. 28

Respondet Suarez, *num.* 8. ex Diuo Bonauentura *loc. cit.* illam costam non fuisse naturalem, tanquam requisitam ad naturale complementum corporis humani, vel per naturalem eius actionem producibilem: attamen posse dici naturalem, ex institutione Authoris naturæ, qui, cùm decreuisset, ex vno homine cæteros condere; ideò 29

produxit eum cum integritate, ad propagationem necessaria; & ideò potest ea integritas naturalis dici Adæ; vt esset aliorum principium: Ob eam causam, non potest dici ille homo monstruosus ea maximè ratione, quia monstruosum propriè est, quod accidit præter intentionem naturæ: Addit Arriaga *disputat.* 34. *num.* 18. illam non apparuisse; ideò nihil monstri attulisse.

30 VOLVNT alij, eam costam, vnam esse è viginti quatuor; at nouam à Deo fuisse substitutam. Ita Valentia *loco citato.*

CONTRA arguit Sanctus Doctor; quia ibi dicitur: *Repleuit carnem pro ea*; scilicèt pro costa: Ergo non substituit aliam costam; sed carnem solam.

ENIM verò sibi obiicit Diuus Bonauentura: Si ea costa erat Adæ superflua, non debuit loco eius carnem substituere thoraci.

31 RESPONDET Sanctus Doctor, repleuisse carne locum; vnde alia caro abstracta est simul cum costa: Ipse enim Adam dixit: *Os de ossibus meis, & caro de carne mea*, est hæc mulier: Ad sublime autem mysterium acta sunt hæc. Adam enim vir dat vxori costam cum carne; substantiam, & robur ad prudentem conuictum; sed ipse accipit carnem pro ea; quia ex conuictu cum vxore emollitur; vnde & illa dicitur mulier à molliendo: Vtinam non fuisset eius blandis verbulis emollitus ad pomum vorandum: Monitus; sed frustra; imò præmonitus; sed vxorius se gerens, miserè succubuit.

32 RESPONDET Suarez, Deum repleuisse carnem pro costa; ità tamen, vt in carne esset costa; sicuti; cùm dicitur: Accepit costam: Intelligitur etiam caro simul cum ea. Idem habet Valent. *loc. cit.* qui aliud responsum addit; Deum repleuisse carnem Adæ apertam, & hiantem ex detractione costæ, ponendo intus aliam costam; ideò Hebræus ait: *Clausit carnem pro ea.*

ENIM verò non est simile: quia caro est vna pars similaris; & ideò, cùm sola vocatur, sola intelligi debet; at verò costa organizata, qualis supponitur in Adam viuo, non est simplex os, sed os vestitum cartilagine, circumdatum carne, venas includens, vt alatur; atque adeò longè dispar est ratio.

33 ID verò, quod addit Valentia, vanum est: Nam dicit, repleuisse carnem pro costa; ita vt caro sit loco costæ substituta, nec aliter sonat Hebraïcum יכגר בשר Vbi *Basar* Caro in nominatiuo est; cùm articulum hîc non habeat. *Imgor infarsit*, vt legunt LXX. sonat; seu, *posuit*, vt Chaldæus Paraph. Ità sensus est; Caro supponens se loco hianti, repleuit hiatum, & clausit; vt legit Pagninus, explicans effectum nouæ carnis suppositæ.

34 OBIICIT secundò Caietanus: Quomodo è parua costa, potuit mulier integra fieri?

RESPONDET Diuus Bonauentura *distinct.* 18. *quæst.* 2. *fund.* 1. *&* 2. ex Magistro *cap.* 4. & Hugone de Sancto Victore *lib.* 1. *de Sacrament. part.* 6. *cap.* 26 quem sequuntur Durand. *dist.* 18. *quæst.* 1. Argent. *art.* 4. Euam formatam Diuino miraculo ex costa illa, eo modo, quo quinque panes multiplicati sunt in solitudine, per solam multiplicationem illius materiæ, absque vllo additamento: *In corpore* verò, concludit, illam costam habuisse ad hoc opus, non potentiam seminalem, sed
35 obedientialem tantùm; quod idem est ac dicere, potuisse id fieri solâ Dei potentiâ: Quod idem asserit Henricus, *quodl.* 7. *quæst.* 9. Alens. *part.* 2. *quæst.* 58. *art.* 4. §. 7. *in fine.* Ægidius, *distinct.* 18. *quæst.* 1. *art.* 3. Nyssen. *orat.* 3. *de resurrect.* Lyran. *in cap.* 2. *Genesis.*

36 E REGIONE autem D. Thom. *prim.* 1. *quæst.* 29. *art.* 3. *ad* 1. id omninò fieri hoc pacto non potuisse, vult. Eum sequitur Gregor. *d.* 18. *quæst. vnic.* Suarez, *lib.* 3. *de hominis creat. cap.* 2. Arrident Conimbricenses, *primo de generat. cap.* 5. *quæst.* 18. & alij, dicentes, non posse materiæ portionem sub parua quantitate existentem, sub maiori quantitate constitui sine rarefactione, & absque existentia materiæ in pluribus locis, & sub distinctis quantitatibus, secundùm easdem partes: Ità etiam Ruuius 1. *de Genes. cap.* 5. *quæst.* 3. Arriaga *disput.* 34. *num.* 20. dicentes, Deum cum costa sumpsisse materiam aliam.

37 HI tamen loquuntur, ac si nihil Deus posset supra naturam; licèt enim hoc, quod ipsi dicunt, naturaliter fieri nequeat; haud tamen potentiæ Diuinæ hoc denegandum; vt eadem materia multiplicetur, non solùm quoad situm; sed etiam quoad entitatem; atque adeò multiplicetur quantitas; vt dicam *tract. seq. disp.* 3. *quæst.* 6.

38 HOC verò textui sacro est magis consonum, qui asserit, Euam è costa Adæ fabricatam; quod si materia de nouo creata esset, ad supplendum, quod costæ deerat de integro corpore mulieris; vt ait Diuus Thomas; aut si de aëre, aut aliundè sumpta esset, iam malè diceretur, Eua facta de costa Adæ: Vbi aduerto vim verborum: *Ædificauit costam in mulierem*: Ecce costa est fundamentum totius fabricæ, rationemque ædificij, virtute continens obedientiali.

39 INSTAT Suarez: Inde Deus multiplicauit per vos costam; vnde multiplicauit quinque panes; sed quinque panes multiplicauit è terra: Ergo. Minor probatur. Inde multiplicauit Deus quinque panes; vnde multiplicat è paucis granis tot segetes; sed has è terra multiplicat: Ergo. Maior est D. August. *tract.* 24. *in Ioannem.*

40 RESPONDETVR, argumentum laborare æquiuoco. Indè quidem, seu ab eadem potestate Diuinâ manat vtrumque; non tamen inde vtrumque materialiter. Neque Diuus Augustinus dicit, *inde*, ex eadem terrâ fieri intrinsecè; sed *inde*, idest, ex eadem vi efficienti. Hoc præclarè patet in D. Augustin. nam huius rei assignans rationem; sic loquitur: *Vnde enim multiplicat de paucis granis segetes; inde in manibus suis multiplicauit quinque panes: Potestas enim erat in manibus Christi: Panes autem illi, quasi semina erant, non quidem terræ mandata; sed ab eo, qui terram fecit, multiplicata.*
41 Itaque, vult potestatem Christi, loco concursus terræ, miraculosè operatam: Hinc patet ad tertium Caietani, nolentis admittere miraculum in hoc. Sanè miracula sunt concedenda, cùm astruuntur; hîc autem astruuntur.

HINC ostendit D. Bonauent. in ea *quæstione* 2. *dist.* 18. corpus Euæ non fuisse in costa Adæ seminaliter; sicuti in granis sunt segetes; vt ferè concedit Suarez, *num.* 13.

42 PROBATVR à Diuo Bonauentura, primò ex Diuo Augustino allegato à Magistro: Nam, quæ sunt causæ seminales, naturaliter producunt; sed costa miraculosè produxit Euam: Ergo. Maior probatur, *fund.* 2. ex Magistro, & communiter. Minor probatur, *fund.* 3. Semen dicit principium actiuum, & intrinsecum naturale.

PROBATVR secundò, *fund.* 4. Semen habet in

in se rationem totius, & partium eius rei, quæ ex ipso producitur; vt habet D. Augustin. 5. *super Genes. ad litt. cap.* 22. Sed in illa costa non erat virtus, ad omnia, & singula membra formanda: Ergo.

43 Probatvr tertiò: Impossibile est, aliquid crescere per virtutem creatam, nisi per rarefactionem, aut appositionem; sed corpus Euæ è costa formatum fuit totum; cùm esset maius, & non per rarefactionem sui, nec per extrinsecæ materiæ appositionem: Ergo productio illa ex costa non fuit secundùm virtutem creaturæ; sed solùm creatricis essentiæ: Ratio autem seminalis dicit virtutem creatam; non enim dicuntur res esse in Deo seminaliter; ergo hæc productio Euæ ex costa non fuit secundùm seminalem rationem.

44 Probatvr quartò, *fund.6.* secundùm seminalem rationem fit rerum propagatio, & generatio speciei; sed in eductione Euæ ex costa non fit propagatio in humana specie: Ergo.

45 Adnotat autem differentiam, inter rationem causalem, & seminalem: nam ratio causalis est vniuersalis; & complectitur etiam causas extrinsecas; at ratio seminalis dicit solam intrinsecam materialitatem. Vide Diuum Bonauenturam.

Concludit verò, potentiam naturalem inesse in aliquo naturali: Cùm ergò in costa illa non esset potentia naturalis, sed sola obedientialis, ad producendum corpus Euæ, non est dicenda illa costa seminalis ratio corporis Euæ. Vide Sanctum Doctorem *in corpore.*

46 Obiicit quartò Caietanus, quòd iam Eua fuerat creata: nam dicitur Genes. 1. *Masculum, & Fœminam creauit eos*: Ergo subsequens narratio de productione Euæ ex costa Adæ, est censenda metaphorica.

Respondet S. Bonauentura *ad* 1. *quæst.* 1. non esse hæc dicta, quasi simul creati sint: Non enim in littera dicitur Masculum, & Fœminam simul creauit; sed narrat Moyses anticipatiuè comprehendens compendiosè, in creatione etiam fœmina: Vel dicendum etiam anticipatiuè ibi exponi creationem amborum, quoad productionem animæ, in qua costa Adæ non habebat partem.

Qvod verò priùs Adam creatus sit, probatur à Diuo Bonauentura primò, illo Sapientiæ 1. *Qui primus formatus est, cùm esset solus*; & *Genes.* 2. dicitur: *Adæ non inueniebatur adiutorium simile, &c. Non est bonum hominem esse solum, faciamus adiutorium simile.*

37 Obiicit quintò Caietanus: In formatione Euæ dicitur Adam soporatus; at sopor ille non fuit: nam sopor est quies virtutum animalium, cum intensione naturalium; sed in Adam non erant sensus fatigati, nec virtutes animales; ergo ille somnus non fuit verus. Confirmatur; quia non legitur Adam expergefactus à somno.

48 Respondet D. Bonauentura *ad* 4. 5. *&* 6. & *dist.* 23. *dub.* 4. *litt.* illum somnum fuisse à Deo immissum; vt Adam in altissimam contemplationem raperetur: Vnde in se rediens prophetauit: *Hoc nunc os de ossibus meis, &c.* Quæ verba Paulus ad *Ephes.* 5. Sacramentum magnum continere, affirmat, nempè, *Matrimonij*: Similiter & coniunctionem Christi cum Ecclesia: Ità sentit D. August. *lib.* 2. *de Genes. contra Manichæos, cap.* 12. & 9. *de Genes. ad litt. cit. cap.* 19. & *tract.* 9. *in Ioan. post medium*: Vbi etiam refutat opinionem Chrysost. *homil.* 15. *in Genes.* & Epiphanij, *hæresi* 48. dicentium, illum soporem immissum à Deo, ne Adam dolorem sentiret in auulsione costæ. Papæ! quis non expergiscatur, si costa ei auellatur? Potuit autem Deus ità auellere costam, non minùs vigilanti, quàm dormienti absque dolore; vt notat etiam Diuus Bonauentura. Consentiunt Rupert. *lib.* 2. *in Genes. cap.* 34. Ambros. cum aliis, *ad Ephes.* 2. Hieron. *in quæstionibus Hebraicis in Genes. cap.* 2. vbi cum LXX. legit pro sopore Extasim: Tertull. *lib. de Anima, cap.* 21. & *cap.* 41. vbi extasim hanc amentiæ instar exponit.

Deinde verò tunc etiam corpus quieuisse, non negat S. Bonauentura, & soporatum, non quidem ad lassitudinem refocillandam; nam etiam Adam fuisset naturaliter soporatus, ad vigorandam potentiam vegetatiuam, quiescente sensitiua; licèt enim hæ virtutes non lassarentur; attamen vna ab opere cessante, altera roboraretur. Dic, num *Genes.* 15. 19. & alibi soporati, narrantur excitati? 49

Obiicit sextò aliud signum huius Metaphoræ, *Genes.* 2. vbi adduxit Deus Animalia ad Adam, vt imponeret eis nomina; & addit: *Adæ verò non inueniebatur adiutorium simile*: Quæ verba sonant, Deum adduxisse ad Adam animalia, vt videret; an in eis Fœmellam ad humani generis multiplicationem coaptam inueniret: Hæc sanè litteraliter sonantia, risum euocant; atque adeò cum subsequentibus sunt metaphoricè capienda; eam verò in animalibus inquisitionem factam indicat verbum inueniendi, quod iam quæsitum fuisse supponit. 50

Respondetvr, hæc inania esse: Nam animalia adducta sunt ad Adam; vt ea vocaret nominibus propriis: Quod verò subdit: *Adæ verò non inueniebatur adiutorium.* Est exordium creationis Euæ, nempè, cùm Deus vltimum creasset hominem solum; adhuc non erat ei adiutor; sicuti omnes bestiæ habebant. Ideò hic non inueniebatur, id est, non erat: Hoc enim verbum *inuenire* significat, vt cùm dicitur: *Non est inuentus similis illi, &c.* & ideò Iosephus, *lib.* 1. *antiquit. cap.* 2. ait, Adamum miratum aliqua animantia habere consortium; se verò nequaquam; & ideò Deum se accinxisse formationi vxoris: Itaque illud *inueniebatur* significat, Adam vidisse se sine adiutorio; vbi illud animalia habebant. 51

Obiicit septimò Caietanus in textu haberi, *Adduxit Deus eam*, id est Euam, *ad Adam*; hoc verò propriè non est verum: nam, cùm formata esset è latere viri, erat præsentissima. 52

Hoc tamen, cum reliquis non erat tanti ponderis, vt Caietanum, virum eruditissimum, ac subtilissimum, terreret. 53

Respondetvr enim, potuisse Deum costam longiùs asportare, eamque in mulierem mutare; vel mulierem longiùs à marito instruere voluisse de his, ad quæ tenebatur sub lege viri; vel potuit illud verbum *adduxit*, significare, *obtulit amplexibus Adæ*; vel dic, statim eam excurrisse, vt dicunt aliqui apud Haye *hîc*.

Obiicit octauò illud Adæ effatum: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*: *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit vxori suæ*: Hæc verò de omni muliere metaphorica sunt; vt mulier dicatur de ossibus viri: quia nimirùm de robore viri in muliere aliquid saluatur; & *caro de carne*: quia in fœmina affectus carnis non minuitur. 54

Hæc sanè Mysteria apta quidem sunt; vt etiam 55

etiam refert Diuus Bonauentura *in corpore*: Attamen non auferunt sensum litteralem de solo Adamo: Ideò ait, *Hoc nunc os*, *&c.* quasi dicat, hac vice; & ideò dicitur *Virago*, *quia de viro sumpta est*: Quæ verò subdit, sicut & consequentia, deducta sunt ad significandum vinculum arctum Matrimonij: Dicunt verò Aduersarij communiter, tunc, cùm ait: *Inspirauit in faciem*, *&c.* non creasse hominem; sed dedisse Spiritum sanctum; sicut dicitur *Ioan.* 20. Sed hoc est vanum; vt notat D. Bonauentura, *dist.* 17. *quæst.* 1. *ad* 1. & ostendam *tract.* 9. *disp.* 1. *quæst.* 17. *&* 18.

56 QVÆRIT Suarez, *num.* 22. Cur Eua dicatur caro de carne, cùm e sola costa facta sit.

RESPONDET Sanctus Doctor, *distinct.* 18. *quæst.* 1. *ad vlt.* quem sequuntur Abulens. Oleaster, Pererius, Cathar. Ystella *in hunc locum Genes.* Alens. 2. *part. quæst.* 85. *in* 2. *in fine*, Molina, *tractatu de operibus sex dierum*, *disputat.* 21. Adamum, vt principium mulieris, dedisse costam, carne indutam, quæ ad integritatem eius personalem non erat necessaria.

ADDIT secundò Suarez, nudam costam à Deo auulsam; attamen potuisse dicere: caro de carne mea, ad ostendendum totum corpus Euæ fuisse ex ipso formatum.

57 Hoc tamen non placet; quia non ait Adam: *Hoc nunc os de ossibus meis*, *&* *caro*, de osse, sed *de carne mea.* Itaque, licèt hæc verba, *Os*, *&* *Caro*, ostendant, totam Euam ex ipso formatam: Attamen, cùm dicit *de carne mea*, ostendit originem de carne Adæ non minùs, quàm de osse illius: Hæc enim est parallela partium enumeratio.

58 ALIVD indicium metaphoræ affert, nempè maledictionem Serpentis.

RESPONDETVR, hoc nihil ad rem; cùm maledictio fuerit lata, *cap.* 3. Hæc verò, *cap.* 2. ibi autem Metaphora satis indicatur, dum maledictionem Serpenti Tartareo infert, sub nomine Serpentis. Vide Diuum Augustinum, *lib.* 2. *de Genes.* contra Manichæos, *cap.* 17. *&* 18. *& libro* 11. *de Genes. ad litt. cap.* 36. Epiphan. *hæresi* 37. Theodoret. *quæst.* 34. *in Genes.* & alios Expositores ibi; D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 29. *dub.* 1. *&* 2. *litt.* & *lib.* 2. *Compend. cap.* 65.

59 QVÆRES *hîc*; an Deus ad formationem Euæ vsus sit ministerio Angelorum.

RESPONDET D. Bonauent. ex Diuo Augustino, *lib.* 9. *de Genes. ad litt. cap.* 15. potuisse Angelos in hoc opere aliquid ministerij exhibere; quod autem ministerium fuerit, non audet dicere: Potuit sanè Deus per Angelos extrahere costam de latere Adæ, aperto ex alia præuia formatione; at formare Euam è costa, & latus Adæ; pro costa, replere carne, solius Dei fuit: Nam priora per motum localem fieri poterant; hæc verò altius opus petebant; & sanè *hîc* aliqua præuia interuenisse successiuè, certum est, vt aperire

60 latus Adæ, euellere costam, recludere latus, &c. Quamvis enim potuisset Deus, costam è thorace extrahere subitò, absque apertione lateris: Attamen id factum est, vt aiunt Patres, ad præfigurandam formationem Ecclesiæ de aperto latere Domini Iesu: Ità Sanctus Bonauentura, *dist.* 18. *quæst.* 1. *in corpore*, quem sequitur Suarez, *lib.* 3. *de formatione hominis*, *cap.* 2. *in fine.* Reliqua, quæ contrà obiici possunt, facilis solutionis experior.

QVÆSTIO IV.

An CORPORA *primorum Parentum fuerint perfectißima.*

D. Bonau. in 2. dist. 17. q. vlt.

AD perfectionem corporis humani requiritur primò complexionis temperies, secundò dispositio proportionata membrorum, tertiò suauitas, in quibus consistit pulchritudo, quartò robur, &c. quintò statura, &c. 61

QVOAD temperiem, non debet esse compositio Elementorum æqualis ad pondus; sed ad iustitiam; vt dixi, *disp*, 2. *quæst.* 1. & 2. 62

ASSERO primò, non fuisse corpus primorum Parentum ad pondus compositum ex Elementis.

PROBATVR à D. Bonauentura in argumentis, *secundo loco*, *& in corpore*, quæ nos attulimus *quæstionibus adductis.*

PROBATVR ergo præcipuè: quia non potuit esse æqualis compositio Elementorum, secundùm quantitatem molis solius: quia tunc Elementa actiua, Ignis, & Aër, cætera consumerent suâ actiuâ virtute, præualendo hebetioribus; & sic ea consumerent; quia illa, quò plus habent de mole, eò minùs de virtute; ergo, data paritate molis Elementorum, iam destruerent alia. 63

SECVNDÒ, illud corpus nec esset graue, nec leue; ergo non esset corpus naturale; cùm intrinsecùs non haberet principium motus, & quietis. Hæc S. Bonauentura.

NEQVE posset esse æquale in qualitate, quæ est quantitas virtutis; quia tunc non esset mutua actio, ac profundatio alteratiua, ad mixtionem disponens. 64

DEINDE, nec esset calidum, nec frigidum, nec humidum; vndè ineptum ad vitam, quæ est per calidum, & humidum; nec essent ibi membra necessaria ad vitam, vt Cor, & Hepar, quæ sunt calida; Cerebrum frigidum, &c. Vide, quæ dixi, *quæst.* 2. *disp. præcedenti.*

NEQVE potest esse corpus æquale ad pondus, in quantitate molis, & virtutis simul; quia Elementa, quò plus habent de materia, minùs habent de forma: Ergo non possunt, secundùm vtrumque æqualitatem habere. 65

ASSERO secundò, corpora primorum Parentum fuisse æqualia ad iustitiam.

PROBATVR à Diuo Bonauentura; quia hæc æqualitas attenditur, in commensuratione debita miscibilium, ad corpus formandum, aptum nobilissimæ formæ, quæ est principium multarum operationum; ad hæc autem necessarium erat, corpus habere temperatum; ergo tale fuit conditum à Deo, cuius opera perfecta sunt. 66

DEBEBATVR autem statui vitæ innocentis temperies, actu à pugna, & destructione immunis: Hæc verò temperies media est, inter statum gloriæ, in quo nulla est, actu, vel potentia, corruptibilitas, & inter statum naturæ lapsæ, in quo est temperamentum, actu corruptionibus obnoxium.

QVOAD secundum, certum est, primos Parentes habuisse perfectissima corpora, & membrorum aptam proportionem, de qua dixit Rex Dauid, 67

Psal. 138.

Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*: vbi Diuus Basilius: *Nimirùm quantâ sapientiâ corpus meum compegeris*, *&c.* Et primò à fronte ad pedes nota sunt loca membrorum; proportio verò talis est, vt tantus sit homo à capite ad plantas, quantus à summitate manus vnius, ad summitatem alterius, in crucem extensarum, & ab vno pede, ab altero dilatatis; ità vt, Sextario aptato in vmbilico, & gyrante, inueniatur Circulus, circuens per summitatem manuum, & pedum: Tanta est altitudo frontis, quanta à superciliis ad Nasi acumen, & indè ad Mentum:
68 Tanta est Manus, quanta est Facies: Cubitus est quarta pars longitudinis: Pes est sexta pars: Vultus, id est, ab acumine menti ad radicem capillorum, est decima: Quilibet vnguis tantus est, quanta est medietas vltimæ iuncturæ digiti, cui adhæret: Constat 305. ossibus. Vide de his Andream Vessal. Ioan. Vesling. Bartolinum, Marchettum, Valuerd. & alios Anatomistas: Vide etiam Diuum Bonauenturam *in Compend. Theolog. verit. libro secundo, capite* 57. De his agam *disputatione* 4.

69 De varietate Physionomiarum, deque perfecta Physionomia latè differit Sanctus Bonauentura, *in Compend. Theolog. verit. libro secundo, à cap.* 58. per multa capita, adeò eleganter, vt mirabilis eluceat. Vide ipsum etiam, *prima*, *& secunda parte Breuil. cap.* 10. & *parte* 3. *Centil. sectione* 25. & *dist.* 17. vbi cæteri, & Diuum Thomam, *prima prima, quæst.* 91. *art.* 3. *&* 4. Sed de Physonomiis erit nobis disputatio 4.

70 Ex Diui Bonauenturæ igitur dictis ibi habemus, Adamum præditum corpore, sic disposito, vt terra in ossibus dominaretur; aqua in humoribus, scilicet sanguine, phlegmate, cholera, & melancholia: Aër in pulmone: Ignis in corde; ideò Pyramidem format: Membra etiam radicalia, nempè, Hepar, Cor, Cerebrum, & alia habebat proportionata; similiter & deseruientia nutritiuæ, id est, Venas, Arterias, & Neruos completos; Membra pariter ministerialia, vt manus, pedesque proportionatos: Habebat quoque capillos subnigros, moderatè tenues, qui bonam hominis annuunt temperiem.

Capvt oblongum aliquantulum, & malleo simile, quod hominem circumspectum, ac prouidum indicat.

71 Frontem quadratam, & moderatæ magnitudinis, magnæ sapientiæ, & magnanimitatis indicium; Supercilia arcuata, coniuncta ad cornu nasi, quæ subtilem, & studiosum in omnibus operibus suis designant, non coëuntia ad nasum.

Ocvlos, qui tanquam guttulæ liquoris nitidi relucent, mores compositos indicantes, non inquietos, non trementes: at cum guttulis rubentibus, quæ tamen nigræ apparebant, animum iustum, probum, & ingeniosum prælibantes, acriter intuentes, & humidos, qui hominem veridicum, & in rebus agendis velocem, & prouidum signant.

72 Avres non erant valdè prominentes, nec paruulæ, nec rotundæ, nec oblongæ, nec angustæ, nec iacentes, & super caput plicatæ; sed moderatè oblongæ, extensæ, molli portione deciduæ.

Genæ non crassæ, nec tenues, nec rotundæ, sed mediocres.

73 Nares patulæ, alacritatis, & fortitudinis diuinis indicium; & pars, quæ iuxta frontem est, nec alta erat, nec humilis, sed æquali linea descendens, quod est signum virile, & prudentiam, constantiamque monstrat, aquilino descensu aliquantulo; quod est magni animi, ac sapientiæ indicium.

Vvltvs, qui è radice capillorum frontis, ad mentum tendebat, non plenus, & crassus, nec dependens; sed mediocris, & erectus; Labia tenuia, superiori aliquantulum exsuperante super inferius, quæ magnanimum indicant, & fortem.

Os mediocre, non paruum, quod est muliebre, & effeminatorum, nec latum, quod est voracium, immitium, & impiorum, quod rictui Monstrorum Maris conuenit. 74

Mentvm prolixum aliquantulum, minùs iracundum, minùsque perturbatum demonstrans, erat commensuratum, secundùm aliquid, quadraturam imitans.

Vox non similis Ouium, Caprarum, aut Auium, non lugubris, nec in nares recurrens, quæ est mendacis, maleuoli, ac malis alienis gaudentis; sed moderatè sonora. 75

Cervix rotunda, quæ virtutes animi, ac corporis humilitatem probat.

Pectvs, non multis carnibus congestum; sed moderatum, ventre oblongius, quod prudentem signat, cursu temporis capillos proferens, quod animosum designat; non adeò tamen, vt ventrem etiam tegerent.

Hvmeros habebat latos, non autem tenues, & acuminatos.

Brachia, ità oblonga, vt extremitas digiti medij ad genu accederet, quod habilem, & fortem signat. 76

Manvs oblongas aliquantulum, & exiguas; Vngues albos, planos, molles, tenues, ac rubentes, benèque pellucidos, quæ omnia optimum ingenium indicant; Digitos, non globatos, non tenues; Latera non tenuia, & angusta, nec referta carnibus, & dura; sed moderatè carnosa.

Pedes non crassos, & breues, nec nimium prolixos, sed moderatos; Passus grandes, qui magnanimitatem redolent.

Color cutis erat albus, & rubeus, fortem, animosumque ostendens; fuit medius; attamen inter nigrum, & album, qui signat virum boni ingenij, bonorumque morum: Hæc mera esse inditia, è libero arbitrio pendentia, ostendam *disputatione* 5. *cum Seraphico Doctore*. 77

Qvoad staturam, nec fuit gigantea, vt aliqui dicunt, nec pusilla; sed mediocriter magna; qualis est Christi, qui fuit speciosus forma præ filiis hominum. Vide Suarez, *lib.* 3. *cap.* 3. Vbi etiam annos, circiter triginta quatuor in creatione ponit, ex D. Hieron. *epist.* 27. *ad Eustoch.* Vide Lactant. *lib. de opific. Dei, cap.* 2. Gregor. Nyssen. *lib. de hominum opificio, cap.* 7. & Valentia, *loc. cit. col.* 1083. cum Arriaga, *disp.* 34. *num.* 23. 78

79 Probatvr igitur à D. Bonauent. *dist.* 17. *art.* 2. *part.* 3. *quæst.* 9. hac præcipuè ratione, quâ vtitur etiam D. Thom. *quæst.* 91. *art.* 3. & Valentia, *disp.* 7. *quæst.* 1. *punct.* 1. *colum.* 1084. Rei bonitas à fine sumitur, & æstimatur; ità vt res illa sit optima, quæ ad finem suum est aptissima; sed corpus Adæ fuit aptum ad finem suum, qui est anima: Nam corpus ad animam ordinatur, veluti materia ad formam; est autem corpus humanum

manum rectè attemperatum Cerebro ingenti, statura erecta ad spiritus hauriendos.

80 Ex his etiam colligitur, corpus Adæ ab intrinseco fuisse passibile: quia ex Elementis compositum, non ex compositione cœlesti; vt latè ostendit Diuus Bonauentura, *dist.* 11. *artic.* 2. *quæst.* 1. & 2. Tale enim corpus non est aptum naturæ hominis, quæ exigit multitudinem organorum elementarium: Neque fuit à gloria impassibile, per qualitates beatitudinis: Attamen medio modo erat impassibile; quia singulari Dei prouidentiâ intus erat præseruatus, & extrà con-
81 seruatus cibo vitæ. Vide S. Bonauent. *quæst.* 1. quem sequitur Suarez, *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 10.

QVÆSTIO V.

Quando facta sint Corpora *primorum Parentum.*

D.Bon.d.16. in dub.1. & dist. 18. artic. 1. quæst. 2. ad 1.

ASSERO primò, corpus Adæ sextâ die fuisse creatum.

82 PROBATVR à Diuo Bonauentura, *dist.* 16. *dub.* 1. *ex text. Genes.* Nam sexta die dixit: *Producat terra Iumenta, & Bestias*; & statim: *Faciamus Hominem, &c.* & posteà subdit: *Factum est vespere, & mane dies sextus*: Eodem modo probatur à Suarez, *lib.* 3. *cap.* 4. *à num.* 1. Additque *numero sexto*, eodem die hominem fuisse cum bestiis conditum; quia ex terra erant, & terram ornabant: Idem habet Sanctus Bonauentura, *loco citato*.

QVÆRES: Cur Deus postremum inter creaturas hominem formandum reliquerit: Multas huius rei rationes assignant Patres.

83 PRIMA indicatur à D. Bonauent. *dist.* 16. *ad litt. Magistri*; & *in* 2. *part. Breuil. cap.* 9. & *part.* 3. *Centil. sect.* 19. & 2. *part. Comp. Theolog. lib.* 2. *cap.* 29. Quia enim homo compositus est ex corpore, & spiritu; ideò conueniens fuit, priùs creaturas merè spirituales, deinde merè corporeas; postremò hominem, ex his compositum fieri: Quæ ratio insinuatur in *cap. firmiter, de Summa Trinitate*, & à D. Gregorio Nazianzeno, *orat.* 38. Damasceno 2. *de fide*, *cap.* 12.

84 SECVNDA ratio est D. Bonauent. 2. *part. Breuil. cap.* 10. vt in eo reluceret Diuinarum operationum consummatio; siuè, quia homo est *Microcosmos*, seu Mundus paruus, in quo voluit Mundum perfectè, compendiosèque colligere; vt indicat D. Gregor. Nazian. *loc. cit.* siue quia homo erat veluti Rex mundi, cui parata est aula, & creaturæ ministræ, & Angeli ipsi assistentes, vt ait D. Chrysost. *hom.* 8. *in Genes.* & ipse Nazian. *orat.* 43. & Nyssen. *lib. de homine*, *cap.* 2. D. Am-
85 bros. *enarrat.* 1. *ad Horontian. tom.* 1. Siuè quia ab imperfectis huius mundi, ad perfecta processit, primò creans materiam; deinde formas ignobiliores educens; vltimò Creaturarum perfectissimum compositum, id est, Hominem, sui imaginem, creans; vt ait Nemes. *lib. de natur. hominis*, *cap.* 1. & Theodoret. *quæst.* 20. *in Genes.* & post eos Suarez, *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 3. Arriaga primam laudat rationem.

ASSERO secundò, Euam quoque sextâ die post Adamum fuisse creatam.

PROBATVR à D. Bonauent. *dist.* 18. *artic.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. *ex Genes.* 1. Consummauit Deus die sexta omne opus suum: Hoc fundamento nixi multi Doctores cum D. Bonauentura consentiunt, *in Genes.* Lippom. *in cap.* 2. Perer. *lib.* 4. in id: *Faciamus ei adiutorium.* Molin. *opusc. de sex dierum operib. disp.* 22. Castro, *verbo Adam, hæresi* 6. Valent. *tom.* 1. *disp.* 7. *quæst.* 1. *punct.* 2. *ad* 1. Caiet. sumiturque ex Iosepho, *lib.* 1 *antiquit. cap.* 2. Beda *in Hexaëmer.* Theodoret. *quæst.* 21. Ambros. *lib.* 6. *Hexaëmer. cap.* 1. August. *lib.* 6. *Genes. ad litt. cap.* 5. & 6. Clarius *lib.* 2. *cap.* 12. & *lib.* 6. *cap.* 2. Licet oppositum censeant D. Thomas, *p.* 1. *quæst.* 73. *art.* 1. Carthus. *in Genes.* quibus fauere videtur Chrysost. *hom.* 8. *in Genes.* & indicat D. Gregorius 32. *Moralium*, *cap.* 9. 86

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *dist.* 18. *quæst.* 1. *ad* 1. ex illo Genes. *Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam; masculum, & fœminam creauit eos*; & ait: *Crescite, & multiplicamini*; quod præceptum datum fuit Adamo, & Euæ, vtique necessariæ ad multiplicationem hominum; vt notat S. Doctor, *in* 4. *distinct.* 26. *quæst.* 2. *fund.* 2. & *quæst.* 3. *fund.* 1. & post eum Suar. *lib.* 3. *cap.* 4 *num.* 12. *de hom. creat.* Idemque Seraphicus, *lib.* 2. *compend. Theol. cap.* 63. & *part.* 2. *Breuil. cap.* 11. 87

PRÆTEREA septimâ die cessauit, non solùm à creatione ex nihilo; sed etiam à productionibus portentosis è materia, quales fuère ad ornatum mundi; vt rectè obseruat S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 15. *quæst. vlt.* & post eum Suar. *loc. cit. n.* 14. Ex quo perimitur solutio D. Thom. Deum, post sex dies, nihil creasse totaliter nouum.

EVAM verò vult non fuisse totaliter nouam; quia materialiter præexistebat in costa Adæ: Verum non præexistebat in natura costæ; sed in potentia merè obedientiali, vt latè probat S. Bonau. *in* 2. *dist.* 18. *quæst.* 2. & nos suprà, *quæst.* 4. 88

OBIICERE quis tantùm potest, tot opera, facta inter creationem Adæ, & formationem Euæ, vt non videantur potuisse fieri eodem die. Primò, quia Adam videtur creatus in sero; cùm factus sit post Animalia; deinde deductus in Paradisum; adducta Animalia; vt eis nomen imponeret, &c. Sed hæc friuola sunt consideranti Dei potentiam, quæ prolixæ temporis successioni non alligatur. 89

QVÆSTIO VI.

Vbinam creati sint primi Parentes, *an in Paradiso, vel extra.*

ASSERO primò: Adamus conditus est extra Paradisum: Ità D. Bonau. *dist.* 17. *dub.* 2. & communiter Theologi cum Diuo Thoma, *p.* 1. *quæst.* 102. *art.* 4.

PROBATVR à D. Bonauent. post Magistrum, ex verbis *Genes.* vbi habetur: *Plantauit Dominus Paradisum voluptatis, in quo posuit hominem, quem formauerat*; & subinde: *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum*: Quæ verba clarè ostendunt eum extra Paradisum factum; vt notant post Diuum Bonauenturam, Suarez, *lib.* 3. *capite* 5. 90

pite 5. numero 3. Arriaga, *disputatione 35.* & alij.

91 Assero secundò, probabiliter locum extra Paradisum, in quo creatus est Adam, esse terram, ad quam operandam eiectus est: Nam dicit Scriptura: *Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est*; Hanc verò esse *Campum Damascenum*, Ità Historia Scholastica, *cap. 13.* & communiter sic creditur, vt ait Suarez; *n. 4.* & asserit D.Bonau. *lib. 2. Comp.Theol. cap. 62.*

92 Assero tertiò, Euam intra Paradisum creatam: Ità D.Bonauent *lib. 2. Compend. cap. 63.* D.Thom. *p. 1. quæst. 102. art. 4. ad 1. & in 2. dist. 18.* vbi Magister, & alij Theologi idem opinantur.

Probatvr è serie historica Genesis; vbi primò dicitur formatus homo, deinde in Paradisum delatus; tertiò Eua condita.

Obiicies; Cur Deus ignobiliorem fœminam in Paradiso condiderit; cùm extra virum nobiliorem construxerit? imò, cur Adam nobilior dicendus; cùm, velut materia, inseruierit ad formationem mulieris?

93 Respondet D.Bonau. *dist. 17. dub. 2. litt.* quem sequitur Suarez, *lib. 3. cap. 5. num. 2.* potissimam esse rationem; quia prior locus, extra Paradisum, debebatur homini ex natura; iste verò excellentior est solùm ex gratiæ fauore, ad vitam contemplatiuam, atque tranquillam: Vt ergo conditionem suæ naturæ cognosceret, extra Paradisum creatus est; vt postea in Paradisum translatus, Dei gratiam agnosceret, & innocentiam plurimi æstimaret; & vt se intelligeret ibi Peregrinum, non semper mansuram; quare & in locum aptum, ac eleuatum, ad Cœlos scandendos meritorum virtute deductus est; & hoc sufficiebat; vt talis etiam mulier agnosceretur, quippè, quæ ex conditione sui principij, id est Adæ, poterat sui memor humiliter stare; sicut si Adam stetisset, & homines in Paradiso gignerentur; si à suo parente discerent originem sui, in statione humilitatis permanerent.

94 Addit Suarez, post D.Bonauenturam, Adam extrà formatum: quia Deus præsciebat ipsum peccaturum, & ob id ejiciendum: ideò non è terra Paradisi, loco immortalitatis, sed fæculenta exteriori ipsum condidit; Euam autem è costa Adæ formauit; ideò non erat, cur extra fieret.

95 In hoc autem Paradiso (ait S.Bonauentura) positi sunt ambo; vt Diuinam beneficentiam agnoscerent, qui intus, originali iustitiâ, extra, loci fœlicitate sunt ditati, vt faciliùs indè ad gloriam, rectè viuendo, ascenderent.

QVÆSTIO VII.

Quis locus sit iste Paradisvs, *vbi Protoplasti sunt positi.*

D. Bonau. dist. 17. in dubiis litt.

96 Fvit opinio quorundam, (vt refert S.Doctor,) Omnia, quæ de Paradiso enarrantur in Genesi, metaphoricè capienda; ità vt Paradisus nullus in terra fuerit; vel non esse rem corpoream, sed spiritualem: Ità Philo, *lib. de opific. mundi ad calcem, & lib. de confusione linguarum, ante medium*: Idem sensêre antiqui Iudæi, & Chaldæi; vt refert Eugub. *2. Genes.* Inter hæreticos autem Valentinus; vt refert D. Irenæus, *lib. 1. contra hæres. cap. 1.* In hoc errauit etiam Origenes *super Genesim.*

Sententia autem Catholica est, Paradisum, quem Deus initio plantauit, fuisse locum terrestrem; & ea, quæ de ipso scribuntur, propriè accipienda. 97

Assero cum hac sententia, quæ est de Fide, Paradisum primorum Parentum, rem esse verè corpoream, non autem spiritualem.

Probatvr primò à D.Bonau. *loc. cit.* & citandis ex historia Genesis, quæ narrat, Paradisum esse locum plantatũ in loco Edem præcisè, in quo posuit Deus primos Parentes, & præcepit eis, vt vescerentur omnibus fructibus, qui inibi erant, excipiens arborem Scientiæ: Eua videns lignum pulchrum visu, comedit, deditque viro, qui comedit contra præceptum Diuinum, ex quo ad mortem, aliasque pœnas, & pœnalitates damnati sunt cum posteris: Quæ si metaphoricè capiantur, totam originariæ culpæ malitiam euertent: Similiter asseritur ibi arbor Vitæ, quo vescentes homines conseruati fuissent. 98

Deinde asseruntur, flumina nota, qualia sunt, Euphrates, & Tygris, indè manare: Ita S. Doctor, *lib. 2. Compen. Theol. cap. 64.* & in Diæta, *tit. 5. art. 1.* Iisdem argumentis vtitur Suar. *loco citato, num. 6.*

Probatvr secundò à D.Bonau. ex PP. Damasc. *2. de fide, cap. 11.* Aug. *13. de ciuit. Dei, cap. 22. q. 27. supra Genes.* & *hæres. 43.* & *1. super Genes. cap. 14.* Idem sentiunt communiter PP. Græci, & Latini; quos his duabus classibus includit S.Doctor: Eos refert Suarez, *lib. 3. de homin. creat. cap. 6. num. 7.* 99

Obiicivnt, in Scriptura sæpè nomine Paradisi significari locum beatitudinis, vt Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*; sæpè etiam spiritualem amœnitatem gratiæ, vt Ezech. 28. *In deliciis Paradisi fuisti.*

Respondet D.Bonau. verum hoc esse; at sumi in Genesi determinatè pro loco quodam deliciarum, in quem trãstulit Deus primum hominem; & ex quo eiecit eum cum Vxore post peccatum; vbi posuit Cherubim, ne ingrederentur homines; vnde egurgitant quatuor illa flumina; quæ omnia, Paradisum esse locum determinatum in terra, significant: Ex quo etiam ostenditur illum fuisse in Oriente. Vide S.Bonau. *locis adductis*, quem sequitur Suar. *loc. cit. à n. 15.* vbi hoc ad fidem quoque pertinere asseuerat. 100

Qværes, in quo situ sit Paradisus.

Respondent aliqui pertingere vsque ad Cœlum Lunæ: Citatur Beda à D.Thom. *p. 1. quæst. 102. arg. 1.* sed de hac re nil apud ipsum inuenio: Neque bene Catharin. *in Genes.* eam tribuit D. Aug. Eam verò tenuit Strabo *in Genes.* & Magister, *dist. 17. cap. penult.* vt refert D.Bonau. *ibi, dub. 3.* & videntur fauere Damasc. *2. de fide, cap. 11.* à Diuo Bonauentura relatus, *locis suprà adductis*, & alij. 101

Hanc opinionem impugnat D.Bonau. *dub. 3.* & post eum Perer. *lib. 3. in Genes. disp. de Paradiso, q. 2.* & Suar. *loc. cit. à n. 29.* quia ille locus esset habitationi hominum ineptus, tum ob vicinitatem Solis, Syderum, & Ignis, tum ob nimiam aëris subtilitatem, ex agitatione; & pro hoc allegat D.Aug. *lib. 1. supra Gen. cap. 14.* Hanc rationem laudat Arriaga, *disp. 35. n. 14.* Pererio eam adscribens: Addit Pererius aliam rationem; quia Paradisus fuit destructus aquis Diluuij; at, si fuisset ad orbem Lunæ, persisteret. Sed hoc falsum est, vt infrà dicam cum S. Doctore *in Diæta salutis, loc. cit.* Ipse igitur Peret. arguit e fluminibus, prodeuntibus, non longè à Mesopotamia Paradisum extitisse, quâ parte ea flumina alluunt. 102

At media via incedit D.Bonau. *dist. 17.* quem sequitur Scotus, & alij, *eadem dist.* & D.Thom. *loc. cit.* Paradisum fuisse locatum in situ altissimo; non tamen in orbe Lunæ; vt suprà ostendit D. Bonauent. 103

ascendere propter casûs sui ex alto profunditatem; quod in aquæ cadentia obseruamus, vt possit tantundem salire, quantùm descendit, & aquarum ductores id praxi experiuntur: Est autem eò probabiliùs, quò nouimus, Nilum sæpiùs caput sub terris abscondere, sæpius è terris erumpere: Idem asserere licet de Gange, qui ad Caucasum repens, è præcipiti casu videri potest ex monte illa scaturiens.

115 Idem asserendum de *Tygri*, & *Euphrate*, qui ad Armenos montes potuêre, post varios, ac sinuosos anfractus, ascendisse, nec adeò remoti, sicut ab aliis germanis fluuiis conuenire ad eadem ferè regna irriganda. Adscribunt (fateor ait Rupertus, *lib.2. de Trinit.& eius oper.cap.24.& 29.*) horum scaturiginem montibus Armeniæ; sed Deus author Fluminum è Paradiso deriuauit, per vias sibi soli cognitas: Ita autem simul enasci omnes ferè asserunt.

116 Hæc est sententia Theodoreti, *quæst.29. super Genes.* & D.August.8. *de Genes. ad loc.cit. cap.7.* Occultasse verò Deum prima horum Fluminum incunabula, aiunt, ne eorum cursum inuenientes ad Paradisum perueniamus; neque longè abest Perer. *loc.cit. quæst.4.* vbi Euphratis, & Tygris in Armenia primum Fontem non concedit dicens, posse eos alibi suos primos Fontes habere, & per subterraneos meatus eò deuenisse, ac propterea non inueniri Paradisum, sequendo ripas horum Fluminum.

117 Instat tamen Pererius agens de Gange, nos non probare eius cursum subterraneum: Deinde nimis dissitum esse eius Fontem à Fontibus aliorum; & quærit, quandonam vnus Fons inuentus fuerit omnibus communis.

Sed iam S.Bonauent. & alij vnà responderunt, Scripturam iuxta omnium ferè Patrum, ac Theologorum expositionem testari horum originem in Paradiso: Quare cum non inueniatur, nisi in locis dissitis, debere nos inferre, eos, qui nunc videntur non esse veros primos Fontes: Ita verò Scripturam exponi ferè ab omnibus fatetur ibi Pererius, qui tamen gratis solo suo marte inuehit, Phison, & Gehon esse ramos Euphratis, & Tygris, postquam in vnum conuenêre: Scriptura sanè reclamat, vt dixi, ponens 4. Flumina in ipso egressu à primo suo fonte Paradisi, eisque nomina assignans, quæ Pererius non inueniret in aliquo Authore assignata modo à se excogitato: quare meritò in fine disputationis sui errati veniam precatur.

118 Hoc vnum est mihi molestum, quod Ganges Indiam peruadit citra mare Rubrum: Nilus etiam Ægyptum, & Æthiopiam; sed Euphrates, & Tygris in mare hoc confluunt: Quo igitur pacto habent communem fontem, cum eis sit mare intermedium?

119 Enim verò mihi satis fuerit situm inuenire, quo non cogantur hæc Flumina transnatare Erythreum; vel in aliquo situ, vt breui erumpant; etiamsi aliquo modo immergantur; est autem hic situs multus sub Zona torrida, vbi potest his vnus Fons assignari communis, vt patet ex Geographia.

120 Nota id *Sap.11.* quo Nilus vocatur Flumen sempiternum, ea de causa, quia semper fuit, cùm sit vnus è fluuiis Paradisi, initio mundi creatus.

His libet addere cum Ingeniero, *lib.4. Meteor. cap.2.* nullam in antiquitate litem fuisse acriorem, quàm de Nili origine, vt referunt Oliodor. Siculus *lib.1.* Plutarch. *lib.4. de placit. cap.1.* Seneca, *lib.4. de natural. qq. cap.2.* Lucanus, & alij, qui tandem conclusêre eam esse incognitam: Inuestigarunt eam Geographi, & Reges, Cambises Persarum, Sisostres, & Philadelphus Ægyptiorum, Alexander, & Hero, de quo Seneca. Credidit Aristoteles illum è monte Agiro Lunæ fluxisse: at Ptolemæus è Palude Æthiopiæ: Alij è Zembre lacu superioris Æthiopiæ, longæ ab Æquinoctiali 11. gradus, vt aiunt Bericius, & Boterus, cui accinunt Ferchius *de fonte Danubij.* Ingenier. *loc.cit.* & Conimbr.

121 Cvm autem è Paradiso terrestri oriatur, vt docent SS. Epiph. *epist. ad Ioan. Hierosol.* August. 8. *Genes. ad litt. cap.7.* Hieron. *de locis Hebr.* Ambr. *de Parad. cap.3.* Isidor. *lib.13. Ethimolog. cap.21.* Damascen. 2. *de fide, cap.9.* & alij Patres. Glossæ *in 2. Genes.* Ioseph. *de Antiq. cap.1.* Sequitur euidens Seraphici conclusio, nimirum, Paradisum esse sub Zona torrida.

122 Ex his habes, non firmè Pererium elicere Paradisum in Mesopotamia: vbi Euphrates, & Tygris fluunt; sed potiùs ad Zonam torridam, quò Ganges, & Nilus amplissimè excurrunt; nihil tamen certi haberi fateor: Quare eorum nomina cum Diuo Bonauentura fonti restituo.

Cogit me quæstio, aliquid de Zona torrida eloqui: De hac multi multa differunt.

123 Notandvm primò, Cœlum in quinque Zonas, seu fascias diuidi à Strabone, *lib.2. de situ*, ex Harmænide Ptolemæo, *lib.2. edit. magn. cap.6.* Consentiunt Astronomi apud Philat. 2. *Cœli*, Ioan. de Sacro Bosco, *in Sphæram*, Clauium *ibi, cap.2.* Conimbr. *cap.19. quæst.1.* Amic. *tract.8. quæst.4. disp.4.* & Geographi apud istos. Prima Zona totam latitudinem, inter Tropicos clausam continet, & habet medium in linea Æquinoctiali. Hæc continet gradus, 47. scilicet, 23. & minuta 30. cis, & totidem citra lineam Æquatoris: Per hanc peregrinatur transuersim Sol, percurrens Zodiacum, qui lineâ Æquatoris intersecatur in primo gradu *Arietis*, ex vna parte; ex altera, in primo *Libræ*, & tangit hinc sua obliquitate Tropicum Cancri; illinc *Capricorni*, percurrens lineam mediam Zodiaci, quæ dicitur *Ecliptica*, atque intersecans obliquè Æquatorem recedit ab eo, ad 124 Tropicos 23. gradus, & minuta 30. Mouetur enim super Polos, tantundem recedentes à Polis mundi, qui describunt Circulos, à Polis ipsis mundi, tantundem recedentes: Spatium autem hoc dicitur *Zona glacialis*: quia Sol remotus, ad angulos obtusos radios emittens, debilitate simili à terra reflectit; sicuti spatium inter Tropicos dicitur *Zona torrida*: quia indè Sol radios fortissimos, biduo singulis annis perpendiculos, & reliquo anni tempore, ad angulos acutos; atque adeò validè in terras subiectas eiaculati, eadem validitate, secundùm regulas Perspectiuæ, reflectuntur: Spatium verò medium, inter Tropicos, & Circulos Polares, dicitur *Zona temperata*; & eò temperatior, quo ab 125 extremis abest: Hæc neque æstuat, neque riget, ob allatam doctrinam reflexionis radiorum Solarium, à qua calor efficitur. Hæc 43. gradus expanditur, quibus si addantur 23. gradus, & dimidius gelidæ Zonæ, & totidem cis, vel citra Æquatorem, complent quartam partem Cœli, id est, 90. gradus: Hi verò quater ducti totum Cœlum complectuntur 360. gradus.

126 Metivntvr igitur Geographi terræ Globum, Cœlo commensurantes 160. gradus, quorum singuli 62. milliaria continent: Id autem experieris, si ab Aquilone, seu Polo ad Meridiem rectà eas, singulis 62. milliariis, inueniens eleuari lineam

neam Æquinoctij vnum gradum è 360. quos in Astrolabio cœlestes Orbes complecti scis; & è contra, Polum contraiens.

127 Iam verò Terram in totidem Zonas diuidunt, trahentes lineas ab ampla Cœlorum circumferentia ad paruum terræ globum, qui, iuxta datam regulam, gyrat 22500. milliaria: Itaque ea pars terræ, quæ restringitur inter lineas, ductas à Tropicis, dicitur *Zona torrida*, eaque æstuat, ob rationem allatam. Ea pars, quæ est circa Polos, ad Circulos dictos, facit duas gelidas; media verò zonam temperatam: Hæc autem diuersitas, vt dixi, à varia Solis vicinitate, vel recessu oritur.

128 Notandum secundò, Zonas rursùs in Climata plura scindi, ac multiplicari, singulis partibus terræ vnum assignantes, vbi maximè diei semihora varietur: Antiqui sanè illam in septem climata solùm diuidebant, eam tantùm partem terræ metientes, quam credebant habitabilem: Nam neque gelidam zonam, neque torridam incoli credebant: Recentes verò in 23. Climata diuidunt, quæ respondent etiam Antarcticis ità vt, quod est sextum nobis, puta per Venetias, oppositum sit sextum Australium: Quæ omnia vide in Barotio, Clauio, Ricciolo, Blancano, Orontio, & aliis Astronomis.

129 Prima quidem opinio est, Zonam torridam esse inhabitabilem. Ità Arist. 2. *Meteor. sum. 2. cap. 2.* nempè ex nimio Æstu; sicut è Regione Zonas gelidas, ob rigorem. Sequuntur Cicero *de somn. Scipionis*; & ibi Macrob. Plin. *lib. 2. cap. 7.* Philo, *lib. Quis rerum Diuinarum heres*: Beda, *de ratione temp. cap. 2.* D. Thom. *part. 1. quæst. 12. artic. 2. ad 4.* Scot. & Durand. *2. dist. 17.* Tribuitur Homero, Proclo, Pythagoræ, & Hesiodo.

130 Secunda opinio est, partem torridæ habitari: Et quidem Ptolemæus, *lib. 1. Geogr. cap. 10.* censet, à Tropico Capri. Æquatorem versus 7. gradus incoli per parallelum, qui transit per Ægysimbam, & Prassum Promont. Hinc verò cis lineam æquinoctialem ad Meroem, Vrbem Æthiopiæ; citrà verò, vsque ad Æquinoctium esse inhabitabilem, fuitque in hoc Antiquorum ferè omnium consensus.

131 Tertia opinio est, totam Zonam torridam habitari; similiter & partem gelidæ; vt tradit Olaus, *lib. 1.* licèt Ptolemæus vltra Thulem, quæ Circulum Arcticum tribus gradibus egreditur, nil describat: Ità Recentiores omnes, apud Colleg. Clauium, Amic. eamque adscribunt Eratostheni, Polib. Ptolem. Auic. & Theol. qui dixêre, Paradisum terrestrem fuisse sub Æquatore: Eos refert Ascanius in Glossa Magna: Inter hos est D. Bonau. *in 2. dist. 17. dub. 3. litt.* & clariùs *in Comp. Theol. Verit. lib. 2. cap. 64.* vbi Paradisum sub ipsa linea Æquatoris ponit.

Assero primò, totam Zonam torridam incoli.

132 Probatur à Iosepho Acosta, *de nouo Orbe. lib. 2.* cum D. Bonau. ex nauigantibus, qui experti sunt ibi, ob aquarum affluentiam, in multis locis temperiem, ac fœcunditatem magnam, vt apud Molucas, & in Regno Pretiosi Ioannis: Mirum autem, Aristotelem, apud Alexandrum Magnum, non vidisse Onesicritum Classis Imperatorem, qui ad Indos nauigauit, & Taprobane moratus est.

Ibi sanè ex frequentia imbrium refrigerantur terræ; nam radij validissimi continuos attrahunt vapores, quibus irrigantur: Vndè & duæ ibi sunt æstates; & ideò geminæ Messes; vt notant Acosta, Amic. & alij cum D. Bonau. *loco nuper indicato.*

133 Addunt aliam rationem, cum D. Bonau. nempè altitudinem soli, ac vicinitatem secundæ regionis Aëris; vndè temperies, sicut in montibus; vbi nequeunt radij vniri; atque adeò ardêre; vt notat etiam Amicus *art. 3.* Adde Oceani vicinitatem, & Ventorum afflantium copiam; vt refert Acosta, *cap. 14. & 35.* Adde remedia arte facta, domicilia subterranea, &c.

Quæ verò Amicus addit, Solem ibi longiùs ferire, eò quòd remotior sit à terra, inania sunt; quin etiam, si terra illa est altior nostrâ; erit quoque vicinior: è contra, cùm Sol, eodem itinere, illos, & nos visitet; & apud nos sit æstus in ascensu ad Tropicum; & si anguli reflexionis sint infirmiores, non video, cur non æstuarent regiones; nisi ex aliis capitibus adueniret temperies.

Assero secundò, etiam Zonam gelidam esse habitabilem. 134

Probatur ex Tabulis Nicolai Germani, ex Olao Magno, *lib. 1.* qui hoc testantur, experimentis esse comprobatum.

Probatur secundò ab Amico *num. 14.* ex D. Bonau. *in Comp. Theol. cap. 4. lib. 2.* & sumitur argumentum ex Dei sapientia, ac Prouidentia. Condidit enim Solem, eumque in Zodiaca fascia, quæ à Zoe vita dicitur, vt transuersus ad totum mundum vitam, & generationes afferret. 135

Concludo, nihil certiùs inter naturalia his, quæ palpando experimur: Iam verò vndique habemus ex visu, regiones Torridæ Zonæ, atque gelidarum habitari. Vide & Philaltheum *post cont. 18. 2. de Cœlo.*

Adderem libenter quæstionem: An detur Antipodes. De his Colleg. *2. Cœli, cap. 14. quæst. 1. art. 4.* Philalt. *l. c.* Amic. *tract. 8. de Elem. q. 4. disp. 5.* 136

Antipodes sunt habitantes in eadem altitudine terræ, seu sub eodem parallelo latitudinis terræ, quæ computatur per recessum ab Æquatore, ad Boream: Igitur debent habitare in eadem latitudine, sed oppositâ; vt, si nos sumus in latitudine 45. graduum ab Æquatore; Antipodes contra nostram terram habitent, modo dicto; ità verò, vt nostra latitudo Borealis, illorum Austrina dicatur: Probatur ex nauigantibus in eas regiones; vt referunt allegati: Et sanè non est ratio dubitandi; cùm æquè sint illa loca, ac nostra temperata.

Nec moueat, Antipodes pendulos videri, & cadentes: Cùm enim sint super terram, sicuti & nos, Centrum versus, quid inde periculi? nisi velimus, & nos pendulos esse, contra eam partem terræ, quam & ipsi incolunt, in discrimine cadendi, seu eundi in Cœlos. Vide Amicum, de his differentem. Eos admittit S. Doctor, *serm. 1. Apostolorum*, quos Apostolos, veluti Stellas circuisse probat, *psal. 18. Rom. 10.* ad omnes angulos totam terram: Itaque non est delusio, vt putat Lucret. *1. in initio.* 137

Respondet Tostatus *ad cap. 1. Genes.* nullum ex Apostolis æquinoctialem lineam transgressum.

Sed cum ità absolutè loquatur Scriptura, certum est, eam nunc esse adimpletam, cum absque dubio homines ibi degant, vt ait Collegium: Sed quia D. Aug. *lib. 16. de ciuit. cap. 9.* ait, non potuisse homines eò deuehi: Dico, sicuti nauigatione iam deuecti his seculis sunt; ità & tunc potuisse; vel etiam ab Angelis: sicuti idem D. August. *cap. 7.* probabile censet, Feras in Insulas, à continenti disiunctissimas, esse translatas. 138

Salomon quidem mittebat classim in Ophyr, quod est, aut Peruanum regnum, aut Chersonesus aurea, vbi Malacha. Vide Collegium. 139

QVÆSTIO



DISPVTATIO IV.

DE ANATOMIA CORPORIS HVMANI.

NVLLA in re adeò contemplandum Naturæ ingenium, potiùs dixerim admiranda est Conditoris Sapientia, quàm in Analitica Humani Corporis descriptione; Totam etenim admirabilis huius structuræ rationem mirabundus Iob in suum refudit Creatorem: *Ossibus, & Neruis compegisti me*: Ita etiam pia Machabæorum Mater, tantum à se opus in solum Deum reijcit: *Et singulorum membra non ego ipsa compegi; sed mundi Creator*: Nec enim fas est, tam miram Membrorum concinnitatem in alium, quàm in Supremum Opificem referre; Quæ quidem penitius inspecta, politioris nobis Reipublicæ specimen præclarè ità obiicit, vt in eius dispectu, nequidem stupidiores in stuporem non rapiantur; Vt enim miram illam partium elementarium consonantiam, de qua suprà, missam faciam; quid ordinatius eâ solertiâ, quâ dum membra superiora, nimirum Oculus, aliique Sensus, inferioribus regendis inuigilant, hæc vicissim illis sese supportandis subiiciunt, mediaque tandem, Brachia nimirum, & Manus, his & illis tutandis, alendisque prospiciunt? Omnia denique eo Consilio Ventrem, velut Promptuarium, in medio possident, vt nulli ocyùs, nulli opimiùs, omnibus æquè, necessarium suppetat; quod si quid vltrà in viciniores partes delabitur; mox veluti stimulante violati Iuris Synderesi, vltrò abjicitur: Vel si quando, obstructo meatu, quantulocumque vitio retinetur, in sceleris pœnam ægrè sentitur: Dolenti tamen parti cœteræ condolere non desinunt, & si fortè grassante malo amputetur, alia eius officio mox supputatur, ita abscissis manibus, visi sunt pedes harum functionum solertissimè ambire, & vicissim visi sunt, qui manibus ambularent, vt egregiè annotat SERAPHICVS DOCTOR, vbi infrà: Omitto consonam illam Officinarum, Domiciliorum, ac Instrumentorum dissonantiam, quibus alia membra propagandæ Speciei, alia propugnando indiuiduo mirificè incumbunt; prætereo quoque graciles illos venarum canales, riuulosque, deferendis spiritibus, ac deducendis humoribus inseruientes; Taceo itidem promptissima illa obsequia, quibus ad nutum Animæ, Oculi quaqualibet versantur, Lingua ad quodlibet effandum voluatur, &c. His, aliisque plurimis, quæ in hac Dei factura elucent, lubens hic supersedeo, ea quippe aptiùs suis in locis anatomicè per Quæstiones, & Capita deducturus.

QVÆSTIO I.

DE ANATOMIA CORPORIS HVMANI.

In Genere.

HOmo dicitur Anthtopos Græcè, cùm sit ad instar arboris inuersæ, crura tanquam ramos deorsum mittens, capillos verò, veluti radices, sursum, vt docet D. Bonauent. *lib. 2. compend. Theolog. verit. cap. 57.* ideò *Anthropologia* dicitur doctrina de homine: Hæc in geminas secatur partes, id est, *Anatomiam*, quæ de corpore, eiusque partibus agit, & ψυχολογίαν.

1 Anatomia habet pro obiecto præcipuè corpus humanum; vt ipsum dimetiatur: Ideò Galenus Simias dissecuit, alij verò alia bruta, vt inde sibi viam aperirent ad hominis partes dispiciendas: Ita Seuerinus, Aldro, Castellus, Bronzerus, Panarolus, Bartolinus, & alij, qui etiam humana corpora trucidarunt: & hoc sæpissimè, ac necessariò fecêre Andreas Vessalius, Vueslingius, Marchettus, vterque Bartolinus, & alij.

2 Hinc Medicis huius scientiæ necessitas comprobatur, cum absque partium inspectione, ac notione, siue distorta ossa difficile remittuntur, siue morbi naturæ non facilè dignoscuntur: Nec ipsis Philosophis, seu etiam Theologis moralis disciplinæ studiosis, modica hinc vtilitas enascitur; in humani etenim corporis structuram, Natura totam suam virtutem, & secretiora arcana coniecit; vnde ex partium constitutione, situ, aut fabricâ, quæ animæ passiones dominentur, in quos mores mens sit procliuior, quove agitetur motu, compendiosè discernitur, vt in sequenti disputatione clariùs patefiet.

Variæ autem assolent partes in corpore Animalis assignari; vt docet D. Bonau. *loc. cit.* iuxta prædominium Elementi; sic aliqua sunt solida, quæ à prædominio sunt terrea, vt ossa, & caro: Alia à prædominio sunt aquea, vt Humores, Sanguis, Cholera, Phlegma, Melancholia; nonnulla aërea, vt Pulmones; aliqua ignea, vt Cor: Membra deinde corporis sic diuiduntur, vt alia sint radicalia, vt Hepar, Cor, Cerebrum, & Genitalia: Inter quæ, prima tria sunt de esse indiuidui, in quibus sedem habent spiritus, Naturalis, Vitalis, & Animalis; sed Genitalia sunt ad conseruationem speciei: Alia verò sunt membra deseruientia, vt Venæ, Arteriæ, Neruì, per quæ vehitur triplex ille spiritus: Alia sunt membra officialia, vt Manus, Pedes, Aures, Oculi, Nares, & alia sensuum instrumenta.

3 Alio modo diuidit partes humani corporis D. Bonau. *in 2. dist. 30. quæst. vlt.* Aliæ enim sunt ordinatæ per se ad generationem, aliæ consequenter. Illas subdiuidunt, vt aliquæ sint de veritate, & necessitate humanæ fabricæ, quæ fundata, & extructa est in generatione, & tales sunt partes Spermaticæ, quæ sunt acceptæ à generante, quæ postea à Nutritiua, & Augmentatiua accipiunt additamentum; & hoc sensu illas vocat Philosophus Carnem, Ossa, &c. secundùm formam; has verò secundùm materiam; & hoc pacto Medici distinguunt humidum Radicale, & Nutrimentale.

Alio modo diuidit partes humani corporis, *loc. cit. Compen.* & *in 4. dist. 44. part. 1.* vt aliæ sint, quæ formaliter viuunt, & Anatomicis sunt tantùm partes solidæ: Talem partem definit Galen. *Est corpus toti quadatenus coniunctum, & aliqua ex parte propriam habens circumscriptionem.* 4

Definitvr etiam à Fernelio, apud Bartolinum in prooemio: *Corpus toti coharens communi, communique vita coniunctum, & ad functionem, vel vsum comparatum.*

Itaqve partes veræ viuunt; & ideò nutriuntur, nec alias nutriunt: vnde excluduntur Spiritus, & Humores, atque adeps, quæ quandoque abeunt in nutrimentum. Secundò solidæ sunt. Tertiò sunt continuæ toti. Quartò comparantur ad functiones, quæ excludunt humores, & similia. 5

Svb aliis titulis diuiduntur partes apud Medicos in Nobiles, & Ignobiles: Similares, & Dissimilares.

Nobiles sunt partes principaliores, quas radicales vocat Seraphicus, ignobiles nulli sunt ignotæ, cùm sint membra communiora, cœteris deseruientia.

Similares sunt secabiles in partes similis rationis, dissimilares verò non item; ita Aristoteles *lib. 1. de hist. animal.* initio; verùm hæ diuisiones cum prioribus coïncidunt.

Observat autem Bartolinus ex D. Bonauent. *loc. cit. Compend.* duplicis generis esse vsus, seu functiones harum partium, aliæ sunt priuatæ ad particularem statum pertinentes: Sic manus; vt scribat, &c. Aliæ sunt publicæ, vt toti corpori subueniant.

Ex tribus autem fontibus colligitur, ad quem vsum quæcunque pars ordinetur. Primò ex symmetria quatuor qualitatum; sic *verb. grat.* cutis, quoad qualitates primas, est temperata. Quæritur, in quem vsum? Respondetur, vt discernat omnes excessus qualitatum tangibilium. 6

Secvndò, quæ temperiem consequuntur, & sunt secundæ qualitates, durities, mollities, crassities, tenuitas, densitas, raritas, &c. 7

Tertiò, quæ necessariò accidunt, vt magnitudo, numerus, meatus, cauitas, figura, situs, &c. quæ exclusiuè è partibus dignoscuntur.

Antequam verò ad Anatomen accedam, quærendum, quæ partes primò generentur.

Hippocrates apud Bartolium, voluit, omnes partes simul formari, & discriminari: Addit verò ipse Bartolinus, non omnes simul perfici; sed primò Venam vmbilicalem, secundò Hepar, tertiò Cor. 8

Aristoteles voluit, primò Cor generari: Galenus autem Hepar.

D Bonaventvra *in 3. dist. 13. art. 2. q. 3. ad 1.* principium vitæ cordi assignat; & ideò primum in productione statuit: Idem docet *Serm. 24. de Sanctis*, & *Serm. 2. de Sancta Agnete*, & *Sermone 2. de Sancto Laurentio.*

Sic autem tradit organizationem infantis, in *cap. 2. Ioan.* folio exempl. Vaticani 341. *col. 2. A.* ex *D. Aug. lib. 83. qq. quæst. 56.* Primis sex diebus, habet similitudinem quasi lactis; sequentibus nouem, conuertitur in sanguinem; duodecim diebus solidatur; reliquis diebus, formatur, vsque ad perfecta lineamenta. His verbis S. Doctor videtur cum Hippocrate sentire: At verò exactiùs *in 3. Sentent.* locutus est.

CAPVT

CAPVT I.

De Ossibus, in genere.

9 OSSA Sceleton exhibent postremum nostræ resolutionis monumentum.

SVNT autem ossa à natura data, veluti fabricæ Microcosmon fundamenta; Sunt aliqua ad munimen, vt Cerebro Caluaria. Progressioni deseruiunt alia, vt Crura; Alia operibus, vt Brachia, &c.

PORTENTVM esset corpus sine ossibus; qualis fuit puer, quem refert Hippocrates, quatuor digitis longus.

10 MATERIA ossium terrea est à prædominio; vt docent Anatomici, apud Bartolinum, *lib.* 4. *cap.* 1. Gignuntur verò è terreo excremento, cum pinguedine; vt ait Hippocrates, atque Galenus; & dicitur ab Aristotele excrementum seminale.

MATERIA nutriens remota est sanguis crassior, excolatus in medullarum cauitatibus; vbi in medullam versus nutrit. Etsi Aristoteles medullam excrementum asserat.

DEFINITVR autem hinc Os: Est pars quædam similaris, sicca, & frigida, è terrea crassitie, & seminis adipe vi virtutis formatricis, mediante calore indurata.

OSSIVM siccitas oritur è nimio calore, humidam & pinguem materiam obdurante; frigiditas vero ex eadem fere causa nascitur; deficiente enim humido, quo calor nutriebatur, mox euanescit; ex his primis qualitatibus sequuntur aliæ secundæ, nempe durities, grauitas & ossium candor, prima ob defectum humidi; secunda, ob excessum terrei; Albedo vero deriuatur è causâ materiali, quæ spermatica est.

EST autem quæstio de numero ossium.

11 PRIMA opinio est Archelangi, esse 249.

SECVNDA opinio est, esse 204. Ita communiter. Alij vero 106. dinumerant.

TERTIA opinio est Diui Bonauenturæ, & aliorum, ea tot esse, quot sunt dies anni. Numeranda verò censent in puero concepto; vbi plures sunt sectiones, quæ paulatim coalescunt. Sunt etiam numerandi *epiphyses*, qui plures sunt, ac *sesamoides*, in manibus, & pedibus, & aliqua, quæ solent non semper esse; vt quæ sunt in venis Carotidibus. Hanc non refutat eruditus Bartolinus, *loco citato*.

CAPVT II.

De CRANIO.

12 CRANIVM est os capitis, à carne auulsum; vt ait Diuus Bonauentura *in* 19. *Ioan.* & dicitur Caluaria ab ossibus caluis; vt ait Diuus Isid. *lib.* 11. *Ethymol. cap.* 1. multis ossibus componitur, quæ Vassallius, *lib.* 1. & Bartolinus, *lib.* 4. sic discurrit: Figura cranij modicè rotunda est, ad cerebrum aptè complectendum; ideò modicè oblonga anteriùs, & posteriùs, vbi protuberat; vt cerebrum, & cerebellum contineat; ad latera vtrinque est compressa; sed magis anteriora versus: vndè pars postica est capacior: ex quo Scythæ Cratêres conficiunt ad conuiuia; vt refert Porchachius *de funeribus*. Multas, variasque figuras capitis, ac sæpè deprauatas videmus, quas prosequitur Bartolinus, cum aliis relatis Anatomicis, atque Seraphico, *in Compen. Theol. verit. lib.* 2. *cap.* 58. De quibus *disp.* 5. agam.

HABENT aliqui Cranium grandius, quàm par est, quod tanquam stoliditatis indicium carpit Sanctus Doctor; sunt, quibus anterior protuberantia deest; & tales insulsi creduntur, ob inopiam cerebri, quod in anteriori parte debet esse copiosius: sic, cùm posterior protuberantia deest, indicat memoriæ defectum.

CAPVT rotundum, carens vtraque protuberantia, insipiens iudicatur; Tales sunt Turcæ, & Grodlani. 13

ALIA sunt acuminata, & figuræ oualis, quæ apud multos generositatis indicia censentur.

ALIA sunt superiùs plana, quæ insolentiæ signa esse, ait S. Doctor.

ALIA sunt oblonga aliquantulum, & malleo similia, quæ hominem circumspectum, ac prouidum indicant; vt ait Diuus Bonauentura, *loco citato*, Datur enim situs aptè deferendi species à ventriculo anteriori per medium ad memoriam.

SEPE vero ab Obstetricibus configurantur, deformantur, ac deprauantur; quando manibus, aut fasciâ tenellum caput premunt: maximè etiam in ortu sæpè comprimuntur, ac dilatantur. 14

CRANII substantia ossea est, ad cerebrum tuendum, & in recenter natis aliqualiter cedens, maximè in parte superiori cartilaginosa est, vt partui faciliùs cedat. Ibi tremula cernitur, siuè lactantibus, siuè dormientibus infantibus.

OCTO contexitur Cranium ossibus, quorum duo communia sunt Cranio, cum maxilla superiori, nempè, cuneiforme, & spongiosum. Sex verò sunt propria, quæ cranij scutellam constituunt; vnum frontis; (in recens natis duo) Duo sincipitis; vnum occipitis; (infanti quatuor) duo temporum. Latent verò in meatibus auditoriis alia sex officula; malleus, incus, & stapes vtrinque, quibus quartum additur orbiculare. Itaque 14. vel 16. sunt ossa cranij. Ita Bartolin. *lib.* 4. *cap.* 8. 15

CRANIVM solidum, est cerebri mollis aptum domicilium. Suturis quibusdam, quasi dentatæ serræ, contexitur, ad vaporum transpirationem; quæ aliquando non inueniuntur, & ità tutius quidem est caput ab iniuriis externis; sed occlusa transpiratione vaporum, internis doloribus obnoxium. Coalescunt sanè nonnunquam ex ariditate, in senibus. Visæ sunt aliquando exaltatæ in cliuum; vt in fatuis, & Epylepticis. Ex his suturis aliæ sunt veræ, quæ sanè pectinatim coëunt, aliæ spuriæ, quæ squammatim coëunt. 16

VERÆ sunt tres: *Coronalis*, quæ est anterior, è temporibus ad verticem ascendens: vbi coronam gestant Reges; secunda in occipite dicitur *Lambdoides*; quòd litteram Λ referat. Inter has alia media per verticem, in longum, rectà abit, & dicitur *sagitta*.

OSSA maxillæ superioris sunt vndecim; inferioris verò duo in pueris, vsque ad septimum annum; in adultis vnum. In his siti sunt dentes. 17

NVMERVS eorum non idem omnibus: Nam, vt omittam aliquos vnum continuum os habuisse, vt Pyrrhus; alij duos ordines habuerunt dentium, vt Ludouicus Rex Galliæ Iustus; ordinariè sunt 28. dentes; aliquando 30. in superiori maxilla 16

in inferiori 14. vt plurimum verò 32. in qualibet maxilla 16. Raró Mutatur hic ordo prætrquam in molaribus. Sunt enim tria genera dentium; vt differit Bartolinus, cùm Diuo Bonauentur in Psalm. 57. Primores, siue anteriores, qui & Incisores nuncupantur, Canini; & Molares. Incisores sunt quatuor in singulis maxillis. Canini in qualibet maxilla duo; Molares sunt viginti, in qualibet maxilla decem. Singula iam ossa Cranij perlustremus.

18 Primvm est os Frontis, ab aliis dictum Coronale os puppis; sutura sagittali initiò distinguitur; ad nasi summum super supercilia sunt cauitates, vt plurimùm geminæ; has interdum membro viridi succingi ait Bartolinus, *cap. 6.* Sed subridet ipsi Riolanus.

Habent hi sinus foramina, quæ desinunt in Narium amplitudinem, & aliud, quod in Cranium desinit, suprà septum ossis spongiosi, quo olfactus organa discernuntur.

Hæ cauitates deseruiunt ad vocem canoram reddendam: quare sinus hos in his, qui malè loquuntur, non est inuenire; vt indicat Sanctus Bonauentura *lib. 2. Compendij, cap* 58. vbi vocem in nares incurrentem sugillat.

Illvd os in quibusdam habetur angustum nimis, signatque indocilem, ac voracem; in aliis latum; & indiscretum indicat; in aliis rotundum, iracundum significat; in aliis quadratum, & moderatæ est magnitudinis, sapientiæ, & magnanimitatis stemma; in aliis humile, demissum, & signat verecundum; vt monet Diuus Bonauentura, *loco citato*, & in his postremis non sunt duo illa foramina, relata; vt notat Bartolin. ideò tales imperfectè loquuntur.

19 Secvndvm, & Tertium sunt duo ossa Sincipitis, quæ, si nimis ampla, stolidum signant; si globosa, & breuia, modicæ memoriæ; si plana, dissolutum; si oblonga, & protracta in mallei figuram, hominem circumspectum, ac preuidum signant; vt monet Sanctus Bonauentura *suprà*.

20 Qvartvm os *occipitis*, de quo similia ominatur Sanctus Doctor, dicitur etiam os Basillare, os Proræ, memoriæ: ibi sinus memoriæ inuenitur, & fons neruorum, Ideò eius substantia est densissima. Foramina quinque habet; vnum maximum propè primam vertebram, per quod egreditur medulla oblongata; reliqua minora sunt ad neruorum, & venarum, atque arteriarum ingressum. Nouem sinus habet; Processus verò duos.

21 Qvintvm, & sextum sunt ossa Temporum, quæ sunt lapidosa, squammiformia. Habet foramina externa sex; interna duo. Habet tres processus. Primus est externus, mamillaris, à figura dictus. Secundus etiam externus est ossis iugalis portio. Os enim *iugale*, siue *Zigomatis*, sub oculo situm, non est peculiare os, sed è duorum ossium processibus conflatum. Tertius internus protuberans, in quo triplex cauitas est, Tympanum, Labyrinthus, & Cochlea.

Svnt & alia octo officula, auditui deseruientia, à figura denominata *Malleus, Incus, stapes, & orbiculare*, ex vtraque parte, quæ antiquis erant incognita, ait Bartolin. *de ossibus, lib. 4. cap. 7.* & à modernis inuenta.

22 Os etiam *Sphænoides* in media basi capitis est; & est cuneo simile. Adest in media fronte os, spongiæ simile, ac cribrosum.

CAPVT III.

De Vertebris.

Cranio nectuntur Vertebræ, per quas cerebrum, profundens medullam, germinat neruos, & tribuit motum; vt docent communiter Medici, cum Diuo Bonauentura *in 3. dist. 13. art. 2. quæst. 3. & lib. 2. Compendij Theol. cap. 41.* Sunt autem Vertebræ in collo septem; dorso 12. lumbis 5. & osse Sacro 5. vel 6. quibus additur os Cocygis, simile rostro Cuculi, quod est vltimum. Omnes istæ constituunt oblongam spinam, quæ, quia in parte sua posteriori est spinosa, ideò sic dicitur. 23

Excavatæ sunt omnes Vertebræ, vt contineant medullam spinalem; sunt plures, vt motus varij fiant. Quinque in vnum conglobatæ visæ sunt, & in silicerniis ferè omnes in vnam coëunt; iam desiccata humiditate; spinam bifidam in dorso pueri obseruarunt aliqui. Figura est vertebrarum superiùs, & inferiùs plana; sed interiùs rotunda, & prominens; at in ceruice latior, extrà variè prominens. 24

Vertebræ colli ordinantur ad sustentandam gulam, & tracheam; Vertebræ Lumborum tuendo trunco Venarum Aortæ, & Cavæ descendẽtis destinantur; ideò introrsum inclinant; Vertebræ autem dorsi extrorsum inclinant, sicuti & os Sacrum, vt locus amplus cordi, pulmonibus, vesicæ, ano, & vtero detur, maximè fœminis in gratiam fœtus.

Dvæ supremæ ligamentis iunguntur occipiti, vt firmissimè capiti adhærcant. Prima dicitur Atlas, quia caput sustentare videtur. Secundæ è medio surgit os, quasi dens, circa quod caput cum prima vertebra gerat; ex huius luxatione Angina oritur insanabilis, vt ait Hippocrates. 25

Dorsi vertebris duodecim, nectuntur costæ duodecim.

Lvmborvm quinque crassiores, & laxiores sunt, vt faciliùs terræ inclinari valeamus.

Seqvitvr os Sacrum, quasi magnum, antiquorum phrasi; vel execrabile, quia pudendis subiacet; eius vertebræ sunt quinque, aliquando sex, & nonnunquam septem. Foramina, non vt in cæteris lateralia, sed antica sunt, ac maiora, ob neruos ibi maiores, & postica; quod ad latus est os Ilion. Os Cocygis, à figura rostri Cuculi, huic subest, è tribus, vel quatuor ossibus conflatus. 26

Os Innominatum; aliis Os Coxæ, vel Ilium, ad latera ossis sacri est, constans ex tribus ossibus; *Ilio, Pubis, & Ischio.*

Os Ilion, quod Ilium intestinum continet, est prima pars, quæ superior, & latissima ossi Sacro, nexa ligamento; ambitus eius est semicircularis, & dicitur spina ossis Ilij. Hoc os amplius est in muliere, & spina magis in latera educitur, vt grauidæ vterus melius innitatur. Ideò prægnantes de hoc conqueruntur, ac si diuelleretur. 27

Os pubis, vel pectinis est secunda pars, media, & anterior; Connectitur, cartilagine, in mulieribus duplo crassiori, & laxiori ad partum; sæpè verò ossa pubis in partu diuelluntur; mouentur cum osse Sacro; & cum eo constituunt cauitatem, in qua sit Vesica, vt eius, & intestinorum pars.

Os Ischion, vel Coxendicis est tertia pars inferior, & exterior, in qua est ampla cauitas

(ceeta

(acetabulum, & pixidem vocant) pro femoris capite insigni excipiendo. Connectitur ossi Sacro duplici fune.

CAPVT V.

De COSTIS.

LATERIBVS duodecim vertebrarum dorsi, nectuntur duodecim costæ hinc; & totidem illinc
ex his septem hinc, & septem illinc, dicuntur veræ.
quia perfectæ, & bene curuatæ, adhærent ossi pectoris medio, quod dicitur *sternum*; eique con-
28 nexæ, semicirculum formant. Quinque hinc, &
inde inferiores *spuria* dicuntur, quia breuiores, ac molliores, nec *sterno* sunt adnexæ, sed Solis vertebris.

NOTA, aliquando numerum, & statum costarum variari. Pausanias refert, Protophanem Magnesium, costas connexas habuisse ab humeris: vsque ad spurias. Nicolaus Fontanus tres vnitas inseparabiles vidit.

VT plurimum sunt vtrinque 12. rarò 13. rariùs 11. Sæpius vnica superest.

EXISTIMAT autem Bartolinus, *lib.4.cap.11.* Adamo concreatas 13. in vno latere, vt inde vnam decerperet ad Euam formandam. Vide *disp.3.q.3.*

Os Sternum dictum, quia ei sternuntur costæ, est ensiforme, ob pugionis figuram in anteriori parte thoracis; pluribus ossibus constat, nempè octo
29 in puero; (cum ante cartilaginosum esset, & ferè
vnum) Post septennium octo ossa coalescunt in tria, vel quatuor, vel plura, & in senibus fere vnum; Connectuntur cartilaginibus.

SVPREMVM os amplius est & planum, referens pugionis nodum ad capulum dicitur iugulum, vel furcula; est enim Lunatum; sinus habet ad clauiculas excipiendas. Alium sinum intrinsecus habet, vt Tracheæ locum det.

SECVNDVM os angustius est. Tertium adhuc minus; sed latius desinit in cartilaginem triangulam, quæ si ossea euadat, lædet respirationem. Hæc in infantibus tenella est; vnde si intus fascia, vel manu pectus premente inducatur, eos necat; quod euenisse cuidam meæ nepoti infantulæ vidi.

CAPVT VI.

De Clauiculis, & Scapulis.

CLAVICVLÆ sitæ sunt transuersim sub imo collo, in summo pectoris vtrinque vna; figura est, veluti litteræ. *S.* ad iugulum, foris conuexæ,
30 extrinsecus leuiter cauæ, ne vasa ibi lata comprimantur: In viris magis incuruantur; vt minùs impediatur brachij motus: in mulieribus minùs pulchritudinis gratiâ, cùm foueæ non ità conspicuæ sint in fœminis, vti in viris: vnde & minùs agiles sunt ad proiiciendos lapides. Connectuntur cùm Scapulis processu superiore, per cartilaginem connatam.

HARVM vsus est ad varios motus brachij. His carent bruta: excipe Simiam, Sciurum, Murem, & chinum.

Os Scapulæ, humeri latitudinem constituens, 31
est os latum, & tenue, præsertim in medio; sed in processibus crassum, incumbens superioribus costis, parte postica, instar scuti; figura est ferè triangularis. Habet tres processus. Inseruit costarum robori. Ad humeri, & clauium articulationem, & securitatem; vt docet Diuus Bonauentura opusculo, de Immensitate, & Inuisibilitate Dei.

CAPVT VII.

De OSSIBVS *Brachij, & Manus.*

OS brachij vnicum est, magnum, & validum, longum, teres, inæquale. Parte superiori habet caput rotundum, cartilagine obductum, quod cum Scapula articulatur.

INFERIOR pars articulatur cubito, & radio: 32
vbi duo processus sunt; externus minor, cartilagine incrustatus: & internus, duos sinus habens; vt forma fiat trocheæ, vel rotulæ, ad quam voluuntur funes: vnde cubitus, ginglyno iunctus, in acutissimum angulum flecti potest; at vltra rectam lineam nequit extendi.

CVBITI ossa sunt duo, humero breuiora, & appendices vtrinque habentia, sibi mutuò incumbentia, atque ligamento membraneo inuicem commissa, ad motum, & operationes plurimas; vt docet Diuus Bonauentura, infrà citatus.

PRIMVM inferius, maius, & longius, dicitur Vlna, seu cubitus; alterum superius, & minus, dicitur Radius: est autem Radius obliquus, & à priori distat.

MANVS habet in extremo quatuor ossa; 33
CARPI, seù Brachialis; METACARPI, seù Postbrachialis, Digitorum, & SESAMINA.

CARPVS, Arabibus, RASETTA, octo habet ossa distincta, inæqualia, magnitudine differentia; supernè quatuor, radio articulata, & cubito; infernè totidem 4. Metacarpi ossibus connexa.

METACARPIVM, vel palma 4. habet ossa oblonga, & gracilia, quæ cum carpo iunguntur connexione, & digitis, per ligamenta; vt docet D. Bonauent. *loco citato.*

DIGITORVM ossa sunt 15. singulis digitis 34
tria, gibbis foris, intus cauitatibus prædita ad apprehensionem; vt docet Diuus Bonauent. *ad 11. Lucæ.*

CAPVT VIII.

De CRVRIBVS *&* PEDIBVS.

PRIMÒ occurrit Os fœmoris, quasi ferens animal; est longum, maximum. Pars superior tres 35
habet processus.

CAPVT maximum est rotundum; in coxendicis acetabulum inseritur, & duplici ligamento cum Coxendice nectitur.

INFERIOR pars cum tibia articulatur: nam ad genua, duplici capite, tibiæ sinus intrat; inter quæ capita spatium amplum est, per quod vasa, cum neruo, ad caua transeunt.

ARTICVLATIONI fœmoris, & tibiæ inter- 36
ponitur

ponitur mola, rotundum, & latum os; vbi genu ligamento cingitur.

36 Tibia est pars inter genu, & talum, ossibus duobus constat, vt cubitus. Vnum interius, & nomen tibiæ obtinet: Alterum Fibvla: quia tibiæ
37 musculos iungere videtur. Dicitur etiam Svra, omnia verò ad motum progressiuum aptata & ad flexionem genu; vt docet Diuus Bonauentura supra. In noua Zembla etiam intrò genuflectunt homines, non minus quàm extrà.

Pedis ossa, sicuti etiam manus, in tres partes diuiduntur, in Tarsvm, Metarsvm, & Digitos.

38 Tarsi ossa sunt septem, quorum quatuor tantùm posteriora nonnulli in Tarso numerant: quia tria priora in manu non habent ossa, sibi similia.

Primvm dicitur Talvs; & ad motionem facit. Secundum, Talo nexum, ad pedem firman-
39 dum, dicitur Calx, seu Calcaneum. Tertio dicitur Navicvlare, Cymbæ simile. Quartum, cubo simile; ideò dicitur Cvboides, vel tessera. Reliqua tria Calcoidea dicta sunt, & sunt cuneiformia, nauiculari adnexa.

Ossa Metatarsi, vel plantæ, sunt quinque, Tarsi ossibus nexa. Digitorum quatuordecim, quia pollex tanquam ad manum, non ad digitos, spectat.

40 In internodiis manuum, & pedum latent ossicula quædam minima, dicta *Sesamina*; quia sesami semini sunt similia.

41 Incertvs est horum numerus; sed, vt plurimum, sunt duodecim in singulis manibus, & pedibus; in quibusdam 16. 19. & 20. & nonnunquam decem, & pauciora.

CAPVT IX.

De Cartilaginibus, & Ligamentis.

42 Cartilagines sunt partes similares, ossibus affines: vnde, & quæ animalia ossibus carent, illis cartilagines sunt pro ossibus.

Svnt ossibus molliores, duriores verò Ligamentis.

43 Mvltæ verò Cartilagines in ossa mutantur; vt in quodam fure Mediolanensi aspere arteria ossea euaserat; vt refert Cardanus, & Bartolinus. Ità sæpe cartilago scutiformis, aspera, & aliæ fiunt è partibus terrestrioribus spermatis; vt ait Galenus.

38 Vsvs est, primò motum faciliorem reddere in iuncturis, & diuturniorem.

Secvndo partes ab iniuriis externis tueri. Tertiò connectere ossa. Vide alia in Bartolino *lib.* 4. *cap.* 2.

Ligamenta neruis duriora sunt, quæ ossa inuicem colligant, aliasque partes, & ità ossa retinent in capite, thoraci, dorso, artubus, ne fiat partis alicuius luxatio.

QVÆSTIO III.

De Neruis.

Ab initio huius disputationis dictum est in homine reperiri tria vehicula, per quæ vitales humores, & spiritus ad singulas corporis partes dispertiantur; & quidem per venas, vt pote latioris concauitatis, sanguis cum Spiritu Naturali ad partium Nutritionem diuehitur; per arterias autem Spiritus vitales cum subtiliori sanguinis partione totum corpus peruadunt. Verum Nerui, compactioris quidem naturæ. Spiritus animales sensui & motui subministrant. De Neruis hic prius dicemus; postea de Arteriis, & Venis acturi.

CAPVT I.

De Neruis in genere.

Nervi sunt organa communia oblonga, tere- 39
ta, in partes deducta pro facultate animali.

Oriuntur è medulla deducta, in cerebro quidem sunt septem paria, vel decem: in spina verò triginta paria.

De origine neruorum proponitur grandis Quæstio.

Prima opinio censet, neruos è medulla, è cerebro deriuata, manare; in capite quidem septem paria, vel decem; at è spina dorsali per vertebras, triginta paria. Sic omnes Medici, & Anatomici, qui vna conclamant, hanc esse oculari experimento euidentissimam; vt refert Bartolinus *libro tertio, cap.* 1.

Hi referunt Aristotelem, Auerroëm, & alios naturales philosophos asserere, originem Neruorum è corde prouenire.

Decipivntvr tamen, quia hi dicunt, ner-
uos quidem è medulla cerebri nasci, quis ignorat? 40
at motum, & sensum, qui ex neruis communicatur, esse à corde, quod Spiritus emittit, vt per meatus nutriti nerui, & facti viuidi, sensum, & motum communicent; vt obseruat Sanctus Bonauentura, *in tertio, dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 1. & hoc fatentur etiam Anatomici, qui definiunt neruum, sic: *Est organum commune, oblongum, & teres pro facultate animali, rectore Spiritu animali in partes ducenda*, vt fatetur Bartolinus, & differit Diuus Bonauentura, *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 41. A corde enim habent originem vitales spiritus, qui in cerebro attemperantur in animales, quos nerui partibus dispertiuntur cum virtute animali, vt docent Anatomici, cum Diuo Bonauentura, *loco nuper adducto*, addente, idem esse spiritum vitalem, & animalem; hunc verò tantùm addere cerebrum attemperando.

Hinc verò neruo inciso motus illi parti aufertur; eoque stupente, motus impeditur. Verum quidem est, quosdam neruos dare tantùm sensum, vt visorios; alios tantùm motum, vt, qui in musculos implantati; alios conferre vtrumque, vt per sextum.

Profvndivs sunt iacti, quàm arteriæ, securitatis gratia.

Varii autem sunt magnitudine, pro actionum
varietate. 41

Etsi communiter triginta septem paria astruantur, tamen nerui illi, qui in capite censentur septem paria, à Bartolino, & ab aliis, decem paria ponuntur.

Dicvntvr paria, seù coniugationes, quia singuli habent suam coniugem; nam ex vtroque latere vnus prodit.

Nervi sunt absque cauitate, vt communiter

cen

censent Anatomici. Ità Vessalius, Eustachius, Riolanus filius, & alij, quibus subscribit Bartolinus, admittens solùm poros paruulos, ad spiritus deducendos. Id ipsum sentit Sanctus Doctor *loc. cit. Compend. Theol.* contra Riolanum Patrem, & Seuerinum, qui in quibusdam admittunt, & contra Galenum, in Opticis; cui Cæsalpinus, Reusnerus, & alij adhærent. Arbitror cum Falopio, Galenum voluisse admittere in opticis porositatem ampliorem; non tamen concauitates.

42 Id, experimentis sectionum, ostendunt nostræ sententiæ authores. Constant sanè omnes nerui quibusdam filaminibus sibi mutuò connexis. Ex his, hi, qui motui, seruiunt duriores sunt, & quò dilongantur à cerebro, magis obdurescunt.

In neruis valuulas ponit Cortesius, quæ spiritum sistant, ne refluat. At profectò non ità frequentes essent Paralyses, & Apoplexiæ, si spiritus detinerentur.

Aliqui circulationem etiam spirituum admittunt, sed frustra; hi enim subtiles nimis, non reuertuntur ad venas, sed citò transpirant.

Vsus igitur neruorum omnium est; vt docet D.Bonau. *allatis locis*, & omnes Anatomici, vehere spiritus animales ad omnes partes, pro sensu, & motu, quod ex læsione illorum constat. Si enim obstruantur in principio, vel totaliter; perit vtrumque, & apoplexia oritur. Si verò ex vna parte; ibi fit motus, vel sensus priuatio, vt monet Bartolinus, post omnes Medicos, cum D. Bonauent. *serm. 1. de Parasceue*, & Dom. 18. *post Pentec.* & *in cap. 5. Lucæ*, & *ad 5. Ioan.* & *alibi.* Si autem spiritus pauci subueniant, oritur paralysis, vt docent omnes cum D. Bonau. *serm. 2. de SS.Philippo, & Iacobo.*

CAPVT II.

De decem paribus NERVORVM *intra Cranium.*

43 Decem neruorum paria recenset Bartolinus.

Primvm Par olfactorium, cuius processus mamillares dicuntur. Hi circa sellam sphœnoidis, è medulla elabuntur. Omnes ferè hos neruos ignorasse; etsi eorum processus concedant omnes, monet Bartolinus *lib. 3. cap. 2.*

Adverte autem, eos notos Seraphico, qui *lib. 2. Compend. Theol. cap. 41.* docet, spiritus animales deduci per neruos ad omnia organa sensoria, vt fiat sensatio. Docet autem, neruos ad sensus è parte anteriori medullæ natos; eos verò, qui deseruiunt ad motum, è parte posteriori. Idem docet *3. part. Centil. sect. 21.*

Secvndvm Par neruorum, quod aliis primum, est Opticum, seù visorium ad oculos, quia spiritus visorios deferunt. Hi nerui sunt aliis maiores; sed molliores: Eos oriri, ait Bartolinus, sub occipite, vbi medulla spinalis incipit antrorsum elongari, seù circa eminentias cerebri, quas *thalamos* vocat Galenus: Paulùm verò progressos ferè mediâ viâ vniri, & intersecari; imò confundi eorum substantiam. Attamen Vessallius, Aquapendens, & Vallisuiridis obseruarunt, aliquos toto ductu distinctos permanere. Communis verò sententia docet, nasci in anteriori parte cerebri, cum D.Bonauent. *loco cit. Centiloquij.* Id supponit Ingenierus *in Physionomia.*

Vnio hæc fit, siue ne objectum visum duplex appareat; siue, vt spiritus visiuus alteri oculo, si opus sit, deferatur totus, siue ad firmitatem. Statim verò separati, extra Caluariam exeunt ad cauitates oculorum per centrum in homine; at in brutis inferiùs. Intra caluariam tenui tantùm Meninge vestiuntur, à foraminibus verò, quæ pertranseunt vsque ad oculos, simul crassa Meninge obducuntur. De his agam infrà, *Tract. de Anima, disp. 5. quæst. 7.*

Tertivm par est notorium oculorum. Oritur non longè à secundo ad intimam partem principij medullæ elongatæ, sic in ortu se tangunt, imò continui sunt, quo fit, vt vno oculo moto, moueatur & alter. 44

Hi nerui, visoriis duriores, per aliud foramen è caluaria exeunt ad musculos oculorum, & palpebrarum.

Qvartvm Par dicitur à nonnullis tertij paris radix minor. Oritur initio medullæ oblongatæ, antrorsumque defertur, & oculi orbitam subiens, ramos exendit. In oculi adipem musculum quintum, atque per foramen peculiare ossis frontis, ad cutim frontis exit, & palpebram superiorem. His primus ramus prospicit: Secundus verò musculis superioris labri, & nonnullis nasi, & labro ipsi, ac Gingiuis inseruit. Tertius per narium cauitatem decurrit. Quartus ramus sunt musculi temporum, parti internæ prospicientes. Vide Vessalium, Columbum, Platerum, Bauchinum, & Bartolinum.

Qvintvm par facit ad linguæ sensum, & gustum. Oritur è medullæ oblongatæ lateribus, & statim à transitu per os. Sphœnoidis propago, instar vitis capreoli contorta, prodit, & cum adjutorij nerui duobus ramulis vnitur. Prospicit musculis faciei, ac temporum, atque mansorio buccarum, vti faciei, gingiuis, & dentibus: Nam horum beneficio dentes eum sensum, quem habent, obtinuêre. 45

Sextvm par oritur propè quintum; exit cum priori; eodem foramine fertur in palatum, & facit ad sensum gustus.

Septimvm par oritur in medietate medullæ oblongatæ, & egrediens cum tertio, & quarto pari, ferè totum in musculum oculi abducentem absumitur.

Octavvm par Auditorium ad latera priorum oritur, & os petrosum ingrediens, diuiditur in ramum maiorem, quem expansum tympanum facere volunt, ac minorem deorsum latum. Propagines per primam, & secundam vertebram mittit ad Laryngis musculos. Vnde aures profundius purgando, sicca excitatur tussis.

Nonvm par oritur paulò infrà procedens. Egreditur per foramen occipitis, per quod ascenderat ramus maior iugularis internæ, & prospicit musculis ceruicis, præsertim cucullari. Deinde descendit, & connectitur cum vltimo pari, Arteria Carotide, & Vena Iugulari, atque ad Laryngis musculos internos mittit propagines, & ad musculos hyoidis, & faucium, & ad linguam. Mox inter Carotidem, & Iugularum ad tracheæ latus descendens suprà iugulum, vtrinque diuiditur in ramum Externum, & Internum. 46

Exterior constituit neruos recurrentes (seù vocales, quia his læsis, læditur vox animalis; ità vt altero dissecto semiuocale reddatur; at, vtroque scisso,

scisso, mutum fiat.) Dicuntur recurrentes, quia descendunt; deinde vtrinque quasi circa axim circumuoluuntur, dexter circa Arteriam axillarem, sinister circa truncum arteriæ descendentem; & posteà ascendunt, vsque ad musculos Laryngis.

Exterior dexter prospicit musculis, è Sterno, & Clauicula ortis.

Exterior sinister stomachicum sinistrum generat, qui orificium ventriculi, cum compare amplexantur; reliquus verò Ianitorem adit, & Iecoris cauum.

Interior dexter, primò ad radices costarum intercostalem, cuilibet ramulum largitur; deinde cum arteria magna septum pertransit, & infimo ventri prospicit; abitque in tres ramos.

Primvs ad Omentum extenditur, à quo alij tres ramuli diramantur: Horum prior ad Colon. (Hinc, post diuturnam cholicam, oritur raucedo) Secundus ad initium intestinorum terminatur. Tertius, ad partem dextram fundi ventriculi, ad superiorem omenti membranam, Hepatis tunicam, & folliculum fellis, dirigitur.

Inferior ad renem dextrum protenditur. Hinc solent dare causam vomitus in Nephriticis.

Tertivs maximus ad Mesenterium, intestina, & vesicæ dextrum latus partitur.

Interior sinister in suo latere, eodem modo distribuitur; nisi quòd loco Hepatis ad Lienem pars abeat.

47 Decimvm par neruorum, è medulla vix oblongata in occipite, durius in linguam abit maiori parte; minori verò in hyoidis, & Laryngis musculos.

CAPVT III.

De triginta paribus Nervorvm *Spinæ.*

E Medvlla, dum in ceruice est, oriuntur octo, aut septem Paria neruorum.

Primvm par oritur inter occiput, & primam Vertebram.

48 Secvndvm par, inter primam, & secundam vertebram, & sic deinceps.

Tertivm, & quartum, in musculos genarum, & eos, qui collo, & capiti sunt communes. Sicuti primum, & secundum disseminatur per musculos capitis, & ad aures.

Qvintvm, cum quarti, & sexti propaginibus, faciunt neruos diaphragmaticos insignes; & quintum cum prædictis partim retrorsum mittit; partem antrorsum in musculos, caput inclinantes, brachiorum, scapularum, & cutim ibidem.

Sextvm, ad brachia, & scapulæ cauum pertingit.

Septimvm, cum vicinis duobus, nempè sexto colli, & primo thoracis iungitur, cuius præcipua portio ad brachium accedit, vsque ad manus extrema.

Fervntvr enim in brachia quinque, vel sex paria neruorum.

49 In dorso. è medulla, oriuntur duodecim paria neruorum, quorum singuli diuiduntur in duos ramos, anteriores, & posteriores. Rami anteriores mittuntur ad singula spatia intercostalia: posteriores abeunt ad vertebrarum spinas, inter musculos vertebris adnatos.

E Spinali medulla in lumbis, oriuntur quatuor, vel quinque paria neruorum, & horum quodlibet diuiditur in ramos anteriores; & posteriores, qui 50
partim in musculos lumborum, & hypogastrij; partim in crura disseminantur. Horum rami ad Diaphragma, Abdomen, femur, vasa spermatica, pubem, ilia, penem, collum vteri, & vesicæ, distribuuntur.

In osse sacro oriuntur quinque patia neruorum; vel sex iuxta alios; ex quorum quatuor superioribus, vnà cum tribus lumborum inferioribus, oriuntur nerui crurales, inter pedes descendentes, qui in exortu, instar reticuli coniuncti, mox de se quatuor ramos spargunt.

Nervorvm ossis sacri par primum diuiditur in anteriorem; & posteriorem: At sequentia quinque paria aliter separantur: Ex his, superiores ad crus; inferiores duo ad musculos ani, vesicæ, ad ceruicem vteri vesicæ, & penem. Alij ad interfœmineum, & scrotum. Sequuntur quatuor crurales, qui vsque ad pedes sparguntur.

QVÆSTIO IV.

De Arteriis.

Apvd Antiquos nomen Arteriæ cum Vena sæpius confundebatur; vnde ab Hippocrate aliquandò dicitur Vena semper saliens: ab Auicenna vocatur vena animosa, seu audax; sed hæc nomina à specie tribuuntur generi, est enim vena quædam arteriosa, vna simplici tegumento ad instar cæterarum venarum amicta; de qua infrà.

CAPVT I.

De Arteria in genere.

Arteria dicta, quòd aërem, vel spiritum 51
contineat, est organum commune, teres, oblongum, fistulæ in modum cauum, è duplici tunica constans, è corde prodiens, vehendo ad partes, sanguini, & spiritui vitali idoneùm; vt alij docent, cum D. Bonauent. *lib. 2. Compend. Theol. cap. 41.*

Prodevnt è corde. Magna quidem, seù Aorta exit è sinistro latere; at arteria venosa, sicut & vena arteriosa è dextro.

Devehvnt spiritus vitales, & sanguinem ad partes omnes, ad vitam fouendam, ad nutritionem, ad excrementa sanguinis pellenda, ad renes, mesenterium, vterum, hemoroides. Vide D. Bonauent. *loco cit.* Bartolinum *lib. 2. cap. 1.*

Pvlsat verò, vt calor innatus ventiletur, ac temperetur, vt sanguis arteriosus minoribus arteriolis insinuetur, & inde partes nutriantur, reliquus per valuulas venis refundatur, vt fiat Circulatio; de qua agam, *Tractat. de anima, disputatione 3. quæstione 3.* ne sanguis, quiescens putrescat.

Est autem quæstio, vnde pulsus arteriarum 52
procedat.

Ali

Aliqvi dixêre, eum fieri à sola facultate pulsificâ, Arteriis insitâ; vt Praxagoras; siue à corde per tunicas Arteriarum; vt Galenus docuit, & posteà innumeri Medici, quibuscum videtur D. Bonauent. *lib. 2. Compend. Theolog. cap. 41.* & *serm. 2. de Beata Agnete.*

Alii dixêre, illud fieri à sanguine, vel ebulliente, vt Aristoteles; vel rarefacto, vt Cartesianus; vel puro, distendente Arterias, vt Haruæus; aut ab vtroque, scilicet sanguine implente, & facultate dirigente, vt Bartolinus *lib. 2. cap. 1.* & alij, quibuscum est Seraphicus *3. part. Centil. sect. 22.* vbi ait: Vis vitalis est vis motiua aëris in corpore animalis per Arterias; vnde est pulsus.

53 Qvod à sanguine distendantur Arteriæ, & impellantur, clarum est, & probatur à Bartolino; quia Cor, continuo pulsu, expellit magnam sanguinis copiam; Is verò, singulis pulsibus allisus, sentitur tactu denudatæ Arteriæ, & singulis pulsibus, ex arteria secta, exilit: Idque intestinis Canis, vel Lupi exsiccatis, inflatis, impletisque aquâ, digiti ictu sentiri expertus est Harueius, quod insigne experimentum acclamat Bartolinus: Addit S. Bonauentura, *loc. cit. Centil.* Cor emittere aërem, seu spiritum aëreum per Arterias; vnde Arteriæ agitatæ pulsant.

Facvltatem tamen coniungendam tunicis; alioqui inordinatus esset pulsus, & inæqualis semper: Arteriæ autem omnes vno momento simul dilatantur, & constringuntur, agente facultate vitali lucida, ad modum irradiationis; vt notat Bartolinus *loc. cit.* è D. Bonauent. *ad 1. Lucæ*; etsi in Indice pagina sit falsa: Itaque S. Doctor ab his plauditur.

54 Dilatantvr verò omnes, dum Cor constringitur; & vice versa, corde dilatato, Diastolen patiente, constringuntur, & sunt in Systole. Ratio est; quia corde expellente sanguinem, replentur illæ.

Latent sub venis ad securitatem: Maiores sunt descendentes, quàm ascendentes rami. Pauciores sunt, quàm venæ: Sunt membranosæ, & solidiores venis, vt experimur Lanceolâ: Eas aperire in magnis euaporationibus, & Phrenesi, docuêre Galenus, & alij: Et quia Arteriæ, Venis sexuplo crassiores sunt; vt monet Herophilus *in Arteriotomia*, debet incisio profundari.

CAPVT II.

De Arteriæ magnæ trunco ascendente.

Nota, me ab Arteriis citò expediri; nam infrà ex venis, quæ ferè semper habent subiectam Arteriam, has quoque capies.

55 Arteria magna, è sinistro Cordis specu orta, intra Pericardium emittit Arteriam coronariam, ambientem Cordis basim; mox è capsula Cordis egressa, diuiditur in truncum ascendentem, & descendentem, qui est maior.

Trvncvs ascendens, tracheæ incumbens, omnibus partibus, supra Cor existentibus, prouidet: Diuiditur in subclauiam dextram ampliorem; & sinistram, ascendentem ad brachium.

Deinde totus truncus, thymo suffultus, abit in duas partes carotides, seu soporales impares, rectà sursum tendentes.

Svbclaviæ, priùs, quàm è thorace exeant, (egressæ enim Axillares dicuntur) è parte inferiori progignunt intercostales inferiores: è parte superiori Mammarias, Ceruicales, & Musculas.

Ab Axillari, antequam ad brachium perueniat, oriuntur Thoracicæ duæ, & Scapulares; & superius humeraria, relinquens brachio, quod reliquum est.

Carotides ad caput tendunt: Vbi ad fauces veniunt, dant ramulos laryngi: Deinde diuiduntur in ramum exteriorem, & interiorem: Exterior gracilior prospicit buccis, faciei musculis; deinde ad aurium radices biramatur, vnus ad aures, alter ad tempora: Interior, ad ossis Sphenoidis Sellam sub dura matre, format rete mirabile; hinc transiens, duas mittit propagines; minorem ad oculos: maiorem ad glandulam Pituitæ, & per piam Meningem, ac Cerebri substantiam. 56

Axillaris, per brachium inter musculos, fertur sub flexu cubiti; diuiditur in ramum superiorem ad carpum, vbi Medici pulsum explorant; deinde sub Annulari ligamento gradiens, digitis, Polici, Indici, & medio ramos largitur; & in inferiorem ad carpum; ac prospicit digitis Medio, Annulari, & Minimo.

CAPVT III.

De Arteriæ magnæ Trunco descendente.

Trvncvs descendens maior est; quia ramos spargit Thoraci, Ventrique, vsque ad pedes. 57

In thorace, duæ à trunco prodeunt: Prima est Intercostalium ad octo costas inferiores, Secunda Phrenica pro Diaphragmate, & Pericardio: Reliqua pars trunci ad ventrem spargit ramos, è qubus, alij ramos venæ Portæ: alij Cauæ venæ ramos comitantur.

Comites venæ Portæ sunt tres: Celiaca, & duæ Mesentericæ: Celiaca dicta, quia multos ramos ad Ventriculum mittit, In duos ramos partita sub Ventriculo, nectitur in Pancreate: Dexter ramus ad Hepatis cauum abit, pregressusque Grasticam gignit dexteram, & Cisticas duas; & infra dextram intestinam, & Grastroepiploin dextram: Sinister, seu Arteria Splenica maior, ad splenem abit, & diramatur; mesenterica superior in totum ferè spargitur mesenterium; & mesaraicas Arterias format in Ieiuno, Ileo, & Coli parte.

Inferior in mesenterij inferiorem partem, Colique sinistram meat.

Qvæ venæ Cauæ ramos comitantur; sequuntur Emulgentes, Spermaticas, Lumbares, &c. Ad ossis sacri initium venam Cauam conscendit, nec ampliùs subiacet; ue ad os, motu suo, allidatur: Diuiditur in duos truncos Iliacos; & singuli in duos ramos crurales; sed antrorsum mittunt sex propagines, Sacram, Musculam inferiorem, Hypogastricam, & Vmbelicales: Exteriùs, Epigastricam, & pudendam: Reliquum in Crus fertur, & crurales Arterias facit. Supra Poplitem, à trunci parte exteriore, muscula cruralis externa, ad musculos femoris interiores; & hæc ad genu cum Hypogastricæ ramo miscetur: Sub Poplite oriuntur tres rami, Popliteus, Suralis, qui subdiuiditur in tres; & Tertius, qui per pedem, & digitos pergit. 58

QVÆSTIO V.

De Venis.

PEr Venas, tanquam per suos Alueos decurrunt iugiter riuuli sanguinis ad abluendum, & irrigandum vberiùs arescentem carnem; Hæc etenim cum vi caloris continuè absumatur, mox defectu humidi radicalis ad interitum deficeret, nisi Venarum subsidio reficeretur: Harum potissimum Munus est sanguinem velut in receptaculis continere, illumque vicinis venis per quasdam fibrulas communicare; quare vnica tantùm circumvestiuntur tunica; vt facilius subtilior, & defæcatior sanguinis portio transpiret, cui insuper decoquendo inseruit; sicut & Naturali spiritui ad omnes partes transmittendo; quare dicitur Organum commune, tere, oblongum, & ad instar fistulæ cauum: Ita S. Bonau. *in Comp. Theol. cap.* 41. Verum vt diuersa illarum genera, & officia attingamus, sit.

CAPVT I.

De Vena *in genere.*

VEnæ nomen, Veteres attribuebant etiam Arteriæ; sed Arterias vocarunt pulsatiles venas; si Bartolino credas, *Libello* 1. *cap.* 1. sed D. Bonauent. *loc. cit.* eas distinguit.

Est autem quæstio de origine Venarum: Aristoteles eas à corde deriuat, cum Peripateticis, quos sequitur nunc Pecquetus, & alij.

At Galenus, è Iecore ducit, cum Medicis, & Anatomicis; cum eo est Diuus Bonauentura, *loc. cit.* qui solas Arterias è corde deriuat: Idem habet, 3. *part. Centil. sect.* 22.

60 Probatvr primo; quia ibi est prima sanguificatio, nec vlla est via deferens Chilum ad Cor: Neque vllum receptaculum Excrementorum primæ coctionis, quæ tamen in Hepate adsunt.

Deinde sanguis defertur ab Hepate immediatè ad Cor; nam è Corde sanguis ad Hepar exire non potest, ob valuulas; quamquam mediatè ex Arteriis recursu referri queat.

Tertiò, Pisces sanguinem habent, & tamen carent dextero Cordis ventriculo; in quo dicunt Aduersarij fabricari sanguinem.

Qvartò, Vena portæ non attingit Cor, sed Hepar, quod etiam Caua attingit: Hæ autem sunt venæ maximæ: At, secundùm Aristotelem, omnes venæ debent esse contiguæ Cordi.

Qvintò, in fœtu, Vmbelicalis vena cum sanguine ponitur in Hepate, non in corde matris.

Sextò, si Venæ essent à Corde, pulsarent, sicut Arteriæ; nam totum Cor pulsat: Hæc videtur ratio S. Bonauenturæ suprà.

Septimò: Nunquam læditur sanguificatio, nisi læso Hepate; vt in Hydrope.

Vsvs est, ex Antiquorum opinione, sanguinem cum spiritu, & facultate naturali, ab Hepate, in omnes Corporis partes pro nutritione, adducere.

61 At Moderni censent, Venas non deferre sanguinem ad partes nutriendas; non enim aptus est sanguis venosus ad nutritionem; sed omnem sanguinem ad solum Cor referunt per circulationem, siue mediatè per Hepar, vt Mesaraicæ venæ: siue immediatè, vt Caua; vel à toto corpore, à minimis ramis ad maximos, per ramum superum, & inferum; vel ab Hepate, siue ibi generatum, siue è Meseraicis, & Arteriis assumptum: Id cognouit S. Bonauentura, vt dicam, *tract. de Anima, disp.* 3. *part.* 1. *quæst.* 3. Ideò cautè, referens primam opinionem, addit: *iuxta antiquos.*

Ad Cor ergo, tanquam ad Centrum adducere, & à partibus minimis, veluti peripheria, probant Anatomici experimentis, è quibus aliqua referam, *loco adducto.*

Primò in Venæ sectione, ligato supra cubitum brachio, citra ligaturam nullus tumor fit, nec si ferro venam aperias, sanguis efflueret (nisi paucus; quia Anastomoses aliquæ in superiori sunt Arteriæ cum vena:) Infra ligaturam verò, & intumescunt venæ manus, & apertè copiosum fundunt sanguinem; quantum potest totum Corpus effundere. 62

Itidem, si digito locum infra vulnus comprimas, sistitur sanguis; illo verò remoto, sursum fluit: vnde colligitur, sanguinem ab exteris partibus venarum ascendere ad cor, non descendere à corde.

Secvndò, si calore turgidæ fiant venæ manus; & digito deducas sanguinem deorsum ad digitos, nihil in superioribus succedet; sed vacuæ venæ apparebunt: Si è contra, digito comprimens venam, deducas sanguinem à manu ad brachium; statim repletas videbis venas.

Tertiò: Liga manum, vel pedem, & immerge aquæ gelidæ, vel niui; mox solue vinculum, senties Cor refrigerari à sanguine frigido, sanè ascendente: Pari ratione calefiet, si aquæ calidæ fuerit immersa manus, vel pes ligatus, & soluantur. 63

Qvartò: In suspensis rubet caput, faciesque, & distensæ apparent venæ, ob iter ad Cor, à laqueo sanguini impeditum: Soluto autem laqueo, detumescit, & decoloratur facies, remanente aliquâ parte rubea, eò quòd sanguis frigidus non moueatur ampliùs.

Qvintò: In scissionibus viuorum animalium res clarissima est: Quocumque enim corporis loco dissecto, ligatâ venâ, etiam à corde remotior; eâ parte flaccidâ cernitur, quâ cor spectat; tumente contrariâ, quæ à corde est remotior, citra ligaturam.

Sextò: Eleua venam in viuis animalibus, filoque constrictam pertunde citra ligaturam, copiosus fluit sanguis; eis verò cor versus, nihil, quod in cruralibus, & iugularibus venis, cuiusque animalis, succedet, etiamsi penitus secentur venæ; Sic expertos se testantur Vualæus, & Haruæus, cui præcipuam laudem in hac re edocenda, ac comprobanda defert Bartolinus.

Septimò id ostendunt Venarum valuulæ, quæ ità sectæ sunt, vt Cor respiciant patulæ, facilemque transitum à minimis venulis aperiant ad maiores, & indè ad Cor largiantur: A Corde verò, siue à maioribus venis clausæ, nihil remeare sinant, neque vi impulsam aquam, stylum, &c. nisi læsæ patiantur. 64

Octavò, Hepar, ad solum Cor mittit; Cor, ad solos Pulmones, & Arterias iunctas; vt dicam, cùm de Corde: Cùm igitur tanta copia, continuo pulsu, per Arterias ad partes animales, diffundatur; nec tamen ea resarciri queat ab assumptis, nec regrediatur ad Cor, ob valuulas Aortæ mitrales, nec subsistat in Arteriis continuò pellentibus, nec à partibus nutriendis tantùm absumatur; reliquum est, vt quod abundat, ad Cor referatur; & Venas intret per circulationem. 65

Alia

Alia etiam venarum officia sunt; qualia sunt sanguinem præparare, vt præstant venæ lacteæ; vel non nihil perficere, quod in venæ Cauæ portione inter Hepar, & Cor fit: Tertiò sanguinem custodire: Nam putrescit sanguis extrauenatus: Venarum magnitudo diuersa est; ità tamen, vt extremæ minores sint; vt hinc in capillares exsilentur: Connectuntur Arteriis, vt sub Vena, ferè omni, Arteria sit; nulla verò Arteria sine vena. Iunguntur autem variis Anastomasibus, seu Valuulis.

66 Vena est membranosa, vnicam habet tunicam: In Venis sunt valuulæ, quæ contrectantur, dum sanguinem fricando deorsum adigere tentes; nam cursum eius tardare sentitur; hoc etiam causatur à sanguine crasso, Varicibus insito.

Svnt autem valuulæ tenues membranæ, sitæ in cauitate venarum, præcipuè Brachiorum, & Crurum. Reperiuntur aliquæ insignes in orificio venæ Iugularis, in Cephalica, Basilica, in venis Crurum, &c. Ità verò sitæ, vt Orificia habeant sursum, radicem venarum versus; infrà verò clausæ, semperque cor respiciunt.

Venæ omnes, ad Venam Portæ, & Cauam; duas veluti Matres, reducuntur.

67 Vena Portæ per ostia deferre Chilum ad Hepar, è ventriculo, credita est ab Antiquis: Oritur è caua Hepatis parte; vnde aliqui, radices ominantur: Est ampla; sed mollior, quàm Caua: Alij huius radices vocant Mesaraicas, quæ sanguinem è Mesenterio ad Hepar vehunt: Vnde Mesaraicæ, manus Hepatis dicuntur: Huius superiores rami per Hepatis cauum disperguntur, qui foris in vnum ramum postea coëunt: Truncus verò inferior, duabus venulis ad vesicam biliariam dimissis, mittit aliam ad ventriculum, Posteà sinistrorsum inclinans, truncus diuiditur; quorum alter ad splenem tendit, vnde splenicus; alter dextrorsum, qui dans ventriculo, & Omento venas, atque intestinis, mesenterium totus ingreditur, & in tres ramos insignes diuiditur.

CAPVT III.

De Venis Lacteis.

68 Venæ Lacteæ ità dictæ à colore, hæ nostra ætate inuentæ feruntur à Gaspare Asellio, & sæpè ostensæ sunt, sectione Canis viui depasti, secti post tres horas: Ea vasa esse distincta à Mesaraicis inuenête Moderni; apparent enim hora Chili albiccanata; posteà disparent, & solas fibrulas, & cauitates retinent spectabiles.

Scito Erasistratum, apud Galenum, qui circa annum 141. floruit, Antonino Pio imperante, has venas lacteas in hœdo secto exposuisse; atque adeò & D. Bonauentura, qui Galenum perlegerat, & de eius principio, & instrumentis nutritionis sententias affert, optimè id agnouit.

Experimenta sanè plurima, maximè in Canibus opiparè epastis, & tertiâ horâ disectis multiplicarunt Moderni; imò & in hominibus, nuper strangulatis, suffocatisque post cibum, & olim Erasistratus in hædis, nuper lactatis, & occisis, idem comprobauit.

Earvm situs est in infimo ventre, per Mesenterium ab intestinis obliquo ductu, duas inter eius tunicas in Pancreatem medium, eiusque glandulas intrant; ibi variæ circumdantes, sunt cancellis similes, aut capreolis implexæ, in labyrinthos abeuntes.

Ab eo rursus maioribus ramis per latera Portæ missis, quandoque etiam Cauæ latera subeuntes, in tertium Hepatis lobum discissæ, in fibrulas, per eius carnem disseminatæ disperduntur. 69

Innvmeræ sunt dispersæ per Iecur, Intestina, Mesenterium, & Pancreatem.

Vsvs est, Chilum ad Hepar transferre (non per Mesaraicas, vt Antiqui volebant;) Sanè colore non mutatur Chilus, donec ad Hepar perueniens, subpallêre, & subrubêre incipit.

CAPVT IV.

De Venis Hemorrhoidalibvs.

Hæ sunt, quæ in recto intestino iuxta Coloni extremitatem ad anum tendunt, quæ in multis sanguinem euacuant, statis temporibus aptè ad sanitatem. 70

Ex his internæ à Vena Portæ, & aliæ externæ à Caua manant, quibus Arteriæ iunctæ sunt ad humores euacuandos: Internas solas nouêre Antiqui in Malancholicis, & Splenicis laudatas ob purgationem.

Cvm ad anum deueniunt, Orificium multis ramulis circummeant; per has etiam vilior, & crassior sanguis, qui purgari nequit, euacuatur; sicut per ramum hipogastricum abundantior copia effunditur; vtrumque prouidè natura instituit ad corporis sanitatem.

CAPVT V.

De Vena Cavæ Trunco ascendente.

Hæc è gibba Iecoris prodiens, maxima est venarum: Huius truncus ascendens, Diaphragma penetrans, & per Thoracem, Collum, Caput, & Brachia disseminatur: Fertur autem indiuisus ad iugulum vsque: Intereà oriuntur ex eo quatuor rami. 71

Primvs est Phrenicus, siue vena Diaphragmatica, vtrimque vna; vnde etiam rami ad Pericardium, & Mediastinum deferuntur.

Deinde ascendit per Septum, & perforans Pericardium sinistrorsum, se insinuat in dextrum Cordis ventriculum, amplò foramine.

Secvndvs est vena Coronaria, Cordis basim cingens, ad cuius ortum est valuula, reditum sanguinis in truncum admittens.

Tertivs est, Vena supra Cor insignis, hæc in homine, & cane vna est, sine pari; gemina verò in ruminantibus quibusdam Animalibus, & Suibus, &c. Mitit ad octo intermedia inferiorum costarum ramos intercostales. Prope octauam costam diramatur; alter ramus ad sinistram sub Diaphragmate ascendit, & inseritur, modò in Cauam propè emulgentes; modò in ipsam emulgentem: Hac via, per Vrinam, Pleuritici sæpè expurgantur, & pus per emulgentes vadit (verius mediante Corde.) 72

Alter ramus dexter iungitur Cauæ; aliquando etiam lumbari implantatur.

Qvartvs intercostalis superior, ad quatuor superiorum costarum initia, meat.

CAPVT VI.

De Vena Svbclavia.

73 Ramis iam dictis constitutis, ascendit vena Caua ad claiuculas, ibique in duos ramos diuiditur axillares subclauios: Hinc oriuntur Venæ supernæ, & infernæ, tam ante, quàm post diuisionem.

Ante diuisionem quatuor: Primò Mammariæ: Secundò Mediastnæ: Tertiò Ceruicales: Quartò Muscula inferior.

Svbclavivs Truncus egressus cauitatem thoracis, tunc propriè Axillaris dicitur, & Scapularis: Duplex inde oritur pro musculo Scapulæ, internus, & externus, & pro axillarum glandulis: Deinde Axillaris diuiditur in ramum superiorem, seu venam Cephalicam; & inferiorem, seu Basilicam.

A Trunco Basilicæ, duæ oriuntur Thoracicæ.

74 A parte superna trunci subclauij, oritur muscula superior, iuxta iugularem externam; deinde Venæ iugulares, ità dictæ, quia in iugulo ad colli latera binæ ascendunt; Iugularis externa repens sursum prouidet partibus externis capitis, faciei, colli, & faucium: Diuiditur enim sub radice aurium in ramum interiorem, qui adit musculos oris faucium, hyodis; & in exteriorem, quæ sub aure bipartita vnum ramum mittit ad faciem, Nasum, Buccas, & Frontis medium; ibique iuncta cum alterius lateris ramo, constituit venam frontis, quæ incidi solet: Altera per latus fertur, ac tempora, & Occiput: Hanc optimis euentitibus aperiunt aliqui Medici in doloribus capitis, raucedine, respirationis difficultate, pleuritide, dolore Lienis, impetigine, angina, & in faciei Varicibus.

75 Ivgvlaris interna, ob Cerebri copiam in homine maior, quam in brutis, Apoplecta dicitur, & ad tracheæ latus ascendit, cui propagines mittit.

Ad Caluariæ basim pertingens, parte posteriore diuiditur in duos ramos: Vnus maior retrorsum, fertur cum arteriæ Carotidis ramo minori per ossis occipitis foramen, quod pro sexto pari neruorum est factum, & duræ Matris sinum intrat: Alter minor per tertij, & quarti paris foramen ingressus, in crassam Meningem absumitur: Vide Bartolinum, & Vessalium latiùs.

CAPVT VII.

De Brachiorum Venis, & Manuum.

76 Vena Axillaris, initio brachij, in duos ramos diuiditur insignes: in Superiorem, quæ est vena Cephalica; & inferiorem, maiorem altero, quæ dicitur *Basilica*.

Cephalica dicitur, vel Capitalis, cuius ramus externus ad carpi medium, parte inferiore Basilicæ ramo iungitur; & deinde externam carpi sedem conscendens, inter digitum Annularem, & minimum pergens, dicitur *Saluatella*: quæ in febribus acutis, & tertianis secatur, & rectè; non tamen in affectibus melancholicis; vt aliqui vellent.

Ramvm interiorem Cephalicæ faciunt eum, qui medianam constituit.

Basilica, aliis dicta cubiti interior Hepatica; quia in Iecoris affectibus secari solet; sed in sinistro latere, vocant Lienarem, quod eius sectio in affectibus Lienis commendetur.

Cavendvm tamen in eius sectione, ne Neruus tertij, & quarti paris adiunctus lædatur; vnde Febris, conuulsio, & mors: Errant enim in ea secanda aliqui Chirugastri.

Hæc Vena, sub tendine musculi pectoralis, 77
diuiditur in tres ramos: Primus fertur cum brachij neruo: Medius, & profundus dicitur, infra cubiti atticulum diremptus in ramum externum, & internum, parum à se inuicem recedentes: Ille prouidet Pollici, Indici, & Medio, necnon manus Musculis externis: Hic cubiti ossi attensus, Medio, Annulari, & Minimo, necnon musculis manus prospicit internis.

Svbcvtanevs ad tuberculum brachij internum, diuiditur in ramum anteriorem, & posteriorem: Hic sub vlna descendit, iuxta digitum minimum, vbi cum Cephalicæ ramo iungitur: Ille, dum fertur per cubitum, procreat aliam venam insignem, quæ varie pergit ad carpum: Deinde, dum defertur per cubitum, cum Cephalicæ ramo interiore sub cubiti flexura, constituit venam communem, quæ dicitur Mediana, à situ sic dicta.

Moneo tamen, varias esse venarum in variis distributiones; imò in vno homine, varia est in manu dextera, & sinistra.

CAPVT VIII.

De Trunco Venæ Cavæ descendente.

Trvncvs venæ Cauæ descendens, angustior, 78
& indiuisus, comite Aorta, pergit vsque ad quartam lumborum vertebram: Intereà spargit propagines: Primò Adiposas pro renum tunica, & adipe: Secundò emulgentes ad renes, reducentes sanguinem seorsùm, è renibus ad venam Cauam: Tertiò Spermaticas: Quartò Lumbares duas, vel tres, inter quatuor Lumborum vertebras.

His constitutis, Truncus ad os sacrum tendens, ad quartam Lumborum vertebram Aortæ, se subjicit, & diuiditur in duos ramos Iliacos, qui supra os Ilij, ad os pubis abeunt.

Circa ipsam diuisionem oriuntur duæ venæ, 79
id est, Muscula superior pro Peritonæo, & musculis Lumborum; Abdominis; & Sacra sæpe duplicata, pro ossis sacri medulla.

Postea bifurcatur vtrinque ramus Iliacus in exteriorem maiorem, & interiorem minorem.

Ab interiore pullulant duæ Venæ. Muscula media, & hypogastrica, quæ sane insignis est, pro pluribus hypogastrij partibus, vt Musculis intestini recti, vnde ejiciuntur Hæmorroïdes exter-

næ,

næ, pro vesica, etiam & pene, & sede vteri inferiori, eiusque collo: Vnde exoriuntur Venæ, per quas Virginibus, & grauidis Menstrua sæpè expurgari creduntur; sed per Arterias naturalis fit excretio.

Ab exteriori tres, Egigastrica, Pudenda, & Muscula inferior.

CAPVT IX.

De Venis CRVRALIBVS.

80 HÆ, Sicuti & Arteriæ, ac nerui transeuntes in femoris plicatura intertexuntur; deinde à crurali oriuntur rami sex: Prima Saphena; quæ fertur interno cruris latere,& in superiorem pedis partem, maximè in pollicem.

SECVNDA Ischias minor, huic opposita,exterior cruri.

TERTIA muscula, ortum habet à trunco.

QVARTA Poplitia per medium poplitis flexum, excurrit vsque ad calcem.

QVINTA Suralis magna, & diuiditur in ramum interiorem, & exteriorem, & diuiditur per Suræ musculos.

SEXTA Ischias maior, partem dat Suræ musculis; deinde in decem propagines diramatur, singulis digitis binas distribuens.

VARIÆ sunt etiam istæ, sicuti & de brachiis dictum est.

QVÆSTIO VI.

De MVSCVLIS.

MVSCVLI in Corpore humano sunt veluti motus ministri, quem ociùs excitant in variis membris, dum à Cerebro per neruos, à Corde per arterias, & à Iecore per venas vim motricem recipiunt;componuntur ex variis partibus dissimilaribus,vt dicetur infra; insuper proprio tegmine vestiuntur, & cum singulis partibus Corporis seruiant; à singulis etiam aliquid substantiæ recipiunt; horum variæ sunt species, quas per Capita indicabo.

CAPVT I.

De MVSCVLIS in genere.

81 MVSCVLVS dicitur, quasi Mus, Græcè μυὸς; quia excoriato muri similis;Latinè etiam vocatur Lacertus, ob similitudinem huius animalculi, etsi variæ sint eorum figuræ.

MVSCVLVS definitur pars organica, motus voluntarij instrumentum; nam sola hæc pars facultatis motricis influxum recipere potest: Helmontius Musculis nouas fibras oriri dicit; sed falsò,vt probat S.Bonau.*in 2.dist.30.quæst.vlt.* argumento,quo vtitur Bartol.*lib.1.cap.5.*quia sunt partes spermaticæ,quæ reproduci nequeunt alimento.

SVNT partes organicæ; constant enim carne, Tendinibus,Venis,Arteriis,&c. tegentibus membranis,Neruis, sensum impertientibus, & motum; nam à Cerebro per Neruos vis motiua musculis datur;vt docent Anatomici cum D.Bonau.*in Comp. Theol.lib.2.c.41.*constant etiam pinguedine humectante,vt docet S.Doctor *Serm.S.Petri ad vincula.*

CONNEXIO magna est inter musculos: Hiant tamen,si flatus, serum, vel aliud intercedat: Alij oriuntur à cartilaginibus; alij à tendinibus: Est autem Tendo corpus continuum à principio ad finem musculi,frigidum, siccum, ab osse natum,& in illud insertum. 82

CAPVT musculi, quando tendinosum est,vocatur ligamentum; medium carnosum; sæpè finis est velut Tendo,seu Chorda; est autem sensibilis.

ACTIO musculi est motus triplex: Primò contrahitur intra se, caput versus, & tunc oppositus relaxatur:Secundò contractus ità manet.Et hi duo motus sunt per se:Tertiò relaxatur:Est autem varius omnis motus musculorum pro situ,officio,&c.

MOTVS hic,modò voluntarius, modò animalis;spontaneus est in brutis;mouet enim voluntas, vel appetitus bruti musculos; sicut Eques equum incitat: Sunt tamen aliqui musculi, qui habent motum ex parte naturalem.

CAPVT II.

De Musculis ABDOMINIS.

REMOTIS cuticulâ,cuti,pinguedine, & membranâ carnosâ,occurrunt musculi Abdominis, inferiorem ventrem obtegentes, & sunt sexdecim, (aliis quatuordecim:) Concurrunt autem tendines eorum in lineam albam, quæ descendit media vsque ad ossa pubis, & sub cute apparet, ac via lactea dicitur; duplexque est, declinante alterâ semilunari circo. 83

HORVM officium est ventrem modo inferiùs, modo superiùs comprimere, aliquando ad tumorem protendere; vt facilius aër retrahatur, & excrementa ejiciantur; fœminis etiam ad parturiendum multùm inseruiunt, dum superioris ventris compressione fœtum ad ima detrudunt.

CAPVT III.

De MVSCVLIS Brachij.

NOVEM habet Brachium musculos:Primus est pectoralis,qui pectus occupat:Secundus Deltoïdes, & humeris, capitique sternitur: Tertius Aniscalptor latissimus,totum ferè dorsum vná cum suo compari tegens: Quartus rotundus maior,estque obliquè situs sub parte poltica axillæ:Quintus breuis,& rotundus,qui initio acuto è Scapulis infimo angulo pullulans, crascessit paulatim, vsque ad medium ventrem:Sextus dicitur Infraspinatus, vel Superscapularis inferior; quia Scapulæ partem externam,& gibbam totam tegit; cuius etiam formam habet:Septimus Supraspinatus,& Superscapularis superior,supra axillam carnosus,& oblongus, implet cauitatem inter costam Scapulæ superiorem, & eius spinam, è qua nascitur. 84

INFERIOR verò, tendine lato, & valido ceruici humeri inseruiens ad articuli ligamentum, articulum primum superuehitur.

OCTAVVS subscapularis carnosus, inter co- 85

ſtas, & ſcapulam; & occupat partem internam ſcapulæ.

Nonvs perforatus, nouiter eſt inuentus;& dicitur *Coracoideus*,ſeu *Coracobrachius*, inſeritur in internum humerum circa medium,iuxta tendinem Deltoidis: Venter eius perforatus, & tranſitum neruis aperit, qui ad cubiculi muſculos meant.

CAPVT IV.

De Mvscvlis *Scapulæ ſeu Homoplatæ.*

Qvia mouetur Scapula antrorſum,retrorſum, ſurſum, & deorſum; ideò quatuor accipit muſculos, quibus alij duos addunt, *Seratum maiorem*, & *Digaſtricum*; ſed malè: nam hic eſt oſſis hyoidis; ille thoracis; vt notat Bartolinus, *lib.* 4. *cap.* 3.

86 Primvs dicitur *Serratus minor*, eſtque muſculo pectorali ſubſtratus: Oritur à coſtis ſuperioribus, & variè aſcendens, ſcapulæ inſeritur: Hic mouet antrorſum ad thoracem.

Secvndvs *Trapezius*, vel *Cucullaris*, quem primis Parentibus, tanquam teſſeram vitæ Religioſæ impoſitum, ait Riolanus; ſed refellit Bartolinus: Oritur carneus, & tenuis ab occipite; mouet ſcapulam ſursùm obliquè; & rectá ad dorſum.

Tertivs eſt *Rhomboides*, à figura quadrilittera, ſub oculari ſitus, tenuis, & latus: Oritur à tribus inferioribus colli, & tribus ſuperioribus thoracis vertebris, eademque latitudine baſi ſcapulæ inſeritur.

Vsvs eſt, non nihil ſurſum obliquè ad poſteriora trahere.

Qvartvs Leuator, ſeu patientiæ, Oritur à vertebrarum colli, quinque tranſuerſis proceſſibus: Vſus eſt, antrorſum trahere, & attollere ſcapulam cum humero.

CAPVT V.

De Mvscvlis *Thoracis*, *ſeu Reſpirationis.*

87 Respirationi inſeruiunt plurimi muſculi, vt Diaphragma,omnes intercoſtales,& aliqui Abdominis.

Thoracis proprij ſunt duodecim, vtrinque ſex.

Primvs ſubclauius, eò quod ſub clauicula ſitus, ſtat inter clauiculam, & primam coſtam: Oritur à parte interiore, & inferiore clauiculæ carnoſus, inſeritur in partem ſuperiorem primæ coſtæ, & hic eſt primus muſculus, qui thoracem diſtendit.

Secvndvs Serratus maior,magnus eſt, latus, & vndique carneus: Oritur carnoſus è baſi interna ſcapulæ, attollit duas coſtas ſpurias.

Tertivs Serratus poſticus ſuperior, latus in dorſi ferè medio,ſub muſculo latiſſimo Aniſcalptore, à ſpinis vertebrarum dorſi inferiorum ortus; Inſeritur ad coſtarum inferiorum quatuor interualla: Dilatat inferiùs Thoracem.

Qvintvs præcedenti ſubſtratus *Sacrolumbus* dicitur; quia oritur à ſacri oſſis poſteriori parte, & è lumborum ſpinis.

Sextvs Triangularis, paruus, ſubtilis: Inſeritur cartilaginibus inferioribus.

Svnt & muſculi quadraginta-quatuor intercoſtales, vtrimque viginti-duo, vna pars externi; altera interni; ſunt inter binas coſtas bini.

CAPVT VI.

De Mvscvlis *Capitis*, *Colli*, *vel Ceruicis.*

Movetvr caput ſuper primam vertebram 88
antrorſum, & retrorſum, atque flectendo ſupra ſecundæ vertebræ dentiformem proceſſum; velut axi circumducitur: Hic motus fit nouem muſculorum paribus innominatis, excepto octauo Maſtoide. Vide Bartolinum, *lib.* 4. *cap.* 5.

Capitis motus varij ſunt, vt cuique liquet experientiâ; quidam ad dextrum, & ſiniſtrum, fiunt obliquè, alij ſurſum, & deorſum rectè; alij denique vno tractu in medio Circulo: mouetur rectè caput, aut ſe demittendo,ſeu attollendo; inſeruit demiſſioni Capitis Maſtoides, quæ in occipite verſatur; vbi dum ſe aliquantulum laxat, finit ipſum deorſum anticè ferri ob ſuam grauitatem; alij octo muſculi cæteris motibus opitulantur: Naſcuntur è variis principiis, vti è prima,& ſecunda vertebra Thoracis, ex Apophiſibus tranſuerſalibus quinque inferiorum vertebrarum colli; hunc velut in vnum conglomerati ad occiput terminant.

Habet item collum motum plicabilem, extenſiuum,& lateralem; à quatuor muſculis plicatur, ſeu flectitur;quorum duo ſunt Longi,duo verò Scaleni: primi oriuntur è ſuperioribus Thoracis vertebris; ab initio carnoſi ſunt, & acuti, ſeſe primæ colli vertebræ inſerentes:Scaleni ideò ſunt dicti ob figuræ triangularis inæqualitatem,à principio largiores,& paulatim in tenuiorem abeuntes ſubſtantiam,deſinunt cum ſuis fibris in omnes ferè Apophiſes tranſuerſales vertebrarum colli.

Qvatvor itidem muſculi motui extenſiuo deſeruiunt, duo tranſuerſales, & duo ſpinales,qui habent etiam ſuas vertebras, vnde exeant, & in quas deſinant; Motus colli lateralis non exigit alios muſculos à primis diuerſos; ſed ſufficit, vt vnus è muſculis inflectentibus agat ſimul cum alio extendente.

CAPVT VII.

De Mvscvlis *Dorſi*, *Lumborum*, *& aliarum partium.*

Movetvr Spina dorſi antrorſum,retrorſum 89
ad latera; & cruraliter: Sanè in Hiſtrionibus innumeros motus dorſi videre licet.

Svnt autem quatuor paria neruorum.

Primvm par dicitur Quadratum, adhærens proceſſibus tranſuerſis vertebrarum,& lumborum: Oritur ab oſſibus *Ilio*, & *Sacro*, latum, carnoſum.

Secvndvm eſt Longiſſimum: Oritur ab extremo oſſis ſacri.

Tertivm Sacrum nuncupatur,Oritur poſterius ab oſſe ſacro.

Qvartvm Semiſpinatum: Oritur, vbi præcedens deſinit, omneſque vertebrarum thoracis ſpinas amplectitur.

Si octo hi nerui omnes agant, dorsum rectum detinent, & hominem quasi sustentant, si vero vnus agat seorsim, flecit versus latera.

At extremitatem Dorsi habet Anus suos musculos, duos scilicet Sphincteres, seu occlusores, & totidem releuantes, priores nimis carnosi, oriuntur è vertebris inferioribus sacri ossis; quorum alter ad instar annuli transuersalibus fibrulis intertextus ad extremitatem intestini recti, ita orificium occludit, vt excrementa nullatenus valeant inuito effluere: Alter carnosior, variis fibrulis contextus videtur; & ad instar pellis indurescit.

Mvscvli anum releuantes, largiores sunt, & tenuiores, nascuntur è partibus internis, & è latere ossis pubis, & descendendo rectum intestinum amplectuntur, sese tuniciæ ipsius exteriori serentes: Dant Anatomistæ testiculis quoque duos musculos, quos Suspensores vocant; ne nimia & continua grauitate vasa multum dilatent; dant etiam & Peni quatuor musculos, quos apud ipsos vide; vnum verò concedunt vesicæ, quo vrina retinetur; quare circumligatur ad collum ipsius, variisque fibrulis transuersalibus ita intexitur, vt vel stringendo, vel laxando vrinam vaeat ad nutum dimittere, vel cohibere.

CAPVT VIII.

De Mvscvlis *Cubiti, & Radij.*

Mvscvli cubiti quatuor sunt, & totidem Radij.

90 Dvo Cubiti Flexores sunt, Binus, & Brachiæus: Duo extensores, Longus, & Breuis.

Cvbiti namque proprius motus est flexio, & extensio: Radius verò manum totam pronam, vel supinam facit.

Cvbiti primus dicitur *Biceps*, ob duplex eius initium, quod est à scapula.

Secvndvs sub hoc latus, *Brachiaus*, oritur ab osse brachij medio.

Tertivs extendens breuis, oritur ab humeri ceruice, & præcedenti miscetur, & humeri os occupat; definit verò in illam olecrani partem, cui innitimur.

Addvnt aliqui duos alios. Vide Riolanum, & Veslingium.

Radii sunt duo Pronatores, & duo Spinatores.

91 Primvs rotundus in apoplysi interna brachij, in radium ferè medium finit.

Secvndvs est quadratus, ab imo cubito in imum radium supra ligamem commune radij, & bubiti terminat.

Tertivs est Spinator primus, ab Apophysi externa brachij enascens.

Qvartvs est spinator alter ab Apophysi externa brachij, carnosus in medium ferè radium excrescit.

CAPVT IX.

De Carpi Mvscvlis, *& Digitorum.*

Ad Carpi, & Volæ musculos refertur palmaris; ab Apophysi interna brachij ortus, expanditur super volam; desinit verò in prima digitorum internodia. 92

Mvscvli Carpi sunt quatuor: Duo flexores interni, & duo extensores externi.

Primvs Flexor à brachij interna Apophysi ortus, in quartum os carpi implantatur.

Alter Radieus internus; quia per radium porrigitur ex eodem principio; desinit in os Metacarpi primum sub indice.

Primvs Extensor à brachij externa Apophysi oritur, radio instiatus; desinit ad os primum, & secundum Metacarpi.

Alter Cubiteus externus, ex eodem sinu vnico tendine abit per os quartum Metacarpi sub minimo digito.

Extensores sunt bini: Oriuntur ab Apophysi annullari externa humeri: Digitos adducunt musculi quatuor, Lumbares, seu vermicularij, ità dicti à figura.

Advectores interossei sunt sex in spatiis Metacarpi; Externi tres palmæ incumbunt; Interni totidem volæ insistunt. 93

Mvscvli, Policem flectentes, sunt duo; extendentes duo, à cubito orti; Adducentes tres: Adducentes quoque tres.

Flectentes policem deriuantur à superiore parte radij, seque inserunt in vltimum pollicis articulum: Extendentes quoque oriuntur ex osse cubiti; quorum primus cum vno solo tendine in tertia iunctura desinit; alter verò cum tendine furcato passim pollici se inserit.

Tres illi, qui pollicem adducunt ad cæteros digitos, eleuant illam volæ eminentiam, quæ dicitur mons Veneris; horum primus ex pugni osse ortum habens, carnosum cum tendine carnoso, terminatur ad latus pollicis versus indicem: Secundus ex eodem ortus principio, priorem tangendo, in secundo pollicis osse absconditur: Postremus serpendo progreditur pari passu ad secundam iuncturam pollicis: dum hi tres musculi vnitis viribus pollicem pellunt versus alios digitos, secundum eius articulum arctiùs stringunt, & fortiter flectunt; separatim verò agentes, primus musculus adducit ad indicem, secundus ad medium, tertius ad duos postremos digitos: His contraponuntut Musculi abducentes.

Index habet musculos duos: alter dicitur Abductor: alter extensor.

Minimi digiti duo sunt, Abductor, & extensor: Ille ab osse, tertio, & quarto Carpi: Iste à Radij parte supernâ ortus, exteriùs inseritur.

CAPVT X.

De Mvscvlis *Femoris.*

Flectitvr femur duobus musculis: Primus est in Abdomine, & dicitur Lumbaris, qui à Lumborum superioribus vertebris oritur car- 94

neis; & inseritur in Trochanteria parum anticè.

94 Alter, qui ψόας Græcè, *Posaas* dicitur à Bartolino est inuentus.

Secundus Iliacus, inseritur tendini connato præcedenti musculo: Oritur à tota cauitate ossis Ilij; & desinit quoque in Trochanteria.

Extendunt femur tres musculi natium, *Glutæi* dicti. Primus largior cæteris est, & externus oritur à Cocyge, in os Ilium, sub Trochantera magnum, lato, validoque tendine desinens.

Alter medius etiam situ, Oritur à dorso Ilij spinæ anteriori sede in trochantera magnum desinens.

Tertius minimus: Oritur à dorso Ilij prope acetabulum, lato, validoque tendine in trochantera magnum abit.

Hi tres natium carnosam molem constituunt.

95 Adducunt, & circumagunt femur intrò tres, qui à multis vnus habetur, & dicitur *Triceps*; His additur *Liuidus*.

Abducunt, & circumagunt foras ipsum sex musculi quadrigemini; & duo obturatores.

Primus è quadrigeminis dicitur *Pyriformis*, & quartus *Quadratus* (cæteri sunt sine nomine) in spatium inseruntur inter vtrumque trochantera: Obturatores ideò dicti; quia occupant foramen inter os Pubis, & Ischij; alter est externus, internus alter; externus oritur è tota superficie dicti foraminis, desinitque in cauitatem Magnæ Trochanteriæ: Internus etiam ortum habet ex interno Circulo eiusdem foraminis, exitque in varios tendines, qui in vnum tandem commeantes, desinunt ad radices eiusdem Trochanteræ.

CAPVT XI.

De Musculis Tibiæ.

96 Flectunt tibias quatuor musculi postici: Vnus biceps ex istis.

Extendunt quatuor, qui in vnum tendinem fiunt, qui molam amplexus in tibiæ initium anteriùs inseritur.

Adducunt ipsum intus duo: Primus longus, alter Poplyteus; abducit tantùm vnus, dictus *fascia lata*.

Musculi tibiam extendentes duo, dicuntur vasti, ob magnitudinem; horum externus exit è tota radice Magnæ Trochanteræ, & ex osse femoris infrà iacentis; internus verò egreditur è Trochantera parua, & ex osse pariter ipsi subiecto: Alter musculus extendens dicitur rectus, oriturque è spina externa, & inferiore Ilium; vltimus cruralis annectitur ossi femoris.

Musculus longus tibiam adducens, natus è spina dorsali, obliquè descendit ad partes eius internam, & anteriorem: Popliteus verò è tuberositate inferiori, & anteriori tubæ enascens, se inserit in interiorem partem ossis ipsius tibiæ.

Vltimus tandem abducens, ex osse Ilij principium nactus, ab initio carnosus percipitur, & obliquè progrediens ad externam ossis tibiæ partem, suo tendine satis amplo cæteros femoris musculos obtegit, & ad extremitatem vsque pedum protrahitur.

CAPVT XII.

De Musculis Pedum.

Pedem flectunt antrorsum duo musculi: Primus Tibiæus anticus, alter Peronæus biceps. 97

Extendunt ipsum retrorsum quatuor: Duo gemelli *Gastronemei* dicti: Tertius *Soleus dictus*: Quartus *Plantaris*.

Adde his Tibium posticum.

Tibiævs anterior, ossi tibiæ affixus, ex Apophisi superiore eiusdem ossis oriundus, cum vno solo tendine, desinente ad instar furcæ, inserit se plantæ pedis iuxta os illud, quod pollici adiacet:

Peronævs, vti duo habet capita, ita duos habet tendines; horum crassior obliquè serpens sub planta pedis, desinit è regione Pollicis in quodam osse ibi affixo; alter ad os minimi digiti terminatur.

E Gemellis vnus; externus scilicet, oritur ab interno capite ossis femoris; alter externus, ab externo etiam capite eiusdem ossis; Soleus verò his subiacet, ortum habens à commixtione duorum focilium: Hi tres in vnum tendinem coëunt, cæteris robustiorem, qui calcaneo infigitur.

Vltimus Plantaris respondet palmari in manibus, & in longiorem tendinem protensus subintrat ad latera calcanei, vbi per totam plantam pedis diffusus, pelli ibidem commiscetur.

CAPVT XIII.

De Musculis Digitorum pedis.

Movent pedem Musculi; sicut & manum: Vterque enim habet similes motus, dum flectuntur, extenduntur, intus contrahuntur, & foris explicantur. 98

Quatuor digitos pedis duo Musculi flectunt, vnus extendit: Adducunt Lumbrici quatuor: Abducunt interossei decem, à pedis ossibus nati, & spatia metapedij replentes.

Pollex habet musculos peculiares adductores, abductores, flexores, & extensores.

Flectitur vnico, à fibula prodeunte; adducitur vno, ossi pedis attenso: Abducitur vno, à calcis interna parte orto; & nouus suprà transuersalis additur, qui oritur neruosus à ligamento primi internodij minimi digiti, & ab annulari, mox carnosus factus, transuersim defertur supra digitorum primos articulos, & tendine breui, latoque in magni digiti primum articulum implantatur: Hunc inuenit primus Casserius.

Vsus est, facere ambulationem securam, quando per viam asperam, rotundis silicibus refertam, vel per lubricum itur: nam huius musculi ope, pes ad huiusmodi figuram se aptat, & id quasi apprehendit, vt tuto gressum firmet.

Minimi digiti abductor à calcis parte eadem oritur. 99

Peculiarem huius digiti obseruat flexorem Bartolinus, largum, teritem; à tibiæ capite ortum.

In planta pedis est carnea massa, sicut in manu, quæ veluti puluillus vestigium firmat; & tendines musculorum in molli culcitra continet.

QVÆST.

QVÆSTIO VII.

De Externis Operimentis.

HABENT in Corpore singulæ partes sua operimenta, & propugnacula, ne ab extra lædantur, & vt securius intus vacent suis operationibus; prætereà his tegumentis opus habent, vt partes similares, & dissimilares melius discernantur; vnde etiam Venæ, Nerui, & alia organa interna suis vestiuntur tunicis, ac sese à vicinarum partium corruptione defendunt; notiora tamen, & magis obuia sunt operimenta externa, quorum varia sunt genera, de quibus dicam.

CAPVT I.

De Cuticula, Cute, & Pinguedine.

100 CVTICVLA est pellicula vitæ, sensusque expers, tenuis, densa, exanguis, è vaporibus oleosis, & viscidis, à frigiditate externa condensatis, ad cutem tegendam.

CVTIS est integumentum corporis commune, vel membrana à semine genita, vt sit tectus instrumentum, & subiectarum partium tutela.

SVBSTANTIA cutis conflatur ex seminis, & sanguinis mixtione, est omnibus membranis densior, ac largior, eò quòd totum Corpus ambiat; hîc sensus tactus est exquisitior; quia in ea cætera vasa terminantur, hinc temperamentum habet optimum, inter excessum, & defectum, vt melius inter obiecta tangibilia discernat; Figuram habet à parte sibi subiectâ, sicut & colorem ab humore magis influente; est porosa nimis, vt inseruiat transpirationi, & sudoris eiectioni.

PINGVEDO est Corpus similare, vitæ expers, è sanguine vnctuoso membranarum frigiditate concrescente, ad totius tutamen.

EAM esse vitæ expertem constat ex indolentia in sectionibus: Refert Elianus, Dionysium Tyrannum, nec acubus à somno potuisse excitari, ob pinguedinem. Quid verò sit, est in quæstione.

PRIMA opinio est, pinguedinem esse Chili partem pinguiorem: Ità Cæcilius Folius.

101 VERA Sententia est, eam esse è sanguine: Ità Aristoteles; quem sequuntur etiam Anatomici, cum Diuo Bonauentura, *Serm. de Sancto Petro in Vinculis.*

ASSERO, Pinguedinem à Chylo non esse immediatè.

PROBATVR primò; alioqui Infantes in vtero non essent pingues; quia non chylificant.

SECVNDÒ; quia nullus est ductus à vasis Chyli ad extrema, vbi habetur pinguedo; neque per membranas fertur; quia duriores sunt ad ductum: Neque glandulis defertur; quia discontinuæ sunt pinguedini.

VERVM quidem est, pinguedinem ex oleoso sanguine factam, multum de calore deperdere; vt ait Aristoteles: Primum patet; quia facilè ignem concipit, intus auget calorem: Ideò multi Medici eam calidam dicunt; quibus adhæret Bartolinus *loco citato.*

102 ALII volunt, esse frigidam apud Bartolinum, *lib.1. cap. 3.* cum istis D. Bonauent. *loc. cit.* Probatur à Sancto Doctore argumento ducto ex Aristotele: Quæcunque à frigore concrescunt; & à calido soluuntur, frigida sunt; at pinguedo à frigido concrescit membranarum: Ergo.

RESPONDET Bartolinus ex Aristotele: Ea, quæ concreta facilè calore soluuntur, non multum caloris perdidisse: Est igitur frigida solùm comparatiuè ad calorem, quem habebat.

CONTRA; quia pinguedo difficilè resoluitur: Deinde arguit D. Bonauentura; quia pinguedo sanguinem minuit, & Corpus humoribus frigidis replet; vnde pingues breui fruuntur vitâ, & sunt ad opera stupidi, sicut & ad generationem, vbi calor requiritur. Confirmatur; quia pinguedo è frigiditate fit; vt ait Galenus apud Bartolinum *ibi*; & alij eruditi, quibus ipse applaudit.

HINC frigidiora, sunt pinguiora, vt Castrati, 103
& Fœminæ; & in partibus tantùm frigidis oritur pinguedo.

HINC habes, pinguedinem non à densitate produci membranarum.

DENSITAS enim non est actiua, nisi, vt includit frigus: Neque dicant, densitatem operculi Alembrici condensare vapores ab igne subiecto, vt distellent; fit enim condensatio à frigore ambiente; vnde & pannus, aqua frigida madidus, iteratò reponitur ad operculum.

NEQVE iuuat dicere, multas partes dari frigidas, neque tamen pingues, vt Cerebrum, meninges: Respondetur enim, naturam prouidisse formationi pinguedinis, vbi vtilis foret.

REFELLITVR etiam Fabius Pacius, referens pinguedinis causam in siccitatem.

SANE pinguedo non sicca, sed humida est, vt arguit S.Bonauentura.

REFELLVNTVR quoque dicentes, eam fieri à virtute pinguifica.

EQVIDEM pinguedo non ità generatur, & 104
crescit absque termino præfixo.

ADDIT S. Bonauentura, pinguedinem esse vitæ noxiam; Etenim sanguinem minuit, & vita in sanguine est, estque nutrimentum vitæ: Hinc Agnus, cùm circa renes pinguis fit, infirmatur, & moritur: Pingues enim, dum eis pinguedo dissoluitur, moriuntur, vt plurimum, à rheumate suffocati.

ET è communi Sanctorum sententia, venter pinguis, sensibus obtusus est; & ineptus ferè generationi, vt aiunt Medici.

HINC Pastores, cùm Arietes pinguescere vident, eos occidunt.

ET Hyppocrates, mulierem docet macrescere, vt concipiat, si pinguis est: Hæc S. Bonauentura *loco citato.*

VENAS tres habet pinguedo Abdominis; Armillarem externam supernè descendentem; Epigastrium infernè, & à lumbis emergentes.

VSVS est, sua viscediditate prohibere, ne ca- 105
lor internus erumpat; meatus occludere, ne frigus Hyeme, & Æstate calor penetret; Coctionem ventriculi iuuare, tegendo, & obserando.

CALIDAS etiam partes oblinit, atque propugnaculum contra ictus, contusiones, &c.

CAPVT

CAPVT II.

De Membranis.

Pingvedini in homine substernitur membrana carnosa.

106 Membrana est, quæ partem operit corpulentiorem: Est autem pars similaris, lata, alba à facultate propria, vt partes vestiendo custodiat, producta: Tales sunt Peritonæum, Pleura, Periostium, Pericardium, &c. de quibus infrà.

Aliæ sunt membranæ tenues, aliæ crassæ: Vide Anatomicos.

Svnt etiam præcipuæ membranæ musculorum, de quibus dictum.

Est quoque membrana carnosa, seu panniculus circa frontem, ambitum Colli, & Aures, ad vicinas partes muniendas.

Membrana autem carnosa, quæ totum corpus inuoluit, in nouiter natis est rubicunda, in adultis alba, propemodum sentit, quando vel leuissimè tangitur; ità quando ab acrimonia bilis aliquantulum irritatur, suscitat motum concussiuum, qualis in quartana febri laborantibus deprehenditur. Tribus potissimùm inseruit: Primò sustinet debiliores ramulos Venarum, Neruorum, seu Arteriarum, quæ ad cutim terminantur: Secundò, sanguinis crassiores vapores colligit, & in pinguedinem vertit: Tertiò carnem Musculis munit contra externam læsionem.

CAPVT III.

De Abdomine.

107 Abdomen est extrema totius Ventris pars, totumque illud, quod intestina tegit, ex cute, adipe, musculis decem, & Peritonæo, (de quo mox dicam,) compactum; totum illud spatium comprehendens, quod est à Cartilagine mucronata, nothisque costis, vsque ad Ilia, & ad os pubis ab exteriori parte euidenti cute; ab interiori leui membranâ inclusum, quæ Omento iungitur.

A variis in diuersas partes diuiditur: præcipua diuisa est in partem superiorem, inferiorem, & infimam, seu Epigastricam, Vmbilicalem, & Hipogastricam: Prima pars extenditur à Cartilagine Xiphoide ad ferè Vmbilicum: Secunda paulò infrà ad quatuor digitorum spatium: Vltima pertingit vsque ad os Pubis: Deinde singula pars subdiuiditur in partem dextram, mediam, & sinistram: His Medici pro suis placitis varia affingunt Nomina.

Commvnior tamen diuisio apud Anatomicos est in partes continentes, & contentas: priores sunt pluribus communes, vt sunt cutis, pinguedo, &c. Posteriores verò tantùm in Abdomine reperiuntur, & harum aliquæ inseruiunt Digestioni, quædam humorum euacuationi: Nonnullæ etiam generationi.

Nota, Modernos addidisse duos musculos pyramidales, Veteribus octo, & membranâ peculiari vestitos; ortos ex intimo osse pubis: Eos comprimere Vesicam ad excretionem Vrinæ, ait Falopius; verum vnum musculum ad hoc destinatum suprà vidimus.

CAPVT IV.

De Peritonæo.

Peritonævm est Membrana, viscera inferioris ventris vestiens: Est tenuis, ne oneri sit; sed valida; & densa: Est figuræ Oualis intrinsecus læuigata.

Ortvm habet ad lumborum primam vertebram, & tertiam: Connectitur suprà Diaphragmati arctissimè, vnde eo inflammato, Hypocondria sursum conuelluntur: Inferiùs ossi pubis, & Ilij interiùs lineæ albæ, & musculorum transuersorum tendinibus coniungitur. 108

Perforatvr anteriùs ad vmbilicum in fœtu; & supernè, vbi Diaphragmati vnitur: Primò, vbi transitus est venæ Cauæ: Secundò, vbi transitus est Stomachi: Tertiò, vbi transit Arteria magna, & sextum par Neruorum per Diaphragma: Quartò, inferiùs circa Anum, Ceruicem Vesicæ, & Vteri, vasaque, ad crura abeuntia per Peritonæum, Abdominis musculos, & cutim. Processus habet binos oblongos, tanquam fistulas descendentes in Scrotum.

Peritonævm vbique duplicatur; non tamen æquè vbique densum; anticè enim tenuius est, secus posticè: In viris crassius est à Xiphoide ad vmbilicum vsque; è contra accidit in Fœminis, in quibus ab vmbilico ad os pubis, ob fœtus grauedinem, est fortius, & densius; postquam Vesicam attingit, duplicem suam membranam ita dilatat, vt relinquat satis spatij, in qua Vesica contineatur; itavt hæc, nec sub magno illo ambitu Peritonæi claudatur, vbi cætera viscera continentur; nec etiam extrà iaceat; sed inter vtramque eiusdem Peritonæi membranam concluditur.

Hvivs Membranæ varius est vsus: præcipuus est cuncta viscera ventriculi complecti; ea etiam constringere, vt Excrementa, veluti retrò pressa, liberiùs ejiciantur; prætereà ità strictè munit ab omni parte intestina, vt à nullo flatu, seu ventositate externa inflentur.

CAPVT V.

De Omento.

Omentvm Latinè dicitur, Græcè *Epiploon*, hoc est, *supernatans*; quia ad Ventriculi fundum videtur natare super intestina; ab aliis vocatur *Sagena*, ob varia filamenta, quibus instar reticuli intertexitur.

Hoc est sub Peritonæo quasi Operimentum: Situm est ad Hepar, Lienemque, ac Ventriculi fundum, indeque Intestinis instratum, quorum anfractus inuoluit, & ingreditur: Nonnullis ad Vmbilicum finitur; sed aliis infrà; & non rarò ad os Pubis, vbi inseritur: Quando intercedit fundum Vesicæ, & Vteri; Os Vteri comprimitur, & sterilitas Mulieribus adfertur; in viris autem Epiplocele causat, cùm in Scrotum descendit. 109

Non rarò intestinis nudis sub Hepate delitescit: In Hydropicis verò computrescit.

Origines

Origines duas à Peritonæo habet: Primam ad Ventriculum, circa fundum: Secundam ad intestinum *Colon*.

Figura est ad instar Marsupij aucuparij.

Peculiare est Omento inter alias membranas, vt Venæ, & Arteriæ multæ per eius substantiam dispersæ sint à Cæliaco, & Mesenterico ramo; Nerui etiam exigui à sexti paris ramo duplici; & in eo adeps multus, & glandulæ plurimæ reperiuntur.

Vsus est, adipis copiam claudere in fundo; Ventriculum, ne calor exhalet, operit; nam superior pars souetur Hepatis calore, hinc opitulatur digestioni: Prætereà magnam Venarum, & Neruorum copiam descendentem intercipit, & sustinet; insuper recipit in suo Marsupio, tanquam in stagno, deprauatos humores, qui ex intestinis defluunt, vt habet Hyppocrates, *libro de Glandulis*.

QVÆSTIO VIII.

De Ventricvlo.

110 Hic quasi paruus Venter, est pars organica sub Diaphragmate ad chylificandum.

Sitvs est in Epigastrio in medio corporis, spinæ incumbens: Est rotundus, oblongus, similis Tibiæ ventriculari, quam Cœci plectentes sonant: Anteriùs æqualiter gibbosus; posteriùs duos gibbos habet, inter quos mediant vertebræ dorsi, & truncus Cauæ, & Arteriæ descendens: Pars sinistra amplior; & rotundior, dexteram versus paulatim attenuatur; vt cibus sensim eò perducatur: Ex quo fundamento scitur, dormituris conducere primùm sinistro lateri incumbere, vsque ad coctionis absolutionem; deinde verò dextro, secus, quàm vulgo putatur, vt ait Bartolinus, *lib.* 1. *cap.* 9. In sinistro est fundus, vbi morari debet cibus; Ad dexterum enim reuolutus, vicinior est exitui.

111 Orificia habet duo, ambo in suprema Ventriculi regione.

Sinistrvm dicitur os Ventriculi; ab aliis vocatur Stomachus ob amplitudinem; à Veteribus Cor; quia eius affectus, animi deliquia, aliaque Symptomata Cardiacis similia gignunt; tum ob exquisitum sensum; tum quia Cor condolet per consensum vicinitatis, & Neruorum, ab eodem ramo prodeuntium.

Orificivm hoc est maius, & crassius, vt cibum admittat: Situm est ad vndecimam thoracis vertebram; fibras circulares carnosas habet, vt claudat orificium naturali instinctu post assumptum alimentum, ne fumi ad Cerebrum ascendant, meliusque coquat: Sic quasi operculum Ollam tegit, ne decubitu vario Cibus regurgitet.

Ascendit ex ore eius sinistro fistula gulæ, quæ dicitur *Oesophagus*, seu Stomachus, iunctisque sibi è sexto pari Neruis binis, perforans Diaphragma, magnam Arteriam versus conscendens, eique cedens, ad dexteram declinat, non longè à quinta thoracis vertebra, hinc sub trachea mox ad fauces peruenit, ibique ostium aperit, quod dicitur *Pharunx*; ibique nectitur multis, vt mox dicam: Agerem de hoc, *quæst.* 3 *1*. suo loco apto, ni cogerer à Ventriculo genitore ipsum longiùs auellere.

Venas habet Oesophagus paucas à Caua, Azygo, intercostali, & iugularibus: Arterias ab intercostalibus, & carotidibus internis: Neruos à sexto pari. 112

Nectitvr initio cum faucibus, & Larynge per tunicam oris, quæ ipsi, & Ventriculo est continua: Vertebris tracheæ, & partibus vicinis erigitur per membranas, è dorsi ligamentis: Quia verò spinæ superiacent; ideò è læso topica dorso applicantur: Glandula parte postica adnascitur, vt humorem suppeditet ad imbuendam cauitatem pro facili deglutione: Subinde fict intumescit, vt potibus, & cibis liquidioribus viam intercipiat.

Constat è tribus Tunicis, Musculisque quatuor intexitur.

Primvs est *Oesophageus* cingens: Secundus lateribus implantatus, *Sphenophdryngæus* à Sphœnodis acuto processu interno ortus: Tertius *Stylophalingæus* a Styliformi processu ortus, ad latera extenditur: Quartus. *Cephalopharyngæus* propè Ceruicem oritur.

Actio Oesophagi est animalis, cùm per musculos fiat, non naturalis: Nam à nostro arbitrio deglutitio dependet. Vide Bartolinum *libro secudo, cap.* 12. 113

Deglvtio autem fit hoc modo: Quando aliquid vorandum occurrit, musculus, *Sphyncter* dictus, omni è parte se contrahit; vnde fibræ eius obliquæ, quæ ab Oesophago ad Laryngem tendunt, transuersæ redduntur; quod cum fit, Larynx attollitur, & gula deprimitur, atque ipsius gulæ iam depressæ cauitas angustatur: Huic succurrit quartus musculus; nam sicuti primus constrictus cibum amplexando deprimit; ità hic se contrahens, veluti obuius illi, in Oesophagum transmittit, ità, vt ex vtroque musculo fiat veluti Circulus.

Orificivm Ventriculi dexterum distat à fundo, sicut etiam sinistrum angustius est, & clausum manet, donec cibus in liquidum cremorem mutatus sit, concoctione completâ; tunc verò emittit prouidè Chylum: Vnde & dicitur *Pylorus*, id est Ianitor; hoc Corroso, vel Schirro clauso mors aduenit; vel eo indignato, Paralysis, & Vertigines oriuntur: Dilatatur sæpè, vt testantur ea, quæ deglutita sunt, & reiecta per vomitum, vel secessum; vt Nummi, Annuli, Serpentes, Fistulæ musicales: Concoctus Chylus egreditur, & ab ipso duodeno incipit Venas lacteas ingredi. 114

Ventricvlvs fibras habet triplices, rectas, obliquas, & transuersas ad robur.

Membranas habet triplices: Primam communem à Peritonæo: Secundam carnosam magis: Tertiam rugosam, vt dilatetur: Est oris, & labiorum tunicæ continua; vnde, si in Ventriculo sit bilis, sentitur à lingua.

Cvm Ventriculi substantia membrana sit, & frigida, fouetur calore Iecoris à dextrâ; à sinistrâ verò calore Lienis; subtus à Pancreate, à trunco venæ Cauæ, & Aortæ: Connectitur in sinistra Diaphragmati; ideò nimis repletus, eius motum impedit, & Dysnœam parit, seu respirationis difficultatem. 115

Accipit à Liene vas breue fundo insertum, quod ad orificium repens, ei defert humorem acidum fermentatum.

Habet etiam è vena Portæ venas: Insignis est *Gastrica*, quæ fundum Ventriculi percipit, non tangens; sed aliquos ramos insinuans.

Accipit

Accipit Arterias à Cæliaca, Venarum comites, vt nutriatur (non enim Chylo nutritur.)

Accipit à sexto pari Neruos ad Orificia geminos; Ideò sensus ibi viget, & partem illam contrahi sentiunt esurientes: Hi Nerui gulam perrepentes ramulis quatuor ità meant; vt sinister ad pylorum disseminet ramulos sex, & duo alij adeant ventriculi fundum: Hinc percusso Cerebro Ventriculus turbatur, & vomitus cietur; maximè in hemicrania: Et vicissim malè affecto Ventriculo, animalis facultas languet.

116 Coctionem attribuunt humori cuidam acido, qui est vel bilis, vt vult Seuerinus, vel spiritus, vt Chambre; vel Chyli reliquiæ, quasi fermentum, vt vult Riolanus; vel Melancholia, vt maior Doctorum pars, quod de succo acido concedit Bartolinus; assumpta enim acida quæuis, vt acetum, eoque macerati cibi, succus Citri, oleum Sulphuris, aut Vitrioli, cremor Tartari, & similia, Ventriculi imbecillitatem subleuant: Hic humor dissoluit, frangit, & comminuit Ciborum frustula duriora, quæ à solo calore nequeunt resolui.

In Ventriculo generantur sæpè lapilli, necnon bufones, & lumbrici: Addit Salmuth, ibi infantem formatum, & per os exclusum aliquando.

QVÆSTIO IX.

De Intestinis.

117 Intestina sunt corpora oblonga, concaua, rotunda, variè circumgyrata, continuata cum Pyloro vsque ad podicem, pro Chylo excipiendo; & excrementis primæ coctionis expellendis.

Longitvdo sexies longitudinem hominis excedit, cuius sunt; sed Picolominæus palmo, & semisse minùs ait: Alij septies longiora ea esse volunt.

Hyppocrates cubitos ferè tredecim asserit, vel non minùs duodecim: At statura iusta hominis, vix superat cubitos tres, & dimidium.

Gyros habet, excepto initio, & fine, ne ingressus, & exitus impediatur: Et gyri quidem ideò dati sunt primò, ne alimentum statim elabatur; deinde, ne nondum absoluta Chyli distributione, si statim elaberetur, aliud alimentum statim sumere cogamur: Hinc Animalia, quò rectiores ductus habent à Ventriculo ad Anum, eò sunt voraciora: Tertiò, ne sæpiùs aliud dejicere cogamur.

118 Sita sunt in infimo ventre, cuius maiorem partem replent.

Svbstantia est membranosa, sicut Ventriculi, vt distendi queant à Chyli fœcibus, & flatibus: In tres tunicas substantia hæc diuiditur: Prima intima est rugosa in tenuibus Intestinis; in collo cellulis repleta, neruosa: Secunda valida, & fibris carnosa: Tertia exterior, nata immediatè è membranis Mesenterij, quæ dicitur communis.

Fibras habet omnis generis rectas, & transuersas.

Pingvedine foris obducuntur; intus muco, vt facilè elabantur fœces.

Vasa habent inter duas interiores tunicas distributa, nempè Venas lacteas; vt Chylum deferant ad Hepar, & alias à vena Portæ, quæ reuehunt sanguinem ad Hepar, à nutritione intestinorum residuum: Arterias à Celiaca, ad nutritionem habent.

Habent etiam Neruos à sexto pari.

Dividvntvr intestina in Gracilia, & crassa 119
ampla, etsi sint vnum continuum: Tenuia sunt media, circa vmbilicum, & sunt tria: *Duodenum*, *Ieiunum*, & *Ileon*, quæ Chylum perficiunt, atque distribuunt: Iuuat motus hanc Chyli distributionem.

In horum exulceratione, dissolutioneque dy- 120
senteria contingunt, vt notat Diuus Bonauentura, *serm.* 28. *de Communi Sanctorum.*

Peristalticvs est, quo Intestina supernè deorsum contrahuntur ad distributionem.

Primvm Intestinum tenue, cui Pancreas subiacet, dicitur *Duodenum*, quasi duodecim digitorum, ex Galeno, longum; sed hoc verum in Procerioribus; in nobis autem vix quatuor æquat (forsan eâ mensurâ etiam pylorum includunt.)

E pyloro exit spinam versus, vbi lumborum vertebris iunctum, descendit rectâ ad anfractus.

Dvo habet foramina inferiùs, Ieiunum ver- 121
sus: Vnum est cholidochi meatus: alterum ductus pancreatis; hæc tamen in vnum coëunt: Venam duodenam, Arteriam è Cæphalica, Neruos exiguos à Stomachicis habet.

Secvndvm *Ieiunum* dicitur; quia plerumque vacuum; tum quia ibi plurimæ lacteæ sunt sugentes; tum quia Hepar vicinum est; tum quia ibi porus bilarius residet, accelerans expulsionem: Membrana interior est corrugata, vt Chylum remoretur, est longum tredecim palmos: Venas, & Arterias habet mesentericas, Neruos à sexto pari.

Tertivm, *Ileon*, dicitur à circumvoluendo; ideò Voluulus appellatur: Oritur à Ieiuno: finit ad Cæcum, situm est sub vmbilico ad ilia: Longissimum est viginti-vnum palmos: In hoc fit voluulus, in quo stercoris vomitus: Sæpè in Scrotum delabitur; vnde hernia intestina.

Primvm Intestinum crassum dicitur Cæcvm, quatuor digitorum; officium est Excrementa recipere, ne labantur ad Colon: Aliqui hîc secerni fœces aiunt.

Secvndvm crassum est Colon à torquendo, quod in eo fiant tormina Colica; transit à dextro Ilio ad renem dextrum; deinde sursum reflectitur sub Hepate, vbi sæpè à folliculo fellis maculatur: Mox transit sub Ventriculo ad sinistrum, & Lieni iungitur, ac Reni alligatur; inde in rectum desinit: Longum est octo palmos, & est omnium amplissimum: Cellulas habet, vt duriuscula, ibi retenta excoquantur: Ligamento in longum intexitur; duo verò transuersa in finibus habet, sub initio est crassa, & membranosâ valuulâ orbiculata, apta impedire *Ilei* egressum.

Vsvs est, ne e crassioribus intestinis, in te- 122
nuia aliquid regurgitet à stercore, vel flatu. Hinc materia Clismatum ad tenuia non peruenit.

Venas habet, & Arterias ab *Epiploide* postica, sed in sinistro Hemorroïdalem venam, & à Mesenterica inferiori hemorroïdalem Arteriam.

Vltimvm Intestinum crassum est rectum, à summo osse sacro, in extremum Cocigis, quibus nectitur.

Longvm est palmum, & dimidium; habet pingues Appendices; Venas habet à ramo hypogastrico venæ Cauæ.

Nervi quatuor extremo inferuntur, qui hoc Intestinum valdè sensitiuum reddunt, vt in tenesmo videre est.

Eivs

Eivs finis dicitur *Podex*, vel *Anus*, tres habens musculos.

123 Primvs dicitur Sphyncter, vel Ani constrictor; Est enim veluti Annulus, & in duos diuidi potest musculos: Oritur ab inferioribus vertebris ossis Sacri: Connectitur anteriùs primò vesicæ meatui: Secundò, peni, cuius musculis dat originem: Tertiò, collo vteri.

Vsvs est Anum stringere, ne inuiti fœces effundamus: Sunt & duo Ani leuatores, cum Sphynctere inserti musculi, Anum retrahentes post excretionem: Oriuntur à ligamentis pubis, & ossis Sacri.

QVÆSTIO X.

De Mesenterio.

Mesenterivm dicitur; quia in medio intestinorum iacet, vt docent Vallisviridis, *lib. 1. cap. 12.* qui addit, non esse Intestinorum aliquod, nisi quatenus membranosum: Est autem Intestinorum vinculum.

124 Est ferè circulare, complectens Intestina extensiùs ad sinistram, magnitudine à Centro ad Circumferentiam, est spithama; longitudo autem, & circumferentia (ait Battolinus) trium vlnarum.

Oritvr ad primam, & tertiam vertebram lumborum.

Plvrimæ venæ Mesaraicæ, & Chyliferæ disseminantur, & Arteriæ è Cæliaca; & per has dari circulationem sanguinis: Addo, contra Riolanum: Neruos à sexto pari costarum accipit.

Habet interiectas glandulas ad spatia implenda, & calorem fouendum, & ad distributiones ramorum; Ideò in centro sunt maiores: Ità si Schirrum patiantur, emaciatur corpus: Hæ vocantur Animellæ, vt ait Vallisviridis.

Maiorem vnam habet in exortu, quam vocant *Pancreatem*, Hinc lactearum fontem ducunt: Hic enim omnes coëunt, & inde ad Hepar porriguntur.

125 Circvmfvnditvr adipe, à sanguine pingui, è vase delapso: Riolanus asserit, strumas erumpere, si Mesenterium strumosum sit.

Pancreas, quasi totum carnosum sit, potiùs glandulosum, laxum, & informe; sex, vel septem digitos longum; tenui membrana à Peritonæo vestitur: Iacet sub posteriori parte ventriculi: Oritur ad primam lumborum vertebram: Habet venas, ramum splenicum, Arterias è sinistro ramo Cæliacæ; habet & Neruos sexti paris.

Habet verò ductum peculiarem, secundùm longitudinem; modò obliquâ, modò rectâ lineâ extensum, vt obseruauit Virsungus: Eius orificium in Intestinum duodenum aperitur.

126 Vsvs est fulcire vasa transeuntia, vt ramos venæ *Portæ*, arteriæ *Cæliacæ*, & Neruorum; præsertim ramum splenicum: Secundò Ventriculi coctionem iuuare: Tertiò esse ventriculo, vt puluinar: Quartò sugere præter labentem sanguinem seorsum.

QVÆSTIO XI.

De Hepate.

Iam ad vasa secundæ coctionis pergimus, inter quæ præcipuum est Hepar. 127

Est pars organica, sanguificationis, & venarum principium: Stat sub Diaphragmate in dextro latere; ferè nunquam in sinistro.

Dicitvr Hepar ab inopia, quippè partium subueniat indigentiæ; vel *Iecur*, quasi iuxta *cor*.

Ex eo oriuntur radices venarum *Cauæ*, & *Portæ*; sed etiam lactearum: Incumbit leuiter parti anteriori ventriculi dextræ superiori, cui, vt cedat, concauus est interiùs, & simus; sicuti se adaptans superiùs Diaphragmati, conuexus est, cùm Diaphragma sit concauum; Ità verò ad dextram est amplæ rotunditatis; ad sinistram angustæ, & acutæ; Vide Vallemviridem *lib. 3. cap. 7.* Bartolinum, *lib. 1. cap. 14.* Inter partem dextram, & sinistram, ingreditur vena Vmbilicalis, magnitudine insignis in homine ad spirituum plurium, quibus indiget, procreationem; maior tamen in frigidioribus, timidis, & gulosis animalibus probatur.

Membrana cingitur tenui, orta ab altera venarum membrana, quæ à Peritonæo nascitur: In hac Vesciculæ attolluntur aqueæ, à quibus Hydrops generatur.

Connectitvr tribus ligamentis; primò Abdomini venâ vmbilicali, quæ in adultis arescit: Secundò suprà Diaphragmati à dextris: Tertiò rursus superiùs Diaphragmati à sinistris: Posteriùs etiam suâ gibbâ Peritonæo adhæret: Riolanus vult: hæc ligamenta nihil aliud esse, quàm venam Vmbilicalem arefactam.

Svbstantia est rubra, & mollis, vasis circumfusa, veluti sanguis concretus: At in Hydropicis pallida. 128

Qvi negant sanguinis rudis Hepatis circulationem, vt Riolanus, & Haruæius; negant in venis Portæ, Cauæ, & Arteriarum Hepatis anastomoses.

Cæteri verò eas admittunt; imò ante eos, Erasistratus, & Galenus: Satis verò patens est, è radicibus *Portæ*, in radices *Cauæ*; & id suadet transitus è venis lacteis, & Portæ ad Cauam, & ex arteriis, cùm solus per carnem transitus non sufficiat in celeri, & copioso fluxu.

Sic dantur anastomoses etiam, quibus Vesicæ, bilis venulæ, venæ Portæ, & Cauæ, ramis iunguntur.

Nascitvr ad medium, iuxta gibbam, vena *Caua*, è parte verò simâ, surgit vena *Porta*: Vena autem Vmbilicalis infra, inter partem simam, & portas Hepatis, eaque tantùm in vtero matris inseruit, transiens per vmbilicum ad Hepar matris, nato vero infantulo, paulatim siccatur, vt inutilis.

Mvnvs Hepatis est sanguificatio, quæ ità fit, vt docent Anatomici cum D. Bonau. *in Comp. Theol. cap. 41.* & *in 3. dist. 13. quæst. vltim. ad 1.* 129

Chyli in ventriculo cocti, & in tenuibus intestinis absoluti, pars inutilior à venis lacteis, per intestina dispersis, attrahitur, & ex iis, ab Hepatis calore, & virtute sursum attracta sanguinis, ab eo accipit rudimentum, & tunc dicitur Chimus: Hic ergo in radicibus lacteis attractus à parenchymate Iecoris, adiuuante interno Chyli calore, conuertitur, & rubet non solùm caloris actione; sed etiam propria forma insi-

ti lumini naturalis, vi ignea accensa, & in Cauæ radices expellitur, vbi elaboratur vlteriùs; moxque cum sanguine Venæ *Portæ*, & Arteriarum redeunte, in truncum *Cauæ* effunditur, rectà ad Cor per truncum superiorem vergēs, vt ibi ad nutritionem aptus reddatur: Peractâ verò per Arterias nutritione, redit è minoribus ad maximas venas; & inde circulariter ad Cor, modo dicendo, *tract. de Anima, disp. 3. quæst. 3.* vbi ostendam, quomodo à sanguine *Portæ* non conspurcetur.

QVÆSTIO XII.

De Folliculo FELLIS, *& Canali* BILARIO.

130 IN dextra, & caua parte Hepatis ad duplicem bilem recipiendam, tenuem scilicet, & crassam, sunt duo meatus, Vesica Bilaria; & Canalis bilarius.

VESICA bilaria, seu folliculus fellis est Vas oblongum pyro simile concauum, duabus membranis indutum; altera, quâ alligatur Iecori à Peritonæo, estque ea, quâ & Iecur tegitur: altera crassiore propria, sed valida, fibris consuta, duobus digitis lata: Fundus rotundus, colore flauo, & sæpè nigro, quando bilis diù retenta aduritur: Ceruix oblonga in angustum meatum terminat, intestina petentem: Ibi Valuulæ binæ, & sæpè tres, impedientes bilis regressum: Inde tamen euaporat fel, & penetrat, sanguinem accendens, & iram, vt ait Bartolinus, *lib. 1. cap. 15.* cum Diuo Bonauentura, *Opusc. Declaratio terminorum Theologiæ.*

131 VENAS duas accipit, & arteriolas à Cæliaca, ad nutritionem: Neruulum à sexto pari: Eius officium est flauam, purioremque bilem accipere; & retentam ad tempus expellere.

PROPELLITVR huc bilis, ne sanguis inquinetur; & vt veluti foculo foueatur Hepar, & Ve[illegible]triculus ad coctiones.

CANALIS bilarius, est canalis oblongus, qui ab Hepate nonnunquam bifurcatus abit, & reunito ductu in intestini Ieiuni initium, vel Duodeni finem ingreditur; vnde bilem in Ventriculum regurgitat; nonnunquam etiam per fundum ventriculi reptans, fœces emundando; vt ait Vallisviridis, *lib. 3. cap. 8.* Hinc sæpè bilis vomitus prouocatur.

QVÆSTIO XIII.

De LIENE.

132 LIEN, seu Splen in sinistro Hypochondrio situs, e regione Hepatis sub Diaphragmate inter costas, & ventriculum, dorsali parti vicinior, nam vertebris, & costis spuriis nititur: Vnus est, rarò duo; nunquam verò nullus.

LONGITVDINE habet sex digitos; latitudine tres; crassitie vnum, maior melancholicis, quibus minuitur corpus: Vnde Traianus Fiscum Lienem vocabat; quia Fisco ditescente; plebs depauperatur: Sic enim & Lien sanguinem fermentatum corpori exsugit.

FIGVRA oblonga, instar linguæ bouis, adaptans se partibus vicinis: Ità ad sinistrum, ad Diaphragma est gibbosa; nonnunquam à costis vicinis signatur; ad dexteram concaua, ob adiacentem ventriculum; vbi per longum albâ lineâ signatur prominente, Venas, & Arterias admittente cum Omento.

COLOR est subobscurus, Leonis pellem imitatus, & ad liuorem tendens; in sanioribus rubicundior; magis in fœtu rubens; vnde nigror non est sanus.

CONNECTITVR Peritonæo, Omento, & Reni sinistro; in caua verò parte, membranæ Omenti: Non esse autem Excrementorum receptaculum, Probatur; quia est alterum sanguificationis instrumentum, vt dicam: Solet enim natura geminare organa, maximè præcipua, vt cuivis vnum latus detur; vt patet in Renibus, Testibus, Pulmonibus, Mammis & Organis, sensuum; vel si vnicum dat; illud in medio locat; vt Ventriculum, Cor, Vterum, Nasum, Vesicam, Os, & Linguam: Hinc Lienis morbi sanguificationem lædunt, & quales sunt morbi Hepatis; tales & Lienis, eisdemque tolluntur remediis: Ità Aristoteles, *primo. de part. cap. 7.* 133

VOLVNT aliqui, Lienem elaborare sanguinem ad inferiorum viscerum nutritionem, vt Ventriculum, Intestina, Omentum, & Mensenterium: Probatur; quia à venis Splenicis, vel ramis venæ *Portæ* habent influxus; & sicut sunt crassiora, ità crassius exigunt alimentum: Hoc clarè ostenditur, quod, vbi est pars viscerum, substantiam habens crassiorem; ibi etiam adsunt rami splenici, & *Portæ*: Vbi verò membranosæ, musculosæ, & carnosæ, ibi excurrunt rami venæ *Cauæ*: Ità Bartolinus senex cum Varalio, Posthio, Iesseno, Platero, Bauhino, Senerto, & Riolano. 134

ENIM verò venæ lacteæ ab Asclio detectæ docent, nullum chylum à mesaraicis venis trahi, aut vsquam deferri; sed per lacteas tantùm ad Hepar, non ad Lienem: Ligatura viui canis ostendit hoc ipsum. 135

NEQVE ignotas, & subterraneas quærant semitas; ad lucem fugiendam, Veslingius, & Coningius.

NVLLVS igitur, cùm sit motus humorum per venæ *Portæ*, ramum splenicum ad Lienem, vt obseruat Valæus, concludit sanè, Chylum per ramum splenicum non deferri ad Lienem; non tamen probat melancholiam ex Hepate ad Lienem non transmitti, vt putat cum eo Bartolinus, *lib. 1. cap. 16.*

ID igitur probabit; quia ex Liene ad Hepar potiùs fertur sanguis, vt putat ligando venam illam, quæ ex parte Hepatis exinanitur, & ex parte Lienis turget.

NVLLVS sanè datur humorum ductus ad Lienem, nisi per arteriæ *Cæliacæ* ramum splenicum deferatur, quæ cùm sit à corde, infertur, fontem vniuersalem humorum esse ab illo; vt docet D. Bonauent. *lib. 2. Compend. cap. 41. in via Aristotelis.*, & *in 3. dist. 13. quæst. vlt. ad 1.* Nam & sanguis, ex Hepate rudis exiens, ad Cor totus perficitur.

QVARE hinc oritur verissima de Lienis officio sententia; accipere sanguinem illum, & partem acidam detinere; vt deinde vasis, & ventriculo admisceat, ad humores ibi attenuandos; vnde Liene obstructo, crassi generantur in corpore humores, eò quòd non emittat acidum illum liquorem: Huius acidi humoris quidquid ad nutritionem ineptum est, id cum sero per vrinam constat expelli. 136

QVATENVS

Qvatenvs ergo Lien acidam partem è corde trahit, & mittit præparatam ad mesenterium, vt reliqua pars ab Hepate elaboranda fiat purior; potest quodammodò habere locum opinio Antiquorum, Lienem esse risus sedem; sicut amoris Cor; lasciuiæ Iecur; vocis Pulmones: Quare Lien sanguinem præparat pro commodo viscerum infimi ventris, quod, modo dicto, concedimus primæ opinioni: Et pars excrementitia expurgatur; tenuis autem per arterias ad intestina, & renes, per emulgentes transit: Hinc in affectibus Lienis, Vrinæ sæpè nigræ apparent; vbi ideò Diureticis vtuntur Medici: Hinc Splenici, atque Melancholici ex Hippocrate, & Galeno, abundant sero: Hinc etiam Quartanarij copiosos emittunt sudores, & vrinas, per hemorroïdales purgantur, & per ventriculum; si verò crassior fit, euacuatur.

QVÆSTIO XIV.

De Renibvs.

137 E Sanguine triplex repurgatur Excrementum: bilis tenuis per folliculum fellis; bilis crassa in canalem bilarium; & serum in renes.

Renes à fluendo sunt dicti, quod per eos vrina fluat.

Bini sunt; quia humor serosus copiosissimus, vt altero impedito; alter suppleat, quod videmus, quando alter calculo obstruitur, vel vlceratur: Situm habent sub Hepate, & Liene, vbi incumbunt spinæ Lumborum, Musculus inter duas Peritonæi tunicas ad latera venæ *Cauæ*, & arteriæ magnæ, sub quibus magni Nerui reconduntur, tam ipsius musculi Psoe, quàm alij, ad Crura huc transeuntes; vnde fit, vt calculo in Renibus stante, stupor in eius lateris Crure sentiatur: Non sunt directè oppositi, ne seri aliqua pars elabatur; sed dexter in homine inferior est, vt cedat Iecori, cui subiacet; sinister verò Lieni subiacet.

Magnitvdine plerumque æquales sunt: Longitudo ferè quatuor vertebrarum: Latitudo trium digitorum, crassities pollicis: Superficies lubrica; Color rubens, obscurus; figura est Phaseoli.

Connectvntvr per Membranam externam, quæ à Peritonæo oritur, Lumbis, & Diaphragmati; per emulgentia autem vasa *Caua*, & *Aortæ*; per medios vreteres Vesicæ: Et dexter cœco intestino, sæpè & Iecori; sinister Lieni, & Colo nectitur: Hinc Flatuum, & Excrementorum copia exacerbatur nephreticis.

138 Dvas habent Membranas; internam tenuem; externam à Peritonæo, cui multus adeps circumfunditur; in eius gratiam venam adiposam recipit; vnde in adiposis latent: Ideò scrutari renes dicitur, qui occulta scit.

Svbstantiam habent duram, non admodum fibrosam: Ventres duos: Primus est, per quem mulgentia intrant: Secundus interior est sinus vreteris amplus.

Habent venas à *Caua*, & arterias ab *Aorta*, dictas ab officio *Emulgentes*, ad serum in sanguine arteriali contentum expurgandum, incertis ramulis constat; sæpè quinque, vel quatuor, aut tribus: Venas adiposas habet, dextram ab emulgente: Sinistram à Caua, quæ sanguinem adipis continent.

Nervvm vtrimque exilem habent à sexto pari stomachico; vnde habetur ventriculi, & renum consensus: Ideò in nephreticis vomitus.

Aliqvi neruuli cauum renum subeunt, vnde nephriticis dolores acres exoriuntur, quos sæpius passus sum; sed voto facto Carauatij B. Virgini, tandem liber euasi.

Frvstra aliqui ponunt intus cribrum ad serum excolandum, vt notant Vallisviridis, *lib.* 3. *cap.* 10. & Bartolinus, *lib.* 1. *cap.* 17.

Vsvs est, seorsum sanguinem attrahere per emulgentes arterias, vt interim sanguis repurgetur; pars verò vtilior remanet in renibus ad nutritionem; partim per *Cauam* redit ad Cor; at serosa excolatur per carunculas papillares in ramos vreterum ad vesicam: flauescit autem hæc; quia aliquid bilis insinuatur, vt purgentur vreteres. 139

QVÆSTIO XV.

De Capsulis atrabilariis.

HÆ foris incumbunt renibus, parte superna, qua *Cauam* respiciunt, adipe tectæ, & membranis: Sunt duæ, cuique reni altera. 140

Magnitvdo est, vt nucis vomicæ: Cauitatem habent, in qua est humor fœculentus niger: Substantia laxior, quàm renum: Connectuntur, vbi incumbunt exteriori renum membranæ: Vasa Venarum, & Arteriarum habent ex emulgentibus, & Neruorum propagines à fine Arteriarum Mesenterij.

Vsvs est, recipere humorem bilarium crassum, è sanguine in Iecore, & Liene elaborato: Hinc Vrinæ aliquando nigræ, si humor hic in capsulis coaceruetur; hic autem per venam capsulæ proximum se insinuat, & è capsula per arteriolas regreditur.

QVÆSTIO XVI.

De Vreteribvs.

HI sunt Vrinæ ductores canales è renibus oriundi, & in Vesicam implantati: Sunt Gemini, vtrimque vnus; aliquando duo, vel tres. 141

Radices in renibus figentes permeant totum canalem oblongum, lumborum musculis incumbentem, inter duas Peritonæi membranas, & non longè à postica sede colli Vesicæ inseruntur.

Svnt vt palea lati canaliculi, tortuosi instar litteræ S.

Membranam duplicem habent; vnam communem à Peritonæo; alteram propriam, Vesicæ similem, albam, exanguem, neruosam, crassam, & validam fibris.

Venas, & Arterias exiles à vicinis partibus recipiunt: Neruos à sexto pari, & medulla Lumborum; vnde exquisitus dolor sentitur in calculi transitu, qui augetur distensione membranosi huius corporis à calculis grandioribus.

Horvm officium est, Vrinam deferre à renibus in Vesicam.

QVÆSTIO XVII.

De Vesica Vrinaria.

142 HÆc in Hypogastrico sita est inter geminas Peritonæi tunicas in cauitate, quæ fit ab ossibus, Sacro, coxarum, & Pubis; in viris fit supra rectum intestinum; in Fœminis ad collum vteris & os pubis.

Est figuræ oblongæ, globosæ, & rotundæ; vnam cauitatem habet; raro duas, membranâ distinctas; fundus connectitur Peritonæo, & Vmbilico per intermedium ligamentum, Vrachum dictum, & duas Vmbilicales arterias iam resiccatas, ne homine recto incedente, fundus ceruici incumbat: Ceruix Vesicæ connectitur in Fœminis collo vteri, & vicinis ossibus coxarum: In viris verò recto intestino.

143 Svbstantia est ferè membranosa ad intensionem, & corrugationem, & ex parte carnosa ad motum: Habet enim duas membranas, & vnum musculum circumuoluentem vesicam: Hunc vocant tertiam membranam.

Prima membrana è Peritonæo valida: altera intima tenuis, sensitiua, fibris intexta, vt multùm distendi, & contrahi queat: Inter has, *media* crassa est; sed videtur potiùs musculus ambiens: Ità sicut musculus carnosus sphynter vesicam constringit, ne inuoluntariè vrina effluat; ità hic musculus ad excretionem facit, dum se contrahendo vesicam constringit, ad quod iuuant & Abdominis musculi: Musculus sphynter, seu orbicularis, si lædatur, causat mictionem inuoluntariam.

Foramina tria habet; duo paulò ante ceruicem, vbi inseruntur vreteres: Tertium in ceruice pro exitu vrinæ: Est carnosa, fibris contexta, & vulnerata coalescit, cùm cætera vesicæ vulnera sint lethalia.

Venas habet ad Ceruicis latera insitas hypogastricas, quæ variè sibi, & Arteriis iunguntur: Arterias habet ab hypogastrica; in fœminis à vasis vteri; Neruos à sexto pari, & medulla ossis sacri: Vsus est, vrinas continere; calculos, & arenas, imò aciculas, & olera, nonnunquam claudit: Omnia verò expellenda.

QVÆSTIO XVIII.

De Vasis Spermaticis.

SObrie agam de his; quia turpitudinem redolent.

144 Primò occurrunt duæ venæ, & duæ arteriæ.

Vena dextra à trunco *Caua* oritur: Sinistra ab *emulgente.*

Vtraqve Arteria seminalis, ab arteria magna oritur, propè emulgentes; sunt autem venis maiores; quia plurimum caloris spirituum, & sanguinis puri requiritur ad semen.

Vtræqve venæ mox in gyros enoluuntur; ramuli ad testes serpunt adeò impliciti, vt vix, arteriæ à venis discernantur: Talis plexus, vocatur corpus pampiniforme: Deducunt arteriæ sanguinem ad testes in anfractibus præparatum.

Testes viriles duo sunt plerumque; dexter copiosior, & calidior dicitur, marem gignens: Multa habent tegumenta: Primum exteriùs è cuti, instar crumenæ, & dicitur *Serotum*, Secundum è panniculo carnoso, quod habet in medio suturam: Hoc autem panniculo constat carnoso, venis, & arteriis referto.

Habent tunicas tres: Prima dicitur Vaginalis: Secunda Rubra, fibris carnosa: Tertia immediatè cingens, & dicitur Albuginea.

Habent venas, & arterias à seminariis; neruum à sexto pari, aliquando binos, à vigesimo-primo pari spinalis medullæ: Musculum habent vtrimque vnum, & dicuntur *Cremasteres*, seu *Suspensores.*

Eorvm munus est, Semen conficere; & quod superest, vel in alimentum vertunt, vel ad Cor reuertitur: Gignitur autem Semen in vasculis exiguis; vt monent Vessalius, & Bartolinus. 145

Mvlti tamen seminis generationem testibus auferunt, & sanè in sectionibus ibi non apparet.

Svnt aliqua vasa, quæ incipiunt à testibus, & desinunt ad radicem penis, quo eiaculantur Semen: Principium horum vasorum sunt Parastata: Hæc semen perficiunt: Medium dicuntur vasa iaculatoria, spermatica, quæ semen in vesiculas seminarias infundunt: Ex his exeunt vesiculæ Prostatæ glandulæ duæ, vbi Semen non includitur, vt alij putant; sed tenuis humor.

Penis, seu pudendum, constat cuticulâ, cute, panniculo carnoso, & propria substantia: Caret pinguedine: Substantia eius est quadruplex: Vrethra, Glans, & duo corpora neruosa. 146

Vrethra est canalis vrinarius, & seminis: Glans est pars extrema tumens: Duo corpora neruosa reliquum componunt, quæ oriuntur ex inferioribus ossium coxendicis partibus.

Evm ingrediuntur vasa omnis generis; Venæ, Arteriæ, Nerui: Vide Anatomicos; pudet enim diutiùs hæc prosequi.

QVÆSTIO XIX.

De Partibus Generationis Mulierum.

VAsa spermatica eodem modo se habent, vt in viris (paucis mutatis.) 147

Testes intrinsecus habent in cauitate Abdominis, vnaque tunica indutos.

Vasa deferentia à testibus deriuantur ad fundum, vel tubas vteri.

Vtervs, seu Matrix in hypogastrio est vndecim digitorum longitudine, latitudine trium: Figura rotunda, fundus cucurbitæ similis; collum verò canali oblongo: A parte anteà adnascitur vesicæ vrinariæ ceruix.

Svbstantia est membranosa, duabus prædita duplicatis; interna, & externa: Est autem veluti naturæ ortus; vt ait Aristoteles, vbi è semine fit generatio hominum.

Fvndvs vteri diuiditur in partem dextram, & sinistram; in illa, vt plurimum, masculi; in hac fœmellæ gignuntur: Mulierem masculo fœtam, vocatam, priùs pedem dextrum mouere, docet Salmuth, apud Bartolinum *lib. 1. cap. 29.* cum D. Bonauentura, *serm. 1. de pluribus Martyribus.* 148

Os vteri oblongum est; collum similiter vt canalis: Intus est Hymen membrana transuersa in collo vteri, nota virginitatis, in medio perforata, vt annulus, vnde menstrua, & ex prima copula

sanguis

copula sanguis exit: Hoc colligunt *è Deuter.* 22. In fine colli est pudendum, & extrà Clitoris. Vide Vallemviridem, Vessalium, Bartolinum, & alios Anatomicos; Hæc enim pudenda sunt; ideò eis supersedendum.

QVÆSTIO XX.

De Membranis, FOETVM *inuoluentibus.*

IN vtero iacet fœtus, in multis ab adulto differens: De his Bartolinus, *lib.* 1. *cap.* 36.

149 PRIMÒ, habet vasa tria vmbilicalia, quæ in adulto siccantur.

SECVNDÒ, Omenti exiguum vestigium.

TERTIÒ, Ventriculus paruus, iuglandi nuci æqualis.

QVINTÒ, Cæcum intestinum grandius.

QVARTÒ, Intestina tenuia contracta, flauis Excrementis tincta.

SEXTÒ, Intestina crassa continent Excrementa nigra.

SEPTIMÒ, Renes veri è glandulis compacti, succincturati, grandiores, magisque cauati.

OCTAVÒ, Hepar, mole sua, vtrumque Hypocondricum implet: Lien exiguus: Vtriusque color est splendidus.

NONÒ, In Mammis nullæ habentur glandulæ, ac papillæ leue vestigium.

DECIMÒ, Thymus vasis adnatus seorsim, vltra Cor, triplici glandulâ maiori eminet.

DECIMÒ, Auriculæ Cordis ampliores sunt, ac pallidiores, præsertim dextera.

DVODECIMÒ, Vniones vasorum in Corde per Anastomosim, & Canaliculum singulares.

150 TERTIÒ-DECIMÒ, Pulmones, flauo rubore lucentes (qui posteà motu temperatur) immobiles enim sunt; quia solâ transpiratio, & materni sanguinis ventilatio embryoni sufficit; nisi vagitus vterinus superueniat.

QVARTO-DECIMÒ: In capite omnia sunt maiora; Oculi protuberantes: Cranium ingens; sed in plures partes diuisum: Cerebrum diffluens: Pericranium continuatum, duræ matris secturas pertransit.

QVINTO-DECIMÒ: In sceleto ossa primis meatibus mollia; posterioribus, quædam solida; prout opus est, vt costæ; quædam cartilaginea, vt Sternus, Carpus, & Tarsus.

151 SEXTO-DECIMÒ: Vertex apertus, solâ tectus membrana: Sutura sagittalis ad Nasum trahitur: Commissuræ maiores ossium mobiles: Os cunei formæ quadripartitum: Nasi ossa diuisa sunt, & maxilla vtraque media cartilagine: Dentes, alueolis suis, gingiuis tecti latent: Vertebræ, processibus acutis carent: Sternum molle: Ossa Ilium, Ischij, & Pubis, distincta per cartilagines in externis, vt Cute, Pilis, Vnguibus, differunt; vt patet: Iam verò membranæ fœtum inuoluentes primò generantur: Matrix enim recepto semine, statim clauditur, vt innato calore illud foueat: Semen receptum illicò inflatur, more aliorum seminum, projiciens, veluti radices, vnde nutriatur: Itaque foris pelliculam producit, veluti cæpe, vel oui quasi crustulam; Aër verò, & spiritus internus medius, riuulum, qui est vmbilicus duabus venis, & arteriis contextus, emittit: Huius ductum infrà exponam: Inter has est ductus, vnde regrediens vrina Vesicæ fundo, spargitur inter duas membranas, ne infantem mordeat.

MEMBRANÆ istæ sunt tres: Prima dicitur *Amnios*, mollis, tenuissima, alba, diaphana, paucis venulis, & arteriolis donata; fœtum immediatè cingens: In hac spargit infans sudorem, cui innatat; non autem vrinam, quæ inter Amnium, & externam membranam effunditur, vt notat Vallisuiridis, Aquapendens, & communiter, contra Bartolinum *lib.* 1. *cap.* 36. Cùm enim Vrina acris sit, roderet infantem.

SECVNDA membrana est *Chorion*; eò quòd 152 instar Circuli, fœtum ambiat: Hæc priorem vndique cingit, & Placentæ adnectitur: Versus fœtum glabra; sed quâ placentæ vnitur, asperior.

TERTIA *Allantoides*, cuius vsus est recipere vrinam, quæ è ductu in fundo Vesicæ posito transit; non enim per membrum exit.

PLACENTA, à figura denominata, est Massa rotunda, pressa, prominentias quinque, ordine distantes habens, & in spatiis intermediis membranam, *Chorion* crassiorem, quâ vterum spectat crassior est, & vndosa; ac veluti coctus panis, qui rimas duxit, incisaque hac parte, fibras innumeras ostendit, quas si persequaris, ad venarum truncos te perducent.

VNICA est, etiam in eis, quæ gemellos, pluresve fœtus gestant: Vnicæ enim Placentæ, totidem funiculi, diuersis locis inseruntur, quot embryones.

EST ordinariè diametro magnitudinis pedalis.

SVBSTANTIA videtur corpus è fibrulis innumeris contextum, cui sanguis, veluti concoctus, est affusus.

DICITVR quoque Hepar vterinum; quia, 153 pro fœtu alendo, sanguinem præparat.

VASA habet, venas, arteriasque, discurrentes ex vmbilicalibus, quæ paulatim attenuantur circa Placentæ margines, mirosque plexus efformant arctè cohærentes: Anastomosibus variis inuicem iunguntur, per quas, ex arteriis in venas, sanguis, è fœtu recurrens, transit.

CVM igitur parenchyma habeat, veluti Hepar, nutritionis est instrumentum; sanguinem enim maternum ex vteri venis sugit per suas venulas, præparatque: Mox eundem per vmbilicalem maiorem Hepati infantis infundit, vt rectâ ad Cor per Anastomosim, Caniculumque deducatur, ex quo per Arterias in totum embryonis corpus nutriendum, distribuitur: Pars verò sanguinis per Iliacas arterias regreditur ad Placentam, tanquam adscititiam pueruli partem, vt partim calore suo conseruet, nutriatque sanguine arterioso; partim, vt ibi vlteriùs perficiatur, quo labore peracto, regreditur iterum per venas socias; vt vna cum alio sanguine, recenter à tubulis vteri suppeditato, per vmbilicales venas remeet.

QVÆSTIO XXI.

De VASIS *Vmbilicalibus.*

VMBILICVS ab vmbone dicitur, quasi me- 154 dius in ventre sit, imò in toto Corpore, si Circulum faciamus, Brachiis, & Cruribus extensis; vt aiunt Anatomici cum Diuo Bonauentura, *lib.* 2. *Compendij Theolog. verit. cap.* 57.

Svnt autem quatuor vasa vmbilicalia : Vena vna , duæ Arteriæ,& Vracus , quæ integuntur communi tunicâ inuoluente , & distinguente singula , ne implicentur , aut rumpantur.

Vena per duas Peritonæi membranas delata, primò omnium ante alias venas , producta est ; quia nutrimentum reliquis præbere debet.

In Hepar per fissuram inseritur , & per vmbilicum tendit , modò solitaria , modò geminata ad vteri placentam : Longa est cubitum , & dimidium ; Eius iter varium est : Modò videtur ab vmbilico super pectus progredi ; indeque interdum per alterutram Iuguli , & Ceruicis partem , siue dextram , siue sinistram obliquè ducta circumflectendo ad occiput , per mediam frontem ad placentam pergit : Interdum à dextra Ceruicis parte incipiens iter , Collum ambit , statimque graditur ad placentam : Interdum quoque hoc flexu in sinistra circa collum , veluti torque incompleto, innumeros ramos spargit per secundinam , donec in tenuissima capillamenta abeat.

155 Vsvs est, sanguinem ducere pro nutritione fœtus.

Est autem diuersa ratio ductus istius ab ea , quam Antiqui tradidêre : Datur enim circulatio sanguinis etiam in fœtu, vt ostendam , *tractatu 9. disp. 3. quæst. 3.*

Vena Vmbilicalis sola , è Iecoris materni ferè medio , sugit sanguinem ; hæc verò in Hepar pueri , & per venam Cauam in dextrum Cordis ventriculum terminatur.

156 Arteriæ duæ in fœtûs Iliacas inseruntur,& cum vena feruntur ad Placentam , variis ibi ramis dispersæ : Harum vsus non est (vt Prisci putarunt) aduehere fœtui spiritus vitales cum sanguine arterioso ; quia Arteriæ hæ non iunguntur Arteriæ vteri , ex Arantij obseruatione ; sed,vt sanguinis arteriosi partem , à nutritione fœtus superfluum , per Iliacos ramos duos in Placentam referant ; partim, vt illam nutriant, & spiritu vitali perfundant : partim, vt ibidem perficiatur sanguis , qui deinde per venarum sibi connexarum ramulos recurrit ad fœtum , cum nouo illo sanguine , ex vtero deueniente.

Hic motus probatur experimento : Nam digito turgida vasa premens , facilè adigit sanguinem ex vena , fœtum versus , non ad Placentam, vbi instar valuularum noduli resistunt ; contra ex Arteria in Placentam facilè truditur : Ligatis enim Arteriis Vmbilicalibus fœtus viui , adhuc matre viuente , adhærentis , obseruarunt Vualæus , & alij , pulsationem fieri illarum intra ligaturam, & fœtum ; nullum verò pulsum inter ligaturam , & vterum matris.

In huius motus gratiam per anastomoses iunguntur rami venales , arterialesque intra Placentam , vt apertus sit trames sanguini recurrenti ex arteriolis ad venulas.

Anastomoses variæ ibi notantur , pro varietate coniunctionum ; modò enim ramuli Venarum,& Arteriarum in crucem coniunguntur , modò inseruntur ; modò ad latera vniuntur : Vnita hæc vasa in funiculos recontorta,tamen distincta, vt funis , abeunt : Eius longitudo , vt dixi , est cubiti , & dimidij.

Nato infante , funis propè abdomen duorum,vel trium transuersim digitorum interuallo ab Obstetrice est ligandus filo forti , sæpius circumducto : A ligatura tribus circiter digitis rescindendus,curandusque vmbilicus, donec sponte decidat.

Qvartvm vas est *Vracus* , Arteria dimidio 157
minor : Constat parte interiori neruosa , ab interiori Vesicæ tunica exorta ; & exteriori membrana , ab exteriori nascitur è fundo Vesicæ : Fertur extra vmbilicum inter duas arterias , & tandem extenditur in tunicam Allantoidem, vbi vrina colligitur , & reseruatur , donec in lucem fœtus exeat ; vnde dicitur *Vracus* , id est vrinarius: Est enim peruius Vracus , vt videre Aquapendens, Spigolius, Vallisviridis , nec renuit Veslingius ; & alij ferè omnes subscibunt , contra Carpum , Arantium , Cortesium , Riolanum, & Bartolinum.

QVÆSTIO XXII.

De Foetvs *Conceptione.*

Mira de his disserit Diuus Bonauentura *ad* 158
cap. 11. Eccles. & *ad cap. 2. Ioan.* ad ea verba : *Hoc autem dicebat de templo corporis sui,& ad cap. 2. Sap. initio* cum Diuo Augustino , *cap. 86. Enchir.* & *lib. 4. de Trinitate , cap. 6.* & *lib. 83. qq. quæst. 56.*

Semen Mulieris ad generationem concurrere, docent Anatomici , cum D. Bonauent suprà , qui in fœmina testes , semen effundentes, dixerunt reperiri , cum Hippocrate *de genitura* , contra Aristotelem , & Cremoninum : Addit Seraphicus , semen viri album ; mulieris verò sanguineum esse, quod probat è Glossa , ad id Sap. 7. *Coagulatus sum in sanguine hominis.*

Igitvr receptum semen commiscetur semini fœminæ , & inflatur ; radicesque ponit vmbilicales in medio corporis positas , vt notant Anatomici cum Diuo Bonauentura , *lib. 2. Compend. Theolog. cap. 57.* Sic autem Conceptionem describit S.Doctor, *loc.cit.* cum D.Augustino.

Primis sex diebus , semen est quasi lac ; sequentibus nouem vertitur in sanguineum ; sequentibus duodecim , figuratur in carnem ; reliquis decem & octo , formatur in corpus organicum ; & tunc anima , circa quadragesimum-quintum , vel quadragesimum sextum diem , infunditur ; toto verò tempore sequenti vegetatur.

Anatomici ponunt triginta dies , ad Mas- 159
culi animationem ; & ad Fœminæ quadraginta : Hæc grauiter aduertenda , vt sciamus : An abortus sit factus animati fœtus : Primò autem fieri Cor , ostendam : *quæst. 27. & tract. 9. disp. 3. parte 3. quæst. 2.*

Stat infans ad matris dorsum conuersus , facie inter genua ; vnde nasus ibi includitur , cubitis inguinibus affixis, manibus in pugnum strictis ad faciem ; reflexo corpore in Orbem , pedum calcanei ad nates vergunt : Erumpit ductus ex vmbilico , & ad humores circumflectens , variis tamen modis , relatis, *quæst. 21.* prodit ad Placentam : Quod nutritioni superfluit , secundinis elaborandis insumitur ; de quibus suprà.

Nota verò , externam , quæ in bestiis propriè dicitur *Allantoides* ; quia massa est velut sanguinis crassa , dissimilem in homine reperiri : Est enim Vesicæ similis.

Riolanvs Libellum contexuit , in quo fœtus formationis progressum describit , describens Paralellum progressum efformationis Pulli in Ouo fouente Gallinâ : Curiosa quidem excogitatio , sed

sed non probatur mihi illa similitudo : Perfectior enim genitura hominis diuersum , & prolixius exigit tempus.

160 Nutritur autem infans sanguine ; non menstruo,quippe fœcato,& venenoso: Esset enim infanti lethifer ; sed purgato ; purgationes enim menstruæ , sanguinem abijciunt superfluentem , iam corruptum : Vide Vallemuiridem , vbi abundantiam effusi menstrui , adscribit humiditati nimiæ , & otio muliebri.

161 Novem mensibus perfectus maturè infans erumpit , vt habetur 2. *Mac.*7. Quidam nascuntur septimo , alij octauo mense ; sed qui in decimo , perfectiores sunt, vt ait D.Bonauentura , *locis adductis* , referens perfectam Salomonis organizationem, Sap.7. *Decem mensium tempore coagulatus sum* : Hinc ait cum Glossa , Christum nouem mensibus , & sex diebus fuisse in vtero intemerato Virginis Sacratissimæ ; nempè conceptum octaua Kalend.Aprilis ; & natum octauo Kalend. Ianuarij : Vnde & Salomonem dixisse Synecdochicè decem menses, aduertit , sumptâ parte, pro toto mense.

Addit S. Doctor cum Diuo Augustino , Infantem à vagitu flebili exordiri nænias suarum calamitatum Propheticas : Ita Salomon ait: *Primam vocem aliis similem emisi plorans* : Vnum ferunt risu apparuisse mundo , Zoroastrem , Bactriorum Regem,naturæ monstrum ; subridentem miseriis, quas erat bello illaturus ; & solùm in vtero exultasse Ioannem,gratiæ prodigium,eiulatibus finem nunciantem , gratiâ præuentum Saluatoris aduenientis : Cautè verò Sanctus Doctor ait : De Rege Zoroastre ferunt risisse ; cùm Salomon è regione asserat ibi : *Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium.*

QVÆSTIO XXIII.

De Mammis.

162 Iam inferiori ventre discusso , de superiori agam , quem Thoracem dicimus ; & est totum id , quod circumscribitur superiori parte à Clauiculis ;inferiori à Diaphragmate ; parte antica à sterno : postica ab ossibus dorsi ; lateraliter à costis.

Pars anterior dicitur *Pectus* , posterior *Dorsum* : lateralis *Latera.*

Occvrrvnt autem primo loco in Thorace Mammæ : Sitæ sunt in pectore supra musculum pectoralem : In nullo alio Mammæ sunt in pectore : Excipe Simias , Vespertiliones , & Cœtos nonnullos : Binæ sunt in homine : Diuisæ sunt Mammæ in papillam , glandi similem , quæ è medio porrigitur, & in Mammillam : Perforata est in medio papilla, vt inde infans lactetur.

Mammilla intus constat membrana , vasis, glandulis , & pinguedine : Harum vsus est , sanguinem in lac conuertere.

163 Venas accipiunt ; alias,cutaneas ab axillari ; alias interiores , dictas *Mammarias* , à trunco venæ axillaris sub osse pectoris ad Mammarum glandulas , vbi fit lac : His obuiæ fiunt aliæ , per rectos musculos , vt Mammæ cum vtero consensum habeant : Vnde nato infante, sanguis non ad vterum ampliùs fertur ; sed ad Mammas , & in lac vertitur.

Observa iuxta regulas , Circulationem sanguinis fieri per Mammas : Ità non fertur ad eas sanguis per Venas , quæ solùm reducunt sanguinem superfluum ad Cor ; sed per Arterias , quæ à trunco magnæ Arteriæ veniunt à ramis subclauiis.

Qvæ autem sit lactis materia præcisa, disputatur.

Prima opinio est , Lac è sanguine , & Chylo fieri : Ità ex Hippocrate sustinent Prosper Maritanus , & Petrus Castillus ; ità vt copiosa materia chilifica deferatur ad Mammas ; exigua verò sanguinis portio ab vtero ascendens concurrat potius , vt agens ad fouendum , quàm vt materia. 164

Secvnda sententia est , materiam remotam Lactis esse Chylum ; proximam verò sanguinem: Ità D. Bonauentura ad id Lucæ 11. *Beatus venter qui te portauit , & vbera , quæ suxisti* , cum Beda, *lib. 3. in Lucam* , *cap.* 11. vbi ait : *Ex eodem fonte & Lac nutriendis , & Semen procreandis manat :* Certum est autem , Semen è sanguine immediatè fieri , vt passim asserit S.Doctor cum omnibus Anatomicis , præcipuè *in 2. dist.* 10. *quæst.*2. cum D. Bonauentura sunt Anatomici , apud Bartolinum *lib.*2. *cap.* 1. Valemuiridem , *libro tertio, capite* 18.

Assero cum hac sententia,Lac fieri proximè ex sanguine , remotè verò ex Chylo.

Optima ratio est , quam ex Beda indicat S.Doctor , quâ ferè solâ nituntur alij : Fons, vnde manat ductus ad Mammas , non è Chylo , siue è prima coctione ; sed è secunda , nempè ex Arteriis ; oritur aut è venis , (si non daretur Circulatio sanguinis :) Inueniant Aduersarij ductum, è ventriculo Chyliferum, ad Mammas : Hinc Sanctus Doctor , *serm.* 1. *de vna Virgine* , ait : *Quid lac , nisi sanguis bis coctus in vbere.* 165

Respondent , dari insensibiles ductus , sicut & ad lacteas ; imò addunt , sufficere porositates carnis.

Contra ; quia Chylus , crassus cùm sit , vt isti concedunt , apertos tramites exigit , neque euaporatione nutriretur infans , neque crudis alimentis perfecto assuetus alimento.

Argvmenta aduersa ruunt , responso Seraphici Doctoris.

Lactis quidem remotam materiam esse Chylum;sed proximam esse sanguinem fatemur;lac verò contrahere ab alimento Chyli qualitates;atque ideò nutrices bonis cibis epastas, bonum lac emittere : malis verò , malum. Quidni ? hoc & in sanguine experimur effici è cibis. 166

Instant , copiosum lac produci , quantum è sanguine nequit esse productum , quod, nisi fugatur , plectoram causat.

Dico , abundantiori cibo , & potu à Nutricibus resarciri : Neque periculum est plectoræ ; quia sanguis è Mammis superfluus , refluit , circulans ad Cor.

Mammarvm neriui, è neruis Thoracis veniunt, præcipuè è quinto neruorum pare.

Cavsa lactis immediata efficiens , non sunt Arteriæ , aut Venæ : Quod si è collo detruncato alicuius Sancti lac fluxit , fuit miraculum ; vt notat Bartolinus , *lib.*4. *cap.* 1. cum Diuo Bonauentura , *Sermone de Sancto Paulo , & de Sancta Catharina.*

Potest etiam in Virginibus lac generari , vt notaut Bodinus *in Theatro naturæ* ; Camerarius ;

Castellus, & alij apud Scheneckium, & Bartolinum, qui exemplis id probant, non modò Puellarum, sed etiam Masculorum, quibus dantur Mammæ ad Cordis propugnaculum.

QVÆSTIO XXIV.

De DIAPHRAGMATE.

167 DIAPHRAGMA à distinguendo dicitur: Hoc est septum transuersum, & præcordium vocatur: Est musculus ambiens totum Corpus transuersim, ouatæ figuræ, separans inferiorem ventrem à Thorace.

ORITVR à lumborum vertebris; imò à tota circumferentia; tametsi lumborum vertebris validè inseratur.

EST carnosum; in medio neruosum, & membranosum: Ideò in centro Circulus nerueus apparet, ad quem fibræ carnosæ à Thoracis periphe-ria excurrunt, vbi vulnera lethalia sunt, tum ob conuulsionem, quæ inducitur; tum quia respiratio perit, ac læditur Pericardium, atque Cor vicinum.

MEMBRANA duplici vestitur ad robur, superiore à Pleura; inferiore à Peritonæo: Multa habet foramina: Vnum dextrum, & est venæ Cauæ trames; aliud sinistrum maius pro transitu Oesophagi, cum duobus neruis ventriculum petentibus; & vbi exoritur circa lumborum vertebras, apparet diuisio pro transitu Arteriæ magnæ, & Venæ sine pari.

168 VENAS, & Arterias habet à vena *Caua*, & *Aorta*, sibi vicinis, dictas *Phrenicas*.

NERVI vbique sparguntur delati à medulla spinali colli inter quartam, & quintam vertebram: Et quia eius Nerui ramulis in maxillarum, & labiorum musculos permiscentur; hinc è percussione Diaphragmatis risus exoritur, Sardonicus dictus; quia neruuli illi agitantur: Talis risus fuit aliquorum, dum per medium secabantur.

FACIT ad respirationem liberam: In respiratione tenditur Diaphragma; expiratione dimittitur: Deorsum enim pelluntur intestina à Diaphragmate in expiratione; & in inspiratione ascendunt: Ità enim decuit, quia Thorax in inspiratione est dilatandus ad aërem recipiendum; constringendus è contra in expiratione quando fuligines expelluntur, & pulmones detumescunt: vnde ibi eleuatur Diaphragma; hic deprimitur.

169 ALIVM motum habet, quo plicatæ partes carnosæ, in se inuicem intrant.

ADIVVAT motu suo etiam Abdominis musculos compressione, ad Excrementorum excretionem: Hinc in alui duritie prodest sternutatio, & tussis, quâ deorsum pelluntur Diaphragma, & clausæ Intestinis fœces.

INSERVIT etiam diuidendis partibus nobilioribus, & imo ventre, ne hinc prauæ euaporationes ad cor saliant.

QVÆSTIO XXV.

De Pleura, Mediastino, & Thymo.

PLEVRA, siue costalis tunica, est membrana 170
intrinsecus Thoracis cauitatem succingens, dura, & alba: Oritur è tunicis, quæ neruos intercostales, è spina dorsi egredientes, tegunt, à quibus continuitas illi, cum meningibus Cerebri: Hæc in pleuriticis liuida fit: in hydrope verò callosa.

DVPLEX est vbique, vt inter duplicaturam vasa ferri possint: Exterior pars durior, & crassior; & interior, costis alligata tenuior: Inter has sæpè materia pleuritica colligitur, nec solùm inter pleuram, & musculos.

SVPERFICIEM interiorem leuem habet, ne pulmonibus fit asperitate molestâ; exteriorem asperam, vt validius alligetur.

FORAMINA multa habet, ac nerui sexti paris viam in ea aperiunt:

VENAS habet à venis sine pari, & intercostali superiore: Arterias ab intercostali, & à magna: Neruos duodecim à vertebris Thoracis anteriores prodeuntes, vnde vulnera sunt dolorifera.

VSVS est, iungere totam Thoracis cauitatem, 171
& æqualem reddere, ne Pulmones in motu lædantur: Secundò, Thoracem intus vestire, sicuti Peritonæum induit imum ventrem.

MEDIASTINVM è pleura gignitur: Est autem membrana duplex, Thoracis cauitatem, & Pulmones in duas partes discernens: Iacet sub *Sterno*, eiusque latitudinem adæquat.

VENAS, & arterias à Mammaria, & sine pari obtinet, sterno applicitas, quo auulso conspiciuntur; & propriam mediastinam sæpè geminatam.

NERVI quoque phrenici, & stomachici per hanc duplicaturam feruntur; & Mediastino surculos præbent.

VSVS est, Thoracem bipartiri, vt vna parte 172
Pulmonum læsa; seruetur altera incolumis: Cor cum Pericardio suspendere, ne allidat.

THYMVS, dictus à figura folij Thymi, est Corpus glandulosum, molle, spongiosum, album: adnascitur iugulo: In tenellis amplior; in adultis est aridior.

VSVS est vasa ascendentia, venam cauam, aortam, earumque ramos ad brachia, & scapulas euntes, fulcire; & vt sit veluti Cordis tegumentum.

QVÆSTIO XXVI.

De PERICARDIO.

PERICARDION est Membrana, Cordis inuo- 173
lucrum, eius figuram imitata; sed aliquantò maior, vt humorem quendam contineat: Oritur ad eius basim è tunicis Cor cingentibus: Quinque foramina habet pro venæ Cauæ, & aliorum vasorum transitu: Conuertitur orbiculatim Mediastino, & Diaphragmatis Circulo neruoso in homine: Superficies externa est fibrosa; interna lubrica: Arterias habet obscuras, & Neruos à recurrente sinistro, & Septi ramis.

VSVS

Vsvs est, Cor inuoluere, vnde vulgò dicitur Cordis capsula, ne ad partes duriores motu allidatur: Humor ei aquosus est, & limpidior; in hecticis flauus; in pleuryticis purulentus; in frigidis vberior, in mortuis densior: Eius copia palpitationem, & necem affert.

De humoris huius origine, varij sunt Anatomici: Aliqui volunt, è feruore Cordis exprimi; sicut Aqua è ligno ardente.

Alii volunt, oriri è colamento sanguinis delati ad dextram partem Cordis, vel è sero.

Alii volunt, esse materiam serosam, initio introductam.

Alii volunt, oriri ex aquosis Excrementis, tertiæ coctionis.

Alii è saliua delapsa, è glandulis linguæ in trachæam, & inde in Arterias.

Alii ex aëris inspirati crassiori portione, in aquam versa.

174 Alii volunt, fieri è vaporibus foras à Corde protrusis.

Vsvs est, Cordis ardorem temperare: (Vnde eo consumpto, torretur Cor,) & vt natando lenius fiat, nec impingat.

In cauitate Thoracis reperitur etiam humor similis cruori, aquà permixto, quo Thoracis partes obliniuntur, ne vrantur.

Hinc ait Bartolinus, *lib. 2. cap. 5.* & alij è latere Salvatoris aquam, & sanguinem emanasse, quod latè probat Bartolinus, Nancelinus, Poza, Tremellius, Tirinus, Grotius, & alij.

Mvlti tamen è vasis Cordis illum deriuant: Ità Collius, Prudentius, S. Brigitta, Vida, Sannazarius, & Vigerius.

D. Bonaventvra, *in cap. 20. Ioan. & in Medit. vita Christi, & de Sacris Stigmatibus S.P. Francisci* videtur existimare, sanguinem è Corde Sacratissimo Salvatoris emanasse.

QVÆSTIO XXVII.

De Corde.

175 Cor à currendo dicitur; quia in motu est continuo, princeps pars animalis, quà nullum ex eis caret, cuius læsione moritur; quia vitæ fons est: Vnicum est in singulis: Substantia in conceptione est membranosa, quasi vesicula; deinde fit caro solida, vt motum continuum sustineat, & sanguinem validè impellat per vasa ad loca dissita, & ne spiritus exhalent: Ventriculos duos habet: Alterum amplum, quasi Lunæ crescentis imaginem, & hic est dexter; alterum ad figuram Coni: In dextro latere minùs solidum; sinistri lateris robur maius, ob validiorem motum in pellendo sanguine: In mucrone, caro spissior, & durior: In basi mollior: Tunica vestitur: Adeps circa basem iacet.

176 Vasa eius sunt hæc: Venam habet coronariam sæpè geminatam, quæ Cor in orbem circuit; duas arterias itidem coronarias, & Neruulos à sexta coniugatione obscuros: Calidum est; quod si ferueus, Thorax hispidus cernitur: Aliqui Cor pilosum gerentes visi sunt; vt Leonides, Haustomenes, & Hermogenes: Hi præ cæteris erant audaces.

Cordis figura nota, est pyramidalis, vt Pinea: Pars superior extenditur ad basim, & inferior acuta, vt pyramis inuersa, vt ait Diuus Bonauentura: Anteriùs gibbosum; posteriùs simum conspicitur.

Connectitvr cum Mediastino, & Diaphragmate per Pericardium, & cum aliis partibus per vasa; mucro liber est, quasi pendulus, vt facilè retrahi queat ad suam basim, & ad latera moueri.

Eivs situs est in medio thorace, quò ad basim; sed mucrone ad sinistram vergit, vt notat S. Bonauentura, *in Diata, tit. 3. cap. 4.* Quibus verò superior pars ad sinistram flectitur, sinistra pro dextra est: Qui verò Cor in medio exactè habent ambidextri sunt: In homine maius est proportione, quàm in Brutis: Ordinariè sex digitorum transuersorum longitudo; & latitudo quatuor: Audaciores, & calidiores, minus Cor habent: Vide Diuum Bonauenturam, *serm. 1. de pluribus Martyribus.*

Primvm Cordis munus est, calore corpus fouère, ex cuius oppressione sequitur syncope, & Cardiaca passio; cui subuenitur cordialibus, maximè auro, vt ait Diuus Bonauentura, *sermone 7. de S. Laurentio.* 177

Hoc antidoto se indigere clamabant in India Columbi socij, auaritia æstuantes.

Observant Verulamius, Constantinus, & Haruæus, Cor auulsum ab animali viuo, manu calida, vel panno calefacto imposito, videri ad se redire, ac reuiuiscere.

Est autem controuersia, vnde Cor habeat calorem.

Prima opinio est, Cordis calorem à sanguine prouenire; Ità Heruæus.

Sed contrà arguit D. Bonauentura, *in 2. dist. 17. quæst. vlt. & serm. fer. secunda post Pascha* in ea verba Lucæ: *Nonne Cor nostrum ardens, &c.* Nam Cor est principium perficiens sanguinem, nempe arteriosum producens, & venosum perficiens: Ergo dat sanguini calorem: Non ergo recipit.

Secvnda opinio est Cartesianorum, à motu calorem agnoscentium.

Contra, ex Diuo Bonauentura, *Serm. 2. de S. Agnete*: Nam ipse est principium vitæ; ac proinde motus vitalis ad vitam.

Tertia opinio est Bartolini, *lib. 2. cap. 6.* & aliorum, calorem inesse cordi, tum à sanguine; tum à corpulentia propria.

At sanguine foueri calorem fateor; sed non admitto esse primam originem caloris.

Probatvr ad hominem: Id, sine quo habetur aliquid, non est eius origo; sed sine sanguine inest Cordi calor, nempe antequàm Cor habeat vasa sanguinis, & post etiam auulsum: Ergo. Deinde vrget ratio allata D. Bonauenturæ.

Melivs igitur S. Doctor, *in secundo, loco adducto*; Vult ex Elementorum in semine proportione naturam dædalam, Deo institutore coopetante, partem ignitam viuaciorem, & actiuiorem primis rudimentis Embryonis applicare, nempè Cordi primo, & ante omnia; & mox Hepati; atque Cor, vt fontem vitæ primò elaborari, præditum calore, cuius spirituum est fons, vt ait S. Doctor suprà, *& Serm. de vno Confessore*: Vita enim præcipuè à calore pendet; vt ait Seraphicus, *loc. cit. & Serm. 2. de Sancto Laurentio*; Hæc sanè industris elaboratio mira est, quæ in Scriptura acclamatur Diuina, nobis incognita; Deo adscripta; vt dixi, *tract. 5. disp. 17. quæst. 2.* 178

Clarius

Clatius *Serm. 1. de pluribus Martyribus*, id docet S. Doctor; vt referam, *disp. 5. quæst. 3.*

179 ITAQVE secundum Cordis munus est, sanguinem venosum à dextris è Caua acceptum perficere, & arteriosum inde conficere in sinu sinistro; indeque per Aortam toti corpori distribuere; dando è dextro sanguinem Pulmonibus ad nutritionem.

AD hæc munia exhibet natura Cordi apta instrumenta: Primò quidem tota Cordis fabrica est veluti fucina ad sanguinem excoquendum, fumos, & vapores expellendos, fuligines, & alia excrementa propellenda, spiritus conficiendos: Inde oriuntur luminosæ particulæ, sanguinem viuaciorem referentes.

IN sinistro igitur ventriculo est vltima sanguinis perfectio: Ea autem breui morula perficitur, ne aduratur: Sic enim & elychnij flamma, aliam ictu oculi accendit, vt ait Bartolinus, *loc. cit.* Et quidem hanc similitudinem sumpsit è Diuo Bonauentura, *in 2. dist. 30. quæst. vlt.* quem vide, eximia dicentem.

180 ITA Cor motu incessanti diù, noctuque insudat, receptum è Caua sanguinem excoquens alimentalem in dextro, & melius adhuc in sinistro sinu; vnde fuligines per venam arteriosam euaporat; excrementa separat; vapores in aquam condensat, & Pericardio commendat; alia in pilos subaxillares immutat: Reliqua, permixta sanguine, in Arterias deferuntur, expurganturque serosa per arterias emulgentes ad renes; & per sudores ad halitus corporis; crassiora per arterias hæmorroïdas, & per mesentericum ramum.

QVARE igni innato ardenti, semper humidum alimentale suggeritur, ne humidum radicale consummatur; sicuti lampadi accensæ, oleum continuò apponitur, ne humidum ellychni absumatur: In humido enim radicali vita stat: Ideò, qui tertia specie hecticæ laborat, insanabilis est, vt disserit Diuus Bonauentura *loc. cit.* quia in ea est huiusmodi consumptio.

181 MOTVS Cordis laboriosus dicitur Pulsus, quo sanguinem perficit, & à putredine seruat, vt indicat Seraphicus, *serm. 4. & 5. Rogat.* ad ea verba: *Pulsate, &c.*

CONSTAT è Systole, Diastole, & Perisistole.

SYSTOLE motus proprius Cordis, & naturalis, est contractio Cordis, & tensio in angustum, vt sanguis, è dextro ventriculo per venam arterialem in Pulmones effundatur; & per sinistrum in Aortam, & sic ad totum corpus.

DIASTOLE accidentarius motus, est dilatatio Cordis, vt hauriatur sanguis per venam Cauam in dextrum ventriculum, & per Arteriam venosam in sinistrum.

PERISISTOLE est, inter vtrumque motum, quies, & morula quædam, quando sanguis ingressurus est ventriculos, vel egressurus, adeò exigua in sanis, vt distingui nequeat; in moribundis satis manifesta.

IN quauis Diastole recipi sanguinem copiosum; & in quauis Systole expelli, oculis patet, etiam ligando Cauam, & Aortam.

QVÆ autem quantitas sanguinis impleat Cor in Diastole, & exeat in Systole, incertum est; quia variat pro vario Cordis statu.

182 IN homine totus sanguis non excedit viginti-quatuor libras, neque est infra quatuordecim.

MENSVRARVNT aliqui in corde, Diastolem patiente, duas vncias; alij minus.

IN Systole expellitur pars quarta, vel quinta, vel tota.

PVLSATIONES Cordis vna hora Primirosius numerat 700. Aiolanus 2000. Valæus, & Regius 3000. Harueus 2000. Cerdanus 4000. Plempius 4450. Slegelius 4876. Bartolinus 4400. circiter.

VARIANT tamen ætate, temperamento, diæta, sanitate, & ægritudine.

EX his facilè erit colligere, quantum sanguinis vna hora diuersis pulsibus ejiciatur.

IN Systole, mucro Cordis eleuatur ad basim; quia expulsionem enititur, & in latum extenditur: In Diastole longitudinem facit: Veluti, si vimineum canistrum in figuram Cordis conficias, & mucroni filum appendas, atque trahas, & dejicias, contrahetur mucro artificiali Systole, dum trahis; & elongabitur Diastole, dum finis reuerti ad suum situm; vt differit Vessalius.

DIFFICVLTAS est, quæ sit causa efficiens huius motus.

PRIMA opinio est Bartolini, *lib. 2. cap. 6.* proximam causam esse sanguinem, & facultatem pulsificam.

SECVNDA opinio est, sanguinem ebullientem esse causam: Sic Aristoteles, quem sequuntur Cremoninus, Hofmannus, & alij, præcipuè Leichnerus, & Primirosius, Renatus de Cartes; Hogelandius, & Henricus Regius; sed hi tres rarefactioni, vel ebullitioni id attribuunt. 183

VERA sententia Diui Bonauenturæ, *lib. 2. Compendij, cap. 41.* & Antiquorum, est, è sola virtute pulsifica oriri: Vnde *tertia parte Centil. sect. 22.* ait; Vis vitalis, est vis motiua aëris per Arterias, vnde est pulsus: His, & *sect. 21.* innuit, è sola vi pulsifica esse hunc motum.

PROBATVR primò ex dictis suprà de eius calore: Nam, vt docent Philosophi cum Aristotele; & arguit S. Doctor *in 3. dist. 13. quæst. vlt. ad calcem*: Non potest esse idem causa, & effectus eiusdem: At Cor est principium vitæ, & omnium ad vitam spectantium, atque ipsius sanguinis; Hæc omnia vitæ munia præstat suo motu: Ergo hunc non habet à sanguine.

PROBATVR secundò; quia virtus pulsifica, necessariò est in pulsationibus ordinata: Si autem fieret sanguinis calentis agitatâ irruptione, & irregulatâ iterum eruptione, fierent motus inordinati; vt arguit contra alios Bartolinus: Sed hoc eum quoque vrget: quia tumefactio, & rarefactio, & ebullitio sanguinis deordinarent pulsificam operationem.

PROBATVR tertiò eleganti Seraphici argumento, *Serm. 4. Rogat.* quia pulsatio naturalis, & gratuita Cordis, se imitantur; nam gratia operatur ad modum naturæ: At pulsus gratiæ est à Deo, & libero arbitrio, intrinsecùs operante: Ergo & naturæ pulsatio: Totum explicatur à S. Doctore illo Cantic. 5. *Vox dilecti pulsantis*, vbi Hebræus legit דופק quod significat pulsum Cordis, vt monet etiam Marinus Brixiensis: Ità pulsatio est intima: Vnde subdit Sanctus Doctor cum D. Bernardo: *Quacunque anima sic pulsantem Dominum non audit, mortua est: Ostium Cordis est liberum arbitrium, ad quod Deus pulsat*, Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso: Ergo pulsus Dei est in ipso Corde, cui correspondet liberum arbitrium: Cor nostrum ergo est Dominus* IESVS, *qui nisi sit nostrum Cor;* 184

cor; non habemus pulsum, & mortui sumus. Hæc, lepidè è Seraphico Doctore dicta, libuit hìc appendere.

185 Probatvr quartò. Quando enim vehementiùs mouetur sanguis in febribus, calore vrgente, & in moribundis, ob extremum vitæ conatum, Cordis tamen motus imbecillior est, vt ex pulsu liquet; quia facultas insita, vel deficit, vel impedita est.

Spiritvs vitales tam cordi insitos, quàm extraneos, causam remotam motus Cordis, assignat Bartolinus. Miror sanè ipsum ita locutum: Nam motum sanguini, vt causæ proximæ, adscribit; certum est autem, spiritus esse portionem motricem. Cur ergo sanguinem non ponit causam remotam; & spiritum, proximam?

Circa partes Cordis aliqua sunt monenda.

Avricvlæ sunt quædam extensio substantiæ Cordis ab vasa. Sunt quasi promptuaria recipientia primò sanguinem, & aërem, ne subitò in cor irruant, & fortè suffocetur; ideò vasis infundentibus apponuntur, non effundentibus arteriis.

Cavitates, seù ventriculi duo sunt, non plures. Aliqui tres inuenere, sed ratò. Aliquando nullum.

186 Præter naturam, in eis inuentæ sunt adiposæ; aut carneæ particulæ. Salius vermes obseruauit; Vermem item alatum testatur se vidisse Hosius. Anguem vero bifidum Londini Maius; nec absimilem Neapoli vidit Seuerinus. Calculos notauit Hollerius. Ossa aliquando in cadauere viderunt Gemma, & Riolanus. Sic experti sunt Regij medici in Maria Medicea, Matre Ludouici XIII. Regina ad pollincturam aperta, & in cadauere Vrbani VIII. Pontif. Maximo, figuræ triangularis, instar T. & in alio figuræ Y.

Dexter ventriculus sanguinem recipit è vena Caua, latior sinistro, quasi Luna crescens, ob sanguinis copiam, quam tenetur recipere.

Sinister angustior est, & densior, ne spiritus elaborati exhalent. Hic è sanguine transmisso è dextro sinu, & ex aëre per os, & nares inspirato in pulmonibus præparato, & per arteriam venosam misso, spiritus conficit.

Septvm adest inter vtrumque ventriculum, illudque peruium per varios ductus, & sinus, per quos sanguis tenuior è dextro ventriculo transit ad sinistrum.

187 Qvatvor vasa, circa caput cordis, insignia sunt. Dextro ventriculo geminæ inseruntur venæ, Vena caua, & Vena arteriosa: sinistro totidem arteriæ; Venosa, & Aorta. His intus apponuntur valuulæ vndecim.

Dvæ venæ, quæ in dextro latere sanguinem introducunt, valuulas habent tricuspides foris, quæ intus spectant: duæ reuehentes habent ostia, quasi Græcum *Sigma*, seù mitras. Istæ aperiuntur in Systole; & in Diastole clauduntur; illæ è contra.

Vena caua à dextris defert sanguinem ab Hepate in cor. Circulus membraneus ostio adnascitur, qui finditur in tres valuulas foris, intrò spectantes, telorum tricuspidum triangulis similes, quæ dilatato à Diastole corde, aperiuntur, vt sanguis intret; mox constringente se corde in Systole, clauduntur, ne sanguis in Cauam refluat.

188 Vena arterialis, pulmonaria dicta, quia pulmoni defert sanguinem, quo nutriatur, & reliquum sanguinem per arteriam venosam in sinistrum ventriculum Cordis transfert. Valuulas è sua substantia tres habet, enatas intus, quæ foras spectant, & Græcum *Sigma* referunt, & Latinum C.

Arteria venosa in sinistro sinu, orificio dotatur magno, quod statim fetè bipartitur, ac disseminatur in pulmonem dextrum, & sinistrum. Duas valuulas foris habet, intrò vergentes, quæ iunctæ mitram Episcopalem referunt. In dilatatione, aerem attrahit ad Cor, mistum sanguini, è pulmonibus refluo ad spirituum vitalium, & sanguinis arteriosi generationem, flammæque vitalis pabulum. In contractione, sanguinem, è pulmonis nutritione superfluum, vel recurrentem è vena arteriosa in sinistrum Cordis ventriculum, propellit.

Arteria magna in sinistro latere Cordis, 189
iuxta cor valida, sanguinem perfectum omnibus membris communicat. Tres habet valuulas sigmoides intus, foras spectantes.

Nota, in fœtu, dum in vtero est, vniri Venam cauam per anastomasim arteriæ venosæ sub dextra Cordis auricula, vt ex caua, in eam feratur sanguis; non in dextrum ventriculum.

Similiter per canalem vniuntur Vena arterialis, & Arteria magna; hic verò canalis rectus est, & vnit parallelas decurrentes.

QVÆSTIO XXVIII.

De Pvlmonibvs.

Pvlmones à respirando dicti, & ad respira- 190
tionem dati, sunt quasi Cordis flabella. Diuiduntur in partem dextram, & sinistram, beneficio Mediastini. Rursus singulæ in duos lumbos scinduntur, quorum superior est inferiore breuior, & aliquando vna earum diuiditur in tres lobos; eorum figura est similis vngulæ bouis: Sic Thoracis cauitatem extensi implent: Coloris sunt in fœtu rubei, sicut Hepatis, ob alimentum, quod à matre accipitur, neque ventilant in vtero: In adultis est color clarior. Connectitur anteriùs cum sterno per Mediastinum; posteriùs cum vertebris; ad latera cum pleurâ. Hæc connexio Cor iuuat, nè prematur, Et si caro sit leuis, & spongiosa, vt follium more attollantur. Membranâ cinguntur leui, ac tenui.

Tria vasa pulmonis substantiam intertextam velant: Duo è corde, nempè Arterialis vena, & Venalis arteria. Tertium proprium est, scilicet Trachea, dicta, Aspera arteria. Hæc vasa magna sunt; hac enim viâ, maxima sanguinis portio è dextro ventriculo, in sinistrum patentibus ductibus fertur. Neruuli exigui à sexto pari tantùm per membranam eius sparguntur.

Qvæstio autem occurrit, à quo moueantur Pulmones.

Omitto Helmontij dictum, Pulmones non 191
moueri, sed inseruire, vt mirum cribrum, vnde aër purus in Thoracem subeat. Certum est enim, eos moueri; sed incertum à quo.

Prima opinio est, Pulmones tantùm passiuè moueri. Id sentiunt multi.

Ex his aliqui dicunt, eos habere motum à Corde, vt Aristoteles: *lib. de Respir. c. 4. & lib. 3. de partibus anim. cap. 6.*

Alii volunt, eos moueri motu Diaphragmatis. Ita Galenus *lib. 4. de locis affect. cap. 5. & 8.*

&

& *lib.5.cap.2.& 3.*& *lib.5.de vsu partium,cap.15.* Auicen. Fentertij Can. *tract.* 1.*cap.*7.Conciliator *difficult.* 99. Thomas Gabr. *in Summa,lib.7. tractatu* 49

Alii volunt, moueri à Thorace, motu dilatationis, & constrictionis; attrahi sursum, & deorsum à Mediastino; Mediastinum à Diaphragmate coniuncto. Ità Valæus, Frater Syluius, & Schagen, quibus subscribit Thomas Battolinus *lib.*2.*cap.*9.

Alii dicunt, moueri ab aëre impulso in eos per asperam arteriam. Ita Falcoburgius,& Chartesius,Hogelandius,Regius, & Pratæus.

Secunda sententia docet, Pulmones, propriâ virtute moueri. Ita Auer. *collget. cap.* 59. quem sequitur Horstius. Addunt moueri & à Diaphragmate. Conimbrienses addunt, moueri etiam à musculis pectoris; remotè verò à Corde, primo fonte natiui caloris, & speciali influxu porrigente sanguinem è dextro suo ventriculo, quem solis pulmonibus prçstat,beneficium ventilationis compensando. Arridet Fuliensis *l.3. Phys. c.*10. *a.*3.

192 Sententia D. Bonau. est primò, Cor esse pulmonum motus principium. Ita *l.*2.*Comp.Theol. c.*41.Clarissimè id ait *serm.*1.*de plur.Martyr.* cuius verba referam *d.*5.*q.*3.Idem sentit 3.*B.Centil.sec.* 22.vbi ait:Vis corporis regitiua vitalis,est vis motiua aeris in corpore animalis per arterias;vnde est pulsus. Tanti enim caloris est Cor,quòd,nisi refrigeraretur aëre attracto per inspirationem, & emisso per respirationem, animal moreretur.

Hinc educo, motum pulmonum esse à virtute cordis attractiua aëris, quo mediante eleuantur, & constringuntur pulmones ordinatè, regente eum virtute attractiuâ, & expulsiuâ Cordis. Hoc sentiunt Doctores allati ante secundam sententiam immediatè,& ipse Aristoteles,qui Diaphragmati dat solum diuidere partes.

Assero primò,Pulmones non moueri à seipsis.

Probatvr primò à Battolino; quia respirationem arbitrio modò inhibemus, modò acceleramus, modò retardamus.

Probatvr secundò; quia Pulmo est corpus floccidum, ineptum ad eleuandum Thoracem.

Assero secundò, motum vitalem pulmonum non esse à Diaphragmate.

Probatvr. Nam aperto Thotace non ingrediente ordinatè aëre, sed tumultuariè, mouetur quidem pulmo tractus à Mediastino, cui vnitur, & mediastinum à Diaphragmate, sed sursum & deorsum; non dilatatione, & constrictione,qui est motus pulmonis ordinarius, vt vidit Battolinus, cum Valæo, Syluio, Scagen. & aliis.

Assero tertiò, pulmones non habere suum motum à Thorace.

Probatvr; quia aperto Thorace, manente illæsâ arteriâ Asperâ,adhuc pulmo dilatatur, testimonio magnorum virorum, vt fatetur Bartolinus.

193 Assero quartò, motum pulmonis esse à corde. Probatur ex Aristotele, *l. c.* Confirmatur;quia in dextro ventriculo habet vas influens in pulmones, quibus hic Princeps vitæ specialiter influit; vt ait Collegium, cum D. Bonau.

Assero quintò, id cor præstare, mediante aëre, quem attrahit, & repellit.

Probatvr experientiâ: Aër enim eleuato Thorace allisus, non valens alio diffundi, in pulmones vadit per ramos arteriæ vocalis. Ita experti sunt allati Doctores, aërem eleuare pulmonem, & ingressum dimittere.

Neqve dicat Bartolinus, aërem condensari posse, vt videmus in cucurbitulis, &c. Imò videmus igne consumi, cum stupa, vnde caro attrahitur, vt aduertit S. D. *serm. de S. Marco.* Quòd si in tubo, & simili condensatur à frigore, vel ab arte; in casu nostro euenire debet oppositum;quia ingrediens pulmones, accedens ad Cor, à calore rarefieri cogitur; & in respiratione calidus eiicitur.

Videmvs autem, aërem rarefactum, magnoperè commouêre eas res, quas adit; & in quas impingit.

Hinc cætera, quæ à Battolino opponuntur, cedunt. 194

Quòd verò opponit, quòd respiratio est voluntaria; at motus Cordis est necessarius, nec pari passu vadunt pulsus cordis, & respirationes; sed hæ pauciores.

Respondeo, Cor mouêre pulmones non Systole, & Diastole directè; sed indirectè per attractionem aëris, quæ à nobis potest impediri, vel accelerari, vel quatenus liberè mouemus ostium oris, per quod ingreditur aër, & egreditur. Hinc ruit etiam oppositio Collegij.

Obiicit adhuc: Dum validè inspiramus, & inspiratum aërem aliquamdiù continemus, deberet nos ad expirationem cogere pulmonis tumor, quia hic attollit Thoracem apud vos.

Dico, ità præclarè euenire, vt euidenter experimur.

Obiicit etiam, in forti apoplexia, saluo pulsu, & corde illæso, motus pulmonum cessat.

Dico, pulsum non esse causam motus pulmonum directam, sed vim attractiuam aëris, quæ læsa est læsis neruis, quas à sexta coniugatione habet, & aliis per Cordis basim; vt ait Falopius, apoplexiâ ligatis. Esto igitur Systoles, & Diastoles perseuerent; non perseuerat integra tamen Cordis operatio, & vis. 195

Porro causa, quam ipse assignat, scilicet, quia pulmo Thoracis amplificationem sequi cogitur, ne detur vacuum; & ideò vulnerato Thorace, & aëre ingrediente, pulmonem stare, chymerica est.

Sane hic motus esset violentus, & perpetuò duraturus in resuscitatis. Deinde, cur non rarefit aër, & humor intermedius, vt videmus in vasis occlusis, quibus pars liquoris extracta sit? aut cum intus ponitur rarus aer, & clauditur. Quòd verò Thorace vulnerato stet pulmo; non est, quia ingrediens aër auferat necessitatem sequendi Thoracem; sed quia per carnem spongiosam pulmonis sparsus eum opplet, nec potest expelli virtute pulmonis, ad id non ordinatâ.

Obiiciunt quoque Conimbricenses, quia cùm pulmonibus datum sit officium inspirandi, & expirandi aerem, debuit dari & virtus ad id motiua.

Respondeo, non omnibus datam esse actionem, ideò enim cerebro data est virtus animalis, & cordi vitalis, tanquam Principibus,vt ait S.D. suprà. 196

Dvm dilatatur, recipit aërem per tracheæ ramos ad modum follis, ad aërem cordi præparandum pro spiritus lucidi alimoniâ. Non enim quilibet aer spiritui nostro amicus est, vt videre est in iis, qui extinguuntur ex carbonum fumo,& in ædibus, calce recenti illitis.

Inservit Cordis ventilationi ad refrigerium. Ideò Pulmo dicitur *Cordis flabellum.*

Dvm

Dum constringuntur Pulmones, pellunt fuliginosa excrementa per venam arteriosam. Secundò dant spiritum ad vocem edendam. Quare animalia pulmonum parenchymate destituta, vocem non edunt; teste Aristotele.

QVÆSTIO XXIX.

De Fistula.

197 Hæc *Trachea* dicitur, seù *Aspera arteria*. Est autem canalis, pulmones pluribus ramis, veluti syringis ingrediens, & ascendens ad gulam. Eius caput est Larynx, de qua mox agam. Reliquum verò dicitur *bronchus*; eò quòd a potu irrigetur. Oesophago incumbit extrà ab ore per collum ad pulmonem cadens. Ad quartam Thoracis vertebram in duos ramos diuiditur, & vterque ad suum latus pulmonem ingreditur, non illico, sed rursus diuisus in duos; & hi in alios, donec in pulmonem superfluit, in minimos ramulos disseminantur.

Membrana duplici vestitur. Externâ tenui à Pleura Internâ, quæ oritur à tunica, palatum subcingente.

Pingui humore inungitur ad prohibendam exsiccationem in motibus, clamoribus, fuliginum exitu, &c. Ex huius humoris copia, vel inopia non læditur. Exquisiti sensus est ad molestorum expulsionem. Inter has duas tunicas, est propria tracheæ substantia, partim cartilaginea; partim ligamentosa.

Debuit partim esse cartilaginea ad vocem, nam quod sonat, solidum est. Partim etiam ligamentosa, quia debet aperiri, & claudi, & Oesophago cedere in deglutione.

Cartilagines sunt multæ, annulosæ, sed non circulares perfectè, imò vt spiræ, quæ in posteriori parte, qua Oesophagum tangunt, quarta parte circuli carent. Connectuntur hæ cartilagines mediis ligamentis; & illæ, quo sunt superiores, eò maiores.

Habent venas à Iugularibus externis; arterias à carotidibus; sicut & neruos à recurrentibus sexti paris.

198 Vsus est, vt in inspiratione aër à pulmonibus recipiatur. Hinc bronchiis, athsmate impeditis, fit sibilus aëris reciprocantis. In expiratione excrementa ad os, & nares excreantur. Deinde, vt ad vocem faciat.

Svnt aliqui, qui diù sub aquis stant; at hi, vel transpiratione sola viuunt, vel anastomoses in corde peruias habent, quibus sine motu pulmonum sanguis moueatur, sicuti fœtus in vtero, cui mater respirat.

QVÆSTIO XXX.

De Larynge.

199 Initium fistulæ pulmonum est Larynx, quæ est vocis organum. Sita est in medio collo, rotunda, sed parte anteâ magis extuberat; postica deprimitur, vt gulæ cedat, imò adiuuet deglutionem, dum Oesophagus enim deprimitur, eleuando se, eum deprimit.

Magnitvdo Laryngis variatur secundùm ætates. Nam in iunioribus Larynx angusta est, ideò & vox acuta, ad hoc facit quoque eius longitudo & calor. Hinc & testes ad vocem facere, ait Hippocrates *de semine*; Hinc masculi in pubertate vocem mutant. Hinc & vox mutatur in Castratis: Equus etiam castratus hinnitum deperdit, & capo cantum, saltem validiorem.

Partes Laryngis, & circa eam sunt cartilagines, musculi, membranæ, vasa, & glandulæ.

Mvscvli sunt tredecim, vel quatuordecim. Cartilagines sunt quinque.

Venas à iugulari externa; Arterias à carotidis maiori ramo; neruos verò à sexto pari accipit. 200

Glandvlæ adstant duplices.

Est multitudo hæc instrumentorum ad vocem formandam ordinata, cuius Larynx est instrumentum præcipuum, præcipuè glottis.

Insignis est cartilago cuneiformis intus caua, foris gibbosa, & prominens, magis tamen in viris (quia mulierum collum exæquant glandulæ ad Laryngem positæ) Protuberans illa in collo dicitur *Os morsus Adæ*, seù Pomum Adæ. Rideo, quod ait Bartolinus, pomum ibi Adæ in gutture fixum remansisse.

Secvnda etiam est, veluti annulus, quo Turcæ pollicem muniunt in iaculandis sagittis.

Tertia, & quarta gutturnium ollæ referunt. 201

Qvinta rimam tegit, nè multum è cibo, vel potu in tracheam cadat, sed clausâ epiglottide in gulam vadant; non ità tamen claudit, vt aliquid potus descendere nequeat in tracheam, & pulmones. Aperitur in risu; vnde sorbentes, a risu maximè caueant, ne potus defluat in tracheam.

Epiglottis habet figuram linguæ, vel folij hærede, mollior est, vtrinque membrana ori communi alligatur.

Fit autem vox aëris per tracheam allisione ad rimulam, quam etiam ranæ habent, sicuti, & pulmones, vt notant Anatomici contra Aristotelem: Si verò patente organo egreditur spiritus, fit suspirium. Itaque vox est sonus animalis a glottide, ex percussione respirati aëris. 202

Verum, qui pulmone carent, & epiglotti, sonum edunt per bronchias. Insecta verò, vt Cicadæ, & Apes, ac Vespæ, ex dorso sonum edunt, vel alarum confricatione, aut aërem verberando.

Variæ sunt voces pro instrumentorum varietate, adeò vt duæ difficilè inueniantur conformes. Ideò inter greges balantes, agnus propriam suæ matris vocem discernit; & è contra, ouis sui agni. Fiunt tamen eisdem speciei instrumentis, etiam in brutis; vt ait S. Bonau. *3. part. Centil. sec. 22.*

Nota, voces, aut vocalibus edi; & hæ sunt quinque, quia totidem motus tantùm mouetur radix linguæ; aut consonis. Quando scilicet vocalis in anteriori parte linguæ à labiis, & dentibus interdicitur, fit consonans; quæ ideò sine vocali proferri nequit, quia hæc illius est materia, & non, nisi vocali intercisa, oritur.

QVÆSTIO XXXI.

De Oesophago.

OEsophagvs, aliis gula, vel stomachus, est fistula ventriculi per quam cibus traiicitur, ideò vocatur à Lactantio, *fistula cibaria*, habet figuram rotundam, longam & satis amplam, habet suas membranas, venas, nervos, & arterias; de quibus omnibus actum est *quæstione* 8. cum de ventriculo, cui connectitur, disseruerim.

Hvivs propria actio est traiectio cibi, vt dictum est: sed controuertitur inter Anatomistas, vtrum hæc actio sit naturalis; an animalis. Videtur quidem esse naturalis, cùm nulli exprimantur musculi, quæ sint instrumenta voluntarij motus; & prætereà cùm Oesophagi tunica exterior sit circumdata circularibus capillamentis, quæ se stringendo, adigunt cibum in ventriculum, & se etiam laxando inseruiunt vomitui: insuper dum graui fame quis conficitur, exurgit ventriculus, & præripit faucibus vix deglutitas buccellas. E contra experientiâ videtur hæc actio esse animalis, cum cibum ad nostrum libitum traiicimus, & etiam aliquando in ipso gutture retinemus.

Vervm hinc conuincitur quod hæc traiectio sit partim naturalis, partim animalis; animalis quidem & liber, vsq; dum cibus sit sub dominio fibrarum circularium, quibus tunica externa Oesophagi cingitur; nam eo vsque possumus cibum deglutire, propellere versus ventriculum, vel etiam reuocare. At, quando sentitur sub illis fibrulis, mox se constringunt, & ociùs, nobis etiam nolentibus, traiiciunt: hinc sequitur, constrictionem Oesophagi, si fiat superius, inseruire traiectioni cibi; si verò fiat inferius ad orificium ventriculi, prouocare vomitum.

QVÆSTIO XXXII.

De Collo.

103 Collvm est Thoracis appendix oblongum, est ad vocis modulationem necessaria. Hinc animalia collo carentia, voce carent; quæ verò oblongum, validè vociferantur, vt Grues, Anseres, & Olores. His trachea longior in sterni capsulā incuruo flexu se insinuat; moxque è fundo capsulæ sursum regreditur, & clauiculis conuexis ad Thoracem se flectit. Antequam autem pulmones attingat, priùs fistulâ quâdam osseâ fulcitur, lata superius; inferius angustiore, quæ in Anate globosa est; deinde in duos ramos diuaricatur, in medio tumidiores; sed quò pulmones accedunt, angustiores, donec pulmones ingrediatur.

Pars posterior *Ceruix* dicitur. Partes colli, vel sunt externæ, vt cutis, musculi, &c. vel internæ, vt vasa percurrentia, Trachea, & Oesophagus.

Vsvs est, ad transitum Oesophagi; & Tracheæ. Hinc animalia pulmonibus carentia, carent collo. Deinde, vt neruos partibus anterioribus præbeat.

QVÆSTIO XXXIII.

De Capite.

Præcipva, inter animalis partes, est caput, in loco eminenti collocatum, omnibus patens, cuius partes examinabo. 204

Primo occurrunt capilli in homine, & in viris barba. Sunt autem pili, è vaporibus fuliginosis, protensa excrementa, quæ, pro varietate fuliginum, è variis alimentis, atque temperiebus, varij sunt. Sic calidis nigri, temperatis flaui prodeunt; cani verò fiunt, frigiscente naturâ, nec validè euaporante, emaciati. Varietas etiam regionum, sub climatibus calidis, frigidis, vel temperatis, eos variat. Sic incolæ Aquilonares flauos, & Australes nigros alunt. Aluntur impropriè, sed per iuxtapositionem crescunt, vt dicam *Trac.* 9.

Mirvm videbitur è crinibus nullos virides esse, aut cæruleos, cùm omnes alios colores admittant.

Cardanvs frustrà huius rei causam adducit crassitiem, quæ lucidum non admittit, sanè lucidior est color flauus, & albus, qui in crassitie etiam inuenitur.

Scaliger cum aliquibus, quem sequitur Bartolinus *l.* 3. resoluunt, non omnem colorem, cuilibet plantæ conuenire, ideò nec pilis. Addit hic, se virides vidisse.

Senatorivm quidē responsum. Hoc me mouet, quod transeunti ab extremo, itur per media; cur igitur, si temperamentum efficit colorem nigrum, subnigrum, rubeum, transitur ad puniceum, & album; non per viridem, vt in Iride?

Arbitror, eam esse causam; quia excrementa, è quibus oriuntur capilli, è sanguine sunt euaporatæ fuligines; vel ex chylo declinante etiam viridia exculenta herbarum, &c. ad coctionem elixationis, ad alborem, è caloris naturalis propriâ vi igneâ, ordinante omnia ad nutritionem carnis, & aliarum partium. Ità & color excrementorum non transit ordinatè per medios colores; sed eum induit, quem natura industris, è suis coctionibus temperamento suo prætendit. Colorat sanè fellis substantiam viridi; at fuligines, ad caput euaporatas, eo colore afficit, qui è talibus resultare valet concoctionibus à se præparatis. E cute resultant pili per poros, qui aliquando recuruì, crispos emittunt; aliquando etiam è calore, & siccitate resultant tales; vt in Mauris. 205

Canities venit è putrefactione, & resolutione aëris, qui albicat, parti aqueæ, & terreæ admixtus, vt ait Bartolinus cum D. Bonau. *ad* 12. *Ecclesiaste*.

De Cute, actum est initio. Similiter & de Cranio.

Dvæ membranæ cranium cingunt, *Pericranium*, & *Periostium*. Pericranium est membrana tenuis, & mollis, cranium cingens, quæ e dura matre per cranij suturas pullulat, vt apertè apparet in puellis, in quibus cranium apertum. 206

Periostium est membrana tenuissima, neruea, ideoque admodum sensibilis, cuius beneficio omnia ossa, dentibus exceptis, cincta, sensum habent.

Mvscvli circa caput, iam traditi sunt, *quæstione* 6. *cap.* 6.

Dvæ membranæ sub cranio sunt: Crassa Me-

ninx, seu Dura mater, & Pia mater, seu Tenuis Meninx.

Dura mater cranium interius vbique succingit, omnesque eius etiam cauitates; eiusque basi adhæret validè; laxè autem Cerebrum cingit.

Huic malè adscribitur Systole, & Diastole Cerebri, quæ apertè apparent, etiam præcisis meninginibus,& abstracto cranio: Profectò hic motus Arteriis adscribendus; Nam cum Arteriarum motu, Cerebri motus coïncidit, vt in Infantibus visum est, & in fracturis capitis.

227 Connectitur cum tenui meninge, & Cerebro,per vasa; cum cranio per fibras, ex se ortas.

Geminata est, instar aliarum membranarum: Pars exterior, cranium respiciens, dura, & aspera, est minoris sensus: Pars interior lubrica, læuis, splendida, & candida: Quadtuplicatur, vbi Cerebrum à Cerebello distinguit: Duplicatur in capitis vertice, vbi Cerebrum diuidit in partem dextram, & sinistram; & quia retrò latior, & sensim attenuatur, falcem quodammodò exprimit.

Quatuor habet sinus, sanguinis, & spiritus receptacula, qui ideò pulsant.

Primi duo incipiunt ad basim occipitis, iuxta latera Lambodoïdis, vbi se exonerant Venæ, & Arteriæ.

Hi vniti, tertium gignunt nobilissimum, longum, qui per capitis longitudinem pertingit vsque ad nares: Ex his ingens sanguinis copia per nares defluit.

Quartus sinus breuis inter Cerebrum, & Cerebellum pergit introò ad glandulam pinealem: Oritur in concursu trium priorum sinuum,& hoc principium aliqui Torcular vocant.

Tres alios sinus; sed non semper inueniunt Anatomici.

Hi omnes sanguinem arteriosum recipiunt, vnde & pulsant.

Pia mater Cerebrum immediatè vestit; vnde tenuis, & mollis, exquisiti sensus est indicium.

228 Cerebrum, totum cranium implet, & suprà mollioris est substantiæ, & cineritij coloris; subtus verò medullosus, albus, solidior, totus anfractuosus profundè: Per totam substantiam disseminantur venulæ, & arteriolæ: Et quidem sunt rami quinque venarum singularium; harum aliqui ramuli etiam per meninges sparsi abeunt: Arteriæ quatuor, è carotidibus,& ceruicalibus.

Plus habet Cerebri homo, quàm bos, & aliæ magnæ bestiæ habeant, & ad libras quatuor, vel quinque ponderat: Plus viri, quàm fœminæ: Non tamen nimis amplum habeat caput; quia stolidum reddit. vt docet S.Doctor, *lib. 2. Comp. Theol. cap.* 58.

Munus eius est, producere medullam, & ex ea Neruos ad motum, vt docent omnes cum S. Doctore *lib. 2. Comp. Theol. cap.* 41. & *3. part. Centil. sect.* 22. & *in 3. dist.* 13. *quæst. vlt.*

Deinde perficere spiritus vitales,& temperare eos in animales ad sensationes: Sunt enim vitales ardentiores: Et hinc percipies, quid velit Aristoteles, dicens, Cerebrum ad Cordis refrigerium ordinari, quod Galeno,& Medicis displicet: Non vult dicere, afferre refrigerium Cordi (nimis quippè remoto,) sed Cordis partus temperare, qui sunt spiritus; nempè, vt ait D.Bonau. suprà, *& in 2. dist.* 14. *quæst.* 1. eos mutando in animales.

Præcipue est animæ sensitiuæ domicilium, vt docent omnes cum S. Doctore, *lib. 2. Compendij à capite* 35. & *parte* 3. *Centiloquij, sectione* 22. Est autem organum vniuersale, in quo de omnibus sensationibus iudicium fertur.

Caret sanè motu animali; habet verò naturalem ab Arteriis, dilatatione, & constrictione: In dilatatione spiritum vitalem attrahit ex Arteriis carotidibus; Itemque Aërem per nares. 229

In contractione spiritus animales in Neruos pellit, qui in totum Corpus, tanquam canales, hos spiritus deuehunt, vnaque facultatem sensus, & motus; vt ait D.Bonauentura suprà, aliique.

Eadem contractione, sanguis per venas è sinibus expellitur ad Cor.

Et si plerique Cerebri partes ab anteriori incipiant; tamen Bartolinus à parte posteriori inchoat Cerebri Anatomiam, quem sequar.

Occurrit primò in parte inferiori medullæ oblongata, cuius progressus, quia in vertebris spinæ est, dicitur spinalis, & dorsalis medulla: Videtur autem esse ipsius Cerebri origo, quod bipartitur: Est hæc ad motum ordinata; Cerebrum ad sensus: Vnde in Piscibus composita; propterea & ipsi agiles sunt ad motum; at Cerebrum exiguum, vnde & satis stolidi.

Enim verò certius est, eam è Cerebro enasci, quatuor radicibus: pars eius ad quatuor digitos est intra cranium; Alia est in Vertebris oblonga à prima Ceruicis vertebra, vsque ad os sacrum,& vltimam eius vertebram: Figura est oblonga, & rotunda: In principio crassior, & amplior: Scripturæ eam vocat funem argenteum: Diuiditur in partem dextram, & sinistram, vti Cerebrum à pia matre, quæ eam immediatè vestit: Hinc Paralysis vnius, vel alterius lateris esse potest: Diuiditur verò in plurimos quasi funiculos circa sextam, & septimam Thoracis vertebram, & caudæ equinæ non dissimilis videtur. 230

Membrana igitur triplici constat: Prima à pia matre oritur: Secunda à dura: Tertia à ligamento, anteriores partes vertebrarum colligante: Huic circumfunditur crassus humor: Posteà includitur in vertebris, ne lædatur, (sicut Cerebrum Caluaria includitur,) cùm sit pars nobilis, & Neruorum principium. 231

Ideò spinæ partem perforatam Sacram fistulam vocant: Initio, dum adhuc est in Caluaria, insculptus est sinus, seu cauitas, quæ cerebelli ventriculus dicitur, & calami scriptorij figuram habet: Hic elaborantur spiritus animales: Hinc enim in omnes neruos dispertiri valent. Prætereà hic sinus est paruus: Anterior verò pars excrementis scatens: Præparatur sanè in rete mirabili, & plexu choroide.

A portione, quæ est in Cerebro huius medullæ, oriuntur nerui capitis,& septem paria recensentur, vel decem: A portione verò longissima, quæ est in spina, nascuntur triginta paria, quot vertebratum foramina: At quilibet Neruus pluribus funiculis constat, qui in egressu iunguntur per membranas.

DE CEREBELLO.

Cerebellum est quasi pars decima Cerebri, vnum corpus faciens, in occipite locatum: Differt à Cerebro in gyris: Nam Cerebrum habet gyros inordinatos; at cerebellum circulares parallelos, qui velut lamellæ inuicem supertenduntur; his interiecta sunt vasa, quæ per tenuem Meningem feruntur, retium instar à ceruicalis Arteriæ ramis orta. 232

Componitur duobus veluti lateralibus glo-

bis. Duas habet excrescentias multipliciter orbiculatas vermiformes, ità aptatas, ne ventriculus relatus à cerebello obruatur; hi circuli, quodam hinc inde modo constringuntur, quem *Pontem* nominãt.

Vsvs eius est, vt sit receptaculum spirituum animalium è ventriculo cerebri venientium, quos medullæ spinæ adaptat; colorem habet ferè cinericeum, à Piâ & Durâ matre circumuoluitur, non tamen quaquàuersum. Est figuræ ferè sphæricæ, in planum aliquantulùm depressæ.

DE RELIQVIS IN CEREBRO.

233 Extat sub basi cerebri plexus retiformis, qui ob mirabilem structuram, dicitur Rete mirabile; apparet enim instar multorum retium, inuicem cumulatorum. Constat ex arteriis, carotidibus, & ceruicalibus, & venarum iugularium ramulis. Hic præparatur sanguis ad spiritus animales, & quod superest, reportatur per venas, circulatione ad cor.

Adest glandula pituitaria ad recipienda per infundibulum cerebri excrementa, quæ vel in palatum deiicit, vel sinit defluere per cranij foramina. Hinc habes & Infundibulum.

234 Occvrrit etiam fons neruorum. Sed de hoc *quæstione tertiâ* actum est.

Præcipve examinandi sunt ventriculi cerebri.

Tres autem præclarè apparent, duo anteriores; & tertius medius. Alij dicunt, hunc tertium esse duorum portionem.

Bartolinvs *l.3.c.6.* vnicum dicit, bipartitum initio; vel geminos processus, excrementa deferentes in medium, quem tertium vocant. Et horum ventriculorum vsum, ait, esse excrementorum receptaculum. Probat, quia inibi foramen ad glandulam pituitarum reperitur, & ventriculi repleti sunt pituita. Ita cerebrum ad sensationes nobiles non habet locum determinatum.

Vesalivs similiter conqueritur, Scholasticos ponere tres illas sedes sensuum interiorum, quas ait, se etiam in Asinis vidisse.

Poterat eos & in bobus, & aliis animalibus obseruare. Nam & bruta habent sensus internos, & proinde organa eorum; sicut & quinque externis ignobilioribus data videmus; nisi fortè bruta velut in omnibus homini æquare, negando animæ nostræ operationem, & rationalem essentiam.

Vallisviridis *l.5.c.4.* verbis nostratibus, sententiam Philosophorum, ac Theologorum persuadat, dicens: *Molte, & assai diuerse opinioni sono state trai Filosofi, è Teologi, de i ventricoli, della testa, è tutte tanto for di ragione, ch' in esse danno ben a l intendere, quanto piu habbiano voluto rompersi il capo in d spute, & suegliarsi in imaginationi, che pigliarsi vn hora, ò due di fatica in guardar le ceruella di qual si voglia animal bruto almeno; se quella d' huomo non poteuano, ò non voleuano.*

235 Tres autem ventriculos & ipse ponit, & concludit, horum vsum, & officium esse, generare spiritus vitæ necessarios.

Non equidem inficior, multos in hac veritate inuestiganda defecisse. At aliqui & sinuum numerum inuenêre; & quod caput est, non à ratione aberrantes; sed veritati adhærentes, & rationi, existimarunt, iure sensibus internis, qui profectò in cerebro assident; vt ostendam *Trac.9.d.6.q.2.* assignanda propria organa, quandoquidem, & externis data conspiciuntur: neque totum hoc nobile membrum coquinæ, & stercorariæ, tot lebetibus, infundibulis, ductibus, canalibus, glãdulis, ad Nutritiuam solam destinatum est. Mirandum potiùs, homines istos materiales lanienæ intentos, nihil, nisi pinguem minueruam è cerebro didicisse.

Igitvr, cùm, inter alios, Seraphicus Doctor ventriculos inuenerit tres, quos ipsi in suis carnificinis, adhuc sæuiores, manibus cruentatis inquirunt. Et sedes ibi nobiles sensuum præclariorum astruens comprobarit; vt ostendam *trac. 9.d.6.q.1.* non video, cur eius asserta à ratione aberrantia proclament; & cum errantibus inuoluant.

Dvos igitur ventriculos, *testibus allegatis*, habemus laterales, amplos, obliquos, anfractuosos, semicirculares, Lunç falcatæ non absimiles, aut equorum soleis, quam figuram primò detectam à Fratre Syluio, ait Bartolinus, ei coætaneus. Itaq; seueri cẽsores cõfitentur, suos Maiores in laniena dormitasse 236

Vere in Limbo, aiunt Syluius, & Bartolinus *l.3.c.6.* hos sinus consepultos, expectasse Moderni Seruatoris extractionem è tenebris. Hos sinus in aliam communem cauitatem vniri dicunt.

Porro in cerebello & ipsi alium sinum ponunt, quem spiritibus coquendis datum, ait Bartolinus, aliis negantibus, vt luce clariùs eniteat, eos tactu ipso cruento euisceratas adhuc substantias non percipere. Sanè innumeris contentionibus, se ipsos inuicem, more cæcutientium, feriunt. Hæc mirum; nam è cadaueribus discere, atque docere prætendunt innumera, quæ in penetralibus viuentium natura dædala operabatur. Prodeunt nouissimi Anatomici, cæteris insultantes; inter quos Riolanus super reliquos linguam acuit.

Oritvr è substantia interiori cerebri, inter vtrumque sinum, substantia quædam callosa, alba. Extenditur in medio, velut fornix, cameram conficiens, retrò bifurcata. 237

Retro sunt protuberantiæ cerebri, veluti nates. Anteriùs duæ aliæ, quæ Testes dicuntur, & in medio glandula, veluti pini, quæ *penes cerebri* dicitur, substantiæ subobscuræ, netueo funiculo firmata vtrinq; in qua arenulas, & calculos inuenies.

Hanc multi Idearum Mutæum acclamant, quo omnes sensus, species emittant, vt ad centrum.

At nerui sensuum huc non perueniunt; neque ad eos hinc est aliquis ductus.

Addit Bartolinus, quemlibet sensum deferre species per neruos ad principium spinalis medullæ suo loco, vnde in principio medullari, omnia obiecta iudicari, docet.

Hoc non placet, nam neque omnes nerui è medullæ spinalis principio exeunt; Sed multi ex anteriori parte cerebri, vt notat D.B. *3.p.Centil.sec.21.* præcipuè Optici. Atque id, de his, censent communiter Anatomici, vt fatetur Bartolinus *libello 3. de neruis, c.2.* vbi id concedit.

Accedit, non vnum esse organi temperamentum, vni aptum ad specierum apprehensionem, & ad retentionem, vt ostendam *Tract.9. loco citato.* 238

Inter ventriculos reperitur plexus Choroidis, seù recticularis, è venis, & arteriis tenuissimis contextus. Huic intertexitur glandulosa substantia, & piæ matris portio.

Si ventriculi vapores oppleantur, sequitur epilepsia, seu Caducus morbus, reddens insensatos; vt ait S. Bonau. *serm.2. de SS. Philippo, & Iacobo.*

DE FRONTE.

Frontem omnibus patentem, & notam expono. Eius cutis musculos habet, & ab aliquibus tota

tota musculosa dicitur; Ideò mouetur: Eam affectuum significatiuam vocat Platerus, apud Bartolinum *l. 3. c.7.* cum S. D. *l.2. Compendij Theologicæ veritatis, cap. 58.*

Dvo Frontis musculi supercilia eleuant, tam vt oculi magis aperiantur, quam vt animi admirationem signent sese attollendo.

Orivntvr à Caluaria, propè coronalem, & ad latera musculis temporum nectuntur.

Fibras habent rectas; ideò non transuersim incidendi, ne pereat superciliorum eleuatio; vt docent Vesalius, Laurentius, Bauhinus, Platerus, Veslingius, quibus subscribit Bartolinus *l.3. c.7.*

Ratio, quæ me mouet est, nam cutis frontis recta eleuatur, & deprimitur, sanè ope fibrarum rectarum.

DE OCVLIS,

Qvem locum in cœlis astra, hunc in homine obtinent oculi, vnde dicuntur a D. Ambrosio *in carne sidera quædam*; vnde sicut ex astrorum aspectu licet coniicere, quæ sit cœli futura serenitas, quæue tempestas; ita animi siue virtus, siue vitium ex oculis non obscurè suspicitur. Hinc A Damascio in vita D. Isidori vocantur *accurata mentis simulachra* vt asseram disp. sequenti. In altissimo sunt situ, tanquã speculatores in arce, vt ait Tullius *de natura Deorum*, quo facilius totius corporis securitati prospiciant; & si sibi aliquid imminere vident, mox agili flexu declinant, ac in sinuosam vallem sese recipiunt, vbi quaquauersum ossibus obuallantur, tã vt species ibi facilius conseruentur, nec vllo naturæ dispendio diuagentur, tum etiam vt delicata ipsorum tenuitas extrinsecùs iniuriis minus sit obuia.

Hinc dicuntur oculi, quasi occulti, cum in osseis Antris Periostio succinctis sub palpebrã velut è specula excubent.

Figuram habent oblongam, & rotundam, intus piramidalem, cuius cuspis desinit in neruo optico. Naturæ sint mollis, vt melius sunt mobiles; pellucidæ, vt melius videant; in homine varios habent colores, in alia qualibet specie vnũ semper habent.

140 Dvo sunt; vnum tamen obiectum vident, eò quòd duarum pyramidum axes in eodem nerui optici puncto terminent apud aliquos, & hoc cõsonũ est, dicẽdis *Trac.9.d.5.c.2.q.7.* vbi de organo visus.

Svnt autem duo, vt altero læso, alter maneat, vt ait Bartol. & innuit S. D. *in Psal.105.* simul semper mouentur, & quiescunt, vt obiectum eodem modo vterque videat, sibi etiam mutuò compatiuntur.

Partes aliæ sunt extra, quas referam.

Primo sũt palpebræ, deinde extremitates, nempe Cilia, Supercilia, & Caruncula apposita cuique cantho maiori, qui est sinus cauitatis ad nasum.

Palpebræ sunt in oculorum munimina, & sepimenta, vt à vento, imbre, puluere, aliisque externis offendiculis in tuto sint oculi; dicuntur palpebræ à palpitando, quia agili palpitatione mouentur, naturæ sunt musculosæ & cartilaginosæ, tum ad faciliorem motum, tum ad fortiorem resistentiam; nã si carneæ essent, aut omnino osseæ, facile læderentur, & difficile mouerentur, insuper internis oculi tunicis officerent, quæ tenues sunt & molles, nullam duritiem patientes; figuram habent semicirculam; in homine tantùm & in Struthiocamelis duplex est, inferior vna, quæ semper immobilis est, superior altera, quæ sola mouetur; quadrupedia tantum habent superiorem; volatilia omnia præter dictam autem habent solum inferiorem: vno musculo aperiuntur, qui eandem habet originem, cum illo quo oculus sursum respicit. Duobus vero clauduntur, ex magno angulo vtriusque oculi oriundis.

Cilia, à Celso pili palpebrarum dicta, impediunt etiam ne aliquid repentinè in oculum irruat; quare eodem cum palpebris motu cientur sursum & deorsum: nonnulli perhibent ab his visuales radios dirigi; sed absque fundamento. Ad vtramque partem ciliorum sita sunt oculi angula, græce dictà *Chantoi*, ob pruritum, qui inibi percipi solet; illud quod propè nasi radicem comperitur maius est eo quod inde lacrymæ deffluere solent.

Svpercilia, sic dicta, eo quod sunt posita veluti arcus pilosus super cilia, intercipiunt etiam crassiorem puluerem, vel sudorem, ne in oculos è fronte defluat: substantiam habent pinguiorem variis fibrulis intertextam, quæ è frontis musculo oriuntur. Ambo æqualis sunt longitudinis, & densitatis, in peripheriam descripta, pilos habent, qui nec semper crescant, nec omnino crescere desinant; quià caro ibi nec sicca nimis, nec nimis humida est.

Mvscvli sex sunt motores oculorum. Vnus attollens suprà. Secundus deprimens infrà, qui oculum ad genas deprimit. Tertius in maiori angulo cauitatis, mouens oculum introrsum, nasum versus, & *Bibitorius* dicitur, Quartus adducens ad angulum minorem, versus Tempora.

Ab his quatuor simul agentibus oculus intrò trahitur, & motus sistitur, qui motus à Medicis *Tonicus* dicitur. Quintus per externum oculi angulũ ad superiorem partem ascendit, & corneæ tunicæ inseritur, & obliquè deorsum in gyrum mouet ad angulum externum. Sextus oculum circumagit ad angulum internum, diciturque Trochleæ musculus, quia, quasi per trochleam rotatur. Hi duo dicuntur amatorij, & circumactores. 141

Addit Bartolinus septimum in brutis, qui in tres, vel quatuor diuidatur. Sed hoc non laudo. Neque Vesalius, neque Vallisuiridis, aut alij hunc ponunt, sed omnes quinque, aut sex ad summum, etiam in brutis.

Vena è iugularibus ad oculos mittitur; arteriæ à carotidibus per musculos, adipem, & membranam, sunt disseminatæ.

Nervi optici sunt ad singulos singuli, qui retrò inseruntur. Igitur in centro est humor glacialis chrystallinus, lentis habens figuram. Hic in alio vitreo inseritur retrò, ante verò rotundo, veluti si Spherula diuisa sit, plano; vbi chrystallinus tegitur pellicula, veluti araneæ tela. Descendit neruus opticus ab anteriori parte cerebri, & cùm ad vitreum humorem peruenerit, expandit vndique circũ retinam tunicam, mucosam; & videtur medullaris substantiæ mucus. Hanc eandem, ait Bartolinus, anteriùs procedentem, fieri araneam attenuatam. 142

Descendit è pia matre tunica, ob id dicta *Choroides*, quæ ad oculũ perueniens vestit, ambiens prædicta vndique, relicto in prospectu foramine, quasi sit vuæ cortex, detracto ramulo; & ideò dicitur Vuea. Superuenit alia tunica è dura matre, ob id vocata *Sclirotes*, quæ omnia præfata vndique ambit, & solida est, quasi lamina cornea laternæ duplicata. Inter has est humor albugineus, velut oui. Hic, si solidetur in cataractam, visum aufert, nec redditur, donec acu in corneam immisso, tela illa, seù cataracta demittatur, quæ ante pupillam, seù vueæ foramen opponitur.

Adest & circulus, *Iris* dictus, triplex; duplex ad oculi album angustior; Tertius ad pupillam versus, 143

versus, & latior, qui variis coloribus illustratur, & vbi Iridem constituit; nunc cerulea est; nunc cæsia; nunc nigra. Et hi colores temperiem cerebri ostendunt; vt notat D. Bonau. *loco, in fine citando.*

Svper corneam est alia è tendinibus musculorum, vsque ad nigrum oculi: cum hoc est alia, dicta *Adhærens*, alba, & subtilissima.

E circumferentia vueæ oritur ligamentum simile palpebrarum ciliis, dictum ideò *Ciliare*; sunt enim tenuia quædam filamenta, & chrystallinum humorem cingunt, qui horum beneficio nectitur vicinis partibus, & cum vuea mobili mouetur, & mouet christallinum, vt pro varietate motus varietur visio; vt ait Chartesius.

Nota Retinam habere venulas, & arteriolas ad nutritionem. Aiunt aliqui, in hac species recipi, tanquam organo visus, & hâc auulsâ simul Choroide, & Sclirotica, res apparere inuersas. Sed Scheiner ait, chrystallino in humore species refrangi inuersas, vt omnia recta exhibeant.

Expertvs est Plempius, apposito instrumento vitreo, tribus humoribus pleno, & applicito ad fenestram, omnia in pariete inuersa videri.

De his agam rursus *Trac.9.d.5.c.2.q.1.& 2.* vbi ostendam, in qua parte, ex his, sit organum visus.

De Avribvs.

144 Proximvs post visū sensus est Auditus, cuius organa sunt Aures, semper patentes; tortuoso Itinere sonum excipiunt, quem vt nihil intra aures intercipiat, natura prouidè viscosas sordes emittit, quibus inhæreſcat quicquid introrsum irrumpit Aurium in discernendis cantibus iudicium admirabile est, ita vt sonorum flexum, varietatem, interuallum, cæterasque omnes circumstantias propemodum dignoscat. De his, vt sunt Auditus organum, agam *tract.9. disp.5. cap.3. quæst. vlt.*

Dicvntvr vero Aures ab hauriendo, quasi hauriant sonum, superius in vtroq; latere, & eadem cum oculis linea situm habent; quia sonus sursum ascendit; & quia vterque sensus disciplinalis est, oculi enim inuentioni, aures verò inseruiunt communicationi, qui sunt duo modi, quibus disciplinæ acquiruntur.

Avres exterius auriculæ dictæ, notiores sunt. Superior pars dicitur pinna, & ala; inferior, fibra, & lobus. Ambitus exterior dicitur *helix*; interior, *scapha*, vel anthelia; cauitas eius magna, *concha*; parua autem, iuxta meatum auditorium, alueatorium dicitur. Prominentia aduata, versus tempora, *hircus* vocatur.

Partes eius sunt cutis, cuticula, membrana neruea, caro, pinguedo in lobo; venæ à iugularibus; arteriæ à carotidibus; neruuli quatuor à secundo pari ceruicali; musculi quatuor clari in his, quibus mouentur aures. Glandulæ aliquæ circa aures, quæ vocantur parotides, & aliæ sub maxilla inferiore, vbi Scrophulæ nascuntur.

145 Vsvs auris externæ est, inducere sonos ad faciliorem auditum. Ideò surdastri manum concauam applicant; vt faciebat Adrianus Imperator, vel cochleam, vt Scythæ, à brumis obsurdescentes vt meliùs audiant.

Interior auris portio, præter ossis partes, habet tympanum, duos musculos, vasa, & aërem congenitum.

In meatu auditorio est humor biliosus viscidosus, *cerumen* dictus, de quo suprà.

Intvs mēbrana orbicularis, circulo osseo cincta, *Myrinx* dicta, tympanum à perinanio sicca, vt personet; subtilis, vt aër transeat; quæ si crassa sit, surditatem causat. Est tamen neruosa, & robusta. Datur ad meatum auditorium custodiendum.

Intra hanc est cauitas ossea, continens aërem congenitum ab ortu, qui est medium auditus; vt ostendam, *loco initio adducto.*

E musculis, alter est in osse petroso intus dupli- 146
ci tendine, alter horum situs est in fixo ossi malleolo, de quo egi *q.1.c.3.* in parte elatiori, alter eius ceruici affigitur, trahit hic malleoli caput, & ab alio osse incude abducit, recuruatoque mallei processu, membranam ad interiora pellit.

Alter externus, in superiori meatus auditorij parte, in membranulæ centrum inseritur, eà parte, qua malleus intus membranæ iungitur: Hic membranam cum malleo extrorsum trahit.

Avribvs spiritum ducimus ex ore, hinc surdastri aperto ore melius audiunt, & nos clausis auribus, nostras voces audimus, ductu ab ore ad aurem.

Tandem occurrit neruus auditorius, è quinto pari ortus: Hic per foramen ossis petrosi ingrediens duplici ramulo chocleam, labyrinthumque tangit, vt auditus vtrobique perficiatur, cui ramulus additur ad musculos mouendos à quarto pari bifidus.

De Naso.

Hic è prospectu notus diuiditur in partem 147
externam, & internam. Externa in superiorem, & inferiorem. Superior ossea est; inferior cartilaginea, cuius ima extremitas globulus; laterales pinnæ; pars prominens, labio vicina, dicitur columna. Intus diuiditur per septum in duas nares.

Singvlæ nares rursus diuidūtur circa nasi mediū in duas partes; altera ascēdit ad os spongiosum; altera supra palatū abit in fauces, & oris interiora.

Hinc potus aliquando per nares effluit; & naribus iniecta, naso clauso, per os elabuntur. Hinc etiam cerebri excrementa, per nasum descendentes, in os delabi possunt, aut screatu eò attrahi, & per os expurgari.

Constat è cuticula, cute, musculis octo, car- 148
tilaginibus quinque. Venæ ei veniunt è iugularibus; arteriæ è carotidibus; nerui duo à tertio pari, vtrinque vnus, tria habent officula, quæ ad medium nasum perueniunt, cætera pars cartilaginosa est.

Intra cauitates narium carnes spongiosæ subrubræ, quibus ossa nasi spongiosa sunt repleta, è quibus tumefactus, polypus narium causatur.

Tvnica, nares succingens, è dura matre est communis ori, palato, laryngi, linguæ, gulæ, & ventriculo; sed in naribus tenuior, & exquisiti sensus; nam excitata, sternutationem facit.

Vsvs nasi externi est, vt per eum aer intret ad 149
centrum pro spiritibus animalibus; & ad pulmones ob refrigerium, & spirituum vitalium generationē.

Vt odores deferantur vsq; ad mamillares processus, qui sunt caruncula, quasi papillæ duæ, suprà os cribrosum latitantes: Ad vocem quoq; confert.

Vt cerebri excrementa defluant, sed ad hoc in multis non seruit.

Tandem ad ornatum. In *Chron. Angliæ* habetur, Virgines pulchras, tempore belli cum Danis, nasum abscidisse; vt ea monstrositate à barbaris intactæ manerent: Ægyptij solebant hominem pulchrum, & prudentem, in solo naso depingere, vnde dicebatur Nasutus, idest prudens, & circūspectus, &

& stolidiores vocabantur homines naris obesæ: ex nulla parte magis facies deformatur, quàm ex Nasi amputatione; quare hæc Adulteris pœna fuit, apud Ægyptios, quam Iudæis minatur Deus, in Ezechiele.

De Ore, Buccis, *&* Labiis.

250 Remanet vltimum organum Gustus, videlicet Lingua; sed ante, videndæ sunt partes externæ circa os, & internæ in ore, quæ Linguæ deseruiunt.

Partes externæ circa os variæ sunt: Superior pars sub oculis, inter Nasum & Aures, dicitur pudoris sedes, pomum, & circulus faciei: Inferior pars, quæ inflari potest, vt apparet in Tibicinibus, *Bucca* dicitur: Pars labij superioris, *Mistax*: Cauitas ei impressa, & diuidens, *Philtrum*, quasi amabile nominatur.

Svnt & alia duo, inter quæ est Os: Pars sub inferiori labio *Mentum* dicitur, carnosa sub mento, *Buccula* vocatur.

Os constat è partibus osseis, nempè maxillis, & dentibus, atque labiis, musculis labiorum, buccarum, & maxillæ inferioris.

Oris tota interna capacitas succingitur crassâ tunicâ, quæ & Gingiuas, & Labia ambit, & reduplicatur, dum vulam constituit.

Oris vsus est, cibum chylificationi præparare, Aërem inspirare, & expirare, vocem emittere, Excrementa è Pulmone, Ventriculo, & Capite excernere: Os paruum dedit homini Deus, ne vorax sit; vt ait Sanctus Doctor, *Sermone secundo de omnibus Sanctis.*

251 Mvscvlorvm duo paria sunt buccis, & labiis communia, duo ab vtraque parte.

Primvs est ille quadratus, tenuis sub colli cute iacens: Oritur circa clauiculas, & posteriorem colli partem, fibris obliquis: Ideò caueat Chirurgus, ne transuersim eas incidat; atque ità buccas auulsas ad alteram partem reddat: Hic primus in spasmo Cynico intenditur.

Secvndvs sub hoc, buccas constituit, ac dicitur *Buccinator*: Rotundus est, ac tenuis: Inseruit dentibus, quasi manus ad masticationem porrigens cibum dentibus.

Labia è carne fungosa teguntur tunica, ori, & ventriculo communi, vnde in vomentibus, inferius labium tremit.

Vsvs est, Os claudere, & partes interiores ab iniuriis defendere ad edendum, loquendum, ad expuenda excrementa, & ad ornatum.

252 Mvscvli proprij multi sunt, qui in numero variare possunt.

Immittvntvr nerui, venæ, & arteriæ; vnde purpureus ille color.

Mvscvli maxillæ inferioris, quæ sola mouetur, sunt octo, vel decem, dicti *Molares*, & fortiores, qui os attollunt; vnde arduum est quibusdam os constrictum aperire; at è contrà faciliùs renuenti clauditur.

Primvs musculus *temporalis* dictus, cæteris est validior; sed magis in testiis, quæ morsibus viuntur.

Secvndvs Masseter, *mansorius* dicitur.

Tertivm paralare externum, & videtur pars temporalis musculi, vt ait Vesalius.

Qvartvs, mansorius alter, dictus internus, alatis, & breuis.

Qvintvs graphyoides, est os aperiens.

Alii, pro alio pari, ponunt partem musculi quadrati.

De Gingiuis, Palato, Vula, Faucibus, & *Osse* Gvttvris.

Adsvnt præter hæc tonsillæ, Larynx, & Oesophagi initium; sed de his suprà. 253

Gingiva est caro dura, dentes fortiter cingens, quâ valde læsâ, dentes vacillant, vel etiam exeunt.

Palatvm est, veluti cœlum oris, estque Cerebri basis, osse sphœnoide formata: Inuestitur tunicâ crassâ à dura matre, quæ buccas, & totum os intrinsecus cingit; estque gulæ, & ventriculo communis: Neruulis ad sensum ditatur: Est autem organum Gustus, vt ait S. Bonauentura, *3. part. Centil. sect. 21.*

Vvla à palato in os dependet penitius, iuxtà narium meatus super laryngis rimam, inter amygdalas: Aliis Gargareon dicitur, à sono videlicet gargarisatu; item gurgulio columna dicta: Est autem processus è substantia glandulosa spongiosa: Est rotunda, oblonga, superiùs crassior, & in acutum obtusè desinit: Binis musculis exiguis suspenditur, siue vt antrorsum, & retrorsum moueat vulam in deglutione; siue vt relaxatam ab humoribus, iterum retrahant: Duo ligamenta vtrimque connectunt.

Vsvs est, moderari aërem, ne subitò ità frigidus in Pulmones irruat: Vnde, hac destituti Phthisici moriuntur; quia Aër frigidus subitò ad Pulmones irrumpens; vnde sanguis concrescit, cogiturque Pulmo lentiùs moueri ob sanguinis spissitudinem; vnde fortius enitens rumpitur. 254

Alii credunt facere ad vocis modulationem, vnde vocant vocis plectrum.

Secvndvs vsus est, ne ex ore potus in nares regurgitet.

Favces, sunt propriè inferiores Oris partes, quæ, ore aperto, & linguâ depressâ, apparent.

In faucibus est os gutturis, & linguæ: Et est basis eius, super qua mouetur: Laryngem verò præcedit.

Constat è tribus officulis, aliquando, & quinque, vel septem, aut nouem: Medium est maximum; foris gibbum; intus cauum (sub quo hærent Epiglottis) habet processus duos cornutos: Cartilagines habet quatuor: Mouetur, sed non nisi mota lingua; ideò habet quatuor paria musculorum, linguæ communia.

De Lingva.

Lingva quæ voluntatis est Interpres, & Nuncia, sermonisque organum, ab ipso ortu velut carcere circumcluditur, labiis, & dentibus firmatur; Naturam diceres præuidisse indomitam eius volubilitatem, quâ omnia solet effutire; vnde ipsam ab initio reclusit.

Lingva à lingendo dicta, vnica, est in marinis Vitulis duplex; in Serpentibus trifida, in lacertis bifida.

Hæc si nimia sit, vt expeditè moueri nequeat, blæsos reddit; si nimiâ humiditate diffluens, inarticulatè loquitur, vt in infantibus.

In Piscibus tota hæret: In homine posteriùs nectitur

nectitur laryngi, & hyoidi; item faucibus, & tonsillis; inferiùs membranoso valido vnitur ligamento ad stabilitatem, & musculorum insertionem, cuius extremitas frænulum dicitur: Hoc in nonnullis adeò linguam alligat, vt diuelli soleat obstetricis vngue, quod Bartolinus, *lib. 3. cap.* 13. damnat; quia perniciosum est, nec fini prætento aptum, cùm e mille, quibus remansit, vix vnus balbutiat.

TVNICA obducitur porosâ, vt sapores penetrent; in his verò, qui calidissima deglutiunt, callosa euadit.

SVBSTANTIA, quæ est caro spongiosa, &
256 organum Gustus, vt ait S. Bonauent. *3. part. Centil. sect.* 21. mollis est ad imbibendum sapores, humore aliquo vectos: In Piscibus, & quibusdam aliis, est ossea: Ad glandosam substantiam magis accedit, quàm ad musculosam.

VENAS habet duas insignes, quæ sub ea apparent, quæ *Ranina* dicuntur, & à iugularibus veniunt: Secari solent in faucium affectibus: Comitantur duæ arteriæ à Carotidibus.

NERVI inseruntur: Vnum par crassius interiùs à septima coniugatione; Par tenuius exteriùs à quarta oritur.

DISTINGVITVR lingua in superficie media per lineam albam.

MVSCVLI proprij, in substantiam linguæ desinentes, sunt nouem; in aliis sex, ad motum linguæ efficiendum.

ADEST & ad radicem caro, è glandulis, & pinguedine mixta; vt his glandulis Lingua madeat.

VSVS linguæ est, esse instrumentum gustus, 257
loquelæ, & masticationem adiuuare: Est enim quasi manus porrigens dentibus cibum terendum.

LAPIDES sub lingua nascuntur, loquelam impedientes; sed duriora crimina parturit: Et quidem S. Bonauentura viginti-duo recenset *in Dieta, tit. 3. cap.* 7. Hæc expurgare docet S. Doctor, *de modo confitendi, cap.* 15. quem consule.



DISPVTATIO



DISPVTATIO V.

DE PHYSIONOMIA HOMINIS.



OTVM Corpus superno lumine perfusum iri creditur, postquam Animæ gloriosæ in fœlicioris sortis consortium fuerit vnitum; Nec sanè hoc arduum est creditu, cùm ex misera iam Anima, miserum quoque Corpus experimur; is quippè est vtriusque partis socialis ordo, vt vna in alteram sui status indicia refundat: Nam vt vnum pro cæteris exemplum præmittam; quis varios Animi affectus liquidiùs describat, quam id præstet oculus, qui idcircò Naturæ speculum, animæque Interpres non abs re nominatur? In ipso enim blanditur Amor, sæuit Odium, Lætitia ridet, Tristitia languet, modò toruo supercilio iracundam Animam minatur, modò elato audaciam, demissoque humilem mentem designat: Quid cætera? ipse Saluator oculum, totius Corporis Lucernam acclamat: *Lucerna Corporis tui, oculus tuus*, è cuius proba, vel praua qualitate spondet totum hominem benè, vel malè suspiciendum: Fateor hæc de oculo mentis, intentione nimirum, quæ toti actionum seriei præsidet, intelligi; sumpta tamen Analogia ab oculo Corporis: De Physionomia quædam dixi, *disputatione* 3. *quæst.*4. Reliqua hîc prosequar, postquam Proœmiali Quæstione faciliorem viam mihi strauero.

QVÆSTIO PRIMA PROOEMIALIS.

De Hominis temperamento: Vnde ipsius Physionomia eluceat.

D. Bonau. in Comp. Theol. veritat. p. 2. cap. 58. & 59.

1 QVIA Seraphicus Doctor, nihil attentatum infectum relinquit, post breuem hominis editam structuram, quem *Antropon* vocat, arborem inuersam acclamans; pergit edocere imbutas è vegetantibus cum Plantis, & è sensitiua cum Brutis qualitates, atque temperies, ad operationes proportionatas inclinare, non cogere, quia appetitui sensitiuo dominatur voluntas, quæ Diuino assistente, neque vnquam negato auxilio, potest ea, quæ recta sunt, eligere: Quamuis autem vegetatiuæ in multis non dominetur; potest tamen in his, quæ ad mores conducunt, corpus, eiusque temperamentum dirigere: Itaque, licèt à prædominio Melancholico grauetur humore, qui tristes facit, & graues, atque acediâ pressos; valet seruire Domino in lætitia, hilaremque se datorem Domino exhibere: Quamuis sanguineus voluptatibus, & delitiis expeditè occurrat; vale ab eis continere: Habet Arterias intus intentas, tertia tunica Aranearum telis non absimilem; vt docet Galenus, apud Bartolinum, *libello de Arteriis*, *cap.* 1. vt sentiat sanguine, spiritibusque illicò transire omnia; vt Arenearum opera.

2 ALIAM præ oculis Araneam habet, vt hæc videat, eaque meditatus, deliciis non pelliceatur, quas adeò fragiles intuetur etiam in Potentibus fœlicissimis: Ità Cholerici ad iram prompti, mansuetudinem adepti, frœna stringunt: Et Phlegmatici pigri, & somnolenti audientes: *Hora est iam de somno surgere*, ad æternæ fœlicitatis, ac patriæ iter capescendum assurgant: Vide D. Bonauenturam *loc. cit. cap.*48.

IGITVR tradita hominis temperie, *disput.* 3. & Anatomia; *disp.*4. agam de operationibus, quæ naturaliter è diuersis temperamentis, & partium integralium compositione consequuntur; quæ tamen regimini voluntatis sunt ciuiliter, non dispoticè subiecta.

3 HINC Seraphicus Doctor altè protestatur, *cap.*59. Indicia quidem è temperie, & Physionomiâ ad mores iudicandos haberi, non tamen certa; quia vinci possunt à Viro, seu etiam Fœmina ratione vtentibus: Hinc refert quandam sic ex Aristotele historiam: Discipuli Hippocratis detulerunt Philemoni excellenti Physionomo, pictam imaginem Magistri sui Hippocratis, quem pronunciauit Philemon, hominem esse libidinosum: Verùm

Verum illi indignabundi abière, Iudicium hoc de tanto viro detestantes; idque Hippocrati detulêre, qui pacatus respondit, Philemonem rectè iudicasse; at se amore sapientiæ, & honestatis mentem, corpusque à voluptatum illecebris reuocasse, & accepisse studio, quod fuerat naturæ denegatum.

Simile exemplum addit in margine è Cicerone, *lib. de fato,* de Discipulis Socratis, qui eius imaginem Zopyro Physionomo deferentes, simile responsum, propter similem coniecturam, obtinuêre: Quare hæc, quæ dicentur, nudas Naturæ propensiones, absque præiudicio libertatis, & gratiæ, indicabunt.

4 Necesse est tamen explicare, quo fundamento ex elementari temperie, Anima dicatur ad virtutes, vitiaue propendere: Hæc eruditè contexit Sanctus Doctor, *lib. 2. Compend. Theolog. cap. 57.*

Nota primò, Corpus humanum è quatuor Elementis, ad iustitiam libratis, esse compositum, vt ostendi, *disp. 1.* Hinc primæ qualitates actiuæ, & passiuæ agentes, & reagentes, atque repatientes, Vegetatiuæ inseruiunt, vt Ancillæ, ad Corpus vegetandum; vnde producuntur humores, qui sunt Sanguis, Flaua bilis, & Atra, ac Phlegma: Quamuis autem detur homini temperies ad iustitiam librata; ità, vt Animæ non detur Bruti cuiusque temperies; sed humana, qualis ad humanam requiritur naturam, & huius opera; hæc tamen non est scrupulis ponderata; sed latitudinem habet, adeò vt in vno dominetur calor; in alio frigus; imò in eodem, pro diuersis ætatibus, mutentur qualitatum prædominia: Sic pueritia est calida, & magis humida, vnde nec consistentiam ad motum; nec firmitatem ad sensationum species; ac proinde nec ad rationis vsum habeat, & sic procedendo: Hinc pro diuersarum prædominantium qualitatum varietate, varia sunt corpora, variæque operationes: Hinc pro vegetatiuæ maiori perfectione datur etiam sensitiua, quæ ad sua opera eget spiritibus, &c. Hinc sanguis calidior robustum facit Taurum; non perspicacem; sed frigidior, & delicatior hominem, magis sensatum: Imò, in quibus non est sanguis; sed humor spirituosior, est magna industria, *verb. grat.* in Apibus, vt ait Aristoteles *2. de part.*

5 Nota secundò, prædominium qualitatum primarum in soboles secundas qualitates transparere: Ità dominante calore, erunt crines nigri, crispi, veluti crispantur Corium, lanaque ab igne: cutis nigrescens, vasa vegetatiuæ seruientia dilatata, pectus calens, arteriæ generosè pulsantes, respiratio frequentior, ad nouum refrigerium Cordi insinuandum, vox valida, cibus copiosior, color carnis rubens, venæ tumentes, &c. Dominante frigore expilatum vides pinguem, vasa vegetatiuæ angusta, colorem liuidum, Capillos extensos, sicuti cùm fugiente ex timore ad Cor sanguine, pili erecti remanent; motum lentum, pulsum tenuem, respirationem exilem: Dominante humido, carnosum, mollem, Oculos cæsios ad lacrymas, ossa abscondita, labori ineptum, somnolentum interdiu: Prædominante sicco, Corpus Durum delicatum; sed tactui subasperum, iuncturas prominentes, pilos crassiores, macrem, villosum, laboriosum, & robustum videbis.

Coniunge duas qualitates, in vno præ aliis duabus dominantes, & facilè ex dictis videbis, qualis sit homo ille: Variatur verò etiam ex varietate Climatum: Nam, qui magis ad Zonam torridam accedunt, nigrescunt, & durescunt; è contrà verò, qui ad frigidam propendent: Ex quibus facilè percipies temperamentum, vel intemperiem Cerebri, & Cordis.

Nota tertiò, humorum prædominium obseruandum, præcipuè sanguinis, ex quo alitur Corpus: Talis autem fit sanguis, qualis cibus apponitur coquendus, & qualis Virtus, Calor, & Organizatio coquentis: In terrestrioribus, quæ & terrestribus vescuntur, sanguis crassus, & incrassatur; imò durescit, vt in Tauro; vnde lethifer euadit; in aliis neque coagulatur, vt in Lepore, Ceruo, Apro, & Capra: Crassissimus est in Asino; at in homine subtilis percurrit. 6

Rarò in his accenditur ira circa Cor; alioqui è benigna sanguinis temperie ad benignitatem, liberalitatem, Amores, Artes, Cantus, & Societates inclinant: Sunt candidi, & rubicundi, aut saltem coloris clari, & animo forti.

E Regione Melancholiâ regnante, nigri, macres, pilosi, mœsti sunt, & morosi, oculi protuberant, labra exporriguntur; quia spiritus crassi permeant, lingua impeditior; hinc cogitabundi sunt ad moliendum, sibi omnia volendum, cupidi, inurbani, sæpè exeruntur, duri terrea siccitate ad retinendum quidquid habent, quidquid recipiunt, quidquid volunt immobiliter: Verba pauca, molesta, mordentia: Sunt timidi ob atros spiritus terrestres: Vnde & phantasiam spectris, chimæris implent, vt ait S. Doctor, *lib. 2. Compend. Theolog. cap. 39.* Est autem atra duplex, altera naturalis, quæ est densior sanguinis portio: altera ex adustione, siue atrabilaris, siue ex prima parte sanguinis, siue flauæ, siue pituitæ.

Ex his proueniunt insaniæ, furores, & stupiditates: Naturalis, si sit temperata, reddit hominem intentum, attentum his, quæ agit, & prudentem: Aristoteles *in Probl.* dicit, omnes Heroes insignes, siue in litteris, siue in regimine, melancholicos fuisse: Ideò eam infirmitatem, quæ ex atra oritur, ex qua obiêre Empedocles, Socrates, Plato, Lizander, *Heroum morbum* vocabat Fauorinus Philosophus: Plato *de Scientiis* ait, omnes ingenio eximio, ramulum insaniæ insitum habere: Et *in Phædro*, solis insanis Parnassi portas aperiri: Hippocrates Damageto scribit, se abiisse, vt Democritum curaret, quem in campo inuenit sub Platano, multa Animalia laniantem ad Anatomiam: Hunc interrogauit, quid ageret? Respondit: *Perscrutor, qui humor sit ille, qui hominem adeò astutum, dolosum, & præcipitem reddit; & inueni atram bilem*: Hæc moderatè à sanguine calens industrium, studiis intentum facit; sed feruens, astutum machinatorem; frigescens, & stupidum: Hinc duo genera insaniæ in extremis habes: Hanc maximè participat Serpens, qui est calidissimus. 7

Flava bilis, macres, siccos, reddit impetuosos, ardentes, ad flauedinem coloratos, & ob humoris subtilitatem dociles, superlatos, perspicui ingenij, & instabiles, vt ignis ipse; audaces facit, & iracundos, nisi voluntas Diuino auxilio moderetur. 8

Humor Phlegmaticus carnem facit albam, mollem, tardam ad motum, pigram ad opera, sudem, & rheumata frequenter expellentem: Hi debiles, quia robur est à calore; ignaui, quia frigidi, & humidi: Otiosi, quia graues: Somniculosi, ob Cerebri frigiditatem: Rudes; quia spiritibus per-

spicuis

spicuis carent, albi in pelle; quia exangues.

9 NOTANDVM tertiò, Animam substantialiter vnitam corpori; vnum cum eo essentiale constituere; vnde cum corpore infirmatur, vt ait Plato; sic ea languente ex mœstitia, curatur corpus, dum Cordi epithemata applicantur, quæ animam exhilarent: Ita si ea langueat amore, Corpus consumitur, & squallore operitur: Hoc etiam in animalibus amantibus videmus: Multi homines, ex animæ lætitia, vel mœrore, mortui sunt: Videtur insanire Hecuba, regno, filiis, & Rege marito, gladio ereptis, videns allatum Polydori cadauer, ingentem, vt canis latratum emisit: Igitur Anima cùm sit forma, etiam secundùm rationalem potentiam, sentit corporis passiones: Et cùm pars rationalis ad suas operationes intellectus egeat Phantasmatibus, & operationibus prauiis sensuum, ab his accipit species ab appetitu sensitiuo consociatas, & cum ille ad bona sensibilia vehementer feratur, tum è natura propria; tum accensus igniculis fomitis, ad ea bona inclinatur, quæ suo ipsius intrinseco appetitui sensitiuo placent.

10 EA enim magis commouent, quàm bonum abstractum, etiamsi verum, quod sola fide alté percipitur: Quare nisi gratiâ Dei voluntas assistatur; & ipsa rationem sequatur, ad omnia bestiarum delectamenta declinabit: Erit enim fraudolentus, & sæuus vt Vrsa; dolosus, & crudelis vt Pardus; superbus vt Leo præceps vt Aper; fœdus vt Sus; libidinosus vt Hircus; stolidus vt Asinus; piger vt Bos; zelo ardens vt Taurus; astutus vt Vulpes; audax vt Gallus; mimus vt Simia; malignus vt Lupus; recalcitrans vt Mulus; ambitiosus vt Equus; petulans vt Ouis; malitiosus vt Noctua, austerus, & ingratus vt Coruus; rapax vt Aquila; timidus vt Lepus; vanegloriosus vt Pauo; garrulus vt Passer; callidus vt Serpens; iracundus vt Vipera, &c. His identidem comparabo hominem Physionomicè eis similem: Assumam ex eis etiam vestigia virtutum, Leonis magnanimitatem; Elephantis docilitatem; Ouis mansuetudinem; Iumentorum patientiam, &c.

11 SEQVAR Doctorem Sanctum, qui *cap.* 59. cum Platone, ex animalibus brutis inclinationes hominis, in sensitiua communicantis, docet conjicere; parellelos sæpè constituam ex ipso Sancto Doctore desumptos; vt tamen voluntas libera supponatur, & Dei auxiliis potens ab omnibus abstinere; multò magis, quam bruta aliqua, disciplinæ capacia, verberibus, & blanditiis domestica fiant Maximè verò ex oculis licebit conjicere statum internum animæ sensitiuæ: Hæc autem referam cum Diuo Bonauentura ex Authoribus grauibus, Platone, Aristotele, Hippocrate, Auicenna, Philemone, Adamantio, Auerroës, Conciliatore, Alberto Magno, quos refert sæpè Ioannes Baptista Porta Neapolitanus: Rationes etiam identidem afferam cum Ioanne Ingeniero Episcopo, è Diuo Bonauentura sumpta.

SIC Physionomiam, quæ est pars Philosophiæ attingam, quæ licita est, vt notant Delrius, *lib.* 4. *disq. cap.* 3. *quæst.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 16. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 7. *num.* 45. Sanchez, *tit.* 1. *Decal. lib.* 2. *cap.* 38. Fagundez, *in primum præceptum Decal. lib.* 1. *cap.* 39. *num.* 5. Eam verò detestor, quæ ex aspectibus, &c. Prosperos, & Aduersos homini prædicit euentus, damnatum à Sixto V. Pontifice Maximo: Solam verò dispositionem ad sanitatem, temperiem, & ingenium deducam; indolem verò ad virtutes, & vitia remotam, & incertam, ne teruncio humanæ libertati detracto, admittam.

QVÆSTIO I.

De Indiciis Complexionis, & Morum è PILIS.

NOTA primò, crines, & alios pilos esse excrementa fumosa, quæ à calore ad cutem expulsa per porositates erumpentia stringuntur à frigore; Debet autem cutis esse porosa; nam si nimis arida, vel nimis humida, erit clausa: Hinc Animalia crustata; vt Pisces, Ostrææ, & Cancri p s carent; sic indurata cute caluescit sinciput; non tamen occiput, vbi humiditas, è ceruice medullosa erumpit, & è pinguedine humiditatem ebibit, vt ait Aristoteles, apud Thomam Bartolinum, *lib.* 3. *Anatomiæ, cap.* 1. 12

ORITVR caluities etiam è calore nimio, vrente pilorum radices, qui Calor excitatur à Venere, vel à Veneno: Hinc Ioannes Baptista Porta, libidinosos caluos astruit, & refert Iulium Cæsarem, Socratem, aliosque, qui Struthionem imitari videntur.

POTEST caluities à veneno frigido causari, quale est Balenæ in Insula Feronensi: Potest & ab alio frigore stringi cutis, vt in Senibus experitur.

E pilis excernuntur concoctiones, ex his Vegetatiuæ, & Sensitiuæ opera, sicut è secretionibus, Medici ægrotum indicant.

PILOS cum pilis Brutorum, cum Auium pennis, ac pinnis Piscium conferre licet; imò cum foliis Plantarum; tametsi rari sint crines virides, vt dixi, *disp.* 4. *quæst.* 33. 13

IAM igitur etiam Pilorum copia calorem validè excernentem multum humidum, excretum in fumos, ostendit: Cùm autem calor optimè concoquit, fit multa segregatio etiam seminis in tertia coctione, & segregantur fumositates copiosæ, quæ circa Thoracem in pilos excretæ indicant in fucina Cordis ignem validum, qui cùm inquietus sit, spiritus vagos spargit; vnde in pectore pilosi, instabiles sunt, multisque applicantur; sed non perseuerant, inquieti, difficile rationis legibus quietantur: Vnde neque scientiis intendunt, nec practicis obseruationibus; sed potiùs voluptatibus inhiant: Vnde pilosi sunt luxuriosi; maximè si pili circa ventrem excernantur, indicant ingentem calorem circa genitalia, & spermatica: Inde & multæ fumositates ad caput ascendunt, quæ ex continuata nimietate euaporare nequeuntes, reddunt Cerebrum actibus prudentiæ obnubilatum: Sanè excretiones pilorum per loca inusitata intemperiem caloris indicant: Ità per ventrem excrementa ipsa prima ardentia ostendunt super humeros; super tergus indicant naturam terream calentem, quæ & terræ immobilitatem in voluptatibus, & volitionibus, & igneam agitationem ad plurima delectabilia claudit: Sic pili in renibus excretionem spermatum denotant: Itaque sic pilosi sunt bestiales: Hinc etiam barba in fœminis monstrosa: Est enim barba reflexarum è Cerebro fumositatum ad mentum calidum, & porosum; cùm autem fœminæ sint frigidæ, & humidæ, reflexiones illas calentes

lentes non patiuntur: Quare barbata fœmina non est admodum castitati deuota.

EODEM modo libet & de masculo differere, si absque barba pilis delicatis eniteat, facilè effœminatus erit; vt Eunuchus.

14 ITA quoque immutatio colorum indebita, mala est: Quare si adolescens canitiem ostendat, portendet calorem imbecillem ad fumositates in Cerebro excoquendas, ad nutriendos crines exhibendas: Ità ab aere circumstante corrumpuntur; quia humidum est materia, circa quam calor coquit, & deficiente proprio vitali, supponitur extraneo ad sui destructionem: Sic & frondes deficiente calore solis vitali albescunt, & decidunt; Similiter & crines: Vnde etiam ex infirmitatibus, terroribus, & afflictionibus, quibus virtus caloris deficit, canescimus.

15 HINC etiam ex imperfectione concoctionis, capilli rari hebes indicant ingenium, vt ait S. Doctor, *cap.* 48. quia fuligines in capite detentæ, eò quòd à calore debili expelli nequeunt, Cerebrum impurum faciunt, spiritus obtundunt, & offuscatum reddunt: Hinc animalia, raros habentia pilos, stolida sunt: Tales Asini, ac Boues: Dicitur autem Bos Rex Iumentorum; quippè cùm tanti sit roboris, nec suam noscens fortitudinem, collum iugo subiiciat.; Vide Seraphicum Doctorem, *Serm.* 2. *Dedic. Eccl.* Boues bubulci, cantu alliciuntur ad labores intolerabiles, vt ait S. Bonauent. *Serm.* 35. *de Comm. SS.* Ex lactis Asinæ gustu colligitur, an ea illo mane pexa sit, vt ait Bartolinus, *loc. cit.* Sic Asinus est animal simplex, vt ait S. Doctor *collat.* 56. *in Ioan.* è Diuo Gregorio, *primo Moral. cap.* 7. Vide Sanctum Bonauenturam ibi differentem ad ea verba: *Ecce Rex tuus venit sedens super pullum Asinæ*: Hortatur verò S. Doctor *ad* 12. *Ioan.* vt Aselli simplicitate, non cauillis capillatis Deo obediamus: His enim Christus insedit.

16 SIMILITER & Pisces stolidi sunt; quia frigidi, ideoque continentes, coniugaliter præcipuè, vt ait S. Doctor, *serm.* 1. *de Apost.* Incurrunt in retia, vt notat S. Doctor, *Serm.* 2. *Domin. post Pentecosten.*

DE quibusdam marinis Belluis narrat S. Bonauentura, *Serm.* 1. *Dom. prima post Octau. Paschæ*, è Diuo Ambrosio, quòd, quando insidias contra suos Catulos persenserint, viscera sua aperiunt, natosque suos integros recipiunt, atque eos tamdiù portant, donec ad securitatem deducant; aut ab ictibus proprio corpore defendant.

HI sunt pietati magis inclinati.

TALES sunt etiam Ciconiæ raris plumis, quæ Parentes decrepitos alunt, ac super humeros portant: Continentes sunt: & si alter adulteret, non accedit ad coniugem, nisi priùs aquâ abluatur; vt ait S. Doctor, *Serm.* 4. *de Sanctis Apostolis*, & alter coniux sentit coniugis fœtorem, si adulteratus sit, vt notat S. Doctor, *Serm. D. Petri ad vincula*: Ciconia est Vermibus, & Serpentibus inimica, ac humanæ societatis amica: Nidum suum primum nunquam deserit, nisi coacta; sed quando Hyeme cogente recedit, nidum terrâ replet, & nidi virgulas, atque spinas cum luto conglutinat, ne ventus eas deijciat, vel dissoluat: In reditu verò suo in vere, eundem locum incolit, & contra alias, nidum occupare volentes, acriter certat: Vide Diuum Bonauenturam, *Sermone primo de Angelis*.

TALIBVS inclinantur, qui raros habent crines.

SI tamen è nimia caliditate eueniat, callidi 17 sunt: Talis videtur Crocodilus, qui Piscibus, & Hominibus astutè insidiatur: Et quidem pisces ad Cetum confugiunt, vt ait S. Doctor, *Sermone* 3. *de pluribus Martyribus*: Tales quoque sunt iracundi, venenati, crudeles, & lethiferi: Talis Draco, cuius fel ardore venenum est atrox, vt notat S. Doctor, *Serm.* 4. *Dominica prima Aduentus*: Talis est etiam Tigris: Sic Polemon scribit, & Adamantius, ac Ioannes Baptista Porta, *lib.* 4.

PESSIMA est inter frigidas Vipera, quæ mordet hominem, & statim ad bibendum currit, impotens suum sentire venenum, quod vesiculâ præruptâ sub dentibus eductum inficit; Rumpit nascendo viscera materna: Foris sunt speciosæ, & quasi pictæ; intus pessimæ: His medemur Theriaca è calidis, maximè è carne viperina compacta; vt monet S. Doctor, *Sermone de Apostol.* & *Serm. de Confess.* vt infra dicam. Eius naturam confert S. Doctor *ad* 3. *Lucæ*, ex relatis proprietatibus, cum peccatoribus; quos incusat: *Genimina viperarum, &c.*

HI depilati gelidum sæpè viperinum, ore simulato, venenum condunt; sæpè è carnis ardore, & feruore capitis irrumpunt: Caue ab illis.

INTER frigidos pisciculus Echinus, dum tempestatem præsentit, calculum capit; & sic in fundum Maris descendit, ac se stabilit, ne agitetur, vt ait D. Bonauentura, *Serm.* 2. *de vna Virgine*, & *Serm.* 5. *de vna S. Virgine*, vbi ait Echinum lapidi, vt Anchoræ apprehenso, se stringere: Prudentes sunt hi capillaturæ raræ; vt sibi prouideant; si temperatè calidi.

HEBETVDINEM ingenij etiam è capillis mollibus ominatur D. Bonauent. quia frigidi, & humidi sunt, sicut Mulier, à molliendo dicta: Sic qui humidas, & frigidas regiones habitant, capillos molles habent, flauos, & albos; vt ait Bartolinus: Sic Dani, Angli, Noruegi, Sueci, & Scythæ, &c. Ità asserit & Porta, *lib.* 4. esse timidos, & molles, vt Iulianus Apostata. 18

EST autem ea ratio; quia non repellunt perfectè fuligines, quæ spiritus offendunt, mortificant, ac Cerebrum crassis humoribus offundunt.

SIC & Oues, tametsi mansuetæ, & patientes, vt notat Sanctus Bonauentura, *Serm.* 1. *Dominic. Quinq.* & *Serm.* 1. *post Octauam Paschæ*: De his Seraphicus, *ad* 10. *Ioan.* Ouis est mollis pecus, lanis tecta, corpore inermis, animo placida, ab oblatione ità dicta, ait Isidor. *lib.* 12. *Ethymolog. cap.* 1. Ex hoc patet, quod Oues sunt mansuetæ, placidæ, innocuæ, & Deo dedicabiles: His dictis addit *Collat.* 49. & tamen solers est, & cauta in tuendo salutem, in declinando nociua, & herbas eligendo medicinales, in declinando tela, in adimplendo se herbis imminente hyeme; tunc enim inexplebiliter herbam, vel escam capit: Tales sunt Lepores, & Cuniculi.

CRINES duri crispi, è calore, & siccitate 19 fiunt; Sic enim & ad ignem pergamena charta recuruatur: Calor verò dilatat sinus, disponit ad iram; & Ira ad audaciam, quæ timorem pellit (ait Porta) At S. Doct. timidi, & cupidi his notam inurit; quia consumptâ adustione substantiâ humida, terreæ partes remanent, quæ natura sunt frigidæ: Hi itaque, deficiente humido, quod est caloris esca, facilè deficiunt; crispedo autem ex anfractuosis meatibus cuditur, & è calore externo noxio: Ità Æthiopes à Sole crispi sunt: Tales pili quibusdam pecoribus, & canibus enascuntur.

ENIM

20 Enim verò si Mediocres crines inter mollem, & austerum, solo in apice crispantur, virtutis mediocritatem insinuant, quippe Calor sit ab humore, & frigore attemperatus: Tales fuêre Achilles, & Aiax apud Daretem Phygium, & Augustus.

Capilli flaui, crassi, & albi apud Diuum Bonauenturam, indocilem indicant, quia è Phlegmate procedunt; vnde Spiritus sopiti sunt, & suffocati; sicuti rubei, à flaua; vndè cholericè hi sunt; at terrei à fumis adustis atræ bilis; punicei verò, aurei coloris, aëream sanguinis exprimunt puritatem, ac diuturnam spondent homini vitam: Si enim excrementa adeò pura; quid erit sanguis? Talis color optimam compositionem prædominantibus purioribus Elementis, ac lumine vitali manifestat: Simile quid habes in puniceo Iridis: Regnat enim in eis humidum, & calidum aëreum temperatum, inter omnia vitæ hominis aptissimum.

21 Ex dictis habes, crines flauos ad canitiem decolores, esse breuis vitæ signum.

Reddit rationem Ingenierus, sumptam è Diuo Bonauentura, *in 2. dist. 30. art. 3. quæstione vltima*, vt dicemus *tractatu 9. disp. 3. p. p. disput. quæst. 7.* quia vita nostra similis est Lucernæ ardenti, vbi alimentum ei ab oleo exhibetur, cui si misceatur aqua, extinguitur, vel si Lychnus, consumitur: In homine est humidum radicale consumptioni resistens; & nutrimentale, quod imperfectum, & multiplicatum, inficit vitale, redditque imperfectum; sicuti aqua vino, paulatim replicatè superfusa, tandem reddit vinum aquosum: Cùm ergo humidum Calori appositum, esse debeat vnctuosum; hinc fit, vt temperies humida aquea, quæ in Capillis subalbis indicatur, afferat breuem vitam, & interim frigidum timidum, &c. reddat.

Capilli, depressæ fronti prominentes, efferum, Vrso similem, notant; vt ait Sanctus Doctor, *Sermone secundo de vna Virgine*: Ad stipitem ligatus tota die circumagitur, vt ait Sanctus Doctor *Sermone primo de Diuo Iacobo*: Non fugit à certamine; sed signis prouocat, vt dicit Sanctus Doctor, *Sermone secundo de pluribus Martyribus.*

Adultioribus crines obdurescunt, sicut, & niuea, vnde ineptiores euadunt speciebus obiectorum scientificis excipiendis; ideò discant ab adolescentia.

22 Capilli rubei sunt sanguinis calentis, & bilis fuligines: Vertitur hinc vulgatum sermone prouerbium: *Rubeus non bonus.*

Est Rana Rubeta, seu bufo venenosus, odiens odores, loca fugiens odorata, & inter cœnum, & fimum oblectata, lucem auersata, tenebras quæritat; vt ait Sanctus Doctor, *Sermone 1. de Sancto Ioanne Baptista.*

Est animal iracundum, vt ait Ætius, irruit in offensorem, quem morsu nequit, anhelitu ferit.

23 Capilli rufi, seu subrubei, moderati caloris sunt halitus, vt ait Bartolinus *loc. cit.* Laudantur in Dauid, primo Reg. 16. *Erat autem rufus*: Ferè aurei sunt, de quibus suprà.

Nigri fulgentes, calidissimæ sunt compositionis signa: Hi plumas Corui emulantur crocitantis *cras cras*, vocem importunam peccatoris, quam insectatur Sanctus Bonauentura, *Sermone de Sancta Catharina, virg & Martyre*: Addit Sanctus Doctor *Sermone 5. dici Cinerum*, supplantari vocem coruinam à Diabolo.

Avem furtis, & rapinis assuetum vocat eum Sanctus Bonauentura, *Sermone decimo de Apostolis.* 24

Cum Vulpe fœdus inire solet ad pugnandum cum Taxo.

Non dissimilis huic Cornix, plumas nigras, & sub alas mixtas gerens: De hac fabulam narrat Seraphicus Doctor ex Æsopo *lib. 2. 28.* Horatio, *lib. 1. epist. 3.* Cornix suam deformitatem abhorrens, plumis sibi euulsis, & emendicatis à speciosioribus volatilibus plumis, à Columba collo, à Pauone Cauda, ab Vpupa galero, à Phœnice alis, eas visco aptauit, & graui passu in auium Senatum, maiestatem redolens, ingressa, omnium in se oculos conuertit: Sed Aquila è Throno sciscitauit, quæ noua auis ex Vltra marinis appareret: Cornix respondere volens, crocitauit: Quare manuum plausu sibilis exprobrata, atque à rapacioribus expilata, pudendam demonstrauit deformitatem: Similes sunt aliqui, crines ambientes variegatos, cùm nigros, & albos nutriant.

Capilli subnigri gerit Elephas moderatus, & cautus, qui rarò cum coniuge iungitur; nunquam alienæ copulatur, & post honestam copulam, quasi erubescens, cauernæ antrum subit; nec ad suos reuertitur, priùs quàm in flumine abluatur, vt ait Sanctus Bonauentura, *Sermone quarto de Apostolis.* 25

Docet filios, nouâ Lunâ, ad fluuium ire, ibique se lauare: Cœlum mane suspiciens, deuotè colit: Vide Sanctum Doctorem, *Sermone secundo de Euangelistis.*

Si aliquando cadit, non valens resurgere, clamat, ad quem alij accurrentes eleuare nituntur, vt ait Seraphicus Doctor, *Sermone nono de Apostolis.*

Timet murem, vt obseruat S. Doctor, *Sermone secundo de S. Matthia.*

Color ille indicat temperatos humores, isque etiam inter oloserica colorata, capillinus dicitur.

Similem colorem exhibent multi Cerui mansueti, dociles, pietatis æmulatores: Cerua filiorum educatrix sollicita, eos ad prærupta montium deducit, atque ad cursum, & saltus edocet; vt Venatores effugere discant, vt refert Sanctus Bonauentura, *Sermone secundo de Sanctis Euangelistis.* 26

Leo hunc colorem exhibet, quem describam, *quæst. 3.*

Crines varij luteo, & obscuro, ac subalbo intermixti, Lupini sunt: Alij sunt intermixtis rubeis, subalbis, & capillinis villis, vt Vulpes; de qua *quæst. 8.*

Alii canis, & nigris miscentur; vt Aquilæ, de qua *quæstione 8.*

Hic libet paululum sistere, ac digredi: Tota ferè Brutorum pulchritudo in villis, pennis, & pinnis reperitur, & in deterioribus maior pulchritudo, vt dixerit quidam: Serpentes in Africa, qui pulcherrimi, pessimi sunt. 27

Pulcher Leo, longa, fuluaque Cæsarie coronatus; sed quàm superbus.

Pulchrior Pardus rosis auratis variegatam pellem gestans; sed crudelis, homines, & feras insequitur, & si primo cursu non assequitur,

tur, figit rabidus gressum; vt refert S. Doctor, *Serm. 5. de pluribus Martyribus.*

Pulchra Panthera, adeò & fragrans; vt ad sui fragrantiam, & formam, belluas rapidè trahat, vt refert Diuus Bonauentura, *Sermone secundo de Angelis*: Hæc sericis quasi villis induta albis, quasi stellulis depicta, quam describit Sanctus Doctor, *Sermone tertio de Angelis*: Hæc adeò effera, vt caput, aspectui terribile, inter herbulas abscondat, ne terreat; ità capite in cespite aduoluto, corpus exhibet formosum belluis aduolantibus contemplandum; tunc verò è cespite erumpens, primò obuiam morsu stringit, & laniat: Hæc spurca stercorum esculentis delectatur.

Pietatem, & grati animi stemma refert Sanctus Bonauentura, *Sermone quinto de vna Virgine*: Cùm Pantheræ Catuli in profundam decidissent foueam, nec eos adiuuare valeret; transiens Viator descendit, eosque extraxit; cui non ingrata fera arridens, cauda blandiens, ore sereno arridens, quasi gratias referebat, eumque per solitudinem illam comitata præïens, & viam capite, & cauda blandè ostendens, à feris immunem deduxit.

28 Coloribus variis, pro varietate aspicientium, variatur Camæleon.

Speciosus Pauo, qui rotantes suas Pompas hominibus expandens, animatum exhibet, & florentem Aprilem: Firmamentum Stellarum: Argum compictum; & tamen superbus, ambitiosus incedit, & si ad pedes oculos deflectens confunditur, & sericâ inuoluit: Vide Sanctum Bonauenturam, *Sermone quarto de vno Confessore*, & *ad* 1. *Ecclesiaste.*

29 Pulchra est Vpupa, coloratam attollens galeam; sed stercore epasta: Pietatis in ea vestigium obseruat Sanctus Doctor, *Sermone tertio de Diuo Andrea*: Nam senescentibus parentibus assistit; Cibos apponit; sub alis fouet.

Non reticeo Columbam, quæ in collo murenulas aureas, Gemmarum omnium varietate conspersas ad Solis fornacem fabrefactas, modestè ostentat.

Hæc cauta inter foramina sola petrarum secedens, se tutam credit; vt ait D. Bonauentura, *Sermone* 2. *de vno S. Doctore.*

Est mansueta, humilis, modesta, sine felle, non prædatrix; vt latè prosequitur Diuus Bonauentura *de Sancta Catharina*, cum Aristotele, *lib.* 2. *de historia animalium*: *cap.* 15. & *lib.* 8. *cap.* 3. Est perpetuò gemens, & solitaria: Visum amissum, nonies recuperat, vt ait Seraphicus Doctor cum Diuo Gregorio: Iuxta aquam decurrentium margines assidens, inimicas aues altè deruentes videt, & fugit: Hanc, Accipiter à cœteris segregare satagit, vt rapiat, vel inter frondes delitescens insidiosus, eam attendit, vanitate perlatam, tardigradam, suos colores aspicientem, & ex insidiis erumpens, gaudentem in ipsa gloria, rapit; vt ait S. Doctor cum Aristotele, *lib.* 9. *de part. cap.* 36. & Plin. 10.

30 Heu quot homines pulchritudine florent, & vitiis marcescunt! Siue autem in optima temperie posita sit, vt vult Hippocrates; siue in sanitatis consistentia, vt ait Plato; siue in perfecta membrorum proportione, cum colorum suauitate, vt voluit Diuus Augustinus, & cum eo Sanctus Bonauentura: *Itinerario mentis in Deum, cap.* 2. Quot legimus corpore pulchros; animo verò deformes; & verâ, quam Socrates, & Plato indicant in Sophista, specie destitutos: Vna est speciositas, apud D. Bonauenturam, & Galenum, animi, & corporis.

Absalon erat pulcher, parricida tamen, 2. *Reg.* Adonias pulcher, sed Tyrannus, 3. *Reg.*

Pulcher Alcibiades inter omnes Athenienses, apud Plutarchum, & Antistenem; sed pulcher Cinædus, moechus, homicida, & seditiosus; vt ait Tucidides: Pulchritudinis, & Impietatis paralellos describunt historiæ omnes.

Demetrius fuit pulcherrimus, qui ob eximiam virtutem, Athenienses rexit, qui propterea trecentum sexaginta Statuas æreas illi erexere: Nullus Phidias, nullus Apelles eum pingere valuit, aut exsculpere: Sic virtute, & pulchritudine præditus erat inexplicabili, & inimitabili.

Helena speciosissima, vt Homerus cecinerit; iustè pro ea tot annos decertatum; vt è Græcis centum quinquaginta-octo hominum millia; & è Troianis centum nonaginta millia, sanguine, tantam empserint formam; pulcherrima quidem, adultera tamen. 31

Semiramis speciosissima, Monarchiam quadraginta-duos annos gloriosè rexit; sed speciosissima adultera, incestuosa, bestialis, pulcherrimum coniugem equum ad nuptias assumpsit.

Agatocles speciosissimus, in omni libidinum genere erat volutatus.

Ismael Sophi Rex Persarum, pulcherrimum mundo exhibuit Simulacrum, facie candidus, & rubicundus, oculi præclari, crines aurei, vultus serenus; sed simulachrum turpitudinis, ac crudelitatis. 32

Pulcher Alexander, Priami filius; sed perfidiæ ostentum, Paridis verè germanus, & Troili.

Laides, & Faustina pulcherrimæ, Meretrices tamen fœdissimæ euaserunt.

At Pythagoras primus inter Philosophos speciosissimus, & studiosissimus, de quo Ouidius 15. *Metamorph.*

Mente Deos adiit,—— cui Templa sacrarunt.

Tales Reges, apud Strabonem, Indiarum gentes; & apud Bionem, Æthiopes eligebant: Ideò Spartani Regem Archidamum mulctarunt; quia vxorem deformem, & pigmeam assumpsisset, dicentes; eam parituram Regulos: Euripides solos pulchros, Imperio dignos aiebat.

Æneas pulcherrimus, sed Patriæ proditor.

Aspasia apud Ælianum, formâ, & gratiâ, omnes mulieres illius sæculi superanit: Caput habuit speciosum, crines aureos, oculos præclaros, nasum aquilinum, aures breues, genas roseas, labia purpurea, dentes eburneos, vocem suauissimam; ob egregias dotes à Cyro assumpta est ad Thronum: Hæc honestate, modestia, & simplicitate, magis Monarchæ deuinxit Cor. 33

Achilles pulcherrimus, homicida tamen Hectoris.

Hecuba vxor Priami pulcherrima, virago, iusta, pia: Ei similis Rex maritus.

Talestrea Amazonidum Regina, inter omnes pulcherrima, Alexandri Magni concubitum ambiuit.

Andromacha speciosissima, gratissima, pudica, modesta, & sapiens, Hectori erat in deliciis: Polixena quoque Priami filia, fuit similibus dotibus illi non secunda.

Cyrus hominum pulcherrimus, de cuius virtutibus, Volumina leges apud Xenophontem: Eum Dominus vocat Christum suum, *Isaia* 45. 34

Isaiæ 45. Darius omnes pulchritudine superabat; vt ait Plutarchus; nec minori ornatus virtute.

Lenastia Regina, inter mulieres speciosissima, nec minoris fuit consilij, & prudentiæ, cui Pyramis altissima, tria stadia ampla, erecta est.

Zenobia, Assyriorum Regina, admirabili præcellens pulchritudine, animo præcellenti, bellatrix, virtutibus prædita eximiis, Regibus formidabilis, Orientem sibi subiecit.

Damocles, ob nimiam pulchritudinem, Pulcher vocabatur, animo sublimi, pudicitiâ adeò eximiâ; vt cùm Demetrius eum in balneo nudum vidisset, ac sollicitaret ad turpia; castissimus adolescens eleuato operculo, se in aquam ebullientem immerserit: O victima castitatis.

Similis erat adolescens Galetes, Ptolæmeo Regi charus, quem sæpè laudans, tanta virtute obstupefactus clamat: *O fili, omnibus benè, nulli malefaciens.*

35 Scipio Africanus insigni forma præfulgens, digna Imperio; sed animi probitate, omnes longè superans, facundia, libertate, benignitate, magnificentia, & continentia; vt oblatam in triumpho Virginem speciosissimam, intactam illicò dimiserit; Artibus instructus liberalibus, bellicosus, clementissimus, Romanorum exercituum Imperator, inuictum Hannibalem deuicit, & fugauit.

Augustus, pulcherrima fulgens maiestate, eloquentia, liberalitate, iustitia eximius, & pacificus; sub cuius Imperio, natus Rex Regum, illicò ad tributum ei exhibendum aduolauit.

Omitto Lucretiam, & Edoardos; Xenophontem verò innuo pulchritudine, ac virtute admirabilem, in Scientiis nulli secundum, Socratem, & Platonem magistros superantem.

36 Omitto Biantem, & Hippocratem: Habemus in Scripturis plurimos pulchros, ac Sanctos; multas speciosissimas, ac sanctas, quas Spiritus Sanctus acclamat pulchras nimis, incredibilis pulchritudinis, &c.

Hæc retuli, vt qui corporis pulchritudinem à Deo sunt consecuti, animi pulchritudinem ei exhibeant; neque vt Pantheræ, & Vpupæ, stercora amplexentur, vt multi, qui nutriebantur in croceis, quos dolentibus Threnis Dominus deplorat: Neque, vt Pauo, glorientur; sed pedes pulueri reddendos aspiciant.

QVÆSTIO II.

De Indiciis morum è Capitis *Figura.*

37 Nunc solam cranij figuram dimetior, quam obseruant Vessalius, Vallisviridis, Bartolinus, variari, non modò more Regionum, Populorum, atque Parentum; sed etiam Obstetricum variis modis adaptandi tenellis, seu recenter natis, capita: Hinc etiam fit, vt pro Gentium varietate, variè etiam Obstetrices ea adaptent.

Notandum secundò, Cranium esse vas Cerebri, sensationum sedis, & spirituum animalium officinæ, ac motus principij; & quia exigit partes dispositas tali modo, vt cuique sinui, ac sedi operationum detur commoditas, hinc è dispositione Cranij status, ac dispositio Cerebri dignoscitur, quod Cranio adaptatur iuxta id: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur:* His positis singula percurro.

Caput nimis amplum, stolidum est, vt ait Sanctus Bonauentura, *libro secundo Compendij, cap.* 48. Ratio esse potest, aut copia nimia Cerebri materialis confusa; aut inopia Cerebri ad replendum tantum spatium: Vnde aliis humoribus prauis opplentur sinus, & spiritus disperguntur: Talem vidi Brixiæ puerum habentem caput ter, & amplius ordinario, qui semper sedebat stupidus: Talia sunt capita Bouis, Asini, & Bubonis: Talis fuit Vitellius Imperator.

Caput gibbosum, & breue, sine sapientia, & memoria est: vt ait Sanctus Bonauentura: Horum sunt variæ figuræ: Aliqua sunt, quibus deest anterior capitis protuberantia, siue proiectura, & tales putantur insulsi, & amentes, ob inopiam Cerebri; quod in anteriori parte debet esse copiosum. 38

E contra, caput exiguum, parum habens Cerebri, Struthioni similes reddit.

Aliquibus deest, & breuiatur pars posterior, vbi est sedes memoriæ, & esse debet sicca, vt ait Sanctus Doctor, *cap.* 40. Vnde animalia, sine hac, indisciplinabilia sunt.

Aliquibus vtraque pars deficit, & fit rotundum, sicut Turcis, & Gronelandiis: Has tres figuras deprauatas agnouit Hippocrates apud Bartolinum: Et hæc vltima, vtrimque læsa, est cucurbita.

Quibusdam, longitudo in latitudinem mutatur: Talem se Venetiis, & Bononiæ vidisse ait Vessalius: Talis, apud Peruanos inueniri plurimos, testatur Vallisviridis, *lib.* 1. *cap.* 2. His depprauantur sinus omnes.

Aliis, caput à lateribus compressum, erigitur in medio: Sic Genuensium plurimi ab Obstetricibus aptantur: Talis fuit Thersites apud Homerum, & Vallemviridem: His, & nimis compressi sunt sinus: Sicut prauæ sunt partes, vbi vasa sensuum; ità sensus læsi, de quibus *disput.* 4. *quæst.* 33. actum, & adhuc agam *tract.* 9. *disp.* 6. *quæst.* 1. 39

Quædam sunt altè acuminata, vel oualis figuræ, quæ apud gentes aliquas æstimationem habet generositatis, vt refert Hippocrates; hanc verò idem in Epidemiis geminam facit; priorem ex robore; alteram ex imbecillitate partium; & talis figura deriuata in filios frequens est: Hos iracundos censeo; ignea enim pyramis in eis attollitur; vt ait Ingenierus.

Sunt alia capita protuberantia, gibbosa, siue ad vnum latus, siue antè, siue retrò; vt refert Bartolinus: Hæc in Italia abundare ait Bartolinus; melius dixisset in sua Dania.

Caput humile superiùs, & quasi planum, insolentiæ, & dissolutionis est indicium (ait Seraphicus Doctor:) Ratio est; quia cranium factum est, vt caminus, vnde per suturas euaporent fumi, à fornace Cordis exhalati; cùm autem propè nimis Cerebro est, Cranium offunditur fuligine, sicut videmus in fornicibus demissis, vbi coquina fit, semper nigrescentibus his Capitibus altaria fumant. 40

Caput verò bonæ indolis signum, est, quod dicitur ab Anatomicis naturale, quod describit Sanctus Doctor hîc, Bartolinus, Vallisviridis, aliique: Figura capax, nonnihil oblonga ante- 41

riùs, & posteriùs, vbi protuberat, vt Cerebrum, & Cerebellum contineat ad latera vtrimque compressa; sed magis anteriora versus; vnde pars posita capacior est, suprà moderatè eleuata, vt malleus: Hæc indicant prouidum, & circumspectum (ait Sanctus Doctor:) Tale caput æmulantur Elephas, Canis docilior, & Leo.

QVÆSTIO III.

De Indiciis morum è FRONTE.

42 FACIES homini decora in prospectu à Deo posita est, vt homo sursum aspiciat, & aspiret, vt ait S. Doctor, *2.part. breuil. cap.* 90. Est magnum obseruabile morum speculum: Huius pars supera est frons.

VVLTVS, quasi voluntatis indicium, dicitur, quod foris apparet: Eius suprema pars pilis carens, secus quam in bestiis, est frons, dicta à ferendo; quia præfert animi signa, vt ait Bartolinus, *lib.* 3. *cap.* 7. Musculi frontis motores dicuntur à Platero, animum significantes; magis verò, quia supercilia eleuando, indicant motiones internas, & cum oculis consentiunt, quos adiuuant ad aperiendum, vt ait Vallisviridis, *lib.* 2. *cap.* 5. Ideò incisis illis, oculi non aperiuntur.

FRONS angusta nimis indocilem, & voracem declarat(ait S. Doct.) Indocilem sanè, quia ibi compressum est vas Cerebri, vbi sensus communis, imaginatio, phantasia ad discendum necessaria: Voracem verò; quia ex rectitudine intestinorum, cibus citò demissus, non mittit copiam spirituum; imò neque multas fuligines, vnde natura prouida non præparauit vasa. Tales sunt Lupi: Lupum sic describit Sanctus Doctor, *Serm.* 5. *de pluribus Martyribus*: Lupus, dum nocte ad caulam vadit, vt à Canibus sentiri non possit eius odor, contra ventum vadit, seu incedit, & planè valdè pergit; sed si casu pedem ad lapidem percusserit, & strepitum fecerit, tanquam, qui offenderit, in seipsum, veluti sceleris vltor insurgit, & pedem, qui in culpa fuit, fortiter dente stringit.

ET *Serm.* 1. *de vno Sancto Confessore*: Lupus est animal valdè gulosum, & famem tamdiu portat, & si nimium esurit, terram manducat: Timet Silices scintillantes, vt refert S. Doctor, *Serm.* 2. *de S. Matthia.*

LATIVS eum describit Seraphicus Doctor *ad cap.* 10. *Ioan.* ad ea verba: *Animam pono pro Ouibus.*

43 LVPVS est impius, ferox crudelitate, & rapax ferocitate: Vt enim *lib.* 12. *cap.* 2. *Ethym.* ait Isidorus: Lupus Græcè λύκος dicitur, eò quòd rabie ferocitatis, & rapacitatis, quæcunque inuenerit, trucidet: est etiam animal olidum fœtore, & vorax edacitate, ab ore enim eius exit fortis odor, & transglutit carnes sine abscissione, ait Sapiens: Item est animal infectiuum anhelitu, siue anhelatione: Vnde lanæ Ouium, quas Lupus comedit, plus recipiunt pediculos, ait Sapiens: Item est Animal intoxicatiuum morsu: Vulnera enim ex eius morsu sunt valdè mala; quia ex eis exit virus, ait Sapiens: Item est animal corruptiuum, & infectiuum appropinquantium: Si enim Lupus priùs viderit hominem, eripit illi vocem, ait Ambrosius: Et fortè hoc fit, ob aëris infectionem: Vide Seraphicum Doctorem, multa Scripturæ loca egregiè conferentem; vnde apud vulgus dicitur raucè loquentibus: *Lupi te videre priores.*

SERMONE sexto de Apostolis: refert Apologam Agni, & Lupi interlocutionem: Bibebant 44
enim ambo in flumine; in loco altiori Lupus; in decliui Agnus: Hunc cùm vidisset ille ferox, ansam quæritans rixæ, clamauit: Cur aquam mihi pedibus turbidam facis? Cui Agnus tremens: Non turbo aquam, quæ primò ad te defluit: ille: Sic in me iacis conuitia? Sic Pater tuus sex menses iam me læsit; Patris culpam imitaris; nunc pœnas subibis, & deuorauit eum.

AD Lupi vitia inclinant, tali fronte organizati: Imò ad Bouem (ait Porta) Frons lata parum discretionis indicat (ait S. Doctor) Hi se solos curant, &, vt aiunt, sine pietate mundum totum suum faciunt: Hi Cerebri inopia laborant: Calis erat Caligula.

RATIO est; quia his spiritus calentes altè euolant ex ignito temperamento, & aliis supercilie inclinant, eisque dominari, eos propterea paruipendunt: Vel ex frigiditate, sibi terram sub pedibus defuturam formidant: Similis est Taxus, de quo S. Doctor *Serm.* 10. *de Apostolis*, cum Vulpe, & Coruo pugnans, pro domicilij situ: hic dicitur *Melis*; quia mellis auidissimus, vt ait Plinius, *lib.* 8. *cap.* 30. ideò aluearijs insidiatur: Est magnitudine Vulpis; colore Æluri; vnguibus ferreis, terram longe, lateque sibi excauat; nec, donec stadia integra sibi ad domicilia struat, quiescit.

FRONTIS amplitudinem è calenti spiritu osten- 45
tat Leo, qui ideò feris omnibus supereminêre præsumit; sed hæc quadrata est; de qua infrà.

DE hoc scribit D. Bonauentura, *Serm.* 1. *de Angelis*: Leo, si se videri credit, nunquam hostes fugit, sed se videndum in medio campo omnibus iaculis exponit, priùs volens mori, quàm fugere.

SERMONE quinto in Resurrectione Domini ait: Dicunt Physici, quod Catulus Leonis, cùm fuerit natus, tribus diebus, & tribus noctibus dormit; deinde Patris fremitu, tremente antro, excitatur.

SERMONE primo de vno Sancto Doctore: Leo comesta ejicit, & iterum ea recomedit.

SERMONE primo de pluribus Martyribus: Vir- 46
tus cordis est omnium virtutum radix, & fundamentum: Plus ideò virtutis redundat in brachio dextro, quàm in sinistro: Fortius est dextrum brachium, & ad pugnandum est magis aptum; sicuti patet ad sensum: Ex qua causa, vt dicit Philosophus, *lib.* 2. *de historia Animalium*, *cap.* 1. Leo primùm mouet dextrum pedem in ambulando: Et mulier, quæ prægnans est masculo, subitò vocata, plus, priusque mouet pedem dextrum, quàm sinistrum.

SERMONE quartò de vno Martyre: Leo, si hominem obuium habet, deducit per viam; nisi fame nimiâ laboret.

SERMONE secundo de S. Matthia: Leo timet Gallum, albas pennas habentem.

SERMONE quinto de Apostolis: Animalia, cùm coram Leone suo Rege sunt, stant demisso capite, nec audent faciem leuare.

SERMONE quinto de vna Sancta Virgine: Animalia bruta Leonem in reuerentia habent, & metu, tanquam Tyrannum crudelissimum, ad se deuoranda eum præsentiunt.

SERMONE

Sermone octauo de Apostolis: Leo, dum à Serpente cinctus, & ab eo fortiter astrictus esset, dum fuisset à quodam milite liberatus; sic illi toto corde adhæsit, vt ab eo, nisi morte, separari nequiuerit.

Sermone secundo de Sancto Ambrosio: Leo, dum famescit, vt bestias improuisas inuadere possit, in antris se abscondit.

Sermone secundo de Sancto Marco Dicitur in fabulis Æsopi, *lib. 2. fab. 43.* & Horat. *lib. 1. epist. ep. 1.* quòd dum Leo Rex animalia ad Concilium conuocasset, vltima Vulpes aduenit; cumque foris staret, nec intus intraret, & Leo, vt ingrederetur, iuberet; illa ait: Obstupesco tuam crudelitatem, quam video; quia, cum vestigia omnium animalium considerem, nullum video foras exisse; vnde timeo, te omnia occidisse: Vnde non sum ausa introire: Quid fabulamur? Iam *Micheæ 5.* ait Dominus: *Erunt reliquiæ Iacob, quasi Leo in Iumentis Syluarum, & sicut Catulus Leonis in medio Pardorum*: Amos 3. *Leo in saltu rugit; sed non inuenit prædam*: Vide D. Bonauenturam, *ad Psal. 90.*

47 Ad hæc inclinant frontes latæ: Adde tales esse instabiles; quia spiritus non sistuntur; sed vagi, turbatique volant.

Sic & mulieres Læenæ similes: Læena, quando timet Catulos perdere, ferocissima est, vt ait S. Doctor *Sermone tertio, Dominic. 4. post Pentecost.* Læena, cùm miscetur Pardo, non nisi lota, audet ad Leonem redire, vt refert Sanctus Doctor, *serm. 4. de Apostolis.*

Frons quadrata, & moderatæ magnitudinis, sapientiæ, & magnanimitatis est indicium, vt ait Sanctus Doctor: Ratio est; quia optimo Cerebro rectè aptata est sedes, vt suos actus exerceat.

Frons parua mala est: Nam spiritus ibi restricti accenduntur ad iram, species confunduntur in apprehensione, ad ministerium non liberæ; & quia à prima apprehensione est fundamentum intellectionum, quæ voluntati deseruiunt; Ideò hi ad scientias, & ad regimina inepti, eò magis, quò frons angusta siccitatem, & duritiem indicat ad apprehendendum: Hinc fit, vt cùm formetur cranium è sanguinis excrementis spermaticis, & sanguine nutriatur, & in tali capite deficiat; natura suæ paupertatis conscia; suæ conseruationis anxia, eò sui sollicitior euadat, vt necessariorum cupida, ad auaritiam inclinet: Hinc imbecilliores, vt senes, & fœminæ, auaritia anguntur; quia his modicè sanguis prouidetur.

48 Frons rotunda signat iracundum, apud Sanctum Bonauenturam: Ratio est, quia talis est calidus, multam bilem euaporans ad modum flammæ, struit sibi camino in Sphœram aptam fornacem, & tenellum sibi caminum in Circum expandit: Hinc spiritus restricti simul accenduntur, & confunduntur: Vnde hi turbidi sunt: Frontem rotundam, hac de causa, solidum vocant Aristoteles; & alij apud Portam: Frons nimium procera, humoribus abundat, tardas reddit operationes intellectus.

Frons plana nimis, absque ruga, calida, & sicca expanditur, & induratur: Hi ad iram faciles sunt è calore immoderato, inhabiles ad quietam rerum considerationem: Vnde temere ad rixas ruunt, pericula absentia nōn timent; sed pauent præsentia; quia priùs incognita, agnoscunt, & defectu spirituum, non audent subire discrimen.

49 Frons admodum rugosa est frigida, sicca, & terrea, vt patet in Senibus; corrugatur enim deficiente calore, dilatante olim partes terreas, & aqueas: Hi recedunt facilè à virtutis mediocritate iuxta defectuosum temperamentum per diminutionem; vnde hi auari, timidi, & suspiciosi sunt, pusillanimes, simulatores, astuti; viles, & inuidi, &c.

Frons media, inter extensam calore, & frigore rugosam; bona est, mediocritatis amica.

Frons carnosa nimis humido defluit, & species ad consistentiam non sinit; obturat meatus, vnde fumi exhalent, æquo nimium calefacit Cerebrum: Quare insensatum reddit, & in operibus confusum.

Frons montuosa in senectute, desiccato Cerebro euacuata, humoribus prauis impletur: Vnde læsa imaginatina stupidos facit, & insaniam inducit.

Frons dorsiculis inæqualis, est prauis humoribus in domicilium. 50

Frons tranquilla, Catello similis; sed turbida, Tauri ad instar, qualis erat Ezelini Tiroanni: Optima verò inter serenum, & seuerum: Talis Francisci I. Regis Galliæ Virtutum exemplaris, atque Asyli: Talis etiam Ludouici XIV. Magni Virtutum Emporij.

Miris adeò signis Frontem admiror excusam, vt Microsmos, quasi Cœlum, caput attollens, lineas arcuatas velut Planetarios Orbis mirificè ostenteret: Eas verò metoposcospi ad naturæ quidem, indolisue dotes ediscendas aptè, sed ad arbitrij motus diuinandos ineptè vsurpant: Supremam lineam Saturninam vocant; succedentem Iouialem; tertiam Martialem, quartam Solarem, quintam Veneris, sextam Mercurialem, è tribus, vel quatuor arcubus inter supercilia: Lunarem verò super oculum sinistrum, qui, veluti Luminare minus eminet, appellant Tadæus, Agerius, Cyrus, Spontonus, Carolus, Gulielmus, Ingenierus, & alij apud illos: Hinc Planetarios singulorum influxus applicant, si lineæ illæ perfectæ sint, bonos; at si concisæ, crucibus signatæ, infaustos ominant.

Tempora inflata, magis venis protuberantibus, nimium sanguinem, & calorem indicant, ac spiritus adhuc non temperatos à Cerebro, ac proinde igneos, vagos, & veloces denotant: Ideò hominem in consideratione non perseuerantem, instabilem, inconstantem, iracundum, & imprudentem efficiunt. 51

Tempora verò moderatè plena, signant Neruorum, Venarum, Arteriarumque proportionatam è Cerebro, & Corde prouisionem: Vnde bona sunt, omnibus peragendis hominem aptum indicantia.

E contra, Tempora inanita inopiam Cerebri, & Cordis indicant, nisi fortè ex abstinentia, & maceratione proueniant, qualis fuit in Diuo Basilio Magno.

Qvod si ossa etiam concaua sint, & inanita; exsiccati Cerebri signum ponitur à Galeno; Sic enim & longa febri, Tempora arescunt calore: Hi igitur non à frigore siccati; nam humidum est Cerebrum, nec congelatur: Igitur calore consumpto humido; siccum remanet caput, & calidum: Vnde ad iram accensum, & ad firmiter retinendum, ad iniurias obstinatum, & ad sæuitiem, ac dolum (addit Galenus) Talis erat Caligula apud Suetonium, qui sanguine lotus, optabat vnum omnium Romanorum caput vno ictu truncandum. 52

QVÆSTIO IV.

Inditia è SVPERCILIIS *morum.*

53 SVPERCILIA sunt pili supra oculorum cauitates, vt *disputatione* 4. dictum est.

PRÆMONERE autem oportet ex ibi dictis, naturam omnibus in rebus prouidam, supercilia non modò ad ornatum appendisse; sed vt humiditatem aliquam interciperet, ne defluens per frontem oculos offendat: Ideò extendi satis duxit, quantum oculorum capsulæ extenduntur: Ne autem nimis crescentes visum impediant, ea vsque ad determinatum ducit augmentum (quod aliis corporis pilis non assolet;) atque sicuti stirpes inter saxa non finit vltrà crescere, alimentum subtrahens; ideò ait Christus, Semen inter Petras non crescere; quia radices non potest figere: Hinc infert S.Doctor, supercilia benè arcuata, quæ oculos integrè tegunt, vsque ad cornu nasci, indicare optimam naturæ constitutionem, & Cerebri dispositionem: Itaque, si moderatè exeuntia; signant hominem ingenio subtilem, studiosum in omnibus, vt ait S. Doctor, & cum eo Ingenierus, & Porta, qui tales, se obseruasse omnes huiusmodi, ait, *lib.* 2. *cap.* 3. Tales visi sunt Octauianus, & D.Basilius, ac similes.

54 HINC habes, huiusmodi indicare bonam Caloris virtutem expulsiuam: Quod si aliquantulum extensiora sint, indicant caloris, pellentis fumositates, intensiorem vim, quæ humores attenuat, exsiccans, vnde hi, atra paululum dominante melancholia, ità inclinantur, vt sint cogitabundi, studioque appliciti.

55 QVONIAM verò non est naturæ intentio supercilia terminos oculorum excedere; hinc est, vt, si ad nasum coniungantur, arguant defectum temperiei; & melancholiæ à calore, & siccitate in terrea materia abundantiam: Hunc ideò tristem, & parum sapientiæ idoneum, ait Sanctus Doctor; quia nimius calor cum siccitate, obdurat caput, spiritus accendit, inquietos, & confusos, quippe igneos, efficit.

ADDO, si pili super nasum longi sint, & densi; arguere etiam processus mamillares excretiones emittere; ac proinde substantiam Cerebri immundam: Vnde pessima hinc conjicio.

56 HINC etiam ad tempora si protrahantur, intemperiem caloris indicant: Hinc mens impeditur volubilitate, & ardore spirituum; ne in consideratione quiescat in mediis ad fines aptandis: Vnde hi arrogantes temerarij, imprudentes, & præcipites esse solent: Addit Diuus Bonauentura, declarare hominem negligentem: Contemptor enim, & arrogans media negligit opportuna, de se præsumens; multò magis, si ad tempora, & Genarum prominentiam contra naturæ intentionem expandantur, vt ait Sanctus Doctor: Maior enim calor indicatur.

IOANNES Baptista Porta dicit, eum, qui asserit supercilia hæc negligentiam arguere, nullo fundamento loqui, nisi fortè experientiâ in se facta; quia talibus cinctus superciliis fuit, ac negligens in Physionomia describenda: Sic *libro* 2. *cap.* 3. Hunc, ait, Albertum esse suspicor, eum arbitratum, Opusculum Seraphici Doctoris, esse Alberti: Sic enim & alij dixêre: & quia Diuus Bonauentura breuissimum scribit Compendium; ità ab hoc Neapolitano magnifico deridetur.

57 AT cum Diuo Bonauentura sentiunt Rasius, & Conciliator: Talem Aristoteles, Polemon, & Adamantius, Porco assimilant, qui superciliis talibus cintus, luto, & voluptatibus intentus, cætera spernit, aut negligit: Rationem suprà retuli.

QVAM satiùs Porta fuisset sollicitus, in suo opere à spurcitiis emundando: Stomachantur enim pudicæ aures, dicteriis inhonestis huius sordidi.

SVPERCILIA, ad frontem erecta, Superbum signant, & audacem: His enim excretiones accensæ, ascendentes, igneos spiritus euolare ostendunt: Tales describuntur Achilles, & Andronicus.

SVPERCILIA pilis oblongis, crassis, ac densis, ferum, & magna meditantem ostendunt, vt ait Sanctus Doctor: His enim fuligines terræ impetu pelluntur: Talis est Visus, qui irruit in armatos, & arma: &, si insequens vnum, feriatur ab illo; ab eo, ad hunc rapidè vertitur; vt ait Sanctus Bonauentura, *Sermone secundo de vna Virgine.*

58 SVPERCILIA profilata mollem, & effæminatum indicant.

SVPERCILIA ad nasum contorta, iracundum ostendunt: Talis Leæna, quæ ideò torua dicitur: Hæc ad supercilia habet pellem, *Episcinum* dictam.

TALES describuntur Hercules à Teocrito; Achilles à Philostrato, & Alexander Magnus.

SVPERCILIA breuia tenuuia, pusillanimem indicant; nempè, quia naturam demonstrat imbellem ad halitus illos repellendos; atque adeò complexionem frigidam: Quare, sicuti Calor superbum, & inflatum reddit; quia ignis semper expanditur insatiabilis; ità frigus stringit, condensat, retrahit; ideò mores frigidorum frigidi, tardi, restricti, imminuti à mediocritate, virtuti debita: Ideò importunâ modestiâ etiam à licitis abstinent.

QVÆSTIO V.

De Inditiis ex OCVLIS *morum.*

59 MAXIMA signa Physionomica in oculis elucent, quos ab occludendo, seu occulto dictos, arbitror, vt in Anatomia insinuaui, eò quòd occludant comperiendo occulta cordis, & Cerebri arcana, atque intima penetralia, eaque reuelent; ac proinde occulti per antiphrasim dicantur; quia nihil occultum de Cerebro, & partibus internis sinant: Omnium enim partium limbos exponunt: Primò quidem in palpebris, musculos, membranam carnosam, tunicam, tarsos, & cilia exhibent: Et cùm superior ferè sola moueatur ad oculorum custodiam; (inferior enim parum moueatur) ex earum motu agitato, ordinato, concitato, eruimus affectus timoris, curiositatis, & amoris. In musculis item euidenter motoribus oculorum, exprimuntur affectus. Ideò & nomina apta possident. Sic abstrahens oculum ab interno nasi cano ad tempora indignatorius dicitur. Duo alij oculum gyro voluentes amatorij dicuntur; hi nimirum te-

nues Ælurum imitantur, aut Camaleontem; Quorum prior musculis caret, vel habet exiles; alter absolutè nullos.

VASA pariter, vena vnica à iugularibus; arteria à carotidibus per musculos disseminata, ostendunt, quomodo Hepar, & Cor se habeant. Nerui optici cerebri statum exhibent.

60 TVNICA adnata alba Pericranium, vnde oritur, exponit, seù & Periostæum Sclitorica suam duram matrem exhibet. Choroides suam piam genitricem. Hæc in animalibus variis modò cerulea, &c. In nobis quoque modò cerulea, modò cæsia, per corneam transparet, & irides exponit.

RETINA verò è cerebri, vel nerui interiori substantia, quasi expansa, videtur loqui. Tale est in sua regia Cerebrum.

HVMOR vitreus alens chrystallinum indicat, quàm purum cerebrum sit, multò magis chrystallinus ipse humor. Et si vis, medici more, excrementa lustrare, aspice tertium humorem aqueum, è nutritione chrystallini excretum.

QVAPROPTER in oculi structura mirabili, quasi speculo Animæ nutritiuæ statum sentit; Imò & sensitiuæ; quia ibi commotiones fere omnes elucent, vbi ex capite aduquantur tot partes ostensoriæ status capitis, vbi sensationes cordis, vbi multæ affectiones, maximè amoris, iræ, timoris, & audaciæ, elucent. Non immerito Galenus *membrum diuinum* vocat. Ideò S. Bonau. in huius membri Physionomia latior extenditur.

61 NOTA, oculum ad recipiendas species ordinari, aptas visioni. Ideò oportuit esse diaphanum, non erat antè ad id materia terrea idonea, quia densa, opaca, ac proinde inepta ad species visibiles recipiendas; neque aërea, igneaque, quia species non conseruatent. Igitur coacta est aqueum formare, sola enim aqua apta est species, seù imagines recipere, & conseruare. Quare oculi sunt complexionis humidæ, & frigidæ. Itaque cùm excedent debitam magnitudinem, indicant prædominari humorem Phlegmaticum in eo corpore, atque ideò naturam non posse in eum, sed potiùs cogi ei deseruire, faciendo, non quod vellet; sed quod potest, distribuendo minori, qua valeat, deformitate; eligendo, ex more, minus malum. Hinc, & oculi magni protuberantes ostendunt Phlegmatici humores abundantiam; atque adeò eum à prædominio aqueum; sicut terreus est humor melancholicus, bilis ignea, sanguis aëreus, vt ait S. Bonau.

HINC fiet abundantes in oculo, esse superabundantes humiditate, quæ organa crassiora reddit, motum retardat, ac spirituum viam obstruit. Vnde sensus obtusi, intellectus tarde suas species abstrahit.

E contra, si oculi parui, sint & concaui, signum est dominari ex humorum adustione calidum, & siccum in corpore; ac proinde deficere materiam humidam. Itaque is, à calore iracundus; a melancholia timidus, & pertinax; vnde nec audet se manifestare; sed celat, dissimulat, & prodit.

MEDIA verò oculi temperies, in qua principes vitæ partes tantùm laborant, tantumque deponunt, erit grande totius organizationis perfectæ argumentum. Porrò oculi anatomia consideranda est, quam habes *disp. 4. quæst. 33. & Trac. 9. disp. 5. cap. 1. quæst. 7.*

62 NOTA secundò, in oculis maximè apparere, quorum animalium temperiem ille imitetur, ac moribus inclinet. In his enim, vt dixi natura, effundit arcana. Quare, si quis oculos habeat caprinos, ad frigidum, & siccum propendentem ostendunt naturam. Vnde est animal insanum per prærupta salebrosa ad discrimina inconsiderate saliens, est disciplinæ incapax.

SIC qui Vaccæ oculos similes habet, quæ frigida, & humida est, sequitur affectiones, quæ consequuntur, motum retrogradum ad Cor, frigus enim retrahit, retardat, restringit, & concentrat. Hic facilè ab operibus heroicis recedit, labores timet, animo vilescit. E contra, qui oculos habent Leoninos, à prædominio humidos, & 63 calidos, magis autem frigidos, quàm humidos; & calidos, quàm frigidos, Leonis temperiem imitantur. Vnde generosi sunt, libenter patent supplicibus, clementes, beneuoli, grati, fortissimi, non fugiunt venatorem, si videntur; sed summo animo recedunt, discernunt offensores, irritantes solùm prostratos non occidunt. Sunt autem Leonis oculi non admodum rotundi, non protuberant, coloris leonati. Sic & si oculos nigros habeat, velut equi, indicat vueam, choroidemuè, tunicam aqueam, densam, ac proinde temperatam, vt conuenit; & ideò disciplinæ idoneam. Sic è contra, color rubeus, indicat choleram sparsam per vueam, & corneam. Hæc autem cùm humores exagitet, indicat mores efferos. Sic & color subuiridis, & subcæruleus, indicat defluxum cruditatum, quæ nequiuêre à naturali calore superari, ac venenatum quid habent, & sæpè in vtero halitus similes à matre infans recipit, & ebibit, qui ad amarulentas sensationes disponunt.

OCVLI magni nimis carpuntur à S.D. & omnibus. Sic Aristoteles: *de animal*: Galenus, *l. Quòd mores sequantur corporis temperiem.* Causas tamen variè assignant. 64

DEMOCRITVS nimiæ id adscribit humiditati influenti: Herophilus calori dilatanti. Galenus virtuti primò formatiuæ. Aristoteles diuinæ formationi. Attamen hos bouinos vocat. Sic & Rasius, & Conciliator Oppianus stupidos, & timidos vocant; Talem, ait, Piscem Melanurum, atque similis est Eptus. Subscribit Porta *lib. 3. cap. 1.* Ingenierus *in suo libello.*

S. BONAV. organizationi primò; deinde humido calido hanc oculorum magnitudinem sæpè adscribit, tunc enim vaporatione nimia vini amplificantur, aut Veneris ardore euaporante ad supera; sic enim spiritus sanguinei spermatici euolant, & vehemens, ac bestialis commotio quatit meninges, vnde apparent, & oculorum tunicæ ab eis ductæ trementes. Tales videre est Tauros, Arietes, Hircos, Equosque amatores. Quod si non sint alterati, etunc frigidi, & humidi.

H i p gri, & timidi ab organizatione sunt. Talis Domitianus. Ratio allata est in *Notando.*

ENIM verò oculi moderatè magni; vt ait Aristoteles, laudabiles sunt, subscribit Galenus. Talis est Cerous. Homerus talem describit Mineruam. Talis Socrates, atque Tiberius, qui & noctu videbat obiecta. Ratio est, quia igneos spiritus lumen facientes emittebat, sicut de Æluro, ait S. D. *in 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 4. ad 3.* 65

TAMESTI ælurus oculos paruos habeat, quales Vulpes, & Simiæ. Tales & Aristoteles habuit, vt scribit Diogenes. Possunt autem esse exquisitæ substantiæ, vt ait Galenus. Possunt quoque è dominio societatis cerebri euenire; Tunc malitiam, astum, & dolum indicant. Et si prominentes sint, & rubei, efferænæ linguæ, & instabiles dec

notant, vt ait S. D. Tunc enim calentem, & modicam à cerebro substantiam hæreditasse videntur; vnde oritur instabilitas effrænis cogitationum, ac proinde linguæ impetus erumpit: Tales oculos habent Mustellæ. Pia alter Mustella filiis cæcutientibus succo Celidoniæ oculos aperit, imò vitam pereuntem affert, quod & Hirundo suis præstat pullis; vt refert S. D. *serm. 1. de Ang. serm. 9. de Apost. & serm. 2. de Euangelistis.* Talis Socrates apud Platonem in Tecteto.

66 Ocvlvs optimè constitutus, mediocris est magnitudinis, quò tanquam guttulæ liquoris nitidi reluceant, quæ ad nigredinem declinantes, habeant guttulas rubentes, ad nigrorem intercæruleum declinantes, vt ait S. D. cum Aristotele ad Alexandrum, & sequuntur alij. Talis industrius, ingeniosus, & compositus exprimitur. Huic enim cerebrum substantiam spirituosam, sed attemperatam communicat viuacem, &c. Huic ideò vita longa promittitur.

At si oculi sint nigri, imbecillem, & lucri auidum portendunt, quia his inest substantia nimis terrea, & frigida, non viuax; ideo inops auet sibi prouidere: Ingenierus verò aqueam substantiam indicat densatam hanc nigredinem afferre.

67 Angvli oculorum, qui sunt palpebrarum termini, nec longi nimis, neque breues esse debent. Addit Aristoteles: *de Anim.* angulum, ad nasum si carnosus sit, esse prauum. Subscribit Galenus, & Plinius. Talis erat Tiberius.

Palpebræ, quibus clauduntur oculi, ne sint tumidæ, nec sanguineæ, vel crassæ, aut venculis sparsæ; has *cilia* vocat Albertus, nec ignarus, vt fatuè ait Porta *lib. 3. cap. 3.* Nam Theodorus, Lactantius, & Festus apud Calepinum sic accipiunt.

Pvpillæ amplæ Hyrci, Arietis, & Bouis sunt, atque ideò stoliditatis sunt signa. Quod si Choroides nigra, & in ea guttullæ rubeæ, & quædam ex his ad quadraturam cubi; aliæ pallidæ; aliæ glaucæ, & Irides sanguineæ, & nitor pupillæ notatur: Tales feris omnibus feriores clamat S. Doctor; Tygrides, Lupos, Dracones, Basiliscos imitatos. His enim spiritus ignei, & venenati accubant atri. His ipsa piæ matris proles impia, trux, sæuiens, venenatam substantiam, spiritusque lethiferos immittit. Vnde & cerebrum, & Cor toxico replentur, quibus quodnam antidotum dabis? Talibus similes sunt Lamiæ, catulos vorantes, vt ait S. D. *serm. 4. Dom. 3. post Pentecosten.* Hi sunt Neronis, & Iuliani Apostatæ Musæi. His cubo solido similibus fixa, atra venena. Addunt Porta, & alij, eos esse veneficiorum authores. S. Bonau. omni hos scelere conspurcatos timet. Lupæ eos assimilo, quæ sæua pietate infantes proiectos alit, eosque docet prædari oues, & homines. Vnam describit S. D. *serm. 4. de vno Martyre.* Vnum à lupis educatum huiusmodi describit Riolanus, *de educatione.* Tales Elezinus, & Ioan. Maria Vicicomes, apud Portam *l. 3.* qui canes alebat ad homines laniandos.

68 Ocvli modò agitati, modò quiescentes, molientes iniqua sunt; vt ait S. D. spiritus enim vehementer quatiunt membranas, quia ignei, mox exhalati illum, & desertum organum relinquunt.

Ocvli agiles spirituosi sunt, ingeniosi, industres, & astuti. Calor enim subtiliat.

Ocvli discolores, & maculosi, indicant humores varios in cerebro perturbantes, & si circa pupillam ignescant, impetuosum ad cædes indicant; & si rubei prominentes, accensos spiritus multos, indicant ad iram, & ad vinum pronos; vt notant D. Bonau. & Ingenierus.

Ocvli distorti sunt; eò quod vapores praui, siue in vtero è sanguine materno; siue foris ex halitibus venenatis, quos sentiens, ad caput insinuari contorquetur, vt expellat, sicuti in symptomatibus epilepticis etiam solet euenire, & tempore mortis, & ex talis contortionis frequentatione, oculi distorquentur, sed & substantia cerebri maculatur, & læditur ab illis vaporibus. Vnde etiam sensationes distortæ ad extrauagantia sensibilia inclinant. Vnde huiusmodi ad peruersa tendunt; quorum consuetudinem vitandam ait Ingenierus. Talem referunt Atilam.

Ocvli albi, non liuidi, temperiem frigidam, & humidam indicant, atque spirituum egenam. 69
Vnde hic pusilanimis, timidus est, & auarus. Nam frigus retrahit, atque restringit. Tales sunt etiam lusci, in quibus spirituum inopia offunditur. Sanè frigus est qualitas, ad mortem deducens, illique amica, magis, quàm vitæ. Hinc breuem his vitam auguror.

Ocvli glauci, splendore tamen micantes, indicant audacem, & peruigilem ad malitiam; vt ait S. D. Aristoteles talem Gallo, & Coruo assimilat: Admantius, Capris: Plinius quoque, Lupis: Porta, Marinæ Testudini, cuius pupillas auro inserunt, vt refert Ælianus. Hunc splendorem libidinis notam proclamant; imò rapacitatis, & stoliditatis. Si verò cæsij sint splendentes, audacem dicunt. Si nigri, timidos, & dolosos indicant: Si etiam ridentes, fœdos. Si splendor sit aridus, sæuitiæ est nota. Si superstet, veluti funiculus, & palpebræ sint asperæ, robustum, fortem, præcipitem indicat.

Ocvli humidi splendentes, vt guttulæ aquæ, 70
moribus compositum indicant, vt ait S. Bonau. & cum eo Physionomici apud Portam *lib. 3. c. 11.* qui multos Heroes recenset, talibus oculis præditos. Hi enim cerebri materiam puram indicant à fœcibus. Sicut è contra, splendor accensus, cerebrum accensis spiritibus calentem indicat, & à corde ad sensibilia obiecta prosequenda inflammatum. Tales sunt & quidam canes feri, & Lupi; è quibus si vnum percutias, cæteri ad eundem percutiendum, ac morsibus laniandum accurrunt; vt refert S. D. *serm. 9. de Apostolis.*

Ocvli splendentes torui, fortem, & iracundum signant. 71

Ocvli turbidi, infidum ostendunt. Oculi decolorati, timidum; nam sanguis, timore pulsus, deserens extrema, ad cor descendit.

Ocvli caui, fœdi, obscuri, crudelem signant. Talis Catilina, apud Salustium; & Nero, apud Suetonium.

Ocvli humidi, obscuri, & mediocres, ingeniosum, & constantem indicant.

Ocvli caui, torui, & minaces, sunt crudelitatis portentum. Tales fuere Mehemet secundus Turcarum Rex, Selimus decimus, & Selimus Solimani Filius, & Selimus nonus; cæteris atrocior. Talis Anastasius Imperator, Christianorum hostis, apud Cedrenum. Tales oculi indicant enixum Cordis, & cerebri ad vehementes actus.

Ocvli acriter intuentes, si sint humidi, indicant hominem veridicum, & in agendis velocem, 72
ac prouidum; vt ait S. D. Ratio est; quia his subministrantur optimi, & continui spiritus, vt actum visionis non lassati contineant. Indicant & speculantem;

speculantem; ad id enim anima, & oculi derelicti manentes, virtutes ad interna vocant; sunt etiam aliqui ad id ordinariè ità affecti: & hi eleuato intellectu pollent.

Tales oculos habet Aquila, quam describit S. D. *toto serm. primo de Ascensione*, & *serm. 3. Dom. 24. post Pent.* Maximè autem laudat perspicaciam, qua Solem illæso lumine fixo intuens; sic filios ad experimentum probat. Eam, ait, renouari, rostrum, è senectute nimis aduncatum, ad silicem rotando, vt apta sit edere. Hanc ab Hirundine timere, docet *serm. 2. de S. Matthia.* Eam etsi filiorum amantem nutricem, eos tamen adultos à se repellere dicit, *serm. 2. de D. Antonio Pataino.*

Prooemio in Ioannem, & *ad cap. 1. & 13.* multas Aquilæ dotes exponit.

Rursus *ad 17. Lucæ* in ea verba: *Vbicumque fuerit corpus, &c.* & è *Iob 39.* refert D. Hieron. *ad cap. 24. Matth.* Aquilas, & Vultures transmarina sentire cadauera, viuacissimo olfactu, limpidissimoque aspectu pollere.

Tales ferè oculos habet Falco, de quo S. D. *serm. 1. de vno Confessore*, refert, colligere filium Aquilæ proiectum, eò quòd ad Solis intuitum palpitarit, eumque cum suis nutrire. Et *serm. 5. de plur. Martyr.* ait, adeò eum ab Aquila pauere, vt qua die eam viderit, non audeat ad prædam exire.

73 Talis intuitus fixus est etiam Leonis, qui & oculis dormit apertis, vt ait S. D. *serm. 4. de Angelis*, vbi etiam inter Grues aliquam excubias agentem ait, oculis vigilantibus. Sanè & hæ fixum oculum ponunt.

Oculi fixi apud Auerroem, frigidi; si fixi, & humidi, timidum signant, aut mansuetum, apud Adamantium; si sicci, turbationibus plenum indicant, aut insanum, apud Albertum. Similiter, si firmi sint, & pallidi; si fixi, albicantes, & obscuri, infidum machinatorem indicant. Sæpè id etiam euenit ex humorum crassitie, & hi obtusi sunt.

74 Oculi fixi sæpiùs erecti cum suspiriis, malorum sint plerumque molitores.

Oculi subtus aspicientes, amatorij censentur, apud Plutarchum *in Antioche.* Ratio esse potest; quia amantes derelictas partes extrinsecas habent, virtute concurrente ad cor languidū adiuuandum.

Oculi, fixi, magni, libidinem indicant, si rubescant: Si autem hi inclinati ad terram, malis cogitationibus plenum indicant. Si parui, & fixi, lucris intenti; si trahant cum ciliis frontem, auari; si parui, & prominentes, iracundi suspiciuntur.

Oculi modicè parui, firmi, humidi sub fronte extensa mobilibus palpebris, hominem scientiarum curiosum, amatorem disciplinæ, & docilem indicant, apud Albertum Magnum.

Oculi è contra, qui frequenti motu aguntur, sed quasi firmi, & albâ tincturâ aspersi, eximiò præditos ingenio indicant.

Oculi, qui mouentur, vt turbati, suspiciosum indicant, & infidum. Talibus oculis vagabatur Iulianus Apostata.

Oculi simul cum palpebris emoti, apud Albertum, feroces sunt & audaces. Sed Polemon, timidos ait. Ego reor audaces, quia ibi abundant spiritus. Si verò parui sint cum palpebris emoti, pessimi sunt apud Portam.

Oculi moti, immotis palpebris, audacem, & sibi fidentem indicant.

Oculi obscuri, circumlati, insaniæ nota sunt, vel gulæ. 75

Oculi ad motum tardi, insensatos, & pigros indicant, ex frigiditate.

Temperate moti, sunt temperamenti boni, & primarum qualitatum.

Oculi tremuli, & parui, fraudulentum indicant: magni verò libidinosum, & stolidum. Oculos Veneris tales describit Apuleius. Exeunt enim spiritus ad rem amatam obuiam, & tunc destitutis internis tremunt, lingua oculi, & crura.

Oculi tremuli, quasi erumpentes, praui sunt: Tremor enim agitationem indicat.

Oculi trementes, erumpentes, magni, splendentes, humidi aspectus, magnanimum ostentant; sed iracundum, vino deditum; vt ait S. D. Talis Alexander Magn. Tales enim contemperatos ex parte viuaces spiritus habent.

Oculi tremuli, & tumidi, gyrantes, sunt praui. Si autem etiam obscuri, deteriores sunt. Hi enim influxus, & defluxus violentos supponunt.

Oculi multæ clausuræ, seu, qui multum, ac sæpe clauduntur, è duabus causis id patiuntur, ex Galeno. Prima est conuulsio neruorum, seu musculorum attrahens; altera est virtutis imbecillitas. Vnde Porta, hos ait esse timidi animi, & imbecilli; mobilem, & inconstantem, huiusmodi censet Seraphicus Doctor; quia deficit virtus stabiliens.

Si dum clauduntur, eleuantur, & stant; Venereum indicant. Tales enim calore exhalante ad caput attollunt. Talem Poëtæ Venerem describunt; & *Veneremptam* ideò vocant.

Oculi, qui rectà inclinantur humidi, lucidi, & mediocres, verecundum significant, bonæ indolis, studiosum, doctum, & benignum. Ita Polemon, Adamantius, Albertus. Si verò sicci, malignum, temerarium indicant. His enim intemperies: illis temperies inest humorum. 76

Si verò incliuati; sed frons aspera, cilia obliqua, palpebræ duræ, Syluestrem hominem portendunt, & audacem.

Si oculi inclinati, tremulis palpebris, libidinosum dicunt, effœminatumuè saltem, qui virilis videri vult.

Oculi multum aperti, & altè defixi, cogitabundum indicant, & contemplantem: si lucidi, humidi, magni, profundi, & molles bonos contemplatiuos indicant: si autem sicci, obscuri, parui, interni, duri, & fixi; machinatores.

Oculi semper aperti obscuri, & humidi; hominem indicant prudentem; atque placidi, hominis testantur bonitatem.

Oculi sicci, splendidi, acutè infixi in alios, inuerecundum, & stultum indicant, vt ait S. D. Ratio est, quia plurimi spiritus igniti ad musculos infixi sunt. Subscribit Albertus. 77

Oculi aperti, splendidi, hilares, aspicientes suauiter, gratiam ineunt, apud alios, ac temperiem claram, aëream indicant, ad vitam optimè directam.

Multi homines apertis oculis dormire feruntur apud Portam *lib. 3. cap. 16.* Hos Lepori assimilat, qui oculis apertis dormit, apud Xenophontem. Ità à Græcis denominantur à Lepore Coribantes, vt ait Plinius. Porcades timidissimæ sic dormiunt. De Lepore id narrat S. Bonau. *serm. 4. de Angelis.*

Oculi, qui frequenter clauduntur, & reserantur, insidiosi, & ignorantes signantur.

Oculi verò humidi, tales prudentes, scientiarum

tiarum amatores indicant: si tamen in eis tremor; stultitiam portendunt.

78 OCVLOS frequenter prementes, claudentes, timidi sunt; vt ait S. D. cum Aristotele, Polemone, & Adamantio. Ratio est, quia motus musculorum est ab apprehensione; hi verò apprehendunt res fugiendas.

Si oculi sic agitati sicci sint, insidiatores portendunt. Si distorti, & pallidi etiam sint, bestialis notæ.

OCVLI duri, id est, qui non palpitant, homines robustos, & inuictos ostendunt. Sunt enim calidi, fortes; vt ait Aristoteles: Tales erant Gladiatores quidam in ludis, & certamine.

Hi, si humanè aspiciant, humidique sint; boni; si tamen sicci; mali. Tales Christerni, Regis Dacum, oculi viperini, igniti, & firmi.

79 MOBILITAS magna oculorum, est stultorum; iudicant enim magnam cerebri agitationem. Et si acuti intuitus, calorem, & subtilitatem, etiam ad malitiam indicant; vt ait S. D. cum Aristotele: Rasi, & Conciliatore. Si ampliùs rubescant, animosum indicant. Tales multi aues rapaces ferunt.

OCVLI lusci, debilitatem, & crassitiem cerebri indicant.

OCVLI delicatè intuentes effœminatos ominãt.

OCVLI ridentes; deceptores. Talis Æneas, & Tamasus Persa.

OCVLI mœsti, si humidi, prudentem indicant, & philosophum.

OCVLI sursum, non deorsum versi, stolidos, & epilepticos signant; si etiam pallidi, praui; si rubescant, deteriores ominant.

OCVLI dextrorsum versi, Hyrcini sunt, similes etiam mores simulant.

OCVLI deorsum versi, eodem modo se habent, quo supradicti.

80 OCVLI sub se vesiculas habentes, somnolenti sunt. Illæ enim procedunt è copia humoris frigidi, & humidi, è cerebro defluentis. Et quia somnum est ligatio sensus communis, recurrente calore, & reuertentibus spiritibus ad Cor; ideò, vbi cerebrum humoribus frigidis, & humidis, homo somniculosus fit; humiditas enim obstruit vias caloris, & spirituum ad caput; ad modum, quo nubes radios solis impediunt. Ità igitur frigus calorem reprimens, inducit somnolentiam.

QVÆSTIO VI.

Indicia Physionomica ex AVRIBVS.

AVRES prominentes, & valdè magnæ significant stoliditatem, garrulitatem, & vitam longam, ac imprudentiam, apud D. Bonau. Ingenierum, Portam, & alios apud ipsos.

81 NATVRA enim dædala, vt omnes partes proportione contexat, è semine, partes nobiliores ad præclariora impendit; terrestriores verò ad alias, maximè, quæ exigunt soliditatem; ità aures cartilaginosas ad ossa accedentes construit. Quoniam verò aures homini ad sonos excipiendos, & ad ornatum solum componit; ea proportione eas dat, quæ requiritur; ad vtrumque autem satis est, si perbreues sint; non enim ad muscas abigendas contulit, sicut bestiis, vnde & musculis perbreuibus appensæ sunt; ideò immotæ. (Et si in aliquo mobiles, vt Iustiniano apud Procopium;) Muscas enim manibus abigit. Quare aures prægrandes indicant crassioris materiæ cartilagineam copiam, quam ibi appellit natura, minus malum eligens. Quare hi terrestrioris temperiei sunt, quales Asini, quorum sanguis crassissimus, ità inepti ad speculandum, inhabiles ad praxes, inconsiderati; ideò insipienter, quidquid in buccam venit, proferunt, & loquaces sunt. Hi aduersa non ponderant, vnde vitam longam trahunt.

ASINAM stolidam narrat historia Iudicum locutam. Quærit autem S. D. qua virtute loqueretur. Respondet, *serm. de S. Michaële*, non dedisse Deum eo tempore illi virtutem loquendi; sed Angelum mouendo linguam eius, formasse verba illa, sicut diabolus mouit linguam serpentis. Id probat è D. August. *lib. 1. de mirabil. Script. c. 34.* & Origene. 82

De his iumentis alia disserit *serm. 3. Dom. Palmarum.*

AVRES valdè paruæ, malignitatis sunt indicia, vt notat S. D. Cùm enim natura toto conatu enitatur, vt opus suum, quàm potest, perfectum cudat, & dispertiatur materiam seminis ad omnia, secernens excreta terrea ad duriora mittit, puta ad cartilagines, si ad has construendas desit materiæ copia sufficiens, signum est, vel calorem nimium excoquere, vel parum; ità vt vel partes terrestres absumptæ sint; vel non secretæ; atque aut etiam humidum radicale rosum esse, vel impurum. Vtrouis fiat modo, deficit; & si ex defectu caloris fiat, erit homo timidus sibi insidiosè prospiciens, cùm nequeat virtute; si è nimio calore absumente etiam radicale humidum; erit homo promptus ad scrutandum, quibus viis dolosè sibi prouideat. Tales Vulpes, Lupi, Canes aliqui, Simiæ, & Serpentes.

AVRES nimis rotundæ indocilem indicant, apud D. Bonau. Portendunt enim terream siccitatem in se contractam crassiorem. Hæ, si etiam lobum aridum habeant, sicciores sunt, ea enim pars naturaliter mollis facilè perforatur, estque delicati sensus, quippè neruis communicet. Ideò si refrigerentur, sentitur in toto corpore refrigerium. Cùm autem arridi sunt lobi, arguunt neruorum duritiem, & inopiam. Sint igitur aures mediocres, lobis ornatæ; Hæ optimæ. 83

AVRES, si exsculptæ sint, naturam Phydiam insonant laudatam; alioqui terrestriorem materiam sculpturæ difficilem exhibent, & stupidum sonant.

AVRES oblongæ, & angustæ, inuidiæ signa sunt, vt ait S. D. Cadentes enim partes aurium, contractæ è capite frigido, & inope prodeuntes, sibi tantùm consulunt, non externis excipiendis. Ità Adamantius, Albertus, Porta, & alij.

AVRES iacentes, & supra caput applicatæ, pigritiam designant, frigiditatem enim, & imbecillitatem partium ad se extendendum ad loca debita præmonstrant.

QVÆSTIO VII.

Indicia Physionomica è GENIS.

GENÆ crassæ, iudicio S. Bonau. ignauiam indicant, & somnolentiam. Ratio S. D. esse potest; quia is opiparam habet nutritionem; vbi autem nutritio abundat, sensitiua minuitur, 84

vt

vt ait S. Doctor, & alij apud Portam *lib.* 2.

GENÆ nimis tenues, indicant malignitatem (Addit S.Bonau.) Hi enim in machinando emaciantur, nutritiuæ opus mortificando. Tales sunt aliquæ rapaces aues, vt Miluus, Bubo, Noctua.

GENÆ nimis rotundæ inuidiam indicant, vt notat S. D. Desiccantur enim musculi, & recuruantur, vt dixi *quæst.6. de Auribus.*

QVÆSTIO VIII.

Indicia Physionomica è NARIBVS.

NARES patulæ, amplæ, alacritatis, & fortitudinis sunt indicia, apud S. D. Adde & Iræ.

85 NATVRA enim partes officiales, ad officia construit apta. Nasus, non solo olfactui; sed & aspirationi, & respirationi aëris ad cerebrum, ad spiritus animales, & ad cor in refrigerium, & ad spiritus vitales cudendos, destinatus est. Eis igitur, qui cor calidum gerunt, dedit vias amplas respirationi, vt aërem copiosum ducant. Tales autem fortes sunt, & alacres, quia spiritibus abundant, & hi ex malo sibi obiecto arduè vitando excitantur ad iram, spiritibus ad cor reuersis ad imaginem mali impugnandam, & eorum concursu accensus cor, accendit corpus, ac ita ad contraria expugnanda disponit. Tales sunt Rhinoceros, Elephas, eius hostis, ac Leo, magnanimi. Quia enim, *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*, hinc nares patulæ factæ ad recipiendos amplos mamillares è cerebro neruos, qui cerebri fœcunditatem indicant, & ad motum, ac sensus perfectionem. Vnde anima, corde, & cerebro optimis armata, attollitur ad opera grandia.

86 NARES è contra longæ, & tenues, mobilitatis, leuitatis, ac modici spiritus vigoris indicia æstimat S. D. Ratio est, nam Cordis calor paruus, & Cerebri vigor modicus arguitur; ac proinde cognitio imperfecta, praxis, leuis intellectus, inscitia, ac mutatio volitionum ex imperfectione præuia sensationum resultat. Hi tamen, quia vias refrigerij habent angustas, sæpè nequeunt, quantum egent. Vnde hi indignabundi sunt, & absque ratione; quia, vt dixi, malè apprehendunt, cùm imaginatiuam habeant angustam; vnde & angusti descendunt processus mamillares.

NARIVM pars, quæ iuxta frontem est, si nec alta, nec humida; sed æquali linea descendat, virile signum est; & prudentiam, ac constantiam demonstrat, vt ait S. D. Ratio est, quia recta soliditate constant neruorum propagines; ac proinde efficacem, ac bonam apprehensionem supponunt.

87 NARES, minores debito, alieni auidis assignantur. Tales sunt ferè omnium ferarum; exceptis relatis. Etenim absque discretione ad furta properant, & rapinas. Indicant enim inopem naturam, anxiam sibi dolo prouidendi, cùm virtute careat.

NASVS Aquilinus regium quid ostentabat apud Persas, & magnanimum.

SIC leguntur apud Xenophontem, & Plutarchum, Cyrus, & Artaxerxes, similem nasum habuisse: Per multas ætates Persæ hos solos ad Regnum admittebant. Talis fuit Schanderbegius. Tales magnus Sfortia, Mahumetes II. Selimus, Solimanus, Constantinus Magnus. Tandem D. Carolus. Vide alios in Porta *lib.* 2. *cap.* 7. Est signum etiam superbiæ, & rapacitatis, apud Ingenierum.

AQVILA cor Regium gestans, aliis auibus conuiuis dat escas, eisque superstat, & ideò altiùs euolat, & in arduis ponit nidum; vt disserit S.D. *serm.* 1. *de Ascens.* Quare nec homini videtur obedire, nullum sibi imperantem agnoscit, vt ait Dominus Iob, Arabiæ Regi, *cap.* 30. *Nunquam ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum?* Hæc, & alia de regiis Aquilæ dotibus disserit S. D. *loc. cit.* & *Proœmio in Ioann.* & *ad cap.* 1. & 13.

NASI Coruini in eo differunt, quòd illicò è 88
fronte adunci descendunt. Hi impudentiam indicant, & inclinationem ad furandum. Talis est Coruus. Talis Catilina. Præceps enim descendit exsiccus, è cerebro elatus. Vide Ingenierum, & Portam.

NASVS simus, libidinem indicat. Tales Simiæ, maximè rufæ, & Cerui, qui insaniunt ad copulam. His enim calor intensus, secretiones seminis terreas elaborans ad cartilagines aurium, & nasi formandas, cùm superfluitates calor absumat; his cudendis materia deficit: natura verò in extremitatibus libentiùs permittit defectus, vt minus malum eligat. Minùs enim naturæ complementum referunt extremitates. Ità simitas in calidis apparet, sic in infantibus, sic in Æthiopibus. Ex quo sequitur, simos libidinosos esse, Socrates simus fuit. Potest verò etiam ex debilitate excretionis oriri; vt dixi de auribus: Vnde sequitur, quod ibi disserui.

NASI extremitates acutæ, impatientem, con- 89
tentiosum, & superbum indicant. Hi enim à prædominio, bili ignea, & subtili calescunt; ignis autem acutè consurgens ad figuram Pyramidis, ad eandem reducere satagit etiam alia, quibus coniunctus præualet; vnde in homine, & animalibus ea membra acuit, quæ potest, vt nasum. Quare, cùm ignis sit leuis, instabilis, & calidus; tales reddit, quibus prædominatur, vt instabiles sint, impatientes, leues, repellentes omnia molesta, rixas excitantes; vi amatores; aliorum hostes. Sic enim ignis se solum, ex aliorum substantia conatur alere, cætera destruendo. Tales sunt Aues, in quibus contentiones, & rixas sum demiratus, etiamsi alioqui essent canori, & domestici.

NASVS rotundus magnanimum refert. Natu- 90
ra enim frustra non operatur, neque casu; sed ad finem. Ideò homo, cui similem alicui animali effigiem contulit, similes quoque dedit sensitiuas propensiones, vt ait S. D. & cum eo Ingenierus Episc: Quare si Leoni similem physionomiam dederit, dabit & propensionem.

NASVS grossus, stoliditatis Bouinæ est signum. Componitur è crassitie carnis, & cartilaginis, quæ terrea cùm sit, atque abundans, terreum facit grossioris capacitatis.

NASVS Galli, audaciæ, & libidinis est signum, apud Portam.

NASVS toto cursu si sit crassus, Porcinus; Caueat, ne porcis talis similetur.

QVÆSTIO IX.

Signa Physionomica è FACIE, *&* VVLTV.

FACIES totum exponit capitis prospectum à fronte ad mentum; Vultus addit mutationes accidentales, quæ in ea eueniunt.

91 FACIES crassa, Bouinæ stoliditatis est nota, vt ait S. D. maximè, si & maxillæ sint tales. Exponit enim materiam terream, qua obstruuntur viæ spirituum, eosque crassos supponit. Sic ait Aristoteles *de Physionomia*.

FACIES rubea vinosa, copiam sanguinis claudit; vnde fumi, & calores ineptum reddunt cerebrum ad pacatas sensationes. In his modicum discretionis, sed aptitudo ad ebrietatem. Si autem flammæ similis, insaniæ est nota; tantum enim incendium cerebri sinus perturbat.

FACIES verò temperatè rubicunda sanguinem temperatum ostendit. Et si calor etiam clarescat, ingenij maiorem dicit habilitatem; claram apprehensionem, ac boni, malique discretionem, & hi verecundi sunt, oblato eis malo.

92 FACIES subuiridis, bile viridi reficitur, ignea, amara, maligna sanguinis suauitatem destruente. Ideò facilè, à benignitate, bonitate; ad malignitatem, & malitiam, inclinat. Est illa bilis excrementum sanguinis, igneum, adustum, viridi ramo simile. Non adeò lethifera est flaua, quæ est spuma sanguinis. Hæc in facie, rixosum indicat.

FACIES squallida procedit è profunda meditatione, fixa imaginatione, multos spiritus consumente, sanguinem eleuante, ac nutrimentum membris rapiente. Quare squallida facies est cogitabundi, & anxij, atque profundi.

93 FACIES pallida timidi est; sanguine, ac spiritibus carente. Ideò frigidi; Vnde restringit suas pusillas vires ad centrum. Hæc repugnant audaciæ, quæ est motiua spirituum ad circumferentiam; ideò nil grande, nil heroicum molitur; sed fugit, pauet, ac omne malum æquo nimio æstimat.

FACIES nigra esse potest, vel è calore humidum vrente, vt ignis prunas: vel à terreo opaco exuperante; & vtrouis modo fit, reddit inopem spirituum, abiecti animi, demissum, & hunc natura sibi conscia ad vilia deiicit.

FACIES alba Phlegmaticum prædicat, & ideò frigidum, pigrum, obtusum; & timidum.

FACIES oleastra, sanguini melancholiam naturalem modicè calefactam indicat coniunctam; ac proinde ingenium viuax, & intentum, atque attentum studiis, fixum in consideratione veritatis, non inconstantem. Vnde nec facilè voluptatis illecebris, aut mundi fallaciis attrahitur. Porrò ait Episcopus Ingenieros, omnes ferè heroes, hoc colore esse depictos.

94 FACIES prælonga calorem arguit extendentem in suo ascensu partes superiores; vnde etiam ad igneas propensiones attollit, ad superstandum cæteris; sibi altè multa attribuenda, &c. alios opprimendos. Hi tamen ad mediocritatem temperato calore aliquando reducuntur, & ad opera magnanimitatis deducuntur. Talis Vladislaus II.

FACIES, corporis proportionem excedens, ostendit naturam formatricem imbellem, non valuisse separare, excernere partium crassiorum materiæ copiam; sed veluti figulum, circa duriorem cretam laborantem, fuisse coactam, eam ad faciem ruditer expandere. Hi terrei sunt, viles, pigri, & asinis non dissimiles.

FACIES parua ostendit etiam cerebrum ad modum recipientis paruum; Vnde sensationes deprauatæ, deceptoriæ, præcipites in iudicando; quia spiritus, à corde nimis calidi transmissi, compressi, & incensi, confundunt, vi agitando sinus cerebri. Vnde hi temerè iudicant, malè exequuntur, leues in suis volitionibus, inconstantes in sententiis, versuti ad dolos. Quod si insuper nigra sit, torridam indicat complexionem, quæ eo copiosè exhalat. Vnde in hoc pertubatior sensatio, mala apprehensio, ad quam peior sequitur deliberatio. Vel ex partibus terreis resolutis est facta constitutio; vnde sine spiritibus sensationes fiunt.

FACIES extenuatà, subtiliantem calorem includit, qui ingeniosum reddit industrium. 95

FACIES ossuta, & terrea, Asinis, & Ceruis non est absimilis.

FACIES rugosa, frigida, senilis, pigrum, pauidum reddit, & auarum. 96

FACIES deformis arguit naturam dædalam ex materiæ ineptitudine, ex humorum contumacia, & ex partium rebellione, non valuisse assequi intentam faciei, in qua maximè laborat, proportionem, ac proinde coactam illas permittere deformitates. Talis ad omnem ferè prauitatem inclinatur.

EA igitur erit perfecta facies, quæ partium proportionem, cum lineamentorum, atque colorum suaui quadam pictura, & sculptura continebit. Eam descripsi *disp. 3. quæst.* 4. in Adamo.

HIS aliquando vultus quædam radians adiungitur maiestas, qualem in Priamo, Hectore, Achille, Goffredo, Carolo Magno, Sfortia, D. Bernardo & aliis, describunt Historici, & qualem hac nostra tempestate in *Ludouico Magno XIV.* quotquot eum aspiciunt, demirantur.

VVLTVS dependens, subdolum exhibet, Vulpi similem.

VVLPES, inter quadrupedia, dicitur antonomasticè à Christo, foueam struere, *Matth.* 8. quia 97
more bellico eam excauat, struit industriis aptam ad insidias, ad rapinas, ad furta, ad fugam, ad dolos; vt ait S. D. *serm.* 3. *Dom.* 4. *Adu.* Vulpes dolosas selegit Sampson ad inimicorum segetes vrendas; vt disserit S. D. *serm.* 2. *Dom.* 4. *post Epiph.* Tostatus *ad eum locum Iudic.*

VVLPES Coruum assumit commilitonem ad pugnam, cum Taxo vnguibus feris armato, vt ictus à se diuertat; vt ait S. D. *serm.* 10. *de Apost.* Fraudem Coruo à Vulpe illatam ex Æsopo *lib.* 2. *fab.* 11. refert ibi.

ADDIT *ad* 9. *Lucæ*, Herodem apte Vulpi comparatum. Rursus, Vulpis astum carpit *ad* 13. *Lucæ* in ea verba. *Dicite Vulpi illi*, ostendens à Diuinâ elusum Herodem sapientiâ, quæ attingit à fine ad finem.

E vultu sanè arcana hominis aperiuntur; confluunt enim è Corde, è cerebro vasa plurima. 98
E vultu: Hinc Labanum Iacob; Saulem Dauid agnouit infensum.

MOESTVS vultus, cui non indicat Cordis mœstitiam?

stitiam? Sanctam mœstitiam in vultu Ludouici XIII. Iusti, Regis Galliæ, obseruat Comes Bisantion, ex consideratione Æternitatis, & pœnarum Inferni. Proficua sanè mœstitia, nam moriens, ad S. Germani Sepulchra Regia vultu conuerso, exultans ait: *Me quies expectat ibi.* Mœstus, sed cruciatus erat Andronicus.

Vvltvs hilaris, animi serenitatem pandit. Tales Augustus apud Suetonium, Vlysses apud Daretem, Scipio apud Suidam, Constantinus apud Zonaram, D. Bernard. apud Soffredum. Sic vultus eis grauis, etiam grauitatis stemma.

99 Vvltvs elatus, nulli temeritatem non reuelat. Sic Alexius Comnenus visus est, apud Ælianum.

Vvltvs atrox, cui non incutit animi efferati exemplum? Talis Diomedes apud Daretem, Tamerlanus, Baiazetes I. Hanibal, Attila, & Andronicus.

QVÆSTIO X.

Signa è Labiis *Physionomica.*

100 Labia delicata in ore maiori, si superius labium, aliquantulùm exuperet super inferius, magnanimum indicant, Leoni similem. Ita D. Bonau. cum Polemone, Alberto, & aliis, apud Portam *lib. 2. cap. 12.* Tales sunt etiam Canes aliqui fortes venatui. Canem Marti immolabant populi Icariæ, ob eius audaciam; vt scribit Apollodorus. Lacedemones apud Pausaniam, & Eurialum, idem consueuêre.

Ratio ab eis non affertur; Sed eam afferam ego; *Illustres* ab Anatomicis vocantur duo musculi superioris labij, ex intermedio oculorum, & nasi descendentes. Hi intermiscentur venis, arteriisque; Vnde est ille rubor. Quare irâ accensa tremunt. Hi igitur, superius labium constituentes, indicant cor spirituosum, & viuax spiritibus defæcatioribus, & eleuatioribus. Caput optimè musculis connexum, validum, ac optimè contextum. Malè Ingenierus hos carpit, vt canes viles.

101 Labia tenuia oris parui, imbecillem animum indicant, & versutum; vt ait S.D. cum Polemone. Hi similes Æluro, & Mulieribus. Hæc enim substantiam è corde, & cerebro manantem, eò tenuem immitti probant. Ingenierus eos subtiles prædicat, è subtilitate.

Labia inflata iuxta dentes caninos, Suillum indicant: Apud Incisorios, mollem notant.

Labivm superius cum gingiuis foras extuberans, iniuriis inferendis propensum indicant, & Canibus similem rabidis.

Labivm superius crassum, & superabundans inferiori, Asininum denotat.

Labivm inferius exuperans, rudes ostendit; si ad dentes caninos inflatum; venenati, vt Viperæ, indicantur.

Labia soluta, aliquantulum ab ore pendentia, inertem demonstrant. Nam in Asinis, & equis veteribus ità inuenitur; vt ait S. D. Hæc enim ostendunt flacidam cerebri substantiam, & capitis, ad labiorum stabilitatem firmandam.

QVÆSTIO XI.

Signa ex Ore *Physionomica.*

Os paruum mulieribus conuenit, & effœminatis, vt ait S. D. Delicatæ enim temperiei indicium est, ad modicum cibum, ad silentium, & decorem. His est musculus circularis, fungosus, vnginibus conueniens, vt aiunt Anatomici, paruus est. 102

Tale os gerunt pusilla multa quadrupedia, atque reptilia.

Os ingens à natura datur, quibus ventriculus amplus ad multum cibum capescendum: Vbi obseruo labia oris confinia, tegi tunicâ, ventriculo communi; Vnde in vomitu labium inferius tremit. Hæc indicant magnum calorem coquentem; appetitum sensitiuum cibi immoderatum. Quare os tale voracem, ac proinde luxuriosum denotat. Et quia è multo cibo nimia oritur spirituum copia; hinc isti arrogantes, & insolentes fiunt. Tales sunt Leones, Lupi, & aliæ belluæ: Talia etiam Marina monstra. Hos voraces, immites, ad impietatem proclives inclamat S. Bonauentura.

Os protuberans, crassum, Porcinum est; exiens verò labiis crassis rotundis, Arietinum. Hi, è materia crassa compositi, vt vasa lutea, crassioris mineruæ sunt. 103

Os semper apertum arguit compositi terreitatem ad motum ineptam, ac proinde crassitiem vitæ ineptam, quæ ignarum, & ignauum reddit.

Os verò nimis apertum, efferum, insatiabilis appetitus conuincit, iuxta rationem suprà latam.

Os prodiens paruum, Vulpinum, & Serpentinum est: Substantia enim his attenuata, & subtilis in acutam pyramidem finit.

Dentes rari indicant, naturæ formatrici defuisse materiam osseam, & solidam, qua, veluti fundamentis, hanc fabricam struxit: Indè his vita breuis assignatur. 104

E contra magnis, & densis, validisque dentibus armati, ostendunt solidam corporis fabricam, & calorem validum. Ideò hi fortes, & magnanimi; sed etiam terribiles creduntur.

Dentes canini arguunt hominem, laniando inclinatum, vitæ potiùs caninæ, quàm ciuili, aptum monstrum. Homo sanè est magis armatus, quàm bruta; quia valet manibus moliri machinas defensiuas, & offensiuas. Quare dentibus non eget ad lanienam: etsi natura huius generationem adeò neglexerit; videbis eum inclinatum ad prædandum, laniandum, & similia.

QVÆSTIO XII.

Signa è Mento *Physionomica.*

Mentvm aliquantulum prolixum minùs iracundum, & perturbatum demonstrat, vt ait S. D. Iste enim, spiritus è corde in via ad cerebrum, à calore ad temperiem, reducit. Vnde temperatiores fiunt, cùm ad caput perueneriint; 105

peruenerint; temperiem, è narium aspiratione, è lato sinu vberrime recipiente, copiosum aërem sugit, atque adeò spiritus animales, sensibus internis, ad species recipiendas vberes parat, & temperatos.

Qvi os paruum, & breue mentum habent, immites sunt, & inuidi. Hos enim ad serpentes referebat Plato; vt monet S. Bonau. Tales sunt & fœminæ plurimæ. His via breui ascendunt spiritus è corde calidissimi, & aër frigidus perturbatam reddentes commixtionem ad spiritus animales conficiendos. Serpentes eos diceres iratos. Serpens hausto toxico, vel à suo grauatus, herbam edit, & enomit; vt ait S. D. *serm.* 1. *de SS. Philippo & Iacobo.*

Serpentis tres astutiæ numerantur à D. Bonau. in Diæta *tit.* 5. *cap.* 5. Prima est corpus exponere, vt caput seruet. Secunda per saxa renouare pellem. Tertia deludere incantatorem, claudendo sibi vnam aurem innixam petræ; alteram cauda obserando. Hoc de Aspide refert S. D. *ad Psalm.* 57.

106 Mentvm commensuratum, ad quadraturam accedens, bonum acclamat S. D. Hac enim aptam basim, apta fundamenta cranio optimo ad relata munia ponit.

Mentvm, si longè in prolixum distendatur, dolis assuetum ostendit, vt ait S. D. Ratio videtur; quia prælongos, atque abditos in recessus habent hi proportione quadam sinus cerebri, vbi plurima recondita phantasmata, quæ longo progressu aëris, & spiritus, fouentur absconsa; & plurima occurrunt in recessu, plurimas res ex hibentia: Vnde hi abscondité meditantur, eligunt, ac exteros decipiunt.

Rationes singulis assignare arduum fateor, præterquam ex praxi à posteriori; tales experimur taliter compositos; & aptatis parallelis brutorum physionomiæ, eorum mores talibus figuris respondentes intuemur. Ideò S. D. non curauit omnibus à priori rationem assignare. Agunt hic de barba, sed è *quæst.* 1. patet.

107 Mentvm acutum, ex calore igneo in pyramidem acuente, fieri, ait Ingenierus. Ideò canibus hos assimilat rabidis, & aliis calidis, & siccis acuti caloris.

QVÆSTIO XIII.

Signa Physionomica è Voce.

108 Iam *disputatione* 4. *quæst.* 33. vocis edidi instrumenta. Sunt autem alia proxima; alia remota. Sunt quidem remota Thorax, & Pulmones: Arteria aspera præparans, musculi, & nerui adiutores; os & guttur conseruantia; proximum Larynx, maximè verò Epiglottis, vbi aër alliditur, & resonat. Cor verò remotissima est causa. Auditus est canis auulso corde latrans; & homo deprecans ex Verulamio apud Bartolinum *lib.* 2. *cap.* 11.

Cùm igitur vox nil aliud sit, quàm repercussio aëris à pulmone, per arteriam vocalem ad Epiglottim; pro differentiis expulsiuæ virtutis; magnitudinis arteriæ vocalis; quantitatis aëris; dispositionis Laryngis, & Epiglottis, diuersæ fiunt voces. Id experimur in Campanis, & musicis instrumentis, in quibus innumeræ varietates; & in brutis, in quibus voces, & cantus tam varij resonant.

Cvm ergo fistula ampla, aër copiosus, virtus valida est; resonat etiam vox valida, & indicat cor calidum multò indigens refrigerio, & virtutem spirituosam, quæ reddit audacem; excessus enim caloris impellit ad pericula inconsideratè.

Hinc, etiamsi calor igneus humido iunctus sit, temperatur à sua inquieta, & vehementi natura, & vox grauis resonat valida, non impetuosa. Sic enim commixta duo elementa ignis, & aër eam temperiem faciunt, quæ conuenit homini, aëris incolæ super terram. Quare is erit animi generosi, fortis; sed mansueti, verè humani, & longiorem vitæ vsuram sortietur, cùm virtutis mediocritate. 109

Si verò vox grossior, sed demissa, virtutis infirmitatem, ad aërem repellendum in domo Cordis, indicabit; ideoque animi vilitatem, vitæ breuitatem, & ciuili consuetudini frigidam indolem ostendet.

Qvando verò sunt organa angusta, aër velociter impellitur, signum est, dominari calorem in sicco, qui non valens dilatare longitudine, extendit tracheam subtilem; reddit & vocem validam, sed acutam, qualia videmus esse musica instrumenta, acutum sonum reddentia, ac chordas eorum, quò subtiliores, eò acutiores reddunt sonos; maximè etiam, quia minorem partem aëris in latitudine agitant. Hinc hi ad iram accenduntur eò magis, quò fistulæ ob angustiam non trahunt, quantum aëris refrigerio requiritur, & ideò hi quasi escam silici ad iram portant. Sed quia nimius calor spiritus consumit adurens; ideò hi timidi, & sibi cauti; & cùm natura eorum se ineptam ad desiderata comperiat, ad proditiones, dolos, & fraudes inclinat.

Hinc etiam habes asperitatem vocis, & inæqualitatem ex paralellis cum musicis instrumentis, quæ si inæqualia, aspera, & humore sint suffusa, maximè crasso; asperos edunt sonos, & inæquales. Sic euenit in formatione corporis, cum semen paternum nimis calidum inuenit in materno, quod concoquit, partes multas terrestriores, excrementitias, eas indurat, & membra reddit aspera, & inæqualia; sicut videmus in fornace vasa rudioris cretæ concocta. Natura autem puriores partes, pro partibus principalioribus componendis insumit; secretiores verò ossibus, cartilaginibus, &c. dispergens; non secus, ac materfamilias delicatora filiis, rudiora esculenta dat seruis. Ità igitur arteria, quæ est cartilago ruditate materiæ asperior, quàm par est, & inæqualior, vocem reddit asperam, & inæqualem. Talis igitur terreus, asper, rusticus, inurbanus, acerbus, & ab adustione terrea in sua pertinaçia fixus, ardens ira, & odio implacabili, durus; duplexque animo inuenitur. 110

Evenit autem sæpè è vigilia, & humorum defluxu in arteria læsio, vnde vox aspera erumpit; sed inde praui mores non indicantur. 111

His igitur suppositis, ac prælibatis; addit S. D. è variis animalium vocibus, quas homines imitantur elici argumentum, quorum inclinationes æmuletur, & in quorum propendeat operationes.

Ponit exemplum vocis humanæ, quæ ouium, aut caprarum belatus emulatur; & quia hæc animalia sunt stolida, mansueta, & timida; tales suspicatur, qui eorum voces imitantur

Loquela

Loquela enim, & vox manifestum facit. Hinc Socrates, ergastulum egregiæ formæ empturus, cui nulla macula; nihil mali suspicandum à venditore asserebatur; ad iuuenem conuersus, ait. *Loquere, vt te videam.* Interna videre è loquela volens.

112 MIRABILEM in vocalibus instrumentis structuram admiror, maximè in Larynge, & in his, quæ circa eam iacent, vbi scutum, & annulus reperitur ei similis, quo Turcæ arcum tendunt, & duo musculi cucullati; vt intelligas, quam prudentiam in loquendo adhibeas. Est enim vox, vnde iaciuntur lethales sagittæ, vt dicitur *in Psalm.* 93. Sunt etiam arma defensiua verba.

MVLTA enim mala benè loquendo reparantur. Præterea admonemur alias esse debere voces brutorum; alias hominum: Inter homines, alio modo loqui debere Christianos, scuto fidei, & verbi Dei sagittis armatos, ac præcipuè Religiosos: alio diuerso à Turcis, & aliis Barbaris.

VOCEM intendentes ad morem auium, leues, & volatiles, vocat S. D. Ratio suprà allata est. Hi enim bestialem emulantur auium structuram, ex impetu erumpentem ad clamores. Hæc applica vociferantibus etiam ad modum quadrupedum, vel serpentium. Hos prosequitur Porta.

113 Vox tenuis, & quasi lugubris, tristem indicat, & suspiciosum (ait S. D.) Hi similes sunt noctutnis volantibus, lucem fugientibus, ac omnia ferè metuentibus, & fastidientibus, vitámque mœstam, quam cantu prædicant, ducentibus. Sunt his instrumenta vocis aspera, fera, & languentia.

QVORVM vox in nares incurrit; ita vt nares insonent, mendaces sunt, & maleuoli, ac malis alienis gaudentes (ait S. Bonauent.) Ratio videtur, quia hi habent vulam, seu gargareonem malè claudentem, neque officio suo plectri perfungentem, aëremque non frænantem; vnde & ad pulmones insinuatur frigidior, quàm par est; vnde & respirationem habent tardiorem, quia serius redit aër. Hinc friget eis ab illa intemperie cor, atque ad frigus maleuolentiæ disponitur. Tales erant, de quibus loquitur S. Augustinus *homil. in fer.* 4. *Dom. Passionis* ad ea verba Ioann. *Hyems erat, &c.* Sic asini clamant. Vide Doctores apud Portam.

114 Vox in fœminis virilis; & in masculis fœminea, malè sonat. Indicat enim, masculum effœminatum; fœminam elatam, vehementem, dominij auidam, studiorum amantem, & animosam. Sic mutatis conditionibus sexus, quas tradit S. D. initio *cap.* 58. mutantur facilè & mores.

ASINORVM voces, & alia insectatur S. Doct. *serm.* 3. *Dom. Palmarum.*

NOCTVAS, & alia rapacia in tenebris vlulantia describit S. D. *serm.* 4. *de Apostolis.* Canes à Domino animati, acres ad pugnam fiunt, ex D. Bonau. *serm.* 4. *de vna Virgine.*

PASSERES garulos, importunos & carpit S. D. *serm.* 9. *de Apost.* Morbo Comitiali laborant; vt ait S. D. *ad c.* 12. *Luca*, ideò ait, eos facilè cadere: Vnde exemplum adducit Christus: *Vnus ex eis non cadet, &c.*

GRVES loquaces volant ordine litterato Y, vna præcedente, atque clamoribus viam ostendente, vt ait S. D. *serm.* 1. *de S. Nicolao, Episcopo sanctissimo.*

115 SVNT aliqua animalia, carentia instrumentis vocis, vt dixi *disp.* 4. *in fine.* Hæc sonos emittunt extraneos; vt Apes, & similes.

APES sagittatæ, dum Regem vident, animantur ad pugnam, & iter; vt ait S. D. *serm.* 4. *de vno Martyre*, & *serm.* 4. *de vna Virgine.*

EX Alueario exeuntes ad Regem aspiciunt, & eo discedente eunt; eoque sistente sistuntur; vt refert S. Doct. *serm. de S. Nicolao Episc.* & *serm.* 3. *de Angelis.*

MVNDÆ sunt, & domos à fœcibus emundant, nec fœtorem patiuntur, qui eis est lethifer, è D. Bonau. *serm.* 2. *de B. Virgine.*

REX non habet aculeum; vt ait S. D. *ad* 9. *Luc.*

DE melle, agit *Collat.* 89. in Ioannem.

TALEM sonitum edunt etiam Cicadæ, quorum bombilationi, & crepitationi, quasi assimilat Homerus voces senum, ob debilitatem, vt ait Plutarchus; vel ob humoris copiam, defluentis in tracheam. Hi etiam deficere incipiunt, & puerescunt.

TANDEM singulorum voces obserua, cui bruto similentur, & facile comperies, similem in tali homine propensionem. 116

VOX valida est animalium fortium, qualis Leo, cuius rugitu omnes ferè sistuntur, nec audent ingredi circulum, quem, cauda circumiens, iratus descripsit; vt refert S. D. *serm.* 3. *de Angelis.* Omnia animalia fortia robusta validis vocibus vlulant, vt notat etiam Porta *lib.* 2. *c.* 19. Neque acutior, vel granior iuuat; nam vox Tauri acutior est Vacchæ boatu; vt ait Aristoteles: *ad Nicom.* vbi docet; Vocem grauem esse magnanimi. Vnde S. D. *ad* 11. *Lucæ* virilem acclamat vocem mulieris, ibi ex clamantis: *Beatus venter, &c.* Grauitas vocis ex amplitudine oritur organorum, ex calore dilatante, atque ex humido, & aere moto; vt ait Aristoteles *in Probl.* Vitruuius refert, populos Borealiores magnis esse vocibus, ob humores, quibus canales vocales sunt pleni. Vox igitur grauis etiam in imbelli esse potest sed valida est viri fortis, vt ait Aristoteles: in Physionomia. Tales fuere Diomedes, & Ioannes Catacuzenus Imperator. Perstrepunt & Asini, sed inordinatè, & hi robusti. Rationes suprà attuli.

VOX grauis, & mollis mansuetum indicat, oui similem, ex Aristotele, & aliis. Galenus *de semine* docet Phlegmaticos talem vocem emittere.

VOX grauis in acutam terminans, querulum, & iracundum designat.

VOX grauis, & sonora, hominem belligerum, & facundum indicat; vt suprà. 117

VOX acuta, timidorum est; & angustam arteriam habentium; ac modicam virtutem, & temperiem frigidam (si credis Alberto.) Ideò Septentrionalium, & mulierum sunt voces acutæ. Tametsi è concocta complexione, trachea acutum sonet; vt patet in fistula è concocta creta. Ideò incolentes sub Zona torrida, acutam edunt vocem, vt aiunt Vitruuius, & suprà disserui.

Vox acuta tenuis, est timidi; sed valida fortis animi, & iracundi; vnde iratus clamans, acutiùs insonat; è contra infirmi acutè, sed infirmè sonant.

VOX aspera, & rauca libidinem signat, sic enim Hyrci, & Cerui vociferantur, sibi fœmellas vocantes. Dilatatur enim Trachea à calore. Vnde & pubertatis tempore adolescentes, semine incalescendo vocem mutant; & inæqualis Trachea fit, ac obdurescit; sic Leonicus apud Portam *l.* 2. *c.* 19. quia incipit sanguis ex parte in semen excrescere. Sed quæstionem hâc resoluam *Tract.* 9. *disp.* 3. *p.* 3. *q.* 3. 118

VOCEM huiusmodi habuêre Leo Imp. Michael Balbus, & alij apud Portã. Sic & Satiri vociferãtur.

VOX clara è pulmonum puritate oritur, & è temperamento calido, & sicco.

Vox blanda, iucundum indicat; quasi dulcis, ac suauis, inuidum ostendit; si demissa, simulatorem. Hi enim spiritibus inopes, sibi tantum cauentes prouident.

Vox mediocriter delicata hominis est compositi. Talem vocem habuere Aristoteles, & Plato, apud Laërtium, & Plutarchum, ac Ninus.

129 Vox tremula, pauidi est, à cuius corde recedens calor, tremulum relinquit: nam vox primò à corde est, vt dixi *disp*.4. *quæst*.28. *Tract*.8. Etsi Vox sine corde aliqua parua esse queat, vt dixi hic *initio quæstionis*. Sanè iam aëre in via posito vox potest formari.

Loqvela velox, importunum, ac stolidum signat; vel vt docet Aristoteles ad Alexandrum, impudentem, & insanum. Idem ferè Rasis, Conciliator, & Porta. Tales, ranis comparantur à Platone *in Teeteto*; & Biantes aiebat, esse stultitiæ notam. Hi enim inconsiderati sunt.

Loqvela demissa humanum signat: Tarda verecundum: Breuis timidum.

Loqvela quasi ægrotantis, praua est: Difficilis, verò ignari.

130 Balbvtientes, & qui aliquam litteram proferre nequeunt, è debilitate deficiunt neruorum linguæ, quæ nequit conceptum prosequi; sed vel aliquam Syllabam repetere, puta E, vel balbutiendo, vel non integrè proferendo elinguis omittere, maximè R.

Georgivs Valla ait, id prouenire è nimia cerebri humiditate, ac frigiditate. Aiunt medici, esse bilis adustæ effectum; vt refert Porta *lib*. 2. *cap*. 15. sed malè refert, nisi dum ex ira inflammatur Trachea, & loquela refrangitur, aëre refracto. Alcibiades sic elinguis erat. Michael Balbus, & Casimirus II.

Lingva grossior impingens in dentem, articulos non benè cudit, occupans situm nimis. E contra lingua subtilis expedita est ad exprimendum suo motu. Talis lingua industrij est; sed fraudulenti facilè.

131 Anhelitvs quoque obseruandus, Auerr. *in colliget* ex medicis, anhelitum in nobis, ait, indicare temperiem. Calida enim frequentiori eget, quam frigida, seù minùs calida, dummodo viæ respirationis non sint impeditæ. Tunc enim respiratio, ex eo capite, erit frequentior.

Qvod si isti sint calidi, & sicci, facilè irascuntur.

E contra anhelitus rarus, tardus, ac tenuis, modicum in corde signant esse calorem. Talis pauidis est. Quod si pectus angustum, sine pilis, adhuc timidiorem naturam indicat. Inter hos medius in pectore mediocri, bonus.

Anhelitvs facilis sine strepitu, est cogitabundi.

132 Svspiria, amantis sunt signa apud omnes; & complete ex oculis conijcitur.

Svspirans, ac mouens caput, videtur pœnitens alicuius facti. Quod si fixos oculos teneat, videtur potiùs de remedio cogitare.

Risvs, apud Naturales, è Liene procedit. Sic & Lactantius, ac Persius, quos refert Porta, qui concludit: *Rationem assignet Democritus semper ridens*. Sed consulat potiùs Seraphicum, etsi rarò, & sanctè ridentem.

Svpponit S. D. *in* 2. *dist*.8. *part*. 1. *art*. 3. *quæst*. 2. *ad* 3. ridere pro materiali habere illam oris, ac genarum motionem; sed formaliter ab anima, vt est forma, prouenire. Nam risibile est hominis proprium. Vnde infert, Angelum in corpore assumpto, posse genas, & os corporis moti, ad modum ridentis commouère; non tamen formaliter ridère.

Affectvm verò, vnde est risus, è mentis iubilo, ob aliquid iucundum, lætum & nouum, emanare docet ad 6. *Lucæ*. Quod probat ex *Iob* 8. & *Prou*. 31. *ac Genesis* 21. Ibi Sara orto filio suo Isaac dixit: *Risum fecit mihi Deus; quicumque audierit, corridebit mihi*. Chald. *Gaudium mihi fecit Deus. Omnis, qui audierit, congratulabitur mihi*. LXX. *Congaudebit*. Gaudium verò apud S. D. est interna de bono præsenti (nouo plerumque) oblectatio. Hinc ad ea verba Eccles. 1. *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, &c.* ponit differentiam inter hæc duo, quod gaudium intus est; vnde extra risus. Iam verò ex præsentia boni nimium exhilarantis fit dilatatio in anima, vnde Cor dilatatum exhalat spiritus viuaces ad caput, & agitat partes in conspectu positas, maximè musculos genarum, & oris. Cæsar apud Tullium dicebat, etiam sapientes risum non percipere. 133

Facile ridentes leuitatis incusat Spiritus Sanctus. Idem aiunt Catullus, Plutarchus, & Michaël Scotus.

Risvs altus, est impudentis. Ridens cum tussi, peior; Cum oris contorsione adhuc deterior. 134

Os risulum simulatoris peruersi est indicium, subridens illusorem, effœminatumque notat.

Risvs moderatus, benigni, & placidi est stema.

Plato nunquam diffusè risit. Anaxagoras nunquam risus apparentiam admisit. Heraclitus semper mœstus. Crassus nunquam risit. Vide Portam *lib*. 2. *cap*. 18.

QVÆSTIO XIV.

De Signis Physionomicis è Cervice, *&* Collo.

Est ceruix pars colli posterior, quâ caput vertimus, è vertebris contexta, vnde septem neruorum paria erumpunt. 135

Collvm à colendo dicta, quia exornatur; vel quia, vt collis cõsurgit, est membrum insigne artefactum, oblongum, vt aër ad respirationem Cordi transmissus, in via temperetur, ne illico irruens, frigore lædat, & vt modulationi deseruiat; vnde animalia carentia voce vera, carent & collo, vt Pisces, & Ranæ; quæ verò altè inclamant, collum erigunt oblongum, vt Anseres, Grues, & Olores. Quod insigniùs est, transmittit medullam spinalem, vnde omnes nerui; è quibus septem paria per tot nodos partibus dat anterioribus. Dat transitum arteriis, venisque octo ad caput Arteriæ vocali, & respirationi ad Cor, Oesophago ad ventriculum cibum deferenti. In eo est os sustinens caput. Quæcumque ita sint, si benè formatum sit, satis amplum à calore, & validum, ac ritè coloratum, optimam arguet corporis compositionem. Si verò liuidum, indicabit materiæ inconcoctæ abundantiam, & complexionem deprauatam, stupidam, & ineptam. Moneo tamen, à calore extraneo Veneris, & Bacchi dilatari.

Ex dictis sequitur, collum tenue indicare Cordis, Cerebri, & Hepatis inopiam, quippè vasa transeuntia sunt tenuia. 136

Cervix

Cervix autem, seu etiam Collum tenue, oblongum, malignitatis notam affert, apud Sanctum Doctorem: Ratio esse potest; quia tenuitas inopiam Cordis, & Cerebri demonstrat, vt dixi; longitudo autem nimiam capitis à Corde distantiam; ideò tardi & remissi ab hoc ad Cerebrum spiritus perueniunt: Quapropter huius hominis natura magnanimis inepta est operibus, suæ conscia miseriæ auet sibi prouidere; & quia virtute caret; insidias struit, molitur, ac malignè insidiatur.

137 Talis Aranea videtur maligna, insidians, & si verum collum non habeat: Tales Struthiones videntur Insidiatores, Grues, & Olores.

Collum oblongum struthionis, pium aliquid etiam exponit: Hic, nimio æstu, ferrum digerit; filios inter arenas fouet, & deserit: Vnde impia Synagoga dicitur: *Crudelis quasi Struthio in deserto*: Attamen pullos suo ipsius sanguine saluare enititur, vt ait Sanctus Doctor, *Serm. 1. Ascens.* & *Serm. 1. Dominicæ Passionis*; vbi refert Salomonem inclusisse Struthionis pullum in vitreo vase; sed mater, vermem inuenit, & applicuit, cuius sanguine vas fregit: Hoc verme vsus est Salomon ad polienda, ac secanda marmora pro Templi fabrica: Vnde *tinnitus mallei, non est ibi auditus*.

Equidem hunc potiùs Ceruici nimis erectæ compararem, quæ insolentem referunt apud Sanctum Bonauenturam: Nam vasa Cordis calidissima, Nerui erecti, spiritibus vehementibus superbè collum attollunt.

Olores sub plumis albis nigri sunt, vt ait Sanctus Doctor, *Sermone primo de Diuo Marco*, & *Serm. 4. de Apostolis*.

Nidos relinquunt, & ad loca vicina peruolant, vt audiant homines canentes, & easdem voces formant: Ità S. Bonauent. *Sermone secundo de Apostolis*.

Si vxorem Olor cognoscat, non comedit priùs quàm se abluat, vt ait Sanctus Doctor, *Sermone quarto de Apostolis*.

Grves sollicitè castra custodiunt, pede suspenso lapillum tenent; vt hoc cadente, excitentur, vt refert Seraphicus Doctor, *Sermone quarto de Angelis*.

Ordine volant litterato *Y*, vt modo dixeram, & vna anteuolans cæteras, stridore alto aduocat, vt refert Sanctus Doctor, *Sermone de Sancto Nicolao Episcopo*.

Talis videtur & Gallus, qui ter in Vigiliis canens excitatur: Vide Sanctum Bonauenturam, *Serm. 5. Dominic. 1. Aduent.* & *Serm. 2. de Diuo Antonio Patauino*, & *ad 13. Ioan.* vbi eum se ictibus alarum excitantem; at victum silentem describit.

138 Cervix, & Collum rotundum, probat virtutem Animi, & Corporis humilitatem: Est enim signum, à Cerebro, & Corde omnia perfecta communicari.

Hvic Gallinæ collum assimilo, quæ pietate in filios languet; vt ostendit S. Doctor *ad 14. Lucæ*; Eos à Miluo protegit: Vide Seraphicum Doctorem ad id Thren. 3: *Venatione ceperunt, &c.*

Cervix breuis, audaciæ, temeritatisque vmbra: Forsan; quia aër breui tramite per tracheam ad Pulmones euolat, atque perturbat; indeque æquo nimium calens reuolat: Ibi septem Neruorum paria colliguntur, atque robustum reddunt, necnon carotides breui via spiritus nimium calentes Cerebro immittit: Vide Seraphicum Doctorem.

Cervix grossior ignauum indicat: Talis fuit Nero apud Suetonium. Fallax signum: Nam & Constantinus Magnus ideò dicebatur Ceruicosus, apud *Zonaræ Comment.* 139

Cervix, quæ eleuatur, Apro similem reddit: Sic & collum crassum, suillum, si pingue; Grossitie verò Taurum potiùs imitatur.


Collvm mediocriter extensum, Leoninum, est, & bonum.

Collvm capiti, & pectori arctè confixum, ad Lupum spectat; qui, vt retrorsum flectat, cogitur totus flecti; vt ait Ælianus: Talis est etiam Vitulus Marinus: Talis Hyena: Talis Æsopus.

Collvm neruosum, prauum: Collum defluens, iactantis est: Durum, ignorantis, Molle, ignaui: Asperum, timidi.

Collvm inclinatum ad dexteram, studioso, 140
& prudenti adscribunt: Ad sinistram, impudico ait Porta, *lib. 2. cap. 22.* sed gratis.

Nodvs gulæ dictus *Morsus Adæ*, protuberans Sapientis est Stemma: Talis Cæsar.



QVÆSTIO XV.

De Signis Physionomicis è Pectore.

Pectvs est Thoracis pars antica, Testudini 141
ab Hippocrate comparata: Caret ferè pinguedine, ne actiones vitales impediat, aut motus Cordis, Pulmonum, Spirituum, quorum retardatio stupidum Cerebrum reddit, hominemque sui non absimilem.

Hinc Sanctus Bonauentura, de pectore, multis carnibus congesto, suspicatur ignauiam, & indocilitatem: Idem censent alij apud Portam, *lib. 2. cap. 33.*

Pectvs magnum benè connexum, fortem portendit: Talis Leo: Talis pingebatur Mars: Tales milites seligendos, ait Vegetius: Est communis Sententia Galeni, Auicennæ, & aliorum apud Portam: Rationem reddit Ioannes Ingenierus: quia Cor Princeps vitæ, communicans omnibus necessaria, maximè vicinis partibus, spiritus, calorem, &c. amplificat; maximè verò suam domum amplam calore extruit. Tales referuntur Attilla, Achilles, & Mahomet II.

Pectvs, quod longiùs est ventre, prudentem indicat, vt ait Sanctus Doctor, audacem, sapientem; vt addit Aristoteles ad Alexandrum.

Ratio est; quia Sedes partium vitalium, adeò expansa, ostendit hominem magis vitalibus operationibus diuitem, quàm exercitiis, atque cordis officinam sensationibus copiosè prouidere.

Pectvs delicatum, debilem, & pusillanimem 142
indicat; etsi Conciliator ex Auicenna oppositum sentiat: Costæ subtiles arguunt virtutem inopem.

Pectvs, si vnà cum ventre nimia pilorum copia tegatur, indicat hominem instabilem, & animum sine religione, & pietate: Cùm autem solum pectus pilos exhibet, animosum ostentat, vt ait S. Bonauentura.

Sane pectus pilosum signum est Cordis calidi, quod & ad axillas pilos exerat.

Enim verò venter inferior, si ex Peritonæo, è musculis Abdominis pilos emittat infra vmbilicum, signum est, viscera ducere ardentes fœces, quæ excrementa adhuc subtiliora expellant; super vmbilicum autem pili indicant nimis calidum, & porosum ventriculum malè excernere per pylorum; sed calore vehementi expellere per suam substantiam subtiliores, quas valet, excretiones: Hæc intemperies est belluarum, vt docent Aristoteles, *in Problem.* & alij apud Portam, *lib.* 4. *cap.* 2.

143 Rarum est, in ventriculo pilos inueniri: Vix aliquem agnoscit Bartolinus; sicut in interioribus membranis, in Corde, Vtero, Vrinariis viis, teste Hippocrate, Galeno, & Schenchio apud Bartolinum, *lib.* 3. *cap.* 1. Pilosi sunt libidinosi, apud Aristotelem, Plinium, & Trogum, qui eos Lepori assimilat.

Iam verò, quid mirum, si de tali Esau tanta mala suspicetur Seraphicus Doctor? Si inquietum ab æstu, ad bestialia, absque religione, aut æstimatione Diuini Numinis, dubitetne irrumpat? Tales fuêre Zeno, & Marsias.

Pectori sanè debetur calor; ibi enim intus est caloris officina in Corde, quod parum distat, atque angusto pariete solo intermediatum: Tale Cor, viuax, spirituosum, & animosum erit.

QVÆSTIO XVI.

Signa Physionomica ex Hvmeris.

144 Hvmeri ampli, lati, quadratique robur denotant: Ità Dares describitur apud Virgilium *Æneid.* 6.

Ostenditque humeros latos. &c.

Ità quoque Iulianus Apostata apud Portam, *lib.* 2. *cap.* 32. Tales Leones, Equi, & Cerui, Serpentium hostes, apud Diuum Bonauenturam, *ad Psalmum* 28.

Hvmeri benè soluti, expediti, notant liberales: Meliores tamen sunt mediocres; nec adeò soluti, nec adeò ligati: Vide etiam Ingenierum: Ratio est; Quia Cordis virtutem ostendunt.

Hvmeri pingues, mali apud Polemonem, Adam, & Diuum Bonauenturam: Albertus verò ait esse hominis studiosi: Id stultè dictum ab Alberto, immodestè, ac stultiùs ait Porta: Miror, Magnum illum Albertum ab hoc Neoterico adeò pessundatum in toto illo Libro.

185 Hvmeri tenues, & in acumen erecti, insidiosum indicant, vt ait Sanctus Doctor, & cum eo Conciliator, & Albertus: Sed Polemon, & Adamantius pessimos acclamant, apud Portam, *libro secundo*, *capite* 32. Sunt enim à Corde non benè prouisi.

Ratio est; quia, cum musculos nouem habeant, Venas, Neruos, & Arterias insignes; vt dixi *disp.* 4. si tenues, & constricti sint, indicant Cerebri, Cordis, & Hepatis inopiam, à qua abhorrens, ad aliena rapitur, & cùm nequeat vi, molitur insidias, vt dixi, *quæst.* 14.

Hvmeri infirmi, debilem ostendunt: Si non expediti; voracem: Easdem rationes affert Ioannes Ingenierus *in sua Physionimia.*

QVÆSTIO XVII.

Signa Physionomica è Brachiis.

Brachia adeò extensa, vt erecto corpore, extremitas digiti medij appropinquet ad genu, fortem, habilemque indicant; sed arrogantem, & ambitiosum; ex abundantia autem caloris, & humidi, tales sunt; vt ait Ingenierus, post D. Bonauenturam: Ea enim abundantia acuit spiritus; sed & extollit; vnde viuax, & superbus spiritus: Sic & Porta, *lib.* 2. *cap.* 38. cum Aristotele *ad Alexandrum*, aliisque: Addit Porta cum Alberto, & Diuo Bonauentura (si eos distinguit) etiamsi extremitas medij digiti parum deficiat: putá quatuor digitos in lato, à descripta mensura, hos fortes. 146

Talia Brachia habuêre Alexander, Darius, & Artaxerxes, Longimanus.

Brachia robusta sanè fortem ostendunt: Tales Cæsar, Vespasianus, Achilles, Scanderbegius, & Milo Crotoniates, apud Port, *lib.* 2. *cap.* 38.

Cvm autem manus breues ad femur terminant, vel paulò vltrá, declarant homines maleuolos, & malis alienis gaudentes: Ità Diuus Bonauentura cum Aristotele, ad Alexandrum, qui hos discordiis, rixisque inclinatos ait: Ità quoque cum Sancto Doctore Albertus, & alij apud Portam: Reddit rationem Ingenierus; quia hi è regione relatorum sunt frigidi; ac proindè timidi, ab aliis canent, ac timent; nec vires, sibi dominantes, vellent eos habere.

Brachia venenosa, libidinosa feruntur; quia calore excedunt, vt ait Polemon apud Portam. 147

QVÆSTIO XVIII.

Signa Physionomica è Manibvs.

Manvs organum organorum est apud Sanctum Bonauenturam *part.* 2. *Breuil. cap.* 10. & Aristotelem: Hanc obseruant Chiromantici insipientes, mores inde certos, & futuros euentus diuinantes: Lineas meditantur, &c. ac Planetas in ea describunt; Primò quidem obseruant lineam inter Indicem, & Pollicem, Digitos, cusam, deriuatamque inferiùs, & partem carnosam eiusdem Pollicis ambientem, inter cuius ambitum, Veneris montem extuberantem struunt: Eam vitalem lineam, è Corde quippe emanantem, dicunt: Hæc, si longo tractu continua, viuax euidenter expressa, arguit Cordis vigorem cudentem, ac perinde vitam longiorem: at si diuisa, recisa, confracta, inæqualis, & breuis ad Sextarij Chiromantici mensuras, breuiorem vitæ curriculum fore autumant: Si initio gracilis, animi sublimitatem; ingenij conjiciunt subtilitatem; si crassa, Mineruam crassam proclamant: Si lineis crispatis, tortuosis à principio in labyrinthos deuiet, improbum Iecoris argumentantur ardorem. vnde Lepra, &c. Si ad calcem subtiliter deficiat, graues ætatis processu indicat ægritudines: Puncta, Signa, Gyros, Cruces, in ea characteres ad placitum cum tempore notas confingunt. 148

Lineam

Lineam aliam, vitali origini coniunctam notant per volam extensam, inter eosdem digitos ambulantem vsque ad montem accinunt, quam è Cerebro oriundam, *Naturalem* vocant: Hæc si in ortu affinis vitali non sit, notatur exuberantis caloris partus, naturæ intemperiem, indolisque vitium autumans: Si lineæ intermediæ vtramque lineam initio nectant, Cordis, & Cerebri ad opera consonantiam indicant: Si continuata in longum protrahitur vsque ad montem, indicat bonam Cerebri temperiem, & ingenij acumen: At si breuis, caua, profunda, & prærupta; prauitatem indolis, & complexionis signat; si ad manus percutientem partem, quam Lunæ montem nominant, vitæ diuturnitatem; sed laboriosam senectam exprimit: Piget omnia hæc minutiora describere, quæ notatu vix digna sunt.

149 Tertia linea, quæ maritalis dicitur, quæ è manus transuerso veniens, inter montem auricularem, seu Mercurij ad indicis montem Iouis ascendit: Hæc itidem, si continua sit expressa, virtutem naturæ indicat: Lineolæ in fine, medio, vel principio ægritudines ætatibus prænotant respondentibus.

Dvæ aliæ Lineæ digitis distantes discriminales remanent, quæ ad manus cum brachio confinium *Raziettam* vocatum, seu Restrictam Lineam terminant, de quibus eadem argumentantur: Hæc cum vitali, & naturali, triangulum format ad manus confinium, & supra cum mensali quadrangulum, quæ si concinnè extensæ, & continuæ, vitam benè dispositam indicant.

150 Omitto Veneris cingulum, Viæ lacteæ gyrum, Linearum, Solarium, Iouialium, &c. Chimæras; Ibi consideratas dispositiones, cum triangulo Martis, diuinantes somniant ibi Cœlos, ac Planetas ibi conscribunt: Illud vnum non renuo, manum benè formatam, ac integrè delineatam protendere vitam longam, eò quòd Princeps vitæ Cor ad extremitates vsque vigorosè influat; vnde multò magis asserendum, partibus principalibus ipsum prouidere: Idem signant delineationes, integræ, & perfectæ.

151 Manvs proceræ, & nerborutæ, fortem indicant: Tales manus habuêre Sfortia, & Selimus: Si tamen crassæ, & carnosæ, rudem prætendunt: Si duræ sint, robustum; sed indocilem: Si plenæ, rapacem, si cum digitis longis manus sint delicatæ, fœminarum sunt: Si tamen moderatè graciles, ostendunt indolis bonæ, industrium, & Scientiis idoneum; vt ait Ingenierus.

Manvs minusculæ, astutum: Breuissimæ, insipientem: Angustæ, perfidum ominant.

Manvs, articulis asperis, & grossis nexæ; prauæ sunt.

Manvs mediocris digitis longis, mollibus, & distantibus, bona: Plinius ait, Picas, quæ quinque sunt digitorum, dociliores esse ad loquelam.

Manvs ambidextræ; vel quarum finistra est validior, inordinatæ sunt, & de eis malè suspicatur Porta.

Manvs breues, ex humeris latis, brachiis fortibus, ac prolixis, ostendunt fortem, & sagacem; vt ait Sanctus Bonauentura, eò quòd à calore abundanti, & moderato sint.

Manvs crassæ, si digitos breues vltrà modum habeant; terguiuersorem indicant, insid iosum, & rapacem, vt ait S. Doctor: Fundari potest; quia his abundat inordinata materia ad compositionem, eaque terrea, dura; Vnde parum spirituosa; sed more Talparum per auia sibi prouidisse: Istos insensatos vocat Aristoteles: Vide etiam Albertum.

Manvs intortæ, & tenues, loquacem demonstrant, & voracem, vt ait Sanctus Bonauentura; demonstrari potest; quia his inopes suggeruntur partes, eò quòd intestina rectiora illicò transmittant; atque ventriculus multa voret; parum coquat, minùs alimenti distribuat; vnde & ad quærimonias hic ruat, more Cornicum, Luporum, & Canum: Hi rapacibus auibus similes, apud Portam. 152

Vngves albi, plani, & molles, tenaces, ac rubentes, & perlucidi; optimum ingenium indicant, vt ait S. Doctor.

Svnt enim excrementa ex ossibus, & cartilaginibus; vt ait Hippocrates; siue, quæ è corde ascendunt; vt Rosa Anglia vult, à calore contexta illa varietate, cui non plus dat Bartolinus animæ, quàm marmoribus variegatis, addens, Physionomicis, & Medicis indicia esse vitæ, sanitatisque, aut ægritudinis: Ideò Medici vngues obseruant, qui cordis calore deficiente pallescunt; morituris liuidi, & fusci fiunt: Hinc frigidioribus sunt pallidiores vngues; calidis verò rubent: Maculæ autem albæ, quæ in adolescentia sparsæ per vngues apparent, à calore vegeto proueniunt, qui delitescentia excrementa ad vngues propellit; Hos non viuere, ostendam, *tract. 9. disp. 3. cap. 1. quæst. 4.* 153

Ex his conjicies, cui vngues suprà descripti optimum indicent temperamentum; ac proinde Animæ nostræ ad operationes nobiliores magis aptum.

Vngves inflexi, & incurui, impudentes indicant, & rapaces; vt ait Seraphicus Doctor: Ratio è dictis eruitur; signa enim sunt inordinatæ concoctionis vehementiùs pellentis ex ipso corde; vel (si mauis) ex ossibus ipsis excrementa; Vnde hæc effera potiùs, quàm humana habere videtur: Tales sunt feræ sæuiores, rapacesque volantes: Non dedit Deus homini, sicut feris cornua, dentes, vngues ad lanienam; vt esset humanus; vt ait Sanctus Doctor, *Sermone quarto de vno Martyre.* 154

Vngves breues nimium, malignitatis ingerunt suspicionem; vt ait Sanctus Doctor: Ratio erit forsan; quia inconcoctionem indicant; vt dixi, *quæst. 16.* 155

Digiti collecti, & globati, auarum dicunt, & malignum, vt ait S. Bonauentura: Ratio est; quia ruditer nutriti, non sunt rectè dispositi; vnde signa sunt intemperiei frigidæ, quæ sibi auidè prouidere contendit, vt inopi, & ex insidiis; quia non audet sibi apertè extrà procurare ea, quæ æstimat necessaria: Tales Taxus, Formicæ, Mures, & Apes, de quibus S. Doctor, *Serm. 5. de Apostolis.*

Digiti parui, & tenues, stultum indicant, vt nota Seraphicus Doctor: Ratio est; quia parum illis communicant Cerebrum neruorum, & Cor arteriarum ad alendas, fouendasque partes; ac proinde is est pauperculus: Subscribit Porta.

Digiti parui, & grossi, inuidum ostendunt, & audacem, vt ait S. Doctor cum Alberto; ac stultum, vt ait Aristoteles ad Alexandrum: Ratio est; quia ossuti, & validi sunt, ibique spiritus agitantur, non valentes ad solitum progredi, atque reflectuntur: Solemus dicere talibus digitis inesse pruritum percutiendi: Hi, sibi cauentes, sunt prouidi.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIX.

Indicia è LATERIBVS *Physionomica.*

156 LATERA tenuia, & angusta timiditatem indicant.

SVNT hæc Thoracis partes laterales, vt ait Bartolinus, *lib. 2. initio.*

ADVERTE Antiquos, post Hippocratem, & Aristotelem, totum spatium à clauibus ad pudenda, sub Thoracis nomine complexos: Ideò Hippocrates dixit, Hepar in Thorace esse.

LATERA tenuia, imbelle Cor indicant ad concoctiones, atque ad opera animalia: Indicant quoque infirmos, & tenues à medulla spinali neruos.

147 LATERA referta carnibus, & dura, ostendunt hominem indocilem; hæc enim ad Ranas ex Platone referuntur (ait D. Bonauentura:) Ostendunt enim complexionem terream, & materialem, etiam in facie Cordis vigere: Hæc autem rudem facit: Sic Venter carnosus, & pendens, prauus est, apud Portam, *lib. 2. cap. 35.*

QVÆSTIO XX.

Indicia è CRVRIBVS *Physionomica.*

PARS Cruris, quæ sub Genu est, & vocatur *Sura*, quando plena est, & quasi grauida, intemperatum hominem indicat, vt ait Sanctus Doctor, & imprudentem: Sic Conciliator, & Porta, *lib. 2. cap. 46.* qui alia addit mala.

MOLLES Suras, effœminatis assignat Seraphicus Doctor.

158 NOTANDVM, Tibiam esse os anterius Cruris, sub qua est aliud os aliquantulum extra respiciens, & dicitur Sura, quæ in fundo ad pedem, veluti malleolum constituit: Extendunt Suram retrorsum duo musculi, qui Suram constituunt: *Gastrocnemij* dicti à femoris capite interno, & externo, sub poplite orti: Tertius additur Soleus: Hi desinunt in validum ligamentum, quo suspenduntur mactata pecora: Habent cum ossibus, & musculis lumborum, natium, & penis, pubisque affinitatem: Ita, quando Sura musculis crassis, è femore natis, completur, indicat hominis complexionem venereis adaptatam; ac proinde si musculi Surales molles sunt, ob eandem rationem effœminati videntur.

CRVRA neruosa fortis animi sunt indicia; è contrà, infirma, & malè nexa, timidi: Aristoteles timido dat Crura breuia: Talis Caligula.

CRVRA delicata, neruosa, Passeris, & Hyrci moribus inclinant: Veneri propendunt: Ideò libidini dediti, consequenter talia Crura habent; His enim in Semen vertitur, quod ad Crura descenderet: Maximam verò libidinem indicant, si pilosa, vt docet Galenus: Hi Hyrcos imitantur: Tales fuêre Aristoteles, Caligula, & Domitianus apud Suetonium; Vladislaus apud Cromerum.

CRVRA cum calcaneis rudibus, indocilem notant.

CRVRA claudicantia, libidinosum intuitui prædicant, apud Aristotelem, *in problem.* His enim parum ad Crura, multum ad loca, & vasa spermatica alimenti fertur. 159

TALIS Socrates, apud Scriptores, Zoïlus, Tersites, & alij apud Portam, *lib. 2. cap. 45.*

IDEM inclamat Ingenierus, eandem ferens rationem.

HIS accinere videtur Diuus Bonauentura, ad ea verba Lucæ 14. *Voca debiles, vel Claudos*, quos dignatur vocare ad suæ potentiæ ostensionem, tanquam cæteris impeditiores voluntate, ad salutis iter capescendum: Et ad hoc assumit id Isaiæ 35. *Tunc saliet sicut Ceruus Claudus*: Et id cap. 7. Lucæ: *Cæci vident: Claudi ambulant*; vbi inter miracula Messiæ ponitur hoc præcipuum miraculum Claudis dare gressus: Hoc *ad 7. Lucæ*, latè prosequitur, & addit id Micheæ 4. *In illa die, dicit Dominus; congregabo claudicantem*: Magnum sanè prodigium curare libidinosum.

HIS affinis est, vulgato prouerbio, Gibbus, 160
qui fit talis ex defectu Homoplatæ; nam hoc duplex os, quod Scapularum nomen obtinet, cleuatur in parte inferiori, & cum his ossibus musculi, & fit gibba: Hoc sæpè fit etiam incuria nutricum, quandò tenellos nimis infantes in terra positos sustentant, vt doceant progredi; tunc enim hæc ossa, ex inferiori parte debilia, cleuantur, cedentia motui violento, & erecti musculi gibbum reddunt: De Gibbis ait Porta, *lib. 2. cap. 29.* difficile probos inueniri: Sic Polemon, & Adamantius: Michaël, & Scotus hos sagaces, & ingeniosos; sed falsos, malitiosos, ac memores astruunt: Inter defectuosos, pessimum Gibbum ait, cò quòd est circa Cordis domum defectus: Therstites erat Gibbus, pessimus inter Græcos, qui Troiam nauigauunt: Sic & pectus gibbum, duplicis esse animi notat Porta.

EX his, nullum legimus expressè à Christo 161
curatum præter mulierem, *Lucæ 13.* quæ iam decem & octo annos erat inclinata, nec poterat sursum respicere: Hanc Auaris comparat Sanctus Doctor, *loco citato*, qui tribus senariis annorum, seu toto vitæ cursu ad terram curui, auro inhiant. O quàm difficile, ait Sanctus Bonauentura, hi eriguntur: Defectus est ingens circa Cor: Vbi est Thesaurus, ibi & Cor: Hoc cùm prædicaret Diuus Antonius Patauinus in morte cuiusdam Auari; Gibbum hunc reprehendens, dixit: Hic erat semper inclinatus ad arcam Auri; ibi enim erat Cor eius: Aperite eam, & inuenietis: Apertâ arcâ, inuentum est ibi Cor Auari. Id refert Sanctus Bonauentura, *Sermone de eodem Sancto Antonio*, & Surius, *tom. 3. Annal.*

QVÆSTIO XXI.

Indicia è PEDIBVS *Physionomica.*

PEDES crassi, & breues valdè infirmum hominem indicant; vt refert Sanctus Bonauentura; ostendunt enim defluxum potiùs, quàm descensum humorum, ex imperfecta digestione; humorum inquam materialium, & crassiorum; ac proinde infirmum, & languidum ostendunt: Ideò senibus hac decausa pedes fiunt maiores: Porta, *lib. 2. cap. 49.* hos esse ferinos dicit. 163

PEDES

PEDES nimium prolixi ad hominem dolosum referuntur, vt ait S. Doctor: Potest autem è multis capitibus id prouenire: Si ex nimio calore, & siccitate, pellentibus vasa, & cætera, ad pedis efformationem, verè indicant naturam à prædominio calidam, & siccam ad nimiam applicationem intentam rerum suarum, & ad vehementem apprehensionem, aliis etiam inuitis, optata assequendi: Cæterum hoc signum est fallax, si ex generationis imperfectione contigit, quæ extrema benè contexit, & nequit Centrum benè componere, vt vidi in nonnullis Columbinæ simplicitatis; Dolos os tamen suspicantur Polemon, & Adamantius: Albertus, & Conciliator, stultum talem indicant.

RATIO allata est, *quæst.* 16. Signant enim inopem necessarij Alimenti, ac inhiantem suis necessitatibus dolo, si vi sentiat, se non posse: Talis est Aranea, se euiscerans; vt refert S. Bonauentura, *Serm.* 3. *Sexagesima.*

163 QVI longis passibus incedunt, magnanimi esse solent, & efficaces, vt ait S. Doctor cum Aristotele, & Alberto apud Portam, *lib.* 4. *cap.* 9. Hæc enim alacritas viuacitatem robustam, & ad motum expeditam, atque ad omnia spirituosam indicat.

QVI celeriter incedendo se comprimit, & vultum deducit, atque totum corpus implicat signat timidum, parcum, & versutum; vt ait S. Doctor cum Alberto: Quia spiritibus abundat, sed non rectè distributis, e quibus plurimi deperduntur: vndè ex Cordis non restricta officina à malis timens, se ad opera implicatè accelerat, & vultum deducit, more Leporis inhians citò citiùs ad metam peruenire, ne impediatur.

QVI breuibus, & acceleratis passibus ambulat, malignus esse dicitur, & imbecillis; ità D. Bonauentura, & Albertus Magnus: Hunc carpit, ex more, Porta *lib.* 4. *cap.* 9.

GRESSVS tardi cogitabundum indicant: Albertus durum, & non amabilem, ait; Si tamen longis, et si tardis passibus incedat, cōsilium cum celeritate in negotiis coniungit: Sunt tēperati spiritus.

164 VELOX in eundo, Spiritus animales calidos habet; vt ait Aristoteles.

SI velox, & longis passibus eas; efficax diceris; vt ait S. Doctor.

SI velox, effigiem inclinans, timidus: Si oculis turbatis, & ore anhelis, prauus diceris: Si tarde means, identidem sistās, hinc inde aspiciens, gloriosus.

QVI pedibus extra conuersis gradiuntur, effæminati, vel Bouini habentur.

QVI gradientes se contorquent, & inclinant; praui, sic ibat Ezelinus.

QVI gradientes ad dextram inclinantur, effœminati: Qui ad sinistram, ignari.

QVI humeris elatis eunt; Equos imitantur.

QVI meant incuruati, mouentes humeros, Leonibus comparantur.

QVÆSTIO XXII.

Indicia è CVTE, *&* CVTICVLA.

165 CVTICVLA, cùm è totius corporis, crassis, oleosisque vaporibus transmissis efformetur, indicat statum corporis internum; sicut Medicus vrinâ ostendit: Hæc candida est, ideò frigida, & sicca; exanguis, nec sanguine nutrita; sed vaporibus oleosis accedentibus: Æthiopibus nigra est; subiecta verò cutis non item.

CVTIS verò est membrana, è seminis extremitatibus mirificè expansa; nam quomodo ex eodem semine vna pars extendatur in cutim; alia colligatur in carnem: hæc palpitet tenella in arterias; illa stringatur in neruos; vna mollescat in venis; alia durescat in ossa, nisi opus Diuinum esset, vt dicitur 2. *Machab.* 7. 166

ALBICAT naturaliter cutis, licèt pro subiectorum corporum, & humorum naturâ, & colore variet: Nam qualis humor, talis color in cute efflorescit: Sic sanguinei rubent; Ictcrici flauescunt, vel nigricant; si caro subiaceat, rubet; si pinguedo, albicat: Est temperata, ideò est organum tactus adiudicans qualitates, vt ait Bartolinus, *lib.* 1. *cap.* 2. post Diuum Bonauenturam.

NOTA, Physionomos considerare cutis lineas in manibus, & fronte, easque Planetis dicatas decantare, ad mira fatalia, seu potiùs Chimærica præsagienda; sed hanc Physionomiam reprobat S. Doctor, & Sixtus V. damnat.

HIC solùm è colore cutis indicia colligit temperiei, quæ sensum inclinat, & pellicit voluntatem.

HÆC perspiratione excrementa subtiliora excludit, attrahit aërem arte per transpirationem in Apoplecticis, Hystericis, & Vrinatoribus.

COLOR cutis niger (ait S. Doctor,) versutum indicat; demonstrat enim naturam adustam, nimis perspicacem, spiritibus subtilioribus diuitem; Tales euadunt Olores; de quibus, *quæst.* 14.

CVTIS alba, rubensque, fortes, & animosos ostendit; vt ait Seraphicus: Ratio est; quia albedo siccitatem, & frigiditatem; rubedo calorem indicat, & humiditatem, vt ait Bartolinus; ac proinde temperatam complexionem, solidam, spirituosam, moderatam, & sanguine optimo enutritam ostentat.

COLOR cutis vehementer albus cum pallore, defectum virtutis significat, è nimia victoria Phlegmatis; vt refert S. Doctor.

RATIO patet ex dictis: Talis enim frigidus, & humidus nimium est; ac proinde caloris egenus, quo præcipuè vita conseruatur.

COLOR ignitus, lucentibus oculis, ad insaniam vergit (ait S. Doctor:) Is enim ardentibus spiritibus abundat, sanguine ignescit: Vnde Cerebrum perturbatur, accenditurque, agitatur ardore illo, & insanit.

COLOR medius inter nigrum, & album, qui declinet in oleosum, si clarus est, ostendit virum boni ingenij, & bonorum morum, vt ait S. Doctor: Ratio est, quia temperamentum bonum indicat generosè calidum, & humidum cum aliquo melancholiæ admixto, quod ad sapientiam, & studia idoneum inter alia demonstrat, atque probat Mendozza *in suo Viridario:* Nam temperies sanguinea viuacem, ac spiritibus ad studia redundantem; Melancholia verò modica, applicationem, & recessum in seipsum causat; vnde animus, ad exteriora non sparsus, intus contemplatur.

OBSERVAT S. Bonauentura, *Serm.* 2. *de Beata Virgine*, Passeres, Hirundines, Apes, & plurima alia Bruta, relata passim suprà, munditiam cutis, plumarum, & domus curare; hominem verò adeò socordem esse in corpore, & spiritu emundando: Consule super hæc Seraphicum Doctorem. 167

PROPONIT autem *ad* 2. *Lucæ*: Turturem præcipuè, & Columbam, mundas Sacrificiis, earum vocem, & cantum nos redarguentes.

Et *Sermone secundo, de vno Sancto Doctore*, Apes, & Formicas exhibet, nobis prudentiam, & discretionem, munditiamque prædicantes.

Concludit Sanctus Bonauentura, membra naturali proportione prædita quoad figuram, quantitatem, situm, & motum, indicare mentis bonam habitudinem naturalem: Membra verò carentia proportione debita in figura, quantitate, situ, motuque, quam explicui, *disputatione 3. quæst 4. & disputatione 4. passim*, peruersam mentem indicare.

168 Præterea notat id, quod dicebat Plato, homines imitari eorum animalium mores, quorum similitudinem imitantur: Ideò Physionomi Imagines cudunt.

Hinc Aristoteles in principio libri de Physionomia, duorum tantùm Animalium descriptionem præmittit, Leonis scilicet, & Pardali, seu Pantheræ; ex quorum simili, vel dissimili proportione, certiùs in homine, probitatis, vel prauitatis licet indicia conjicere: Hæc enim Animalia, in extremis posita, ità cæterorum sunt mensura; vt homines magis, vel minus ad ea accedentes, his magis, minusvè similentur in naturali propensione: De his identidem agit Seraphicus Doctor, passim variis in locis, totâ hac disputatione indicatis; quare hic non pigebit breuiter vtriusq; Animalis formam perstringere.

Leo, in assumendo maris formam omnium Animalium perfectissimus, vt ait Aristoteles *loc. cit.* Faciem habet quadratam, non valdè osseam, Nasum autem magis crassum, quam subtilem; Oculos habet non valdè protensos, nec nimis rotundos, concauos tamen, & moderatæ magnitudinis; ità lucent, vt inter villosa Supercilia scintillare videantur; Caput illi non admodum magnum, flammeo colore rutilum, Maiestatem pro se fert; Frons ei quadrata, & ex medio subcaua, nobile quid ostentat: Collum, & Ceruicem æquæ longitudinis, fuluæ, & effusæ vestiunt iubæ, hinc indè innodatæ, non valdè tamen crispæ: Magnum laterum robur, & Iuuenile pectus protuberans, arduum spirant; Femora habet non adeò carnosa, verum neruosa Crura, & fortia cum tardo, & magnifico incessu intrepidum ostendunt: Totum ei Corpus benè compactum, & articulatum, nec nimio humore defluit, nec siccitate nimia deficit: Hinc Animal est datiuum, & liberale, ait Aristoteles, magnanimum, & victoriæ cupidum; quare mox vt sentit Venatorum impetum, è Spelunca exiliens, truculenta immanitate profundam oris voraginem aperit, & rugitum emittens, quo loco pugnam præstolatur, impatienter prodit; Victoriâ adeptâ mansuetum se exhibet, & iacentem prædam toruo vultu solum respiciens, vltrà non tangit; hinc cecinit Ouidius:

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni,
Pugna suum finem, cum iacet, hostis habet.

Panthera autem magis fœminea est, tantumque crura habens virilia, his solum aliquid virile molitur; è facie parua, ore magno, modicis, albis, & concauis oculis, fronteque oblonga, horrida vultus toruitas exurgens, aspicientibus ità feris horrorem injicit, vt aufugere cogantur, nisi fœdum caput ocius inter vepres abscondens, reliquum Corpus spectabile exhibeat; cuius multiformes, & orbiculatos colores è fuluis circulis depictos, dum propiùs incautum armentum contemplatur, subitò erumpens, cruentis faucibus, quæ insidioso dolo pellexit, fœdissimè dilaniat; vt supra etiam notauimus: Collum valdè protensum, cum auribus rotundis potiùs quam planis, cum dorso quoque longo, insidiantem Naturam in ea produnt; quibus adjice carnosa femora, & pectus absque laterum proportione difforme: Hinc omnibus animalibus Panthera fraudulentior est, omninò dolosa, & pusilla: In Hircania, vbi frequentiùs habetur, veneno tantùm capitur; dum Aconito carnes illitæ hinc inde per campos sparguntur; quibus comestis, hominum excrementa sollicitè quærit, hisque pasta, pesti medetur.

Verum hæc licèt ità sint, vt in talibus feris dominentur absolutè tales appetitus; meliorem tamen sortem adeptus est homo, vt quantumvis incompositis membris, & incomptis partium lineamentis, Ferarum toruitatem, vel fœditatem referat; nullo tamen fato impellitur ad fœdas actiones, vel torua supercilia exhibenda: Hinc protestatur S. Doctor *dicto cap. 59.* Nullam ex his indiciis certitudinem haberi, nullamve hominem hinc necessitatem vrgere; sed quemque suam sortem pro suo libito à malo posse arcere, & ad bonum posse dirigere; Maximè autem, dum se, arbitrio ità cooperante, gratiæ auxiliis duci patitur, procliues in malum habitus potest sursum in bonum erigere, & benè improbas Naturæ corruptæ propensiones dispensare, vt ostendam *prima secunda, tract. de gratia, disp. 1. & seq.*

QVÆSTIO POSTREMA.

Præcedentium Corollaria.

De varia hominis cum vegetatiuis comparatione.

Cum ad Hexaëmeronis Coronidem nobis incumbat in fasciculum colligere, & hîc alligatum apponere quicquid Seraphicus Doctor de diuersarum rerum natura, quas alibi non absoluimus, in suis opusculis passim dispersesit, quarundam plantarum virtutes, ac cum homine Analogiam, Scripturarum Oraculis pluries commemoratam, nō ingrato laconismo percurram; vti enim in Anima sensitiua homo cum brutis communicat; ità in vegetatiua cum Plantis, & Arboribus: Quare sicut ex illis suprà; ità ex his hîc aliqua conjiciam. 169

Occvrrit in primis Magnanima Vitis, quæ *Iudic. 9.* Regni contemptu Regina, præ cæteris Plantis principatum obtinet: Dicitur autem Vitis, vt notat S. Doctor ex Isidoro *de Ethymol. lib. 7. cap. 6.* quia vim habet citò radicandi; vel quia eius rami inuicem se innectunt: Hanc considerat fusè Seraphicus Doctor ad *cap. 15. Ioan. & collat. 167.* vbi ex Seneca fertilitatem pro præcipua virtute ei adscribit.

Hinc meritò comparatur Christo Regi, in suis quippè palmitibus fertilissimo, vt eximiè disserit *ibi* S. Bonauentura, affertque illud *Genes. 20. Vidi coram me vitem, in qua vidi tres propagines crescere*, Christvm scilicet, in quo natura Diuina, Corpus, & Anima, facta sunt in Vineam, & fructificauerunt in Palmites, vt dicitur *Ezech. 17.* nempè In Fideles, qui humorem Gratiæ, & succum Charitatis indè hauriunt. 170

Hvivs vitis Agricola, testante ipso Christo, est

sto, est Pater Cœlestis, qui in filio suo fideles, tanquam in vite palmites exactissimè colit; nam vt refert Sanctus Doctor è Diuo Augustino, vbi suprà: *Nos colimus Deum adorando, ipse colit nos, sicut agricola agrum*: Imò & in ipsum Christum agriculturam rigidam exercuit, dum eum Iudæis circumligandum, circumfodiendum, & præsciudendum tradidit.

171 PRIMA enim vitis fructiferæ agricultura est ipsam præscindere: Christus verò passus est hanc præcisionem circumcisus: imò & reliquo vitæ tempore; nam vt mellifluo calamo hanc vitem describit Diuus Bernardus: *In eo amputata fuit gloria cultro ignominiæ, potentia cultro abiectionis, voluptas cultro doloris, & diuitiæ cultro paupertatis.*

SECVNDÒ vitis circumfoditur; hoc suis circumuentionibus præstitêre Iudæi; qui enim dolos machinantur, foueas fodere dicuntur, vndè dicitur Psal. 56. *Foderunt ante faciem meam foueam*: Hoc etiam corporaliter præstiterunt, Psalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos.*

TERTIÒ vitis circumligatur; ne in terra iacens fructum non ferat: Primum Christi vinculum fuit Vterus Beatæ Virginis: Secundum fuit fascia, quâ ligatus in præsepi infans vagiebat: vnde canitur ab Ecclesia:

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia:
Membra pannis inuoluta,
Virgo mater alligat.
Dei manus, pedesque,
Stricta cingit fascia.

172 TERTIVM vinculum nostræ vitis erat funis, quo ligatus est, cùm traderetur, Matthæi 26. *Iniecerunt manus in IESVM, & vinxerunt eum*: Sic tandem à terra sublatus est, vt copiosiùs fructificaret.

VITIS Truncus inter Arbores minùs speciosus est; ità vt aridum potiùs, & abiectum lignum, quàm fructificum Arbusculum suspicientes; quid hinc aliud quàm extenuatum, & maculentum Christi viatoris Corpus conjicimus; quare de ipso mirabundus ait Isaias: *Ecce vidimus eum, & non erat illi species, neque decor, & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum*: Vide Diuum Bernardum huius vitis folia, vmbram, radices, & cætera quæque suauibus eloquiis pertractantem.

173 VINVM, quod vitis est fructus, diffusè discutit Seraphicus Doctor, *Sermonibus Dominicæ primæ post Octauam Epiphaniæ*: Vbi eximia de vino Nuptiali ad Conciones explicat: Primi vini vsus est, quod moderatè sumptum vitam foueat: Vnde ait Dioscorides, vitem dici à vitam fouendo; idem cum ipso ait Matthiolus, *lib. 5. cap. 5.* Prim[illegible]iam eius abusus est, quod immoderatè sum[illegible] natiuum calorem superet, diminuatque, [illegible]t ait Aristoteles *sect. 3. problem.* & sic corporis temperiem inficiat.

174 FICVS secundò ad imperium est accersita. *Iudic. 9.* Hæc tantæ virtutis est, si domestica sit, vt siluaticam, iuxta se plantatam, fructificare faciat: Irà notat Diuus Bonauentura, *Sermone 10. de SS. Apostolis*, vbi eam mansuetis comparant, qui faciunt, vt etiam feroces suis conuersationibus mansuescant; vnde misit Christus Apostolos, *Tanquam Oues in medio Luporum*; vide ibi præclara, ad Conciones contexta.

DICITVR Ficus à fœcunditate, vt notat Diuus Bonauentura ex Isidoro *lib. 7. ad primum Ioan.* & ex Orig. *cap. 75.* Si carnem tangit, pruritum prouocat: Ficus frondosa, est Symbolum hominis verbosi, qui verborum copiâ vtitur ad excusandum suum errorem, & peccatum; quare huius Arboris foliis primi Parentes, se, agnitâ nuditate, contexerunt, vt dicitur Genesis 3. *Consuerunt folia Ficus, & fecerunt sibi Perizomata*; vnde maledictione erant digni, quod suam simpliciter culpam non agnouerint: Vide Diuum Bonauenturam, *ad cap. 23. Lucæ*, ad ea verba; *Fic i arborem*, &c.

FICVS vltimò comestæ, in vomitu vltimò etiam ejiciuntur; quia suâ grauitate mox fundum Stomachi petunt, vt notat Aristoteles, *lib. Problem. sect. 23.* 175

TERTIA vice post Vitem, & Ficum, inuitata est ad Regnum Oliua, *Iudic. 9.* Hæc ferrum non patitur; & si percutiatur, arescit, quo illis assimilatur, qui castigatione peiorantur, nec durum quid pati valent; Vide Sanctum Doctorem, *Sermone secundo de vna Virgine*: Dulciter, & absque vi vult fructum suum emittere; nam si ad illum excutiendum verberetur, velut indignabunda, sequenti anno fructum negat, nec vult parturire; è contrà verò Nuces, vt notat Sanctus Bonauentura, *Sermone quarto, de vno Martyre*; quo magis verberatione excutiuntur; eo magis anno sequenti fructificant, vnde solent potiùs excuti, quam carpi, vt alij fructus; Hinc Ouidij de Nuce Prosopopœia:

Nux ego iunctà via, cùm sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor.

Vide de his Matthiolum in primum Dioscoridis, 176
cap. 121. & speciatim de Nucibus, *lib. 1. cap. 142.*

PALMA Arbor est triumphans, per quam Victoria signatur, ideo eâ victores coronari solebant, vt ait Seraphicus Doctor, *Sermone quarto, de Dominica Palmarum*, vbi egregiè explicat ad Concionem illud Exodi 15. *Venerunt autem in Helim filij Israël, vbi erant duodecim fontes, & septuaginta Palmæ.*

HÆC Arbor vocatur Palma, quia ramos habet extensos ad instar digitorum manus; habet & suos fructus, digitis haud absimiles; qui ideò DACTILI vocantur: Datur verò Victoribus; quia nulli ponderi succumbit; sed diù perseuerans, vt tandem suum ferat fructum, sub sarcina crescit: Hinc perseuerantium, & fortium est Symbolum: Iuxta loci, in quo plantatur, dispositionem, fructum dat, vel negat: In Italia sterilis est: In maritimis Hispaniæ fructificat quidem; sed quia immitis est, ibi fructus, à nullo manducatur: In Africa dulcem fert fructum; sed mox euanescentem: Verùm in Oriente ex Palma vinum nascitur, aliique fructus; vnde panis ibi solet confici: Vide & alia apud Matthiolum *in primum Dioscoridis, cap. 126.*

BALSAMVM arbusculum est, duorum cubitorum habens proceritatem; quondam in sola Iudæa vegetabat; nunc etiam in Ægypto, ferro tangi non patitur, quod quando sentit, mox arescit; quare inciditur vitro, lapideis, aut osseis cultellis: Habet succum eximiæ suauitatis, *Opobalsamum* dictum, quare canit Virgilius, *2. Georg.* 177

Quid tibi odorato referam Sudantia ligno,
Balsama. ———

SVSTINET se sine vllo adminiculo, colleseque operit more vinearum: Hinc vitis bonæ fa-

mæ in Elogium vertitur, qui solo boni nominis odore contra omnia aduersa fulciuntur.

Habet frondes similes Ruthæ, aliquantulum subalbescentes, semperque virentes: Colligitur eius succus vnguibus ferreis, ipsam Arborem dilacerando; & probatur, dum lanam, aut vestem nulla macula inficit; sed in lacte, vel aqua albescit; dum verò senescit, paulatim deperditur: De Balsamo agit Seraphicus Doctor, *Sermone primo, de Sancto Laurentio Martyre*, & Matthiolus, in *primum Dioscoridis, capite decimo octauo*.

178 De Arboribus infructuosis præclara docet Sanctus Bonauentura, *Sermone secundo, & tertio Dominic. 7. post Pentecosten*, vbi in Christianos, bonorum operum inopes, talium Arborum conuitia conjicit.

Amygdala, si nimium terra contrectetur, nimia pinguedine sterilis euadit; homines quippè indicans, qui nimis terrenis curis constricti, rerum Cœlestium studium carnis illecebris suffocant: Vide Diuum Bonauenturam, *Sermone quinto Petri ad vincula*. & Matthiolum, *in primum Dioscoridis, cap. 140*.

Cum tamen minus ferax est, si foretur, vt ei lapis inferatur, inde melioratur, vti solent pinguioris fortunæ homines plagis, & aduersitatibus perforati resipiscere.

Myrrha in Arabia nascitur; Arbuscula est quinque cubitorum; durum, & intortum habet caudicem; aliquas etiam spinas proferens, dum Cortex eius inciditur, lachrymæ defluunt; de qua ideò canit Ouidius *fast. 1.*

Nondum pertulerat lachrymatas Cortice Myrrhas.

179 Præcipua eius virtus est, corpora à putredine seruare, vt ait Sanctus Doctor, *de septem itineribus æternitatis, Itinere secundo, distinctione 5.* Vermes ideò enascentes mox mortificat, vt ibidem refert ex Vercellensi: Quare signat suauissimam fragrantiam sanctæ Meditationis, quæ peccati corruptionem auertit, & rodentes offendiculorum Vermes necat, vt *loco* iam *citato* edisserit Sanctus Doctor: Hinc celebris est huius Arbusculæ mentio, Canticorum 1. *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi*, de quo eximia prosequitur Sanctus Bernardus *in Cantica* super eadem Verba.

Varias habet species, præcipuè in Arabia, & Ægypto; omnium pretiosissima est: Troglodytyca, quæ spontè odoras desudat stillas: Vide Matthiolum *ad primum Dioscoridis, cap. 64.*

Sicut Myrrha odoris; ità saporis Myrtus est feracissima; è qua dulcissimum vinum colligitur, quod *Myrtitem* vocant.

180 Cedrus non Arbuscula; sed Arbor est, centum triginta pedum longitudine procera; crassa est ad quinum hominis complexum; vnde Domibus, & Nauibus ædificandis præcipuè inseruit, cùm cariem nesciat, per plura sæcula incorrupta durans; de qua vult Sponsa in Canticis domum sibi extrui, *Tigna domorum nostrarum Cedrina*: Quare viri, qui præclaris factis immortalem promerentur memoriam, huic arbori comparantur: Baccas profert flauas, & odoratas. nunquam non virens, laudatissima est in Africa, & Syriæ montibus; nascitur in Cypro etiam Insula, copiosissimè frondet; Cùm Christi Domini Crux ex quadruplici ligno construeretur, fertur in longo positam fuisse Cedrum, vt habet Diuus Bernardus, *de Passione Domini. cap. 46.* Longitudine enim cæteris Arboribus præstat; quare probatæ, & perseuerantis patientiæ, quæ in longum ad finem vsque protrahitur, est Symbolum; vt ibidem docet Diuus Bernardus: Oliua autem, de qua suprà, in lato Crucis extendebatur; vtpotè signans Charitatis, & Misericordiæ latitudinem, quæ etiam ad disiunctissimos inimicos extendi præcipitur; Oleum, etenim Oliuæ nobilis partus, est sui diffusiuum; hinc appositè ad misericordiam refertur: Quod verò *ibi* dicat Sanctus Bernardus, *Oliua in alto*, Typographi est vitium, vt ex sequentibus patet: Altum Crucis Palma occupat, Victoriam quippè in sublimi denotans, vt suprà aduertimus; quare triumphalem Crucis Titulum gestare merebatur; In profundo, seu in radice Crucis erat Cypressus.

Cypressus autem, Arbor est indeciduæ frondis, & vehementis odoris; humiles, & timoratos significat, vt notat Sanctus Bernardus ibidem; Hi enim à cadendo sunt securiores, præterea sicut odoris sui vehementiâ, hæc Arbor Serpentes fugat; ità Dæmones humilitatis odorem expauescunt: Cypressus insuper trifera est; fructus enim suos mensibus Ianuarij, Maij, & Septembris maturos ostentat; si tamen semel succidatur, ampliùs non repullulat; quare antiquitus pro funebri tessera appendebatur; vt notat Ouidius 3. *Trist. Eleg. 13.* 181

Funeris ora mihi ferali cincta Cupressu.

Morus arbor prudentissima est; non enim germen emittit, nisi peracto frigore nullam fructuum iacturam timeat; quare nomen desumpsit à morâ, vel tarditate, quâ florêre solet; nam collectam in se totam diu germinationem continens, eam vna nocte, maturo iam calore obstetricante, etiam cum strepitu profert: Eius fructus primò albet in flore; deinde iam formatus irrutulat; & maturitate nigrescit, vt habet Sanctus Bonauentura, *in capite decimo-septimo Lucæ* è Diuo Ambrosio, *lib. 8. in eundem Lucæ locum*; Calore eius sanguineo fructus, & virgulta virent, quo Euangelium Crucis signatur, quod vbique Gentium crucifixi Christi sanguine commendatum viget: Hac etiam Arbore signantur, qui tardè; sed securè operantur; qualis erat cunctabundus ille Scipio, qui Romanum Imperium propemodùm euersum, ad summum gloriæ culmen tarditando euexit; de quo inconcinnè, sed ad rem canit Ennius: 182

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Talis est hac nostra tempestate inuictus ille Gallorum Scipio, Vicicomes TVRENVS, qui spectatissimum Galliæ Imperium, Domesticis, & exoticis bellis ægrè fu[illegible]um, prudenti cunctatione, & animosa vi[illegible] firmauit, ac potentissimo LVDOVICI XIV. tenera adhuc menti lanugine adolescentis, sed mentis maturitate senescentis, Sceptro moderandum propugnauit: Hic vinci nescius, securus vincere, cuncta cunctationibus obtinet.

Platanus, patulis ramis latè diffusa, ad opacanda loca, arbor est aptissima; quare vmbræ tantùm gratiâ expetitur; à latitudine nomen sortita est, vtpote plana; homines indicat, qui aliorum solatiis totos se deuouent; vndè compescendis illicitis ipsorum ardoribus, vel saltem obtegendis iugi curâ inuigilant: De 183

hac

hac arbore idcircò sic cecinit Petronius Arb.

Nobilis æstiuas platanus diffuderat umbras.

184 QVERCVS arbor est amplissima, grandem, & præstantem ferens glandem, quâ ante frugum inuentionem populi plerique victitare solebant; durissimi adeò est ligni, vt fulmine concussa, adhuc reuirescat; hinc Nasonis elegiacus versiculus:

Sæpe Iouis telo quercus adusta viret.

HABETVR in Anglia ingentis magnitudinis arbor, quæ Regia Quercus dicitur, variis titulis, ac priuilegiis præ cæteris honorata, eò quod olim Carolo secundo, nunc clementissimo Magnæ Britanniæ Regi, immanissimam Regicidæ Parlamenti sæuitiam deuitanti, in sanctuarium fuerit; inter cuius implexos ramos, ac densam foliorum farraginem triduo occultatus, vlulantes Cromvvellistarum turmas, hinc indè cursitantes, velut è specula tutus dispiciebat: Sic arborum durissima clementiùs, quam obdurati subditi, Asylo Regem exceperat.

TAXVS, piceæ, & abieti arbor similis est; gracilis est, & aspectu tristis, Baccas fert innato veneno noxias; præsertim in Hispania, & Arcadia; in priori quidem regione tantum virus imbibit, vt vasa viatoria, inde confecta, vinum læthali veneno inficiant; in Arcadia verò sub eius vmbra iacentes, vel cibum sumentes præsenti veneno necat. Hinc aliqui putant toxica inde deriuari, mutata prima vocali: Eius tamen succus contra viperæ morsum præsentissimum est antidotum: ità homines nonnulli, bonis quidem praui, malis aliquando proficui sunt.

158 ROSA, florum Regina pulcherrima, eam meretur laudem, vt intemerata Virginum Regina Deipara vno scripturæ, & patrum oraculo ei comparetur, vt luculenter edisserunt in illud Ecclesiast. 24. *quasi plantatio Rosæ in Iericho*; quam similitudinem breui compendio conclusit Baronius Hybernus, in illud Scoti elogium *tit.* 16.

Scote vides patrio MARIAM sine crimine cretam,
Vt creat innocuas aspera spina rosas.

A D. AMBROSIO *lib.* 1. *hexaemer, cap.* 11. Rosa vocatur humanæ vitæ speculum; quippè quæ primò simplici quodam candore vernans, mox finitimis spinarum stimulis pungitur. Ideò Rosas odoratas carpit Seraphicus Doctor *serm.* 2. *de S. Bartolomæo*, pro breui enim voluptate, quam suggerunt, diutiores ingerunt spinas. De his vide Matthiolum *in lib.* 1. *Dioscord. cap.* 111.

PROXIMAM à Rosa nobilitatem Lilio concedit Plinius apud Calepinum: flos est regius, cuius panagyrim non alius præco, præter ipsum Christum, contexuit: ob excelsam speciem, & redimitum Maiestate caput, in Augustissima Gallorum Regum Corona præcipuum locum occupat: flos est, in quo eximius candor, & odor se certatim superare nituntur; stratos habet foliorum ordines, in latitudine paulatim se laxantes, & resupina per ambitum labia deflectentes, in medio foliorum introrsum exurgunt croceæ aureolæ, delicatissimis filamentis supertextæ, & in vallo florido circumseptæ, nunc rutilant, nunc radiant; modò velut purpura fulgent.

HVNC florem percurrit S. Doctor *in Diæta tit.* 3. *cap.* 4. & *serm.* 1. *de Beata Virgine*, vbi plura egregiè ad conciones congerit; ipsum vide, sicut & Matthiolum *lib.* 3. *Dioscorid. cap.* 110.

VIOLA MARTIA, flos est humilitatis symbolum, propè terram repens, radices habet tenues, & fibratas, folia fundit à radice plurima. Hederæ foliis non multum absimilia; quibus tamen sunt minora, & nigriora, per ambitum leuiter serrata. 186

HIACINTHVS genus est violæ, colorem habens purpuræ subnigræ, folia habet quibusdam nigris venulis, & discurrentibus lineis distincta, quæ figuram duplicis illius græcæ litteræ, ω & ι referunt, dolorem præcipuè signat; vnde fabulantur Poetæ in hunc florem mutatum fuisse Aiacem, cum necem sibi, dolore victus, accitset.

OCELLVS flos est in Gallia notissimus, cuius folia carnosa sunt, dura, & angusta, in extremo acuminata, in quibus coeunt piridatim internodia, & in horum cacuminibus calices enascuntur, longi, teretes, & glabri, superiùs denticulati, vnde speciosissimi prodeunt flores, dilutiùs purpurascentes in vna parte, in alia intensiùs rubicundi, alibi etiam candidi, & subindè variantur.

SVNT & huius floris plura genera; ita vt sint nonnulli omninò albi, purpureis tamen maculis hinc inde aspersi; hi inter se certant, ocumne colorum varietate, an olfactum odoris suauitate magis oblectent.

NARCISSVS genus est Lilij, cuius radix carnosa est, & odora, flos verò purpureus, & folium prope radicem crassius: huius odor caput aggrauat; & ex eius flore exugitur oleum quoddam, ad duritiés emolliendas satis aptum: hic flos præcipuè figurat homines quosdam adeò sui amore cæcutientes, vt deliria, & inanes ostentationes effutiant; vnde ferunt poëtæ, puerum egregia forma, sua imagine sub limpido fonte potiri cupientem, in hunc florem fuisse versum. 187

NARDVS frutex est haud ignobilis, humilitatis, & deuotionis symbolum; hanc sibi assumit sponsa in canticis, vt apud sponsum gratiam ineat: *nardus mea dedit odorem suauitatis*; radicem habet breuem, & nigram, crassam tamen, & grauem: folia eius densa, & parua, velut in aristarum cumulum se spargunt; vnde propter spicas simul & folia laudatur: duplicis est generis; vnum dicitur Indicum, alterum verò Syriacum.

EST & pseudo-nardus, priori non dissimilis, folia gestans crassiora, & carnosa, quorum candidus color in languidum diluitur, multiplices portat spicas, in aristas cumulatas; flosculа quoque gerit purpurea: in locis apricis, & petrosis tantum spirat odorem, vt cæteros flores suauitatis fragrantia ad æmulationem prouocare videatur; hinc vestibus, vt suauеolentiam ipsis affundat, inseritur. 188

HÆC etiam duas habet species, vna procerius adolescit, maioremque diffundit odorem; & spica dicitur. Altera minoris & odoris, & amplitudinis *Lauandula* vulgò vocatur, quia lauacris propemodum inseruit; ac vtraque specie Narbonensis prouinciæ campi, & montes vestiti fragrant.

EST & Nardus Celtica, ab his diuersa, alio nomine dicta Saliunca, luteum, & flauescen-

tem gestans florem, hæc in manuales fasciculos colligata, olfactum oblectat.

189 CINAMOMVM frutex est valdè pretiosus, sed collectu difficilis, cùm inter Vepres densissimos, ac Rubos gignatur, etsi in plano solo; postquam à terra sex digitorum altitudine surculosus exsurgit, in multum corticem propè cacumen condensatur; in Æthiopia, & Arabia præcipuè crescit; cuius duo sunt genera, aliud candicans, olim pretiosius; aliud nigricans, nunc commendatione dignius: Huic ob insigne odoramentum se Diua Virgo comparat *Eccl.* 24. iuxta Ecclesiæ sensum: *sicut cinnamomum, & balsamum aromatisans odorem dedi:* Ideò etiam antiquitus coronæ ex Cinnamomo, auro interrasili contextæ fiebant. Vocatur alio nomine Cinnamum, quod tamen alij distinguunt à vero cinnamomo: vide Plinium *lib.* 12. *cap.* 19. in officinis hodie habet nomen Canellæ, eò quòd ex longinquis oris asportetur excauatum ad instar canalis.

190 AMARANTHVS herba est, purpuream gerens spicam, non florem, vt aliqui suspicantur; flammea est, & nunquam marcescit; vnde dicitur: *immortales Amaranthi.* Italicè dicitur: *fior vellato:* nullum spirat odorem, solis oculis grata est.

THYMVS frutex est, Apibus gratissimus, odoratus, & humilis; cuius duplex est genus, nigrum, & album; vtrique Apes insident; quare mel ex his confectum, *bithimum* dicitur.

IRIS flos est, cœli iridem colorum varietate æmulans, radix eius odorata est, & admota naso sternutamenta excitat. Hæc valde medicinalis est; ventris enim dolores compescit; cerebrum humoribus leuat; aceto infusa, & hausta contra serpentis morsuram antidotum est; folia gerit gladiolis similia, acuminata, & ad purpura violæ declinantia.

191 ANEMONE herba est, sui nominis florem portans, sed breui euanescentem; purpureum tamen, & aspectu amœnissimum, olfactui nullum inspirans odorem; vnde in prouerbium apud Græcos vertebatur. *Rosam cum Anemone confers.* & in eum conijcitur, qui nunquam paria portat; sed in aliquo semper disconuenit. Apud Gallos vocatur *flos venti*, eò quòd flante vento crescat: signat ideò leuitatem mox caducam; quare fingebant poetæ Adonidem, ab Apro occisum, in hanc herbam fuisse versum; plures habet species, & ad minus quinque, folia habet tenuiora, & numero sex, nigris punctis in medio aspersa, nigris etiam capillamentis decorata: & hæc est prima species, magisquè vulgaris. Secunda species flores lucidos, purpureosque gerit, dilutos tamen: Tertia argentea est, quinque foliis coronata, magnitudine Rosam æmulatur; Aliæ ab his non multum differunt.

192 TVLIPA flos est Bulbosus, hodiè hortorum decus, ex Turcia ad nos delatus est non ita pridem; quare patrio nomine significat pileum Dalmaticum, eò quòd eius flos expansus, similem figuram referat; colorum & varietate & viuacitate mirum oculis oblectamentum diffundit. Florum fundum subcæruum, & argenteum vides variis sanguineis venulis, hinc inde discurrentibus intertextum; alibi variæ stellulæ sub cæruleo colore stratæ passim obfulgurant; ita vt hic naturam iocantem non absurdè diceres; primo sole oriente, suam amœnitatem ei obiicit, se expandens; mox, occidente sole, plicatiles flores abscondit, nè noctis frigus, aut humiditatem sentiat. Vt debito autem modo crescat, totamque suam pompam explicet; necesse est, vt ex fœno, & terrâ, fimus computrescens ad eius radices apponatur: in qua diuina sapientia elucet, quæ ex tam vulgari, & despecto principio, rem prorsus stupendam educit; quæ principum Aulis oblucet, & in deliciis habetur: Similes sunt homines, quos de stercore Deus suscitat, & eleuat, vt collocet eos cum principibus populi sui; vti dicitur *Psalm.* 112. quippè è modica fortuna, virtutum splendore ad summos apices eleuantur.

CARDAMVM græcè, Nastuttium latinè sonat, herba est in hortis vsitatissima; passioni cardiacæ medendæ multum proficua, vnde etiam ipsum nomen fertur deriuari; capitis etiam vitia purgat, veneremque sopit, animum exacuens; visum etiam clarificat; hinc viris socordibus, & somnolentis commendatur, vt Nasturtium manducent, quo excitentur à somnolentia: dicitur autem Nasturtium, ait Plinius *lib.* 10. *cap.* 8. quòd nasum torqueat, ad sternutationem sua mordacitate impellendo. 193

HVIC non dissimilis est Helleborus, insignem enim vim purgandi caput obtinet: cuius duo sunt genera; aliud vomitione morbos abigit, & est album; aliud è contra nigrum, per aluum omne noxium deiicit: Melancholicis, ac furiosis nigram bilem extrahendo medetur; quare his, sicut & comitiali morbo laborantibus manducanda apponitur: si tamen nimium sumatur, noxia est; si minus, morbos non leuat: quare Persius in imperitos huius mixtionis medicos stomachatus, sic ait. 194

Diluis Helleborum, certo compescere puncto
Nescius examen. ——

LYSIMACHIA apud Plinium, & Dioscoridem subter Salices nascitur, & similes his frondes gerit; vnde etiam Salicaria vocatur: Hæc herba tantam habet vim componendæ discordiæ, vt si etiam Iumentis, à iugo discordantibus, imponatur, subitò acquiescunt; sic refert Plinius: plura tamen sunt huius floris genera; quædam enim lutea sunt, quædam etiam purpurea. Cui non dissimilis est Lichnis coronaria, quam Romani Bellariam solebant vocare; eò quod Coronis, bello partis, inserebatur; Plinius eam vocat Rosam græcam *lib.* 21. *cap.* 24. apud vulgus nunc Candelaria vocatur: huius alia est species syluestris; alia hortensis. 195

PAPAVER herba est somnifera, cuius diuersæ sunt species: alia est species agrestis; alia satiua; & hæc semen album profert: Cereri olim sacrabatur; eò quòd hoc remedio vsa sit, vt obliuisceretur doloris, quem ex filiæ deperditione patiebatur; vt fingunt poetæ, vnde & obliuiscentibus comparatur. 196

MEDICA herba est, semper virens, & trifolium: Hæc semel sata, decem annos, etsi singulis annis quater, aut sexies succisa, sponte crescit: dicitur Medica, quod in Media, Asiæ Regione, primò inuenta sit, & etiamnum abundantiùs crescat: dum masticatur, quadam, nescio qua, qualitate ita nauseam facit; vt ad vomitum prouocet: dulcis tamen est, & equorum pabulis commendatissima; ea vtuntur Rustici aliquando 197

ad

ad euacuandam crapulam; ad maciem etiam citissimè confert.

Malabathrum folium est, nunquam apud nos inuentum; quare ex sola India aduehitur; Nardi spirat odorem; & dum crescit nullis nititur radicibus, sed aquis palustribus ad instar lenticulæ innatans: ex hoc folio conficitur vnguentum, odore simul, & vtilitate laudatum.

198 Beta, omnibus nota, numquam nomen mutauit; eò quòd valdè insipida sit, insipidorum est vocabulum, & hinc ipsa herba, vulgari epitheto fatua notatur; hinc etiam apud Gallos vitatissima improperij vox est, *Bete*, & *Betise*, quas voculas à *Bestiis* oriundas putant impetitiores; cum reuera longo temporis tractu à Beta oriantur; quare ipse Augustus solebat dicere *Betizare* pro languere, vel stupidum fieri, apud Sueton. *in August. cap.* 87. & Diogenes Betas appellare solebat homines molles, & cynædos.

199 Blitum, Betæ non omninò dissimile, olus est, vllum nec saporem habens, nec acrimoniam; quare viles, & inutiles indicat personas; hinc apud Plinium *lib.* 20. *cap.* 21. vxores, maritis vilescentes, ab his Bliteæ conuitiabantur; & forsan hinc etiam Galli ignauis improperare solent nomine, *Blitre*.

Lactuca celebris est Acetariorum vsu, ita dicta, quod lacte exuperante sit æstiuo tempore in refrigerium.

Est & herba Lactoris dicta, intus etiam lacte abundans; sed masticata vomitionem accelerat; habet folium oleæ similitudinem referens; florem tamen minorem, & luteum gerit.

200 Asparagus herba est, fæniculi gestans folium, baccas quoque rubras, cum plenè maturuerit, profert. Duo sunt huius genera; primum est satiuum, quod generis sibi nomen retinet; aliud est syluestre, quod *Corrudam* vocat Plinius *lib.* 19. *cap.* 4. hodie in coquinis præcipuus est eius vsus; vbi ita coquuntur, vt tantum cruditas absit; quod cum cito fiat, vertitur, ociùs rem aliquam peragenti, in prouerbium: *Citius quam asparagi coquuntur.*

201 Huic ita affinis est Batis, vt à nonnullis asparagus gallicus appelletur; tamen sola Batis hortensis ita nuncupatur; cum sit & alia fruticosa, pingue gestans folium, & ad instar portulacæ, (quæ frigida est herba, & humida, dentium stuporem abigens) crassius tamen, & latius; flores habet candidos, & gustum salsum, eò quòd in petrosis, apricis, & marinis locis nascatur, semen excutit simile Libanotidi. Libanotis autem frutex est, ab aliis dictus Rosmarinus, thuris odore fragrans; eius radix vix à thure differt; & postquam vno anno, sicco conseruatur loco, stomachi dolorem, vel infirmitatem tollit.

202 Mandragora sopotifera est herba; hæc vino decocta, & infusa, ita sensus sopore ligat, vt nec grauissima vulnera sentiantur, vt ait S. Doctor. *serm.* 2. *de plurib. Confess.* ex Dionisio Medico apud Varium *lib.* 2. *de re rustica.* De hac agit etiam Plinius *lib.* 12. 13. & 21. cum Dioscoride *lib.* 4. *cap.* 78. & *lib.* 6. *cap.* 16. Vocatur alio nomine Circeium, cuius duæ sunt species, etiam sexu (vt ferunt) distinctæ; fert mala magnitudinis Nucum auellanarum. Hanc herbam fossuri cauent, ne aduersans ventus eius odorem naribus iniiciat, quia etiam olfaciendo soporem ingerit, vel saltim stuporem, qui ad modum somni caput aggrauat; est etiam venenum, à quo tibi caue.

Hyssopus herba est notissima, & celebris in scripturis, præcipuè dicto illo Dauidico *asperges me Hyssopo*, in quæ verba eximiè de ipso disscurrit Seraphicus Doctor; *Hyssopus* (inquit) *tria facit, tumorem remouet, humilis est, petræ adhæret* deinde pulchra eum applicatione Christo comparat: Pulmoni quoque est valde vtilis, sicut & veteri tussi compescendæ, si duæ libræ tribus aquæ sextariis macerentur: purigini etiam in capite, & phthiriasi resistit, si in oleo conterantur. 203

Absinthium suâ amaritudine nulli non notum, aliud est Romanum, alium Ponticum; in enecandis vermibus præcipuam virtutem exerit; cuius folium, in ficu conclusum, solet pueris dari manducandum, vel etiam succus, prius poculi orâ melle circumlitâ, vt dulcedo vnius fallat alterius amaritiem; ad quem medendi modum allusit Lucretius, dum cecinit:

Ac veluti pueris Absinthia tetra medentes,
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauoque liquore.

Datur & Absinthium Santonicum, ità dictum, quòd apud Santonas, Galliæ populos, fusè prouenìat; priori non valde dissimile est, in seminis fœcunditate plus differens. Vulgare autem Absinthium dicitur Ponticum, eò quòd Pontus, Asiæ Regio, tantâ eius copiâ luxuriet, vt inde pecora pinguescant, & sine felle reperiantur. 204

Ad vires autem restaurandas hordei decorticati cremorem, Ptisanam dictum, laudat S. Bonau. *serm.* 1. *de plurib. confess.* ex Plinio *lib.* 18. *cap.* 7. & *lib.* 22. *cap.* 25. hodie conualescentibus abundè propinanda datur. Medicinas alias, maximè Theriacam, medicamẽtum præstantissimum, multis è simplicibus conflari docet S. Doct. *serm.* 10. *de Apost.* & *serm.* 1. *de plurib. confessoribus, vt supra quæst.* 1. ex Hypocrate, & Plinio *lib.* 20. *c.* 24. & *lib.* 29. *cap.* 4. ipsum vide. Illud hic obiter notandum, Theriacam remedium esse singulare aduersus omne venenum; in hoc admirabile est, quod ex viperinis, & venenatis carnibus confecta, contra venenum proficiat: eam tamen sicut, & alias medicinas sumere in canicula, dissuadet S. D. cum Hippocrate *serm.* 10. *de Apostolis.*

Sinapis herba est sapore acerrima, ignei effectus, & corpori saluberrima; quare in hiemalibus condimentis vsitatur; tantæ est acrimoniæ, & acuminis, vt cieat lacrymas comedenti; de qua tria ad mores conciliandos egregiè prosequitur S. Bonauentura *ad* 17. *Lucæ*, cum Matthiolo *lib.* 2. *Dioscord. cap.* 27.


Est enim Granum synapis, quantitate paruum, acumine feruidum, & incremento magnum; signans scilicet fidem, quæ hominem suæ paruitatis conscium reddit; significat etiam affectus inflammationem; nam qui per fidem est humilis, pressuris tritus, in amoris feruorem erumpit: sicut Sinapis foris nullius virtutis apparens, mox vt teritur, efferuet, vt notat Glossa apud D. Bonauenturam *loco cit.* Est denique Synapis multitudinis bonorum operum symbolum; nam: *Cum creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit Arbor*, vt dicitur *Matthæi* 13. quo intelligitur cumulata operum congeries, quam sibi in cœlis Thesaurizat fidelis, vt aduertit *loco citato S. D.* cum cæteris expositoribus. Det Deus, vt ità nobis 205

nobis parui, per Diuini amoris affectum in meritorum cumulum excrescamus.

206 Plvra alia præclarè discutit Seraphicus Doctor, quibus passim resperſæ sunt expositiones eius in Lucam, & Ioannem; vti & eius sermones, similibus condimentis sapidi, omnibus sunt sapori: vt si hic omnia congererem, in multa volumina excrescerent. Neque enim vsque ad spinas, quas laudat *serm.* 10. *de Apost.* aut Triticum, Hordeumue, quæ crebrò cribrat *serm.* 1. *Dom.* 1. 3. *&* 4. *Quadr. Dom.* 4. *Epiph. serm.* 2. *& sequent. & collat.* 57. *in Ioan.* & *serm. in cœna domini*; siue etiam ad ipsum Hyssopum aliquid omisit, ita vt de ipso, sicut de sapientissimo Salomone, concludere libeat: *Et disputauit super lignis, à cedro, quæ est in libano, vsque ad Hyssopum, quæ egreditur de pariete; & veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam eius*; Omnia enim Authorum scripta, qui postremis his sæculis, siue Theologicè, siue physicè scripserant, huius Seraphici Salomonis doctrinâ referta exuberant, illum obsecro percurrite.

Totum autem huius Hexaëmeronis opus, sicut & cætera mea qualiacumque opera, Lydio illi omnis veritatis lapidi, Romanæ scilicet Ecclesiæ, solidissimæ fidei Petræ, diiudicandum appendatur.

LAVS DEO.



INDEX



INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ
Quæ in hoc Tractatu de Operibus sex dierum continentur.

Littera P. Paginam: Littera N. Numerum indicat Marginalem.



E TESTAMENTO VETERI.

Genesis.

Exodus.

Leuiticus.

Deuteronomium.

Iosue.

Paralypomenon secundus.

Iob.

Psalmi.

Liber Prouerbiorum.

Ecclesiastes.

Cantica.



INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ
Quæ in hoc Tractatu de Anima continentur.

Index locorum.

Liber Prouerbiorum.

Ecclesiastes.

Canticum Canticorum.

Sapientia.

Ecclesiasticus.

Isaïas.

Hieremias.

Threni.

Ezechiel.

IX. Sic



INDEX
RERVM, ET VERBORVM
magis Notabilium, quæ in hoc Tomo tertio de Operibus sex dierum continentur.

Prior Numerus Paginam, posterior Numerum denotat Marginalem.

Ex

In

M

Mamma, Lac.

Forma

Subsistentia.

Supercilia.

T

Temperamentum.

Tempus.

Terra.

Terræmotus.

Vox



INDEX

R. P.

GAUDENTIJ

BONTEMPI

ORDINIS CAPVCINORVM,

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

Tomi Tertij, Pars Secunda, quæ continet
Tractatum de Anima.

INDEX
DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, &c.
Quæ in tractatu de Anima continentur.

DISPVTATIO RRIMA.
De Anima in genere.

DISPVTATIO II.
De potentiis animæ in communi.

DISPVTATIO III.
De Anima Vegetatiua.
DE NVTRITIONE.
Prima Pars Diſputationis.

PARS SECVNDA DISPVT.
De Accretione.

PARS TERTIA DISPVT.
De Potentia Generatiua.

DISPVTATIO IV.
De Anima Senſitiua.
CAPVT I.
De Senſibus in genere.

DISPVTATIO V.
De ſenſibus externis.
CAPVT. I. DISPVTATIONIS.
De ſenſibus externis in genere.

CAPVT II. DISPVTAT.
De ſenſu Viſus.

IV. An

CAPVT III. DISPVT.
De Auditu.

CAPVT IV. DISPVT.
De Olfactu.

CAPVT V. DISPVTAT.
De Gustu.

CAPVT VI. DISPVTAT.
De Sensu Tactus.

DISPVTATIO VI.
De Sensibus internis.

DISPVTATIO VII.
De Appetitu Sensitiuo.

DISPVTATIO VIII.
De potentia loco motiua Animalis.

DISPVTATIO IX.
De Anima rationali.

CAPVT I. DISPVT.

CAPVT II. DISPVT.
De Memoria intellectiua.

CAPVT III. DISPVT.
De Experientia.

CAPVT IV. DISPVT.
De Intellectu.

SECTIO II.
De intellectu adepto, seu acquisito.

SECTIO III.
De habitibus intellectus.

SECTIO IV.
De Actu intellectionis.

SECTIO V.
De Verbo.


SECTIO VI.
De veritate intellectiua.

SECTIO VII.
De Falsitate.

INDEX DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, &c.

Quæ in Tractatu Decimo, de primis Parentibus continentur.

Finis Indicis huius Tertij Tomi Prim



TRACTATVS IX.
PRIMÆ PARTIS THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ:
DE ANIMA,
AD MENTEM SERAPHICI BONAVENTVRÆ.

PROOEMIVM.



PROFVNDVM nimis mare ingredior, dum inſcrutabiles ANIMÆ receſſus perluſtrandos aggredior: *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus; illic reptilia, quorum non eſt numerus: Animalia puſilla cum magnis.* Videtur etenim hæc *quaſi omnium animalium principium*, ait, Ariſtoteles 1. de Anima, textu 2. *eiuſque cognitio ad omnem veritatem vehementer confert*, Cæterùm quanti ſint animæ receſſus, & quantæ ſint latebræ, vix aut nè vix quidem adeundæ, indicat S. Auguſtinus, *libro de quantitate Animæ*, ſicut & *lib.* 2. *de ordine*, *cap.* 8. vbi duas, ait: in Philoſophia quæſtiones præ cæteris agitari: prima eſt de DEO; ſecunda DE ANIMA; hæc efficit, vt nos ipſos nouerimus: Illa noſtram nobis originem demonſtrat: Prima nobis DVLCIOR; vltima CHARIOR. Animæ enim notitia ad beatitudinem conducit; Dei verò cognitio in ea nos conſtituit.

PERTRACTATIS igitur ſingulis corporis organici partibus, quibus viuificandis, & diſpoticè regendis incumbit anima, paulò altiùs ad inſcriptum Delphici Templi Oraculum oculos attollamus: hoc autem monemur, teſtibus Cicerone, *lib.* 1. *Quæſtionum Tuſculan.* & Plotino, *lib.* 3. *Ennead.* 4. *cap.* 1. vt ſedulò animæ Naturam indagemus: Hâc enim ſemel perſpectâ, ne momento quidem momentaneis hiſce & caducis rebus immorandum, cuius & tanta eſt excellentia, tantumque ſupra cæteras mundi partes imperium, vt ſolâ ſuâ ſe ſa-

tiare origine queat, ſolumque ſummi in ſe boni Dominium agnoſcat; in quod meritò, terrenis purgata fœcibus, ardenti adeò exæſtuat ſiti, vt ipſam Irritet, non illiciat inſulſa finitæ, mundanæque bonitatis ſalſedo; ſoliuſque in diuinæ largitatis immenſis immerſa aquis, & torrente voluptatis circumuoluta quieſcat. Sed heu me miſerum! adhuc in corpore ſumus. Ideò libet hîc defluentes animati corporis vegetationes, libet & afluentes animæ in corpore ſenſationes, ſicut & laborioſas per phantaſmata ſpeculationes perluſtrare. QVARE poſtquam quædam in communi de anima, eiuſque potentiis prælibauero. Propiùs ad ſingulas ipſius functiones deſcendam: & quid & quomodo vegetatiua agat, peragam; quo & quali munere fungatur ſenſitiua, aperiam: tandemque ſpecioſas ratiocinantis animæ è phantaſmatum ſpeciebus Argumentationes deducam; ſicut & volitiones ſenſitiuis appetitionibus reſpondentes perluſtrabo.

DVM autem vniuſcuiuſque animæ potentias, & propenſiones perſpexero, ſuam cuique ſententiæ partem remittam, nec Dialectica ratiocinia, moraleſve honeſtates, ſeu in dirigendo intellectu, ſeu in moderanda voluntate, hîc tangendi locus eſt. Sat naturalem Animæ entitatem, Phyſicumque munus ſuſpicere, ſat etiam vegetationis inſtrumenta, & ſenſationis organa percurrere: Paulò verò fuſiùs in rationalis animæ potentiis immorabor: Quidquid enim nobilitatis, quidquid diuinæ participationis habet nobilis hæc ENTILECHIA, in ſuis potiſſimum facultatibus elucet: Fit namque omnia, operante intellectu, in omnia verò fertur, pellectâ voluntate. Deum in ſe ſub eximia ſpecie recipit, trahitque paſſibilis intellectus; in Deo autem recipitur trahiturque amans voluntas: Plus enim eſt Anima, vbi amat, quam vbi animat; Abſolutamque ſemper retinet Libertatem, quâ pro libito cætera bona vel odit vel amat; dum tandem in diuini amoris vincula coniecta, fœlici neceſſitate in infiniti boni obſequium captiuetur.

HÆC Seraphicus Bonauentura paſſim in ſcriptis tradidit; cuius ardens calamus, veluti ex alis Seraphim arreptus, vt cantatur in feſtiuitate S. P. N. Franciſci: *Quidquid in rebus reperit delectamenti, regerit in gloriam factoris.* Ipſo è Cœlis mihi irradiante, & obnubilatæ menti lumen obtinente, quæ de Anima ſcripſerat, maiori quâ potero claritate & breuitate, in ſolitam methodum concinnabo.

DISPV



DISPVTATIO PRIMA DE ANIMA IN GENERE.



HAc prima Disputatione illustriores de ANIMA quæstiones expediam: quibus super Catholicæ fidei petram stabilitis; Arenosa Hæreticorum fundamenta, suis inanibus agitata ventis, in nihilum defluent. Aureis Seraphici Doctoris Argumentis tanquam expeditissimis armis, ad hanc disceptationem insumam; suosque ipsi adiungam sequaces, iisdem ferè telis veritatis hostes confodentes. Quod etiam in toto decursu huius Tractatus præstabo.



QVÆSTIO I.

An detur ANIMA *aliqua in serie Creaturarum.*

ANIMA, ab *Anemos* Græcè dicta, Latinè sonat *Halitus*, *respirans*: hinc dicitur etiam *respirans*, *expirans*; vt notat Pererius, *lib.* 4. ad illud Genes. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Per Methonymiam sanè effectuum, Anima dicitur HALITVS: quia, dum adest, dat respirationem; vnde hæc est effectus eius.

2 ASSERO, dari animam, contra Anabaptistas. Vide Bouerium *in Symbolo, demonstrat.* 2. *gene. art.* 2.


PROBATVR primò, 2. *Machab.* loquens VIRAGO illa septem filiis suis; *Non ego*, ait, *Spiritum, & animam donaui vobis*, Tobiæ 4. *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli.*

PROBATVR secundò. Vbi est diuersitas motuum, est etiam varietas naturarum, quæ sunt eorum principia; sed in plantis, brutis, & hominibus est diuersitas motuum, sicut & inter ipsos, & inter alia mixta, ac elementa: ergo. Tale principium in viuentibus non potest esse materia, quæ est indifferens: ergo à diuersis formis sunt tales operationes; sed hæ operationes sunt vitales; ergo principium earum est forma viuens. Est ratio D. Bonau. *in* 2. *distinct.* 14. *quæst.* 2. *in fundamentis.*

3 PROBATVR tertiò. Animalia, *verb. grat.* Leo, Vrsus, Bos, Homo, &c. aliquando respirant, progrediuntur; rugiunt, vlulant, mugiunt, loquuntur, vident, audiunt, manducant, nascuntur, lætantur, & aliis innumeris motibus agitantur, aliquando ab his desinunt omninò post mortem: ergo aliqua forma adest, quæ operatur, eaque absente, hæc non operatur animal. Si enim aliquid suâ præsentiâ est causa alicuius; erit suâ absentiâ causa oppositi, secundùm Aristotelem, & D. Bonauent, *in primo, dist.* 40. *quæst. vlt. ad penultimum*, & *in* 2. *distinct.* 37. *art.* 2. *quæst.* 1. Hæc non potest esse aliqua forma elementorum; vel mixti, quæ maneat: ergo est anima.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 12. *art.* 1. *quæst.* 2. & *in* 2. *dist.* 17. passim; præcipuè *art.* 2. *quæst.* 1. *in argumentis*. Nobilissimum subiectum signum est nobilissimæ formæ; quia nobilissimæ formæ debetur; sed in animalibus est subiectum nobile organicum, præstantiùs cæteris mixtis: ergo adest nobilissima forma: His rationibus vtitur Toletus, *quæst.* 1. 4

TANDEM patet ex dictis; datur enim id, quo spiramus, & respiramus, eoque aliquando caremus: ergo datur aliqua forma, quæ sit principium talis actionis. Hæc autem est anima, quæ ideò à Græcis dicitur ψυχὴ, idest *Ventus*, Hebræus verò legit, non נגש, vt putat Gregorius de Valentia *Tomo* 1. *disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 1. sed נפש, quod vocabulum apud Pagninum, & omnes peritos sonat FLATVS, seu SPIRITVS, & apud Diuum Bonauenturam, *in Compend. Theolog. libro* 2. *cap.* 31. vbi addit, dici animam etiam ab A, idest, SINE, & ÆMA, quod est, SANGVIS, vel ab A, & NEMEIN, quod est *Tribuere*; quia vitam tribuit. Ipsum vide, qui ibi deducit, primam notionem animæ in communi esse, vt sit principium vitæ.



QVÆSTIO II.

An dentur plura genera ANIMARVM, *& quot.*

VNIVERSALITER sentiunt Sapientes, tria genera dari animarum, VEGETATIVAM, SENSITIVAM, & RATIONALEM. Ita D. Bonauent.

nauent. *in 2.dist.*15. vsque *ad* 20.In *Centil.part.* 3. *sect.*21.& *part.*2.*Breuil.cap.*9.& *in Compend.Theol. lib.*2.*cap.* 32.D. Th. *prim.p.quæst.*78. *art.*1. Caiet. Thomistæque omnes,atque Scotistæ,cum Scoto *in* 2.*dist.*16. & *in* 4.*dist.*46.*litt.A*, & *aliis locis*,quos adducit, & sequitur Faber,*Theoremate* 72. Valent. *tom.*1.*disp.*6.*quæst.*3.*punct.*1.Perer.*tom.*1.*in Genes. lib.*4.*à num.*106.vsque *ad* 110.Suarez,*lib.*1.*de anima*,*à cap.*4. vsque *ad* 7. Tolet.2.*de anima, quæst.*6.

5 Assero, dari tria genera animarum.

Probatvr à D:Bonau.*in Compend. loc.cit.* & 3.*part.Centil. sect.*21. & D. Thom. Tres sunt gradus actuum, superexcedentium reliquas operationes corporalis naturæ. Prima sanè est independens à corpore; & hæc est intellectio. Secunda est per organa; non tamen per aliquam qualitatem corpoream, seu materialem; ex his, scilicet quæ disponunt materiam ad formam substantialem;licèt enim operetur per species intentionales, quæ materiales impropriè sunt,tamen non per qualitates reales operatur; vt notat Suarez. *loc. adducto*, *cap.*7. *n.*5. &
6 hæc est Sensitiua. Tertia est, quæ operatur per organa,& qualitates materiales propriè, vt sunt elementares, & ex his resultantes, quæ materiam ad esse perfectum disponunt. Neque aliunde distinctionem formarum venari liquet, quam ex actibus, vt indicat S.Bonau. *loc.cit.* hanc vnicam rationem assignans; sequitur Suar. *loc.cit. num.*6. & Valent. *loco citato*.

Probatvr secundò, à D. Bonau. *loc. cit.* ex gradibus animatorum. Aut enim viuunt, vegetando, aut sentiendo, aut intelligendo; & sanè facultatem intelligendi esse vitalem, imò supremum vitæ gradum, probatur, est enim participatio vitæ Diuinæ,propter quam, dicitur anima rationalis ad imaginem Dei facta; vt notat D.Bonau. *in* 2.*dist.* 16.*quæst.*1.*fund.*3.& *in corpore, & in* 1.*dist.*3.*p.*2.
7 *quæst.*1.*in fundamentis,& corpore*,& *quæst.*2.*in fundamentis, & corpore*, & sexcentis aliis locis, quem sequitur Suarez, *lib.*1.*cap.*4.*num.*4.*de anima*. Quòd verò hoc principium ratiocinandi in homine,non solùm sit in se viuens,sed etiam sit actus,quo homo viuit; licèt notum,sic ostendam *disp.hac,quæst.*11. Quod deinde principium sentiendi in animalibus brutis sit vera anima, patet ex Arist. *lib.*1.*de plantis*; (si eius est author) vbi ait: *Vita in animalibus patens est, & manifesta; in plantis verò occultior.* Quod eisdem ferè verbis habet S. August. *lib. de quantitate Animæ, cap.*33.

Probatvr verò à D. Bonau. *lib.*2.*Compend. cap.* 32. ex D. Ambros. nam *sentire* est ex appetitu ad aliud,benè esse, quod in animalibus experimur, propter quem conantur, dolent, lætantur,vt patet
8 ex conformitate cum nostris sensibus. Hic autem appetitus est ab intrinseco,& cum cognitione.Ideò S.Bonau. *cap.* 34. subdit aliud membrum rationis. Animalia habent potentiam apprehensiuam boni, & mali,& motiuam ad prosecutionem,& fugam;& hæc à principio intrinseco, operante per organa, vt patet experimentis. Hæc verò organa corporalia sunt: quia circa particularia tantùm obiecta versantur. Omnis enim forma particularis in materia aliqua est: quoniam forma, siue materia vniuersalis est, circa quam versatur intellectus; qui quidem actus,cùm fiant,vt dixi,ab animali,cognoscente,& appetente, & in eo maneant, & per illos seipsum ab intrinseco perficiat; vt viuat accidentali vita: signum est, in animalibus, sic operanti-
9 bus, dari principium vitæ internum, à quo tales actus principaliter procedunt,seu necessariò dependent; cuius certum signum est, quòd per separationem, vel destructionem talis principij,cessat talis operatio. Ita D. Bonauent. & post eum Suarez *loco cit. num.* 5.

Qvòd verò illud principium sit actus corporis, probatur: quia principium operandi intrinsecè est actus,& forma, dans esse corpori,sic operanti: tale autem est principium sentiendi: quia hæc operatio talis est, vt ab intrinseco fieri postulet, vt patet: nam, deficiente tali principio, illa operatio nequit fieri; vt docet D.Bonauent. *loc. cit.à num.* 33. per multa capita. Principium autem vegetandi esse vitam,tenet D.Bonau. *allegatis locis*, maximè *cap.*33. & in Theologia est certum, ac in Philosophia patens: In hoc omnes Theologi,ac Philosophi conspirant; vt notat Suarez *cap.*4. *num.*11.

Probatvr primò à D. Bonau. ad illud 10
Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*: vbi granum emori, ac vitam perdere autumat. Simile est,quod dicitur, prima ad Corinth. 15. *Quod seminas non viuificatur; nisi prius moriatur.* Vnde infert de corpore nostro; *seminatur in corruptione, resurget in incorruptione*: & sic applicatur ab Apostolo, vt notat D.Bonau. *in* 4. *dist.*49. *part.*2.*art.*2.*quæst.*2. *in corpore*. Eadem ponderat S. Doctor *in expositione Missæ*, ad ea verba: *Per quem, hæc omnia bona sanctificas, viuificas, &c.* Vide etiam D. Augusti- 11
num ad ea verba *Ioan.*12.& 1.*de Ciuit.Dei*, *c.*20. &*de vera Religione*,*c.*55.& D.Dionys.*cap.*6.*de Diuin. Nominibus*, & Arist. 2. *de anima*, *cap.* 1. & 2.

Probatvr secundò, ratione. Vegetatio ipsa, seu nutritio est vita quædam, seu vitalis operatio: ergo forma, quæ ita informat corpus, vt sit principium talis operationis, est anima. Consequentia est euidens ex dictis principiis: antecedens patet: quia habet principium intrinsecum sui motus, qui est supra alia mixta, idest, nutriri, augmentari, & generare ad conseruationem, non solùm sui; sed etiam speciei in multis indiuiduis. Hæc est demonstratio physica, quam desumpsit Suarez, *num.*12. ex D.Bonau.*lib.*2.*Compend. Theolog. cap.*32.& 33.
Dices, Aristoteles 2. *de anima*, *cap.*2. definit ani- 12
mam, dicens, esse principium eorum, quæ hîc definiuntur per vegetatiuum, sensitiuum, intellectiuum, & motum: ergo addendus est quartus gradus animæ, loco motiuæ; sunt enim aliqua animalia, quæ non sunt loco motiua, præterquam per dilatationem, vt Conchæ. Quin imò, cùm numerentur etiam plures gradus animæ, nedum potentiæ, vt latè recenset D. Bonau. 3. *part. Centil. à. sect.* 20. *ad* 24. videntur plures animæ numerandæ.

Respondetvr, animalia loco motiua non constituere nouum gradum viuentis: quia motus est semper cum istis, nec est vnquam vis motiua, ab istis differens. Itaque est subdiuisio animalis in
motiuum,& non motiuum; vt notat Tolet. Neque 13
ex numero potentiarum sumendus est numerus animarum; principia enim pauciora sunt, quàm principiata. Itaque animarum series minor est numerò animatorum, qui à subiectis sumitur, aliqua enim sunt motiua,aliqua non: Potentiæ verò plures adhuc sunt: quia quilibet gradus est fons multarum potentiarum, quas infrà differemus, & latè prosequitur S.Bonau.*loc.cit.Compend. Theol.* Addo hanc diuisionem esse vniuocam: ita Arist. *cap.*1. & 2.*de anima.* Probatur ratione: quia viuens vniuocè dicitur de planta, animali,& homine: ergo etiam de principio suo.

QVÆST.

QVÆSTIO III.

Vtrùm ANIMA *sit substantia.*

14 NEGARVNT aliqui, animam esse substantiam. Eos refert S.Bonau. *in Compend. Theologiæ, libro 1.cap.30.* Plato enim dixit, animam esse numerum, se ipsum mouentem; Pythagoras, harmoniam: Galenus, temperamentum primarum qualitatum: ita *lib.3.de locis affectis, cap.6.& lib.3.de symptom. & lib.7.de vsu partium, cap.8.* Eam sententiam refert Aristot. *à text.* 54. per plurimos textus: vbi vide Toletum, Ruuium, & alios Animasticos.

15 ASSERO, animam esse substantiam.

PROBATVR primò à D.Bonauent. *in 2.dist.1. quæst.vlt.argum.* quo vtitur Valent. *disp.6.q.1.p.1.* Tolet. 2.*de anima, q.1.* Id, quod dat esse substantiale, & diuersum substantialiter ab aliis, est substantia; sed anima est id, quo substantiæ constituuntur, & distinguuntur inter se, & à cæteris inanimatis: ergo.

PROBATVR secundò à D.Bonau. *lib.2.Compen. cap.30. de anima rationali*, Id, quod creatur; vt sit imago Dei, est substantia, talis est anima nostra: ergo. Idem argumentum habetur in D. Bonau. *in 1. dist.3.parte 2.quæst.3.*

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *ibi.* Ea, ex qua potentiæ manant, est substantia; talis est omnis anima: ergo.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm ANIMA *sit corpus, vel corporea.*

16 TOTO Cœlo ex Antiquis plurimi aberrarunt, existimantes, animam etiam nostram corpus esse, vel corpoream. Aliquos verò refert S. Bonau. *in Compend. Theolog. lib. 2. cap. 30.* Hippocrates enim voluit, esse spiritum tenuem; Heraclitus, lucem: Democritus, & Xenocrates, spiritum ex atomis compositum: Hippomanes, igneum vigorem; Parmenides, eam esse de terra, & igne; Epicurus autem, ex aëre, & igne autumauit. Vide Aristotelem, *à text.* 72.

ILLI verò, qui omnem aliam formam, præter animam, in viuente negant, eam eminenter corpoream vocant. Eos retuli, *tract. præced. disp.2. quæstione 3.*

ASSERO primò, animam non esse corpus.

PROBATVR ab Arist. *loco cit.* quia si anima esset corpus, daretur penetratio corporum: cùm sit in toto corpore diffusa.

17 PROBATVR à D.Thom. *p.1.q.75.art.2.* & D. Bonau. *in 2.dist.17.quæst.2.* quia, si esset corpus, vel corporea, non posset intelligere; *Intelligere* enim est actus segregatus à corporali natura, & spectans tantùm ad naturam spiritualem.

ASSERO secundò, Animam nostram non esse corpoream.

PROBATVR à Valent. *tom. 1. disp. 6. quæst. 1. punct. 1.* ex Scriptura, quæ sæpè animam nostram purum spiritum vocat. Ait enim Ecclesiastes 12. *Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*: quem locum ad id refert S.Bonau. *in Bibliis pauperum. cap. 33. & in Diæta salutis, titulo 5.cap.2.* præcipuè ad eum locum Ecclesiast. & *in 2. dist. 17. art. 1. quæst. 2. ad 2.*

SECVNDVS locus est Lucæ 23. *In manus tuas commendo Spiritum meum*; quem locum refert S. Bonau. *in meditat. vitæ Christi, cap. 79.* addens: *Emisit Spiritum.* 18

TERTIVS locus est Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus Spiritum: & Spiritus aduersus carnem.* Quem locum ad id refert D. Bonau. *in 2.dist.1.p.1. art.2. quæst.1.argument.4.addita solutione*, & *dist. 20.art.vnic.quæst.1.ad 4.* & *dist.22.art.2, quæst.1. ad vlt.* & *in 3. dist.28.art.1. quæst.4. ad argum.* & *tom.6. operum, de tribus ternariis peccatorum, cap. 3.* & *in Diæta salutis, appendic. in Dominica 14. post Pentecost.* & *in Proœmio Diætæ.*

Idem definitur in sexta synodo Generali; vt habetur *in Epist.Sophronij*, recitatâ *act.12.* & *act.13.* acclamata.

Idem habetur *in cap. Firmiter, de summa Trinitate*, in Concil. Lateran. sub Innoc. III. Adde D. Clement. *lib.1.Constit.Apostolic. cap.15.* vbi ait: *Animam in homine fatemur incorpoream, & immortalem; nec interire, sed perpetuò manere vti rationis participem, & libertatis compotem.*

ADDO, illam nec eminenter corpoream posse dici, dantem esse formale corpori organico, contra Thomistas, confutatos, *tract. praced. disputat. 2. quæst. 3.* 19

PROBATVR ibi: nam forma dat esse formali, quod ipsa est, exhibendo suam substantiam: ergo tale constituit formaliter, qualis est ipsa formaliter, non autem eminenter tantùm.

ADDO verò animam nostram esse corpoream, *vt quò*, non autem *vt quod.*

Dices, in VII. synodo generali, *act.5.* quidam Episcopus ait, Angelos esse pingendos, quia corporei.

RESPONDETVR, velle dicere, illos esse pingendos: quia habent sæpè corpora assumpta, seu in corporibus nobis apparent: atque adeò licet ita illos exprimere.

QVÆSTIO V.

Vtrùm omnis ANIMA *sit indiuisibilis.*

D. Bonau. in 1. d. 8. part. 2. quæst. 3.
D. Thom. quæst. 76. artic. 8.

20 AD cognoscendam animæ quidditatem, hæc quæstio est admodum opportuna. Indiuisibile tot modis dicitur, quot diuisibile. Diuisibile autem est, vel in partes Physicas, vel Metaphysicas, vel Integrantes, vel Potentiales: vt docet D. Bonau. *in 1.dist.19. part.2.quæst.1. & 2.* & *hic*, & aliis locis citandis. Quæstio verò non est de diuisibilitate Physica: de qua, *quæst. 7.* sed de Integrali.

PRIMA opinio est, omnem animam esse diuisibilem; fuit Chrysippi, Cleantis, & aliorum, quos refert Sanctus Gregorius Nyssenus, *libro de Anima, capite 2.* Adducuntur etiam Gandauensis, & Hierardus, à Nypho, 2.*de Anima, ad textum vigesimum.* His fauent Iandunus, & Pomponatius, quos refert Toletus, 2. *de anima, q.5.* dicentes, omnes animas, secundùm Philosophiam 21

esse diuisibiles; licèt fateantur, in fide dicendum, rationalem esse indiuisibilem. Idem sensère alij, quos refert Sixtus Senens. *libro* 1. *Bibliot. Adnot.* 8.

Secvnda opinio censet, omnes animas, etiam Plantarum, esse indiuisibiles, quibus addunt animas animalium imperfectorum, quæ insecta nominantur ab Aristotele, 2. *de Anima, text.* 20. & *lib. de iuuentute, & senectute, cap.* 1. vbi Apes, & Vespas enumerat. Ita Plato, relatus à Marsil. Fici. *lib.* 1. *de Theolog. Platon. cap.* 3. & *lib.* 8. *cap.* 1. & alij, quos refert D. Gregor. Nyssenus, *lib.* 3. *de Anima, cap.* 1. Eam sequitur S. Caiet. Thyen. 2. *de Anima. text.* 22. & alij, quos refert Pompon. 1. *de nutrit. cap.* 10. Tolet. *loco cit.* adducitur etiam D. Bonauentura, de quo infrà.

22 Tertia opinio est, animas plantarum, & insectorum, esse diuisibiles; reliquas verò indiuisibiles. Ita communiter interpretes Aristotelis, & Scholastici Doctores, quos adducunt Tolet. 2. *de Anima, quæst.* 7. Ruuius *ibi, tract. de modo*, quo anima informat corpus, *quæst.* 2. Id sentiunt Albert. *lib.* 1. *de Anima, cap. vlt.* & *lib.* 2. *cap.* 7. Alens. 7. *metaph. ad text.* 59. D. Thom. *in quæst. de spiritualibus creaturis, art.* 4. *in quæst. de Anima, art.* 10. 2. *contra Gent. cap.* 72. & *part.* 1. *quæst.* 76. *art.* 8. Complut. *disp.* 5. Caiet. & Ferrar. *ad hac loca vlt.* Ioan. à S. Thom. *quæst.* 2. *art.* 1. Bannes, *lib.* 1. *de Gener. capite* 5. *quæst.* 5. & *part.* 1. *quæst.* 76. *art.* 8. *dub.* 2. Colleg. *hîc*, & alij. Citatur etiam D. Bonauentura.

23 Qvarta opinio solas rationales admittit indiuisibiles; reliquas diuisibiles ponens. Ita Aresius, 8. *Physic.* Scotus, *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. *artic.* 1. Durand. & Ægid. *in* 2. *dist.* 8. *quæst.* 3. Capreol. *in* 2. *dist.* 15. *quæst. vnica, ad vltimum, contra vltimam conclusionem*, Soncin. 8. *Metaphysicorum, quæstione* 11. Iauellus *ibi, quæst.* 4. *Apol.* 2. *de Anima, quæst.* 6. Marsil. 2. *de Gener. quæst.* 10. Tolet. *q.* 5. Ruuius, 2. *de Anima, tract. adducto, quæst.* 3. & Faber. *Theor.* 82. Mastrius, & Bellut. *disp.* 1. *quæst.* 5. Poncius *disp.* 1. *quæst.* 8. Linius Rabes. *q.* 4. Iuliensis 3. *Phys. cap.* 1. *art.* 3. Eustach. 3. *part. Physic. tract.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 10. Auersa, Arriaga, Murcia, aliique.

24 Qvoad Diuum Bonauenturam, primò sanè animam rationalem vbique indiuisibilem ponit, quod omnes fatentur. Ita supponit *in* 1. *dist.* 3. *parte* 3. *artic.* 2. & 3. Id verò probat *quæst. adducta* supra *in margine*; & *dist.* 15. *secundi, quæst.* 1. & *distinct.* 17. *art.* 1. per multas quæstiones; & vbique locorum, vbi de anima nostra tractat.

Qvoad animas animalium irrationalium perfectorum omnes credit indiuisibiles. Ita videtur *in* 1. *dist.* 8. *quæst cit. ad* 1. & *in* 2. *dist.* 15. *q.* 1. *ad* 5. attamen ibi videtur, animas diuisibiles ponere, exceptâ rationali.

Qvoad insecta, & plantas, videtur, eas ponere actus indiuisibiles, *in* 1. *dist.* 8. *quæst. citata in margine, ad* 1. & *disp.* 15. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad quintum*, Suppono autem hic, aliquid esse diuisibile per se primò, vt quantitas; aliqua verò secundò, vt substantia corporea; aliqua autem, ratione subiecti, & per accidens, vt qualitates, quæ non dicuntur *quanta*; non enim propriè dicitur, albedo est tanta. Quæstio est autem: An anima sit diuisibilis, tertio modo; vt notat Tolet. *loc. cit.* & *hîc*. Secundo modo, negatur à D. Bonau. *in* 2. *dist.* 15. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad secundum.*

Assero primò, animas rationales esse indiuisibiles. 25

Probatvr à D. Bonauent. *hîc*, primò ex D. August. 6. *de Trinit. cap.* 6. & *lib. de Spiritu, & anima, cap.* 19. Addit verò *in corpore*, eandem sententiam esse aliorum Patrum, cum D. August. Ita D. Ambrosius *lib. de conditione dignitatis humanæ, cap.* 2. Chrysost. *lib.* 2. *de comprehensibili Dei natura* Tertullianus, *lib. de Anima*, Gregor. Magn. *homil.* 17. *in Ezech. elem*, D. Gregor. Nyssenus, *lib.* 2. *de anima, cap.* 2. consentiunt cum D. Bonauentura omnes Theologi *dist. eadem* 8. *primi sentent.* vt refert supplementum; Suarez, *lib.* 1. *de Anima, capite* 13. Scias, post hac, allegandum Suarez in libris *de Anima*, quos ipsius amici ex eius scriptis, in iuuentute traditis, compilarunt; exceptâ quæstione de animæ immortalitate, in qua ipse fœliciter, ac sanctè in Domino, vt speratur, requieuit. Fuit enim vir eximiæ, non minùs sanctitatis, quàm sapientiæ, qui in aëra mirè eleuatus, luce præclarissima circumfusus, visus est adhuc viuens; vt refertur *Tomo primo operum eius*, initio.

Probatvr secundò à D. Bonau. Ita se habet anima in corpore, sicut Deus in mundo; ex Diuo Augustino *loco cit.* sed Deus est totus in toto mundo, & in qualibet parte totus, indiuisibilis; & est de fide: ergo & anima. Hic habes non modò veritatem Theorematis, sed etiam modum; vt notat, post Diuum Bonauenturam, Ruuius, *num.* 90. & Tolet. *loc. cit.* Deus tamen non informat mundum. His refellit dictum Chalcidij, à se relatum *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 54. Animam in corde sedere; vt Araneam in medio telæ, vel vt Regem Persarum Susis, vt ait Arist. ad Alexandrum. 26

Probatvr tertiò, à S. Doctore, ex Aristotele 2. *de Anima, cap.* 3. vbi omnes eius Interpretes.

Probatvr quartò à D. Bonauentura, quod dat esse toti, & partibus; totaliter vnitur toti, & partibus, secundùm totam essentiam: quia forma, per sui essentiam, dat esse; & hoc, non nisi ei, cui essentialiter vnitur; sed anima dat esse corpori; & omnibus partibus totaliter: ergo. Minor probatur; si aliter daret esse corpori toti, & partibus: ergo abscissâ manu, abscinderetur pars animæ; vel ergo ea pars corrumpitur, vel manet; si corrumpitur: ergo anima nostra est corruptibilis, si manet; vbi quæso locorum manet ea pars? Præterea habet illa pars intellectum, necnè? si habet: ergo intellectus est diuisibilis, duoque intellectus partiales; imò tot erunt in anima, quot sunt membra amputabilia. Si manet sine intellectu: ergo non est rationalis. Hoc argumento vtitur Suarez, *num.* 1. Tolet. *loc. cit.* Ruuius, *num.* 89. 27

Probatvr quintò à D. Bonau. quia, dùm in oculo est videre, sentire, & viuere. Vel hæc tria sunt vnus actus, vel diuersi; non vnus: quia priuatus visu, adhuc sentit per tactum; priuatus sensu, adhuc viuit; sicut Paralyticus. Cùm ergo viuere sit à substantia; videre à potentia, in oculo est anima, secundùm substantiam, & eâdem ratione, applicando, est in omnibus partibus corporis. 28

Dices, hoc argumentum magis ad contrarium vrget: nam oculus videt, & non audit; auris audit, & non olfacit; ergo in aure non est anima tota, secundùm omnes potentias.

Respondetvr, negando consequentiam: quia ad sensationes singulas, requiruntur proportionata 29

tionata organa; non enim est sola anima, quæ audit, videt, odorat; sed est anima per organum.

Probatvr sextò à Diuo Bonauent. Anima operatur in toto corpore: ergo est per potentiam; sed potentia animæ simplex est: Ergo si potentia vna est in manu, & pede, eadem est in diuersis partibus; sed non est simplicior potentia, quam substantia: ergo.

30 Probatvr septimò à D. Bonauentura. Anima, si est in corpore; aut ergo in qualibet stat parte; aut in vna determinata, aut in aliquo puncto. Si in vna parte: ergo, cùm illa pars pluribus partibus constet, non repugnat animam esse in pluribus, cùm illa sit simplex: ergo potest esse in partibus totius eadem ratione, qua est in partibus partis. Si est in puncto: ergo est improportionata corpori: ergo non potest esse perfectio eius; cùm perfectiuum, & perfectibile debeant sibi inuicem proportionari.

31 Probatvr octauò à D. Bonauentura *in corpore*, experientiâ: quia anima in partibus, distantibus à corde, ita citò sentit, sicut in propinquis. Itidem quia simul, quasi in ictu oculi, sentit læsionem in partibus distantibus; & cùm anima separatur, dolor est in singulis partibus, & resolutio: ergo signum est, animam esse totam in toto corpore, & totam in qualibet parte. Confirmatur, exemplo, allato à D. August. *loco citato*. Videmus in animali, maximè rationali, perfectè sano, quòd vna sanitas in singulis partibus est: nec maior in maiori, nec minor in minori. Responsionem aduersariorum infra soluemus in secunda assertione.

32 Probatvr nonò à D. Bonauentura, *ibi*. Anima est spiritualis, & simplex: ergo est tota in toto, & tota in qualibet parte. Hoc argumento nititur Ruuius, *num.* 87.

Probatvr decimò à D. Bonau. *in responsione ad primum* ex operatione inextensa, quæ est intellectio. Intellectus enim cognoscit vniuersale, absque loco, & figura: ergo est omninò indiuisibilis; alioquin per speciem extensam intelligeret: at species extensa non potest repræsentare, nisi rem extensam in loco. Hoc argumentum optimum acclamat Toletus *loco citato*, *in prima assertione*, & adhibetur à Scoto, & discipulis.

33 Probatvr vndecimò à D. Bonau. *dist.* 19. *quæst.* 1. *fundam.* 4. Nulla virtus extensa apta est supra se reflecti, & actus suos diiudicare; sed anima suprà se reflectitur, & actus suos iudicat: ergo non est extensa. Hoc argumento nituntur Moderni.

Probatvr duodecimò à D. Bonauent. *in ambobus allegatis libris*: in primo quidem, *dist.* 8. *loco cit. ad primum*, & innuitur *in* 2. *dist.* 19. *quæst.* 1. *in argumentis*: quia, si anima esset diuisibilis, penderet à materia: ergo non esset separabilis: ergo esset mortalis. Hoc argumento vtitur Durand. *in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 3.

34 Assero secundò, animas animalium perfectorum probabiliter indiuisibiles esse. Est Aristotelis *lib. de longit. & breuit. vitæ.*

Probatvr primò à D. Bonauent. *hic*, *ad primum*, argumento quo vtitur Caiet. *loco citato*. Forma extensa in maiori est maior, secundùm virtutem; & in minori est minor, sed in animalibus videmus oppositum: nam sæpè animalia maiora secundùm molem, sunt debiliora secundùm virtutem: ergo.

35 Probatvr secundò à D. Bonau. *in* 2. *distinctione* 15. *quæst.* 1. *ad* 5. Videmus enim, partes horum animalium diuisas non viuere; non enim habent vllam operationem vitalem: ergo euidens est, nullo etiam breui tempore, conseruari in eis animam; & consequenter nec separari partem animæ, cum parte materiæ recisæ: quare non ab aliqua parte animæ informantur partes materiæ, sed à tota, quod est, animam esse indiuisibilem. Probatur vtraque consequentia: quia, si separarentur partes animæ, pro breui saltem tempore, partes animatorum viuerent.

Respondet Ruuius, *à num.* 127. Mastrius, & Bellutus, *num.* 67. Eustach. & Fulienf. rationem, cur partes horum animalium recisæ non viuant, non esse indiuisibilitatem animæ, sed necessitudinem organorum perfectiorum: cùm enim anima sit actus corporis organici, quò perfectior est anima, eò pluribus organis indiget. Hinc igitur plantæ, & alia insecta magis viuunt in partibus incisis. Itaque, licet omnes æquè sint diuisibiles, quoad partibilitatem, in partes integrantes; tamen, quoad consistentiam, animæ perfectorum sunt indiuisibiliores, quàm insectorum, & plantarum; & forsan (ait Ruuius) hoc sensit D. Thomas & alij, qui eas indiuisibiles accinunt. Addunt, animalia hæc, vt pullos, & gallinas, aliquo tempore viuere, post abscissa capita. 36

Hanc sane responsionem abstulêre à D. Bonauentura *loco citato*, non tamen rectè ad rem nostram applicant; sic autem arguit D. Bonau. *ibi*, ex vna anima integra ita fieret diuisio, vt singulæ postea partes essent adhuc integræ, absque noua generatione; sicut puncta plura prodeunt ad diuisiones lineæ in plura segmenta: ergo plures animæ etiam primò inerant, & non vna ex pluribus partibus, sicut in igne; atque adeò singula membra essent plura animalia; cum pluribus formis animarentur distinctis: ergo caput vespæ, & cauda erunt denominanda duo animalia: Similiter & singuli ramusculi plantæ, quod est falsum. Ita arguit *in primo*, *dist.* 8. *loco citato*. 37

Probatvr tertiò à D. Bonau. *loco* mox *adducto*. Forma diuisibilis eodem modo respicit totum, & quamlibet partem; & ideò tam sub parte separata, quàm sub toto conseruatur; vt patet in igne, cuius singulæ partes sunt ignis, sed anima perfectorum animalium non eodem modo respicit totum, & partem; sed respicit totum corpus, vt primum, & adæquatum perfectibile, non verò partem: ergo non est diuisibilis. Hoc argumento vtitur Caietanus.

Respondet Ruuius, *post numerum* 129. negando maiorem, quòd omnis forma diuisibilis eodem modo respiciat totam materiam, & quamlibet partem eius; nam, licèt vera sit de imperfectissimis, quia homogeneæ sunt; est tamen falsa de animalibus; & differentia est; quia anima non est actus cuiuscunque corporis, sed organici; & ideò, tanquam primum perfectibile, respicit corpus organicum; ideoque non potest naturaliter conseruari in qualibet parte separata: quia corpus organicum plures inter se diuersas partes habere debet. 38

Verum ex hac doctrina non soluitur argumentum, sed confirmatur: nam ex hac ipsa doctrina, quæ etiam a D. Bonauent. suprà *citatis locis* allegatur, habetur primò, animam non se habere eodem modo ad totum, & ad partes; non enim singulæ partes dicuntur animal: sicut è regione omnes partes ignis dicuntur ignis: quia hæc est diuersitas inter ea, quæ sunt homogenea, & inter Heterogenea, vt ad formas diuersas ordinentur, à qui-

bus ratio diuersitatis est quærenda, non à materia; cum materia sit ad formam, à qua necessitatem talis modi essendi obtinuit. Itaque forma, quia totum perficit, ideò est in toto; & quia extenditur ad perfectionem totius, communicat partibus; vt notat D.Bonauent. *in 1.distinct.8.loco citato.*

39 ¶ PROBATVR quartò à D. Bonauent. *loco mox adducto.* Si aliqua ratione anima horum animalium non est indiuisibilis, maximè quia dependet à subiecto, vel materia, & de potentia eius educitur; sed formam esse indiuisibilem independentem à subiecto, neque eductam de potentia eius, diuersæ perfectiones eius sunt, ita vt neque ex priori inferatur necessariò posterior; neque sit ei necessariò coniuncta.

PROBATVR vtrumque in accidenti spirituali, quale est gratia, indiuisibilis quidem, & tamen secundùm aduersariorum potiorem partem, dependens à subiecto, idest, ab anima, deque potentia eius educta: ergo non benè sequitur: hæc forma est indiuisibilis: ergo independens à subiecto; & ideò potest simul stare indiuisibilitas harum animarum cum dependentia, & eductione.

40 RESPONDET Ruuius *num.* 130. concessa maiori, distinguendo minorem, nam si sermo sit de dependentia, & eductione à subiecto materiali, ac diuisibili, falsa est, licèt vera esse queat de dependentia à subiecto Spirituali; vt probat argumentum adductum de anima. Ratio diuersitatis est; quia vniuersaliter est verum, quòd forma, educta de potentia subiecti, debet commensurari eidem subiecto, idest secundùm modum eundem diuisibilem, vel indiuisibilem ei respondêre, quod necessarium omninò est: quia cùm contineatur in potentia eiusdem subiecti, eundem modum educendi materialem, vel immaterialem, & consequenter diuisibilem, vel indiuisibilem habere debet cum eo; sed constat, materiam esse diuisibilem in partes inte-
41 grantes: ergo nulla forma potest in ea contineri, nisi tali modo diuisibilis sit; vnde sequitur, quòd, licèt esse formam indiuisibilem, & independentem à subiecto materiali, sint rationes distinctæ: attamen necessariò habent connexionem, ità vt ex vna sequatur altera.

VERVM Author iste retrogreditur ad principium petendum. Si enim vniuersaliter verum est, formam eductam è potentia materiæ eidem debere commensurari secundùm modum independẽtem, vel indiuisibilem ei respondentem: Quomodo verum est, gratiam educi è potentia animæ, & tamen indiuisibilem esse simul & dependentem? Anima enim rationalis, esto in corpore extenso, est indiuisibilis, & virtualiter per singulas partes extensa. Quid ni ergo nouâ substantiâ, per nutritionem, seu augmentationem, accrescente, ad eam anima extendatur, sicuti & parti recisæ desinat vniri? Ratio verò diuersitatis assignata, quam in responsione ad quintum eluam, rursus petit ferè principium. Nam eadem est difficultas de informatione, & eductione, vt docet D.Augustinus *de Quantitate Animæ.* Vtraque enim est vnio formalis habens cum materia proportionem maximam, & intrinsecam: Nam sicut eductio est è tota materia: ita informatio eam totam informat. Vnde anima, licèt non educta, totum corpus extensum informat; vt modò dixi. Quare diuersitas lata *loco citato* inanis ostendetur.

42 Ex his habes, animas istas esse totas in singulis partibus, sed non totaliter. Illud enim est totaliter in aliquo, quod comprehenditur; ità vt nihil illius sit extrà. Sic Deus in intellectu Diuino est totus, & totaliter comprehensus. Iam verò anima ità est in capite, vt sit etiam in corde. De hac distinctione vide *tract.1.disput.11.quæst.27.* & D. Bonauent. *in primo, dist.3. quæst.1. & in 3. dist.14. art.1. quæstione 2.*

TOTVM igitur corpus se habet ad animam, vt locus adæquatus. Vide D. Bonauenturam *in primo, distinct.* 8. *quæst. penult.* communiter receptum.

ASSERO tertiò, Animas insectorum, & plantarum probabiliter esse indiuisibiles. Est D. August. 43
lib.de quantit.animæ, cap.31.

PROBATVR à D. Bonauent. *locis adductis*, ratione D. August. *loc.cit.* quia si lædatur vermis in vna parte, totus contorquetur, atque adeò simul vbique sentit, nec differtur præter moram, quàm postulat extensio percussionis: hoc autem signum est, animam illam esse vnam indiuisibilem.

RESPONDENT Toletus, aliique apud Ruuium, *num.* 110. *quæst.* 2. ex illo experimento solùm colligi, illam animam vnam esse continuam, non autem esse indiuisibilem. Addit verò, D. Augustinum sensisse, illas animas esse indiuisibiles. Toletus id euenire è Sympathia addit.

Verùm S.Augustinus hanc continuationem non 44
sentit esse rationem huius totalis conuulsionis vermiculi, vt fatetur Ruuius, nec titubat, vt iste Doctor putat: sed tandem resolutiuè concludit, supponendam indiuisibilitatem illius animæ, & omnium aliarum, atque adeò motum illum vermiculi, in medio vulnerati, decem pedibus antè, & retrò ad vulnus retorti, non à diuisibilis animæ continuitate sumendum, sed aliunde ex alia ratione, fortè occulta: concludit enim: *Cur ergo non cum tam multis argumentis, superius editis, atque abs te firmissimè comprobatis, planum tibi factum sit, non loco animam contineri, atque ob hoc nullius talis esse quantitatis, qualem in corporibus cernimus, aliquam suspicaris esse causam, cur nonnullum animal concisum in omnibus partibus simul viuat, non eam tamen, quòd cum corpore anima concedi potuerit? Quòd si reperire non possumus, nonnè quærenda est potiùs vera, quàm falsa credenda.* Hæc S. August. *in conclusione.*

HINC tanquam falsam reiicit omninò respon- 45
sionem, quæ obreperat ex diuisibilitate animæ, & ideò mittit discipulum, ad aliam veram emendicandam. quandoquidem hæc omninò falsa est reiicienda, & omninò aliundè ratio quærenda est: cur insecta diuisa viuant, & in singulis partibus statim doleant, dùm in vna feriuntur; eas verò reddit, ac inuenit D.Bonau.in *2.dist.15.ad 1.quæst.1.* vbi ex indiuisibilitate animæ primum euenire supponit, cùm D.August. alterum verò; quia, cùm animalia annulosa, & plantæ sint modicæ organizationis, & quasi consimiles in partibus, & in toto; ideò in qualibet earum parte est anima in proxima dispositione, ad hoc, vt sit in actu; & ideò, factâ diuisione, virtute prioris formæ, & beneficio corporum Cœlestium, subitò inducitur forma: sic saluatur, quòd illa formæ pars in animali non fiat tota anima, quod est absonum.

HIC habetur etiam, D. Augustinum asserere, in- 46
diuisibilitatem omnium animarum firmissimis argumentis comprobatam esse.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *loco adducto in primo*, ratione ad hominem, contra Caietanum. Illa forma, quæ non respicit totum, & partes æqualiter, vt primum perfectibile, est inextensa, & indiuisibilis, sed anima insectorum est talis: ergo. Maior iam suprà patet, *assert. 2. argum. 3.*

Minor

Minor probatur. Forma, quæ æqualiter respicit totum, & partes, denominat eodem modo partes, & totum; vt forma ignis denominat quamlibet partem ignis: At forma animalium insectorum non denominat singulas partes esse animal, sicut denominat totum: ergo.

47 RESPONDET Caietanus denominare secundùm quid; nam denominat partes animatas. Omitto, idem dicendum de anima nostra, quæ denominat omnes partes animatas.

CONTRA; primò, quia, si denominatio generalis sufficeret, frustrà inuestigaremus ex proxima ratione formæ diuersitatem animarum.

SECVNDÒ, quia, si pars recisa vermis maneret animata, iam vna anima integra esset plures, absque noua generatione; anima autem est pars animalis totalis: ergo illa pars esset animal, si corpus integrum adderetur; tunc verò sequeretur, denominationem animalis haberi ex anima integrè; quia est ex ea: ergo ex parte animæ denominatio esset eadem in partibus, & toto omninò: quia respiceret æqualiter totum, & partes, vt sibi adæquatè proportionatas, perfectibiles; & ita esset eiusdem rationis cum forma ignis, quæ, quantùm

48 est ex se, respicit æqualiter partes, & totum, vt perfectibile adæquatum; retinet enim eandem speciem, à qua ratio specifica denominationis sumitur.

ADDIT D. Bonauentur. 1. *distinct.* 8. *quæst. cit. ad* 1. hanc communicationem genericam venire ex hoc, quòd dependet, ideò non operationem totius communicat partibus: Talis est anima vegetabilis, & sensibilis: quia nulla pars est animal, eò quòd non extenditur forma, tamen quælibet pars animalis viuit, & sentit.

PROBATVR vltimò. Quando animal nutritur, vel producitur noua pars animæ, vel prior extenditur, ad hanc informandam substantiam. Si noua pars animæ producitur: ergo est impropria augmentatio, & per additionem; sic enim & ignis augetur; quia nouam sibi materiam comburendam addit. Si alterum dicas: Ergo est indiuisibilis.

49 RESPONDET Toletus, nouam animam produci; non tamen augeri, ad modum inanimatorum, quæ ab extrinseco augentur.

CONTRA: nam anima, dum Hepar nutritur, non potest extendi in pede, nutritur autem Hepar, tanquam si nutriatur pes.

RESPONDENT Fanentinus, & Ruuius *locis adductis*, animas quidem illas se habere diuerso modo ad totum, & partes; neque tamen esse indiuisibiles. Sed hæc responsio reiecta est *argum.* 3. *pro secunda assertione.*

TANDEM Diuus Augustinus in aureo illo libro de quantitate animæ profitetur, se veritatem hanc firmissimis rationibus solidasse; dum aliarum animarum indiuisibilitatem comprobauit: eas verò legito ibi.

50 OBIICIES primò contra primam assertionem. Id, quod remanet post diuisionem in plures partes, est diuisibile; sed anima remanet in partibus abscissis hominis; videmus enim eas moueri: Ergo.

RESPONDETVR, hunc motum fieri ex agitatione spirituum: & ideò statim perit.

OBIICIES secundò. Forma in subiecto diuisibili est diuisibilis: Anima rationalis est in corpore, vt forma: ergo est diuisibilis.

51 RESPONDETVR ex Diu. Bonauentura *in* 1. *distinct.* 8. *loc. cit.* quem sequitur Ruuius *num.* 92. negando maiorem: nam, sicut forma abstrahit ab informatione subiecti, cum commensuratione, ac dependentia ab eo, vel sine illa; ità abstrahit à diuisibilitate, vel indiuisibilitate eius; & de ratione informationis est, quòd forma se ipsam tribuat materiæ, propriúmque ei effectum formalem conferat; commensuratio autem, vel dependentia ex particulari ratione talis formæ, magis vel minùs perfectæ, prouenit.

OBIICIES tertiò, ex Toleto, post tertiam opinionem, ad hominem, contra eam rationem, allatam etiam à Caietano pro secunda assertione. Forma, quæ æquè primò respicit totum, & partes, est tota in qualibet parte materiæ: Ergo è contrà, forma, quæ inæqualiter respicit totum, & partes, non est tota in toto, & in quavis parte; Sed talis, per vos, est anima rationalis: ergo. 52

HOC est tertium argumentum S. Bonau. ad oppositum, cui respondet, triplex esse genus formæ; quædam, quæ perficit, & extenditur, & dependet. Hæc, quia totum perficit, est in toto: quia extenditur, perfectionem totius communicat partibus: quia verò dependet, nec habet actionem per se, operationem totius communicat partibus; vt patet in forma ignis: quia quælibet pars ignis est ignis, & calefacit. Est alia forma, quæ perficit, & dependet, sed non extenditur; & talis forma, quia totum perficit, est in toto & in qualibet parte: quia verò non extenditur, ideò actum totius non attribuit partibus: quia verò dependet, operationem totius communicat partibus, & talis est anima vegetabilis, & sensibilis: quia nulla pars animalis est animal: tamen quælibet pars viuit, & sentit. Denique est forma, quæ totum perficit, nec extenditur, nec dependet, quoad operationem, & talis, quia perfectio est, & in toto, & in partibus est: quia verò non extenditur, perfectionem totius non communicat partibus: quia nec dependet; ideò nec operationem communicat, & talis est anima rationalis: quia nulla pars hominis est homo, ac nulla pars hominis intelligit; tamen, etsi non communicat actum totius, vt toti, communicat tamen, vt partibus: quia quælibet pars hominis viuificatur à perfectione hominis, & ideò perfectio hominis est in qualibet parte. 53

PER hoc patet ad argumentum, quod est tertium S. Bonauenturæ, quod soluitur, soluendo primum, vt notat ipse D. Bonauentura. 54

OBIICIES quartò. Si anima est tota in quauis parte corporis: ergo est tota in manu: ergo motà manu, mouetur tota anima: sed hoc est falsum: quia caput quiescit, dum manus mouetur: ergo.

RESPONDET S. Bonauent. ad *quintum*, animam ità esse totam in manu, vt in ea non definiatur; itaque toto corpore moto, mouetur totaliter. Ad ostendendum autem, quomodo anima sit tota in manu altera: nec tamen moueatur totaliter, illâ solâ motâ, ob eam rationem; quia in vnica manu non definitur, affert similitudinem Dei, qui non mouetur ad motum alicuius creaturæ: quia in eis non definitur.

OBIICIES quintò, contra secundam assertionem. Forma, quæ educitur de potentia materiæ, commensuratur illi; sed tales sunt formæ brutorum: Ergo. Hic est Achilles omniúm aduersariorum. Confirmatur à Toleto: vel tota anima bruti educitur de materia tota, & de omnibus partibus: vel pars de parte, & alia de alia: si secundum, habeo intentum: si primum, contra: hoc enim est inimaginabile. 55

Respondet D. Bonauent. *locis allegatis*, etiam ex doctrina D. August. negando maiorem: nam eductio de potentia totius materiæ, & dependentia ab ea solùm postulat, vt ex tota materia enascatur, & toti insideat, quòd verò commensuretur singulis partibus, hoc est proprium formarum imperfectissimarum elementarium, &c. potest autem forma aliqua perfecta, qualis est anima, educi tota ex tota materia diuisibili, & tota ex omnibus partibus. Hoc verò esse intelligibile, patet: nam ex materia extensa educitur quantitas, & eius indiuisibilia plurima; & hoc claret in noua productione maioris quantitatis. Quod verò fit in vna parte extensa, potest fieri in vno toto extenso, vt arguit S. Bonauent. *in primo, distinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *fund.* 5. Imò D. Aug. *in lib. de quantitate animæ*, non potuit sibi planè persuadere, quomodo anima rationalis non educatur è potentia materiæ, cùm tamen eam certo certiùs indiuisibilem præsupponat, ac probatum optimè relinquat; vt ipse *loc. cit.* dicit. Hoc igitur D. Augustino intelligibile fuit, quòd forma, etiam educta de potentia materiæ sit indiuisibilis, & hoc præclarè astruit, ac resolutè quidem de animabus brutorum, etiam insectorum. De ratione enim formæ est tantùm, vt insideat intimè, & integrè in materia, & cum ea vnum substantiale constituat; & in hoc etiam anima rationalis se habet eodem modo. Quòd enim separabilis sit à corpore, & independens, nil penitùs obstat, quò minùs, dum est in corpore extensè, communicet se corpori, non minùs, quàm alia forma inferiorum, & huius signum præclarum est, quòd facit vnum per se, non minùs perfectum, ac intimum, quàm forma brutalis, atque adeò adueniente per augmentum corporis noua substantia corporea, extenditur, ad eam informandam, & eâ abscisâ, desinit informare: quod non video, suppositâ primâ constitutione, quomodo negandum sit animabus brutorum, quæ eodem modo, nec magis intimè, in ratione informandi (estò inseparabiliter) coniunguntur materiæ. Ex hoc etiam impletur illud. *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*, anima enim rationalis recipitur ad modum diuisibilis, licèt quoad rem sit indiuisibilis. Confirmatur: nam etiam in homine est vegetatiua, & sensitiua formaliter.

56

57

58 Ex his reliqua aduersariorum argumenta corruunt; si enim anima, alligata corpori, est extensa, vt arguit Fauentinus: ergo etiam sensitiua hominis, ac vegetatiua erit talis, cùm sit eiusdem generis. Hoc autem est falsum. Addo ex Complut. animas istas medias esse inter nostram & formas crassas, ideò de vtrisque participare.

Dices. Aristoteles 8. *Physic. text.* 18. sic probat, primum motorem esse seiunctum à materia: quia forma materialis diuiditur ad diuisionem corporis.

Respondetur, ibi tantùm velle, virtutem primi motoris non esse ex materia: alioquin diuisa per partes tandem destrueretur; sed hoc nil contra nos. Addo Sennertem *Hypomn.* 4. *capit.* 4. negare minorem principalem, quod laudat Ponc. *numero* 123.

Obiicies contra tertiam assertionem. Si animal annulosum diuidatur in duas partes, vtraque viuit, & multò magis planta.

59 Respondent aliqui, vt S. Caietanus Thien. & Marsil. Ficin. in diuisione animalis corrumpi animam, quæ in animali erat, & alias de nouo produci in singulis partibus; sicut, cùm diuiditur linea, corrumpitur punctum continuans, & duo de nouo producuntur in vtraque parte: vel sicut multiplicantur species, ad diuisionem speculi. Hanc responsionem decerpunt ex D. Bonauentura, *in* 2. *dist.* 15. *quæst.* 1. *ad primum.*

Hanc tamen redarguit S. Doctor, & post eum Toletus circa finem quæstionis: quia imperceptibile est, in vno instanti, per solam diuisionem, seu recisionem, produci plures animas ex vna.

Respondet igitur S. Bonau. *loco citato*, cum Simplicio, animal annulosum, & plantas esse modicæ organizationis, & quasi consimiles in partibus, & in toto; ideò in qualibet parte est anima, in proxima dispositione ad hoc, quòd sit in actu, & ideò factâ diuisione, virtute prioris formæ, & beneficio corporis cœlestis statim, inducitur forma; & hoc vult Aristoteles *lib. de iuuentute, cap.* 1. cùm ait, animam imperfectorum esse potestate plures, non per solam separationem; quomodo lignum, & saxum vnum sunt actu, & plura potentiâ; sed per nouam productionem. Quidquid dicat è regione Toletus. 60

Addo verò, ex D. Bonau. animam rationalem esse simpliciorem sensitiuâ quoad multas operationes, quæ non sunt alligatæ sensui, non quòd sensitiua diuisibilis sit.

Cæterùm videtur S. Bonau. posse cum aliis conuenire: vt dicam, *quæst.* 7. *ad* 8.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm Anima *sit in omnibus partibus Corporis: an verò in aliqua parte speciali præsideat.*

D. Bonau. in 1. d. 8. p. 2. art. 1. q. 3.
D. Thom. part. 1. q. 76. art. 8.

Fuit Antiquorum opinio, animam in capite tantùm residere; atque inde, veluti ex aula, moderari cæteras partes. Ita Xenocrates, Herophilus, Hippocrates, Strato, & Erasistrato, vt refert Tertullianus *in lib. de Anima*, Lactantius, *lib. de Opificio Dei, cap.* 16. Tullius, *lib.* 1. *Tusculan. quæstion.* sic etiam Plato, vt refert Alcinous, *libro de doctrina Platonis, cap.* 23. Alij volunt, residêre in corde solo. Ita Andreas Cisalpinus, *lib.* 5. *Peripateticarum quæstionum, quæst.* 6. Simon Portius, *lib. de mente humana, cap.* 7. Chalcid. *cit. quæst.* 5. Philo Iudæus, *lib. Quòd deterior potiori insidietur.* Refertur etiam Galenus. Idemque videntur sentire Tertullian. *loco cit.* & *lib. de resurrectione carnis*, D. Hieron. *lib.* 5. *in Matthæum, cap.* 14. Alij in pectore toto collocant animam: Ita Parmenides, & Epicurus. 61

Omnes itaque isti consentiunt, animam non in toto corpore, sed in aliqua tantùm parte residêre. Vide D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 8. *loco cit.* vbi relatis opinionibus, suprà allatis, eas explodit. Eum imitantur omnes Aristotelis interpretes, 2. *de anima, cap.* 3. & omnes Scholastici, *in* 2. *dist.* 17. vbi D. Thomas id asserit, quod etiam *in quæst.* 65. *de anima, art.* 10. & 2. *contra Gentes, capite vigesimo secundo.*

Assero cum hac sententia primò, animam non in vna parte sola, sed in omnibus reperiri. 62

Pro

Probatvr à D. Bonau. primò ex D. August. *lib. de spiritu, & anima, cap.* 19. vbi ait: *Sicuti Deus est in maiori mundo, sic anima in minori*; sed Deus est in omnibus partibus mundi: ergo.

Probatvr secundò à D. Bonau. Quod est actus, dans esse toti, & partibus, formaliter est in partibus, & in toto: sed anima est actus corporis totius organici, ex Aristotele, 1. *de Anima, cap.* 1. & dat esse toti, & partibus, ex Aristotele, 2. *de Anima, text.* 90. ergo est in toto corpore. Hoc argumento nititur Ruuius, 2. *de Anima, cap.* 3. *quæst.* 5. *num.* 134.

63 Probatvr tertiò à D. Bonauent. ratione, quâ nititur Ruuius, *num.* 135. Omnes partes corporis exercent aliquam operationem vitalem: ergo informantur ab anima. Probatur consequentia: quia non possunt exercere operationem vitalem, nisi viuant; cùm operatio vitalis sit à principio intrinseco vitæ, nec possunt viuere, nisi informentur animâ: quia anima est principium vitæ, per informationem: ergo necesse est, vt informentur animâ. Antecedens probatur; nam omnes partes nutriuntur, & augentur: nutritio autem, & augmentatio sunt operationes vitales. Prætereà potentiæ vitales procedunt ab anima: ergo non potest esse potentia vitalis, vbi non est anima; sed in qualibet parte corporis est aliqua potentia vitalis, & in quibusdam plures: ergo necesse est, animam esse in omnibus. Hoc argumentum validum acclamat Toletus, 2. *de Anima, cap.* 2. *quæst.* 4.

Tandem id probatur argumentis, allatis *quæst. præced. pro prima assertione.*

64 Assero secundò, Animam esse in aliqua parte principaliter, alioquin non esset maior ratio, cur animal interiret, læso corde, quàm læso digito; vt arguit *loco citato* S. Bonau. Quæ verò sit pars illa; Theologi cum Galeno dicunt, esse Caput. Ideò aiunt, sic Corpus mysticum dici, à Capite habere vitam, sicut Physicum. Proinde & Scripturæ dicunt, Christum esse Caput Ecclesiæ; At Philosophi cum Aristotele aiunt esse Cor. Videtur D. Bonau. *in* 1. *dist.* 8. *part.* 1. *quæst. vlt. ad* 1. At super *Psal.* 41. ait, residere in capite materialiter; in Corde formaliter. Dico esse in vtroque. De capite, habetur Genes. 2. *Inspirauit in faciem, &c.* De Corde, habetur Matth. 11. *De Corde exeunt cogitationes, &c.*

65 Obiicies primò. Nec anima rationalis, nec operationes eius dependent à corpore: ergo non est in omnibus partibus.

Respondet D. Bonau. ex eo, quòd non dependet, tantùm sequi, vt non communicet omnem operationem suam corpori; non autem, quòd non sit actus totius corporis organici, cui dat vitam; & hoc vult Aristoteles *lib. de animalium motu, cap.* 7. vbi corporis animati fabricam comparat Ciuitati, benè constructæ, cui Rex præsidet ex aula: nempè, quia anima ex aliqua præcipua parte singulariter influit vitam. Non est tamen in aliqua parte diffinitiuè; ideò etiam non mouetur omninò in toto corpore motâ illâ solâ parte.

Obiicies secundò. Anima est actus corporis organici: ergo est solùm in partibus organicis: non autem in dissimilaribus, vt carne, osse, &c.

66 Confirmatur: nam corpus organicum est diuersarum rationum in partibus, & toto: ergo habet diuersam perfectionem; cùm anima perficiat totum, quoad essentiam; perficit verò partes, quoad potentias: ergo non est in partibus, nisi ratione potentiæ.

Respondet D. Bonau. *ad* 4. Animam esse in toto corpore organico, & in partibus, quæ, secundùm complexionem, sunt vniformes cum toto, & sunt dispositæ ad idem genus vitæ, & perficiuntur ab vno; ratione verò organizationis sunt diuersæ, & perficiuntur à potentiis. Itaque potentiæ, quia organicæ ferè omnes sunt, resident in parte determinata; *verb. gratiâ*, auditio in aure; imò intellectio in capite; quia dependet à phantasmatibus formaliter; ita tamen, vt tota anima intelligat, quia intellectio est operatio independens, formaliter considerata. Itaque etiam in pede collocata intelligit; non tamen per pedem, vel manum intelligit: quia manus organica ad hoc non confert vllo modo; potiùs verò diceretur, intelligere per Caput; quia per illud obtinet species sensibiles, & excudit phantasmata necessaria, ad speciem intelligibilem efformandam: & quia organa ex partibus similaribus constant, vniformiter constitutis, ideò illis vitam accipientibus, & cæteræ vitam hauriunt, mediantibus dissimilaribus, in quibus immediatè est anima. Hæc responsio affertur etiam à Ruuio, *num.* 139. & Toleto. Reliqua iam soluta sunt, *quæst. præced.* ex D. Bonau. *in textu.* 67

QVÆSTIO VII.

Vtrùm Anima *sit composita ex materia, & forma.*

D. Bonau. in 2. d. 17. art. 1. quæst. 2.
D. Thom. prim. p. quæst. 75. articulo 1.

Iam de compositione animæ ex partibus Physicis agitur. 68

Prima igitur sententia est, omnem animam constare ex materia, & forma. Huius Authores refert S. Bonauentura, *loco citato.*

Secvnda opinio est, nullam animam ex materia, & forma componi. Ita D. Thom. *loco citato*, Caiet. *ibi*, Capreol. *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 1. & omnes Thomistæ, & Iesuistæ, præcipuè Suarez. *lib.* 1. *de Anima, cap.* 9. *num.* 2. & *de Angel. lib.* 1. *cap.* 7. Valent. *disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 1. Fauent. *Theor.* 81. *cap.* 3. *de Anima, quæst.* 10. Mastr. & Bell. *disput.* 1. *q.* 5. *de Anima*, Rabes. *lib.* 3. *disp.* 6. *q.* 2. Fuliens. 3. *Physic. cap.* 7. *art.* 1. Eustach. *p.* 2. *Physic. tract.* 1. *disp.* 1. *q.* 1. Poncius *disp.* 5. *q.* 2.

Tertia sententia est, animam rationalem solam è materia & forma constitui. Ità D. Bonauent. *loc. cit.* Alensis 2. *part. quæst.* 61. *art.* 1. Richar. *in* 2. *distinct.* 17. Scotus *in Comment. ad lib. de anima, quæst.* 15. Pelbartus *in Rosario, verbo, Angelica natura*, §. 17. Bonerius contra Atheistas, *demonstr.* 2. *art.* 6. Videtur Auerroës, quem sequitur Zimara, *Theor.* 41. ex quo liquet, quàm falsò Anton. Ruuius *tract. de anima separata, quæst.* 2. *num.* 17. dicat, eum nullatenus hoc tenere. Idem sentit Cauellus, *qq. de anima*, & latè defendit Ferch. *Tract.* 1. *quæst.* 28. de Angelis, & alij Scotistæ apud eos. 69

Assero, animam rationalem constare ex materia, & forma.

Probatvr à Bonerio, *loco cit. quæst.* 4. ex Concil. Nyceno, *act.* 2. *initio*: vbi Ioan. ille Thessal. Episc. dicit de Angelis, & Archangelis, quibus etiam nostras animas adiungo. *Ipsa Catholica Ecclesia hic*

ent

sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes & infrà. *Nemo, vel Angelos, vel animas dixit incorporea.* Non vult, animas verè esse corporeas, sed compositas ex materia, & forma; sic enim corporeum apud Patres, præcipuè Basilium, Damascenum, Methodium, Athanasium, Hieronymum, & alios accipitur, & ita de anima ipsos esse loquutos, fatentur Conymbr. 2. *de anima, cap.* 1. *quæst.* 1. *art.* 6.

70 PROBATVR primò à D. Bonau. fundamento ex Aristotele 3. *de anima, text.* 17. vbi ait, quòd, *sicut in omni natura est materia, & efficiens: sic in anima est intellectus, quo est omnia fieri: & intellectus, quo est omnia facere*: sed potentia passiua est à materia, & hæc est in anima: ergo.

NEQVE ego video in Aristotele distinctionem, quam affert Ruuius *ad cap.* 4. *tertij de anima, num.* 7. in anima esse passionem impropriam, quæ non exigit materiam, quam habent solùm patientia propriâ passione à contrariis, quæ est fuga Cœterorum aduersariorum, indicata a D. Thom. *loco cit.* & redarguitur, *argumento quinto.*

71 PROBATVR secundò à D. Bonau. ex Aristotele 9. *Metaph. text.* 12. *Sicut materia est subiectum formarum substantialium, sic compositum est subiectum accidentium: sed anima rationalis est subiectum accidentium, nempè, scientiarum, virtutum, & aliorum habituum: ergo est composita ex materia, & forma.* Ratio autem, cur compositum substantiale sit subiectum accidentium, est; quia substantia supponitur accidentibus, iam completa.

RESPONDET D. Thomas, animam esse subiectum accidentium, ratione potentiarum, *verbi gratia* Intellectus, non autem materiæ.

CONTRA sic. Id, quod est subiectum accidentium, est compositum substantiale, ex Aristotele *loco cit.* sed, per vos, potentiæ sunt subiectum accidentium: ergo sunt compositum substantiale. Secundò subsumo; sed potentiæ, per vos, sunt accidentia in anima: ergo anima est composita ex materia, & forma. Tertiò arguo, sed potentiæ sunt substantia animæ, vt ostendam, *disput.* 2. *quæst.* 1. ergo substantia animæ est composita ex materia, & forma.

72 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. ex Aristotele 8. *Metaph. text.* 16. vbi ait: *Quæcunque entia, quæ non habent materiam, sunt ipsum quid; & quæ non habent materiam, non habent causam sui esse*; sed anima habet causam sui esse: ergo.

RESPONDET D. Thomas. Quæ non habent materiam, non habent causam sui esse, per transmutationem, benè tamen per creationem potentis Dei: talis est anima, quæ à Deo creatur; non enim creans eget subiecto.

CONTRA: nam ibi Aristoteles asserit, dari materiam sensibilem, & intelligibilem, & concludit. *Quæcunque verò non habent materiam, cuncta simpliciter entia sunt ipsum quid*: Ergo hîc concludit, etiam simplicia, quæ non per transmutationem habent esse, constare ex materia.

73 PROBATVR quartò à D. Bonau. Omne creatum, cui debetur propria operatio, habet duo diuersa principia, nempè, *quod agit, & quo agit*, sed animæ, secundùm se consideratæ, debetur propria operatio; ergo non est sola forma, quæ operatur, sed etiam materia, qua nixa, & inhærens agit.

PROBATVR quintò à D. Bonauent. Omne susceptibile accidentium contrariorum est substantia composita, per se existens, ex D. August. allegando, *ad* 1. & ex concessis à D. Thoma, & Ruuio, *argumento primo* sed anima est susceptiua contrariorum habituum, similiter & passionum, vt gaudij, tristitiæ, &c. ergo.

PROBATVR Sextò à D. Bonauent. In his, quæ non sunt composita ex materia, & forma, non differt natura, & suppositum, ex D. Thoma *part.* 1. *quæst.* 3. *art.* 3. *in corpore*, qui ideo probat, in Deo idem esse naturam, & suppositum: quia non habet materiam, & est propositio Aristotelis 8. *Metaph. text.* 16. sed in anima non sunt idem natura, & suppositum: quia hoc est proprium solius Dei, ex D. Thoma *loco citato* ergo. 74

DICES, in eo, quod est sine materia, sunt idem suppositum, & natura intrinsecè: quia caret compositione: non autem extrinsecè, quia a Deo habet vitam, & non est sua vita, & ità differt *quod est*, & *quo est*: ità refert Caietanus.

CONTRA: nam ex eo, quòd Deus caret materia, arguit D. Thomas, Deum esse suam vitam, omnibus modis. Carentia ergo materiæ est ratio adæquatè fundans, Deum intrinsecè, & extrinsecè esse suam Deitatem; alioqui ratio Diui Thomæ deficeret. 75

CONFIRMATVR: nam Aristoteles 3. *Physic. text.* 32. ait. Vbi est potentia, ibi est aliqua pars distincta; aliter sequeretur, actum illum esse infinitum, & esse suam potentiam: solùm autem in simplicissimis idem est, *esse* & *posse*, ex Aristotele *loco citato.*

PROBATVR septimò à D. Bonau. eisdem rationibus, quibus *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 1. ostendit, Angelos compositos ex materia, quæ libet videre, *tract. de Angelis, disput.* 1. *quæst.* 2. Nunc sufficiat refricare illam, quam habet Sanctus Doctor *ibi fundamento* 2. redarguit enim ad hominem Fabrum Fauentinum. Nam Aristoteles 2. *de anima, text.* 2. diuidit substantiam in materiam, quam vbique potentiam nominat; & formam, quam actum, seu potentiam actiuam, acclamat; ac denique in compositum: ita vt nequeant hæc membra confundi, ex Fauentino *Theor.* 81. *cap.* 3. *art.* 4. contra Zimaram. Sed anima est principium actiuum, & passiuum habituum, ex Fabro, *eodem Theoremate*, & Aristotele 3. *de anima, textu* 17. ergo in ea sunt duo principia distincta actionis, & passionis; nempè materia, & forma. Quòd si hæc omnia præstat sola forma: ergo functiones, & entitates materiæ, & formæ consequenter confunduntur. 76

OBIICIES primò cum D. Thoma ex D. August. *de Genes. ad litt. lib.* 7. *cap.* 8. & 9. animam non esse factam ex materia corporali, neque ex simplici. 77

RESPONDETVR, D. Augustin. *cap.* 6. potiùs docere contrarium, ait enim. *Si anima esset quid incommutabile, materiam eius non quæreremus: nunc autem, quia virtutibus formatur, fœdaturque vitiis, quærere debemus, & credere, habere materiam aliquam spiritualem, quæ, cùm nondum esset anima, sicut materia corporeorum, initio mundi, creata est, vndè formæ, sex diebus, educta sunt. Iam verò si est aliqua materia spiritualis: vndè anima fieret, vel si est aliqua, vndè aliqua fiunt. Quid ipsa est? quod nomen? viuit, an non? aut falsum est, aut nimis latet.* solùm ergo D. Augustin. cum formidine etiam, negat, præ existere aliquam materiam, vndè animæ fiant: non autem negat, animam constare ex materia, & forma: imò tutus argumento nostro, quòd anima est susceptiua contrariorum, cogitur, admittere in anima nostra materiam, quam etiam concedit, *loco cit. de Angelis*, trepidat verò in definiendo, illam materiam, ex quâ

qua componuntur animæ, præextitiſſe ab initio; ſed hoc Sanctus Bonauentura non aſſerit; imò vult, materiam illam, ſimul cum forma ſigillàtim creari; vt dicam *quæſt. hac. cap.* 17.

78 Obiicies ſecundò, cum D. Thoma: Si anima conſtat ex materia,& forma, non poteſt recipere formam aliquam vniuerſalem, ſed ſolas indiuiduales,& corporeas; vnde non eſt capax ſcientiarum.

Respondetvr primò, cum Valentia, argumentum non eſſe validum; materia enim eſt principium, non ſolùm indiuidui, ſed etiam ſpeciei.

Respondet ſecundò D. Bonauent. negando ſequelam; ratio enim, ob quam anima cognoſcit res abſtractas à materia, non eſt, quia ipſa eſt immaterialis, ſed quia res ei non repræſentantur, vt iacent, ſed ſecundùm ſimilitudinem abſtractam; deinde quia, vt anima intelligat, debet fieri in actu, à forma obiecti receptâ, & hæc debet eſſe abſtracta ab obiecto. Verùm, ſicut immaterialis ſimilitudo coloris in materiali ſpeculo recipitur; ſic ſimilitudo rerum, abſtracta à materia, in anima conſtitutâ ex materia, recipi valet.

79 Adde, argumentum ſupponere, in anima eſſe materiam corpoream, quod nos non dicimus: imò, cùm proprium ſit materiæ, eſſe potentiam receptiuam, debet in anima reperiri, quæ recipit ſpecies, habitus, &c.

Obiicies tertiò, cum D. Thom. Anima eſt forma corporis: ergo non eſt ex materia. Probatur conſequentia; aut enim eſt forma, ſecundùm ſe totam; & hoc non, quia ſecundùm materiam non poteſt eſſe forma, & dare eſſe actuale; vel eſt forma ſecundùm partem: ergo illa ſola pars eſt anima, & pars materialis eſt ſolùm animata. Confirmatur: forma eſt ſimplex: ergo non poteſt materia eſſe pars eius.

Respondetvr, Animam ſecundùm ſe totam, eſſe formam, reſpectu corporis; materialem verò animæ partem eſſe materiam reſpectu ipſius Animæ: ſicut forma organizationis eſt forma reſpectu corporis; & materia reſpectu animæ: neque enim materia informat vt pars, ſed vt ſimul cum forma, & vt tertia entitas, quæ tota eſt forma corporis.

80 Obiicies quartò, cum D. Thom. *in qq. diſp. quæſt. vnic. de Anima, art. 6.* ſequeretur, quod forma haberet formam; & ſic in infinitum. Id vrget Rabeſanus.

Respondetvr, non eſſe abſonum, idem eſſe formam, & habere formam; ſicut corpus organicum habet materiam, & ipſum eſt materia animæ: neque procedit in infinitum, ſed ſiſtit in forma, quæ componit animam.

Obiicies quintò. Id, quod conſtat ex materia,& forma, eſt *hoc aliquid*; & non venit in compoſitionem alterius.

Respondetvr, verum eſſe de completis omninò; Anima verò ordinatur ad corpus: ſic corpus conſtat ex materia,& forma; & tamen ordinatur ad animal conſtituendum, ſimul cum anima, quâ cum ſe ipſo vnitur, non egens alio medio.

81 Obiicies ſextò. Quæ conueniunt in materia, poſſunt inuicem tranſmutari, ſed anima non poteſt mutari in corpus: ergo non habet materiam: ſicut habet corpus. Maior eſt Ariſtotelis. Minor eſt D. Bonauenturæ, *ad 2.*

Respondeo maiorem apud Ariſtotelem eſſe veram de communicantibus in materia ſecundùm eſſe eiuſdem ordinis corporei: adde eiuſdem conditionis, neque enim materia elementorum eſt in Cœlorum formas mutabilis; vel è contrà. Ideò & intellectus intranſmutabilis à philoſopho dicitur, id eſt in corpora. Non inficior Dei hoc datum potentiæ. Vide Diuum Bonauenturam *ad ſecundum.*

Obiicies ſeptimò. Vna materia non poteſt ſuſtinere duas formas, non ſubordinatas: ergo neque vna forma poteſt eſſe in pluribus materiis; & ſic forma, componens animam, non poteſt eſſe in materia ſua, & ſimul in corpore.

Respondetvr, non implicare, quòd vna forma informet vnam materiam, & quòd ſimul cum hac materia faciat vnum, ad perficiendam aliam materiam; eſt enim illa prior ſubordinata huic: neque enim forma, conſtituens animam, eſt anima, ſed aliquid animæ: tum tota anima informat corpus; ſic forma corporeitatis informat corpus, & ipſa informatur ab anima. 82

Obiicies octauò. Anima eſt nobilior cæteris formis: quia eſt ſimplicior: ergo non eſt compoſita. 83

Respondetvr, animam noſtram eſſe nobiliorem cæteris formis materialibus, quoad partes quantitatiuas: non quia & ipſæ ſint diuiſibiles: ſed quia dependent à ſubiecto quanto, in eſſe, & operari; neque ſimplicitas phyſica eſt ſignum maioris perfectionis: nam corpus animatum eſt perfectius elemento. Hoc ſenſu poſſet D. Bonauent. cum Authoribus illis concordari, qui aiunt, animas omnes, exceptâ rationali, eſſe diuiſibiles: ex quibus aliqui, præcipuè Toletus,& Ruuius, *loco citato.*

Obiicies nonò Ariſtoteles diuidit ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum. Ergo nulla forma eſt compoſitum. Dico, ratione diuerſa, poſſe aliquid eſſe formam,& compoſitum: Sic & corpus organicum eſt materia animæ.

Obiicies decimò cum Liuio, Anima eſſet corruptibilis.

Reſpondeo, formam hanc ſatiare appetitum eius: continet enim omnium aliarum perfectiones. Adde ita eſſe nexam, vt à nullo ſeiungi queat, vt ait Poncius cum S. Bonauentura.

Obiicit vndecimò cum Poncio. Omnis ſubſtantia diuiditur in ſpiritualem, & corpoream: materia animæ eſt ſpiritualis: Ergo diuerſa a corporea, cont. D. Bonau. Vnde neque eſt indifferens, vt oſtendi.

Reſpondeo è D. Bon. ſubſtantiam completam, quæ conſtituit prædicamentum ità diuidi non incompletam, vt eſt materia, quæ vt ait D. Aug. cit. eſt conſtitutiua vtriuſque ſubſtantiæ,& ſecundùm eſſe indifferens ad diuiſibile, & indiuiſibile, pro formarum diuerſitate.

Obiicit decimò ſecundò, nulla eſt materia, vbi per ſe nil recipitur phyſicum: in anima ſeparata nil tale recipitur: quia in illa nil eſt, præter intellectionem, volitionem, & lationem.

Respondeo, ex dictis, luce clarius patere animæ neceſſitatem recipiendi aliquid etiam phyſicum; quales ſunt plura accidentia ſpiritualia, quæ non moraliter, ſed verè & phyſicè in anima recipiuntur, 84 vt ſunt omnes habitus qui remanent, ceſſante omni operatione actuali animæ, quæ non poteſt eſſe ſubiectum reſpectu alicuius formæ, niſi prius obtineat veram rationem materiæ.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm omnis ANIMA *sit mortalis, seu corruptibilis.*

D. Bonau. in 2. d. 19. q. 2. & 2,
D. Thom. prim. p. q. 75. art. 6. & q. 97. art. 1.

QVÆSTIO hæc mihi adeò manet altè reposita, vt in ea totius Christianæ Fidei Summam, omnium virtutum incolumitatem, vitiorumque exilium procul dubio agnoscam subsistere. Hanc de Immortalitate animæ rationalis sartam-tectam, si tandem aliquando seruauero, ad alia Catholicæ veritatis Sacramenta persuadenda viam facilè monstrabo; quòd si aliquando in orbe insonuerit *mors Animæ*, tota Articulorum fidei à tot sæculis constructa congeries, omnisque veritatis Catholicæ acies corruet. Id præcallens versutus serpens, hanc, præ cæteris, ex Orco hæresim excitauit; vt cætera Nouatorum figmenta implantaret. Neque modò Sadducæis in Iudaismo, sapientiæ laude superuolantibus, iniunxit; sed & in tertio Gratiæ sæculo Arabum quorundam in ore inseruit; & in septimo sæculo Tnethopsychitis disseminauit. Atque decimo quinto sæculo Hermanni Risuuic in ore ostentauit. Denique Martino Luthero in Ecclesiam Christi debacchanti necessariam persuasit, ad omnes hæ-
85 reses in orbe disseminandas; ita vt fimo huius hæresis teterrimæ cætera illius Zizania impinguauerit. Hinc adeò acerbè in immortalitatem animæ inuehitur monstrum istud Tartareum, vt *in art.* 27. inter damnatos à Leone Decimo, immortalitatem animæ portentum exclamet; Vah! portentum erat tibi, cui veritates portenta, cui hæreses axiomata. Verum enim verò prouidus Ecclesiæ Rex Christus semper acerrimè hanc hæresim eradicauit; & sanè prima illius germina ipse, è Cœlo diuinitùs elapsus, disputationibus impetiuit, expugnauit, euulsit; vt sancta narrant Euangelia *Matth.* 22. & Apostolis hoc reliquit mandatum: quod sanè *Act.* 23. adimpleuêre. Ad Arabes illos comprimendos, Concil. Episcopor. conuenit, in quo sapientissimus tunc Origenes antesignanus adeò effulsit, vt Athei coram Senatu obmutuerint, & ad meliorem frugem reuocati sint: vt narrat
86 Euseb. *lib.* 6. *Historiæ*, *cap.* 27. His S. Augustinum, Hæreticorum malleum, opposuit, qui de immortalitate Animæ differit; atque inter hæreticos Arabes enumerat *primò de hæresib. hæresi* 85. Tnethopsychitis. Ecclesiam totam obiecit, vt Sanctus testatur Damascenus, *lib. de hæresibus*. Tandem Nouatoribus Leonem X. è Sancto Lateran. Concil. rugientem, atque Doctorum exercitum, è quibus sunt Gregor. de Valent. *tom.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 1. Bellarmin. *tom.* 4. *lib.* 4. *de Amissione gratiæ*, Suarez, *tract. de Anima, lib.* 1. *à cap.* 9. in cuius fætus enixu, zelo, vt arbitror, potiùs, quàm falcis mortis ictu, gloriosus occubuit; siue potiùs D.O.M. ab huius disputationis labore eum ad triumphum euocauit. Sat fuit 87
prouidissimæ Cœli sapientiæ aureum Suarezij calamum, de Anima scribentem, litterarũ hæc monumentis consignasse, quasi verò non esset adeò necessarium, cætera percurrere. Hinc rapuit animam illam, vt reor, gloriosissimam, ad regnum immortalitatis; vt acie intueretur, quod in ænigmate confessus fuerat. Præclarè de hoc scribit & Lessius, *lib. de immortalitate animarum*, ac Bouerius noster contra Atheistas, *demonstr.* 2. *art.* 7. Toletus 3. *de Anima*, *à quæstione* 15. Ruuius, *tract. de Anima separata, à quæst.* 3. & alij, inter quos Pater Galitius nostræ Congregationis Capucinorũ, qui plurimas alias veritates in Amphitheatro Romæ, coram summo Pontifice Innocentio X. egregiè sustinuit, tunc in Romana Curia pro nostra Religione Procurator; posteà totius Ordinis Generalis effectus, in eo munere sanctè obiit.

NEC mirum; cum his ferè diebus, etiam 88
in Patauina Vniuersitate florentissima, quidam hoc diaboli figmentum, de animæ nostræ corruptione, ex Orco in medium detulerint, specie quidem Aristotelicâ indutum; sed veneno diabolico imbutum: Hinc enim plurimi, hoc non modò Aristotelicum, sed etiam verissimum, concessêre. Ideò permulti de mente Aristotelis insudant, quasi Aristoteles fidei arbiter constituatur; cum alia etiam errata grauissima è barbaro eius calamo sint delapsa. Ast fides nostra non eget Pagani Philosophi auctoritate: quem attamen pro nobis etiam stantem intuebimur. Imò Pater Ferchius Patauij oraculum, *vestig.* 6, *lib.* 1. *cap.* 2. ostendit, in via Aristotelis omnem naturam substantialem probabiliter immortalem; rationalem verò certissimè.

QVONIAM verò præ cæteris omnibus 89
Scholasticis, Seraphicus Bonauentura solidiùs ex acie steterit, atque hunc errorem euulserit, ea sola referam, quæ sunt huius

Sancti

Sanctissimi Patris, ac Sapientissimi Doctoris; hæc enim satis superque erunt, ad hunc teterrimum errorem ex orbe deturbandum; sic corruent etiam Stoici, qui aliquo sanè tempore manere animam concedebant, sed tandem perire, quos refert Euseb. *lib. 15. de præparat. Euangelica, c. 13.* Cicero *in Tusculan.* 1. Isidor. *lib. 1. de doctrina, & dogmat. fidei, cap.* 15. Abibunt etiam Epicurus, cum Asseclis, quibus hunc errorem adscribit Plutarch. *lib. 4. de placit. cap. 7.* & Tertullianus *lib. de testam. animæ, cap. 1. & 4.* & *lib. de anima, cap. 3.* & *lib. de resurrectione carnis, cap. 7.* vbi Epicurus adiungit Senecam; quod etiam habet, *libro de Anima, cap. 42.* vbi Pamel. *num* 465. citat locum Senecæ *in l. de remedio fortunæ.* Abibit Heracleus, cui adscribit errorem Origenes, *Tract.* 8. *in Ioan.* Democritus abibit, relatus à Lactantio *lib. 3. Diuin. Institut. cap.* 18. Abibit tandem Plin. *hist. lib. 7. cap. 53. & 55.* ac Galen. *libro Quòd Animi mores corpus sequantur;* licèt *in libro de frigore, & tremore*, titubet. Abibit etiam Alex. Aphrodisæus, & alia huius farinæ fermenta.

90 *Assero primò, animam nostram esse immortalem.*

PROBATVR à D. Bonau. primò, *in Bibliis pauperum, c. 33. tom. 7. operum*, plurimis Scripturæ locis.

PRIMVS locus est *Genes.* 21. vbi de Abraham dicitur: *Congregatus est ad populum suum.* Vbi innuitur, Deum in alio sæculo habere populum, scilicet, homines, qui benè vixerunt, sicut ipse Abraham vixerat: in Hebræo non habetur *mortuus*, sed, apud aliquos *transiit.*

SECVNDVS est *Genes.* 35. vbi de Isaac dicitur: *Appositus est populo suo.* Vbi Interlinearis, *populo Angelorum, vel Sanctarum animarum.*

91 TERTIVS est *Genes.* 50. vbi idem de Iacob astruitur. Ibi Interlinearis, *ad frequentiam Angelorum*, & Lytan. *ad Lymbum Sanctorum Patrum*; sicut suprà dictum est de Abraham, & Isaac. Tamen Magister in Scholastica historia exponit. *Ad populum suum*, idest, ad Angelos; sed nullus dici potest ad Angelos appositus, nisi quando transfertur ad gloriam; quod non fuit ante apertionem ianuæ cœlestis, per passionem Christi. Sed appositi sunt hi in lymbo, vt securi in præparatorio ad gloriam.

QVARTVS est *Genes.* 37. vbi, cùm Iacob existimaret filium suum Ioseph occisum, ait: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Erat igitur iam tunc fidelium persuasio, non extingui piorum animas in morte; sed ad eum locum subterraneum post obitum descendere, quem vocamus *Patrum lymbum.*

92 QVINTVS est *Gen.* 42. vbi dixere fratres Iosephi. *Duodecim fratres sumus, alius non est super*, volebant autem dicere, vnum non esse ampliùs super terram, sed à feris voratum, hunc verò existentem connumerant aliis, vt obseruat S. Doctor, quia etiamsi crederent ipsum cum cæteris non viuere; Illum tamen verè alibi existere non dubitarunt.

Sentiebant igitur mortuos, ratione formæ, à qua est esse formale principale totius, adhuc immortales esse.

SEXTVS locus est *Exodi* 3. vbi Deus Moysi è Rubo locutus est. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*: quo loco vtitur Christus Dominus, *Matth.* 22. ad probandam resurrectionem
corporum, & permanentiam animarum. *Non est*, 93
dicens, Deus mortuorum, sed viuentium: & hoc argumento Sadducæis silentium imposuit; vt ibi narratur. Hic Christus aduertit, non dicere; *Ego fui Deus*; sed: *Sum Deus Abraham, &c.* ergo etiam correlatiui aderant, idest, Abraham, Isaac, & Iacob, subditi Deo: nam hæ voces sunt relatiuæ; & Deus est relatiuus; vt habetur Genes. 28. *Si fuerit Deus mecum, &c. erit mihi Dominus in Deum.* Sic igitur Christus interpretatur illa verba: *Ego sum Deus Abraham, &c.* idest, illorum, quos ego amo, quem ipsi colunt: vndè optimè concludit,
eos viuere. Sic exponunt Chrysost. *hom.* 71. Theo- 94
doret. & Euthymius *ad eum locum*; & significat Hieronymus ibi; Hilarius *Psal.* 51. in quo sensu Apostolus Rom. 14. ait: *Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est: vt & mortuorum & viuorum dominetur.* Confirmatur: nam Deus, *Exod.* 3. subdit: *Hoc mihi nomen est in æternum*: Ergo iuxta illationem Christi, denominatur Deus Abraham, Isaac, & Iacob, quia in æternum viuunt.

Septimus est *Numer.* 16. vbi de Core, Datano, & Abirone dicitur. *Descenderunt in infernum viui; & perierunt de medio multitudinis*: ergo in inferno viuebant secundùm animas.

Octauus est *Regum* 1. vbi Saul postulauit, remoueri Samuelis animam ab inferis.

Nonus est *Reg.* 2. *cap.* 12. vbi, mirantibus au- 95
licis, cur Dauid filium paruulum non ploraret defunctum, ait: *Ego vadam ad eum: ille verò non reuertetur ad me.*

Decimus est *Regum* 2. *capite* 18. vbi Dauid plorauit Absalonis mortem; cùm pro paruulo, iam pridem defuncto, lætatus esset: nempè, quia nouerat, in quot pœnas parricidialis anima esset euolata; vt notat D. August. *libro 3. de doctrina Christiana.*

Vndecimus est *Regum* 3. 17. Vocauit Elias animam paruuli filij viduæ: *Domine Deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius*; & obtinuit.

Duodecimus est frequens in sacris litteris, præ- 96
cipuè lib. Regum vbi dicitur: *Dormiuit cum patribus suis*, quod de brutis non dicitur. Itaque signum est, homines requiescere; vt iterùm expergefiant; vt sæpè ait Apostolus, ad modum excitari à somno.

Tertius decimus est Tobiæ 2. *Filij Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est illis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo*; & posteà *in orat. cap.* 3. ait: *Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe, in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quam viuere.*

Quartus decimus est *Iob.* 42. vbi dicitur: *Addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia*: tamen non dedit, nisi septem filios, & tres filias; sicut prius: vt ij, qui iam extincti fuerant, viuere demonstrarentur; vt notat D. Gregor. *lib. 35. moral. cap.* 11.

Quintus decimus est Ecclesiastis 12. *Reuerta-* 97
tur puluis in terram vndè erat, & spiritus redeat ad

Deum, qui dedit illum. Hunc locum egregiè exponit Seraphicus Doctor ad Ecclesiasten, vbi etiam verba illa ponderat, *Quoniam ibit homo in domum æternitatis.* Ipsum vide ibi.

SEXTVS-DECIMVS est *Sapient.* 5. vbi loquuntur damnati mortui; & Spiritus Sanctus illo Epiphonemate claudit, *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt, &c.* Vide ibi Seraphicum Doctorem.

DECIMVS-SEPTIMVS est *Isaiæ* 14. vbi de Rege Babilonis. *Ex quo dormisti, non ascendit, qui succidat nos*: sequitur; *Detracta est ad inferos superbia tua*; & alia ibi ponuntur, quæ ostendunt, eum non penitùs interiisse, sed ad inferos animam descendisse.

98 DECIMVS-OCTAVVS est *Machab.* 2. *capite* 6. vbi Eleazarus respondit sollicitantibus ad malum. *Et si in præsenti tempore à suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis neque viuus, neque defunctus effugiam.*

DECIMVS-NONVS est *Machab.* 2. *capite* 7. vbi vnus è septem fratribus Machabæis ait: *E Cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso, me ea recepturum, spero*; similiter ex verbis matris, & aliorum Machabæorum, *eodem capite*, euidenter colligitur, eos credidisse animam immortalem; ibi enim se mutuò hortabantur ad mortem; vt vitam æternam consequerentur.

99 VIGESIMVS est *Machab.* 2. *capite* 14. vbi Razias, complexus intestina sua, proiecit se super turbas, inuocans donatorem vitæ; vt hæc sibi iterùm rediuiuo redderet.

VIGESIMVS-PRIMVS est, Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere*; & posteà: *Timete eum, qui postquam occiderit, potest & animam, & corpus perdere in gehennam.*

Vigesimus-Secundus est *Lucæ* 16. vbi narratur factum de statu Lazari, & Diuitis post mortem. Neque verò hæc est parabola, sed historia; vbi nominatur Lazarus; vt asserunt etiam alij sacræ Scripturæ expositores.

100 Vigesimus-Tertius est *Lucæ* 16. de villico; vbi dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt, cùm defeceritis; recipiant vos in æterna tabernacula*: ergo anima habet æternum receptaculum.

Vigesimus-Quartus est *Act.* 7. vbi beatus Stephanus orabat, dicens: *Domine Iesu accipe Spiritum meum.*

Vigesimus-Quintus est, Corinth. 2. capite 5. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra dissoluatur, quòd ædificationem habemus à Deo, domum non manufactam, æternam in Cœlis.*

Vigesimus-Sextus est ad Philipp. 1. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.*

Vigesimus-Septimus est, ad Rom. 7. *Infœlix ego homo, quis me liberauit de corpore mortis huius?* Hæc autem non diceret; nisi Anima post mortem viueret.

101 ALIA loca Scripturæ habet S. Bonau. *ad lib. Sapientiæ.*

PRIMVS locus est *Sapient.* 2. vbi loquitur de quibusdam erroribus. *Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim eos malitia eorum. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum*: idest, secundùm animam; inexterminabilem. Alludit ad illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: imago autem est in rationalibus, nempè, quorum est anima capax donorum; inter quæ est immortalitas; sic enim Deus est immortalis.

HOC argumentum vrget Diuus Gregorius Nyssenus *libro de Anima, & resurrectione.* Neque verò hinc ambitur Diuina æqualitas; sicuti si esset omnipotens, infinitus, immensus, &c.

SECVNDVS est Sapient. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace.* Vide Diuum Bonauenturam. 102

TERTIVS est Sapient. 4. *Iustus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: & infrà: *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores, translatus est: placita enim erat anima illius: propter hoc properauit educere illam de medio iniquitatum.* Vide Seraphicum Doctorem ibi.

Quartus est Sapient. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* 103

Quintus est ibid. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt, &c. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud Altissimum. Ideò accipient Regnum decoris, & Diadema speciei de manu Domini.*

ALIAS Scripturas ad hoc affert Sanctus Bonauentura, *Tomo* 7. *in Compend. Theologicæ Veritatis, lib.* 2. *cap.* 55.

PRIMA est Sapien. 3. mox citato *Iustorum animæ in manu Dei sunt, &c. & species illorum immortalitate plena est.*

Secunda est Apoc. 9. *Desiderabunt homines mori & mors fugiet ab eis.* Similes sunt Scripturæ Euangelicæ; vbi in iudicio suscitabuntur homines, & optabunt mori, & non poterunt.

TERTIA est Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, viuet in æternum.* 104

QVARTA communis est; vbicunque præmia æterna, & pœnæ infinibiles inducuntur; vt Matth. 25. *Ite in ignem æternum, &c. Ibunt in ignem æternum: iusti autem in vitam æternam.*

Quinta est Iacobi 1. *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis: scientes, quòd tribulatio patientiam operatur. Patientia autem spem, &c. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Si enim alia vita non esset, nulla tribulatis consolatio remaneret; è contra, qui in mundo lætantur fœlicissimi essent.

Sexta, pro coronide, est *Genes.* 1. Deus fecit hominem ad imaginem suam; sed Deus est immortalis: ergo etiam anima. Quo argumento vsus est D. Gregor Nyssenus, & D. Augustinus *de Spiritu, & anima, cap.* 38. vbi ait; *Non enim anima imago Dei esset, si mortis termino clauderetur.* Hoc notat D. Bonau. *in* 2. *dist.* 17. *quæst.* 1. *arg.* 5. *addita responsione.* 105

Vltimò affert vbique scripturas, quæ testantur Deum iustum, qui malos punit, & bonos coronat: certum est autem, hæc in hac vita non impleri; cùm mali in hac vita sæpè lætentur, mittant radices, &c. iusti autem affligantur persecutionibus, &c. Id sæpè mirati sunt Sancti: Sic Iob. 21. *Ducunt in bonis dies suos. Tenent tympanum, & Citharam*; mox: *Et in puncto ad Inferna descendunt.* Hierem. cap. 12.

Quare

Quare via impiorum prosperatur? mox, *sanctifica eos in die occisionis.* Cùm igitur fides nostra verissima hoc doceat; nullatenus poterit quilibet Atheus hoc verè confutare; quia verum non contradicit vero, vt sæpè dixit S. Bonau. & cum eo Rochus, *hic, lib. 3. quæst. 15.*

106 PROBATVR secundò à D. Bonau. authoritatibus antiquorum Philosophorum, atque SS. PP. Et sanè Philosophi omnes, exceptis quibusdam solis, quos Cicero, infrà allegandus, minutos appellat, confessi sunt animæ immortalitatem. Ita Pherecides, vt refert Tullius, 1. *Tusculan. qq.* Pythagor. Trismeg. Diogen. Tucidid. Thales, Zoroast. Anaxagor. Aratus. Plotin. Porphir. Procul. Numer. Theophil. Tull. quos referunt Nicol. Fabent. *lib. de immortalitate animæ*, ad Clem. VIII. *cap.* Eugub.

107 *lib.* 1. *de perenni Philosophia*; & egregiè hanc partem tuentur Plato in Tim. Philet. in Menone, & *in lib. de Repub.* Fateor, Stoicos perennem non tenuisse Animæ durationem. Omninò sensit immortalitatem animæ Aristoteles, vt testantur Olympiodor. Ammon. Philopon. Simplic. Auicen. quos refert Mirandul. *lib. 4. de examine vanit. cap. 9.* Theophrast. Themistius, & alij insigniores Aristotelis interpretes, Arabes, Græci, & Latini: inter hos D. Thom. 2. *cont. Gent. cap.* 70. *& ibi* Ferrar. 8. *Physicorum, lect.* 12. & 12. *Metaph. lect.* 3. & sæpè *alibi.* Albert. *tract.* 2. *dist.* 18. *quæst.* 3. Eugub. *lib. 9. de perenni Philosophia, cap.* 16. & sequent. Valent. Suarez, *loc. cit.* Tolet. 15. Ruui. *loc. cit.* initiò allegati. Idem sentit D. Bonau. *in hac quæst. ad* 3. & *dist.* 15. *quæst.* 1. *fund.* 2. *& alibi.*

PROBATVR à D. Bonau. primò hîc ex libris de anima, vbi ex professo Aristoteles disputat de hoc; præcipuè ex tertio libro.

108 PRIMVS locus est, 1. *de anima, text.* 66. vbi dicit, *Quòd amare, cogitare, & similia destruuntur cum corpore; at intellectus Diuinum quid, & impassibile est.* Quid clariùs.

SECVNDVS locus est, 2. *de anima, text.* 22. vbi ait: *intellectum aliud genus animæ esse, à sensitiuo, & vegetatiuo, & id posse ab his separari; sicut perpetuum à corruptibili.*

RESPONDET Faber separationem hanc intelligere, quoad operationem.

CONTRA: nam subdit, sicut perpetuum à corruptibili.

Tertius est, 3. *de anima, text.* 20. vbi ait: *Intellectus in actu, quo contemplamur, quantum ad operationem, non manet post corpus; tamen, secundùm se, ac suum esse, immortalis est.*

109 Quartus est, 3. *de anima, text.* 7. vbi ponit differentias inter intellectum, & sensum, quòd intellectus non læditur à vehementi intelligibili, ergo intellectus est impassibilis.

RESPONDET Faber, Aristotelem solùm velle, intellectum non pati, in operando; eò quòd agit sine organo corporeo, quod læditur à sensibili vehementi.

VERVM attentè consideranti liquet, Aristotelem ibi ponere intellectum impassibilem absolutum.

110 QVINTVS est 3. *de anima, text.* 3. vbi Aristoteles asserit, mentem non alligari alicui obiecto finito, sed omnia intelligere: ex quo deducit, quòd anima non est mixta corpori, & in hoc laudat Anaxagoram, qui dixit mentem impermixtã esse corpori: quia *intus existens prohibet extraneum.* Vbi nota Anaxagoram posuisse mentem non esse mixtam corpori, non solùm operatione, sed etiam secundùm esse; & in hoc laudatur ab Aristotele.

RESPONDET Faber, in hoc laudari Anaxagoram: quia dixerat, mentem esse debere impermixtam ab omnibus obiectis; vt imperaret omnibus, & sic omnia obiecta cognoscat; *intus enim existens prohibet extraneum.*

CONTRA: nam ita secum pugnaret, putans, 111 species intelligibiles esse, velut sensibiles; imò corpuscula, se prementia; ita vt vnum obiectum aliud excluderet: quod ab Aristotele omninò alienum liquet, maximè hoc libro, & in tota Metaphysica.

SEXTVS est, 3. *de anima, textu* 6. vbi ait: *Mentem non esse mixtam corpori; quia esset calida, vel frigida.*

RESPONDET Fauentinus, Aristotelem velle solùm, animam non esse corpoream, quoad essentiam; licèt sit quoad esse. Hinc arguo. Id, quod est incorporeum in essentia sua, non pendet in esse: quia essentia, & esse sunt idem, secundùm Fabrum, *Theor.* 52. vbi loca Scoti adducit in via Aristotelis. Deinde. Id, quod essentiâ tale est, vbicunque sit, manet tali manente essentiâ; vt clarum est; & Scotistæ non rarò vrgent.

Septimus locus est, *text.* 19. *eiusdem lib.* 3. vbi ait: *Intellectum agentem esse immixtum, separabilem, & simplicem.* Hunc vrget Seraphicus Doctor *in 2. distinctione 17. art. 1. quæst. 2. ad argumenta.*

RESPONDET Faber, id asseri ab Aristotele; sed non probari; ideò infert, dici de mente aliorum.

PERBELLE quidem! illa omnia, quæ Aristoteles dogmatizat, sunt de mente aliorum. Imò id, quod non probat, sæpè supponit vt euidens.

Octauus locus est, *text.* 20. vbi ait: *Intellectus post mortem non reminiscitur: quia corrupta est phantasia, tamen non manet post mortem, secundùm se, & immortalis est.* Quid clarius? 112

RESPONDET Faber, sicuti ad præcedentem; quæ responsio, eodem pacto eliditur.

Insignis est etiam locus, quem affert S. Bonau. *in 2. dist. 15. quæst. 1. fund. 2. ex lib. de animalibus, cap.* 16. Vbi ait: *Solus intellectus intrat ab extrinseco.* Idem habet 2. *de generatione animalium, cap.* 3. Hunc locum plurimi faciunt Piccolominus, & Vicomercatus, apud Fauentinum. Verba Aristotelis præclara sunt: *Restat igitur, vt mens sola extrinsecùs accedat, eaque sola Diuina sit; nil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Hunc textum 113 magni pendet Ruuius, *quæst. 3. num.* 46. Toletus, *loco citato*, & alij.

NIQVE verò vllius momenti responsionem affert Faber, vt pollicitus est, *ad* 4. neque Scotus, *in 4. dist. 43. quæst.* 2. Henric. *lib. 1. q.* 11. vbi Arist. in hac quæstione asserunt veluti in ancipiti versatum. Horum fundamenta conuellam in calce disputationis.

HÆC, & alia efficacissima Aristotelis testimonia referunt Suarez, Valentia, Toletus, Ruuius, & Oregius.

QVÆ cùm ita sint, non adeò firmè D. Gregorius Nazianzenus, *disp. in Eunomium* Nyssenus, *lib. de anima* censent, Aristotelem animæ mortalitatem credidisse. Neque solidè id ei adscribunt Plutarch. *de placit. Philos. cap.* 1. Pompon. *de immortalitate animæ.* Simon Portius, *libello de mente humana*, Theodoretus *de curandis affectionibus Græcorum, lib.* 5. Caietanus 3. *de anima, cap.* 2. quibus adde prælectores Patauinos, præcipuè Zabarell. & Cremoni

moninum, qui tenuerunt, animam, in via Aristotelis esse mortalem. At vtinam hic sisteret. Quod plorandum est, plurimi sunt Athæi facti sunt Caluinistæ apud Prateol. *verbo Athæi*, & Bouerium *Exam.2. ad art.11. Carnis resurrectionem*, censent, non esse fidem nostram validius abolendam. Dicamus, (aiunt) Animam cum corpore extingui. Nos etiam Aristotelis, & Paganorum ferè aliorum argumentis ad D. Vincentij Xenodochium, eos cum insanis curandos deduecmus:

114 INNVMEROS prætereà refert D. Bonauent. Sanctos Patres, immortalitatem animæ probantes, ne dum firmissimè credentes: Ex his refert S. Bonauentura multos *in Bibliis pauperum*, & *in Compend. Theol. verit. locis adductis.*

IAM tandem res declarata est etiam in Conciliis, præcipuè Lateran. sub Leone X. *sess.*8. vbi definitur anima immortalis naturâ suâ, aduersùs quosdam, ausos dicere, rationalem animam, naturâ mortalem, esto gratiâ seruatam. Vbi sanctum Concil. iniungit Magistris, vt impugnantium diluant argumenta.

115 NVNC verò pugnemus rationibus validissimis, ex quibus aliquæ demonstratiuæ exurgent: quidquid aduersùs dixerint Scotus, Poncius, Bellutus, Mastrius, Faber vbi suprà, Arriaga, *disput.*10 *sec.*5. & alij, negantes, demonstrationem vllam pro hac assertione existere. Nos igitur omnes rationes è D. Bonauent. sumemus, ex quo alij etiam easdem desumpsêre.

PRIMVM argumentum est. In ordine vniuersi æquè, vel magis necessariò concurrit vltima forma, quàm prima materia; sed prima materia est incorruptibilis, vt Philosophi omnes fatentur: ergo & vltima forma, sed hæc est rationalis: ergo.

116 SECVNDVM argumentum, habetur ex eodem ordine vniuersi. Ad complementum vniuersi necessaria sunt omnia genera creaturarum, opposita, & media: reperitur autem corpus incorruptibile, quod est Cœlum, & spiritus, qui est Angelus, qui neque est corpus, neque est in corpore: ergo debet dari etiam aliud, quod sit spiritus, & forma corporis incorruptibilis; sed hoc est anima rationalis: ergo. Hoc argumento nititur Suarez *lib.*1. *capite* 12. *num.*8.

TERTIVM argumentum sumitur ex ordine Diuinæ Iustitiæ, quo maximè nituntur omnes ferè Doctores, præcipuè Valentia, qui septimam demonstrationem hanc clamat. Si anima interiret cum corpore, sequeretur, Deum non esse iustum: At

117 Deus iustissimus est: Ergo. Probatur sequela: nam, cùm Deus sit Rector, atque Gubernator mundi, & maximè hominum, ad iustitiam illius pertinet, vt pro meritis probos remuneret, improbos puniat. At hoc non fit in hac vita, vbi impij sæpè prosperantur, iusti exercentur. Quod etiam naturali ratione percepit *Hierem.* 12. Deum alloquens. *Iustus quidem es tu Domine, si disputem tecum: Veruntamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur: benè est omnibus, qui prauaricantur, & iniquè agunt?* Cui obiectioni, vt defendat Diuinam iustitiam, respondet: *Congrega eos, sicut gregem ad victimam.* Quo significat, impios post hanc vitam pœnas luere. Atque etiam Dauid. Psal. 36. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias. Et adhuc pusillum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies. Mansueti autem hæreditabunt terram.* Idem habet. *Iob.*12. Hinc etiam Christus *Lucæ* 16. inducit Abrahamum, respondentem Diuiti, in infernis cruciato. *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: Nunc autem ille consolatur, tu verò cruciaris.*

HOC argumentum præclarè vrgetur à D. Chrysost. *serm.*4. *de Prouidentia*, vbi concludit, *perindè esse negare animam immortalem, ac negare Deum, quia negatur Dei iustitia, quæ est Dei substantia.* 118
Hoc argumentum, supposito, Deum esse agentem liberum, quod clarum est, nè sit homine deterior, euidenter, & necessariò fatetur Fauent. *Theor.*78. *cap.*4. *argum.*4. Toletus *quæst.*15. *argum.*18. Si ad argumentum respondeas, non concludere immortalitatem animæ, sed animam suscitandam post mortem ad resurrectiones. Contrà arguit S. Bonau. quia anima ex nihilo est facta: ergo si moreretur, ad nihilum reuerteretur, & rursus ibi esset creanda ad pœnas, vel ad præmia. Imò D. Clemens Papa, *lib.*3. *recognit.* testatur, se argumentum hoc ex ore D. Petri accepisse. *Si Deus est iustus, ergo anima est immortalis*, vt referunt Ruuius, *quæst.*4. *in fine*, Mastrius, & Bellutus, *numero* 148. eamque demonstrationem acclamat Suarez, *libro* 1. *capite* 10.

RESPONDENT Mastrius, & Bellutus, ex Scoto, non esse naturaliter euidens, Deum, quò ad immortalia, hunc mundum gubernare, secundum leges iustitiæ punitiuæ, & præmiatiuæ. Esto sciatur, eum regere, quoad esse naturale. 119

AT, nùm omnia mouentur naturaliter à se? ergone Deus iuxta cardines Cœli ambulat, nec nostra considerat, vt arguit Eliphaz, *Iob.*22. Nùm Deus est supremus Dominus, à quo omnis iudicij iustitia descendit per participationem? Quis Iudices diriget, vt iustè iudicent? sanè Deum improuidum, iniquum, insipientem ità facies.

RESPONDET secundò Scotus, & asseclæ, data Dei gubernatione, iustum nunc actu virtutis accipere præmium, & impium peccati pœnam, vt dicebat Diuus Augustinus *libro* 1. *confessionum, capite* 12. 110

OBSECRO, quod præmium miserrimis, totâ vitâ à Tyranno oppressis? quæ pœna impiò illi, cui omnia ad vnguem prospera succedunt? Debent quidē pœna, & præmium dari à Iudice sanè distincta, vt notant Complutenses: Delectatio autem studiosa è virtute emanat. Nec auxilium ad alios virtutum actus, est præcedentium præmium adæquatum, vt credit Poncius. Exemplo Apostoli id ostendi potest, qui plenus gratiâ, ad virtutem crucis, vitam oderat.

RESPONDET adhuc Poncius, satis præmium aliquorum sæculorum soluere virtutes breuis vitæ curriculi. At non percipit aciem rationis SS. Patrum, Theologorum, & Philosophorum, quæ cogit admittere animam in morte non destrui, sed independentem naturâ suâ ex vi vniuersalis Dei prouidentiæ permanere, atque adeò semper existere.

QVARTVM argumentum, quod in sacram sibi Demonstrationem adsciuit Valentia, & in euidentissimum Faber argumentum cum Toleto, sumitur ex obligatione, qua ad virtutem tenemur. Omnis persuasio ad exequenda pleraque virtutum officia, ad quæ iure naturali tenemur, verissima est. Persuasio de immortalitate animæ est tali modo necessaria: ergo hæc persuasio est verissima. Maior probatur: nam, vt verum, ita etiam bonum vero, non autem mendacio, & errori consonat. Sunt autem omnia virtutum officia, ad quæ tenemur, recta, & bona; 111
non

non igitur egent ad sui executionem mendacio; sed in veritate satis innituntur. Minor probatur dupliciter.

122 Primò, quia exequutio quarundam virtutum requirit contemptum aliquarum rerum, ad vitam hanc pertinentium, quæ vix posset quis relinquere, nisi alia vita superesset, quà mortificationes istæ compensarentur; vt Temperantiæ officia, pro voluptatibus sensus euitandis; officia fortitudinis, quæ sæpè vitam profundere pro salute Reip. præcipiunt. Item Iustitiæ, cuius plerunque officia facultatibus obsunt; Religionis, quæ mortem etiam appetere pro Dei confessione iubet, aliarumque virtutum. Ideò enim arduæ sunt virtutes; quia sæpè sine profusione rerum huius vitæ adimpleri non possunt. Ecquis autem hæc omnia profunderet, etiam ipsam mortem subeundo acerbissimam; sicuti alacriter fecêre SS. Martyres, ex quibus aliqui fuere etiam Principes, si alia vita remunerationibus non superesset?

123 Probatur secundò: quia, si animæ non superesset in alia vita remuneratio, profectò virtutes possent vitia censeri. Neque iudicio rationis dictarentur hæc profundenda. Imò stulti, ac miserabiles essent proceriores Heroes; vt ait Apost. 1. Corinth. 15. *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

Confirmatur à D. Bonauentura ex communi de hac re consensu omnium Sapientum, qui Iustitiæ Dei debitum censuêre, has studiosas, & heroicas operationes remunerare. Sic omnes Chaldæi, Persæ, Græci, Arabes: imò etiam Mahumetani, qui ideò colunt Deum, & alij Deos coluerunt, expectantes remunerationem in alia vita. Hoc argumentum euidentissimum confitetur Faentinus *ratione secunda*, ad immortalitatem animæ comprobandam cum Toleto 12. *lib.* Suar. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 14. ex Origene, *lib.* 7. contra Celsum, & aliis.

124 Mussitet Mastrius, adhuc hæc ardua esse patranda. Esto, tenerentur homines; non tamen libenti, & alacri animo id fieret; sicuti Virtutes exigunt.

Respondet Arriaga, solùm probari, animam posse post mortem permanere; non tamen in æternum duraturam. At quis eam corrumpet post hanc vitam? non enim anima est aliquid violentum, ad modum impulsus, qui paulatim deficit.

125 Qvintvm argumentum, reassumens etiam præcedens, est ex fine desumptum. Remoto vltimo fine, omnes alij fines sunt vani; sed finis vltimus omnis operationis rationalis, est beatitudo perfecta: ergo, si hæc non reperitur, frustrà anima operatur studiosè. Sed hoc est inconueniens: ergo est ponenda beatitudo Hæc autem est vita firma, ac status, aggregatione bonorum perfectus: ergo necesse est, ponere vitam stabilem, indeficientem in summa fœlicitate: ergo & animam immortalem; vt eà fruatur.

126 Sextvm argumentum, quo firmiter probatur beatitudo emerita, fundatur in appetitu naturali beatitudinis. Hoc verò argumentum in secundam sibi assumit demonstrationem Valentia, Faber *in quintum argumentum*, Toletus *in nonum*. Omnes homines naturaliter appetunt beatitudinem; si anima extinguitur cum corpore; sequitur necessariò, vt multiplex appetitus animæ sit irritus: sed nullus talis appetitus naturalis est irritus: ergo. Maior probatur: nam irritum, & vanum appetitum nominamus eum, qui expleri non potest: vt si quis vanè appetat esse Angelum, multa autem appetit anima rationalis, appetitu elicito naturali (hoc est necessarium, saltem quoad specificationem: ita vt nequeat illa respuere) quæ, si anima extingueretur, nunquam consequi valeret. Nam primò appetimus beatitudinem in communi: ita, scilicet, fœlices esse, vt non sollicitetur anxiè animus desiderio alicuius vlterioris boni: neque angatur à malo. Euidens autem est, hunc appetitum in hac vita expleri non posse. Secundò naturaliter etiam appetimus eam rem, in qua verè consistit beatitudo, idest, Deum, vtpotè rerum omnium causam claré, & quidditatiuè cognoscere, & eo frui perfectè, quod desidetium in hac vita non valet expleri. Beatitudinem verò esse debere sempiternam, naturaliter est notum, vt arguit S. August. *lib.* 13. *de Trinit. capite* 13. inferens, nullum existere, volentem amittere naturaliter beatitudinem: ex quo sequitur, non esse solum rationi consonum: (vt responsio Scoti ruat.) sed etiam naturæ necessarium 127

Præterea appetimus naturaliter, perpetuò permanere post interitum corporis, & sane appetitu elicito.

Respondet Scotus, *in* 4. *distinct.* 43. *quæst.* 2. non esse compertum: vtrum desiderium illud perpetuò consistendi sit rationi consentaneum, vt ita oporteat compleri, tanquam naturalem appetitum. Deinde & bruta refugiunt mortem: nec tamen appetunt immortalitatem. 128

Contra: nam, vt arguit S. Bonau. eò ipso, quòd appetitus beatitudinis est naturalis, talis est etiam appetitus permanentiæ: quia beatitudo dicit securitatem vitæ: vbi enim mors imminet, necesse est timeri: nec potest esse tuta fœlicitas.

Neque verò bruta detestantur mortem formaliter, vt est priuatio existentiæ, & permanentiæ post mortem. Homines sanè non ideò fugiunt mortem, imò appetunt, vt ait Apostolus. *Nolumus expoliari, sed superuestiri.* 2. Corint. 5. 129

Præterea naturaliter etiam appetimus aliqua bona post mortem, vt memoriam, famam, &c.

Qvòd verò nullus naturalis appetitus sit vanus, probatur: quia omnis naturalis appetitus est ab authore naturæ datus: quatenus ille naturam cum illa propensione condidit. Non est autem sapientis eò rem impellere, quo peruenire non potest.

Respondet Scotus. Vel est sermo de naturali appetitu elicito, vel de non elicito: si de non elicito, petitur principium: nam appetitus naturalis, non elicitus, idem est, quòd naturalis rei potentia, & aptitudo ad aliquid. Itaque si velis probare, animam esse immortalem ex eo, quia habet appetitum ad beatitudinem; idem est, ac dicere, esse immortalem, quia potest non mori, quod est probandum. Si autem assumitur desiderium elicitum, probatio erit inualida: tum quia deberet priùs probari, animam habere appetitum, non elicitum, cui oportet, elicitum esse conformem; eò quòd est æquè ignotum; atque ipsa immortalitas animæ, tum quia deberet probari hic appetitus esse rectus, vt naturalis ostenderetur. 130

Scotvm redarguunt D. Bonauentura *in corpore*, & post eum Valentia, dicentes, hunc appetitum esse quemcunque, primò quidem elicitum in fundamento; consequenter verò præcipuè elicitum, qui satis constat ex eo, quia non possumus immortalitatem auersari, aut beatitudinem, quod est, appetitum hunc esse necessarium, quoad specificationem; atque ex hoc appetitu demonstramus à posteriori, esse in anima potentiam naturalem, quâ viuat post corpus extinctum, atque adeò habere ad hoc, appetitum etiam naturalem, non elicitum. Hinc colligitur, 131

gitur & hunc appetitum immmortalitatis esse rectū, quia est necessarius, nec possumus ab eo dissentire, & hinc euidens fit, illum esse ab authore naturæ. Tandem ipse Faber, *quinto loco*, hoc argumentum assumit, tanquam sufficiens ad persuadendum
132 quemcunque ratione præditum; & est ratio D. August. *libro decimo tertio, de Trinitate, capite octauo.*

SEPTIMVM argumentum è præcellenti virtute ipsius Animæ sumitur, quod in Principem demonstrationem sibi adscribit Valentia, & Fauentinus in primam rationem, quam absque dubio certissimam vocat. Toletus verò in argumentorum Ducem, & à Diuo Bonauentura indicatum, *fundamento* 4. & explicatur *in corpore*, & vberiùs *fundamento* 5. seu *quinta consideratione*, *& sequentibus.*

OMNIS forma per accidens corruptibilis ita est limitata, vt non in res omnes, sed in quasdam tantùm determinatas possit cum quodam appetitu tendere, tanquam in effectus suos, vel obiecta; sed anima rationalis non habet naturam, hoc
133 modo limitatam, sed in omnes res, etiam possibiles, tanquam in obiecta sua, potest appetitu tendere: ergo non est per accidens corruptibilis. Maior probatur: quia, quod aliquo modo corrumpitur, pendet in esse suo ab aliqua determinata dispositione qualitatum, quæ per qualitates contrarias causæ corrumpentis tollatur; at verò, quod habet omnia pro obiecto, habet cum eis Sympathiam quandam, & cognationem. Secundò; quia, quod tali modo est illimitatum, non subiicitur vlli earum rerum; est enim in ordine eminentiori. Minor probatur ex amplitudine obiecti intellectûs, & voluntatis, quibus tendimus in omne ens, etiam infinitum; imò in ipsum etiam intellectum, & voluntatem; ob quam animæ præstantiam, Deo, & Angelis sumus similes, qui etiam sunt immortales: quia rerum omnium sunt participes per intellectum, & voluntatem; & ideò à
134 nulla re contraria valent corrumpi: Si enim anima, & Angelus feruntur in ea obiecta, naturali amore, alienum est, ea esse posse inimica naturæ eorum. Hanc rationem affert etiam Cicero *libro de senectute.* Frustrà verò Mastrius, & Bellutus, cum Scoto negant, naturaliter notum esse, ens, vt ens, esse obiectum intellectus ex natura potentiæ. Sic enim est obiectum Metaphysicæ; & Deus ex inuisibilibus cognoscitur; vt dicitur *Rom.* 1. & *Sap.* 8. Ideò inexcusabiles dicuntur Pagani; vt demonstraui *tract.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 5.

Hoc vnicum argumentum, ait Valentia, sufficere ei, qui animam humanam habeat; vt etiam docet Diuus Augustinus, *libro de vtilitate credendi, capite octauo*, id perspicaciter considerans. Attingit hanc rationem etiam D. Thomas, *quæstione* 15. *articulo* 6. dicens: *Non inuenitur corruptio, nisi vbi inuenitur contrarietas.* Generationes enim, & corruptiones ex contrariis, & in contraria sunt: vnde corpora cœlestia, quia non habent materiam contrarietati proximè subiectam, incorruptibilia sunt, in anima verò intellectiua nulla potest esse contrarietas.

135 NOTA verò, Animam habere quidem contraria, vt est informans corpus, ideò separabilis est: non verò sibi contraria formaliter, vt talis natura est.

NOTANT secundò ex Diuo Bonauentura, *ad* 2. Caietanus *loco citato*, Diuus Thomas, & Valentia, *columm.* 1001. non obstare huic demonstrationi nostræ, quòd anima possit à Deo destrui, etsi Deus non sit animæ contrarius; imò expetibilis; hoc enim est proprium Dei, qui est prima, & vltima, causa, à qua pendent res omnes in esse. Neque nos hoc demonstrare prætendimus, vt nequeat à Deo destrui; sed non posse, naturali via, destrui ab aliquo contrario; & hoc probatum est rectè ex eò, quòd non sit contrarium aliud: nam etiam Deus ita conseruat animam, vt eam nunquam deserat. Vide Diuum Bonauenturam, *in primo*, *dist.* 8. ad quam S. Doctor remittit.

RESPONDET Mastrius, posse dici à Philosophis, 136
eam corrumpi ad corruptionem compositi. Sed aduertant, animam esse substantiam spiritualem altioris ordinis; atque adeò dispositionibus corporeis, destructricibus compositi, nullatenùs obnoxiam. Quid dicent modò Philosophi?

OCTAVVM argumentum eruitur ex eadem virtute animæ. Omnis virtus, quæ per recessum, & impermixtionem cum corpore corruptibili fortificatur, est incorruptibilis per naturam. Talis est anima rationalis, vt patet, quia tantò roboratur spiritus, & homo interior, quantò mortificatur exterior: ergo virtus est incorruptibilis: ergo & ipsa anima, à qua virtus emanat.

NONVM argumentum sumitur ex eodem ferè 137
medio operationum, scilicet, animæ, independentium à corpore; quod est tertium, & quartum Valentiæ demonstrationis medium. Toleti quartum, & quintum. Fauentini sextum, vocatque rationem efficacissimam; hanc verò demonstrationem fatetur Suarez *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 35. vbi aliam demonstrationem non agnouit, præter hanc, & illam moralem, allatam *tertio, & quarto loco.* Hanc verò primò vrget Suarez *num.* 19. at D. Bonau. *fund.* 4. *& aliis sequentibus*, & est Platonis in Phædro. Nulla forma corruptibilis habet aliquas operationes, omninò independentes formaliter à corpore; sed anima rationalis habet aliquas tales operationes: ergo. Maior probatur à Valentia ex D. Bonau. quia, si forma non pendet à corpore in agendo, non pendebit in essendo; cùm *esse*, & *operari* sint inuicem agnata; & *operari* sequatur ad *esse*, nec possit esse nobilius suo principio: & hoc fundamentum, tanquam firmissimum, posuit Arist. *primo de anima, text.* 13. vt notat D. Bonau. §. *ex quinta consideratione*; & post eum Valentia. Ait verò Philosophus. Si est aliqua animæ operatio, aut aliqua passionum propria, continget vtique ipsam separari; si verò nulla est propria ipsius, non vtique erit separabilis. *Textu verò decimo secundo*, dixerat, non esse censendam propriam, & inseparabilem eam operationem animæ, quæ vel est imaginatio, vel non est sine imaginatione, idest, quæ per corporeum organum exercetur.

Ex his habes, quàm malè Fauentinus, *Theor.* 68. 138
cap. 3. præcipuè ad *primum.* Mastrius, ac Bellutus, cum Scoto dicant, asseri ab Aristotele independentiam operationum animæ ab organo; non tamen hinc deduci incorruptibilitatem, ac separationem, secundùm *opera*, & *esse*: sed solam incorruptibilitatem organicam, seu ad corruptionem organi. Ipse verò Faber, *cap.* 4. *arg.* 6. sic ait, efficacissimè argui ex illo principio Aristotelis, quod anima intellectiua non est organica, secundùm essentiam, nec corrumpitur à vehementi intelligibili, sed perficitur: vt habetur 3. *de Anima*, *textu* 6. *&* 7. At tale genus formæ Physicæ nihil prohibet separari à corpore, & manere post mortem: vt ipse Aristoteles ait, 2. *de Anima*, *textu vndecimo*, & 12.

Metaph.

Metaphysicorum, *textu* 17. Ergo rationalis est immortalis. Quæ omnia habet D. Bonauent. *in fundamentis*, vbi etiam retundit responsionem Fabri, suprà allatam, qua operationem aliquam inorganicam fatetur, nec vult indè concedere animam in-
139 dependentem, etiam secundùm esse. Nam, vt arguit D Bonauent. §. *ex quinta consideratione*. cuiuslibet substantiæ rationalis, vel spiritualis, secundùm esse, & durationem, pendentis à corpore, operatio pendet ex corpore: Sed anima rationalis propriam operationem habet independentem, scilicet, *intelligere*: ergo duratio animæ non pendet à corpore; vt per accidens corrumpatur cum corpore, neque verò per se corrumpi potest, quia non habet contrarium: ergo est immortalis. Maior probatur: quia operatio ab essentia manat, nec est illâ nobilior. Vnde non benè ait Fauentinus *ad* 1. operationem esse inorganicam: & tamen esse illius dependere. Vbi subdit, *non tamen sequitur, intellectum esse incorruptibilem in operando*; Quia tunc quoque esset incorruptibilis in essendo, sed est simpliciter corruptibilis in operando: At verò hoc Aristoteli repugnat, iuxta allegata à Fabro *in sexto argumento*.

140 Observa autem rationem D. Bonauent. ob quam, per se, anima est incorruptibilis: quia, quod per se corrumpitur, à contrario corrumpitur; sed anima non habet contrarium destruens: ergo. Minor probatur à multis: quia est simplex, carens materiâ. At, quia nos asserimus, animam esse ex materia, & forma; probatur primò, illam non habere contrarium à D.Bonau. *in corpore*. Quia anima, vtpotè forma insignita Dei imagine, ac proinde nobilissima, est tantæ dignitatis, vt eminenter contineat perfectiones aliarum formarum, & reddat suam materiam saturam. Quòd si adhuc potentia remota manet, non tamen manet proxima, quia à Deo conseruatur tanta colligantia, vt potè imago Diuinæ Maiestatis, incorruptibilis à creatione.

Probatur etiam à D. Thoma *loco citato* vt refert Suarez, *numero* 26. quia anima recipit formas contrarias, sine contrarietate, nempè in esse intentionali, in quo rationes contrariorum non sunt contrariæ, sed est vna scientia contrariorum. Quam rationem optimam acclamat ibi Suar. suppositâ verâ naturâ animæ. At, suppositâ compositione illius ex materia, & forma, quàm absurdissimam inclamat; subdit, posse aliquem dicere, recipi in eâ qualitates, etiam secundùm contrarietatem: Sed
141 hæc sunt vana: nam anima patitur tantùm intentionaliter. Aliam rationem affert Suarez, *numero* 27. qua non egemus, ad sustinendam animam immortalem, si composita sit è materia, & forma.

Pergit Diuus Bonauentura roborare suum argumentum, quo independentiam animæ à corpore, in operando, ostendit; ex quo etiam independentiam eius, secundum esse, optimè cum Aristotele deducit; vt fatetur Fauent. *locis adductis*.

Primo, quia cuiuslibet substantiæ corruptibilis operatio antiquatur, & senescit in tempore: sed animæ rationalis operatio non antiquatur: ergo. Minor probatur illo Aristotelis dicto: *In canis viget sapientia, & prudentia*: quod idem asseuerat Hieronymus *ad Nepotianum*, *epist.* 2. & habetur in Breuiario, *Dominica septima post Pentecosten*, quod valdè authoritatem auget.

Secundo probatur ab ipso ex obiecto. Necesse est, proportionem dari potentiæ ad obiectum; sed anima rationalis habet pro obiecto veritatem; quæ est incorruptibilis, vt ait D.August. *in soliloq.* est enim talis naturæ, vt ipsa negatio veritatis veritatem ponat: ergo; &c.

Tertio, quia obiectum voluntatis est iustitia, quæ est incorruptibilis, vt habetur *Sapientia* 1.

Qvartò, quia omnis virtus corruptibilis læditur à proprio obiecto, improportionabiliter excellenti; & magis nata est delectari in medio, quàm in extremo; sed anima rationalis, intelligens maiora, & maxima, non propter hoc læditur; imò delectatur magis in cognitione primæ Lucis, & perceptione sapientiæ Dei, quàm in cognitione alicuius boni creati: Ergo anima est virtutis immortalis. Tunc sic: Omnis substantia per virtutem cognoscitur; & virtus per operationem, & operatio per obiectum; sed obiectum, quod est ens, vt verum, & bonum; similiter & operatio, ac virtus est immortalis: ergo talis est Anima etiam secundùm esse. 142

Idem verò suprà ostenderat, tùm quia supra se reflectitur: vndè non est materiæ alligata; tùm quia ad debilitatem corporis roboratur, vt suprà dixi. Quæ omnia ostendunt, quanti penderet Seraphicus hanc rationem; quam demonstratiuam acclamat Valentia, Suarez, & ferè Toletus, ac Fauentinus *locis adductis*. 143

Resvmit *in corpore* aliquas ex dictis rationibus, & ostendit Animam esse immortalem ex quatuor generibus causarum.

Primo, ex fine beatitudinis: nam finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem; sed anima facta est ad finem beatitudinis, quæ debet esse vita æterna; vt sit aggregatum bonorum summum. Hanc verò naturaliter appetimus, nec appetitus naturalis est frustrà: & hanc rationem laudat maximè, ex D. Augustin. 12. *de Trinit.* & *in libris de ciuit. Dei*.

Secvndò, probat ex causa formali. Quia anima formaliter est imago Dei immortalis.

Tertiò, ex materia, quæ nobilissimâ hâc formâ, quæ est imagine Dei insignita, quietatur, ac summoperè delectatur, vtpotè, quæ omnes formas, quarum est capax, contineat eminenter: materia sanè ad formas tantùm vniuersi habet potentiam. Neque obest, quòd inclinet etiam ad formam Angeli, perfectiorem animâ, quia, cùm per solam creationem id fieri queat, non includitur in eius appetitu naturali. 144

Qvarto, ex parte efficientis Dei, qui hanc imaginem suam conseruare tenetur.

Probatvr præterea à Diuo Bonauentura 2. *part. Breuil. capite* 9. immortalitas animæ, cùm sit creata ad Dei imaginem, intelligens omnia, ac liberè volens, vt nequeat ab aliquo cogi, habens obiectum intellectus, & voluntatis infinitum, cui ipsa anima se applicat, ideò est capax beatitudinis: Sed beatitudo necessariò est inamissibilis; ergo nil potest esse beatificabile, nisi sit immortale. Hoc argumento cætera colligit S. Doctor, quæ habent Moderni, præcipuè Suarez, Valentia, Tolet. Ruuius, Fauentinus, & alij, *adductis locis*. Eadem accinit 3.*part.Centil.ad sec.* 23.& per multas alias.

Fateor, animam esse imaginem Dei, ex fide nobis constare.

Alias rationes reficiat, *lib.* 2.*Compendij Theologicæ veritatis, cap.* 55. 145

Prima



PRIMA est: omnis corruptio à contrarietate causatur; sed nil substantiæ animæ est contrarium, vt dixi suprà: ergo.

SECVNDA: Omnis capacitas à Deo impletur; sed anima est capax beatitatis, quæ est vita perpetuò fœlix: ergo. Id profitebantur Galli antiqui, mutuantes pecuniam cum obligatione restituendi in alia vita, vt refert S. Doctor *Serm. de S. Thoma Apostolo*, ex Valerio Max. *lib.* 2. *capite* 1.

Tertia ste; quia homo post mortem timorem multis naturaliter incutit, quod signum est, eum non omninò anihilatum desiisse.

QVARTA est, ex iustitia Dei, quæ non impletur in hac vita, in qua mali ducunt in bonis dies suos, vt habetur *Iob.* 21. iusti autem tribulantur: ergo datur alia vita; sed hoc non potest esse, nisi anima sit immortalis: ergo. De hoc argumento præclara è Sanctis Patribus effata refert.

PROBATVR tandem, quia anima est ad Dei imaginem: ergo immortalis. Ipsum vide.

146 ASSERO secundò, alias omnes animas esse corruptibiles. Ita S. Bonauentura, *in tota quæstione secunda.*

PROBATVR à D. Bonau. primò: quia omnis operatio brutorum est corpori alligata.

Secundò; quia facta sunt in vsum hominum, pro hac vita, non pro beatitudine: ergo sunt mortalia, &c. sicut Cæli, qui pro patriæ statu conditi sunt, incorruptibiles esse asseruntur, vt addit *in corpore.*

Tertiò; quia deberent ex prima institutione habere corpora immortalia: ergo & nunc; cùm non peccarint.

Quartò; alioquin deberent resurgere animalia omnia. *In corpore* verò securiùs ostendit animarum brutorum mortalitatem ex fine; non enim ad beatitudinem conditæ sunt; cùm non sint ad imaginem Dei; sed solùm vestigia Diuinæ potentiæ. Vide Sanctum Bonauenturam.

147 OBIICIES primò *Ecclesiastes* 3. dicitur: *Vnus est interitus hominis, & iumentorum.*

RESPONDET D. Bonau. *ad* 1. loqui Spiritum Sanctum, quoad exteriorem apparentiam: vnde subdit: *Quis nouit, si Spiritus filiorum Adæ ascendat sursum?* Quasi dicat, non nouit homo, qui solùm exteriora considerat carnaliter; sic enim videmus desinere compositum hominis; sicut etiam bouis. At sapiens id considerat, quod dicitur Eccles. 11. *Scito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.*

Eandem responsionem exhibet S. Bonauent. ad hunc locum Eccle. cum D. Hieron. Quòd verò subditur: *Quis nouit si Spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum?* non infert, Salomonem de hoc dubitare; sed esse rem non omnibus compertam, quæ difficilè persuadetur, & à solis sapientibus optimè noscitur. Ita D. Bonau. cum D. Hieronymo, quos sequitur Valentia, *disp.* 6. *quæstione* 1. *punctio* 3. *colum.* 992. D. Thomas ait, Salomonem hic loqui in persona impiorum; sed hoc improbat Valentia, tum quia nullum est ibi verbum, hoc sonans; tum quia D. Hieronymus locum illum nobiscum exponit, cum D. Gregorio Neocæsareæ Episcopo, *in Metaphrasi, ad Eccles.* Idem habet Suarez *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 36, adducens Hugonem Etherianum, *lib. de Regim. animarum, cap.* 4. & Salon. Vien. & Olympiod. *ad hunc locum.*

RESPONDETVR ergo, ibi etiam loqui, quoad compositum; quia dissoluitur homo, sicuti brutum.

OBIICIES secundò, 1. *ad Timoth. vltim.* dicitur, *Deus, qui solus habet immortalitatem.* 149

RESPONDET S. Doctor, solum Deum habere immortalitatem: quia solus à se ipso, independenter ab omnibus, habet immortalitatem per essentiam: Anima autem, licet naturâ à Deo acceptâ valeat perpetuari; tamen eget Deo, extrinsecè conseruante: hæc autem conseruatio est à gratuita Dei bonitate; nec tamen est gratia, addita naturæ animæ: quia talem animæ naturam dedit, quæ *gratia* latò modo dicitur; vt notat idem S. Bonau. *in* 2. *dist.* 17. *quæst.* 1. *ad* 5. dicitur enim gratia influentia gratuita naturæ: propriè verò gratia est quid addens naturæ. Eadem responsione nituntur Suarez, Valentia, &c.

OBIICIES tertiò, ex D. Damasceno, 1. de fide, cap. 2. *Omne, quod à versione incipit, in versionem tendit*; sed anima rationalis à versione incipit, cum sit creata: ergo. Si dicas, tendere ad versionem, quantum ex se; at retineri à Deo, nè destruatur. Contra est D. August. 7. *de Ciuit. cap.* 5. vbi ait: *Sic Deus res, quas condidit, ministrat, vt eas agere proprios motus sinat.* Si ergo anima, ex natura sua, ad versionem tendit: ergo Deus sinit, eam eò ruere, vnde eruta est. 149

RESPONDET D. Bonauentura animam tendere ad versionem non tendentiâ positiuâ, sed potiùs ex deficientia propria, qua res ex nihilo eget sustentari, alioquin deficeret. Deus igitur adest, sustentans animæ naturam. Sanè Deus finit, res naturam suorum principiorum sequi; ità, vt contra ea non agat, non verò infert, Deum nec sustentare semper creaturam, cui naturam positiuè immortalem contulit. Hoc sensu in sexta Synodo, ait Sophronius, animam nostram esse immortalem per gratiam; quia est Dei beneficio indigens, quod latè gratia dicitur. Ita etiam ait Suarez, *cap.* 10. *num.* 37.

OBIICIES quartò multa loca Aristotelis, ex quibus deducitur, eum sensisse animam mortalem. 150

PRIMO quidem suppono, cum D. Bonauentura nunquam Aristotelem asseruisse apertè, animam esse mortalem, vt notant etiam Toletus, Valentia, Suarez, & alij. Deinde verò, aliis oppositis locis apertè asseruisse animam immortalem, vt fatetur Fauentinus *Theor. citato, cap.* 1. circa finem. §. *secundus modus*; vbi concedit, verè hoc sensisse Aristotelem, tametsi hoc non probauit rationibus necessariis, quòd verò subdit, nullam, vel leuissimam Aristotelis rationem ad hoc afferri, falsum est, vt vidimus, & ipse Fauentinus fatetur, *cap.* 4. §. *sexto.* Efficacissima ratio desumitur ex illo principio, probato ab Aristotele. Quòd anima intellectiua non est organica.

PRIMVS ac præcipuus textus, quem opponunt, est sexagesimus sextus primi de anima, vbi ait. *Intellectus corrumpitur quodam alterius corrupto.*

RESPONDENT S. Doctor *ad* 3. Aristotelem *textu* 65. prælibare *intellectum extrinsecus aduenire.* Id probat. *Si enim corrumperetur, maximè senio; at hoc esse falsum,* ait, *quia si senex acciperet oculum iuuenis, videret, vt iuuenis. Quare anima nil passa est; sed id in quo ipsa est.* Infert statim, textu 66. *Ipsum igitur intelligere, & ipsum speculari marcescit, alio quodam interius corrupto; ipsum autem impassibile est. Intellectus fortassis diuinius quid, & impassibile est.* Hic locus illustris est pro nostra sententia, 151

vt

ait Fuliensis *libro* 3. *Physicorum, cap.6, art.* 3. Vult enim corrumpi solum actum, qui est intelligere, quod pendet à phantasia, vt docuerat *textu* 12. ideò organis deprauatis, deprauari etiam phantasmata, quæ oportet intelligentem speculari. Male autem citant locum, qui non dicit, corrumpi intellectum; hunc enim incorruptibilem docet etiam sequentibus, *secundo, & tertio, de Anima*, ideò *textu* 6. huius docet, Rationalem non esse mixtam corpori, cùm non sit organica; *&* 2. *de anima, text.* 21. dicit, intellectum separari à cæteris, sicut perpetuum à corruptibili, vt differit etiam Vicomercatus cum S. Doctore: Neque Faber aptè respondet.

NOTA, S. Doctorem referre textum oppositum, ac si dicat, Intellectum corrumpi: quia sic à nonnullis legitur. Ideò piè exponendum ait, ad suppositam Aristotelis è cæteris textibus mentem.

SECVNDVS locus est 7. *Metaphysic. text. vltimo*, vbi vult, quòd quando compositum corrumpitur, solùm partes materiales remaneant, idest, elementa, sed forma nequaquam.

152 RESPONDETVR, id, de quibusdam tantùm compositis, Aristotelem concedere, idest, animatis, irrationalibus, & inanimatis: nam de rationalibus, hæc habet 12. *Metaph. text.* 16. & 17. *Causæ itaque mouentes, tanquam antea orta, existunt: Quæ verò, vt ratio (idest causa formales) simul sunt; si autem aliquid posteriùs permanet, considerandum est. (idest; an aliqua forma permanere valeat post suum effectum destructum) in quibusdam enim nihil prohibet, veluti si anima talis sit, non omnis, sed intellectus: Omnem namque fortassis impossibile est.* Quid clariùs.

DEINDE respondet Valentia, posse naturam, etiam vt principium, dici elementum; sed hoc non laudo: quia ibi sumit elementum, non vt principium, sed vt distinguitur à forma.

TERTIVS locus est primò de Cœlo, *text.* 172. vbi ait: *si generabile, & corruptibile necesse est*: sed anima rationalis, secundùm Aristotelem, est generabilis. cùm dicat, 12. Metaphysicorum, text. 16. *Causam formalem simul esse cum effectu suo.*

RESPONDETVR, animam rationalem non esse generabilem, sed extrinsecùs aduenire, ex eodem Aristotele 2. *de generatione animalium, cap.* 3. vt notat S. Bonauentura suprà *adducto loco, distinctione* 15.

153 QVARTVS locus est dogma Aristotelis. *Ex nihilo nihil fit*: ergo anima non creatur, sed pendet à materia.

RESPONDETVR, ex Aristotele, ex nihilo per motum, nihil fieri; at anima non fit per motum.

QVINTVS locus est 6. *Physicorum, summ.* 5. *capite* 2. vbi probat, indiuisibile non posse moueri, per se, sed anima est indiuisibilis: ergo non potest moueri per se; nec per se esse.

RESPONDETVR, ex D. Bonauent. *in primo, distinct.* 37. *parte* 2. *articulo* 2. *quæst.* 2. *ad argumenta*, Aristotelem loqui de indiuisibili, habente positionem in continuo, quale est punctum. Anima verò non est indiuisibilis quantitatis, sed substantiæ.

PRÆCIPVVM fundamentum, quo nituntur Scotistæ ad probandum intentum, est: quia Aristoteles censuit, mundum esse æternum. Ita 8. *Physicorum*, & *lib.* 1. *de Cœlo, &* 2. *de Generatione, &* 12. *Metaphysicorum*: ergo animæ infinitæ essent; cùm sint immortales; sed infinitum actu exploditur in tota Aristotelis doctrina: ergo animæ non sunt apud eum immortales. Minor probatur, præcipuè *ex tertio Physicorum, text.* 16. *& sequentibus*. Hoc argumentum insolubile ait Faber, *Theor.* 68. *capite* 3.

RESPONDENT Durandus *in* 2. *dist.* 8. *quæst.* 3. *num.* 9. Tolet. 3. *de anima, quæst.* 15. Ful. *lib.* 3. *cap.* 7. Valentia, *tom.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 1. *puncto* 3. *col.* 997. in hoc secum pugnare Aristotelem. At D. Bonau. hic, *quæst. prima ad* 3. contradictionem in tanto viro non admittit.

RESPONDET ergo *in* 2. *distinct.* 1. *parte* 1. *quæst.* 2. *in corpore*, verè Aristotelem, secundùm aliquos Sanctos, & Commentatores, asseruisse mundum ab æterno. Ita Auerroes 8. *Physic. &* 1. *de Cœlo, loco citato.* 154

ENIM verò patet secundùm alios Doctores Modernos, mundum non fuisse, apud Aristotelem, æternum; Aristotelem verò solum probare, mundum non incepisse per motum, vt veteres Philosophi sunt arbitrati: Sic ipsum exposuêre D. Thomas *p. p. quæst.* 46. *articul.* 1. Albertus *in* 2. *distinct.* 1. *art.* 10. Coætanei Seraphico; & Valentia, *tom.* 1. *disput.* 3. *quæst.* 3. *puncto* 1. *col.* 739. Ferchius, *vestigat.* 6. & verè probatur, id sensisse Aristotelem: nam *primo Topicorum, cap.* 9. ait. *Quædam esse problemata dialectica, de quibus non habemus rationes, vt: Virum mundus sit æternus*: ergò nil asserit in hoc Aristoteles, sed rationes eius solùm intendunt, mundum non incepisse motum.

FABER hîc, *in* 2. *disp.* 2. *quæst.* 2. *dub.* 5. *num.* 7. ait, Aristotelem in hoc sibi contradicere. At non recordatur, *in Theoremate allegato, cap.* 3. se niti hoc Aristotelis fundamento, quippè fixo de mundi æternitate; vt hinc immortalitatem animæ nostræ excluderet in eius doctrina, dixisseque esse argumentum insolubile, quod nec ipse soluere potuit. Alia ex Aristotele testimonia soluunt Valentia, Toletus, Suarez, & alij suprà adducti, & minoris sunt ponderis, quàm opposita pro sententia nostra, quæ omninò sunt perspicua. 155

OBIICIES quartò: quia nullum est indicium huius permanentiæ animæ nostræ post mortem: nam corpus corrumpitur, nec anima ampliùs se cognoscendam præbet; Et si est forma corporis, iam violenter detineretur extra illud. Itidem videmus, operationes nostras, etiam intellectus, pendere à corpore. Etenim patitur ad passionem corporis, eique condolet, & phantasiâ subuersâ, non rectè intelligit.

RESPONDET D. Bonauent. *in fundamentis, & in corpore*, circa finem, negando assumptum: quin potiùs multa extant immortalitatis signa, vt patet *in argum. adductis*, tùm in operationibus intellectus speculatiuis; tùm in actibus intellectus practici, præsertim in remorsu conscientiæ, in dictamine operandi iustè contra rebellionem corporis, & castigando illud, mortiquè exponendo, si opus sit: tùm etiam in affectibus voluntatis, quæ non quiescit nisi in Deo, & pœnam alterius vitæ naturaliter timet; & fœlicitatem appetit, quam in hac vita non reperit, &c. E regione, nullum est signum mortalitatis: nam quòd eius operatio lædatur, hoc est, quia in hac vita pendet à ministerio sensuum organicorum, qui læduntur. Quòd verò patiatur, nihil obest: quia passio non est per ipsius læsionem, sed per compassionem, vel si ipsa læsa dolet, non est per partis abscissionem, sed per obiecti inquietantis irruptionem, & hoc, etiam separata, patitur; vt dicam *Tertia parte.* 156

NEQVE verò ex compassione colligitur eius passio

passio ad destructionem; cùm oriatur ex coniunctione arcta, & amicabili cum corpore: vnde, eâ dissolutâ, non est, cur sequatur mors in anima; cùm non maneat causa: licet autem appetitum retineat ad corporis reunionem, attamen est simplex appetitus, non destructiuus: quia non adhibet contrarium; vt anima, non valens coniungi, dissoluatur:

Qvòd verò operatio animæ lædatur, hoc est per accidens: quatenùs læduntur sensus organici, ministrantes animæ, & operationibus eius sensitiuis, imò & remotè intellectiuis: non læditur autem intellectus in se, vt dixi cum D. Bonauent. *loco cit.* & *in 2. dist. 25. part. 2. quæst. 6. fundamento* 3. ex Aristotele 1. *de anima, text. 66.* suprà explicito. Ibi affert id 2. *de Gener. Animæ, cap.* 3. vbi ait: *Intellectus est ab extrinseco.* Ibi leges apud ipsum eximia.

157 Hæc, & alia affert S. Bonau. quibus soluuntur miracula insipientium opposita. Eum sequuntur Suarez, *cap. 20. in calce puncti vltimi, quæst.* 1. *in disp.* 6. Toletus, Ruuius, & alij *in fine quæstionum.*

Obiicies primò contra secundam assertionem. Eiusdem rationis est anima sensibilis hominis, & equi: Sed anima sensibilis hominis est immortalis: Ergo.

Respondet S. Bonauent. negando maiorem; nam sensibilis anima hominis est incorruptibilis forma, fluens ab anima immortali; & ab eâ indistincta: At in equo dicit formam merè corpoream, & corruptibilem.

Obiicies secundò. Omnis anima, etiam vilior præcellit cuique corpori; sed dantur corpora incorruptibilia, vt Cœli: ergo.

Respondet D. Bonauent. nobilitatem non facere ad maiorem durationem intrinsecè: nam etiam homo est nobilior saxo; & tamen lapis diutiùs durat; est etiam nobilior Cœlo, & tamen morte soluitur. Duratio itaque venit ex remotione causæ corrumpentis. Cùm igitur anima sensibilis sit dependens à corpore corruptibili, destruitur, manentibus Cœlis, qui contrarium destruens non habent.

158 Obiicies tertiò: Substantia, cuius operatio non senescit in tempore, non corrumpitur in tempore; Sed anima sensibilis est huiusmodi: quia, sicut dicit Philosophus primo de anima, text. 65. *Si senex acciperet oculum iuuenis, ita videret, sicut iuuenis*: Ergo.

Respondet Sanctus Bonauentura non senescere, quantùm ex se est; senescere autem ratione eius, in quo radicatur, nempè, ratione corporis, ratione cuius etiam corrumpitur. Sanè Anima rationalis aliunde colligitur immortalis: quia in senectute viget sapientiâ; vt dixi suprà. Reliqua obiecta soluta sunt suprà.

Ex his habes, quam nefandâ fronte Caluinus, *libro* 4. *Institut. capite 7. sectione vigesima septima*, latret, animam, apud Romanos, esse mortalem; *& capite* 28. Ioannem XXII. id definisse; cùm nil vnquam tale dixerit, vt notat Valentia, *loco citato.*

QVÆSTIO IX.

Quid sit Anima.

Qvamvis æternitas animæ, & alia suprà disputata nequeant planè cognosci absque animæ quidditate, vt notat Suarez, *libro primo, de Anima, in proœmio*; Attamen quidditas animæ è superiorum quæstionum decisione pendet; ideò tot præmisi, vt tandem, quid sit anima disseramus. 159

Geminam definitionem animæ affert Aristot. 2. *de Anima, cap.* 1. *&* 2. Vna est: *Anima est actus primus substantialis corporis physici organici, potentiâ vitam habentis.* Altera est: *Anima est id, quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus.* Has definitiones referunt Suarez, *libro primo, capite* 2. Toletus, *libro 2. cap. 1. in expositione Arist.* Valentia *disp. 6. quæstione 2. punct.* 1. Ruuius 2. *de Anima, quæst.* 3. & alij, easque explicant: Latè verò illas examinat D. Bonauent. passim, *tertia parte Centiloquij, sect. 19. & sequent.* & *lib. 2. Compendij Theologicæ veritatis, capite* 29. 30. *& sequentibus.*

Circa priorem definitionem, multi multa habent. Nobis breuiter est explicanda: Dicitur ergò *Actus corporis primus*, formâ actuans corpus. Ita omnes Aristotelis Interpretes exponunt. Probatur: quia viuentia à non viuentibus, seu animata ab inanimatis distinguuntur essentialiter specificè; sic Equus à lapide; Leo à terra, sed non distinguuntur per materiam; neque vltimò per corpus organicum, vel non organicum, sed per animam: ergo anima est forma: quia omnis distinctio est à forma, seu actu, non à potentia: Ergo. Hanc rationem indicat Sanctus Bonauent. *in 2. distinct. 8. parte 1. articulo 2. quæst.* 1. Neque verò Aristoteles negat de anima intellectiua, esse formam corporis: nam ex eo probat, esse actum corporis, quia est principium motus, sensationis, & intellectionis. Dicitur: *actus* ἐντελέχεια Græcè *Entelechia*, vt notat D. Bonauentura, *loco citato.* Additur verò in definitione *Primus*, primitate originis respiciens essentiam: quia prius est esse, quam operari. Est ergo sensus: *Anima est actuans primò corpus, in esse viuentis*; hinc enim oriuntur actus secundi, idest, operationes. Quia verò actus primus potest esse triplex, vel vt forma, vel vt potentia, vel vt habitus; ideò dicitur per Antonomasiam *actus primus*: quia nullum supponit. Dicitur Corporis: pro corpore autem non sumitur sola nuda materia. Probatur ex ipso Aristotele dicente: *Omne itaque corpus naturale participans, vita eius substantia erit.* substantia eius sic est composita. 160

Hæc sanè expositio supponit formam corporeitatis, distinctam ab Anima, quam vidimus, *quæst. 3. disp. 2. tract.* 8. *de Corpore animato.* Dicitur Organici, quia non quodlibet corpus est subiectum aptum animæ, sed debet pluribus substantialibus organis esse elaboratum, ad varias operationes vitæ; vt sæpè repetit D. Bonauentura, *in 2. distin. 15. art. 1. quæst. 2.* & *distinct. 17. art. 2. quæst. 1. 2. & 3.*

Dicitvr *Potentiâ vitam habentis*, ad excludenda cadauera, quæ, licèt organica sint, sicut & corpora assumpta ab Angelis: non tamen sunt 161

proxi

proximè ad vitam dispositâ. Sic D.Bonau. 2. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. Sensus igitur est, esse actum corporis propè ad vitam dispositi; nam *viuere viuentibus est esse* ex Aristotele, 2. *de Anima, text.* 36. Cùm igitur *viuere* sit substantia viuentium; & substantialis vita habeatur ab anima; accipit vitam in potentia, non pro actibus vitalibus animæ iam informantis; (sic enim definiretur per accidentalia: nam sensationes actuales sunt accidentia:) sed pro vita substantiali, quam anima dat corpori, vltimò disposito per organa.

Neque verò corpus organicum potest esse sola materia organizata sine forma substantiali: neque enim sufficienter organizatur sine forma substantiali; vt dixi *tract. præced. disp.* 2. *quæst.* 3.

Qværes: An hæc definitio sit quidditatiua.

Respondetvr cum D. Bonau. *locis adductis*, affirmatiuè. Eum sequitur Scotus *in* 2. *d.* 16. *quæst. vnic.* vbi concedit, animam, secundùm suam essentiam, esse actum corporis. Idem sensit Diuus Thomas *prima primæ, quæstione* 75. *articulo* 1.

Probatvr primò ex Aristotele, 2. *de Anima, capite* 1. vbi proponit determinandum quid sit anima, & tradita definitione, eam refert, *cap.* 2. vti aliam posteriorem definitionem, à nobis adductam suprà, aitque: *Non enim solum ipsum, quod sit, oportet definitiuam rationem ostendere; sicut plures definitionem dicunt, sed & causam in esse, & apparere*

162 Hinc habes Aristotelem posteriori definitione animæ, suprà allata initiò, explicuisse præcedentem definitionem a posteriori, per effectus nobis notiores. Vndè definitur: *est id, quo mouemur, sentimus, & intelligimus.*

Probatvr ratione: quia definitio hæc constat genere, dùm dicitur *Actus*, est enim essentiale formæ physicæ esse actum materiæ; anima verò est forma physica; per reliquas verò particulas explicatur propria habitudo talis formæ ad suum corpus, cui tribuit esse specificum. Vnde etiam distinguitur specificè anima à cæteris formis, & tale compositum à cæteris.

Est igitur explicatio operationum vitalium per inductionem; sicut si quis definiret actum vitalem sensus externi, diceretque, est, *quo videmus, audimus, olfacimus, tangimus, & gustamus.*

Nota, asseri animam esse principium formale, essendi proximum, & operandi remotum; nam operatur per potentias; & hoc innuit S. Doctor *loco citato.*

Alias multas definitiones animæ ex aliis refert D. Bonau. *adductis locis*. Ipsum vide.

QVÆSTIO X.

Vtrùm hâc definitione satis Anima *distinguatur ab Angelo.*

D. Bonau. 2. dist. 1. quæst. pen. & vlt.
D. Thom. q. 75. artic. 7.

163 Hæc quæstio alio modo proponi solet: *An differat anima ab Angelo, per esse actum corporis.*

Ab initio quidem Democritus, & alij veteres Philosophi, apud Arist. 1. *de Anim. text.* 23. & 24. nullam inter sensum, & intellectum differentiam agnoscentes, non distinguebant inter Angelos, & Animam, aut inter Animas brutorum, & hominum. Similiter Origenes *lib.* 1. *Periarch. c.* 5. & 8. Angelos, & Animas eiusdem speciei arbitratus est. Cui videtur arridere D. Aug. *lib. de quantitate animæ*, c. 30. dicens, animam esse Angelo parem.

Alii verò distinctionem inter animas; & inter eas, & Angelos confitentes, negant, eas distingui per aliquam habitudinem ad corpus; sed animas priùs intelligi esse talis naturæ perfectæ, specificæ, & indiuiduæ; & posteà esse actus, seu formas ordinatas ad corpora. Ita Scotus *in* 2. *dist.* 16. & *dist.* 3. *q.* 4. quem sequitur Fauentinus *Theor.* 92. Mastrius *disput.* 8. *quæst.* 1. & cæteri Scotistæ, apud istos.

Alii verò dicunt, distingui ex diuerso gradu intelligendi: quia anima indiget discursu, vt refert Mastrius, *loco citato.* 164

Vera sententia est, Angelum, & animam differre in hoc, quòd anima est actus corporis; Angelus verò non. Ita D. Bonau. *q. vlt.* D. Thom. *loc. cit.* Caiet. *ibi*; Valent. *disp.* 6. *q.* 15. *punct.* 2. Suar. *tract. de Angelis, lib.* 1. *c.* 6. & *tract. de Anima, lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 17.

Svppono primò, animam esse, inter alias formas, nobilissimam.

Probatvr à D. Bonau. *in* 2. *dist.* 1. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. Quantò aliquid magis recedit a nihilo, & ad Deum accedit, tantò est nobilius. Talis est anima, quæ est actus corporis nobilissimi: ergo actus nobilissimus.

Svppono secundò, animas differre; inter se per proprios gradus vegetabilitatis, sensibilitatis, & rationalitatis.

Probatvr: quia per hos constituunt varios gradus viuentium in omnium sententia.

Assero, Animam, & Angelum differre essentialiter. 165

Probatvr primò à D. Bonau. Ea, quæ differunt specificè, differunt per aliquam perfectionem, dantem vltimò essentiam; Sed Angelus, & homo differunt specie: ergo differunt per ea, quæ dant vltimò esse specificum, sed quod esse specificum dat homini, est anima, quæ est illius forma: ergo Angelus, & homo per animam differunt essentialiter: ergo multò magis anima, & Angelus differunt, cùm sint causa distinctionis.

Minor principalis est de fide, Heb. 2. *Nusquam enim Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit.* Idem habetur pluribus aliis scripturæ locis, vbi fit distinctio inter Angelos, & homines. Hoc eodem argumento vtitur Valent. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 2.

Probatvr secundò à D. Bon. quæ sunt eiusdem speciei, vel simul producuntur, vel vnum facit ad productionem alterius, vbi producuntur per propagationem: sed Angeli non sunt cum animabus producti, nec faciunt ad earum productionem, vel e contra: Ergo.

Hæc maior videtur retundi hâc ratione: quia vna anima non facit ad productionem alterius, nec simul producitur, & tamen sunt eiusdem speciei.

Respondet D. Bonau. licèt non faciant directè ad mutuam productionem; tamen faciunt indirectè, & vsque ad vltimam dispositionem: quatenùs Pater generat filium.

Assero secundò, Animam differre ab Angelo: quia est actus, seu forma, ordinata ad totum compositum constituendum cum corpore. 166

Probatvr à D. Bonau. primò: Sicut se habet corpus humanum ad corpus non vnibile alteri formæ; ita spiritus humanus ad spiritum, qui non

non est vnibilis alteri; sed corpus humanum differt essentialiter à corpore non vnibili alteri formæ *verb. grat.* lapide: ergo, &c.

PROBATVR secundò. Anima est actus corporis, aut ergo hoc conuenit animæ essentialiter, aut accidentaliter; si accidentaliter: ergo ex anima, & corpore non fit vnum per essentiam; si essentialiter, sed hoc non conuenit Angelo: ergo per hoc essentialiter differt ab eo.

PROBATVR tertiò. Vnumquodque distinguitur essentialiter ab alio per id, quòd est suum esse completum; sed esse completum formæ est esse vnibile materiæ: ergo per hoc differt à cæteris, quæ non sunt per hoc complebilia.

PROBATVR quartò. Viuificare est actus animæ, quem habet in corpus; aut ergo est actus accidentalis, aut essentialis; si accidentalis: ergo vita accidit homini, quod falsum est; quia accideret ei esse animal. Si est actus substantialis, atque essentialis: ergo inest animæ, ratione suæ essentiæ, seu esse formalis: Si ergo differentia cuiusque es-
167 sentialis sumitur ex eo, quòd est completiuum formale; sequitur, differentiam animæ sumendam in ordine ad corpus viuificandum: At eo ipso est nata viuificare, quo nata est corpori vniri: Ergo penes vnibilitatem cum corpore sumenda omninò est essentialis differentia animæ cum Angelo.

PROBATVR vltimò *in corpore*. Illud est distinctiuum, quod est constitutiuum ex Scotistis; sed constitutiuum animæ est ordinatio ad corpus, vt actus perfectiuus: ergo est etiam distinctiuum. Minor probatur. Illud est constitutiuum, quod ponitur in definitione: at in definitione animæ ponitur, *Est actus corporis*: ergo. Maior hæc probatur. Id ritè ponitur in definitione, per quod vnicè innotescit proximè, & intrinsecè res: sed constitutiuum est, per quod res cognoscitur intrinsecè: ergo constitutiuum est, quod ponitur in definitione. Minor probatur ex Aristotele adducto *quæstione 9.* qui profitetur, illam definitionem esse quidditatiuam; & idem fatetur Scotus, ibi adductus.

168 RESPONDET Fauent. *Tractatu citato, ad 1. Caietani*, esse actum, conuenire animæ essentialiter, in secundo modo dicendi, per se. Idemque esse ac dicere, conuenire, vt passionem, & ideò accidentaliter.

CONTRA: nam accidentia non sunt de definitione substantiæ; at esse actum, est de definitione animæ; definitur enim, *Actus corporis*, *&c.* Falluntur autem Scotus, & Faber, credentes, ideò animam esse actum corporis, quia differt ab Angelo. Differt enim ab Angelo, quia habet hanc essentiam, vt sit actus corporis. Falluntur præterea, ponentes, accidentia prædicari de substantia essentialiter: nam ex quatuor modis essentialibus prædicandi, minimus est modus hic substantialis, vt notat S. Bonau. *in 1. distinctione 3. parte 2. art. 1. quæst. vlt. ad primum, & secundum.*

169 ASSERO tertiò, intellectum animæ, & Angeli differre.

PROBATVR à Diuo Bonauentura, *quæstione penult. ad 2.* primò. Intellectus, simplici modo tendens in suum obiectum, differt ab eo, qui tantùm componendo tendit; sed intellectus Angeli simplici modo tendit: animæ verò componendo; ergo, &c.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *ad 3.* Quarum potentiarum diuersi sunt fontes essentiæ, à quibus fluunt esse, eæ differunt specie; sed animæ, & Angeli intellectus habent essentias distinctas, à quibus manant: ergo. Hoc argumento vtitur Valent. *tomo primo, disp. 4. quæstione 3. puncto primo.*

Ex his habes, has potentias Angeli, & animæ non differre ex obiecto: nam habent idem obiectum; neque verò ex obiecto sumenda est earum differentia; alioquin intellectus animæ esset eiusdem rationis cùm intellectu etiam Dei: nam & hic habet pro obiecto ens; & idem esset vtriusque liberum arbitrium, quod habet pro obiecto bonum, vt notat D. Bonau. *in 2. dist. 25. dub. 3. litt.* sed differunt penes diuersum modum tendendi: Sic & intellectus, & sensus in eundem colorem, odorem, saporem, & sonum, tendit; cum hoc discrimine diuersitatis tendentiæ in eadem obiecta; longè enim præstantiùs in ea fertur intellectus.

NOTA hîc, Diuum Bonauenturam ponere differentiam inter intellectum Angelicum, & Humanum; quia *Angelicus est simplex, & deiformis*, 170
quibus verbis indicat, se non intelligere, per deiformitatem, conformitatem cum Deo in contemplando Diuina, etiam per habitum sapientiæ: nam & intellectus Christi erat deiformis, & tamen non erat idem cum Angelico; sed per *deiformem* intelligit similem Deo in simplicitate, absque tot inquisitionibus, & compositionibus: licèt enim Angelus etiam discurrat: tamen potest etiam sine compositione intelligere, quod non valet humanus, excepto intellectu Christi ex gratia sapientiæ.

ALIQVA verò obiiciunt Scotus, Faber, & Mastrius, ex oppositis Diui Bonauenturæ argumentis oppidò decerpta, quibus Seraphicus Doctor satisfecerat.

OBIICIES primò. Forma est finis materiæ, ex 2. *Physicorum*, nam distinctio materiæ est propter distinctionem formæ, non è contra: ergo prima ratio huius differentiæ in anima non erit per materiam, vel per non materiam; idest, per esse actum corporis.

CONFIRMATVR: quia enim hæc, naturâ, est talis, illa non: ideò hæc non est illa: ergo ista ratio perficiendi, vel non perficiendi, non erit prima ratio distinctiua.

RESPONDET S. Doctor, imò ex eo, quòd forma est finis intrinsecus materiæ, sequi, per hoc eam constitui in esse talis formæ, vt ordinatur ad esse actus, & finis; neque per hoc, distinctionem sumit à materia; sed ipsa per suum intrinsecum esse distinguitur, vt est finis materiæ præfixus.

RESPONDET secundò, S. Bonau. esse formæ ordinari ad materiam, vt ad sustentaculum; licèt etiam materia ordinetur ad formam, vt ad actum; ideò vtriusq; esse est ad inuicem ordinabile. Talis autem naturæ efficiuntur, quia sunt partes inuicem ordinatæ, quia tamen actus in perfectione rei intenditur: ideò forma dicitur finis materiæ.

OBIICIES secundò. Sicut per vos potentiæ 170
animæ, & Angeli non distinguuntur per obiecta, neque per actus: ita neque substantia vtriusque, sed differt seipsis, sicut Sol non distinguitur, nec constituitur in esse per hoc, quòd est principium mineralium.

RESPONDET D. Bonau. non distingui animam ab Angelo per actus, vel obiecta, neque per actus primos; sed per actum intrinsecum substantialem, qui est principium compositi substantialis: quatenùs est pars, intrinsecè ordinata ad totum completum. Vnde exemplum Solis, non est ad rem; non enim anima per actus accidentales distinguitur ab Angelo, sed per intrinsecam suam entitatem, quæ est esse actum, ordinatum ad subiectum complendum; vt cum eo vnum substan

stantiale per se conficiat. Neque in actuando corpore, actu ponitur hæc differentia: alioquin anima separata non differret ab Angelo, sed per ordinationem intrinsecam, ad informandum. Sicut autem anima differt genere ab Angelo, qui non est actus corporis, nec potest esse; ita animæ inter se differunt, per esse essentiales actus talis corporis in potentia; vt colligitur ex D. Bonau. *loco citato*.

INSTAT Fauentinus, *cap. 1.* Aptitudo dicit relationem, sed relatio non potest constituere absolutum, qualis est anima.

RESPONDET S. Bonau. *ad 1.* differentiam animæ, quæ est esse vnibilem corpori, non esse meram relationem, sed naturalem aptitudinem, quæ inest animæ, secundùm principia intrinseca, quæ priora sunt anima, per naturam; sicut rationale respectu hominis. Igitur neque aptitudo omnis est accidens, consequens naturam, vt vult Faber. *cap. 3.* sed datur aptitudo intrinseca essentialis, qualis est

172 esse rationalis apti ad discursum, vt notat D. Bonauentura, *loco citato*. Neque id negare, est negare principia, vt clamat Faber. Hoc responso nititur Caietanus.

INSTAT Faber, rationalitatem non esse aptitudinem, sed principium constitutiuum.

MIROR instantiam. Quid enim est rationalitas, quàm natura quædam rationis capax, per hanc capacitatem differens ab irrationalibus? Quæro enim, vel rationalitas differt ab opposita differentia, vt est natura, vel vt est talis natura, non vt natura: nam etiam irrationalitas est natura: ergo, vt talis, natura rationalis, idest, rationis particeps, est capax rationis, aptaque ratiocinari.

INSTAT Mastrius: nam non vnibilitas conuenit Angelo, & igni. Ergo non sumitur è propriis ratio differentiæ.

RESPONDEO, differentiam sumi ex parte formæ, quæ intrinsecè naturaliter est ad informandum; hâc verò differentiâ propriè distingui ab Angelo, cui in cæteris est similis, quod igni non est commune, à quo alias differentias essentiales habet, vt est talis forma viuens, vegetatiua, sensitiua, & rationalis.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm definitio Animæ sit vniuoca omnibus Animabus.

173 IN definitione ponitur anima actus corporis organici. Vt igitur definitio sit vniuoca omnibus animabus, debet eis conuenire ratio actus, seu formæ. Est igitur quæstio: An omnes animæ actuent, & informent corpus organicum.

FVIT opinio Auerrois, *3. de anima, com. 5.* quam Bessarion, *lib. contra calumniatorem Platonis, cap. 22.* dicit, solius fuisse Auerrois; nempè, animam rationalem esse solùm assistentem, non autem informantem. Attamen Achillinus *in 3. quæst. dubio 8.* eximere nititur Auerroëm ab hac sententia. Fateor Auerroëm cum formidine id dicere, ac videri potiùs, ab aliis sententiam exquirere, vt rectè notat Toletus, *2. de Anima, capite primo, quæstione 2.*

PRIMÒ igitur concedit Auerroës homini vnam animam, per quam distinguitur à cæteris animalibus; & hanc vocat cogitatiuam, totamque sensitiuam, organicam, materialem, corruptibilem clamat, & singulis hominibus propriam.

SECVNDÒ ponit in homine animam Intellectiuam, non informantem, sed assistentem, per quam homo non differt à brutis. Hanc verò sempiternam, vnam in omnibus hominibus ponit, quæ singulos præcedat, & post singulos maneat.

TERTIÒ dicit, hunc intellectum dici plures, 174
quatenùs plura ad eum phantasmata ordinantur; sicut columna, respectu diuersorum, dicitur dextra, & sinistra.

ET quidem hanc sententiam tenuit Themistius, *2. de Anima, cap. 23.* vsque *ad 32.* quòd anima intellectiua sit assistens; attamen differt ab Auerroë, dicens, hominem essentialiter esse ipsum intellectum. Idem quoad assistentiam solam animæ, asserunt Philoponus, *2. de Anima, text. 1.* & Simplicius, *text. 6.* Hi dicunt, animam intellectiuam esse in corpore, sicut Nauta est in Naui; ita tamen, vt singulæ in singulis hominibus sint. Quæ sententia attribuitur Platoni, *lib. 5. de natura hominis.*

IDEÒ in Alcibiade dicebat, hominem esse solam animam, corpus verò non esse partem, sed instrumentum: Adducuntur etiam Gandauensis, Vicomercatus, & Piccolominæus à Fabro, *Theor. 67.* atque Nyssenus, sed nil tale in eo inuenitur, vt notat Suarez, *lib. 1. cap. 12.* & Mastrius allegandus.

HANC sententiam secuti sunt aliqui, tempore 175
Clementis V. alij, tempore Leonis X. è quibus Lutherus, *art. 7.* vt refert Valent. *d. 6. q. 2. punct. 1.* Ad hanc opinionem Mastrius, *d. 1. q. 4.* reducit Suessanum, *12. Metaph. com. 17.* Caiet. *p. p. q. 76. art. 1. ad 1.* Ferrar. *contr. Gent. cap. 58.* Vulpem, *2. p. text. 2. d. 46. art. vlt.* dicentes, animam rationalem esse formam corporis, informantem secundùm gradum vegetatiuum, & sensitiuum tantùm; non verò secundùm rationalem reduplicatiuè, sed solùm specificatiuè, & identicè.

SENTENTIA verò Catholica est, animam rationalem esse formam corporis. Ita D. Bon. *in 2. dist. 17. art. 1. q. 2. & 3. & dist. 25. p. 2. q. vlt. & dist. 8. p. 1. q. vlt. & in 3. dist. 16. art. 2. q. 1. fund. 1.* quem sequuntur alij Theologi, *dist. 17.* D. Thom. *p. p. q. 76. art. 1.* Alens. *2. p. q. 60.* & infrà Suarez, *lib. 1. de anima, c. 8.* Tolet. Valent. & Fauent. *loc. cit.* Ruuius, *2. de anima, q. 3.* & alij omnes catholici, animam rationalem esse formam corporis, acclamantes. Addo etiam, vt rationalem, contra aliquos Modernos, dicentes, animam, vt rationalem, per accidens, esse formam, quatenùs identificatur realiter cum vegetatiua, & sensitiua. Ita etiam D. Bon. *in 2. d. 18. art. 2. q. 1. in corp.* & communiter omnes Theologi, & Philosophi.

ASSERO primò, animam rationalem esse actum, 176
& formam corporis.

PROBATVR primò à D. Bon. *in opusc. Amatorio*, initio, ex illo Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Tunc arguit D. Bonau. Id, quod est imago Dei, est de essentia hominis, nam homo est ad imaginem Dei; sed imago Dei residet in anima, vt rationalis est: Ergo. Minor probatur: quia rationalis anima est vna in essentia, & in potentiis trina: sic imitatur S. Trinitatem.

IDEM habetur Genes. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*; vbi ex infusione animæ deducit, datam esse homini vitam; at vita est in forma, vt notat D. Bonau. *in 2. dist. 17. quæst. 3. articuli primi. fund. 1.* & *in corporis fine.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *in 2. distinct.* 1.*parte* 2.*art.* 3.*quæst.* 2.& *dist.* 18.*art.* 2.*quæst.* 1. *in corpore.* Illud, quod specificam dat differentiam, debet esse forma: nam ab ea est omnis distinctio; & debet esse forma intrinseca essentialis, ex Arist. 8.*Metaph. text.* 4. sed anima dat esse, specificè distinctum a cæteris, vt rationalis est: ergo. Minor probatur: nam differt per esse rationale essentialiter. Hoc argumento vtitur Valentia, *col.* 1014. Fuliens. 3. *Physic. cap.* 7. *art.* 2. Eustachius 3. *part. Physic. tract.* 4. *disp.* 1. *quæst.* 3. Faber *cap.* 2. Scoto illud appropians.

RESPONDET Vulpes, animam dare esse specificum identice.

177 CONTRA: nam homo, vt homo, est vnum specie, quatenus constat anima, & corpore; & distinguitur à cæteris animalibus, sanè rationalitate, vt Sapientes aiunt.

PROBATVR tertiò ex D. Bonau. *in primo, dist.* 3.*part.* 2.*art.* 1.*quæst.* 3. Idem est principium essendi, & remotum operandi, ex Aristot. 2. *de Anima, text.* 24. & 2. *Physic. text.* 17. sed principium essendi est forma, & principium etiam operandi remotum per potentiam; principium verò proximum operandi est ipsa potentia: sed in homine principium essendi est ipsamet anima, & principium operandi per potentias intellectûs, & voluntatis, quæ sunt operationes propriorum actuum hominis: Ergo, si intellectio, & volitio sunt operationes propriæ intrinsecæ hominis: ergo potentiæ erunt homini intrinsecæ, sicut & forma.

IDEM argumentum colligitur ex D. Bonau. locis adductis, & aliundè passim: clarè verò, *libro* 2. *Compendij Theologicæ veritatis, cap.* 29. *& sequentib.* vbi animam probat esse propriam formam hominis, secundùm gradum rationalitatis, ex eo, quòd differt ab aliis animalibus, per proprias operationes intellectûs, & voluntatis; præcipuè *cap.* 43. quod confirmat dicto D. Gregor. *homil.* 29. *in Euange-*

178 *lia*: vbi per *intelligere* distinguit hominem à brutis. Hàc ratione nititur Scotus, & post eum Faber, *cap.* 2. vbi latè prosequitur operationes proprias hominis, quæ non possunt esse in parte sensitiua, seu in brutali, vt, cognoscere vniuersale, distinguere sensibilia ab insensibilibus; cognoscere relationes rationis: assentiri principiis complexis; discurrere ab aliquo noto ad ignotum, & illi assentiri. Experimur, nos cognoscere rem, puta qualitatem, sub ratione communiori: quæ sit ratio primi, & adæquati obiecti sensus. Hæc autem non percipi à sensibus, probatur: & quidem vniuersale, vel ratio communior rerum, non percipitur à sensibus, qui sunt tantùm singularium, vt notat D. Bonau. *cap.* 45. *libri citati*; neque offert ratio obiecti sensibilis aliud præter speciem huius, vel illius albedinis: at nos percipimus etiam, illam albedinem esse colorem, esse qualitatem, esse accidens; omnes albedines esse eiusdem generis, &c. quòd, si hæc cogitatiuæ adscribantur, frustrà assignabitur intellectus: similiter, cùm virtus sensitiua nequeat cognoscere insensibilia, neque valebit ea discernere à sensibilibus.

179 HINC neque relationes rationis, quæ sunt insensibiles, discernit sensus. Idem liquet de cæteris, quæ latè ibi prosequitur S. Bon. & post eum Fauent. Scoto ea adscribens. Quòd verò hinc sequatur, animam intellectiuam esse formam hominis, probatur sic. Talis actus intellectionis non est substantia nostra; quia modò adest, modò abest: ergo est accidens: ergo oportet ei dare aliquod receptorium proprium: At hoc non potest esse aliquid externum, seu organicum: alioqui *intelligere* esset actus extensus: ergo eius subiectum erit inextensum, & debet inesse nobis: quia in nobis experimur huiusmodi actus intelligendi; at reliqua, quæ sunt in nobis extensa sunt, & sunt sensus: ergo tale subiectum est anima intellectiua: atque adeò hæc est forma hominis propria; alioquin non experiremur in nobis hæc intrinsecè; atque adeò homo non intelligeret: sicuti non intelligit Nauis, intelligente Nauta. Hoc argumento vtitur etiam Suarez, *à numero decimo*.

RESPONDET Auerroës, hominem, dici intelligere; licèt intellectus non informet eum: quia intellectus coniungitur homini per phantasmata; & sic, cùm intellectûs intelligit, homo dicitur intelligere.

VERVM hæc coniunctio est tantùm obiecti intelligibilis cum potentia. Ideò, licèt illa phantasmata sint in intellectu, non ob id homo, vel illa phantasmata intelligunt; sicuti color in pariete existens, & mouens oculum meum, non facit, vt paries videat; & idem infertur etiam contra responsionem Piccolominei, quæ, verbis solis, ab hac Auerroicâ differt. Addit verò, vnionem hanc esse intimiorem, quàm materiæ cum forma: ex quo infertur, non esse intellectum formam merè assistentem. Tandem si hic intellectus dicitur vnus, quatenùs ei vniuntur species: ergo puer, qui est tanquam tabula rasa, est brutum formaliter. 180

RESPONDET Arriaga, *disputatione prima, sectione secunda*, posse animam tales actus producere sua assistentiâ.

CONTRA, ait Mastrius: quia de fide est, hominem in actibus Intellectûs, & Voluntatis non se habere merè passiuè, ex Concilio Tridentino, *sess.* 6. Secundò: actus isti sunt immanentes: ergo sunt in principio suo.

PROBATVR quartò à Diuo Bonauentura, ibi, *in Compendio*, præcipuè *à capite* 50. & *in* 2. *distinctione* 24. *parte* 2. *articulo* 3. Certum est, hominem esse dominum suorum actuum, & liberum ad se determinandum: Sed hæc libertas non venit ab aliquo sensu: nam omnes sensus, etiam interni, ad aliquod obiectum determinatum necessariò sunt: vnde nequeunt mereri, peccare, &c. ergo hoc venit à virtute rationali; alioqui nunquam Deus iustè puniet peccatores, vel iustos remunerabit. Hanc rationem vrget *secundo loco*, Scotus, & post eum Faber. §. *secundò principaliter arguit Scotus*, Valentia, *col. cit.* Suarez, *à num.* 4. 181

PROBATVR quintò à Diuo Bonauentura, *eodem libro* 2. *Compend. capite vigesimo nono*, Anima ex Aristotele, 2. *de Anima, text.* 5. est actus corporis organici: protestatur autem *textu* 70. se definire omnem animam, etiam rationalem, omnes autem vocantur actus; seu ἐντελέχεια, quod significat actum perficientem, consummantem, complectentem: Quod est proprium formæ informantis, non verò assistentis solius; non enim nauta dicitur Entelechia nauis. Hoc præclaro testimonio nituntur etiam Toletus *loco citato*, §. *sed accedamus*, ante medium quæstionis: vbi etiam notat, post S. Bonauenturam, hunc actum, qui est *Entelechia*, esse actum primum substantialem; non secundum. Quòd si anima esset tantùm motrix, non esset actus primus, sed secundus tantùm. Hic textus præclarè ostendit, Arist. nobiscum sentire, vt ritè aduertit loco adducto Tolet. & Valent. *colum.* 1014. Suarez, *num.* 5. *&* 6. & alij. Confirmatur ex aliis locis Arist. adductis à D. Bon. *q.* 8. Præcipuus est 12. *Met. text.* 17. vbi

vbi concedit, animam rationalem esse formam, quæ potest remanere.

182 PROBATVR sextò. Omnis passio manat à propria forma, risibilitas est passio hominis: ergo manat à forma hominis; sed manat è rationalitate: ergo. Hæc ratio deducitur ex D. Bonau. *in 2. dist. 8. p. 1. quæst. vlt.* vbi notat, animam ita esse formam, vt etiam sit motrix; & ideò independens est à corpore in multis operationibus. Hac doctrinâ ruunt multa argumenta aduersariorum, qui ex independentia aliquarum operationum arguunt, non esse formam corpori vnitam. Alia argumenta ex D. Bonauent. habes, *quæstione* 8. quæ adhibet Suarez, cum aliis.

PROBATVR septimò à D. Bonau. *in 3. dist. 2. art. 2. quæst. 2.* vbi demonstrat, Christum hominem ex verâ animâ rationali compositum: nam Matth. 26. ait: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: Si autem non haberet animam rationalem, nec tristaretur, nec cognosceret reflexè suam tristitiam. Deinde in Symbolo Athanasij, *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Tertiò, Christus mortuus; sed hoc non fuit per separationem Deitatis à carne, sed per separationem animæ; vt dicitur Matth. 27. *emisit spiritum*: ergo fuit compositus ex anima, vt forma. Tandem, quia Christus fuit perfectus homo, ex anima rationali, & carne: ergo anima ad perfectionem intrinsecam hominis spectat. Hæc, & alia habes in Sancto Bonauentura, quibus id potiùs supponere videtur, quàm probare; vt etiam faciunt Sancti Patres, quod obseruat Suarez, *loco citato, capite* 12. *numero* 7.

183 EX his deducit Seraphicus, *loc. cit.* oppositum esse hæreticum. Quod damnatum est in Concil. Viennensi, sub Clemente V. & refertur in Clementina, *Ad nostram, de summa Trinitate, & Fide Catholica*, §. *Porrò.* Et in Concil. Lateran. sub Leone X. *sessione* 8. Idem asseritur in sexta Synodo, actione vndecimâ; & in Symbolo Athanasij: vt refert Valentia, *columna* 1014. post D. Bonau. *loco citato.*

OBIICIVNT primò, Arist. 3. *de Anima, text.* 4. & sequentibus, dicit, intellectum non esse actum corporis. Idem habet 2. *de Anima, text.* 9.

RESPONDET D. Bonau. *in primo, dist. 8. part. 2. quæst. 3. ad* 3. id solùm velle Arist. quòd anima non communicat corpori operationes suas intellectiuas; licèt enim essentia animæ informet corpus; tamen, quia est ab eo independens, aliquas habet proprias operationes, à corpore abstractas. Idem respondet *in 2. dist. 25. part. 2. quæst. vlt. ad* 3. & *in 3. dist. 16. art. 2. quæst. 1. ad* 1. Non igitur negat, animam intellectiuam esse actum corporis; imò per hoc eam definit; sed infert, intellectum non esse in propriis operationibus dependentem; & ideò inhærentem alicui parti corporis; sicuti sunt potentiæ sensitiuæ, *verb. grat.* visus oculo, &c. Vult ergo, intellectum non esse actum corporis, idest, alicuius partis corporis: Est tamen in toto corpore; vbi est etiam anima, cui est idem realiter; non esse autem actum alicuius partis corporis, probat Arist. quia alioqui non posset ab illa parte separari; vt constat de potentiis sensitiuis. Ita etiam Rhuius, 1. *de Anima, quæst.* 3. *num.* 49. Tolet. circa finem quæstionis, ad secundam authoritatem.

184 OBIICIVNT secundò. Si anima rationalis esset forma commixta materiæ, non posset intelligere vniuersalia, quæ sunt abstracta. Hoc argumentum est Achilles aduersariorum; vt notat Toletus.

RESPONDET Diuus Bonauentura, *in 2. distinctione 17. art. 1. quæst. 2.* & *dist. 18. art. 2. quæst. 1. ad* 4. & post eum Tolet. *ad 3. in calce quæstionis*, & Fauent. *cap. 3. ad* 4. negando sequelam: nam spiritus est singularis in essendo, & vniuersalis in repræsentando; ideò potest in subiecto singulari recipi; neque ob hoc impeditur, quin recipiatur in forma, actuante materiam corpoream: seu etiam in forma, constante materiâ, & formâ: vt dixi, *quæst.* 7. cùm tota sit spiritualis, & indiuisibilis, ac proportionata formæ recipiendæ intellectiuæ, quæ immaterialis esse debet, & abstracta, eò quòd res non potest se ipsa recipi in intellectu; & ideò recipitur in specie, quæ est similitudo rei, à qua intellectus fit in actu intelligendi, ad quam receptionem non eget esse vniuersalis; quinimò debet esse singularis, secundùm esse; sicuti etiam species est singularis (est enim accidens quoddam) impediretur sanè, si intellectus esset potentia organica; tunc enim non caperet speciem spiritualem. Hæc valdè notanda sunt: quia non solùm redarguunt aduersarios, sed etiam eos non intellexisse ostendunt; vt notat Toletus.

DICES, sequeretur hinc, potentiam esse puriorem, quod idem est, ac abstractiorem, ipsâ essentiâ.

RESPONDETVR ex D. Bonau. *in 2. dist. 17. art. 1. quæst. 2.* clariùs *in 1. dist. 3. part. 2. quæst. 2.* potentiam esse ipsam realiter substantiam animæ: At verò substantiam esse abstractiorem, quia potest separari à corpore, & per se subsistere; at potentia verò non posset per se subsistere; vt colligitur ex D. Bon. *dist. 29. secundi, quæst.* 1. vbi ponit operationem abstractam esse ab Anima ipsa, esto per potentiam; & ex abstractione operationis arguit abstractionem operantis, idest, animæ ipsius: imò, cùm sit illa, quæ dat potentiæ virtutem operationis abstractæ, ipsa erit magis abstracta. 185

OBIICIES tertiò. Forma debet esse proportionata materiæ, siue subiecto, sed anima rationalis est spiritus indiuisibilis; subiectum verò est corpus diuisibile: ergo.

RESPONDETVR ex D. Bonau. *in 1. dist. 8. part. 2. art. 1. quæst. 3. ad arg.* & *in 2. dist. 18. art. 2. quæst. 1. fund.* 2. animam proportionari corpori: quia, licèt non sit formaliter extensa; est tamen virtute, potens esse in toto tota, & in qualibet parte; & hoc sufficit ad informandum. Sufficit igitur commensurationis proportio; seu actus, & potentiæ, vt perficientis, & perfectibilis, neque est necessaria proportio quantitatiua, entitatiua. Neque esse spiritum facit repugnantiam; sed esse spiritum ens completum: vt notat D. Bonau. adductus, *quæst.* 10. & post eum Suarez, *num.* 11. & 19.

OBIICIES quartò. Si anima rationalis esset forma, esset corruptibilis. Probatur sequela. Omnis forma determinata, in materia exigens dispositiones, iis dissolutis corrumpitur. 186

RESPONDET D. Bonau. *in primo, dist. 8. part. 2. art. 1. quæst. 3. ad argumenta*, negando sequelam, ad probationem, ait, verum esse de forma, quæ actuat, extenditur, & dependet in esse à materia: talis non est anima rationalis: ideò sufficit, dissolutis dispositionibus in corpore, separari ab eo.

OBIICIES quintò D. Bonauentura, *in 2. distinctione 17. articulo secundo, quæstione 2. fundam. vltimo* probat, corpus humanum non componi ex aliqua parte Cœli: sic. Vel substantia Cœli venit ad compositionem hanc, ob mixtionem puram, vel ob animationem, vel ob sensationem, vel ob intellectum, & hoc vltimum reprobat, dicens: quia intellectus non est actus alicuius partis corporis. Hic verò 187

verò per intellectum non intelligit potentiam, sed gradum rationalem: alioqui diuisio esset manca: nam suprà enumerauit gradus vegetatiouis, & sensationis: ergo secundùm D. Bonauenturam, gradus animæ rationalis non est forma, sed merè assistens.

Respondetvr, clarum esse sensum ex illatione, quæ est: si requiratur corpus cœleste, vt informetur intellectiuâ animâ. Contrà, intellectus nullius partis corporis est actus: ergo, quantum est de se, non magis exigit, corpus suum componi de natura cœlesti, quàm de elementari. Nempè: licèt anima rationalis actuet corpus, etiam vt rationalis: attamen non eget ad intellectiuam operationem aliquâ parte corporis, sic organizatâ, vt in ea intelligat; ita vt necessarium sit corpus cœleste, ad eam organizandam; & non sufficiat corpus elementare; quod quidem aptum est ad vegetatiuam, & sensitiuam humanam, quæ est dispositio ad intellectionem, per receptionem phantasmatum. Vult ergo Sanctus Bonauentura, animam, ob actus intellectionis, non egere corpore cœlesti, sed sufficere elementare, in quo vegetatiuas, & sensitiuas etiam exercet operationes: Ideò non dixit, animam non
189 informare, sed intellectum, nulli parti organicæ corporis affixum actum suum elicere. Hunc autem esse Seraphici sensum probo adhuc: Nam quæstio ab eo sic proponitur: *An corpus hominis sit purè elementare: an partim è substantia Cœli.* Argumentum verò vrget, ad actum intellectus id non requiri; quia intellectus solus non est actus alicuius partis corporis, idest non alligatur alicui parti, sicut singulæ facultates organicæ aliquibus corporis partibus alligantur.

Deinde *in corpore* fundamenta, ex more, reformat, & dicit, solùm ea probare ex parte substantiæ cœlestis, quæ est incorruptibilis, atque adeò ad mixtionem inepta. Nam elementa, quæ miscentur in vnum, alterata prius corrumpuntur, & reproducuntur alia numero distincta, sed eiusdem speciei dum miscentur in vnum, vt dixi *Tractatu* 8. *disp.* 1. *quæst.* 2. Oportet autem, vt pluries admonui, obseruare, sæpè à Sancto Doctore fundamenta in resolutione modificari.

Reliqva soluta manent ex dictis *quæstione* 5. vbi ostendi, animam esse totam in toto corpore, & totam in singulis partibus.

Obiicies sextò. Sequeretur, etiam corpus intelligere; nam operatio formæ attribuitur toti.

Respondetvr, negando sequelam; actio enim formæ tribuitur solùm habenti formam, & illam potentiam, ex qua immediatè oritur actio. Tale autem non est corpus; non enim in eo est potentia; sed intelligens erit homo, in quo est anima rationalis, & potentia intellectiua. Hæc responsio elicitur ex doctrina D. Bonauenturæ, *in* 2. *distinctione* 25. *quæstione vltima*, *in corpore*, & eam adhibet Valentia *loco citato.*

QVÆSTIO XII.

An vna sit numero Anima *omnium.*

D. Bonau. in 2. distinct. 18. art. 2. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 76. art. 2.

Aliqvi ex antiquis insanierunt, vnam esse omnium hominum, & brutorum numero animam: hanc verò esse Deum. Ita Pythagoras apud Diuum Augustinum, 12. *de ciuitat. cap.* 2. *tom.* 5. & *libro* 12. *de Genes. ad litt. cap.* 6. *tomo* 3. vt refert D. Bonauent. hic; & anteà Tertull. *initio lib. de resurrect. carnis*, vbi etiam Platonicos in hac esse insipientia ostendit. Hi sanè, qui transmigrationem formarum, idest, animarum de vno ad aliud certò asserere, negarunt, tot esse animas, quot homines. In qua insania debacchati sunt & Iudæi Thalmudici; vt apparet in Thalmud. *ordine* 4. *tract.* 2. Albig. teste D. Antonino, 3. *parte Histor. tit.* 19. *cap.* 1. Porrò transmigrationem vocat Metemphicosim. 189

Secvndò Auerroës, 3. *de Anima, com.* 5. vnicam omnium hominum numero animam posuit.

Id, secundùm Philosophiam, & rationem naturalem, asserendum, concedunt Mirandula, *lib.* 32. *de euersione singularis certaminis, sect.* 1. & Achillin. *lib. de intelligentiis, quodl.* 3. *disp.* 2. *&* 4. Hanc tamen non ponunt cum Aueroë assistentem, sed informantem.

Assero primò, animam omnium non esse Deum.

Probatvr à Diuo Bonauentura: quia Animæ sunt variabiles, bonitatis nouæ, & malitiæ capaces. Est euidens.

Assero secundò. Neque secundùm intellectum agentem, Anima est Devs; neque secundùm possibilem, est *Hyle*; vt aliqui dixere ex Pythagoreis. 190

Assero tertiò, Hæreticum & insanum est, dicere, vnam esse omnium hominum animam, vel negare, tot esse animas, quot homines.

Probatvr primò *in corpore* à Diuo Bonauentura Scripturis innumeris, quibus præcipiuntur Dei mandata: & obseruatores præmio coronandi; perduelles autem pœnis mulctandi astruuntur: vbi sæpè etiam animæ singulorum in plurali recensentur. Has autem Scripturas, quoniam apud D. Bonauent habentur, hîc ordine subiicio.

Exodi 12. *Assumet vicinum suum, iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Qui comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël.*

Exodi 16. *Colligat vnusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum: gomor, per singula capita, iuxta numerum animarum.*

Exodi 21. *Si autem mors fuerit subsequuta, reddet animam pro anima.*

Exodi 23. *Peregrino molestus non eris; scitis enim aduenarum animas: quia & ipsi Peregrini fuistis.*

Exodi 30. *Quando tuleris summam filiorum Israël, iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino.* 191

Leviti. 4. *Anima, quæ peccauerit per ignorantiam, offeret, &c.* Idem habetur sæpè toto ferè Leuitico,

Leuitico, Numeris, & Deuter. Clariùs verò Leuitici cap. 11. *Nolite contaminare animas vestras. Ne polluatis animas*, &c.

CAP. 12. *Affligentes animas vestras, &c.*

CAP. 17. *Omnis anima ex vobis, &c. Anima enim omnis carnis, &c.*

NVMER. 31. *Separabis partem Domino, vnam animam de quingentis, tam ex hominibus, quàm ex bobus, & asinis, & ouibus, & dabis eam Eleazaro Sacerdoti.*

IOSVE 2. *Detisque mihi verum signum: vt soluetis patrem meum, & matrem, fratres, ac sorores meas, & eruatis animas nostras à morte.*

CAP. 9. *Prouidimus animabus nostris.*

IVDIC. 1. *Obtulistis animas vestras. Obtulerunt animas suas.*

IN *libris Regum* præcipuè, habetur animarum distinctio: *Anima mea; anima tua*: sic *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid.*

192 DE Dauid etiam. *Dilexit eum Ionathas, quasi Animam suam.* cap. 18. & cap. 22. *Ego sum reus omnium animarum, &c.*

IVDITH 4. *Humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus*: Et cap. 8. *Humiliemus animas nostras.* Cap. 11. *Viuit Nabuchodonosor, &c. ad correptionem omnium animarum errantium.*

PSAL. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas.*

PSAL. 32. *Vt eruat à morte animas eorum.*

PSAL. 73. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi; & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris.*

PROVERB. 1. *Ipsi moliuntur fraudes contra animas suas. Sic semitæ omnes auari animas possidentium rapiunt.*

CAP. 14. *Liberat animas testis fidelis.*

CANTIC. 1. *Indica mihi, quem diligit Anima mea.*

SAPIENT. 3. *Iustorum Animæ in manu Dei sunt.*

CAP. 11. *Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.*

193 CAP. 14. *Dei immemoratio, animarum inquinatio.*

ECCLES. 30. *Pro Animabus filiorum colligabit vulnera.*

ISAIÆ 58. *Humiliauimus Animas nostras.*

HIEREM. 6. *State super vias, & interrogate, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris.*

THREN. 2. *Matribus dixerunt, &c. cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.*

BARVCH. 6. *Exquiram Animas vestras.*

EZECH. 13. *Væ quæ consuunt puluillos ad capiendas animas; &, cùm caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum, & violabant me, vt interficerent animas.*

CAP. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Vir non portabit iniquitatem patris.*

DANIEL. 3. *Spiritus, & animæ iustorum.*

OSEÆ 4. *Sublevabunt animas eorum.*

PRIMO Machab. 1. *Coinquinari animas eorum.*

194 Matth. 11. *Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris.*

LVCÆ 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

ACTORVM 15. *Euertentes animas vestras.*

APOCAL. 6. *Vidi sub altare Animas interfectorum.*

ROM. 2. *Tribulatio, & angustia in omnem animam operantis malum: gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum.*

Ex his, & aliis Scripturis deducit S. Bonauent. singulis hominibus propriam inesse animam, quâ & operantur; & operum mercedem iustam à Deo recipient; alioquin vnum erit brauium iustorum, & iniquorum.

IDEÒ definita est hæc veritas in Concilio Lateran. sub Leone X. *sess.* 8. Sententia verò illa de transmigratione animarum perpetuò damnata est à Patribus; vt testantur Irenæus, *lib.* 1. *cap.* 20. Gregor. Nyssen. *lib. de hominis opificio, cap.* 18. & *in lib. de resurrect. & anima.* Tertull. *lib. de resurrectione carnis*, & *lib. de Anima, cap.* 16. August. *heresi* 46.

SED agamus iam rationibus contra Picum, & 195
Achillinum.

PROBATVR à Diuo Bonauentura, *fundam.* 1. Proprius actus debet fieri in propria materia, ex Aristotele, 2. *de Anima, text.* 26. sed anima rationalis est actus, & *Entelechia corporis*. Ideò cùm diuersa sint corpora, tot erunt etiam animæ. Hanc in secundam rationem assumit Valentia *disp.* 9. *quæstione* 2. *puncto* 2. *col.* 1019. Toletus 2. *de Anima, cap.* 1. *quæst.* 2. circa medium, §. *Igitur primo.* Confirmatur ex aliis locis Aristotelis. *Secundo Physicorum, text.* 26. ait, eandem esse rationem materiæ, & formæ: quippè quæ sunt correlatiua; sed materiæ, seu corpora sunt plurima: Ergo etiam tot animæ. Item 2. *de Anima, text.* 7. & 7. *Metaph. text.* 49. ait, vnitas, & distinctio, & esse rei sumuntur ab actu, & forma. Item 7. *Metaph. text.* 15. fatetur, impossibile esse, vt idem numero sit multorum singulorum ratio, ac substantia.

PROBATVR *fundamento* 2. à D. Bonau. Perfectionem, & perfectibile, necesse est, ad inuicem esse proportionabilia: ergo nec perfectibile excedit perfectionem, nec perfectio ipsum perfectibile; sed anima rationalis est perfectio corporis humani: illa anima, quæ est perfectio huius corporis, non est perfectio illius; & ita non potest perficere aliud corpus. Hæc est ratio etiam D. Thomæ, quâ vtitur Toletus, §. *Confirmatur.*

PROBATVR *fundamento* 3. à Diuo Bonauent. 196
Ab eodem est esse, & distinctum esse; seu ab eodem est esse vnum indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio: sed vnumquodque habet esse à forma indistinctum: ergo & esse distinctum à cæteris; sed forma, seu perfectio corporis humani, atque hominis est anima rationalis: ergo ab ea habet homo esse, & esse distinctum: ergo per eam vnusquisque homo distinguitur ab alio: ergo & ipsæ formæ, quæ sunt rationes distinctiuæ, sunt distinctæ. Hoc argumento, quod euidens acclamat, vtitur Valentia *columna* 1019. Toletus §. *Tandem.*

PROBATVR *fundamento quarto*, à D. Bonau. per inductionem absurdorum: quia, si vna est omnium anima: ergo & vnus omnium intellectus,
vna voluntas: imò & idem actus quicunque à 197
quolibet exercebitur; cùm idem numero sit principium, nempe, intellectus, species, habitus &c. imò sequerentur actus contrarij simul, & semel de eodem; quia idem intelligeret, & non intelligeret; esset fatuus, & sapiens; bonus, & malus; odisset, & amaret: prudens esset, & stultus: sic homo scelestissimus haberet animam optimam; & iustissimus impiam; multi habitus contrarij fidei, & infidelitatis; spei, & desperationis, amoris diuini, & odij essent simul in eodem. Videmus enim experimento

mento, hæc omnia simul fieri circa idem obiectum. Hoc argumento vtitur Valentia §. 3. *& quarta ratione*. Toletus §. *Consultatur*.

Neqve valet effugium Auerrois, hæc esse diuersa phantasmata: nam phantasmata non sunt principia intelligendi, aut volendi, vt notat Seraphicus Doctor *in corpore*, & post eum Toletus.

Probatvr quintò fundamento à S. Bonau. & post eum à Toleto, §. *& contra*. Nam, si vna esset anima omnium; sequeretur, nil plus habere beatum, quàm damnatum, idem esset remuneratus ob bona opera, & ob eadem punitus: vndè nil maius haberet iustus, quàm impius; atque adeò iniustissimus esset Deus. Quæ omnia fœtent.

198 Probatvr sexto fundamento à D. Bonauent. ex maiori absurdo: quia sic non magis esset vnus beatus, quàm alius: imò beatus esset damnatus; Et si damnatus est omnis: ergo homo frustratur suo fine: imò & totus mundus frustrà creatus. Quæ sunt impia. Hac ratione vrget Toletus *loco adducto*.

Probatar à S. Bonauent. etiam *in corpore*. Id, quod est vltima perfectio constitutiua alicuius, vt talis est, dat esse distinctum à quolibet alio indiuiduo; sed anima intellectiua est vltima perfectio hominis, vt homo est: ergo facit, vt distinguatur à cæteris: Sed à parte rei non datur entitas communis, sed singulæ sunt indiuiduæ: ergo dant esse, indiuidualiter distinctum: ergo hæc anima rationalis dat esse distinctum ab omnibus aliis indiuiduis hominum; qui non solùm distinguuntur, vt sunt hæc animalia, sed etiam vt homines hi, & illi: ergo sicut habent diuersas imaginationes, & animas sensibiles; ità habent etiam rationales. Hoc est primum argumentum, quo nititur Valentia, & suprà indicatum est.

Probatvr secundò à S. Doctore ibi, experientia: quia diuersi homines contrarias habent cogitationes, & affectiones.

199 Si dicas, hæc euenire ex diuersitate specierum, existentium in imaginatione.

Contra arguit S. Bonauent. quia diuersi homines, non solùm habent diuersas imaginationes, sed etiam oppositas intellectiones, quæ sunt supra phantasiam, quarum nequeunt phantasmata esse principia, vt cùm intelligitur Deus.

Argvmenta Auerroistarum leuissima sunt; vt notat Valentia in calce.

Assero vltimò, multò minùs vnam esse hominum, & brutorum animam.

Probatvr: quia materiæ longè seiunctæ nequeunt vnâ numero formâ informari. Quomodo enim anima, vna numero, potest informare hominem in Italia, & auem in Brasilia? Prætereà esset homo cum brutis eiusdem speciei, vt arguit S. Bonauentura.

Obiicies primò. Id, quod multiplicatur ad alterius multiplicationem, substantialiter dependet ab illo; sed anima intellectiua non pendet substantialiter à corpore: ergo non multiplicatur cum corporibus.

200 Respondet D. Bonauent. animam non indiuiduari sanè à corpore, sed à propriis principiis, materiâ, nempè, & formâ, è quibus componitur: vndè non habet à corpore præcisè esse indiuiduum in se, & diuisum à quocunque alio. In hoc verò est independens, quòd non inhæret, & potest à corpore separari. De cætero est forma in magnitudine; vt ait Aristoteles 3. *de anima text.* 36.

Obiicies secundò. Ex intelligente, & intellectu fit vnum; sed plures idem obiectum intelligunt simul: ergo simul fiunt vnum cùm eo: ergo & inter se: quia, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

Respondet S. Bonauent. *ad* 5. ex intellectu, & re intellecta fieri vnum intentionaliter, non enim obiectum extrinsecum fit vnum cum intellectu, sed vnitur in specie huic homini: cum alio verò, aliâ specie, & licèt species vnificetur obiecto, tamen est res distincta ab anima: vndè non est idem cum ea, nec cum alia anima intelligente per aliam speciem, & affertur exemplum à D. Bonau. de speciebus, receptis in duobus speculis, vel duobus oculis.

Obiicies tertiò. Si tot essent animæ, quot corpora; cùm secundùm Aristotelem, Mundus fuerit ab æterno, iam darentur infinitæ animæ; at infinitum non potest dari, secundùm Aristotelem 3. *Physicorum*: Ergo, secundùm Philosophum, vna est anima. Hoc est præcipuum fundamentum, quod Auerroem, & alios, in Aristotelem delirantes reddit, & est eorum Achilles; vt notat Toletus §. *distinct.* 3. superaddit verò inconuenientia Auerroës, nempè sequi, infinitum suscipere magis, & minùs, putà, si modò sunt infinitæ animæ, plures erunt post mille annos. Præterea sequi, totum esse æquale parti; animæ enim, quæ modò sunt, & quæ simul erunt post mille annos, tot erunt: quia vnum infinitum non est maius alio; & tamen numerus animarum, quæ modò sunt, est pars illius numeri animarum, quæ sunt, & erunt. Hæc sanè nil nos torquent: primò, quia tenemus, mundum non fuisse ab æterno; vt ostendi, *Tract.* 3. *disputatione vndecima*. 201

Deinde, & in via Aristotelis mundum non poni æternum, ostendi *quæstione* 8.

Præterea Auerroes, credens mundum ab æterno, etiamsi animas non credat multiplicatas, non ob id vitat, vnum infinitum esse maius alio, vt arguit D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 2. *parte* 2. *quæst.* 2. & ostendimus *quæstione allegata*, & post D. Bonau. arguit Toletus hîc, ad finem quæstionis: Si enim mundus est ab æterno: ergo infiniti anni præcesserunt; sed plures menses sunt, quàm anni, & plures dies, quàm menses, & plures horæ, quàm dies: ergo, cùm & hæ procul dubio infinitæ sint, erunt plures alio numero infinito: ergo vnum infinitum est maius formaliter alio. Similiter, cùm noui semper dies addantur: ergo infinito potest addi. 202

Si verò dicat Auerroes non esse plures dies, quàm annos: Ergo pars est æqualis toti, quod paradoxum redolet. Vide D. Bonauenturam & Toletum *locis adductis*.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum Anima *indiuiduetur à Corpore.*

VNA è rationibus, quibus Auerroes probabat, non multiplicari animas cum corporibus, est: quia anima, cùm sit independens à corpore, non potest ab eo indiuiduari, seu accipere distinctionem ab aliis.

Ex his tamen, qui multiplicant animas, aliqui dicunt, indiuiduari per commensurationem substantialem, aptitudinalem ad hoc corpus. Ità D. Thomas *de ente, & essentia, cap.* 6. & *part.* 1. *quæst.* 76. *art.* 2. *ad* 1. quem sequitur Caietanus *ibi*. Idem habet S. Thomas

Thomas 2. *contra Gent. cap.* 81. & alij, quos acriter, & frustrà insectatur Fauentinus *Theor.* 92. post Scotum *in quodl. quæst.* 2. quasi ponant hanc commensurationem in aliqua relatione; atque adeò in accidente.

Scotus igitur *loco citato*, & *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 7. quem sequitur Fauentinus, vbi suprà, & Toletus 3. *de Anima*, *quæst.* 18. *concl.* 2. & 3. aiunt, Animam se ipsa indiuiduari. Idem censent omnes Scotistæ.

203 Tertia sententia est D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 18. *articulo* 2. *quæstione* 1. animas indiuiduari per propria principia], scilicet, hac materia, & hac forma.

Assero, animam indiuiduatam esse, priusquam intelligatur actu commensurata huic corpori; nempè, per materiam propriam, & formam.

Probatur à Diuo Bonauentura, *loco citato*, & *distinctione* 32. *dubio* 6. *litt.* argumento, quo vsus est Scotus, & Faber. Anima priùs est terminus creationis, quàm sit vnita corpori: ergo prius est hæc, quàm corpori vnita, vt patet. Consequentia probatur ex Aristotele, 5. *Metaphysicorum*, *cap. de priori*; vbi definit, illa esse aliquo priora naturâ, quæ possunt esse sine illo, & 7. *Metaphysic.* vbi substantia ponitur prior accidentibus. Hæc tamen ratio, multorum iudicio, non oppugnat D. Thomam; quia solùm vult, animas indiuiduari per commensurationem substantialem, quæ includit aptitudinem ad hæc, vel illa corpora.

Obiicies, cum Caiet. Sicut se habet anima ad corpus; ita hæc anima ad hoc corpus, sed anima in genere habet suam specificam differentiam, per esse actum corporis, vt dictum est *quæst.* 10. ergo etiam indiuiduatur per specificationem indiuiduam aptitudinis ad hoc corpus.

204 Respondetur, quòd, sicuti anima in genere habet suum esse essentiale completum, per hoc, quod est ad actuandum corpus, & per hoc distinguitur ab Angelo, vt dixi ibi; ita & anima] humana differt à Leonina, quia est ad corpus humanum: Sic itaque est etiam indiuidua: quia hac materia, & formâ indiuiduatur; & fit hæc in creatione, vt corpus vnum numero informare queat; non autem hoc vel illud corpus animam sibi determinat; imò cùm ea sit finis corporis, præparat sibi tale corpus, sicut Princeps præparat aulam sibi aptam; ita, vt non Princeps aulæ, sed aula Principi adaptetur: & tamen priùs executione præparatur corpus, in quo creatur, & infunditur talis anima: & propterea aliquo modo anima indiuiduatur, sed accidentaliter, à corpore.

Indiuiduatio igitur animæ completur, secundùm intrinseca, per compositionem ex tali materia, & tali forma, se inuicem indiuiduantibus; vt dixi; atque adeò per substantialem aptabilem commensurationem ad vnum numero corpus. Quòd verò huic, vel illi actu coaptetur, est accidens, aduenicns, & separabile. Vnde, sicuti non sumitur essentia animæ à commensuratione actuali ad corpus: alioquin separata non esset eiusdem essentiæ; vt dixi *num.* 10. ita nec animæ indiuiduatio.

QVÆSTIO XIV.

An in vno viuente sint plures Animæ.

D. Bonau. in 2. distinct. 31. quæstione 1.
D. Thom. p. p. quæst. 76. art. 13.

Quæstio est de animalibus, in quibus est gradus sensitiuus, & vegetatiuus, & de homine, in quo sunt gradus vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis animæ; An, scilicet, sint plures Animæ.

Manichæi, præter animam rationalem, in homine posuere sensitiuam oppositam, concupiscentem contra spiritum, eamque à Deo malo factam. Ita refert D. August. *libro de duabus animabus, contra Manichæos*, *capite* 14. & *libro* 6. *contra Faustum*, *cap.* 8. & 10. *de Genes. ad litt. cap.* 13. quæ sententia tribuitur quoque Iacobo cuidam Syro: vt habetur *in libro de Ecclesiasticis dogmatibus*, *capite* 15. vt refert Diuus Bonauentura, *loco citato*, & post eum Valentia *tom.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 2. *puncto* 3. 205

E cæteris Philoponus, *libro* 1. *de Anima*, *textu* 91. Ocham, *quodl.* 2. *quæst.* 3. Iandunus *lib.* 1. *de Anima*, *quæstione* 12. Zabarella *lib. de facultatibus Animæ*, *capite* 8. Gandauensis 7. *Physicorum*, *quæstione* 8. & alij sustinent, in vno viuente animali esse duas animas, vegetatiuam, & sensitiuam. In homine tres, idest, vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, apprimè distinctas; non loco, vt volebat Plato, sed in eodem subiecto. Arrident Regentes Parisiorum, 2. *de Anima*, *quæst.* 1. cum Galen. *lib.* 7. *de decretis Aristotelis*.

Pavlvs Venetus, *summa de Anima*, *capite* 5. in plantis esse vnam vegetatiuam, asserit; in animalib. annulosis etiam vnam, eamq; sensitiuam: In hominibus verò rationalem, & sensitiuam, hanc corruptibilem, illam immortalem, & præter has, plures alias vegetatiuas pro singulis membris distribuit cum Galeno.

Vera, & Catholica sententia est, vnam in singulis animam reperiri. Ita SS. Doctores hîc, & omnes Thomistæ, Alens. *part.* 2. *quæstione* 62. *in* 2. Scotus *in* 4. *distinctione* 49. *littera A*, vbi id assertum à se refert *in* 2. *distinctione* 1. *quæstione* 6. & *distinctione* 16. & *in* 4. *distinctione* 11. *quæst.* 3. *articulo* 2. quem referunt, & sequuntur Scotistæ, è quibus Fauentinus *Theor.* 72. Mastrius, *disputatione* 1. *quæst.* 8. Idem habent omnes ferè Recentiores, Valentia *Tom.* 1. *disputatione* 6. *quæstione* 2. *puncto* 3. Toletus 2. *de anima*, *quæstione* 3. & 4. & præcipuè *quæstione* 7. Colleg. *cap.* 3. *quæst.* 1. Bonerius, *libro* 2. *contra Atheistas*, *demonstrat.* 2. Ruuius 2. *de anima*, *capite* 3. *quæstione* 5. vbi plurimos adducit. Eustachius 3. *part. Physicorum*, *tract.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 6. Fuliens. 3. *Physicorum*, *cap.* 1. *articulo* 5. 206

Ex his aliqui concedunt, *in fieri animalis*, vel dum generatur animal, plures esse animas, vt primò, embryo accipiat animam vegetatiuam; deinde adueniat sensitiua, tertiò rationalis; & hâc adueniente, destruatur præcedens: quia rationalis continet omnes gradus. Ita D. Thomas, cum asseclis.

At verò Diuus Bonauentura, *in* 2. *distinct.* 18. *art.* 1.

art. 1. *quæstione* 3. clariùs verò hîc, *ad* 4. quem sequuntur cæteri, iuxta hæc asserta, quæ subduntur, sentit.

Assero primò. In homine est vnica anima rationalis, continens esse sensitiuum, & vegetatiuum.

207 Probatvr primò ex Genes. 2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*; vbi Hebræus habet, *Spiraculum vitarum*. Notat autem D. Bonauentura *in* 2. *distinctione* 12. *quæstione* 1. *ad* 1. vnum spiritum, vnum flatum homini fuisse datum: & hoc aduertunt post eum Valentia *loco citato*, & alij. Sic enim Hebraice נשמה *Spiraculum*, חיים *Vitarum*, & subdit: *Et factus est homo in animam viuentem.* לנפש חיה in singulari.

Probatvr secundò à D. Bonauentura *fundamento* 1. & 2. Si in homine essent plures animæ, idest, vegetatiua, sensitiua, & rationalis; iam vegetatiua & sensitiua essent corruptibiles, & non separarentur cum rationali in morte, sed corrumperentur: At vegetatiua, & sensitiua in morte separantur in rationali; ita vt vnica anima immortalis de eo exeat; ergo. Maior probatur: quia vegetatiua, & sensitiua essent eiusdem rationis cum Animabus brutorum, & plantarum. Minor probatur à D. Bonauentura, ex D. Augustino, *libro de Spiritu, & anima, capite* 13. vbi ait: *Cùm recedit anima à corpore, secum trahit sensum, & imaginationem, & rationem, & intellectionem*; & *libro de Ecclesiasticis dogmatibus, loco citato*, ait: *Animæ animalium cum carne nascuntur, & cum carnis morte finiuntur: Anima verò humana, non cum carne moritur: quia nec cum carne seminatur.* Alludit ad illud Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere.* Vbi Christus indicat, in homine non esse vllam animam, quæ perimi queat. Hoc est præcipuum fundamentum, quo nititur Valentia *loco citato*. Hanc rationem præ cæteris laudat Mastrius.

208 Probatvr tertiò à D. Bonauentura, *fundamentis, & corpore*, ex definitionibus Ecclesiæ, relatis à D. August. *in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, capite* 14. vbi ait: *Neque duas animas esse dicimus in vno homine, sicut Iacobus, & alij Syrorum scribunt, vnam animalem, quâ animetur corpus, & immixta sit sanguini; & alteram spiritualem, quæ rationem ministret: sed dicimus vnam esse, eandemque animam in homine, quæ, & corpus suâ societate viuificet, & semetipsam suâ ratione disponat, habens in se libertatem arbitrij, vt in suæ substantiæ eligat cogitatione, quod vult.*

Idem sancitum est in octauâ Synodo generali, *act.* 10. *can.* 11. vbi habetur: *Apparet, quosdam id temporis in tantum impietatis venisse, vt hominem duas animas habere imprudenter dogmatizarent. Tales igitur impietatis inuentores, & similia sentientes, cùm vetus, & nouum testamentum, omnesque Ecclesiæ Patres vnam animam habere asseuerent, Sancta, & vniuersalis synodus anathematizat.*

Inanis est Rabesani solutio *quæst.* 5. hoc intelligi de duabus intellectiuis; vel secundùm esse vltimum disparate. Sanè Sancta Synodus nihil restringit.

Itidem in Concil. Lateran. sub Innoc. III. *in cap. Firmiter*, dicitur: *Deum fecisse hominem, ex corpore, & spiritu compositum.*

209 Et in Clementina vnica, *cap. Firmiter*, dicitur Christus factus esse homo, assumendo partes naturæ humanæ vnitas scilicet, corpus, & animam rationalem: Et in Symb. Athan. *Perfectus homo ex anima, &c.* His testimoniis clauditur ratio D. Bonau. *fund. vlt. & in corpore*, quam laudat Poncius *num.* 102. quia superfluæ sunt plures animæ, cùm vna valeat omnes actus exercere; vt infrà dicam.

Idem habet D. August. cuius plures textus affert Sanctus Doctor, vt *libro de spiritu, & anima, cap.* 13. & 33. contra Faustum, & alios. Ideò *in lib. de duabus animabus, cap.* 6. & 14. *tom.* 6. tanquam hæreticam damnat pluralitatem animarum in eodem homine; & quamvis videatur præcipuè eam damnare; quia mixtum habet venenum Manichæorum, quod altera sit à Deo malo; & idem videatur sentire octaua Synodus adducta; tamen etiam pluralitatem simplicium animarum damnat. Idque præstant ob allatam rationem alij Patres, Damascenus 2. *de fide, cap.* 12. Hieronymus *in cap.* 3. *Danielis*, & alij, vt notat Valentia *loco citato*, post D. Bonau. *in corpore*, Ruuius *loco citato*, adducit etiam Gregorium *hom.* 12. *in Ezechiel.* Greg. Nyssen. *lib. de creatione hominis*; Hugonem, *lib. de spiritu, & anima*; Lactant. *lib. de vita Dei, cap.* 11.

Probatvr quartò à Diuo Bonauentura *fundam.* 3. *ex* 2. *de anima, text.* 31. vbi ait, quòd *sensitiuum est in intellectiuo, sicut Tetragonus in Pentagono; & vegetatiuum in sensitiuo, sicut Trigonus in Tetragono.* Trigonus autem est figura trium facierum; Tetragonus quatuor; Pentagonus quinque, vnde Tetragonus non sunt duæ figuræ; neque Pentagonus sunt tres; sed vna, continens inferiores. Hoc fundamento nititur etiam Toletus, 2. *Physicorum, quæstione* 7. *conclus.* 2. Fauentinus *cap.* 2. *primo loco*; Ruuius 2. *de anima, cap.* 3. *quæst.* 5. vbi ait, esse expressam Aristotelis sententiam *primo de anima, cap.* 4. *text.* 66. & *cap.* 11. *textu* 91. ac eius Interpretum. Vide Seraphicum etiam *in* 2. *distinctione* 1. *parte* 2. *articulo* 1. *quæstione* 2. *argument.* 4. 210

Probatvr quintò, à Diuo Bonauentura, *fundamento quarto*, *in corpore.* Vnius numero perfectibilis vna est perfectio vnius speciei, determinans ad vnam speciem, non distrahens ad plura genera opposita. Si autem in Petro est anima vegetatiua, sensitiua, & rationalis; sequitur, per vegetatiuam non determinari ad aliquam speciem plantæ; & tamen esse in genere plantæ. Per sensitiuam, ad aliquod genus animalis; nec per eam determinari ad aliquam speciem brutalem (non enim ad animal rationale per sensitiuam determinatur:) ergo idem subiectum numero perfectibile pluribus formis diuersorum generum oppositorum, & nullius speciei perficietur; at hoc est absonum; tum quia non datur res in genere, quæ non sit alicuius speciei: tum quia, si hæ formæ sunt indiuiduæ, erit 211 homo triplex indiuiduum, vnum in genere plantæ; secundum in genere animalis; tertium in specie hominis; tum quia non haberet sensitiuam vitam, quæ est vegetatiua; nec spiritualem; quia sensitiua cùm sit corporalis, nequit esse gradus ad spiritum apponendum, qui faciat ordinem. Tum quia hæ perfectiones, sicut non conueniunt in esse: ita neque in prædicatione; & ita, sicut est homo per rationalitatem, non per sensationem; & est alia distincta forma, per quam est animal, falsa erit hæc propositio: *Homo est animal.* Tum quia esset aggregatum per accidens. cùm habeat diuersa esse, actu perfecta in substantia. Nam dicere, quòd anima vegetatiua, & sensitiua in homine sunt, sicut potentia, & materia, non iuuat. Nam, cùm sint indiuiduæ, & eiusdem omninò rationis; cùm anima

ma arboris, vel plantæ alicuius, vtique ipsa vnum per se constituet, & reliquæ cum ipsa facient vnum
212 per accidens. Tum quia, ob animam sensitiuam, & rationalem distinctas, homo erit compositus ex bruto, & rationali, non minus corporalis, quam si haberet animam bouis, & rationalem solam. Hoc fundamento D. Bonauenturæ arguunt Toletus, Fauentinus, Ruuius, Valentia, & cæteri; licèt, qui tenent vnicam numero formam in materia possibilem, diuertant. Mastr. *disp.* 1. *num.* 81. argumentum temnit, dicens, eo impugnari posse etiam formam corporeitatis, quæ constituit in aliqua specie corpus. Ergo nequit aduenire anima, determinans illud ad speciem aliam: Similiter & forma corporeitatis est potentia perfectibilis ab anima; quæ ideò dicitur *Actus corporis organici*. Quare argumentum est vile. Sed D. Bonau. validè hæc arguit contra Manichæos, dicentes, in homine esse animas contrarias, alteram bonam, alteram malam; & argumentum retundit quoscunque, ponentes plures in vno animas, sic autem arguit: Vnius perfectibilis specifici non possunt esse plures perfectiones oppositæ; sed sensitiua separata à rationali, similiter & vegetatiua, sunt oppositæ rationali: quia sunt determinatæ ad species irrationalitatis: ergo non
213 possunt esse in eodem numero. Igitur non potest vna ordinari, ad alteram actuandam. Sic intendit S. Bonau. dirigere argumentum; vt patet *in corpore*: vbi fundamentum quartum assumit, & explicat; oportet enim aduertere, Sanctum Doctorem, & cæteros sæpè afferre fundamenta, quæ posteà in resolutione, cui standum est, modificant. At demus, poni tres animas non oppositas, sed tantùm diuersas; adhùc non est idem cum forma organica, quæ intrinsecè est potentia ad esse animatum, cuius actus est anima, nec vsquam terminat esse seorsim sine illa ad vnam speciem, sicuti terminat vegetatiuum & sensitiuum.

Probatvr sextò, à Sancto Bonauentura, *fundamento* 5. Quæ simul corrumpuntur, simul producuntur: Ergo pariter, quæ vnà separantur, vnà etiam infunduntur, & quæ inseparabilia sunt ab ipso Deo, sunt vnum. Talis est in homine anima sensitiua, & rationalis: nam recedente rationali, abit & sensitiua; alioqui Christus emisso spiritu fuisset adhuc viuus, vel si duæ inferiores fuissent corruptæ, iam Verbum dimisisset partes insignes assumptas. Vel si stetissent adhuc seorsim vnitæ Verbo, iam essent à corpore separatæ subsistentes, quæ in Ecclesia est nouitas.

214 Probatvr septimò, à Diuo Bonauentura, *fundamento vlt.* quo Auicenna quiescit, & maximè nititur Toletus. Si sensitiua, & rationalis essent plures animæ diuersæ, vna non impediret operationem alterius; at hoc est contra experientiam, videmus enim contemplationem impedire alias operationes, *verbi gratia*, sensitiuam, imò nutritionem impediri à contemplatione: ergo ab vnica procedunt animâ. Similiter effectus coniunguntur: nam generatio, quæ est vegetatiua, vt habetur 2. *de anima*, *text.* 24. habet adiunctam voluptatem, quæ est sensationis: ergo ab eodem sunt. Hoc argumento nititur etiam Valentia, *quinto loco*. Si dicas, vnam trahi ab alia propter ordinem, & vnionem in vno subiecto, siue corpore, non in vna substantia animæ.

Contra arguit D. Bonauent. quia, vel anima rationalis potest sentire, vel non: si potest: ergo istæ potentiæ, sensitiua, & rationalis, fundantur in eadem substantia animæ, si non potest: ergo videtur non posse viuificare, imò nec informare.

Probatvr sequela: quia tunc maneret purè intellectiua; at purè intellectiuum non potest vniri corpori, secundùm se; debet ergo coniungi cum aliquo, per se, habente ordinem ad corpus, idest, sensitiuo; & sic fiet natura, apta informari. Hanc rationem ait Toletus validissimam: non videtur tamen omninò ad mentem D. Bonau. qui, *dist.* 18. *articulo* 2. *quæstione* 1. *in corpore*, ait, animam intellectiuam; vt intellectiuam, esse formam; quod idem sentit Toletus, 2. *de anima*, *cap.* 1. *quæst.* 2. vnde pugnare secum videtur. Et quidem S. Doctor eo sensu, quod anima, vt rationalis, non sit forma, argumentum moderatur, vt dixi *quæstione* 11. & hic subdubitans concludit dicens: *videtur, &c.*

Arbitror tamen, vtrobique locutum S. Doctorem formaliter de intellectu, vt potentia in ordine ad actum, prout est independens à corpore. 215 Tunc enim, si esset merè potentia intellectiua formaliter, vt talis, non esset forma. Igitur est forma ratione essentiæ, & graduum, prout fluunt ab essentia, non ratione actus abstracti, ad quem non requiritur reduplicatiuè, vt sit forma, vt constat in Angelo, qui intelligit; neque est forma.

Obiicies primò. Prima Thessalonicensium dicitur: *Vt integer Spiritus vester, & anima, & corpus seruetur.* Per spiritum intelligitur anima rationalis, & per animam, sensitiuam: vt exponit etiam Dydimus *libro* 3. *de Spiritu Sancto*.

Respondet D. Bonauentura *d. flinct.* 10. *quæstione vlt. in corpore*, per Spiritum intelligi calorem, & feruorem charitatis, qui animæ superadditur, à quo animæ consequenter dependet salus. Id deducitur ex præcedentibus immediatis. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia*; *vt integer spiritus, &c.* Atque hinc auspicatur incolumitatem pro tempore iudicij; &, vt ostendatur agere de dono aliquo supernaturali spiritus, concludit Apostolus. *Fidelis Deus, qui vocauit vos, qui etiam faciet.* Vel per Spiritum intelligitur portio superior.

Æqvior sanè responsio, quàm illa D. Thom. ad eum locum Apostoli, quem sequitur Valentia *ad primum*, est, per Spiritum intelligi animam, vt præditam intellectu; per animam, vt informat corpus.

Obiicies secundò. Aristoteles, 2. *de Gener. animalium*, *cap.* 3. ait, *Embryonem hominis prius* 216 *viuere vitâ plantæ, mox vitâ animalis; & tandem vitâ hominis.*

Respondet D. Thom. *ad* 3. & *quæst.* 118. *articulo* 2. *ad* 2. adueniente vitâ sensitiuâ, aboleri vegetatiuam, & adueniente rationali, aboleri sensitiuam: quia rationalis habet omnes gradus. Ita ait etiam Valentia.

Respondet meliùs D. Bonau. *in corpore*, & *ad* 4. embryonem aliquo modo vegetare, crescendo, calore viuifico existente in semine, fouente calore materno; neque enim potest esse ab anima informante, aut propria vegetatione, cùm anima sit actus corporis organici; at corpus tunc non adhuc organicum est; cùm enim organicum fuerit, inducitur anima, vel per creationem, in homine, vel per eductionem de materia, in brutis; vt aiunt Medici. Disponitur etiam ad sensationem caro illa, agente calore, spiritibus consperso. Itaquè posteà adueniente animâ, cùm sit dispositum corpus organizatione vltimâ, primò sentit, antequam intelligere queat. Loquitur ergo de prioritate, quoad operationem,

non

non quoad informationem. Ità etiam Mastrius, *num.*88. sic enim ait Aristoteles 7.*Politic. cap.*15. in pueris priùs esse concupiscentiam, posteà rationalitatem. Idem respondet S.Doctor *lib.*2. *Compend. Theol. cap.*32.

Non adhæreo Ruuio, *loco cit.num.*153.dicenti, semen virtute sua elaborare embryonem; ità vt educat de materia animam vegetatiuam, non quidem alicuius speciei plantæ, sed imperfectam dispositionem ad sensitiuam; similiter & sensitiuam, non sanè alicuius generis brutorum, sed imperfectam embryonicam; hæc enim improbabilia sunt.

Primo quidem; dari aliquam animam vegetatiuam in genere, non alicuius speciei plantæ, inauditum est, eò magis, cùm eam astruant ad sustinendum Aristotelis effatum, quòd embryo priùs viuit vitâ plantæ. Similiter & animam sensitiuam in genere animalis; non tamen alicuius speciei brutorum, est nouum.

Deinde verò, cum frustra fiat per plura, quod potest fieri per pauciora, & satis semen patris, & virtus matris operentur ad organizandum corpus, vt dispositum reddatur animæ; non video, cur tot animæ multiplicentur, vt iterum destruantur, vt arguit S. Bonauentura *fundamento vltimo.*

218 Nec satis respondet Toletus §.*superest*, dari aliquas formas, disponentes ad alias, quæ à natura non intenduntur per se, sed vt disponentes ad alias perfectas formas, & has non esse in aliqua specie similium, puta, plantarum, vel animalium; sed vocari formas embryonis, quæ posteà destruendæ sunt, hoc enim satis confutatum est suprà *in quarto argumento.* Deinde, vt arguit S.Bonauent. quomodo potest habere vitam animalis, si nondùm organizatum est? Tertiò sequitur, sensitiuum hominis esse imperfectius pro eo tempore, quàm sensitiuum bruti; vt arguit Sanctus Bonauentura, *fundamento vltimo.*

219 Tandem Toletus manum dat Seraphico, respondens, illum Embryonem non habere animam, quousque disponatur, & organizetur per virtutem seminalem, quâ dispositione completâ, inducitur anima rationalis: hæc autem non statim omnes suas exercet operationes, sed temporis successu: Primò enim exercet opera vegetationis, posteà motum, post verò sensum, tandem intellectionem: ac, ob id, non dixit Aristoteles priùs esse plantam, sed viuere vitâ plantæ. Eodem pacto respondet Albertus, *summa de homine*, Philopon. *ad eum locum Aristotelis* Ruuius in fine, & Fauent. §. *ad authoritatem, ex secundo de generatione animalium.*

Addo, illam propositionem de corruptione animarum Embryonis, damnatam esse in Vniuersitate Oxomensi; vt fatetur Ruuius, *numero* 157.

Tandem Medici concludunt, solùm post quadraginta, vel plures dies animari embryonem. De hoc actum est. *Tract.*8.*disput.*4. *quæst.*22.

Dices. Non potest fieri transitus ab infimo ad summum; nisi fiat transitus per medium: ergo nec ab eodem inanimato ad esse rationale.

Respondetur, iam ostensum esse, quomodo fiat hic transitus ordinatè.

220 Obiicies tertiò, *ex* 2.*de Gener. animalium, cap.*3. Solus intellectus intrat ab extrinseco: ergo sola anima intellectiua creatur, & reliquæ educuntur è materia: ex quo sequitur, eas esse diuersas.

Respondet D.Bonauent. per intellectum ibi accipi animam rationalem, prout distinguitur ab animabus brutorum, quæ sensitiuæ per proprietatem dicuntur, & ideò ipsa dicuntur animalia.

Dices. Sensitiua hominis pendet à corpore, sicut & sensitiua bruti, & læditur, læso organo: Ergo sunt eiusdem rationis: sed ab animabus brutorum diuersa est rationalis: ergo & ab anima sua sensitiua.

Respondet D. Bonauent. pendêre sanè à corpore, ratione diuersarum operationum: hæc autem diuersitas potest ab vno principio animæ fluere, vt habeat operationes organicas, & inorganicas, neque sit propterea eiusdem rationis cum brutali, sed in anima rationali formaliter eminenter contenta.

Obiicies quartò. Operationes oppositæ non sunt ab vno principio circa idem, sed sensus appetit opposita rationi; caro enim concupiscit aduersùs spiritum: ergo sunt diuersæ animæ.

Respondet D. Bonauent. *in corpore*, ex D. 221 Aug. *lib.de duabus animabus, cap.*6. & 14. *Tom.*6. hæc fieri per diuersas animæ potentias, & quidem ità, vt altera illarum, scilicet, appetitus sensitiuus, non sit in sola anima, sed in composito, & in potentia inferiori: alioquin si esset ab eadem potentia, semper peccaret; nec vnquam posset pœnitere. Est igitur à potentia inferiori, quæ fertur in bonum delectabile, quod non est formaliter oppositum obiecto appetitus rationalis, quod est bonum honestum.

Eodem modo respondet Ruuius, *numero* 151. Fauentinus §. *ad secundam dic.* Toletus ad 3.

Non adhæreo tamen exemplo aliquorum Modernorum, dicentium, etiam intellectum habere assensum, & dissensum: illum enim non habet de eadem propositione simul: at sensus vult id, quod non vult spiritus, simul, & semel. Fateor verò, sub ratione delectabilis sensum habere assensum, quod respuitur à spiritu, quia non est honestum, quæ est ratio diuersa obiecti, diuersam requirens potentiam.

Obiicies quintò. Si ponatur vnica anima 222 rationalis in homine, habens vegetatiuum, & sensitiuum in ratione potentiarum; sequitur, esse sensitiuum non dici vniuocè de homine, & de irrationali, & esse vegetatiuum de homine, & de planta; sed hoc est inconueniens, cùm in eodem genere communicent: ergo non est vna anima.

Probatur sequela. Ad vniuocationem requiritur communicatio in vna natura communi, sed tunc bruta, & homines non haberent animam communem; nam gradus sensitiuus hominis est potentia; imò secundùm aliquos, est accidens, in bruto verò est substantia, imò essentia. Confirmatur: nam tunc sensitiuus gradus crearetur à Deo, & esset immortalis in anima rationali: ergo est altioris rationis gradu sensitiuo bruti corruptibili, qui educitur de materia. Quod si essent vniuoca, non video, cur brutum possit educere animam sensibilem de materia, & id non possit homo, qui est perfectior agens.

Respondet D. Bonauent. *ad sextum*, quem 223 sequitur Fauentinus *ad* 5. Toletus *ad* 5. sensationem etiam in Asino nominare substantiam, & potentiam; substantiam quidem, quia est forma: potentiam tamen præcipuè, quia est ab actu sensationis denominata, quæ totum compositum, scilicet potentiam cum organo, complectitur, & totum est, quod ponitur in genere, non pars: Similiter igitur & in homine nominat potentiam cum organis, atque adeò totum

totum compositum, participans eandem naturam; non quidem communem, separatam ab vtroque extremo, nempe, Asino, & Homine, per se existentem, separatam à singularibus; sed vno conceptu, diuiso realiter in multis; & ideò, cùm & homo, & bos sentiant, communicant in sensatione. Addo, in homine sensationem esse substantiam, non accidens. Quare hæc ratio vrget solùm D. Thomam, & asseclas, dicentes, potentias animæ esse accidentia; vt notat Fauentinus. Neque verò productam esse à Deo per creationem; vel incorruptibile tollet vniuocationem generis sensationis cum bruto; sicuti, si aliquis homo crearetur à Deo immortalis, qualis fuit Adam, cui adde etiam incorruptibilitatem naturæ, esset eiusdem speciei naturalis, & sensibilis cum cæteris hominibus; & tamen ad vnionem specificam requiritur maior vniuocatio, quàm ad genericam, qualis est sensitiui, aut vegetatiui gradus.

214 Dices. Corruptibile, & Incorruptibile differunt genere, *ex 10. Metaph. cap. 13.*

Respondetur, differre genere corruptibilitatis, & incorruptibilitatis, quæ per accidens faciunt ad esse sensibile; potest enim sensibile esse, siue corruptibile, siue incorruptibile. Tandem anima sensitiua in homine est incorruptibilis per aliud, quatenus est vna cum rationali; at oppositio debet esse per se.

Obicies sextò. Operationes diuersæ arguunt diuersa principia, & diuersas formas, si sint operationes earum formarum; sed in homine sunt operationes vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationales; quæ sunt diuersæ, & diuersarum formarum: ergo ibi sunt diuersæ formæ, & animæ.

Respondet D. Bonau. *in corpore*, quem sequitur Toletus *ad 2. & 4.* Fauent. *ad 6. & ad 7. & ad primum Gandau.* vnicam formam, continentem formaliter, & eminenter alias, posse habere earum operationes; cùm & potentias continere supponatur. Talis est anima rationalis, quæ continet vegetatiuam, & sensitiuam, formaliter distinctas, quæ in se ipsis non sunt formæ distinctæ; sed potiùs habent rationes potentiarum. Itaque vbi sunt operationes alicuius formæ, ibi est etiam illa forma, vel distincta, vel in alio contenta.

215 Obicies septimò ex Auerroë, *6. Physic. com. 59.* Quando sunt plura, quorum vnum participat vnam operationem, alterum non, sed aliam diuersam; signum est illa habere diuersa principia distincta illarum operationum; sed sic res se habet in corpore animalis: nam ibi ossa vegetant, non sentiunt; at nerui sentiunt; cerebrum habet sensationes, non pes: ergo. Idem est argumentum Galeni.

Respondet D. Bonau. *in 2. dist. 18. art. 2. q. 1. arg. 2.* & Toletus *ad vlt.* cum Seraphico, diuersa illa membra esse vnum continuum organicum, tanquam plectrum, quod tangens anima, secundùm vniuscuiusque dispositionem, reddit tali pacto sonorum, operando; ideò ex varietate operationum non arguitur aliud, quàm varia dispositio instrumentorum; cùm enim non totaliter anima operetur, sed cum corpore, habet pro varietate instrumentorum varias operationes.

216 Obicies vltimò. Quod potest facere virtus inferior, potest etiam superior; sed virtus bruti potest educere de materia animam sensitiuam: ergo & homo: ergo anima sensitiua hominis est diuersa à rationali eius: nam primò educitur de materia sensitiua; deinde creatur rationalis, vt ostensum est.

Respondet D. Bon. *ad quintum*, animam sensitiuam corruptibilem esse in potentia materiæ; atque adeò educi à bruto; At verò anima sensitiua hominis est potentia incorruptibilis animæ rationalis; ideò debet creari à Deo. Quare non posse eam educi de materia, non arguit imperfectionem operantis, sed perfectionem operis. Vbi nota, S. Bonau. hic, & vbique, vocare gradus, sensitiuum, & vegetatiuum, in homine, non animas, sed potentias animæ rationalis, quod & præstat *dist. 17. 18. & alibi.*

HÆc est Catholica sententia, quam sæpè D. Bonau refricat vbique, & ab eo confirmatur argumento Theologico, *in 3. dist. 21. art. 2. q. 2. ad vlt.* alioquin moriens Christus, emittensque Spiritum, quem vnicum recenset Matth. *cap. 27.* fuisset adhuc viuus, vegetando, & sentiendo, quod est hæreticum, &c. aut Christus plures spiritus emisisset, vel sensitiuus, & vegetatiuus corrupti essent, quæ sunt falsissima. Hoc argumento vtitur Valentia, Ruuius, & 217
alij. Collige ex dictis primò, in anima rationali includi sensitiuam, & vegetatiuam, non solùm eminenter, sed etiam formaliter.

Probatur è D. Bonau. *locis adductis*, nam homo est formaliter vegetatiuus æquè ac planta: est sensitiuus æquè ac brutum, habetque communem cum illis in hoc definitionem, communesque operationes. Vide Ruu. *2. de Anim. c. 3. q. 2.* vbi vniuersos ferè Scholasticos in id conspirare astruit contra Caiet. *p. p. q. 75. art. 4.* Martin. *2. de Anim. c. 2.* Tolet. *q. 3. & 7.* Eustach. *3. p. Phys. tract. 1. disp. 1. q. 6.* Adducitur & D. Thom. *quæst. 76. art. 4.* sed falsò.

Respondet Eustach. gradum quidem metaphysicum sentiendi, ac vegetandi, inesse homini formaliter; non inde tamen animam rationalem continere alias formaliter: etsi homo sit formaliter viuens, & sentiens. Concludit, hos gradus, vniuersaliter acceptos, esse formaliter in homine, sicuti in brutis, & plantis: at specialiter, nequaquam.

HÆc redolent paradoxum. Cùm enim fatearis, gradus istos formaliter communes eadê definitione, eisdemque operationibus; & insuper formaliter physicè constituatur homo intrinsecè informatione animæ, quæ seipsam tradit corpori, viuens animal, hoc & illud; non percipio, quam formalitatem ad rem neget, nisi contrariam per differentias speciales ad prunos, castaneas, Leones, Boues, &c. Perbellè spinosam hanc tuam decisionem conquereris.

Obicit. Isti gradus sunt diuisiui generum oppositorum formaliter: Ergo eidem nequeunt conuenire; alioqui homo erit formaliter planta; brutum, &c.

Respondeo facilè, gradus istos esse subordinatos; distrahi verò differentiis oppositis. Ita, sicut idem est formaliter substantia, & corpus; ita potest esse viuens per alteram differentiam animati; & animal per differentiam sensibilis; & homo per differentiam rationalis. Ita formaliter hos gradus 218
metaphysicos ipsemet suprà in homine astruit in Scala, seu Prædicamento substantiæ; nec metuit, ne homo habeat formaliter vegetare plantarum, & sentire cum brutis, vt ait D. Greg. *homil. 29. in Euang.* neque tamen est in aliqua specie bestiarum; quia sensitiuo aduenit differentia rationalis; non autem opposita, irrationalis.

Hinc collige, vnam animam esse propter aliam in eodem subiecto: nam rationalis est actualior, quàm sensitiua, & hæc, quàm vegetatiua.

QVÆSTIO XV.

An inter ANIMAS *vna sit aliâ perfectior essentialiter.*

229 ASSERO primò, Rationalem, esse nobiliorem Sensitiuâ, & hanc Vegetatiuâ.

PROBATVR: quia, quæ aliam actuat, est eâ nobilior; sed rationalis actuat gradum sensitiuum, & hic vegetatiuum: Ergo.

ASSERO secundò, sensitiuam bruti non esse ignobiliorem sensitiuâ hominis, vt sic, idest, genere sensitiui, contra D.Thom. *in 2.d.18.q.2. art.3.* est tamen D.Thomæ, *in 2.dist.31.art.1.quæst.1.ad vltimum*, quem sequitur Scotus *in 4. dist.44. quæst.1.*

PROBATVR argumento D. Bonau. Quorum vna est ratio, & perfectio essentialis, est & æqualis perfectio; sed animæ sensitiuæ hominis, & bruti, est æqualis perfectio: Ergo. Minor probatur, quia vniuoca sunt: ergo habent eandem rationem. Quòd verò sint vniuoca, patet; quia habent vnam definitionem. Quare in ratione animalis æqualis est Leo Homini: tametsi ob coniunctionem, & per accidens sensitiua hominis sit nobilior: quia vnitur rationi, cui obedit, &c. sed hoc non est de perfectione generis, cui extrinseca est differentia rationalitatis; neque est perfectio generis, sed speciei, *verbi gratiâ*, Rationalitas non perficit animal, vt est
230 genus, sed vt est in specie hominis. Hinc differentia dicitur, quâ species abundat plusquam genus, & simul cum genere constituit speciem, non genus. Ideò non generi, sed speciei suam impertit perfectionem. Sic igitur differentiæ animalis irrationalis perficiunt quidem differentias particulares Leonis, Bouis; &c. quæ sunt occultæ, nec sunt infra esse sensitiuum, infrà quod est solùm rationale; sed omnes sunt sensitiuæ, sicut formæ mixti, quæ reddunt tale, vel tale in genere mixti, putà, aurum, æs, &c. Idem euenit in plantis. Itaque sensitiua hominis est nobilior, per coniunctionem nobilioris, non autem formaliter. His respondetur ad rationes D.Thomæ.

ASSERO tertiò, Animas Sensitiuas esse alias aliis nobiliores specificè; similiter & Vegetatiuas.

PROBATVR: quia constituunt diuersas & alias aliis nobiliores species animalium, vel plantarum: species autem sunt sicut numeri, vt ait Aristoteles, qui sunt specie diuersi; & alij aliis perfectiores.

QVÆSTIO XVI.

An inter indiuidua ANIMARVM *eiusdem speciei detur nobilior.*

QVÆSTIO hæc non est de perfectione essentiali; cùm supponantur in eadem specie, omnes habere eandem essentiam; neque est quæstio de perfectione per accidens, ratione corporis nobilioris; sed: An vna anima eiusdem speciei sit substantialiter, sub eadem specie indiuiduali perfectior. Hæc quæstio præcipuè est de Rationali.

231 PRIMA opinio est, nullam dati inæqualitatem indiuidualem, inter animas eiusdem speciei. Ita Durand. *in 2.d.32.q.3.* Argent. ibi, *art.2.* Fonseca, 5. *Metaph.c.28.q.14.* Tolet. *3.de Anim. q.18.* Hurt. *d. 2. sect. 6.* qui acriter inuehuntur in oppositam sententiam; adeò, vt Tolet. eam periculosam inclamet. Idem tenet Henric. *quodl. 3.q.5.* Soncin. 8. *Metaph.q.26.* Sotus, *cap. de substantia, in Logica, q.2. ad nonum*, Zimara, *Theor.44.* Scotus *in Logica, c. de substantia, q.2.* Videtur D.Thom. *loc. citandis, disp.3 part.3. quæst. 2.*

SECVNDA opinio est, dari inæqualitatem indiuiduam inter animas eiusdem speciei. Ita Magister *in 2.dist.32.* quem sequuntur Scholastici ferè omnes. Ibidem Bonau. *dub.6.litt.* Richard. *art.3. q.1.* 231
Ægid. *q.3.* D.Th. *q.2.art.3.* & *p.p.q.85.art.7.* Ita & Caiet. & Bannes *hoc loco.* Ferrar. *primo contra Gent. c.13.* Iauellus, 8. *Metaph.q.6.* & alij plurimi Recentiores, quos sequitur Ruuius, *2.de Anima, c.3. q.3.* At Colleg. Conimbr. *2.de anima, c.1.q.5.art.3.* problematicum est. Quare non immeritò Bannes, vbi suprà, *& primo de Gener. cap.4.q.3.* redarguit Toletum, temeritatis notâ suggilantem Doctores huius sententiæ, qui sunt insignes. Eam etiam tenet Arriaga *in libris de anima, & tract. de opere sex dierum, disp.36.sect.1.num.5.* vbi adducit etiam Granadum. Eust. *3.p. tract.4. disp.1.*

PROBATVR primò à D.Bonau. *argumento*, quo nititur Ruuius, *à n.62.* Pro quo notat ex D.Bonau. hîc, & *d.1.p.2.art.3.q.2.* Animam, cùm sit essentialiter pars, dicere ordinationem intrinsecam ad compositum, & consequenter ad corpus; & quamlibet indiuiduam animam dicere indiuidualem ordinem ad determinatum corpus: quia ad constitutionem singularis compositi, singulares partes destinatæ sunt à natura; & multò magis à creatore: alioquin fortuitò anima tali corpori daretur. Cùm igitur anima sit finis corporis; tale corpus, vt habitaculum præparatur; & talis anima, iam intrinsecè per sua principia indiuiduata, tali corpori informando intrinsecè destinatur, vt dixi *q. 13.* & ita materiæ vnitur anima ob bonum sui. Itaq; melior anima meliorē etiā habitationem postulat; & melior habitatio meliori animæ præparatur ex intentione agentis.

PROBATVR igitur assertio efficaciter. Dispositio, & organizatio materiæ, seu corporis inducitur per se ab agente naturaliter, propter, animam infundendam: Ergo melior dispositio propter meliorem animam. 233

PROBATVR consequentia: quia, si ab animabus eiusdem perfectionis informantur duæ materiæ, magis, & minùs benè dispositæ: Ergo per accidens se habet melior dispositio materiæ ad informationem; cùm nulla maior perfectio proueniat eidem materiæ ex ea: imò frustrà inducitur perfectior dispositio; siquidem non sequitur ex ea perfectior effectus formæ. Probatur secundò eadem consequentia: quia dispositio materiæ naturaliter ordinatur ad informationem formæ: Ergo melior dispositio, ad hoc, vt materia meliùs informetur à forma; sed meliorem informationem naturaliter sequitur melior effectus formalis eiusdem formæ, & constitutio perfectioris compositi: Ergo melior organizatio materiæ infert meliorem constitutionem compositi substantialem; sed melius compositum, est à meliori forma: Ergo, positâ meliori organizatione in vno corpore, quàm in alio; quæ experientiâ euidens est; sequitur dandam etiam meliorem animam.

RESPONDET Toletus, ex præparatione corporis non inferri meliorem animam. Probatur: alioqnin sicut mutatur corpus, deberet mutari successiuè etiam anima. Secundò, si iuxta corpus magis perfectum anima est perfectior; sequeretur, corpus 234
dare

dare esse animæ. Tertiò, vel Deus creat animam perfectiorem propter corpus perfectius, vel e contra. Si primum: inuertitur ordo, & principale ordinatur instrumentum.

Si verò dicas, Deum præparare corpus propter animam: Contrà: quia corpus præparat per causas secundas necessarias, ad modum ipsarum, & finit, eas deficere: at verò animam creat ipse solus. Quartò, multæ animæ hominum rudiorum, & imperfectæ temperiei, ac formæ, excedent in gloria animas, quæ habuere corpora perfectissima; Ideoquè erunt perfectiores in substantia. Hoc autem est absonum: nam potiùs deberent perfectiores in natura, esse etiam in gloria. Quintò, quia idem deberet fieri in aliis formis, quod est falsum. Sexto, si ex perfectione corporis colligitur perfectio animæ, sequeretur, eum, qui à natura nascitur stultus, & monstrosus, habere animam stultam, & monstrosam; & ità neque deberet habere anima illa intellectum, & liberum arbitrium. Addit Fuliensis, animam determinari ad corpus, vt sic: non autem ad hoc numero.

Hæc sanè parui sunt ponderis; certum est enim
135 rem ita esse, vt nos dicimus. Ideò Salomon, qui fuit inter homines perfectissimus corpore, & animâ, vt latè ostendit eruditissimus Pineda, *de rebus Salomonis*, ait Sapien. 8. *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*: vbi Lyranus, & Glossa Ordinaria hoc explicant, per intellectus subtilitatem. *Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*: ergo vna anima est in naturalibus melior aliâ: ex quo responsio Collegij reiicitur, & Aduersariorum obiecta ruunt.

Qvod enim primò obiicitur, vanum est: nam corpus præparatur animæ pro toto tempore vnionis; & cùm naturaliter corpus initio sit imperfectum; tamen præparatio eius durat vsque ad finem perfectionis eius. Neque ob id corpus dat esse animæ; quinimmò ex intentione talis animæ producitur, & præparatur tale corpus, quod quidem fit per causas secundas cooperantes: Attamen sic regit eas, vt aptum corpus paretur; scit enim tali tempore disponere præparationem animæ, quæ sub singulari stat prouidentia, vt aptum ei præparetur domicilium. Quòd verò aliquando causæ secundæ deficiant, & corpus accidentaliter næuosum præparetur, hoc non obest, quin ex intentione agentis aliter fiat: vel dic eam diuersitatem non esse substantialem, sed accidentalem formæ superuenturæ: & per hoc respondetur ad tertium.

136 Ad id verò, quod quartò obiicit Toletus,

Respondet D. Bonau. *in 2. dist. 9. art. vnico, quæst. 3.* naturam non esse dispositionem adæquatam ad gratiam, eamque necessariò inducentem; sed dari naturalia remotè ad gratiam, quæ ex bonitate gratuitâ, additâ conseruationi naturæ, prouenit. Tenetur autem homo respondere suis naturalibus, & sua libertate auxiliis Diuinis, quòd si naturali perfecta indole non vtatur, sed abutatur; maiorem ad pœnam exploditur; vt patet in Absalone, Achitophele, & Cæteris; si verò vtatur lentiùs, quàm par est, vel quàm vtantur alij, qui sunt rusticæ temperiei, & stolida penè capita, tunc iustè à Deo isti præferentur; nequè est hoc mirandum; cùm sit veritas Theologica, sexcentis rotis decurrens: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Quod quintò infert Toletus, idem faciendum in aliis formis. Respondetur idem fieri. Quid tum? Quod tandem subditur, postremò eum, qui habet caput stultum, debere inhabitari animâ stultâ, videtur, pace tanti viri, exilire extra chorum: nam loquimur nos de his, quæ fiunt per se intra eandem speciem. Itaquè anima, vt sit rationalis, debet esse intellectiua, libera independenter à corpore, à quo non accipit essentiam. Itaque ex præparatione corporis stupidi, & inepti discursui, non rectè infertur, dandam animam brutalem. Quamuis enim nequeat esse aptus ille discursui, rationi, & merito; tamen potest transmitti ad beatitudinem Baptismo, & ita anima illa pro alia vita, cum corpore adaptato, fruetur suo vltimo fine. Animam verò hanc creari vagè, non autem ad hoc numero corpus, vt vult Fuliens. inane est.

Probatvr secundò assertio ex Vniuersitate 137
Sorbonica, cuius meminit Henric. *loc. cit.* Durand. *dist. 32. quæst. 5.* rectè quæ damnauit dicentes, vnam animam non esse aliâ præstantiorem, & addit optimam rationem: Quia alioqui anima Christi non esset nobilior animâ Iudæ, neque perfectior. Respondet Durandus, vnam esse aliâ nobiliorem, quoad potentias vegetatiuas, & sensitiuas.

Contra: quia loquuntur de perfectione indiuiduali, & formali animæ Christi, vt fatetur Fuliensis 3. *Physic. cap. 7. in calce.*

Respondet Toletus, & Collegium, definitiones Sorbonicas Parisiorum non transire flumen Sequanam. At patiantur, Vniuersitatem Parisiensem, tot sapientum decretis constipatam, vtriusque placitis facilè præferri. Nec video, quomodo ei temeritati simus obnoxij, quam nobis Toletus immeritò inurit; Et vt verius dicam, Conclusiones, in quibus temeritatis nos damnat, non transcendunt eius libelli cartulas.

Respondet secundò Toletus, ibi solùm definiri præcellentiam inter spiritus, computatis etiam Angelis.

Contra: quia *ibi* fit inductio, tanquam absurda de animabus solis, inferturque, fore animam Iudæ naturaliter æqualem animæ Christi.

Respondet Toletus, hoc exemplum non esse definitionem articuli, sed rationem. Quid tum? signum ergo est, ibi definitionem cadere super animas inter se comparatas: alioqui dedisset exemplum de anima, & Angelo; exempla enim in definitionibus ostendunt subiectum, de quo est definitio: alioquin erunt extra rem; Veluti, si definiens inter spiritus nobiliorem esse Angelum naturâ; sed præstare animam per gratiam hypostaticæ vnionis, induceret hanc sequelam: alioqui sequeretur, Adamum esse Christo nobiliorem, quæ esset sequela extra lineas.

Respondet tandem, animam Christi fuisse 138
nobiliorem, non substantialiter, sed in donis naturalibus accidentalibus, vtpotè, ingenio, memoriâ, iudicio, & optimâ corporis temperie; ex qua hæc pendebant ex parte; & prætereà supernaturalibus donis, quæ perficiunt materiam; & si ita intelligatur, verus erit articulus, & ea ratio allata, non aliter. Ita ait etiam Galitius sic explicans Seraphicum. Fateor, non inuenire differentiam essentialem in eadem specie, nam species sunt, sicuti numeri. Ideò idem Arist. 7. *Metaph. c. 3. text. 11.* ait, in specie non esse prius, & posterius, sicuti in genere; vt vna species habeat varios gradus essentiales in indiuiduis, priores dignitate, & posteriores; sicuti genus, in quo diuersæ differentiæ inducunt excessum in vna specie præ alia, vt inter viuens, & non viuens, quæ sunt differentiæ corporis, &c.

Ex his sequitur, neque posse esse excessum in eadem specie in his, quæ essentialiter manant à specie; vt *v. g.* vnus homo sit magis risibilis, alter minùs:

239 Seqvitvr etiam, non posse talem esse differentiam essentialem indiuidui, quod constituitur ex hac materia, & ex hac forma: quia ex Boëtio, *cap. de specie*, tota ratio indiuidui essentialis est à specie, quod notat etiam D. Bonau. *in primo, dist. 3. part. 2. art. 2. q. vlt. ad prima argumenta.* Difficile videtur etiam, supposità æqualitate indiuiduorum in essentia, assignare excessum in habilitatibus: quia, cùm forma essentialiter naturaliter effundat totam suam perfectionem, datâ pari essentiâ, par habilitas ab illa manabit.

Ego equidem non video difficultatem in Diuo Bonau. & Magistrò. Substantia enim aliquando sumitur pro ente de primo Prædicamento, provt à reliquis distinguitur: aliquando pro essentia. Non vult autem D. Bonau. animas substantialiter essentialiter se inuicem separare, sed substantialiter in aliqua perfectione substantiali, quæ tamen non est de essentia, & tamen neque est accidens; ad modum, quo proceritas membrorum dicit maius corpus substantialiter, non tamen essentialiter melius alio pusillo; quia ambo constant æquè partibus essentialibus. Ita igitur hinc diramantur perfectiones accidentales, nempè, maius ingenij acumen, &c. Hæ autem perfectiones non consistunt in indiuisibili mathematico, vt rectè notat Valentia *tom. 1. d. 6. quæst. 7. punct. 1.* vbi nobiscum consentit. Nolo tamen cum eo hanc indiuisibilem mathematicam conuenientiam in essentialibus tollere; quia ex Arist. species sunt sicut numeri; vnde tollitur identitas specifica, ablato vno indiuisibili; sicuti, ablato vno numero indiuisibili, tollitur species numeri; sic enim, ablatâ vnitate à quinario, mutatur species, & fit quaternarius; sed pono hanc latitudinem, quoad simpliciter substantialia, quæ non dicuntur tamen essentialia.

240 Rationes aduersariorum solùm probant conuenientiam in essentialibus, vt ritè aduertit D. Bonau. & post eum Valentia *loc. cit. assert. 5.* nec aliquo nituntur fundamento stabili.

Qvoniam tamen gloriatur Toletus hâc præcipuâ ratione, quam acclamat à posteriori esse manifestam.

Qvia omnis differentia inter homines inuenitur, ex sola corporum dispositione prouenire; contingit enim, vt idemmet homo nunc valeat ingenio, & memoriâ, intellectûs acumine, & iudicio; ac postmodum ex morbo, vel aliquo accidente corporis, amittat ingenium, &c. & fiat hebes. Item, vt nunc sit rationis compos, ac paulò post amens, nunc bonus, postea malus: hæc autem ex corporum varietate proueniunt, nisi velis stultissimè dicere, mutari identidem & animam; vel aliam infundi, quod est plusquam ridiculum, & error stultissimus. Hinc infert, nostram assertionem esse periculosam, & temerariam.

Respondetvr facilè ex D. Bonau. *loco citato*, aliquas sanè mutationes sequi in hominibus, ratione corporum, ad quas non debet sequi mutatio animæ; sed verè anima, secundùm ordinariam prouidentiam, remanet impedita à quibusdam operationibus; neque tamen sequitur, omnes excessus in habilitatibus haberi à corporibus: imò arguit S. Bonau. & post eum Runius. Nobilitas operationum arguit præstantiam formæ; sed vna anima perfectiùs intelligit, & vult, quàm alia; sunt autem hæ operationes formaliter ab organis independentes.

Nec valet responsio Toleti, & Collegij. Maiorem veram esse, quando operatio est à sola forma; at verò operationes nostræ sunt etiam ab organis à quorum bonitate, vel defectu variantur operationes; & ideò secundùm quod habet organa meliora, etiam perfectiùs operatur.

Contra arguit S. Bonau. quia, si organa essent tota causa variationis, sequeretur, semper eodem modo operari; cùm naturali modo necessariò operentur; & ita eiusdem temperiei organa semper idem operarentur. Idem enim, manens idem, semper facit idem, & non aliud; multò verò minùs oppositum, *verb. grat.* vos dicitis, cholericos esse perspicaciores; isti deberent esse tales; & tamen videmus cholericos hebetes, & stolidos: Idem de reliquis temperiebus inferri patet. 241

Vrget S. Bonau. quia anima non est propter corpus; sed imò corpus propter animam: ergo excellentia ista ex anima redundat in corpus, non à corpore penitùs in animam: esto instrumentaliter modo aliquo iuuetur, vel grauetur. Quare poterat Toletus modestiùs se habere erga tot proceres Doctores; sicut se habuit Fuliensis, qui solùm rationum nostrraum efficaciam negat.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm omnes Animæ à Deo solo producantur, & an ex materia.

D. Bonau. in 2. d. 15. q. 1. & d. 18. quæst. vlt.
D. Th. p. p. q. 90 & 118.

Primo quidem hæretici multiformiter delirarunt. Priscillianus enim apud Seuerum Sulpitium, *lib. Sacræ Historiæ*, latrabat, animas à malo Deo in corporibus disseminari.

Secvndò Seleucus, & Hermias dixêre, rationales creari ab Angelis ex igne, & spiritu, vt memorat D. Philaster. *Cathal. de hæresib.* Hæ duæ sanè hæreses sunt, vt notat D. Bonau. *loco citato.* 242

Tertiò Tertul. voluit, omnes animas per traductionem seminis generari, vt refert D. Hieron. *epist. ad Marcellin.* & Anapsych. & D. August. *hæresi 86.* Idem sensit Apollinarius, vt ibi testatur D. Hieronymus.

Enim verò hanc tertiam sententiam non damnat hæresis S. August. *epist. 28. ad Hieronym.* & *loc. cit.* Imò de hac quæstione sollicitus D. August. laborauit, & consuluit D. Hieronym. angebatur enim argumento Pelagianorum, non traducendum esse originale peccatum in animas puerorum; si animæ à solo Deo essent, secus si gignerentur à parentibus. Ita suprà *Genes. lib. 3. cap. 21. lib. 1. Retract. cap. 1. de origine animæ, cap. 1. & 2.* vt refert D. Bonau. *in corpore*, & post eum Valentia, infrà citandus.

Omnes quidem Catholici vnanimiter astruunt animas omnes rationales creari à Deo; vt mox referam.

At inter Catholicos aliqui dixêre, animas, etiam sensitiuas ex semine, esse à Deo solo. Ita Scotus *in 2. dist. 18. in calce*, quem sequitur Fanentin. *Theoremate 69.* Arriaga *de operib. sex dierum, disp. 33. sect. 2.*

Attamen D. Bon. *loc. cit.* censet, animas brutorum educi ab agente naturali. Idem sentit D. Th. *in 2. dist. 18. quæst. 2. art. 2.* & communiter. 243

Assero primò, animas rationales non propagari

gari à parentibus, sed creari à Deo: Est veritas Catholica, quam Magister *in 2. dist.* 18. D. Thom. *q.* 118. *art.* 2. clamant, esse de fide. D. verò Bonauentura, *dist.* 18. *quæst. vlt.* ait, esse veritatem Catholicam; ita, vt opposita, vel sit hæresis, vel saltem erronea, & temeraria. Consentit Gregor. de Valent. *tom.* 1. *disp.* 6. *q.* 8. *punct.* 2. qui cum D. Bonau. & D. August. non audet hæresim, eam vocare.

Assero secundò animas; neque à Deo malo, neque ab Angelis produci.

Probatvr à D. Bonau. ex dictis *dist.* 1. *q.* 1. & *art.* 2. *q.* 1. & 2. & nos *tract.* 3. *d.* 1. disseruimus.

Assero tertiò, animas rationales non traduci per generationem; sed à Deo solo esse.

Probatvr à D. Bonau. 1. *fund.* 1. ex Isa. 57. *Omnem flatum ego feci.* vbi Hebraica ex Pagnino, *Animas.* Alludit ad id Genes. 2. *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Qui textus est grauissimus.

Addit *quæst. præced.* primò illud Psal. 32. *Qui finxit singillatim corda eorum*; vbi Glossa exponit, Animas, & *dist.* 27. *art.* 1. *quæst.* 1. *arg.* 2. addit illud Eccles. 12. *Spiritus redeat ad Deum, qui fecit illum.* Idem habet ad hunc locum Ecclesiast. His locis vsus est etiam Valentia, *loco citato.*

Probatvr secundò à D. Bonau. authoritate
144 Patrum, præcipuè D. Aug. supra Genes. *ad litt.* & *lib. de Ecclesiasticis dogmatibus*, qui apud Theologos est magnæ authoritatis, Ibi, *cap.* 13. habet: *Animas hominum non esse ab initio inter cæteras intellectuales naturas; nec simul creatas, sicut Origenes fingit: neque cum corporibus per coitum seminantur, sicuti Luciferiani, & aliqui Latinorum præsumptores affirmant, quasi naturæ consequentiam seruantes: Sed dicimus, creatorem animæ solum Creatorem omnium nosse; & corpus tantum per coniugij copulam seminari; Dei verò iudicio coagulari in vulua, & compingi, atque formari, ac formato iam corpore, animam creari, atque infundi, vt viuat in vtero homo, ex anima constans, & corpore; & egred... viuus ex vtero, plenus humana substantia.*

Idem fatentur alij Patres, præcipuè Hieronym. epist. ad Pammach. Leo, *epist.* 92. *ad Toril. cap.* 10.

Probatvr tertiò ex D. Bonau. ex Arist. *lib.* 2. *de Generatione animalium, cap.* 3. vbi, cæteris animabus enumeratis, infert, solam rationalem exteriùs aduenire, dicens: *Relinquitur igitur, vt mens sola deforis adueniat, eaque diuina sit.* Hàc authoritate nititur etiam Valent. *col.* 1074.

145 Probatvr quartò à D. Bonau. Omne, quod educitur è materia per generationem, est corruptibile; sed anima rationalis est incorruptibilis, secundùm omnes Philosophorum sectatores: ergo non est per naturam propagabilis. Maior probatur. Omne, quod educitur è materia, pendet ab ea, & est inseparabile; sed omne tale est corruptibile, per naturam: ergo. Maior est D. Hieronym. *epist. ad Pammach. & Anapsychiam*: vbi pro eodem reputat, animam ex anima nasci, & simili cum brutis animantibus conditione subsistere. Hoc argumento nititur Valentia, *col.* 1073. Ruuius *de Anima separata, quæst.* 2. *art.* 9.

Probatvr quintò à D. Bonau. *fund.* 4. Si anima rationalis generatur; aut gignitur ex corpore, aut gignitur ex anima. Non ex corpore: quia spiritus è corpore non educitur, cùm sit subiectum improportionatum; anima enim est spiritus ex Arist. 3. *de Anima, text.* 4. ex D. Aug. *de anima, & eius origine, lib.* 1. *cap.* 5. & *lib.* 4. *c.* 12. Neque potest educi ex anima: quia vel educitur ex tota, vel ex parte; non ex parte animæ, quæ sit anima; cùm ipsa sit indiuisibilis: neque ex tota; alioqui generans dat genito suam animam. Præterea à quo agente naturali gignitur? non enim potest à corpore agente gigni. Hæc passim etiam Valentia.

Probatvr sextò à D. Bonau. *fund.* 5. Si gignitur anima, ex materia, & forma producitur, vt 246
etiam probat D. Aug. 7. *de Genes. ad litt. cap.* 6. & *sequentib.* & nos probauimus, *quæst.* 7. Cùm ergo producitur, vel producitur ex materia præiacente; aut simul cum ipsa producitur eius materia: Si simul producitur eius materia: ergo producitur ex nihilo: ergo à solo Deo: quia virtute naturali, ex nihilo nihil fit: Si producitur ex materia præiacente; quæro de illa materia; aut est corporalis, aut spiritualis: Si corporalis, ex ea non potest fieri anima. Si spiritualis: aut habet formam, aut non; si non, quomodo stat in rerum natura; cùm omne naturale esse dependeat à forma? Si habet: ergo vel erit Angelus, vel anima; non Angelus: ergo anima; sed ex eodem non fit idem numero: ergo ex ea non potest fieri anima.

Probatvr septimò à D. Bonau. *fund. vlt.* Si anima esset ex traductione per generationem, diuideretur in generatione, cùm diuiditur semen; sed multa semina sunt, quæ non perueniunt ad organizationem; imò plura frustrà effunduntur, quam ad formam reducantur: ergo vel essent animæ rationales sine suis corporibus, vel periret tam nobilis forma, quorum vtrumque est absonum. Hoc argumentum, ait Alphonsus de Castro, à se inuentum; cùm tamen sit D. Bonau. à quo id desumpsit etiam Richard. *in* 2. *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 2.

Probatvr octauò *in corpore*, à D. Bonau. 247
contra Pelagianos: Si propter originale peccatum anima producitur ex anima: ergo vel anima Christi non esset de specie aliarum animarum; vel fuisset originali næuo ipse conspersus, quorum vtrumque est impium.

Probatvr nonò ibidem, congruentiâ, sumptâ ex dignitate animæ, & nobilitate eius. Cùm enim sit imago Dei, & nata immediatè ferri in Deum, & beatificari, in ipso diligendo ex toto corde, totum suum esse debuit ab ipso immediatè habere, vt in ipsum solum tenderet.

Probatvr decimò *ibidem.* Nullum agens naturale potest producere substantiam immortalem subsistentem; sed omnis anima rationalis est substantia immortalis, per se subsistens, independens à corpore: Ergo. Maior probatur. Omne agens producit ex materia transmutabili; sed substantia immortalis non potest substantiari in materia transmutabili: ergo nullum agens potest producere substantiam immortalem. Confirmatur: quia solus Deus habet vitam, per se indeficientem: ergo solus eam potest impertiri.

Obijcies primò aliqua loca Scripturæ. Primus 248
est *Genes.* 46. vbi habetur: *Omnes animæ, quæ egressæ sunt de femore Iacob, sunt sexaginta sex.* secundus est *Genes.* 2. vbi dicitur: *Tulit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, & ædificauit eam in mulierem*: vbi non habetur; inspirasse spiraculum vitæ in Euam: ergo tota Eua ex costa genita est. Tertius est *Genes.* 2. vbi dicitur: *Deus requieuit ab omni opere creationis*: Ergo animæ ampliùs à Deo non creantur.

Respondet D. Bonau. *ad primum*, ibi accipi animas pro hominibus, qui ab animabus specificantur. Sic solemus dicere: In hàc vrbe sunt mille animæ.

Ad secundum ait non oportuisse addere inspirationem pro anima Euæ; cùm in simili productione Adæ, idem debeat & de Eua intelligi, cùm ambo fuerint eiusdem naturæ.

Ad tertium respondet D. Bonau. *in 2. dist. 13. quæst. vlt. ad 4.* Deum requieuisse tunc à creatione; ita vt ampliùs nouas non condat, quod non excludit nouam indiuiduorum creationem. Quòd enim Deus operetur adhuc, probatur à D. Bonauentura, ex illo Ioan. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Ita respondet etiam D. August. *Epist.* 28. & Valentia, *col.* 1074.

249 Obiicies secundò. Certum de fide est id, quod ait Apostol. Ephes. 2. *Omnes nascimur filij iræ* per peccatum originale; sed non nascimur tales ex parte carnis, sed in anima; nec sumus filij iræ à natalibus, nisi quia sumus filij Adæ: ergo, secundùm id, quo sumus Rei, propagamur ex Adam.

Hoc argumentum grauiter torsit D. Augustinum, vt sæpè repetit *epistola* 28.

Respondet tamen D. Bonauentura contrahi peccatum originale per hoc, quòd accipimus naturam humanam à parente, descendente ex Adam; quoniam etsi parens non est causa immediata ipsius animæ; tamen est causa immediata vltimæ dispositionis, ex qua naturaliter sequitur vnio substantialis animæ, & corporis, per quam homo constituitur: sic autem in vnione cum carne infectâ, remanet anima carens iustitiâ originali: quare redditur exosa Deo; eò quòd debebat eâ iustitiâ esse ornata; eâ verò caruit, voluntate primi parentis: in qua ex pacto omnes fuimus. Hanc responsionem sequitur etiam D. Thomas, *p. 2. quæst.* 81. *articulo* 1. *ad* 2. & Valentia, *loco citato*, *ad* 4. & cæteri.

250 Obiicies tertiò. Posse generare est entis completi; sed anima rationalis inter alias formas est completa: ergo, si aliæ formæ habent virtutem multiplicandi se, multò magis anima rationalis.

Respondet D. Bonauentura, non omnis entis completi esse generare; sed eius entis, quod habet materiam transmutabilem, ex qua possit res produci. Talem autem materiam non habet anima, ex qua producat animam incorruptibilem.

Obiicies quartò. Magis conuenit homo cum homine, quàm brutum cum bruto; & perfectior est vis generica in homine, quàm in bruto: sed brutum generat brutum, etiam quoad animam; vt ostendam *assert.* 4. Ergo. Confirmatur: nam generatio residet penes animam, cùm ergo homo producit hominem, principaliùs producit animam.

Respondet D. Bonau. negando paritatem: quia, cùm forma bruti sit corruptibilis, potest educi ex materia; anima verò rationalis, cùm sit hoc aliquid incorruptibile, non potest è materia propagari; ideò ex nihilo creanda est.

251 Quòd verò Anima non possit produci ex præiacente materia, ostendit latè D. Augustinus *septimo supra Genes.* per totum, & *libro* 10. *capite* 5. *Tom.* 3. eò quòd illa materia nequeat esse vel corporalis, vel spiritualis.

Ad confirmationem respondet S. Bonauent. generationem respicere principaliter animam in ratione agentis; non tamen, vt id, ex quo: sed hâc ratione respicit corpus, ex quo producit; & quia decisio potest fieri à corpore, non ab anima: hinc ordinatur ad productionem corporis humani, non autem animæ rationalis.

Obiicies vltimò. Indignum Deo esset tot fœtibus adulterinis animas infundere: sic enim videretur applaudere, & arridere facinori.

Respondet D. Bonau. cum D. Augustino *loco cit.* & D. Hieronymo, *lib. 2. contra Rustic.* hinc potiùs Dei benignitatem, & bonitatem dignosci, qui adulterinis actibus non ita irascitur, vt deneget id, quod in ordine naturæ statuit: vnde infundens animam non respicit ad peccatum, sed ad animam; neque verò in fœtu ipso est peccatum: sic animat & segetes è granis, furto sublatis: nec est simile de gratia, quæ non respicit naturam, vt natura est, sed magis, vt ad Deum conuersa est.

Assero quartò, Animas brutorum educi ex materia, non autem creari. ità D. Bonau. *dist.* 15. *quæst.* 1. 252

Probatur à Diuo Bonauentura, primò, ex Genes. 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis. Producat terra animam viuentem.*

Probatur secundò à Sancto Doctore ex Aristotele, 2. *de Animalibus, cap.* 3. vbi ait: *Mens igitur sola intrat ab extrinseco.*

Probatur tertiò à Sancto Doctore. Ex eo res producitur, in quod resoluitur; sed animæ animalium non resoluuntur in nihil, sed in materiam: Ergo.

Probatur quartò à Sancto Doctore. Ex eodem sunt animæ istorum brutorum existentium, & eorum, qui primò conditi sunt. Sed istæ sunt ex materia; ergo. Minor probatur; si non essent ex materia, non possent ab agente naturali produci: quia natura non potest è nihilo producere; sed natura potest facere animal, vt dicam: ergo.

Probatur quintò à Sancto Doctore. Ea, quæ pendent à materia in esse, & conseruari, sunt educta è materia; sed tales sunt animæ brutorum; ergo. Confirmatur: Ideò anima nostra est immortalis, quia est independens à materia corporea, non enim fuit ex ipsa educta, sed è nihilo.

Probatur sextò. Opus quod est ad ornatum, supponit opus distinctionis; & opus distinctionis supponit opus creationis; sed in distinctione corporum non fuit noua creatio: ergo multò minùs in ornatu, sed animæ ad ornatum spectant: ergo non sunt productæ ex nihilo.

Hoc argumentum videtur retorqueri sic: Sed animæ rationales etiam ad ornatum spectant: ergo non sunt creatæ.

Respondetur, hominem non ad distinctionem, vel ornatum spectare, sed esse veluti Regem, cui parabatur aula: ideò de illo non currit hic ordo. 253

Assero quinto, Animas brutorum educi ab agente naturali, è materia.

Probatur à D. Bonau. primò ex Aristotele *lib. 2. de Generat. animal. cap.* 3. vbi quærit, vtrùm omnes animæ extrinsecùs adueniant; an verò ex semine oriantur. Respondet, eas, quæ in operationibus pendent à corpore, non posse ab extrinseco aduenire, & infert. *Restat igitur, vt sola mens extrinsecùs accedat, eaque sola Diuina sit*; & hoc sic intelligitur, exponente Fauentino ex Scoto, *loco citato*, mentem extrinsecùs aduenire, ratione principij productiui: quia à solo Deo producitur: non autem educitur è materia. Tunc sic arguo ad hominem. Quando fit distinctio inter aliqua plura in aliquo, & ex his vnum solùm ab aliqua proprietate excluditur, tunc reliqua manent inclusa; sed per Aristotelem: apud Fabrum, animæ nostræ, & 254

animæ

animæ sensibilium in hoc distinguuntur, vt sola nostra anima non è materia ab agente naturali, sed à Deo extrinsecùs adueniat: ergo, per vos, reliquæ producuntur ab agente naturali è materia.

255 RESPONDET Fauentinus Aristotelem posteà asserere, omnes animas extrinsecùs aduenire. Contrà: nam idem esset dicendum de vegetantibus. Deinde ostendo, hoc esse falsum: nam subdit, corpus seminis habere quandam virtutem suprà elementarem, & vocat virtutem eam spiritus, & magis dicendã, quàm elementarem: Hanc verò esse in ipso semine, sic enim ait: *Est spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur*, Hinc patet, non esse virtutem extrinsecam à Deo solo, vt fingit Faber. Tandem verò concludit Philosophus, *de anima, quemadmodum conceptus, & genitura habeant eam, definitum iam est, potentiâ enim habent, actu non habent*: Ecce anima est in potentia generatiuæ: subdit tandem, animam non continere animam actiuè, id enim (ait) à maris semine affertur, vt notat D. Bonau. *in corpore*.

256 PROBATVR secundò à D. Bonau. *in corpore*, ex D. Augustino *de Genes. ad litt. cap. 23. & lib. 5. per totum*, & ad Orosium, quibus in locis clarè dicit, sicut in semine arborum sunt arbores, ità in semine animalium esse animalia, & animas.

PROBATVR tertiò, *fundamento 2.* Si animæ brutorum à solo Deo essent, & non ab agente naturali, crearentur: sed non creantur: ergo. Probatur sequela. Ideò animæ nostræ dicuntur creari, quia non educuntur ab agente naturali è materia.

RESPONDET Fauentinus, præcedere in materia dispositiones ad Animas, brutorum ideo non esse creationem.

CONTRA: quia dispositiones illæ non attingunt animam per se, sicut neque dispositiones corporis humani: quod tamen necessariò supponitur, productioni animæ nostræ, quæ producitur in corpore, & tamen ipsa creatur: ergo etiam istæ sensitiuæ creantur. Hoc argumento vtitur Iauellus 7. *Metaphysic. quæstione 12.*

PROBATVR quartò à D. Bonau. *fundamento tertio, quinto, & in corpore.* Omnis forma, à natura corruptibilis, est etiam generabilis; sed animæ brutorum sunt à natura corruptibiles: ergo. Confirmatur: Forma physica materialiter non excedit virtutem materiæ.

257 EX his habes, multò magis corpus animale esse à natura, contra Scotum. Probatur: alioquin non posset Isaac dici filius Abrahæ; quia anima non producitur, sed neque vltrà disponitur. Idem sequeretur de Leone, respectu Leonis; & ità in viuentibus tolleretur generatio.

DICES, *Machabæorum 2.* Mater illa negat fuisse à se genitos filios, sed à Deo.

RESPONDETVR, eam solùm velle, Deum fuisse primam causam, sine qua ipsa nil poterat operari.

OBIICIES primò, cum Scoto, & Fauentino. Semen est principium tantùm passiuum generationisque materia vniformis: ergo non potest agere ad educendam animam; alioquin idem esset passiuum, & actiuum, ageretque in se ipsum.

258 RESPONDET D. Bonauent. *in corpore, & fundamento 1.* semen habere quid passiui, & etiam actiui; ei enim indita est à Deo virtus, quæ est in materia, initiò data desuper ad producendas animas sensibiles, vt testatur Genes. 1. *Producant aqua reptile. Producat terra animam viuentem.* De hac enim virtute seminariâ testantur Aristoteles, D. Augustinus *locis adductis*, & Galenus, qui eam vocat Diuinam, vt dixi *Tract. 8. disput. 5. quæst. 22.* Itaque spiritalis est, & calore tanquam instrumento animæ generantis operatur, & subtilibus spiritibus agit, ac crassis partibus recipit; vt ait Aristoteles, & D. Augustinus *locis adductis*. Potest igitur calor ille, potest & spiritus agere ad organizandum semen, ac disponendum, vt ex eo corpore educatur anima; materia enim habet in potentia formas, ità vt disposita, agentibus causis, effundat illas: agit autem virtus, quæ mansit in semine, etiamsi decisum sit, & absens, imò etiamsi simpliciter non sit, & mortuum animal generans, sicuti manet virtus proiicientis sagittam in sagitta, etiamsi proiiciens statim intereat. Agit etiam Sol, cum cæteris astris, agit etiam mater, fouendo calore suo, agit etiam anima matris, vt ait D. Bonauent. in semen, concoquendo, licet magis recipiat, quàm agat, & ob id dicatur passiuè se habere.

OBIICIES secundò. Quod non est, non potest 259
operari, sed generans non est in semine, olim deciso, imò potest esse mortuum: ergo non potest operari.

RESPONDET S. Bonau. ex dictis, satis generans adesse in semine, vt possit operari.

OBIICIES tertiò. Quod non est, non potest operari, sed neque semen est, dùm educitur anima, cùm sit corruptum, & mutatum in corpus organicum: ergo non potest educere animam.

RESPONDETVR primò, idem in sententia Scoti, secuturum in generatione mixti: nam elementa coagentia corrumpuntur, & iis corruptis, gignitur forma mixti; ergone recurrendum ad Deum?

DICET Scotus, manere virtutes elementorum.

RESPONDETVR igitur, manere etiam in corpore organico virtutem seminariam, adiutam à Syderibus, & anima generantis matris agente in corpus organicum; vt indè educatur anima.

OBIICIES quartò. Nulla causa potest producere effectum perfectiorem se: At semen est imperfectius animali; est enim corpus inanime, imperfectum, sordidum: ergo.

RESPONDET S. Bonau. ex dictis, cùm D. Au- 260
gustino, Aristotele, & Galeno, semen, virtute præditum generatiua, & licèt sit imperfectum, quatenùs non est vltimum intentum permanens, & stabile, tamen est perfectius animali, quatenùs habet virtutem illam Diuinam generatiuam. Vndè, sicut potest producere corpus organicum perfectius se, ità educere valet animam.

EX his collige primò, sensitiuam, & vegetatiuam hominis non traduci per generationem; sunt enim vna forma simplex in rationali; sicut Tetragonus in Pentagono, vt dixi *quæstione quarta*.

COLLIGE secundo, Animam sensitiuam annulosorum, & vegetatiuam, educi virtute agentis naturaliter.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum aliqua ANIMARVM *sit è Dei substantia.*

D.Bonauent.dist.17. quæst.1.
D.Thom.quæst.90. art.1.

HÆC quæstio iam soluta ex dictis videtur: eam tamen cum D.Bonauent.propono, ad elidendas hæreticorum insanias, qui animam nostram à Deo factam; & tamen ex Dei substantia ingene-
261 rabili ponebant, vt notat D. Bonauent. *in corp.* Hi fuere Manichæi, vt refert D. Bonau. *in corpore,* post D.Aug.lib. contra Fortunat. & Priscillian. vt testatur Concil. Brachar. 1.*cap.*5. & alij, quos indicat S.Bonau.& refert Valentia *Tom.*1. *disput.*6. *quæst.*8.*punct.*1.Idem primò docuit Carpocrates,vt refert D.Irenæus,*lib.*1.*in heres.cap.*24.& alij apud Ruuius *Tract.de anima sep.quæst.*1.& Marcus Tull. cum Platonicis, apud Perer. *in cap.*2. *Genes. ver.*7. vbi quæstionem hanc à S.Bonau. & S. Thoma accuratè actam dicit. Adducit etiam pro eodem errore Lactant. *lib.*2.*Instit.*

ASSERO, animas nostras non esse eductas è Dei substantia.

PROBATVR à D.Bonau.è scripturis, quæ asserunt animas in tempore factas, Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Si anima est facta: Ergo non est Dei substantia immutabilis. Si est similis Dei substantiæ: Ergo non est ipsa;sicut etiam Verbum,quia est Imago Patris non est ipse Pater, nil enim est sibi simile, sed alteri relatiuo.

INDVCIT S. Doctor *ad primum* id Genes. 2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, &c.* vnde erroris ansam hæretici raptarunt.

PONDERAT S.Doctor,idiomatis sancti gnarus, verbum נָפַח NAPACH, signans insufflare, vel flatum emittere, quod metaphoricè certò accipiendum est de Deo,spiritu simplicissimo,qui flatum,vel etiam spiritum non habet a se separabilem.

PONDERAT & nomen נְשָׁמָה NESSEMAH signans flatum seu halitum, quasi vaporosum. Exprimitur sanè anima vocabulis Metonymicis ab effectibus dandi respirationem, & inspirationem. Hebraicè enim dicitur נֶפֶשׁ NEPHES à spirando & sufflando. Latinè vocatur ANIMA à Greca voce ἄνεμος ANEMO, idest ventus, vt dixi *quæst.*1. Græcè ψυχὴ à ψυχάζω refrigero. Ideò (vt ait Plato in Cratylo) quia anima, dum est in corpore dat
262 respirationem, quæ recedente anima cessat, veteres sic eam appellant. Hinc infert. *Factus est homo in animam viuentem.*

HINC deducit S.Doctor Inspirasse Deum, Iubendo,spiritum fieri,seu creando animam,seu spiritum infundendo; & insufflare, esse spiritum facere, & factum infundere.Sicuti cum alia opera fecit, iubendo, dicendo, non organicè, etsi Oleaster, & Engub. falsò dicant, Deum in corpore assumpto locutum. Sanè Deus phrasi hebræa dicit, iubens; vt ait Paulus, Rom. 4. *Vocat ea, quæ non sunt, &c.*

QVONIAM verò Ioan. 2. Christus Insufflans dedit Spiritum Sanctum, vt ostenderet eius à se emanationem, vt multi Patres exponunt; monet S. Doctor diuersam esse eam insufflationem, aliter enim Græcè legitur significando processionem Spiritus Sancti à Verbo.

AFFERT etiam illud Ecclesiast. 12. *Spiritus reuertatur ad Deum, qui dedit illum,* idest, exeat è corpore, & redeat ad quietem in Deo, à quo productus est. His vtitur etiam Valentia, Ruuius, & alij *loco citato.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. ex omnibus 263
illis Scripturæ locis, in quibus Deus dicitur Immutabilis, Sapientissimus, Perfectissimus, infinitè Beatus, Immensus,Omnipotens,ipsa Bonitas,Actus purus:E contrà verò anima dicitur mutabilis,in potentia, imò peccabilis. EZECH. 18. *Anima, quæ peccauerit,ipsa morietur.* Ioan.12. *Qui amat animam suam,perdet eam.* Dicitur infirma, Psal. 40. *Sana animam meam.* Dicitur passibilis,Ecclesiast. 2. *Vidi in omnibus vanitatem,& afflictionem animi.* Dicitur pars corporis, Ecclesiast. 12. *Corpus ad puluerem, anima ad Deum redeat.* Dicitur ignorans, vel non sapiens. Eodem medio vtitur D. Thomas. Hinc etiam sequitur, non posse Diuinam essentiam esse materiam,ex qua producatur anima; alioquin,cùm materia sit inferior formâ educendâ, iam Deus erit imperfectior Animâ nostrâ; supposito, quòd tota Deitas sit, ex qua educatur; neque potest educi ex aliqua parte Deitatis; cùm Deus sit summè simplex, vt arguit S. Doctor hic, post D. Augustin. *epist.*28. Leonem, *epist.*93. Chrysost. *homil.* 11. *in Genes.* Nazian. *orat.*2. *in Paschate*, quos sequitur Valentia *loco citato* Vide Seraphicum.

EX his habes, Animam è nihilo produci, cùm non traducatur per generationem; nec ex aliqua substantia educatur,sed à Deo,modo supernaturali, qui solet latè nuncupari *Creatio.*

QVÆSTIO XIX.

Vtrum producatur ANIMA *ante corpus.*

D. Bonau. dist.17.art.1. q.3.& d.18.art.2.q.2.
D.Thom.p.1.quæst.90. art.4.

QVÆSTIO est de sola rationali; reliquæ enim, cùm materiales sint è corpore eductæ, nequeunt esse ante corpus.

ASSERO primò, animas nostras creari in corpore; vt Deus eas creet infundendo,& creando infundat. Ità Magister, *distinct.*17. & post eum Diu.
Bonauent. & omnes Scholastici, *distinct.* 17. vel 264
decima octaua.

PROBATVR à D. Bonauent. *dist.*28. *quæst.* 1. ex illo Psalm.32. *Qui finxit singillatim corda eorum,* idest, *animas,* vt Glossa exponit.

PROBATVR secundò à D.Bonauent, ex *lib. de Eccles.dogmatibus*, vbi habetur: *Tenendum est,quòd anima non sunt creatæ simul.*

PROBATVR tertiò à D. Bonau, ex absurdis, quæ sequerentur, éstque argumentum etiam Diu. Gregor.Nysse. *disput.de resurrect.& anima*; si enim anima creata est ante corpus,habuisset vsum rationis: ergo meruisset; vel demeruisset, quod est contra Apost. Roman. 9. *Antequam aliquid boni, aut mali egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et est error damnatus Origenis, vt testatur

D.Greg.

D. Gregor. Nyssenus *loco citato*, & *lib. de opificio hominis, cap.* 28. & 29. & Priscillianistarum, vt decernit D. Leo Primus, *epist.* 93. & fuit error Ioannis Episcopi Hierosol. vt scribit D. Hieronymus, *epist. ad Pammachium.*

Ex quo patet, eum non damnari absolutè in se, vt hæreticum, dicere, animas creari ante corpora, sed ob consequentia, scilicet, ante corpora eas emeritas, vel demeritas, & alia similia absurda, quæ insectatur S. Bonau. quem vide.

265 Probatvr à D. Bonau. etiam *in corpore*, contra Platonem, & Macrobium, *in somnio Scipionis*: vbi dixit, animas creari in stellis, & inde per viam lacteam in corpora descendere. Proprius actus debet fieri in propria materia; sed anima est actus proprius corporis, ex dictis *quæst.* 9. ergo, Maior probatur. Omnis res, quæ à Deo producitur, producitur in suo statu perfecto; sed status perfectionis animæ est, esse in corpore, cuius vnioni destinatur: ergo. Hoc argumento vtitur etiam D. Thomas, *quæst.* 90. *art.* 4. & Valentia *disp.* 6. *quæst.* 8. *puncto vltimo, col.* 1076. Aduerte, animam in corpore habere suum esse perfectum, ex natura sua; tametsi ratione status naturæ lapsæ grauetur; ex quo oppositum inconueniens deducit D. Bonau. *fundament. vltimo.* Quia, cùm anima grauetur mole corporis, si extrà crearetur, esset exornata, & in statu perfectiori; & ita transiret ad statum imperfectiorem, quod est contra ordinem naturæ.

Ex his arguit Philosophicè etiam contra Origenistas, Manichæos, & Priscillianistas: Si animæ circuirent multa corpora, non essent formæ corporum. Probatur sequela: quia forma est actus intrinsecus sui corporis, seu potentiæ suæ, quam actuat, & ad quam inclinatur. Vnde horret mutationem, seu separationem: Ideò ait Apost. 2. Corint. 5. *Nolumus expoliari, sed superuestiri*, quod non esset verum, si anima descenderet in corpus, tanquam in carcerem, ob patrata anteà facinora.

266 Probatvr secundò à D. Bonau. *in corpore*: quia animæ, de fide, dum vniuntur corporibus, contrahunt originalem labem, nec habent actualem vllam, vt habetur *Rom.* 9. Ideò non potuit præcedere vsus liberi arbitrij, quod difficile est sustinere, si animæ erant ante corpora.

Probatvr tertiò à D. Bonau. *ibi*; quia animæ nostræ sunt, vt tabula rasa, & egent, omnia addiscere; at difficile esset sustinere, eas ante corpora nil didicisse; quòd si didicissent; aliqua saltem recordaremur.

Ob has duas rationes damnat in fide id asserentes de animabus nostris: quæ rationes, cùm non currant de anima Adæ, quæ nec ab initio fuit labe polluta, nec ignorans; non ideò tantá falsitate assereretur fuisse ante corpus, licèt falsum sit; ex quo habetur, quòd nimis audacter Castro damnat hæresis D. Philastrium, Brixiensem Episcopum, dicentem, animam Adæ fuisse ante corpus, eâ ratione nixum, quia in Genesi primò dicitur Deus creasse hominem ad imaginem suam (vtique secundùm animam) deinde accepisse limum, & formasse corpus.

Fateor, me stomachari; nam etiam D. Augustinus dubius in hac viritate fuit, vt habetur in loco relato à D. Thom. *quæst.* 90. *art.* 4. ait enim: *Credatur, animam ante corpus creatam; si tamen nulla Scripturarum authoritas, aut veritatis ratio contradicit.* Hoc vltimum non dicit dubitando, vt putat D. Thomas, & cùm D. Augustinus fuerit in Scripturis versatissimus, dùm profitetur, se nescire aliquam scripturam, vel reuelationem in contrarium, infert, id non esse errorem: quia id deesse videtur Scripturæ, quod S. Augustinus ignorauit, vt de eo scribitur: Quinimò Magister anceps fuit; & multi Patres, citati à Sixto Senensi, & Pererio, id tenuère. Ideò Sanctus Bonauentura non audet hanc sententiam damnare. Decebatne igitur Castrum, iuniorem, & inferioris notæ Doctorem, damnasse Sanctissimum Philastrium, qui hæreticis perpetuò fuit infensissimus, & Ecclesiæ sapientissimus Doctor?

Assero quidem, animam primi hominis creatam fuisse in corpore. Ita D. Bonau. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 3. 267

Probatvr à D. Bonau. primò ex illo Genes. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Quo testimonio etiam Valentia nititur.

Probatvr secundò à Diuo Bonauent. Forma producitur in materia; sed anima est forma corporis: Ergo.

Probatvr tertiò. Quantò forma est nobilior, tantò in materia est intimior; sed anima est forma nobilissima: ergo.

Probatvr quartò. Ordinata productio procedit ab imperfecto ad perfectum: si ergo perfectio omnium operum facta est in homine, maximè quantùm ad animam, videtur, debuisse hominem quoad animam vltimò produci.

Probatvr quintò. Anima, si producta est ante corpus: ergo meruit, vel demeruit ante vnionem; ergo corpus non est particeps omnis meriti, & demeriti, contra dictum Apostoli, hominem iudicandum, prout in corpore gessit.

Probatvr sextò. Si anima Adæ ante corpus esset producta, aut appetiisset vniri corpori, aut non; si non: ergo vnio eius ad corpus non est naturalis; nec vnio eius ad corpus fieret per naturam; si sic: ergo appetebat corpus, quod non habebat. Si ergo corpus ei differebatur, ipsa in appetendo affligebatur: ergo pœna erat ei inflicta ante culpam. Hoc ferè argumento vsus iam fuit D. Hieronymus ad Pammachium. Ad locum, qui monit D. Philastrium, respondet D. Bonau. dictum esse solùm per recapitulationem.

Ex his habetur, animam in corpore non habere quidem esse perfectius, sed modum essendi perfectiorem. Ita D. Bonau. *in* 2. *dist.* 1. *quæst. vlt.* & *d.* 43. *quæst. vlt.* Scotus, *d.* 44. *quæst.* 2. D. Thomas, *in* 4. *dist.* 49. *art.* 4. & *de potentia, quæst.* 5. *art.* 10. & *p. p. quæst.* 55. *art.* 1. 268

Probatvr: quia non immutat naturam, sed tantùm habet sui appetitûs complementum. Vnde sequitur, etiam eam habere perfectiorem modum ad operandum. Quâ distinctione ruit oppositio Durandi dicentis, non perfici operationem, quia non perficitur esse. Respondetur, non perfici esse moraliter; & hoc sufficit.

Dices. Anima rationalis post corpus manet independenter: ergo non est ratio, quæ neget, illam fuisse ante corpus.

Respondet S. Bonau. *quæst. vlt.* addrêcta in margine, *ad vltimum*, non esse eandem rationem; nam ideò durat, quia est æuiterna; at verò à productione est forma; ideò proprio actu fungi debet; etsi per culpam separanda. Ita & D. Thomas, cui soli adscribitur responsio à Ruuio, *de anima separata quæstione* 1. *art.* 2.



DISPVTATIO II.

De Potentiis Animæ in communi.



Nimæ, Sensitiua, & Vegetatiua, in se quidem plures formæ sunt: attamen in rationali sunt potentiæ; vt asserunt communiter Philosophi, ac Theologi, cum D. Bonauentura, *in 2. distinct. 31. quæst. 1.* & *dist. 17. & 18. & in Opusculis* passim. Quia verò nobis agendum erit de illis, & vt animæ, & vt potentiæ sunt; antequam de iis in particulari disseramus, agendum erit de potentiis in communi; sicuti de Anima in communi hactenùs disserui.



QVÆSTIO I.

Vtrùm dentur in Anima Potentiæ, *ab Anima distincta.*

{ D. Bonau. in 1. d. 3. p. 2. art. 1, quæst. 3.
D. Th. p. p. quæst. 77.

Svppono primò hîc, dari simpliciter aliquas in Anima potentias. Ita D. Bonauentura, *in 1. distinctione 3. parte 2. art. 1. quæst. 3.* Ibi, *quæst. 3.* id probat ex D. Dionysio, *de Angelorum Hierarchia, cap. 1. circa medium*, vbi ait: *In quolibet creato differunt hæc tria, Substantia, Virtus, & Operatio.* Deinde id probat passim ex variis animalium operationibus.

Svppono secundò, quinque enumerari potentias; Vegetatiuam, à qua est opus vitæ; Sensitiuam, à qua est sensus; Motiuam, Appetitiuam, & Intellectiuam. Hæ etiam subdiuiduntur, vt infrà disseram.

Qværitvr ergo: an sint distinctæ ab anima, & quomodo.

Prima opinio est, potentias esse ipsam animam formaliter; atque adeò eam esse suum intellectum, suum sensum. Ita Gregorius *in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 3.* Gabr. *art. 2. quæst. 2.* Ocham, *2. quæst. 24. & 26.* Marsil. *quæst. 22. articulo 2. & ante quæst. 16. articulo 3.* Saxon. *lib. 2. de Anima, quæstione de distinctione Potentiarum*, Burid. *2. de Anima, capite 3. quæst. 6.* Eos sequuntur Hurtad. *disp. 4. de Anima, sect. 4.* Arriaga, *disp. 3.* Lessius, *libro 2. de summo bono, cap. 8.* Dand. *2. de Anima, digressione 14.*

2 Secvnda, extremè opposita, opinio asserit, potentias animæ esse accidentia eius; atque adeò realiter distingui ab illa. Ita D. Thomas *loco citato*, quem sequuntur omnes Thomistæ, Caietanus, Bannes, & alij *ibi*, Capreol. *in 1. dist. 3. parte 2.* post Magistrum, eadem distinctione. Albert. *in eadem dist. art. vlt.* & *2. de Anima, quæst. 7.* Iand. *quæst. 9.* Marsil. Ficin. *lib. 10. de Theologia Platonis*; vbi allegat Platonem *in Timæo*, Sotus *in Logica, cap. de Proprio.* Alex. *2. p. quæst. 65. membr. 2.* Argentina *in 2. dist. 3.* Ægid. *quodl. 3. quæst. 10.* Heruæus, *quodl. 1. quæst. 9.* Addunt Simplicium, *cap. de Qualitate.* Damascen. *in Logica, cap. 51.* Auerroëm, & alios, quos sequuntur Suarez, *disp. 18. Metaph. sectione 3.* Conimbr. *4. de Anima, capite 3. quæst. 4.* Zabarel. *de facultate animæ, cap. 4.* Contar. *de Anima, quæst. 2.* Fonseca *3. Metaphysicorum, cap. 5. quæst. 1. sect. 5.* Auers. *quæstione 47. sect. 1.* Ruuius, *tract. de potentiis in genere, quæst. 1.* Morisan. *d. 1. de Anima, quæst. 11.* Amicus, *2. Physicorum, tract. 12. de causa efficienti, quæst. 10.* Toletus, *2. de anima, quæst. 9.* Valent. *p. p. d. 6. quæst. 3. punct. 2.* Molin. *quæstione 45. articulo 1.* Fuliens. *3. Physicorum, cap. 2.* Eustach. *3. parte Physicorum, tract. 1. disp. 2. quæst. 3.*

Tertia sententia media est, potentias animæ vegetatiuæ, quæ sunt *Generatiua, Nutritiua, & Augmentatiua*, identificari cum anima: potentias verò sensitiuæ, & intellectiuæ esse realiter distinctas. Allegantur à Ruuio Durand. *1. d. 3. quæst. 2.* & D. Bonau. *ibidem*; sed malè. Sequitur Suarez, *libro 2. de Anima, cap. 1.*

Qvarta sententia, media, est D. Bonau. hîc, eas distingui solùm formaliter. Idem docet *in 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 1.* Eum sequuntur Scotus *in 2. dist. 16. quæstione vnica*, & *d. 44. quæst. 2.* Faber *Theoremate 74.* Regentes Paris. *2. de Anima, quæstione 1.* Rabes. *d. 2. quæstione 2.* Rocch. *libro 2. quæstione 24.* Cathar. *quæstione 1. art. 9.* Meriner. *disput. 3. quæst. 2.* & omnes alij Scotistæ. Nauar. *in Man. prael. 3. part. 2.* Videtur Garzij, *sum. tract. 5. quæst. 2. art. 3.* Hurt. *loco citato*, Henrici *quodl. 3. quæstione 4.* eam probabilem credunt Valent *loco citato* Perer. *tract. 1. in Genes. lib. 6.* Fuliensis suprà citatus, & omnes ferè Philosophi plaudunt. 3

Assero primò, potentias animæ, egredientes ab ea, non esse accidentia animæ, sed idem realiter cum ea.

Probatvr à D. Bonauentura, ex D. Augustino, *lib. 10. de Trinit. cap. 11. tom. 3.* vbi ait: *Hæc tria, Intelligentia, Memoria, & Voluntas sunt vna mens, vna vita, vna essentia, ac per hoc vna substantia.* Idem habet *disp. de Imagine, cap. 11.*

Respondet Ruuius, *num. 13.* D. Augustinum solùm asserere, omnes potentias radicari in eadem anima, quæ cùm sit principium vnius, eiusdemque vitæ, & non plurium; ipsæ quoque potentiæ dicuntur esse vna vita, non plures, idest, in vna vita radicari, & non in pluribus; in quo sensu etiam asserit, non esse plures mentes.

Hæc sanè est interpretatio extorta: Verba enim D. Augustini sunt. *Hæc igitur tria, Memoria, Intelligentia, Voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed vna vita: nec tres mentes, sed vna mens: consequenter vtique nec tres substantiæ sunt, sed vna substantia. Memoria quippè quòd vita, & mens, & substantia dicitur, ad se ipsam dicitur*; & post pauca, *Quocirca tria hæc eo sunt vnum, quo vna vita, vna mens, vna essentia.* Quid clariùs? Hoc testimonium alio roborat Valentia, *ex 9. de Trinit. cap. 4.* Idem habet D. Isidor *lib. 11. Ethymolog. cap. 1.* 4

Respondet Toletus, D. Augustinum solùm velle, potentias fluere ab anima, & non esse tres animas. Hæc responsio est D. Thomæ, *quæst. 77. artic. 1.* vbi ait, esse vnum totum potestatiuum, quod dicitur de suis partibus. Imò est D. Bonau. *dist. 24. parte 1. art. 2. quæst. 1. ad 2.* Eam tamen, quoad hoc, retundit ibidem.

Contra

Contra: nam clarè dicit, esse vnam substantiam, vnam vitam, &c. Ideò hunc textum timent Conimbricenses.

Respondet D.Thomas 1. *loco adducto*, quòd D.Augustinus loquitur de mente, secundùm quod, noscit se, & amat se; sic ergo notitia, & amor, vt referuntur ad ipsam, vt cognitam, & amatam, substantialiter sunt in anima: quia ipsa substantia animæ cognoscitur, & amatur.

Contra: nam talis vnio est solùm accidentalis; at D. Augustinus vult, esse vnam substantiam, vnam essentiam: alioquin idem poterit dici de habitibus intellectus, & virtutibus voluntatis, quæ cognoscuntur, & amantur, esse vnum substantiale cum mente; & tamen ibi Diuus Augustinus hæc clarè distinguit. Probatur sequela, quia eadem vnione vniuntur; de qua vnione sanè Aristoteles testatur, *ex intellectu, & re intellecta vnum fieri; & intelligendo lapidem fieri lapidem*, scilicet accidentaliter intentionaliter.

Præterea Diuus Augustinus eandem vnionem ponit memoriæ, & voluntatis cum anima; at voluntas nón vnitur animæ immediatè, sed per amorem productum, qui est accidens, non substantia. Neque memoria substantialiter vnitur animæ per conuersionem ad speciem.

5 Probatur secundò à D. Bonauentura, ex D. Bernardo *in Cant. serm.* 11. vbi ait: *Quadam in anima intueor, Memoriam, Intellectum, & Voluntatem: hac tria ipsa est.* Idem habet Diuus Augustinus, *serm.* 3. *de temp. Tract.* 15. *in Ioannem*, & 10. *confess. cap.* 14.

Respondebvnt, D.Bernardum, qui *sermone præcitato* vestigiis D. Augustini insistit, asserere, causaliter esse verum, quatenùs sunt in potentia, seu essentia animæ, vt in suo principio vnificatæ.

Contra arguit S. Bonauentura alio testimonio D. Aug. quo superiora etiam Toleti, Collegij, & Ruuij eliduntur responsa; Nam D. Augus. *lib. de spiritu; & anima, cap.* 13. ait: *Dicitur Anima, dum vegetat; spiritus dum contemplatur, sensus dum sentit; Animus dum sapit, dum intelligit, Mens; dum discernit, Ratio; dum recordatur, Memoria: dum vult, Voluntas. Ista tamen non differunt in substantia, quemadmodum in nominibus, quoniam omnia ista vna anima est, proprietates quidem diuersa, sed essentia vna.*

6 Et D. Bernardus, *lib. de interiori domo, cap.* 67. ait: *Intellectum, Voluntatem, & Memoriam esse vnam animam; sicuti Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnus Deus.* Quo modo loquendi vtuntur etiam alij Sancti, qui nullam realem distinctionem ponunt inter essentiam, & relationes; sed volunt, esse eandem realiter substantiam, contra Gilbertum; Esto in anima ponant distinctionem formalem, quam in Diuinis inter essentiam, & relationes negant.

Et nè credantur, asserere, essentiam cum potentiis esse vnum, sensu causali; quatenùs ab vna, eademque essentia manant, vt Ruuius respondet, *num.* 14. Arguit D. Bonau. nam subdit D. Augustinus: *Anima est quadam sua, vt potentia; & quadam non sua, vt cardinales virtutes.* Quòd si sensus causalis esset, idem diceretur etiam de virtutibus, quæ fluunt ab anima.

Ne autem sit effugium dicendi, virtutes non esse animam: quia potest eas amittere, non potentias, afferam verba D. August. *loco citato*, quibus apertè loquitur in nostro sensu. Primò igitur D. Aug. definit animam: *Anima est spiritus intellectualis, rationalis, semper viuens.* Deinde dicit, eam variis nominibus vocari, quæ non differunt in substantia, vt dixi.

Svbdit verò: *Tota anima essentia in his potentiis suis consistit, &c. Vna, eademque substantia secundùm diuersas potentias, diuersa sortiuntur vocabula. Tota namque anima substantia in his tribus plena, & perfectâ consistit, idest, in rationalitate, concupiscibilitate, & irascibilitate, quasi quadam suâ Trinitate; & tota hac trinitas est quadam anima vnitas, & ipsa anima Deus est omnia sua, & anima quadam sua. Habet siquidem naturalia, & ipsa omnia est. Potentia namque & virtutes eius idem sunt, quod ipsa. Habet accidentalia; & ipsa non est. Sua vires, & sua virtutes non est. Non enim est sua prudentia, sua temperantia, sua fortitudo, sua iustitia.* Quid clariùs? 7 Distinguit igitur potentias animæ à virtutibus: quia illæ sunt substantia animæ; istæ verò sunt accidentia. Notat verò *ad argumenta*, hoc non probare omnimodam vnitatem cum essentia, sed tantùm non transire in aliud genus. Eadem habet D. Isidor, *lib.* 11. *Ethymolog.*

Probatvr tertiò à D. Bonau. argumento, quo vtitur Scotus, *loco citato*, Mastrius, *num.* 2. Fauentinus, *argumento* 4. Idem est principium essendi, & operandi; sed anima est principium essendi: ergo & operandi; sed operatio est à potentiis: Ergo essentia, & potentiæ sunt vnum. Maior probatur; primò, quia potentiæ, secundùm aduersarios, sunt actiuæ; similiter & forma substantialis: alioquin non benè distinguerent, vti faciunt, materiam à forma, in hoc, quòd ista est principium actiuum; illa passiuum. Si enim esset principium agendi solùm extrinsecè per accidentia; iam esset actiua per accidens; neque propriè denominaretur actiua. 8 Præterea si negemus formæ substantiali vim actiuam, erit ignobilior accidentibus. Tandem probatur à Fabro *Theoremate* 34. *cap.* 3. ex Aristotele 4. *Metaphysicorum, text. vlt.* vbi ait: *Singulum est id, quod est, dum potest in propriam operationem*: Ergo substantia, quæ maximè est; tunc, cùm est, operatiua est. Id tamen ibi non dicitur. Quartò, illa forma est principium agendi, in qua generans, & genitum assimilantur, secundùm D. Thomam; sed genitum assimilatur generanti in forma substantiali: Ergo. Tandem in schola Aristotelis est certissima, vt notat Poncius *disp.* 1. *quæst.* 11. Fauent. *Theoremate* 34. *cap.* 2. post S. Bonau. *in primo, distinct.* 5. *passim*; & *in* 2. *dist.* 10. *quæstione vltima, ad* 1.

Probatvr ab eodem D. Bonau. *in* 2. *dist.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. ex Aristotele, 2. *de Anima, capite* 2. vbi definit animam, principium, quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus: Hæ autem sunt potentiæ: Ergo. Hoc argumento vtitur Fauentinus, *cap.* 2.

Respondet Ruuius, sensum Aristotelis esse, animam esse primum principium vitæ; at non negat, principium formale esse potentias, realiter ab ea distinctas.

Contra: nam definitio ponit ea, quæ formaliter per se intrinsecè conueniunt; at verò, si anima non est realiter, quâ viuimus, iam esset principium actionis per accidens; sicuti lac per accidens agit per dulcedinem, vel albedinem. Maior verò 9 simpliciter primò probatur à D.Bonauentura, hîc ex Aristotele, 2. *de Anima, text.* 24. & 2. *Physicorum, text.* 17. Nec valet dicere, esse accidentia, per se contraria: Nam anima neque immanenter ageret, neque principaliter, sed vt instrumentum potentiæ.

Respondet Toletus *ad* 1. non ob id accidens esse

QVÆSTIO XV.

An inter ANIMAS *vna sit aliâ perfectior essentialiter.*

229 ASSERO primò, Rationalem, esse nobiliorem Sensitiuâ, & hanc Vegetatiuâ.

PROBATVR: quia, quæ aliam actuat, est eâ nobilior; sed rationalis actuat gradum sensitiuum, & hic vegetatiuum: Ergo.

ASSERO secundò, sensitiuam bruti non esse ignobiliorem sensitiuâ hominis, vt sic, idest, genere sensitiui, contra D.Thom. *in 2.d.18.q.2. art.3.* est tamen D.Thomæ, *in 2.dist.31.art.1.quæst.1.ad vltimum,* quem sequitur Scotus *in 4. dist.44. quæst.1.*

PROBATVR argumento D. Bonau. Quorum vna est ratio, & perfectio essentialis, est & æqualis perfectio; sed animæ sensitiuæ hominis, & bruti, est æqualis perfectio: Ergo. Minor probatur, quia vniuoca sunt: ergo habent eandem rationem. Quòd verò sint vniuoca, patet; quia habent vnam definitionem. Quare in ratione animalis æqualis est Leo Homini: tametsi ob coniunctionem, & per accidens sensitiua hominis sit nobilior: quia vnitur rationi, cui obedit, &c. sed hoc non est de perfectione generis, cui extrinseca est differentia rationalitatis; neque est perfectio generis, sed speciei, *verbi gratiâ,* Rationalitas non perficit animal, vt est
230 genus, sed vt est in specie hominis. Hinc differentia dicitur, quâ species abundat plusquam genus, & simul cum genere constituit speciem, non genus. Ideò non generi, sed speciei suam impertit perfectionem. Sic igitur differentiæ animalis irrationalis perficiunt quidem differentias particulares Leonis, Bouis, &c. quæ sunt occultæ, nec sunt infra esse sensitiuum, infrà quod est solùm rationale; sed omnes sunt sensitiuæ, sicut formæ mixti, quæ reddunt tale, vel tale in genere mixti, putà, aurum, æs, &c. Idem euenit in plantis. Itaque sensitiua hominis est nobilior, per coniunctionem nobilioris, non autem formaliter. His respondetur ad rationes D.Thomæ.

ASSERO tertiò, Animas Sensitiuas esse alias aliis nobiliores specificè; similiter & Vegetatiuas.

PROBATVR: quia constituunt diuersas & alias aliis nobiliores species animalium, vel plantarum: species autem sunt sicut numeri, vt ait Aristoteles, qui sunt specie diuersi; & alij aliis perfectiores.

QVÆSTIO XVI.

An inter indiuidua ANIMARVM *eiusdem speciei detur nobilior.*

QVÆSTIO hæc non est de perfectione essentiali; cùm supponantur in eadem specie, omnes habere eandem essentiam; neque est quæstio de perfectione per accidens, ratione corporis nobilioris; sed: An vna anima eiusdem speciei sit substantialiter, sub eadem specie indiuiduali perfectior. Hæc quæstio præcipuè est de Rationali.

231 PRIMA opinio est, nullam dari inæqualitatem indiuidualem, inter animas eiusdem speciei. Ita Durand. *in 2.d.32.q.3.* Argent. ibi, *art.2.* Fonseca, *5. Metaph.c.28.q.14.* Tolet. *3.de Anim. q.18.* Hurt. *d. 2. sect. 6.* qui acriter inuehuntur in oppositam sententiam; adeò, vt Tolet. eam periculosam inclamet. Idem tenet Henric. *quodl. 3.q.5.* Soncin. *8. Metaph.q.26.* Sotus, *cap. de substantia, in Logica, q. 2. ad nonum,* Zimara, *Theor.44.* Scotus *in Logica, c. de substantia, q.2.* Videtur D.Thom. *loc. citandis, disp. 3 part. 3. quæst. 2.*

SECVNDA opinio est, dari inæqualitatem indiuiduam inter animas eiusdem speciei. Ita Magister *in 2.dist.32.* quem sequuntur Scholastici ferè omnes. Ibidem Bonau. *dub.6.litt.* Richard. *art. 3. q. 1.* 232
Ægid. *q.3.* D.Th. *q.2.art.3.* & *p.p.q.85.art.7.* Ita & Caiet. & Bannes *hoc loco.* Ferrar. *primo contra Gent. c.13.* Iauellus, *8.Metaph.q.6.* & alij plurimi Recentiores, quos sequitur Ruuius, *2.de Anima, c.3. q.3.* At Colleg. Conimbr. *2.de anima, c.1.q.5.art.3.* problematicum est. Quare non immeritò Bannes, vbi suprà, & *primo de Gener. cap.4.q.3.* redarguit Toletum, temeritatis notâ suggilantem Doctores huius sententiæ, qui sunt insignes. Eam etiam tenet Arriaga *in libris de anima,* & *tract. de opere sex dierum, disp.36.sect.1.num.5.* vbi adducit etiam Granadum. Eust. *3.p. tract.4. disp.1.*

PROBATVR primò à D.Bonau. *argumento,* quo nititur Ruuius, *à n.62.* Pro quo notat ex D.Bonau. hîc, & *d.1.p.2.art.3.q.2.* Animam, cùm sit essentialiter pars, dicere ordinationem intrinsecam ad compositum, & consequenter ad corpus; & quamlibet indiuiduam animam dicere indiuidualem ordinem ad determinatum corpus: quia ad constitutionem singularis compositi, singulares partes destinatæ sunt à natura; & multò magis à creatore: alioquin fortuitò anima tali corpori daretur. Cùm igitur anima sit finis corporis; tale corpus, vt habitaculum præparatur; & talis anima, iam intrinsecè per sua principia indiuiduata, tali corpori informandô intrinsecè destinatur, vt dixi *q. 13.* & ita materiæ vnitur anima ob bonum sui. Itaq; melior anima meliorē etiā habitationem postulat; & melior habitatio meliori animæ præparatur ex intentione agentis.

PROBATVR igitur assertio efficaciter. Dispositio, & organizatio materiæ, seu corporis inducitur per se ab agente naturaliter, propter, animam infundendam: Ergo melior dispositio propter meliorem animam. 233

PROBATVR consequentia: quia, si ab animabus eiusdem perfectionis informantur duæ materiæ, magis, & minùs benè dispositæ: Ergo per accidens se habet melior dispositio materiæ ad informationem; cùm nulla maior perfectio proueniat eidem materiæ ex ea: imò frustrà inducitur perfectior dispositio; siquidem non sequitur ex eâ perfectior effectus formæ. Probatur secundò eadem consequentia: quia dispositio materiæ naturaliter ordinatur ad informationem formæ: Ergo melior dispositio, ad hoc, vt materia meliùs informetur à forma; sed meliorem informationem naturaliter sequitur melior effectus formalis eiusdem formæ, & constitutio perfectioris compositi: Ergo melior organizatio materiæ infert meliorem constitutionem compositi substantialem; sed melius compositum, est à meliori forma: Ergo, positâ meliori organizatione in vno corpore, quàm in alio; quæ experientiâ euidens est; sequitur dandam etiam meliorem animam.

RESPONDET Toletus, ex præparatione corporis non inferri meliorem animam. Probatur: alioquin sicut mutatur corpus, deberet mutari successiuè etiam anima. Secundò, si iuxta corpus magis perfectum anima est perfectior; sequeretur, corpus 234
dare

dare esse animæ. Tertiò, vel Deus creat animam perfectiorem propter corpus perfectius, vel e contra. Si primum: inuertitur ordo, & principale ordinatur instrumentum.

Si verò dicas, Deum præparare corpus propter animam: Contrà: quia corpus præparat per causas secundas necessarias, ad modum ipsarum, & finit, eas deficere: at verò animam creat ipse solus. Quartò, multæ animæ hominum rudiorum, & imperfectæ temperiei, ac formæ, excedent in gloria animas, quæ habuere corpora perfectissima; Ideoquè erunt perfectiores in substantia. Hoc autem est absonum: nam potiùs deberent perfectiores in natura, esse etiam in gloria. Quintò, quia idem deberet fieri in aliis formis, quod est falsum. Sexto, si ex perfectione corporis colligitur perfectio animæ, sequeretur, eum, qui à natura nascitur stultus, & monstrosus, habere animam stultam, & monstrosam; &ità neque deberet habere anima illa intellectum, & liberum arbitrium. Addit Fuliensis, animam determinari ad corpus, vt sic: non autem ad hoc numero.

Hæc sanè parui sunt ponderis; certum est enim rem ita esse, vt nos dicimus. Ideò Salomon, qui fuit
135 inter homines perfectissimus corpore, & animâ, vt latè ostendit eruditissimus Pineda, *de rebus Salomonis*, ait Sapien. 8. *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*: vbi Lyranus, & Glossa Ordinaria hoc explicant, per intellectus subtilitatem. *Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*: ergo vna anima est in naturalibus melior aliâ: ex quo responsio Collegij reiicitur, & Aduersariorum obiecta ruunt.

Qvod enim primò obiicitur, vanum est: nam corpus præparatur animæ pro toto tempore vnionis; & cùm naturaliter corpus initio sit imperfectum; tamen præparatio eius durat vsque ad finem perfectionis eius. Neque ob id corpus dat esse animæ; quinimmò ex intentione talis animæ producitur, & præparatur tale corpus, quod quidem fit per causas secundas cooperantes: Attamen sic regit eas, vt aptum corpus paretur; scit enim tali tempore disponere præparationem animæ, quæ sub singulari stat prouidentia, vt aptum ei præparetur domicilium. Quòd verò aliquando causæ secundæ deficiant, & corpus accidentaliter næuosum præparetur, hoc non obest, quin ex intentione agentis aliter fiat: vel dic eam diuersitatem non esse substantialem, sed accidentalem formæ superuenturæ: & per hoc respondetur ad tertium.

136 Ad id verò, quod quartò obiicit Toletus,

Respondet D. Bonau. *in 2. dist. 9. art. vnico, quæst. 3.* naturam non esse dispositionem adæquatam ad gratiam, eamque necessariò inducentem; sed dari naturalia remotè ad gratiam, quæ ex bonitate gratuitâ, additâ conseruationi naturæ, prouenit. Tenetur autem homo respondere suis naturalibus, & sua libertate auxiliis Diuinis, quòd si naturali perfecta indole non vtatur, sed abutatur; maiorem ad pœnam exploditur, vt patet in Absalone, Achitophele, & Cæteris; si verò vtatur lentiùs, quàm par est, vel quàm vtantur alij, qui sunt rusticæ temperiei, & stolida penè capita, tunc iustè à Deo isti præferentur; nequè est hoc mirandum; cùm sit veritas Theologica, sexcentis rotis decurrens: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Quod quintò infert Toletus, idem faciendum in aliis formis. Respondetur idem fieri. Quid tum? Quod tandem subditur, postremò eum, qui habet caput stultum, debere inhabitari animâ stultâ, videtur, pace tanti viri, exilire extra chorum: nam loquimur nos de his, quæ fiunt per se intra eandem speciem. Itaquè anima, vt sit rationalis, debet esse intellectiua, libera independenter à corpore, à quo non accipit essentiam. Itaque ex præparatione corporis stupidi, & inepti discursui, non rectè infertur, dandam animam brutalem. Quamuis enim nequeat esse aptus ille discursui, rationi, & merito; tamen potest transmitti ad beatitudinem Baptismo, & ita anima illa pro alia vita, cum corpore adaptato, fruetur suo vltimo fine. Animam verò hanc creari vagè, non autem ad hoc numero corpus, vt vult Fulicns. inane est.

Probatvr secundò assertio ex Vniuersitate 137 Sorbonica, cuius meminit Henric. *loc. cit.* Durand. *dist. 32. quæst. 5.* rectè quæ damnauit dicentes, vnam animam non esse aliâ præstantiorem, & addit optimam rationem: Quia alioqui anima Christi non esset nobilior anima Iudæ, neque perfectior. Respondet Durandus, vnam esse alia nobiliorem, quoad potentias vegetatiuas, & sensitiuas.

Contra: quia loquuntur de perfectione indiuiduali, & formali animæ Christi, vt fatetur Fuliensis *3. Physic. cap. 7. in calce.*

Respondet Toletus, & Collegium, definitiones Sorbonicas Parisiorum non transire flumen Sequanam. At patiantur, Vniuersitatem Parisiensem, tot sapientum decretis constipatam, vtriusque placitis facilè præferri. Nec video, quomodo ei temeritati simus obnoxij, quam nobis Toletus immeritò inurit; Et vt verius dicam, Conclusiones, in quibus temeritatis nos damnat, non transcendunt eius libelli cartulas.

Respondet secundò Toletus, ibi solùm definiri præcellentiam inter spiritus, computatis etiam Angelis.

Contra: quia *ibi* fit inductio, tanquam absurda de animabus solis, infertutque, fore animam Iudæ naturaliter æqualem animæ Christi.

Respondet Toletus, hoc exemplum non esse definitionem articuli, sed rationem. Quid tum? signum ergo est, ibi definitionem cadere super animas inter se comparatas: alioqui dedisset exemplum de anima, & Angelo; exempla enim in definitionibus ostendunt subiectum, de quo est definitio: alioquin erunt extra rem; Veluti, si definiens inter spiritus nobiliorem esse Angelum naturâ; sed præstare animam per gratiam hypostaticæ vnionis, induceret hanc sequelam: alioqui sequeretur, Adamum esse Christo nobiliorem, quæ esset sequela extra lineas.

Respondet tandem, animam Christi fuisse 138 nobiliorem, non substantialiter, sed in donis naturalibus accidentalibus, vtpotè, ingenio, memoriâ, iudicio, & optimâ corporis temperie; ex qua hæc pendebant ex parte; & præterea supernaturalibus donis, quæ perficiunt materiam; & si ita intelligatur, verus erit articulus, & ea ratio allata, non aliter. Ita ait etiam Galitius sic explicans Seraphicum. Fateor, non inuenire differentiam essentialem in eadem specie, nam species sunt, sicuti numeri. Ideò idem Arist. 7. *Metaph. c. 3. text. 11.* ait, in specie non esse prius, & posterius, sicuti in genere; vt vna species habeat varios gradus essentiales in indiuiduis, priores dignitate, & posteriores; sicuti genus, in quo diuersæ differentiæ inducunt excessum in vna specie præ alia, vt inter viuens, & non viuens, quæ sunt differentiæ corporis, &c.

Ex his sequitur, neque posse esse excessum in eadem specie in his, quæ essentialiter manant à specie; vt *v. g.* vnus homo sit magis risibilis, alter minùs:

239 Seqvitvr etiam, non posse talem esse differentiam essentialem indiuidui, quod constituitur ex hac materia, & ex hac forma: quia ex Boëtio, *cap. de specie*, tota ratio indiuidui essentialis est à specie, quod notat etiam D. Bonau. *in primo, dist. 3. part. 2. art. 2. q. vlt. ad prima argumenta*. Difficile videtur etiam, supposità æqualitate indiuiduorum in essentia, assignare excessum in habilitatibus: quia, cùm forma essentialiter naturaliter effundat totam suam perfectionem, datâ pari essentiâ, par habilitas ab illa manabit.

Ego equidem non video difficultatem in Diuo Bonau. & Magistro. Substantia enim aliquando sumitur pro ente de primo Prædicamento, prout à reliquis distinguitur: aliquando pro essentia. Non vult autem D. Bonau. animas substantialiter essentialiter se inuicem separare, sed substantialiter in aliqua perfectione substantiali, quæ tamen non est de essentia; & tamen neque est accidens; ad modum, quo proceritas membrorum dicit maius corpus substantialiter, non tamen essentialiter melius alio pusillo; quia ambo constant æquè partibus essentialibus. Ita igitur hinc diramantur perfectiones accidentales, nempè, maius ingenij acumen, &c. Hæ autem perfectiones non consistunt in indiuisibili mathematico, vt rectè notat Valentia *tom. 1. d. 6. quæst. 7. punct. 1.* vbi nobiscum consentit. Nolo tamen cum eo hanc indiuisibilem mathematicam conuenientiam in essentialibus tollere; quia ex Arist. species sunt sicut numeri; vnde tollitur identitas specifica, ablato vno indiuisibili; sicuti, ablato vno numero indiuisibili, tollitur species numeri; sic enim, ablatâ vnitate à quinario, mutatur species, & fit quaternarius; sed pono hanc latitudinem, quoad simpliciter substantialia, quæ non dicuntur tamen essentialia.

240 Rationes aduersariorum solùm probant conuenientiam in essentialibus, vt ritè aduertit D. Bonau. & post eum Valentia *loc. cit. assert. 5.* nec aliquo nituntur fundamento stabili.

Qvoniam tamen gloriatur Toletus hàc præcipuâ ratione, quam acclamat à posteriori esse manifestam.

Qvia omnis differentia inter homines inuenitur, ex sola corporum dispositione prouenire; contingit enim, vt idemmet homo nunc valeat ingenio, & memoriâ, intellectûs acumine, & iudicio; ac postmodum ex morbo, vel aliquo accidente corporis, amittat ingenium, &c. & fiat hebes. Item, vt nunc sit rationis compos, ac paulò post amens, nunc bonus, posteà malus: hæc autem ex corporum varietate proueniunt, nisi velis stultissimè dicere, mutari identidem & animam; vel aliam infundi, quod est plusquam ridiculum, & error stultissimus. Hinc infert, nostram assertionem esse periculosam, & temerariam.

Respondetvr facilè ex D. Bonau. *loco citato*, aliquas sanè mutationes sequi in hominibus, ratione corporum, ad quas non debet sequi mutatio animæ; sed verè anima, secundùm ordinariam prouidentiam, remanet impedita à quibusdam operationibus; neque tamen sequitur, omnes excessus in habilitatibus haberi à corporibus: imò arguit S. Bonau. & post eum Rumius. Nobilitas operationum arguit præstantiam formæ; sed vna anima perfectiùs intelligit, & vult, quàm alia; sunt autem hæ operationes formaliter ab organis independentes.

Nec valet responsio Toleti, & Collegij. Maiorem veram esse, quando operatio est à sola forma; at verò operationes nostræ sunt etiam ab organis à quorum bonitate, vel defectu variantur operationes; & ideò secundùm quod habet organa meliora, etiam perfectiùs operatur.

Contra arguit S. Bonau. quia, si organa essent 241 tota causa variationis, sequeretur, semper eodem modo operari; cùm naturali modo necessariò operentur; & ita eiusdem temperiei organa semper idem operarentur. Idem enim, manens idem, semper facit idem, & non aliud; multò verò minùs oppositum, *verb. grat.* vos dicitis, cholericos esse perspicaciores; isti deberent esse tales; & tamen videmus cholericos hebetes, & stolidos: Idem de reliquis temperiebus inferri patet.

Vrget S. Bonau. quia anima non est propter corpus; sed imò corpus propter animam: ergo excellentia ista ex anima redundat in corpus, non à corpore penitùs in animam: esto instrumentaliter modo aliquo iuuetur, vel grauetur. Quare poterat Toletus modestiùs se habere erga tot proceres Doctores; sicut se habuit Fuliensis, qui solùm rationum nostrraum efficaciam negat.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm omnes Animæ *à Deo solo producantur, & an ex materia.*

D. Bonau. in 2. d. 15. q. 1. & d. 18. quæst. vlt.
D. Th. p. p. q. 90. & 118.

Primo quidem hæretici multiformiter delirarunt. Priscillianus enim apud Seuerum Sulpitium, *lib. Sacræ Historiæ*, latrabat, animas à malo Deo in corporibus disseminari.

Secvndò Seleucus, & Hermias dixêre, rationales creari ab Angelis ex igne, & spiritu, vt memorat D. Philaster. *Cathal. de hæresib.* Hæ duæ sanè hæreses sunt, vt notat D. Bonau. *loco citato*. 242

Tertiò Tertul. voluit, omnes animas per traductionem seminis generari, vt refert D. Hieron. *ep. st. ad Marcellin.* & Anapsych. & D. August. *hæresi 86.* Idem sensit Apollinarius, vt ibi testatur D. Hieronymus.

Enim verò hanc tertiam sententiam non damnat hæresis S. August. *epist. 28. ad Hieronym.* & *loc. cit.* Imò de hac quæstione sollicitus D. August. laborauit, & consuluit D. Hieronym. angebatur enim argumento Pelagianorum, non traducendum esse originale peccatum in animas puerorum; si animæ à solo Deo essent, secus si gignerentur à parentibus. Ita suprà *Genes. lib. 3. cap. 21. lib. 1. Retract. cap. 1. de origine animæ, cap. 1. & 2.* vt refert D. Bonau. *in corpore*, & post eum Valentia, infrà citandus.

Omnes quidem Catholici vnanimiter astruunt animas omnes rationales creari à Deo; vt mox referam.

At inter Catholicos aliqui dixêre, animas, etiam sensitiuas ex semine, esse à Deo solo. Ita Scotus *in 2. dist. 18. in calce*, quem sequitur Fanentin. *Theoremate 69.* Arriaga *de operib. sex dierum, disp. 33. sect. 2.*

Attamen D. Bon. *loc. cit.* censet, animas brutorum educi ab agente naturali. Idem sentit D. Th. *in 2. dist. 18. quæst. 2. art. 2.* & communiter. 243

Assero primò, animas rationales non propagari

gari à parentibus, sed creari à Deo: Est veritas Catholica, quam Magister *in 2.dist.* 18. D. Thom. *q.* 118. *art.* 2. clamant, esse de fide. D. verò Bonauentura, *dist.* 18. *quæst. vlt.* ait, esse veritatem Catholicam; ita, vt opposita, vel sit hæresis, vel saltem erronea, & temeraria. Consentit Gregor. de Valent. *tom.* 1. *disp.* 6. *q.* 8. *punct.* 2. qui cum D. Bonau. & D. August. non audet hæresim, eam vocare.

ASSERO secundò animas; neque a Deo malo, neque ab Angelis produci.

PROBATVR à D. Bonau. ex dictis *dist.* 1. *q.* 1. & *art.* 2. *q.* 1. & 2. & nos *tract.* 3. *d.* 1. disseruimus.

ASSERO tertiò, animas rationales non traduci per generationem; sed à Deo solo esse.

PROBATVR à D. Bonau. 1. *fund.* 1. ex Isa. 57. *Omnem flatum ego feci.* vbi Hebraica ex Pagnino, *Animas.* Alludit ad id Genes. 2. *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Qui textus est grauissimus.

ADDIT *quæst. præced.* primò illud Psal. 32. *Qui finxit singillatim corda eorum*; vbi Glossa exponit, Animas, & *dist.* 27. *art.* 1. *quæst.* 1. *arg.* 2. addit illud Eccles. 12. *Spiritus redeat ad Deum, qui fecit illum.* Idem habet ad hunc locum Ecclesiast. His locis vsus est etiam Valentia, *loco citato.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. authoritate
244 Patrum, præcipuè D. Aug. supra Genes. *ad litt.* & *lib. de Ecclesiasticis dogmatibus*, qui apud Theologos est magnæ authoritatis, Ibi, *cap.* 13. habet: *Animas hominum non esse ab initio inter cæteras intellectuales naturas; nec simul creatas, sicut Origenes fingit: neque cum corporibus per coitum seminantur, sicuti Luciferiani, & aliqui Latinorum præsumptores affirmant, quasi naturæ consequentiam seruantes: Sed dicimus, creatorem animæ solum Creatorem omnium nosse; & corpus tantum per coniugij copulam seminari; Dei verò iudicio coagulari in vulua, & compingi, atque formari, ac formato iam corpore, animam creari, atque infundi, vt viuat in vtero homo, ex anima constans, & corpore, & egrediatur viuus ex vtero, plenus humana substantia.*

IDEM fatentur alij Patres, præcipuè Hieronym. epist. ad Pammach. Leo, *epist.* 92. *ad Toril. cap.* 10.

PROBATVR tertiò ex D. Bonau. ex Arist. *lib.* 2. *de Generatione animalium, cap.* 3. vbi, cæteris animabus enumeratis, infert, solam rationalem exteriùs aduenire, dicens: *Relinquitur igitur, vt mens sola deforis adueniat, eaque diuina sit.* Hac authoritate nititur etiam Valent. *col.* 1074.

245 PROBATVR quartò à D. Bonau. Omne, quod educitur è materia per generationem, est corruptibile; sed anima rationalis est incorruptibilis, secundùm omnes Philosophorum sectatores: ergo non est per naturam propagabilis. Maior probatur. Omne, quod educitur è materia, pendet ab ea, & est inseparabile; sed omne tale est corruptibile, per naturam: ergo. Maior est D. Hieronym. *epist. ad Pammach. & Anapsychiam*: vbi pro eodem reputat, animam ex anima nasci, & simili cum brutis animantibus conditione subsistere. Hoc argumento nititur Valentia, *col.* 1075. Ruuius *de Anima separata, quæst.* 2. *art.* 9.

PROBATVR quintò à D Bonau. *fund.* 4. Si anima rationalis generatur; aut gignitur ex corpore, aut gignitur ex anima. Non ex corpore: quia spiritus è corpore non educitur, cùm sit subiectum improportionatum; anima enim est spiritus ex Arist. 3. *de Anima, text.* 4. ex D. Aug. *de anima, & eius origine, lib.* 1. *cap.* 5. & *lib.* 4. *c.* 12. Neque potest educi ex anima: quia vel educitur ex tota, vel ex parte; non ex parte animæ, quæ sit anima; cum ipsa sit indiuisibilis: neque ex tota; alioqui generans dat genito suam animam. Præterea à quo agente naturali gignitur? non enim potest à corpore agente gigni. Hæc passim etiam Valentia.

PROBATVR sextò à D. Bonau. *fund.* 5. Si gignitur anima, ex materia, & forma producitur, vt etiam probat D. Aug. 7. *de Genes. ad litt. cap.* 6. & *sequentib.* & nos probauimus, *quæst.* 7. Cùm ergo producitur, vel producitur ex materia præiacente; aut simul cum ipsa producitur eius materia: Si simul producitur eius materia: ergo producitur ex nihilo: ergo à solo Deo: quia virtute naturali, ex nihilo nihil fit: Si producitur ex materia præiacente; quæro de illa materia; aut est corporalis, aut spiritualis: Si corporalis, ex ea non potest fieri anima. Si spiritualis: aut habet formam, aut non; si non, quomodo stat in rerum natura; cùm omne naturale esse dependeat à forma? Si habet: ergo vel erit Angelus, vel anima; non Angelus: ergo anima; sed ex eodem non fit idem numero: ergo ex ea non potest fieri anima.

PROBATVR septimò à D. Bonau. *fund. vlt.* Si anima esset ex traductione per generationem, diuideretur in generatione, cùm diuiditur semen; sed multa semina sunt, quæ non perueniunt ad organizationem; imò plura frustrà effunduntur, quam ad formam reducantur: ergo vel essent animæ rationales sine suis corporibus, vel periret tam nobilis forma, quorum vtrumque est absonum. Hoc argumentum, ait Alphonsus de Castro, à se inuentum; cùm tamen sit D. Bonau. à quo id desumpsit etiam Richard. *in* 2. *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 2.

PROBATVR octauò *in corpore*, à D. Bonau. contra Pelagianos: Si propter originale peccatum anima producitur ex anima: ergo vel anima Christi non esset de specie aliarum animarum; vel fuisset originali næuo ipse conspersus, quorum vtrumque est impium. 247

PROBATVR nonò ibidem, congruentiâ, sumptâ ex dignitate animæ, & nobilitate eius; Cùm enim sit imago Dei, & nata immediatè ferri in Deum, & beatificari, in ipso diligendo ex toto corde, totum suum esse debuit ab ipso immediatè habere, vt in ipsum solum tenderet.

PROBATVR decimò *ibidem.* Nullum agens naturale potest producere substantiam immortalem subsistentem; sed omnis anima rationalis est substantia immortalis, per se subsistens, independens à corpore: Ergo. Maior probatur. Omne agens producit ex materia transmutabili; sed substantia immortalis non potest substantiari in materia transmutabili: ergo nullum agens potest producere substantiam immortalem. Confirmatur: quia solus Deus habet vitam, per se indeficientem: ergo solus eam potest impertiri.

OBIICIES primò aliqua loca Scripturæ. Primus est *Genes.* 46. vbi habetur: *Omnes animæ, quæ egressæ sunt de femore Iacob, sunt sexaginta sex.* secundus est *Genes.* 2. vbi dicitur: *Tulit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, & ædificauit eam in mulierem*: vbi non habetur, inspirasse spiraculum vitæ in Euam: ergo tota Eua ex costa genita est. Tertius est *Genes.* 2. vbi dicitur: *Deus requieuit ab omni opere creationis*: Ergo animæ ampliùs à Deo non creantur. 248

RESPONDET D. Bonau. *ad primum*, ibi accipi animas pro hominibus, qui ab animabus specificantur. Sic solemus dicere: In hâc vrbe sunt mille animæ.

Ad secundum ait non oportuisse addere inspirationem pro anima Euæ; cùm in simili productione Adæ, idem debeat & de Eua intelligi, cùm ambo fuerint eiusdem naturæ.

Ad tertium respondet D. Bonau. *in 2. dist. 13. quæst. vlt. ad 4.* Deum requieuisse tunc à creatione; ita vt ampliùs nouas non condat, quod non excludit nouam indiuiduorum creationem. Quòd enim Deus operetur adhuc, probatur à D. Bonauentura, ex illo Ioan. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Ita respondet etiam D. August. *Epist.* 28. & Valentia, *col.* 1074.

249 Obicies secundò. Certum de fide est id, quod ait Apostol. Ephes. 2. *Omnes nascimur filij iræ* per peccatum originale; sed non nascimur tales ex parte carnis, sed in anima; nec sumus filij iræ à natalibus, nisi quia sumus filij Adæ: ergo, secundùm id, quo sumus Rei, propagamur ex Adam.

Hoc argumentum grauiter torsit D. Augustinum, vt sæpè repetit *epistola* 28.

Respondet tamen D. Bonauentura contrahi peccatum originale per hoc, quòd accipimus naturam humanam à parente, descendente ex Adam; quoniam etsi parens non est causa immediata ipsius animæ; tamen est causa immediata vltimæ dispositionis, ex qua naturaliter sequitur vnio substantialis animæ, & corporis, per quam homo constituitur: sic autem in vnione cum carne infectâ, remanet anima carens iustitiâ originali: quare redditur exosa Deo; eò quòd debebat eà iustitiâ esse ornata; eà verò caruit, voluntate primi parentis: in qua ex pacto omnes fuimus. Hanc responsionem sequitur etiam D. Thomas, *p. 2. quæst.* 81. *articulo* 1. *ad* 2. & Valentia, *loco citato, ad* 4. & cæteri.

250 Obicies tertiò. Posse generare est entis completi; sed anima rationalis inter alias formas est completa: ergo, si aliæ formæ habent virtutem multiplicandi se, multò magis anima rationalis.

Respondet D. Bonauentura, non omnis entis completi esse generare; sed eius entis, quod habet materiam transmutabilem, ex qua possit res produci. Talem autem materiam non habet anima, ex qua producat animam incorruptibilem.

Obicies quartò. Magis conuenit homo cum homine, quàm brutum cum bruto; & perfectior est vis generica in homine, quàm in bruto: sed brutum generat brutum, etiam quoad animam; vt ostendam *assert.* 4. Ergo. Confirmatur: nam generatio residet penes animam, cùm ergo homo producit hominem, principaliùs producit animam.

Respondet D. Bonau. negando paritatem: quia, cùm forma bruti sit corruptibilis, potest educi ex materia; anima verò rationalis, cùm sit hoc aliquid incorruptibile, non potest è materia propagari; ideò ex nihilo creanda est.

251 Quòd verò Anima non possit produci ex præiacente materia, ostendit latè D. Augustinus *septimo supra Genes.* per totum, & *libro* 10. *capite* 5. *Tom.* 3. eò quòd illa materia nequeat esse vel corporalis, vel spiritualis.

Ad confirmationem respondet S. Bonauent. generationem respicere principaliter animam in ratione agentis; non tamen, vt id, ex quo: sed hàc ratione respicit corpus, ex quo producit; & quia decisio potest fieri à corpore, non ab anima: hinc ordinatur ad productionem corporis humani, non autem animæ rationalis.

Obicies vltimò. Indignum Deo esset tot fœtibus adulterinis animas infundere: sic enim videretur applaudere, & arridere facinori.

Respondet D. Bonau. cum D. Augustino *loco cit.* & D. Hieronymo, *lib. 2. contra Rustic.* hinc potiùs Dei benignitatem, & bonitatem dignosci, qui adulterinis actibus non ita irascitur, vt deneget id, quod in ordine naturæ statuit: vnde infundens animam non respicit ad peccatum, sed ad animam; neque verò in fœtu ipso est peccatum: sic animat & segetes è granis, furto sublatis: nec est simile de gratia, quæ non respicit naturam, vt natura est, sed magis, vt ad Deum conuersa est.

Assero quartò, Animas brutorum educi ex materia, non autem creari. ità D. Bonau. *dist.* 15. *quæst.* 1. 252

Probatur à Diuo Bonauentura, primò, ex Genes. 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis. Producat terra animam viuentem.*

Probatur secundò à Sancto Doctore ex Aristotele, 2. *de Animalibus, cap.* 3. vbi ait: *Mens igitur sola intrat ab extrinseco.*

Probatur tertiò à Sancto Doctore. Ex eo res producitur, in quod resoluitur; sed animæ animalium non resoluuntur in nihil, sed in materiam: Ergo.

Probatur quartò à Sancto Doctore. Ex eodem sunt animæ istorum brutorum existentium, & eorum, qui primò conditi sunt. Sed istæ sunt ex materia; ergo. Minor probatur; si non essent ex materia, non possent ab agente naturali produci: quia natura non potest è nihilo producere; sed natura potest facere animal, vt dicam: ergo.

Probatur quintò à Sancto Doctore. Ea, quæ pendent à materia in esse, & conseruari, sunt educta è materia; sed tales sunt animæ brutorum; ergo. Confirmatur: Ideò anima nostra est immortalis, quia est independens à materia corporea, non enim fuit ex ipsa educta, sed è nihilo.

Probatur sextò. Opus quod est ad ornatum, supponit opus distinctionis; & opus distinctionis supponit opus creationis; sed in distinctione corporum non fuit noua creatio: ergo multò minùs in ornatu, sed animæ ad ornatum spectant: ergo non sunt productæ ex nihilo.

Hoc argumentum videtur retorqueri sic: Sed animæ rationales etiam ad ornatum spectant: ergo non sunt creatæ.

Respondetur, hominem non ad distinctionem, vel ornatum spectare, sed esse veluti Regem, cui parabatur aula: ideò de illo non currit hic ordo. 253

Assero quinto, Animas brutorum educi ab agente naturali, è materia.

Probatur à D. Bonau. primò ex Aristotele *lib. 2. de Generat. animal. cap.* 3. vbi quærit, vtrum omnes animæ extrinsecùs aduenient; an verò ex semine oriantur. Respondet, eas, quæ in operationibus pendent à corpore, non posse ab extrinseco aduenire, & infert. *Restat igitur, vt sola mens extrinsecùs accedat, eaque sola Diuina sit*; & hoc sic intelligitur, exponente Fauentino ex Scoto, *loco citato*, mentem extrinsecùs aduenire, ratione principij productiui: quia à solo Deo producitur: non autem educitur è materia. Tunc sic arguo ad hominem. Quando fit distinctio inter aliqua plura in aliquo, & ex his vnum solùm ab aliqua proprietate excluditur, tunc reliqua manent inclusa; sed per Aristotelem: apud Fabrum, animæ nostræ, & animæ 254

animæ sensibilium in hoc distinguuntur, vt sola nostra anima non è materia ab agente naturali, sed à Deo extrinsecùs adueniat: ergo, per vos, reliquæ producuntur ab agente naturali è materia.

255 RESPONDET Fauentinus Aristotelem posteà asserere, omnes animas extrinsecùs aduenire. Contrà: nam idem esset dicendum de vegetantibus. Deinde ostendo, hoc esse falsum: nam subdit, corpus seminis habere quandam virtutem suprà elementarem, & vocat virtutem eam spiritus, & magis dicendã, quàm elementarem: Hanc verò esse in ipso semine, sic enim ait: *Est spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur*, Hinc patet, non esse virtutem extrinsecam à Deo solo, vt fingit Faber. Tandem verò concludit Philosophus, *de anima, quemadmodum conceptus, & genitur a habeant eam, definitum iam est, potentiâ enim habent, actu non habent*: Ecce anima est in potentia generatiuæ: subdit tandem, animam non continere animam actiuè, id enim (ait) à maris semine affertur, vt notat D. Bonau. *in corpore*.

256 PROBATVR secundò à D. Bonau. *in corpore*, ex D. Augustino *de Genes. ad litt. cap.* 23. & *lib.* 5. *per totum*, & ad Orosium, quibus in locis clarè dicit, sicut in semine arborum sunt arbores, ità in semine animalium esse animalia, & animas.

PROBATVR tertiò, *fundamento* 2. Si animæ brutorum à solo Deo essent, & non ab agente naturali, crearentur: sed non creantur: ergo. Probatur sequela. Ideò animæ nostræ dicuntur creari, quia non educuntur ab agente naturali è materia.

RESPONDET Fauentinus, præcedere in materia dispositiones ad Animas, brutorum ideo non esse creationem.

CONTRA: quia dispositiones illæ non attingunt animam per se, sicut neque dispositiones corporis humani: quod tamen necessariò supponitur, productioni animæ nostræ, quæ producitur in corpore, & tamen ipsa creatur: ergo etiam istæ sensitiuæ creantur. Hoc argumento vtitur Iauellus 7. *Metaphysic. quæstione* 12.

PROBATVR quartò à D. Bonau. *fundamento tertio, quinto, & in corpore.* Omnis forma, à natura corruptibilis, est etiam generabilis; sed animæ brutorum sunt à natura corruptibiles: ergo. Confirmatur: Forma physica materialiter non excedit virtutem materiæ.

257 Ex his habes, multò magis corpus animale esse à natura, contra Scotum. Probatur: alioquin non posset Isaac dici filius Abrahæ; quia anima non producitur, sed neque vlrrà disponitur. Idem sequeretur de Leone, respectu Leonis; & ità in viuentibus tolleretur generatio.

DICES, *Machabæorum* 2. Mater illa negat fuisse à se genitos filios, sed à Deo.

RESPONEDTVR, eam solùm velle, Deum fuisse primam causam, sine qua ipsa nil poterat operari.

OBIICIES primò, cum Scoto, & Fauentino. Semen est principium tantùm passiuum generationisque materia vniformis: ergo non potest agere ad educendam animam; alioquin idem esset passiuum, & actiuum, ageretquè in se ipsum.

258 RESPONDET D. Bonauent. *in corpore, & fundamento* 1. semen habere quid passiui, & etiam actiui; ei enim indita est à Deo virtus, quæ est in materia, initiò data desuper ad producendas animas sensibiles, vt testatur Genes. 1. *Producant aqua reptile. Producat terra animam viuentem.* De hac enim virtute seminariâ testantur Aristoteles, D. Augustinus *locis adductis*, & Galenus, qui eam vocat Diuinam, vt dixi *Tract.* 8. *disput.* 5. *quæst.* 22. Itaque spiritalis est, & calore tanquam instrumento animæ generantis operatur, & subtilibus spiritibus agit, ac crassis partibus recipit; vt ait Aristoteles, & D. Augustinus *locis adductis*. Potest igitur calor ille, potest & spiritus agere ad organizandum semen, ac disponendum, vt ex eo corpore educatur anima; materia enim habet in potentia formas, ità vt disposita, agentibus causis, effundat illas: agit autem virtus, quæ mansit in semine, etiamsi decisum sit, & absens, imò etiamsi simpliciter non sit, & mortuum animal generans, sicuti manet virtus proiicientis sagittam in sagitta, etiamsi proiiciens statim inteteat. Agit etiam Sol, cum cæteris astris, agit etiam mater, fouendo calore suo, agit etiam anima matris, vt ait D. Bonauent. in semen, concoquendo, licet magis recipiat, quàm agat, & ob id dicatur passiuè se habere.

OBIICIES secundò. Quod non est, non potest operari, sed generans non est in semine, olim deciso, imò potest esse mortuum: ergo non potest operari. 259

RESPONDET S. Bonau. ex dictis, satis generans adesse in semine, vt possit operari.

OBIICIES tertiò. Quod non est, non potest operari, sed neque semen est, dùm educitur anima, cùm sit corruptum, & mutatum in corpus organicum; ergo non potest educere animam.

RESPONDETVR primò, idem in sententia Scoti, secuturum in generatione mixti: nam elementa coagentia corrumpuntur, & iis corruptis, gignitur forma mixti; ergone recurrendum ad Deum?

DICET Scotus, manere virtutes elementorum.

RESPONDETVR igitur, manere etiam in corpore organico virtutem seminariam, adiutam à Syderibus, & anima generantis matris agente in corpus organicum; vt indè educatur anima.

OBIICIES quartò. Nulla causa potest producere effectum perfectiorem se: At semen est imperfectius animali; est enim corpus inanime, imperfectum, sordidum: ergo.

RESPONDET S. Bonau. ex dictis, cùm D. Augustino, Aristotele, & Galeno, semen, virtute præditum generatiua, & licèt sit imperfectum, quatenùs non est vltimum intentum permanens, & stabile, tamen est perfectius animali, quatenùs habet virtutem illam Diuinam generatiuam. Vndè, sicut potest producere corpus organicum perfectius se, ità educere valet animam. 260

Ex his collige primò, sensitiuam, & vegetatiuam hominis non traduci per generationem; sunt enim vna forma simplex in rationali; sicut Tetragonus in Pentagono, vt dixi *quæstione quarta*.

COLLIGE secundo, Animam sensitiuam animalium, & vegetatiuam, educi virtute agentis naturaliter.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum aliqua ANIMARVM *sit è Dei substantia.*

D.Bonauent. dist. 17. quæst. 1.
D.Thom. quæst. 90. art. 1.

HÆC quæstio iam soluta ex dictis videtur: eam tamen cum D.Bonauent. propono, ad elidendas hæreticorum insanias, qui animam nostram à Deo factam; & tamen ex Dei substantia ingene-
261 rabili ponebant, vt notat D. Bonauent. *in corp.* Hi fuere Manichæi, vt refert D. Bonau. *in corpore,* post D.Aug. lib. contra Fortunat. & Priscillian. vt testatur Concil. Brachar. 1. *cap.* 5. & alij, quos indicat S.Bonau. & refert Valentia *Tom.* 1. *disput.* 6. *quæst.* 8. *punct.* 1. Idem primò docuit Carpocrates, vt refert D.Irenæus, *lib.* 1. *in hæres. cap.* 24. & alij apud Ruuius *Tract. de anima sep. quæst.* 1. & Marcus Tull. cum Platonicis, apud Perer. *in cap.* 2. *Genes. ver.* 7. vbi quæstionem hanc à S.Bonau. & S. Thoma accuratè actam dicit. Adducit etiam pro eodem errore Lactant. *lib.* 2. *Instit.*

ASSERO, animas nostras non esse eductas è Dei substantia.

PROBATVR à D.Bonau. è scripturis, quæ asserunt animas in tempore factas, Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Si anima est facta: Ergo non est Dei substantia immutabilis. Si est similis Dei substantiæ: Ergo non est ipsa; sicut etiam Verbum, quia est Imago Patris non est ipse Pater, nil enim est sibi simile, sed alteri relatiuo.

INDVCIT S. Doctor *ad primum* id Genes. 2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, &c.* vnde erroris ansam hæretici raptarunt.

PONDERAT S. Doctor, idiomatis sancti gnarus, verbum נָפַח NAPACH, signans insufflare, vel flatum emittere, quod metaphoricè certò accipiendum est de Deo, spiritu simplicissimo, qui flatum, vel etiam spiritum non habet à se separabilem.

PONDERAT & nomen נְשָׁמָה NESSEMAH signans flatum seu halitum, quasi vaporosum. Exprimitur sanè anima vocabulis Metonymicis ab effectibus dandi respirationem, & inspirationem. Hebraicè enim dicitur נֶפֶשׁ NEPHES à spirando & sufflando. Latinè vocatur ANIMA à Greca voce ἄνεμος ANEMO, idest ventus, vt dixi *quæst.* 1. Græcè ψυχὴ à ψυχάζω refrigero. Ideò (vt ait Pla-
262 to in Cratylo) quia anima, dum est in corpore dat respirationem, quæ recedente anima cessat, veteres sic eam appellant. Hinc infert. *Factus est homo in animam viuentem.*

HINC deducit S. Doctor Inspirasse Deum, Iubendo, spiritum fieri, seu creando animam, seu spiritum infundendo; & insufflare, esse spiritum facere, & factum infundere. Sicuti cum alia opera fecit, iubendo, dicendo, non organicè, etsi Oleaster, & Eugub. falsò dicant, Deum in corpore assumpto locutum. Sanè Deus phrasi hebræa dicit, iubens; vt ait Paulus, Rom. 4. *Vocat ea, quæ non sunt, &c.*

QVONIAM verò Ioan. 2. Christus Insufflans dedit Spiritum Sanctum, vt ostenderet eius à se emanationem, vt multi Patres exponunt; monet S. Doctor diuersam esse eam insufflationem, aliter enim Græcè legitur significando processionem Spiritus Sancti à Verbo.

AFFERT etiam illud Ecclesiast. 12. *Spiritus reuertatur ad Deum, qui dedit illum,* idest, exeat è corpore, & redeat ad quietem in Deo, à quo productus est. His vtitur etiam Valentia, Ruuius, & alij *loco citato.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. ex omnibus 263
illis Scripturæ locis, in quibus Deus dicitur Immutabilis, Sapientissimus, Perfectissimus, infinitè Beatus, Immensus, Omnipotens, ipsa Bonitas, Actus purus: E contrà verò anima dicitur mutabilis, in potentia, imò peccabilis. EZECH. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Ioan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Dicitur infirma, Psal. 40. *Sana animam meam.* Dicitur passibilis, Ecclesiast. 2. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Dicitur pars corporis, Ecclesiast. 12. *Corpus ad puluerem, anima ad Deum redeat.* Dicitur ignorans, vel non sapiens. Eodem medio vtitur D. Thomas. Hinc etiam sequitur, non posse Diuinam essentiam esse materiam, ex qua producatur anima; alioquin, cùm materia sit inferior formâ educendâ, iam Deus erit imperfectior Animâ nostrâ; supposito, quòd tota Deitas sit, ex qua educatur; neque potest educi ex aliqua parte Deitatis; cùm Deus sit summè simplex, vt arguit S. Doctor hic, post D. Augustin. *epist.* 28. Leonem, *epist.* 93. Chrysost. *homil.* 11. *in Genes.* Nazian. *orat.* 2. *in Paschate*, quos sequitur Valentia *loco citato* Vide Seraphicum.

EX his habes, Animam è nihilo produci, cùm non traducatur per generationem; nec ex aliqua substantia educatur, sed à Deo, modo supernaturali, qui solet latè nuncupari *Creatio.*

QVÆSTIO XIX.

Vtrum producatur ANIMA *ante corpus.*

D. Bonau. dist. 17. art. 1. q. 3. & d. 18. art. 2. q. 2.
D. Thom. p. 1. quæst. 90. art. 4.

QVÆSTIO est de sola rationali; reliquæ enim, cùm materiales sint è corpore eductæ, nequeunt esse ante corpus.

ASSERO primò, animas nostras creari in corpore; vt Deus eas creet infundendo, & creando infundat. Ità Magister, *distinct.* 17. & post cum Diu.
Bonauent. & omnes Scholastici, *distinct.* 17. vel 264
decima octaua.

PROBATVR à D. Bonauent. *dist.* 28. *quæst.* 1. ex illo Psalm. 32. *Qui finxit singillatim corda eorum,* idest, *animas,* vt Glossa exponit.

PROBATVR secundò à D.Bonauent, ex *lib. de Eccles. dogmatibus*, vbi habetur: *Tenendum est, quòd animæ non sunt creatæ simul.*

PROBATVR tertiò à D. Bonau, ex absurdis, quæ sequerentur, éstque argumentum etiam Diu. Gregor. Nyssc. *disput. de resurrect. & anima*; si enim anima creata est ante corpus, habuisset vsum rationis: ergo meruisset; vel demeruisset, quod est contra Apost. Roman. 9. *Antequam aliquid boni, aut mali egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et est error damnatus Origenis, vt testatur

D.Greg.

D. Gregor. Nyssenus *loco citato*, & *lib. de opificio hominis, cap.* 28. & 29. & Priscillianistarum, vt decernit D. Leo Primus, *epist.* 93. & fuit error Ioannis Episcopi Hierosol. vt scribit D. Hieronymus, *epist. ad Pammachium*.

Ex quo patet, eum non damnari absolutè in se, vt hæreticum, dicere, animas creari ante corpora, sed ob consequentia, scilicet, ante corpora eas emeritas, vel demeritas, & alia similia absurda, quæ insectatur S. Bonau. quem vide.

265 PROBATVR à D. Bonau. etiam *in corpore*, contra Platonem, & Macrobium, *in somnio scipionis*: vbi dixit, animas creari in stellis, & inde per viam lacteam in corpora descendere. Proprius actus debet fieri in propria materia; sed anima est actus proprius corporis, ex dictis *quæst.* 9. ergo, Maior probatur. Omnis res, quæ à Deo producitur, producitur in suo statu perfecto; sed status perfectionis animæ est, esse in corpore, cuius vnioni destinatur: ergo. Hoc argumento vtitur etiam D. Thomas, *quæst.* 90. *art.* 4. & Valentia *disp.* 6. *quæst.* 8. *puncto vltimo, col.* 1076. Aduerte, animam in corpore habere suum esse perfectum, ex natura sua; tametsi ratione status naturæ lapsæ grauetur; ex quo oppositum inconueniens deducit D. Bonau. *fundament. vltimo.* Quia, cùm anima grauetur mole corporis, si extrà crearetur, esset exornata, & in statu perfectiori; & ita transiret ad statum imperfectiorem, quod est contra ordinem naturæ.

Ex his arguit Philosophicè etiam contra Origenistas, Manichæos, & Priscillianistas: Si animæ circuirent multa corpora, non essent formæ corporum. Probatur sequela: quia forma est actus intrinsecus sui corporis, seu potentiæ suæ, quam actuat, & ad quam inclinatur. Vnde horret mutationem, seu separationem: Ideò ait Apost. 2. Corint. 5. *Nolumus expoliari, sed superuestiri*, quod non esset verum, si anima descenderet in corpus, tanquam in carcerem, ob patrata anteà facinora.

266 PROBATVR secundò à D. Bonau. *in corpore*: quia animæ, de fide, dum vniuntur corporibus, contrahunt originalem labem, nec habent actualem vllam, vt habetur *Rom.* 9. Ideò non potuit præcedere vsus liberi arbitrij, quod difficile est sustinere, si animæ erant ante corpora.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. *ibi*; quia animæ nostræ sunt, vt tabula rasa, & egent omnia addiscere; at difficile esset sustinere, eas ante corpora nil didicisse; quòd si didicissent, aliqua saltem recordaremur.

OB has duas rationes damnat in fide id asserentes de animabus nostris: quæ rationes, cùm non currant de anima Adæ, quæ nec ab initio fuit labe polluta, nec ignorans; non ideò tantâ falsitate asse reretur fuisse ante corpus, licèt falsum sit; ex quo habetur, quòd nimis audacter Castro damnat hæresis D. Philastrium, Brixiensem Episcopum, dicentem, animam Adæ fuisse ante corpus, eâ ratione nixum, quia in Genesi primò dicitur Deus creasse hominem ad imaginem suam (vtique secundùm animam) deinde accepisse limum, & formasse corpus.

FATEOR, me stomachari; nam etiam D. Augustinus dubius in hac veritate fuit, vt habetur in loco relato à D. Thom. *quæst.* 90. *art.* 4. ait enim: *Credatur, animam ante corpus creatam; si tamen nulla Scripturarum authoritas, aut veritatis ratio contradicit.* Hoc vltimum non dicit dubitando, vt putat D. Thomas, & cùm D. Augustinus fuerit in scripturis versatissimus, dùm profitetur, se nescire aliquam scripturam, vel reuelationem in contrarium, infert, id non esse errorem: quia id deesse videtur Scripturæ, quod S. Augustinus ignorauit, vt de eo scribitur. Quinimò Magister anceps fuit; & multi Patres, citati à Sixto Senensi, & Pererio, id tenuêre. Ideò Sanctus Bonauentura non audet hanc sententiam damnare. Decebatne igitur Castrum, iuniorem, & inferioris notæ Doctorem, damnasse Sanctissimum Philastrium, qui hæreticis perpetuò fuit infensissimus, & Ecclesiæ sapientissimus Doctor?

ASSERO quidem, animam primi hominis creatam fuisse in corpore. Ita D. Bonau. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 3. 267

PROBATVR à D. Bonau. primò ex illo Genes. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Quo testimonio etiam Valentia nititur.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauent. Forma producitur in materia; sed anima est forma corporis: Ergo.

PROBATVR tertiò. Quantò forma est nobilior, tantò in materia est intimior; sed anima est forma nobilissima: ergo.

PROBATVR quartò. Ordinata productio procedit ab imperfecto ad perfectum: si ergo perfectio omnium operum facta est in homine, maximè quantùm ad animam, videtur, debuisse hominem quoad animam vltimò produci.

PROBATVR quintò. Anima, si producta est ante corpus: ergo meruit, vel demeruit ante vnionem; ergo corpus non est particeps omnis meriti, & demeriti, contra dictum Apostoli, hominem iudicandum, provt in corpore gessit.

PROBATVR sextò. Si anima Adæ ante corpus esset producta, aut appetijsset vniri corpori, aut non; si non: ergo vnio eius ad corpus non est naturalis, nec vnio eius ad corpus fieret per naturam; si sic: ergo appetebat corpus, quod non habebat. Si ergo corpus ei differebatur, ipsa in appetendo affligebatur: ergo pœna erat ei inflicta ante culpam. Hoc ferè argumento vsus iam fuit D. Hieronymus ad Pammachium. Ad locum, qui mouit D. Philastrium, respondet D. Bonau. dictum esse solùm per recapitulationem.

Ex his habetur, animam in corpore non habere quidem esse perfectius, sed modum essendi perfectiorem. Ita D. Bonau. *in* 2. *dist.* 1. *quæst. vlt.* & *d.* 43. *quæst. vlt.* Scotus, *d.* 44. *quæst.* 2. D. Thomas, *in* 4. *dist.* 49. *art.* 4. & *de potentia, quæst.* 5. *art.* 10. & *p. p. quæst.* 55. *art.* 1. 268

PROBATVR: quia non immutat naturam, sed tantùm habet sui appetitûs complementum. Vnde sequitur, etiam eam habere perfectiorem modum ad operandum. Quâ distinctione ruit oppositio Durandi dicentis, non perfici operationem, quia non perficitur esse. Respondetur, non perfici esse moraliter; & hoc sufficit.

DICES. Anima rationalis post corpus manet independenter: ergo non est ratio, quæ neget, illam fuisse ante corpus.

RESPONDET S. Bonau. *quæst. vlt.* addicta in margine, *ad vltimum*; non esse eandem rationem; nam ideò durat, quia est æuiterna; at verò à productione est forma; ideò proprio actu fungi debet; etsi per culpam separanda. Ita & D. Thomas, cui soli adscribitur responsio à Ruuio, *de anima separata quæstione* 1. *art.* 2.



DISPVTATIO II.

De Potentiis Animæ in communi.

1 NIMÆ, Sensitiua, & Vegetatiua, in se quidem plures formæ sunt: attamen in rationali sunt potentiæ; vt asserunt communiter Philosophi, ac Theologi, cum D. Bonauentura, *in 2. distinct.* 31. *quæst.* 1. & *dist.* 17. *&* 18. *&* *in Opusculis* passim. Quia verò nobis agendum erit de illis, & vt animæ, & vt potentiæ sunt; antequam de iis in particulari differamus, agendum erit de potentiis in communi; sicuti de Anima in communi hactenùs disserui.



QVÆSTIO I.

Vtrùm dentur in Anima Potentiæ, *ab Anima distincta.*

D.Bonau.in 1.d.3.p.2. art.1,quæst.3.
D.Th. p.p. quæst.77.

SVPPONO primò hîc, dari simpliciter aliquas in Anima potentias. Ita D. Bonauentura, *in* 1. *distinctione* 3. *parte* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. Ibi, *quæst.* 3. id probat ex D. Dionysio, *de Angelorum Hierarchia, cap.* 1. *circa medium*, vbi ait: *In quolibet creato differunt hæc tria, Substantia, Virtus, & Operatio.* Deinde id probat passim ex variis animalium operationibus.

SVPPONO secundò, quinque enumerari potentias; Vegetatiuam, à qua est opus vitæ; Sensitiuam, à qua est sensus; Motiuam, Appetitiuam, & Intellectiuam. Hæ etiam subdiuiduntur, vt infrà differam.

QVÆRITVR ergo: an sint distinctæ ab anima, & quomodo.

PRIMA opinio est, potentias esse ipsam animam formaliter; atque adeò eam esse suum intellectum, suum sensum. Ita Gregorius *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 2. *art.* 3. Gabr. *art.* 2. *quæst.* 2. Ocham, 2. *quæst.* 24. *&* 26. Marsil. *quæst.* 22. *articulo* 2. *& ante quæst.* 16. *articulo* 3. Saxon. *lib.* 2. *de Anima*, *quæstione de distinctione Potentiarum*, Burid. 2. *de Anima, capite* 3. *quæst.* 6. Eos sequuntur Hurtad. *disp.* 4. *de Anima, sect.* 4. Arriaga, *disp.* 3. Lessius, *libro* 2. *de summo bono, cap.* 8. Dand. 2. *de Anima, digressione* 14.

2 SECVNDA, extremè opposita, opinio asserit, potentias animæ esse accidentia eius; atque adeò realiter distingui ab illa. Ita D. Thomas *loco citato*, quem sequuntur omnes Thomistæ, Caietanus, Bannes, & alij *ibi*, Capreol. *in* 1. *dist.* 3. *parte* 2. post Magistrum, eadem distinctione. Albert. *in eadem dist. art. vlt.* & 2. *de Anima, quæst.* 7. Iand. *quæst.* 9. Marsil. Ficin. *lib.* 10. *de Theologia Platonis*; vbi allegat Platonem *in Timæo*, Sotus *in Logica, cap. de Proprio.* Alex. 2. *p. quæst.* 65. *membr.* 2. Argentina *in* 2. *dist.* 3. Ægid. *quodl.* 3. *quæst.* 10. Heruæus, *quodl.* 1. *quæst.* 9. Addunt Simplicium, *cap. de Qualitate.* Damascen. *in Logica, cap.* 51. Auerroëm, & alios, quos sequuntur Suarez, *disp.* 18. *Metaph. sectione* 3. Conimbr. 4. *de Anima, capite* 3. *quæst.* 4. Zabarel. *de facultate animæ, cap.* 4. Contar. *de Anima, quæst.* 2. Fonseca 3. *Metaphysicorum, cap.* 5. *quæst.* 1. *sect.* 5. Auers. *quæstione* 47. *sect.* 1. Ruuius, *tract. de potentiis in genere, quæst.* 1. Morisan. *d.* 1. *de Anima, quæst.* 11. Amicus, 2. *Physicorum, tract.* 12. *de causa efficienti, quæst.* 10. Toletus, 2. *de anima, quæst.* 9. Valent. *p.p. d.* 6. *quæst.* 3. *punct.* 2. Molin. *quæstione* 45. *articulo* 1. Fuliens. 3. *Physicorum, cap.* 2. Eustach. 3. *parte Physicorum, tract.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 3.

TERTIA sententia media est, potentias animæ vegetatiuæ, quæ sunt *Generatiua, Nutritiua, & Augmentatiua*, identificari cum anima: potentias verò sensitiuæ, & intellectiuæ esse realiter distinctas. Allegantur à Ruuio Durand. 1. *d.* 3. *quæst.* 2. & D. Bonau. *ibidem*; sed malè. Sequitur Suarez, *libro* 2. *de Anima, cap.* 1.

QVARTA sententia, media, est D. Bonau. hîc, eas distingui solùm formaliter. Idem docet *in* 2. *dist.* 24. 3
part. 1. *art.* 2. *quæst.* 1. Eum sequuntur Scotus *in* 2. *dist.* 16. *quæstione vnica*, & *d.* 44. *quæst.* 2. Faber *Theoremate* 74. Regentes Paris. 2. *de Anima, quæstione* 1. Rabes. d. 2. *quæstione* 2. Rocch. *libro* 2. *quæstione* 24. Cathar. *quæstione* 1. *art.* 9. Meriner. *disput.* 3. *quæst.* 2. & omnes alij Scotistæ. Nauar. *in Man. præl.* 3. *part.* 2. Videtur Garzij, *sum. tract.* 5. *quæst.* 2. *art.* 3. Hurt. *loco citato*, Henrici *quodl.* 3. *quæstione* 4. eam probabilem credunt Valent *loco citato* Perer. *tract.* 1. *in Genes. lib.* 6. Fuliensis suprà citatus, & omnes ferè Philosophi plaudunt.

ASSERO primò, potentias animæ, egredientes ab ea, non esse accidentia animæ, sed idem realiter cum ea.

PROBATVR à D. Bonauentura, ex D. Augustino, *lib.* 10. *de Trinit. cap.* 11. *tom.* 3. vbi ait: *Hæc tria, Intelligentia, Memoria, & Voluntas sunt vna mens, vna vita, vna essentia, ac per hoc vna substantia.* Idem habet *disp. de Imagine, cap.* 11.

RESPONDET Ruuius, *num.* 13. D. Augustinum solùm asserere, omnes potentias radicari in eadem anima, quæ cùm sit principium vnius, eiusdemque vitæ, & non plurium; ipsæ quoque potentiæ dicuntur esse vna vita, non plures, idest, in vna vita radicari, & non in pluribus; in quo sensu etiam asserit, non esse plures mentes.

HÆC sanè est interpretatio extorta: Verba enim 4
D. Augustini sunt. *Hæc igitur tria, Memoria, Intelligentia, Voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed vna vita: nec tres mentes, sed vna mens: consequenter vtique nec tres substantiæ sunt, sed vna substantia. Memoria quippè quòd vita, & mens, & substantia dicitur, ad se ipsam dicitur*; & post pauca, *Quocirca tria hæc eo sunt vnum, quo vna vita, vna mens, vna essentia.* Quid clariùs? Hoc testimonium alio roborat Valentia, *ex* 9. *de Trinit. cap.* 4. Idem habet D. Isidor *lib.* 11. *Ethymolog. cap.* 1.

RESPONDET Toletus, D. Augustinum solùm velle, potentias fluere ab anima, & non esse tres animas. Hæc responsio est D. Thomæ, *quæst.* 77. *artic.* 1. vbi ait, esse vnum totum potestatiuum, quod dicitur de suis partibus. Imò est D. Bonau. *dist.* 24. *parte* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. Eam tamen, quoad hoc, retundit ibidem.

CONTRA

CONTRA: nam clarè dicit, esse vnam substantiam, vnam vitam, &c. Ideò hunc textum timent Conimbricenses.

RESPONDET D.Thomas 2. *loco adducto*, quòd D.Augustinus loquitur de mente, secundùm quod; noscit se, & amat se; sic ergo notitia, & amor, vt referuntur ad ipsam, vt cognitam, & amatam, substantialiter sunt in anima: quia ipsa substantia animæ cognoscitur, & amatur.

CONTRA: nam talis vnio est solùm accidentalis; at D. Augustinus vult, esse vnam substantiam, vnam essentiam: alioquin idem poterit dici de habitibus intellectus, & virtutibus voluntatis, quæ cognoscuntur, & amantur, esse vnum substantiale cum mente; & tamen ibi Diuus Augustinus hæc clarè distinguit. Probatur sequela, quia eadem vnione vniuntur; de qua vnione sanè Aristoteles testatur, *ex intellectu, & re intellecta vnum fieri*; & *intelligendo lapidem fieri lapidem*, scilicet accidentaliter intentionaliter.

PRÆTEREA Diuus Augustinus eandem vnionem ponit memoriæ, & voluntatis cum anima; at voluntas non vnitur animæ immediatè, sed per amorem productum, qui est accidens, non substantia. Neque memoria substantialiter vnitur animæ per conuersionem ad speciem.

5 PROBATVR secundò à D. Bonauentura, ex D. Bernardo *in Cant. serm.* 11. vbi ait: *Quadam in anima intueor, Memoriam, Intellectum, & Voluntatem: hac tria ipsa est.* Idem habet Diuus Augustinus, *serm.* 3. *de temp. Tract.* 15. *in Ioannem*, & 10. *confess. cap.* 14.

RESPONDEBVNT, D.Bernardum, qui *sermone præcitato* vestigiis D. Augustini insistit, asserere, causaliter esse verum, quatenùs sunt in potentia, seu essentia animæ, vt in suo principio vnificatæ.

CONTRA arguit S. Bonauentura alio testimonio D. Aug. quo superiora etiam Toleti, Collegij, & Ruuij eliduntur responsa; Nam D. August. *lib. de spiritu, & anima, cap.* 13. ait: *Dicitur Anima, dum vegetat; spiritus dum contemplatur, sensus dum sentit; Animus dum sapit, dum intelligit, Mens; dum discernit, Ratio; dum recordatur, Memoria: dum vult, Voluntas. Ista tamen non differunt in substantia, quemadmodum in nominibus, quoniam omnia ista vna anima est, proprietates quidem diuersa, sed essentia vna.*

6 ET D. Bernardus, *lib. de interiori domo, cap.* 67. ait: *Intellectum, Voluntatem, & Memoriam esse vnam animam; sicuti Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnus Deus.* Quo modo loquendi vtuntur etiam alij Sancti, qui nullam realem distinctionem ponunt inter essentiam, & relationes; sed volunt, esse eandem realiter substantiam, contra Gilbertum; Esto in anima ponant distinctionem formalem, quam in Diuinis inter essentiam, & relationes negant.

ET nè credantur, asserere, essentiam cum potentiis esse vnum, sensu causali; quatenùs ab vna, eademque essentia manant, vt Ruuius respondet, *num.* 14. Arguit D. Bonau. nam subdit D. Augustinus: *Anima est quadam sua, vt potentia; & quadam non sua, vt cardinales virtutes.* Quòd si sensus causalis esset, idem diceretur etiam de virtutibus, quæ fluunt ab anima.

NE autem sit effugium dicendi, virtutes non esse animam: quia potest eas amittere, non potentias, afferam verba D. August. *loco citato*, quibus apertè loquitur in nostro sensu. Primò igitur D. Aug. definit animam: *Anima est spiritus intellectualis, rationalis, semper viuens.* Deinde dicit, eam variis nominibus vocari, quæ non differunt in substantia, vt dixi.

SVBDIT verò: *Tota anima essentia in his potentiis suis consistit, &c. Vna, eademque substantia secundùm diuersas potentias, diuersa sortiuntur vocabula. Tota namque anima substantia in his tribus plena, & perfecta consistit, idest, in rationalitate, concupiscibilitate, & irascibilitate, quasi quâdam suâ Trinitate; & tota hac trinitas est quadam anima vnitas, & ipsa anima Deus est omnia sua, & anima quadam sua. Habet siquidem naturalia, & ipsa omnia est. Potentia namque & virtutes eius idem sunt, quod ipsa. Habet accidentalia; & ipsa non est. Sua vires, & sua virtutes non est. Non enim est sua prudentia, sua temperantia, sua fortitudo, sua iustitia.* Quid clariùs? Distinguit igitur potentias animæ à virtutibus: quia illæ sunt substantia animæ; istæ verò sunt accidentia. Notat verò *ad argumenta*, hoc non probare omnimodam vnitatem cum essentia, sed tantùm non transire in aliud genus. Eadem habet D. Isidor, *lib.* 11. *Ethymolog.* 7

PROBATVR tertiò à D. Bonau. argumento, quo vtitur Scotus, *loco citato*, Mastrius, *num.* 2. Fauentinus, *argumento* 4. Idem est principium essendi, & operandi; sed anima est principium essendi: ergo & operandi; sed operatio est à potentiis: Ergo essentia, & potentiæ sunt vnum. Maior probatur; primò, quia potentiæ, secundùm aduersarios, sunt actiuæ; similiter & forma substantialis: alioquin non benè distinguerent, vti faciunt, materiam à forma, in hoc, quòd ista est principium actiuum; illa passiuum. Si enim esset principium agendi solùm extrinsecè per accidentia; iam esset actiua per accidens; neque propriè denominaretur actiua. Præterea si negemus formæ substantiali vim actiuam, erit ignobilior accidentibus. Tandem probatur à Fabro *Theoremate* 34. *cap.* 3. ex Aristotele 4. *Metaphysicorum, text. vlt.* vbi ait: *Singulum est id, quod est, dum potest in propriam operationem*: Ergo substantia, quæ maximè est; tunc, cùm est, operatiua est. Id tamen ibi non dicitur. Quartò, illa forma est principium agendi, in qua generans, & genitum assimilantur, secundùm D. Thomam; sed genitum assimilatur generanti in forma substantiali: Ergo. Tandem in schola Aristotelis est certissima, vt notat Poncius *disp.* 1. *quæst.* 11. Fauent. *Theoremate* 34. *cap.* 2. post S. Bonau. *in primo, distinct.* 5. *passim*; & *in* 2. *dist.* 10. *quæstione vltima, ad* 1. 8

PROBATVR ab eodem D. Bonau. *in* 2. *dist.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. ex Aristotele, 2. *de Anima, capite* 2. vbi definit animam, principium, quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus: Hæ autem sunt potentiæ: Ergo. Hoc argumento vtitur Fauentinus, *cap.* 2.

RESPONDET Ruuius, sensum Aristotelis esse, animam esse primum principium vitæ; at non negat, principium formale esse potentias, realiter ab ea distinctas.

CONTRA: nam definitio ponit ea, quæ formaliter per se intrinsecè conueniunt; at verò, si anima non est realiter, quâ viuimus, iam esset principium actionis per accidens; sicuti lac per accidens agit per dulcedinem, vel albedinem. Maior verò simpliciter primò probatur à D.Bonauentura, hic ex Aristotele, 2. *de Anima, text.* 24. & 2. *Physicorum, text.* 17. Nec valet dicere, esse accidentia, per se contraria: Nam anima neque immanenter ageret, neque principaliter, sed vt instrumentum potentiæ. 9

RESPONDET Toletus *ad* 1. non ob id accidens esse

esse nobilius substantiâ, quia agit, vt instrumentum. Contrà: nam actiuum esse, dicit perfectionem, vt omnes concedunt: actus enim dicit perfectionem.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. Agens, & passum mutuam habent correspondentiam, & proportionem; sed materia, quæ est passum, non eget potentiâ accidentali superaddita, ad recipiendas formas: ergo nec forma ad agendum. Minor probatur: quia, si egeret potentiâ realiter distinctâ; vel hæc potentia est materia, vel forma, vel accidens; Non accidens, quia antecedit omnem formam substantialem; forma verò substantialis præcedit omnia accidentia, naturâ, tempore, & cognitione: Si est materia, habetur intentum; si forma: Ergo forma est per se receptiua, non autem actiua, quod est absonum.

10 RESPONDET Ruuius *sub num.* 14. negando paritatem: quia esse principium passiuum imperfectionis est; ideò non eget aliquo superaddito, quod sit potentia; sed materia ipsa, tanquam imperfectissima per se ipsam recipit; actio verò est perfectio, quam non attingit creatura per propriam substantiam; hoc enim solius Dei est. Itaque creaturis tribuendæ sunt potentiæ, realiter distinctæ, quibus agere queant. Idem ferè respondet Toletus *ad tertium.*

CONTRA: nam etiam potentia passiua materiæ est ens; & ideò bona: & actiuitas formæ finita est, quæ non repugnat creaturæ; imò conceditur accidenti; atque adeò non est neganda enti nobiliori, idest, substantiæ, quæ habet esse perfectius, & consequenter etiam operari.

ALII apud Ruuium, *num.* 20. dicunt, substantiam egere potentiis diuersis ad operandum, non ex perfectione, vel imperfectione, sed ex tali natura.

AT verò, cùm operari sequatur ad esse, & sit perfectionis, debetur enti perfectiori, idest, substantiæ.

NOTAT tamen D. Bonauent. ad hoc, minùs elongari potentiam materiæ à materia, quàm potentiam actiuam; quia illa dicit cùm priuatione potentiam receptiuam intrinsecè: hæc verò dicit potentiam extra actiuè operantem.

VRGEO, Etiam potentia quatenus receptiua, est substantia, argumento D. Bonauent. relato *disput.* 1. *quæst.* 7. quod Scoto attribuit Faber *Theor.* 81. *cap.* 3. Potentia receptiua accidentium est substantia realiter. Potentiæ animæ recipiunt accidentia, sic intellectus possibilis recipit species, & intellectiones: ergo non modo agens, sed etiam possibilis, est substantia animæ, atque adeò sunt idem realiter etiam inter se.

11 PROBATVR quintò à D. Bonauent. Forma accidentalis non est simplicior forma substantiali; sed potentia operandi non differt à forma accidentali, *verbi gratia*, potentia calefaciendi non differt à caliditate, aut potentia illuminandi ab ipsa luce: Ergo similiter nec potentia animæ ab ipsa anima.

RESPONDET Toletus *ad* 1. non derogare simplicitati formæ substantialis, quòd operetur per aliud; non enim ex eo componitur.

CONTRA: quia forma, quæ perfectionem suam in alio habet, ex eo componitur, vt ex actu, & potentiâ: tunc autem forma substantialis haberet suam actualitatem in accidente, & diuisam; est autem hic ordo, vt quæ sunt diuisa in inferioribus, vniantur in superioribus, non è contra; quia hoc dicit perfectionem, cùm ergo potentia operandi vniatur in accidente, quod est ens inferius, multò magis debet vniri in superiori. Fatetur verò S. Doctor *ad* 5. potentiam accidentalem non esse formaliter ipsam formam.

PROBATVR sextò à D. Bonauent. Quod vni est accidens, nulli est substantia, ex Aristotele *1. Physic. text.* 27. sed istæ potentiæ sunt substantiæ animæ: ergo nulli vnquam sunt accidentia: ergo sunt substantia: constat autem, quod non sunt substantia alia, quàm anima: Ergo. Probatur Minor, primò, quia anima rationalis in homine dicit essentiam: nàm per hanc definitur, & tamen hæc est potentia: ergo potentiæ sunt substantiales. Secundò, vegetabile in plantis est substantia animæ; & sensibile in animalibus; ergo nullibi erunt accidentia; cùm habeant vbique eosdem gradus, easdem operationes, &c. Maior est D. Thomæ *ad 2. de anima, text.* 22. vbi cùm Aristotele concedit, vegetabile in planta non esse partem animæ, sed animam. Hoc argumento nititur Faber, *capite secundo.*

NOTA, hæc argumenta à D. Bonauentura soluì, quatenùs nimiùm probant, nempè, omnimodam identitatem. 12

PROBATVR septimò *in corpore*, argumento validissimo, quo nituntur Scotus, & Faber prima acie. Si potentiæ animæ sunt distinctæ realiter, vt accidentia à substantia animæ; sequitur, animam nec intelligere, nec velle per se; atque adeò nec esse intellectiuam, nec liberam, nec beatam, nec rationalem; Imò sequitur, hæc omnia posse separari, vt sit anima nostra essentialiter rationalis, sine intellectu, sine voluntate, quæ malè concedunt Collegium, & Bellarminus. Hoc argumentum vrgent & Mastrius, & Rabesanus, Eustachius, ac Iuuet. *de anima cap.* 1.

PRÆTEREA probo, hæc non posse separari, sed esse animæ substantialia. Definitur enim anima: *Actus corporis organici potentia, vitam habentis*: vbi exponunt sic, potentis operari opera vitæ, sentiendo, &c. quod tenet Ruuius, *2. de anima, cap.* 1. *& 2. circa vltimam particulam definitionis, ante quæst.* 6. & alij. Confirmatur à D. Bonauent. *ad prima duo argumenta.* Quia Deus creauit animam, vt intrinsecè esset ad imaginem, & similitudinem suam. Hæc autem imago est imitatio Deitatis in Trinitate, vt fatentur Sancti Patres, præcipuè Hilar. 4. *de Trinit.* adductus à D. Thoma *p. p.* 1. *quæst.* 93. *art.* 5. & probatur ex illis verbis. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ibi enim Pater ad Filium, & Spiritum Sanctum loquitur; vt definit Conc. Syrmiense. Idem habent Sancti Patres, præcipuè Gregorius Nyssenus ad ea verba Genes. Ambrosius *lib.* 6. *Hexaemer. cap.* 8. August. 12. *de Trinit. cap.* 6. & communiter Patres; vt habet Valentia *tom.* 1. *disp.* 7. *quæst.* 3. *puncto* 1. *col.* 1108.

HÆC verò imago in essentia consistit, nam Apostolus *ad Coloss.* 3. ait. *Induentes nouum hominem, qui renouatur in agnitionem Dei, secundùm imaginem eius, qui creauit eum.* Vndè renouationem, quæ est secundùm nouum hominem, attribuit imagini Dei; vt notat D. Thomas *quæst.* 93. *articulo* 6. 13

RENOVATIO autem fit à nobis per voluntatem, & ex parte Dei per gratiam, quæ secundùm D. Thomam est in essentia animæ: Ergo essentia ipsa, & voluntas præcipuè constituunt vnam imaginem, vnum homini intrinsecè hominem; atque adeò voluntas est homini intrinseca, non autem accidens. Rationem porrò imaginis esse in hominis anima, secundùm gradum rationalem, seu secundùm mentem,

mentem,ostendit D.Thom. *q.93. art.4.* & est sententia Sanctorum PP. qui in eo ponunt rationem imaginis, vt essentialiter differt ab irrationalibus; vt notat Valentia *loc.cit.col.* 1103. *& sequentibus.* Sic D.August. *lib.83. quæstionum, quæst.*51. ponit rationem imaginis in eo,quòd est, & viuit,dicens: *Et sapit enim.& viuit,& est.* Eodem modo loquuntur Gregorius Nyssenus orat. in illud,*Faciamus hominem, &c.* Basil. *hom.*10.*in Hexaëmer.* Damascen. *lib.2.cap.*12.Ambros.*lib.6.Hexaëmeronis, capite* 8. Tandem D.Augustinus,*lib.*11.*de ciuit.Dei,cap.*26. ait, Imaginem in eo,quòd sumus,&c. positam esse. Est autem vna imago Sanctissimæ Trinitatis, quæ in potentiis,absque dubio, non in essentia consistit sola.

14 TANDEM probatur à Suarez. Videmus enim ex nimia attentione vnius potentiæ lassari alteram. Respondet Auersa, id euenire ob coniunctionem; non quia anima immediatè concurrat. Contrà:quia non lassaretur potentia altera, quæ non esset subordinata, *v.g.* visiua quæ non subordinatur auditiuæ. non fatigatur ex auditione, & sic de aliis.

ASSERO secundò, Potentias ab anima differre formaliter; & hoc tantùm probant argumenta D. Thomæ, & aliorum.

PROBATVR à D.Bonau. primò ex D. August. 15.*de Trinit.cap.*22. *&* 23.*Tom.*3. vbi assignat differentiam imaginis creatæ à Trinitate illa, scilicet, Increata; quia in illa Trinitate *habens* est id,quod habetur: hic autem habens non est id,quod habetur: si ergo anima habet tres Potentias, non est essentialiter illæ; & *cap.*7.iam docuerat,mentem non esse animam. Quibus,& aliis D.August.testimoniis Suarez *num.*4. Ruuius *num.*9. vtuntur. Cùm enim alibi,vt suprà retulimus,D.Aug. asserat,essentiam, & potentias vnam rem esse oportet ponere saltem identitatem inter eas realem.

PROBATVR secundò à D.Bonau. ex Dionysio *de Angelica Hierarchia, cap.*11. vbi in Angelis, & in quolibet creato distinguit substantiam, virtutem, & operationem: quo testimonio Ruuius, *num.*9.& Suarez *num.*4. vtuntur.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. ex Boëtio *de Hebdomadibus de Trinitate, cap. An omne, quod est, bonum sit*, vbi ait: *In quolibet creato differunt, quo est,& quod est; siue quod est,& esse*: ergo multò magis differunt, *quod potest*, & *quo potest*.

15 PROBATVR quartò a D.Bonau.*fundam.*5. quo nititur Suarez *num.*4. Quæcunque ad diuersa realiter ordinantur,sunt distincta,secundùm essentiam; sed essentia,& potentiæ animæ sunt tales: ergo Minor probatur; nam anima ordinatur ad perficiendum subiectum; potentiæ verò ad operationes in obiectum. Quo fit, vt aliquæ potentiæ non sint actus, qualis est censendus intellectus, non informans. Hoc tamen medio frustrà Ruuius gloriatur, se efficaciter probare distinctionem realem, ex eo, quod anima est actus corporis,*ex* 2.*de Anim.cap.*2. Intellectus verò non est actus,ex eodem Arist.1.*de Anima,text.*11. sufficit enim ad hoc distinctio formalis, vt concedit etiam Caietanus.

PROBATVR quintò, *fundam. vlt.* Quæcunque vnum sunt, non multiplicantur; nisi omnia multiplicentur; sed anima non multiplicatur, potentiæ multiplicantur: ergo non sunt vnum. Minor probatur;quia varietas operationum diuersam varietatem principiorum testatur; sed potentiæ habent diuersas operationes: ergo.Hâc ratione nititur Toletus, qui secundam Minorem probat. Ideò in elementis plures distinguuntur qualitates ad operationes, genere diuersas: At distinctionem refert realem.

RESPONDET Scotus, argumentum esse nullum: nam & ab anima,quæ vna est,manant plures potentiæ.

VRGET Toletus, non benè Scotum differere; 16 nam anima non est causa efficiens,sed obiectiua potentiarum; at operationum est causa efficiens.Non repugnat autem subiectari in vno immediatè; repugnat verò produci diuersa ab vna,nisi virtutibus diuersis prædito. Quare malè Faber *ad* 7. causam subiectiuam è Scoto ad exemplum inducit:Toletus tamen aberrat; nam potest multiplicatio fieri solâ distinctione formali per multas realitates non separabiles,vel transeuntes in genus aliud à substantia, vt ait.

ENIM verò adhuc in idem impingit; nam potest multiplicatio fieri solis realitatibus formalibus in genere substantiæ,vt ait S.Bon.Sic passiones entis ab eo manant,& in eo stant distinctæ ex natura rei,vt ait S.Doct. & Scotus: Sic & potentiæ emanant ab anima, & in ea sunt.

OBIICIES primò,luce 10.*Diliges Deum ex tota anima,ex viribus,* idest potentiis re distinctis.

RESPONDET S.Doct. primò, per animam exprimi potentias internas; per vires, facultates externas: Sic Mastrius, & alij.

RESPONDET secundò D. Bonau. per animam, intelligi voluntatem; per mentem, memoriam per vires omnes alias virtutes, quas sufficit distingui formaliter. Vide D.Bonauenturam.

OBIICIES secundò. Anima,secundùm potentias, est imago Trinitatis: ergo potentiæ distinguuntur realiter.

RESPONDEO distingui potentias animæ ab illa, 17. formaliter magis, quàm Relationes ab essentia Diuina; quia Diuinam simplicitatem imperfectè imitamur.Inter se autem distinctione formali distinctæ adhuc excedunt distinctionem realem personarum, quia,cùm sit per relationes, non componit; nostra verò, cùm per absoluta fiat; componit. Sed parce creaturæ,quæ non dicitur facta *Imago*,sed *Ad imaginem.* Addunt alij,Potentias exercere completè rationem Imaginis, quatenus exeunt in actus; Intellectus sanè producendo verbum;& Voluntas amorem. Rursùs ignosce creaturæ,quæ nequit hos actus & hæc producere substantialia, & Trinitatem exprimere perfectè,vt ostendit S.D. 1.*d.*3.*p.*1. *q.vlt.*

OBIICIES tertiò. Potentiæ specificantur ab operatione; sed operatio cuiusvis substantiæ creatæ est accidens; ergo etiam quæuis potentia actiua. Hoc vrget Ioannes à S.Thom. *quæst.*2.*de Anima,art.*2. & alij Thomistæ.

RESPONDEO, potentias specificari per actus formales, non autem ex eo, quòd sint accidentia; hoc enim est nimis materiale;vt fatetur etiam nolens in argumento aduersarius; quippè omnibus conuenit actibus creatis: ac proinde nequit distinguere potentias; vt dicam *quæst.*3.

OBIICIVNT quartò Ruuius, & alij argumentum validum,quod est quartum D Bon.secundo loco.Quæ differunt prædicamento, differunt realiter, saltem si vnum sit de primo prædicamento;aliud de cæteris nouem; sed potentia est de prædicamento qualitatis,ex Arist.*in eod.prædic.*& Damasc.*in Dialect.* At essentia animæ ad substantiam spectat:Ergo. Confirmatur:nam intenduntur,& remittuntur:substantia autem non recipit *magis* aut *minus*.

RESPONDET D.Bon.*in corpore*,quem sequitur 18 Fauent. *cap.*2. potentiam sumi tripliciter; primò, vt

vt dicit modum exiſtendi naturalis potentiæ in ſubiecto, ſecundùm quam dicitur ſubiectum facile, vel difficile ad agendum ; & ſic eſt ſpecies qualitatis : talis eſt potentia celeritatis ad curſum, & agilitatis ad ſtrenuè pugnandum ; hæ enim ſunt potentiæ, dicentes facilitatem, & conſequuntur modum exiſtendi, potentiæ gradiendi, & reſiſtendi, ſine alio modo agendi in ſubiecto. Secundo modo, potentia naturalis dicit potentiam, prout naturaliter egrediens eſt è ſubiecto ; ſeu vim, & principium, à quo aptitudo agendi, & patiendi manat. Hoc autem dupliciter contingit ; vno modo egreditur potentia à ſubſtantia, cum accidenti, vt potentia calefaciendi ; ignis enim per ſuam ſubſtantiam non calefacit, ſine calore. Alio modo dicitur naturalis potentia, quæ naturaliter egreditur de ſubſtantia immediatè ; ſicut potentia generandi, quantùm ad inductionem vltimæ formæ, & hæc reducitur ad ſubſtantiam, nec egreditur ſubſtantiæ limites. Iam verò tali pacto conuenit nominare potentias animæ. Primò, vt dicunt facilitatem ad operandum, vt ingenioſitas, perſpicacitas, quæ dicunt talem modum potentiæ in ſubiecto ; & hæc ſanè eſt de ſecunda ſpecie qualitatis : Neque in ſpecie qualitatis ponit Ariſtoteles omnem potentiam operandi, ſed potentiam facilè operandi : quia facilitas agendi, vel patiendi ineſt rei propter illam qualitatem, quæ pullulat à forma ſubſtantiali ; & hoc confirmatur exemplis Ariſtotelis ibi, quibus ſe declarat ; ait enim, *durum eſſe illud, quod habet potentiam ad non facilè ſecari*, potentia ergo ad non facilè ſecari, eſt de ſecunda ſpecie qualitatis ; non ait, potentiam ad non ſecari eſſe de ſpecie qualitatis ;
19 ſed potentiam ad non *facilè* ſecari. Vult igitur Ariſtoteles ſpeciem qualitatis eſſe illam aptitudinem, quæ ſequitur formam ſubſtantialem. Secundo modo, Potentiæ animæ dicunt ordinem ſubſtantiæ ad actum, qui eſt, mediante aliqua proprietate accidentali, vt potentia ſyllogizandi, quæ eſt in anima, cùm habet habitum ſyllogizandi ; & hæc eſt in eodem genere, in quo eſt ſcientia ſyllogizandi, vt in prima ſpecie qualitatis. Denique euenit tertiò nominare potentias, vt ſunt è fonte ſubſtantiæ emanantes, memoriam, putà, intellectum, & voluntatem : quia, omni accidente circumſcripto, eò ipſo, quòd anima eſt ſubſtantia ſpiritualis, habet potentiam ad intelligendum. Vnde iſtæ potentiæ animæ ſunt ſubſtantiales, & reducuntur ad genus, in quo eſt ſubſtantia animæ ; ſed, quoniam egrediuntur ab anima (potentia enim ſe habet per modum egredientis) non ſunt omninò idem per eſſentiam ; ſed in eodem genere ſunt per reductionem ; non enim adeò differunt, vt ſint in alio genere. Per hæc ſolutum eſt argumentum, quod *Hector* aduerſariorum acclamabatur.

Obiicit quintò Ruuius, *num.* 12. Implicat, vt res corporea ſit idem cum immateriali ; ſed in anima potentiæ ſenſitiuæ ſunt materiales, organicæ, corporeæ, vt luce clarius patet, alligatæ corpori, & cum eo conſtituentes potentias, *verb. grat.* viſiua cum oculo ; auditiua cum aure : ergo ſunt res diuerſæ : ergo tales etiam ſunt cum anima : nam *quæ ſunt eadem vni-tertio, ſunt eadem inter ſe.*

20 Respondet Diuus Bonauentura, *in Compendio Theologicæ Veritatis, libro 2. capite 32.* has potentias, quæ in ſubiectis diuerſis animæ diſtinctæ ſunt, eſſe ab anima, & in anima à creatione, eiuſque potentias eſſe ; licèt egeat ad vegetatiuas, & ſenſitiuas organo, tanquam inſtrumento, ad earum operationes ; ideò etiam ſeparata habet eaſdem, potentias ; tametſi earum operationes non exerceat deficientibus inſtrumentis. Quo ſenſu Diuus Bonauentura, *in 2. diſtinctione 8. part. 1. art. 3. quæſtione 1. fundament. vlt. cit.* ait : *Generare non eſt actus animæ, vel corporis, ſed coniuncti.* Hoc vidit Ruuius, *2. de Anima, capite 3. quæſtione 7. numero 113.* Hoc tenet Fauentinus, *Theoremate 67. capite 3.* cum Scoto. Quare longiùs aberrant, exiſtimantes, huiuſmodi potentias componi ex facultate animæ, & organo corporeo ; ſunt enim potentiæ ipſius animæ, quæ eſt etiam in agendo principalis ; inſtrumentaliter concurrente organo. Ex quibus reſpondetur Toleto, *loco citato*, obiicienti, potentias iſtas ſenſitiuas manſuras in anima, etiam ſeparatâ, ſi eſſent potentiæ animæ. Reſpondetur enim, eas manere ; tametſi deſit organum, quod non eſt pars potentiæ, ſed inſtrumentum operationum neceſſarium.

Cætera ex dictis ſoluta omninò manebunt ; omnia enim diſtinctione formali ſoluuntur, ſiue argumenta, ſiue teſtimonia ; vt notat Valentia, *diſput. 6. quæſt. 3. puncto 2.*

QVÆSTIO II.

An Potentiæ *differant inter ſe, & quomodo.*

D.Bonau. d. 24. art. 2. quæſt. 1.
D.Th. q. 83. art. 2.

Plvrimi, ex dictis, tanquam ſolutam relinquunt quæſtionem hanc, eo axiomate. *Quæ ſunt eadem vni-tertio, ſunt eadem inter ſe* ; at potentiæ ſunt idem realiter cum anima : ergo etiam inter ſe. Maior in abſolutis conceditur ab omnibus. Minor oſtenſa eſt ſupra. Sic D.Bonau. *in 2. d. 24. p. 1. art. 2. quæſt. 1. in corpore.* Poteſt tamen eſſe, vt potentiæ inuicem ſint idem formaliter, ſeu non ſint plures potentiæ diſtinctæ, de quo eſt quæſtio hîc.

Envmerantvr verò plures vires ſingula- 21
rum potentiarum: Vegetatiuæ tres, Nutritiua, Augmentatiua, & Generatiua. Membra ſenſitiuæ, ſunt Apprehenſiua, Appetitiua, & Motiua. Apprehenſiua diuiditur in ſenſus externos, & internos. Senſus externi ſunt quinque, Viſus, Auditus, Odoratus, Guſtus, & Tactus. Interim videntur tres, Imaginatio, Memoria, & Phantaſia : Appetitiua diuiditur in Iraſcibilem, & Concupiſcibilem. Vide D.Bonauenturam *3. p. Centiloquij, à ſect. 21.* Sed de earum diſtinctione exactè infrà in propriis locis agetur.

Qvoad Vegetatiuas : Prima opinio eſt, eas eſſe vnam Potentiam, diuerſis facultatibus præditam, Nutriendi, Augmentandi, & Generandi. Ita Themiſtius, *2. de anima, cap. 4.* Titelman. *lib. 8. cap. 8.* Ruuius, *loc. cit. quæſt.* & alij.

Citatvr D.Thom. *p. p. q. 78. art. 2.* ſed malè, quoad Augmentatiuam, & Nutritiuam : & ſanè, quoad has videtur D.Bonau. *3. p. Centiloq. ſect. 21.* Adducitur verò vniuerſaliter D.Bonau. *in 2. diſt. 8. part. 1. art. 3. q. 1.* ſed nihil tale *ibi* aſtruit.

Addvcitvr etiam *diſt. 30. art. 3. quæſt. 1. & 2.* ſed in prima quæſtione potiùs videtur oppoſitum dicere ; ibi enim diſtinguit vim Generatiuam, & Nutritiuam ; neque confundit Nutritiuam cum Augmentatiua ; ſed ſolùm vult dicere id, quod ait Ariſt. *2. de Anim. c. 4.* officia animæ vegetatiuæ

eſſe

esse generare, & nutrire, idest, nutrimento vitæ. Idem habet *in corpore quæst. secunda*, vbi solam generatiuam seorsim ponit distinctam ab Augmentatiua, & Nutritiua; has verò ambas vnam videtur facere; quæ est etiam opinio Toleti, 2. *de Anim. quæst.* 10. Philop. *in* 2. *de Anima*, *text.* 47. Colleg. 2. *de Anima*, *capite* 6. *quæstione vnica*, *art.* 2.

22 SECVNDA sententia est, has esse tres potentias distinctas realiter. Ita Albert. *tract.* 2. *cap.* 6. *&* 9. Iand. *quæst.* 13. Ægid. *quodl.* 3. *quæst.* 12. Caiet. *textu* 50. 2. *de Anima*. Hæc est sententia D. Bonau. *lib.* 2. *Compend. Theolog. cap.* 33. D. Thomæ, *p. p. quæst.* 78. *art.* 2. & *quæst.* 79. *art.* 7. Bannez, *primo de generatione, cap.* 5. *& p. p. quæst.* 78. *art.* 2. *quæst.* 7. & aliorum, quos adducit Ruuius, 2. *de Anima*, *cap.* 4. *quæst.* 2.

ASSERO primò, Augmentatiuam, & Nutritiuam differre à Generatiuâ.

PROBATVR primò à Toleto *assert.* 1. ratione D. Bonau. *in Compend. Theolog. veritatis, cap.* 33. quia differunt definitione, & fine: nam generatiua est ad conseruationem specierum; aliæ verò potentiæ ad indiuiduorum spectant ad conseruationem.

PROBATVR secundò ab eodem Toleto ratione D. Bonau. *in* 2. *dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. *&* 2. quia differunt actus ex eorum subiecto; nam Augmentatiua, & Nutritiua operantur in toto corpore; at Generatiua in vnica parte. Errat verò Toletus, putans, has etiam potentias differre subiecto, credens, etiam organum esse partem potentiæ, quod reprobatum est *quæst. præced. in calce*.

ASSERO secundò, Augmentatiuam esse potentiam distinctam formaliter à Nutritiua. Ita D. Bonau. quem sequitur Tolet. *assert.* 4.

23 PROBATVR primò à Toleto ibi argumento D. Bonau. *in Compend. loc. cit.* & 2. *p. Breuil. cap.* 9. quia obiectum Augmentatiuæ est alimentum, vt quantum, debitum staturæ animati; Nutritiuæ autem obiectum est substantia alimenti; & ideò semper nutritur; sed non semper augmentatur animal. Hoc etiam solùm voluit 3. *parte Centiloq. sect.* 21. cùm Nutritiuæ duos actus assignat, nempè, *Nutrire*, & *Augmentare*; vult enim, non esse duas potentias, realiter distinctas, vel ita formaliter, sicut cæteræ, sed aliquanto minùs; & hoc idem vult Aristot. 2. *de Generatione animalium, cap.* 5.

DICES Arist. 2. *de Anima, text.* 42. ait, eandem esse potentiam Animæ Vegetatiuam, & Generatiuam.

RESPONDETVR, velle solùm eas esse eiusdem ordinis, seu generis, & circa idem obiectum materiale, licèt formaliter diuersum; vt se explicat *lib.* 2. *de Generatione animalium*, *cap.* 4.

GENERATIVÆ autem potentiæ deseruiunt Nutritiua, & Augmentatiua: Augmentatiuæ Nutritiua; Nutritiuæ autem aliæ tres facultates. Prima est Appetitiua cibi. Secunda Attractiua. Tertia Digestiua. Quarta Retentiua. & Expulsiua; de quibus

24 *disp. seq.* Ita D. Bonau. *lib.* 2. *Compendii Theolog. c.* 33. De his egi *disp.* 5. *Tract.* 8. & agam *disp.* 3.

Quoad Sensitiuas.

ASSERO, eas differre formaliter; & quidem Apprehensiuam, Appetitiuam, & loco motiuam.

PROBATVR à D. Bonau. *locis adductis*: tùm, quia diuersa ratione tendunt in obiectum sensibile, quia habent consequenter diuersos actus, diuersos fines, & diuersas etiam definitiones.

Quoad Rationales.

D. Bonau. in 2. d. 24. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 84. art. 2.

PRIMA opinio est, Memoriam, Intellectum, & Voluntatem differre realiter. Ita D. Thom. *q.* 77. *art.* 1. *&* 3. quem sequuntur Thomistæ, & Valent. *disp.* 6. *quæst.* 3. *pu ct.* 2. Ruuius, 3. *de anima*, *cap.* 13. *quæst.* 1. & alij, adducti *quæst. præcedenti*.

SECVNDA opinio est, esse omninò idem; nec aliud esse potentias, quàm animam ad varia obiecta relatam. Ita Durand. *in* 3 *dist.* 3. *quæst.* 8. & alij, in secundo argumento adducendi.

TERTIA opinio est, differre formaliter. Ita D. Bonau. *loco citato*, quem sequitur Scot. *in* 2. *dist.* 16. *quæst.* 1. Marsil. Gabriel, & alij Nominales, *eadem dist.* estque sententia Sanctorum Patrum, præcipuè Isidori, *lib.* 11. *Ethymol. cap.* 1. D. August. 9. *de Trinitate, cap.* 4. & *lib.* 10. *cap.* 1. quem refert D. Bonau. *in fundamentis*, & post eum Valent. *loc. cit.*

ASSERO primò, Potentias animæ rationalis non differre, vt accidentia à substantia.

PROBATVR à D. Bonau. primò ex D. Aug. 9. *de Trinit. cap.* 11. vbi ait: *Hæc tria: Intelligentia, Memoria, & Voluntas sunt vna mens, vna intelligentia vna vita.*

RESPONDET verò D. Bonau. *ad* 1. vt vidimus etiam *quæst.* 1. Has potentias dici vnam essentiam: quia in vna essentia radicantur, & sunt adeò intrinsecæ, vt non erumpant in aliud genus, & huic loco consona sunt verba D. August. 15. *de Trinit. cap.* 7. vbi ait, quod ipse Deus est tres personæ; sed in creatura, habens tres potentias non est ipsæ potentiæ; & hæc est dissimilitudo quædam Trinitatis creatæ, & Trinitatis increatæ; & hunc modum dicendi, ait S. Bonauentura, secutum Authorem *libri de Spiritu, & Anima*, (siue sit D. August. siue non,) vbi ait, animam, relatam ad actus, esse potentiam: In sensu tamen, quem Durand. & alij citati à D. Bona. prætendunt, non est verum: alioquin, vt arguit D. Bonau. *ad* 1. idem esset ratio, & sensus. Ex quo deducit, initio corporis, has potentias esse idem realiter, & inter se. Quia *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, vt dixi suprà. 25

PROBATVR secundò à D. Bonau. Non est maior distinctio in potentiis, quàm in obiectis earum; sed obiecta Intellectûs, & Voluntatis sunt idem re: ergo & potentiæ. Maior probatur: nam potentiæ distinguuntur per obiecta, saltem à posteriori: ergo non potest esse maior distinctio in potentiis, quam in obiectis. Minor probatur: nam obiectum Intellectûs est Verum; & Voluntatis Bonum, seu Ens sub tali ratione; at Verum, & Bonum in Ente non differunt realiter: ergo. Hoc est tertium argumentum D. Bonau. *ad oppositum, addita respons.* quo vtuntur Durand. *in* 3. *dist.* 3. *quæst.* 4. Aureol. apud Capreol. *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. vt probent, has potentias esse idem. Attamen aduertit D. Bonau. *in respons.* obiectum Intellectûs, quod est *Verum*, & Voluntatis obiectum, quod est *Bonum*, differre formaliter, seu ratione formali; & hoc sufficere ad distinctionem formalem, vt infrà; & sequitur Ruuius, *num.* 46. *&* 51.

VRGET adhuc Sanctus Bonauentura, hoc argumentum *in respons.* Potentiæ distinguntur principaliùs per actus, quàm per obiecta, sed actus intel

tellectus, & voluntatis non sunt realiter diuersi, disparati, aut oppositi, sed alter ad alterum ordinatur inseparabiliter: Ergo. Probatur consequentia Sicut enim separabilitas est argumentum distinctionis realis, vt aiunt aduersarij, præsertim Ruuius, *num.* 51. & Tolet. 2. *de anima, cap.* 4. *quæst.* 11. *ratione* 6. sic connexio intrinseca oppositum conuincit.

Respondet Ruuius, ex inseparabilitate non argui identitatem realem, cùm possint ex aliqua connexione esse inseparabiles; tametsi distinguantur realiter, vt patet in relatiuis.

Attamen certum est, ea ratione, qua inseparabiles sunt, indistinctionem dicere, seu vnionem realem; nec exemplum relatiuorum est ad rem: nam relatiua quidem materialiter sunt separabilia, & hac ratione distincta realiter: attamen, vt correlatiua, faciunt vnum ens numero relatiuum completum: sic igitur actus voluntatis dependet ab intellectu, quocum habet relationem; vnde non potest ferri in incognitum simpliciter.

27 Assero secundò potentias rationales differre formaliter.

Probatur à D. Bonauent. primò ex D. Augustino 9. *de Trinit. cap.* 11. vbi ait, *Animam esse imaginem Dei, quoad vnitatem essentiæ, & Trinitatem personarum*: ergo, si est ibi vera Trinitas, est vera distinctio, sed non realiter, ex dictis cùm D. Augustino: ergo formaliter.

Probatur secundò à D. Bonauent. Si eadem esset ratio, & voluntas, sicut vna est essentia in Patre, & Filio: ergo, sicut Pater non per Filium dicitur intelligere, sed per se ipsum; sic voluntas non solùm intelligeret per intelligentiam, sed etiam per se ipsam: falsum ergo diceret D. Augustinus 15. *de Trinitate, cap.* 7. cùm ait. *Nihil volumus, nisi per voluntatem, nihil intelligimus, nisi per intelligentiam.*

Probatur tertiò à D. Bonauent. ex D. Augustino 9. *de Trinit. cap.* 4. vbi ait. *Admonemur, si vtrumque videre possumus, hoc in anima existere, & tanquam inuoluta inuolui, vt sentiantur, & numerentur substantialiter, vel vt ità dicam, essentialiter.*

Probatur quartò à D. Bonauent. Potentiæ, quarum primi actus adæquati sunt diuersi, diuersæ sunt, sed actus intellectus sunt diuersi ab actibus voluntatis: ergo. Maior probatur, quia vnicuiquè potentiæ assignatur primus actus adæquatus, à quo dignoscitur saltem à posteriori, vt dicam *quæst. seq.* Minor probatur: nam actus intellectus est intelligere, actus voluntatis est amare, qui sunt diuersi essentialiter.

28 Probatur quintò à S. Doctore Imago debet esse similis Prototypo; sed anima est imago Trinitatis, secundùm potentias: ergo debet in potentiis esse trinitas realiter, saltem formaliter, cùm re non sit, vt suprà ostendi. Confirmatur: nam sola distinctio relationum ad obiecta in creatis non est distinctio rerum, sed in Diuinis est vera distinctio Personarum; ergo etiam in potentiis. In hoc tamen confirmatio est nimia, vt declarat S. Doctor *ad argumenta*, maximè *ad quartum.* Ideò ibi ait, in hoc deficere distinctionem, secundùm puram habitudinem, quia dicit distinctionem, solùm quantùm ad modum; ideò ad rationem imaginis non sufficit, sed requiritur realis, formalis, seu essentialis; tametsi non sit omninò perfecta realis realis: quia nec imitatur omninò Sanctissimam Trinitatem.

Probatur sextò à Diuo Bonauentura. Natura creaturæ talis est, vt cùm vigoratur actus vnius potentiæ, minoratur actus alterius; quia potentiæ radicantur in eadem substantia: ergo multò fortiùs actus vnius potentiæ intensus remittit alterum actum eiusdem potentiæ: ergo, si ratio, & voluntas essent eadem potentia, cùm intenderetur cognitio, minueretur affectio: ergo quantò clariùs Deum videremus, tantò minùs ipsum amaremus, quod est falsum.

Probatur septimò. Sic se habet intellectus, & voluntas in anima; sicut lumen, & calor in corpore luminoso: At formaliter differunt lumen, & calor: Ergo.

Probatur octauò à D. Bonauent. *in corpore,* 29 ex Patribus, inter quos est præcipuè D. Augustin. suprà *adductis locis*, D. Isidor. vbi suprà, diuidentibus, rationalem in intellectiuam, & Affectiuam; similiter asserentibus, Animam esse imaginem sanctissimæ Trinitatis ratione potentiarum. Horum authoritates aliquas retuli *quæst.* 1. Cùm enim Sanctissima Trinitas sit distinctarum personarum, debuit anima per potentias imitari aliquo modo reali personas Trinitate, & non possunt dici potentiæ esse solùm anima, vt habet hunc modum relationis ad diuersa obiecta.

Probatur nonò à Diuo Bonauentura, ibi, experimento; cognoscimus enim, dum intelligimus, & volumus ad diuersa respicere: & obiecta, & instrumenta diuersa adhibere, & maiorem experimur differentiam inter intellectum, & voluntatem, quàm inter intellectum, & memoriam. Memoria enim, & intellectus negotiantur circa idem; ita vt, quod ista acquirit, illa conseruet; vel, quod iste offert, illa diiudicet. Itidem maiorem, quàm inter irascibilem, & concupiscibilem; ex quibus ista acquirit, illa verò conseruat, retundens contraria; veluti si aliquis vna securi vteretur ex altera parte, vt malleo, ad retundendum; ex acie verò ad scindendum. Vide S. Bonauent.

Tandem probatur à Diuo Bonauentura 30 *in responsione ad* 3. ratione, quam Ruuius suam, & efficacem prædicat *numero* 47. Modus diuersus operandi potentiarum arguit in eis differentiam; sed intellectus, & voluntas diuersis modis operantur: ergo. Minor probatur: quia intellectus operatur, attrahendo obiectum ad se, illudquè sibi coniungendo per se, vel per suam similitudinem; modus autem operandi voluntatis est, exeundo in obiectum, ei se coniungere: hi autem modi sunt oppositi, nè dum diuersi: Ergo.

Obiicies primò ex 3. de anima, text. 49. *Intellectus speculatiuus extensione fit practicus*; sed extensio non variat potentiam essentialiter: Ergo eadem est essentialiter intelligentia speculatiua, & practica: ergo etiam cognitiua, & motiua.

Respondet D. Bonauent. Aristotelem non confundere, imò distinguere practicum intellectum, & appetitum; vt patet *in cap. de mouente, in tertio de anima, text.* 28. nec vnquam dicere voluit Intellectum fieri appetitum; sed solùm speculatiuum intellectum extensione fieri practicum: quia qui primò dirigit in cognoscendo; post eà regulat in operando, & ad opus extendit considerationem.

Obiicies secundò. Magis conformatur ima- 31 go Trinitatis, quàm vestigium; sed in Trinitate nulla est differentia essentialis, sed sola relatiua: ergo sicut vnitas, veritas, & bonitas in creatura differunt sola habitudine, vestigium constituendo; multò

multò magis potentiæ, quæ constituunt imaginem Trinitatis.

Respondet D. Bonauentura, argumentum magis esse ad oppositum, quam ad propositum: quia enim imago magis repræsentat Trinitatem, debet potentiis maiorem habere distinctionem; at distinctio illa, quæ est per meram habitudinem, est in creaturis simplex modus. Aliam responsionem vide in eodem D. Bonauentura.

Obiicies tertiò. Ad omnem delectationem necessariò concurrit sensus; delectatio enim habetur sentiendo coniunctionem conuenientis obiecti; sed voluntas habet delectari: ergo voluntas est potentia sensitiua: ergo alterius ordinis ab intellectu.

Respondet Diuus Bonauentura, quòd ad delectationem concurrit sensus; sed ille sensus non est voluntatis, sed rationis; sicut & voluntas sibi appetit, & etiam rationi.

32 Obiicies quartò. Ad omnem habitum virtutis concurrit amor, ex D. Augustino *de Moribus Ecclesiæ, cap.15. tom.1. & 15. de Ciuit. Dei, cap.22. tom.5.* vbi ait: *Omnis virtus est amor.* Concurrit etiam inspectio medij, ex Aristotele, *3. Ethica*, vbi ait: *Virtus est inspectrix medij*: Si ergo virtutes sunt in voluntate: ergo actus voluntatis est medium inspicere, & amare: Sed primum pertinet ad vim cognitiuam; secundùm ad effectiuam: ergo eadem est potentia cognitiua, & affectiua.

Respondet D. Bonauentura inspicere medium per modum considerationis, esse prudentiæ, & fidei; cæteris autem virtutibus communicatione quadam diffundi: quia, sicut ratio videt sibi, & aliis potentiis; sic prudentia, & fides discernunt sibi, & aliis virtutibus; inspicere autem medium per modum inclinationis, & appetitiuæ tendentiæ est voluntatis. Vnde non concluditur, esse eadem potentia intellectûs, & voluntatis.

Obiicies quintò. Optimum cuiusque rei non potest esse, quàm vnum: sed optimum, quo anima prædita est, est Intellectus, & Voluntas, quia per has potentias vnitur Deo: ergo sunt vnum.

33 Si dicas, duas esse potentias distinctas, quibus tenditur in Deum, & ex his Voluntatem esse præcipuam: Contra: nam virtus vnita fortior; sed anima est creata; vt efficaciter in Deum tendat: ergo vnica potentia, quâ citiùs peruenitur, quàm multiplicatis potentiis.

Respondet Diuus Bonauentura. Optimum, quoad esse primum, vnum esse; & hoc est vltima forma; at, quoad esse secundum, seu ad operandum requiruntur plures potentiæ; cùm nequeant creaturæ vnica facultate tam diuersa operari. Neque verò istæ potentiæ distinctæ se infirmant inuicem, sed potiùs roborant; vnita enim ratio voluntati eam illuminat, vt bonum sectetur.

Ex his Seraphicus Doctor soluit omnes authoritates, & rationes, quæ videntur inferre, vnicam esse potentiam rationalem. Respondetur enim, esse vnam associationem, quatenùs vniuntur ad opera, & reduci ad idem genus. Illæ verò, quæ distinctionem inclamant, inferunt tantùm distinctionem formalem, non verò realem.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Potentiæ *distinguantur per Actus, & Actus per Obiecta.*

Consentivnt hac in re Philosophi, primò, potentias sanè definiri per actus, & obiecta, tanquam per notiora nobis atque adeò hæc esse distinctiua potentiarum, quoad nos: Consentiunt etiam, definiri potentias per actus, & obiecta à priori, in genere causæ finalis: nam, cùm potentiæ ad actus, circa obiecta talia producantur ad modum, quo serra, securis, & penicillum destinantur ad fabrilia; tales producuntur, vt aptæ sint tendere in talia obiecta, talibus actibus. Quæstio verò est: An hæc habitudo potentiarum ad actus, & per actus ad obiecta, sit intrinseca ratio formalis potentiarum.

Prima opinio est affirmatiua. Pro hac citatur D. Thom. *p.p. quæst.77. art.3.* à Toleto, *2. de Anima, quæst.8.* Fauent. *Theoremate 75. cap.1.* Ruuio, *2. de anim. c.3. q.8.* Suarez, *lib.2. de Anim. c.2. n.3.* Adducuntur ab his omnes Thomistæ. Alexand. Aphrodisæus *ad text.33. 2. de Anima*, vbi Arist. asserit, potentias per actus, & obiecta distingui, quod astruit etiam *2. Ethica, text.16.* Ægid. Nyphus *ad text.* subscribunt Imisingh. *tract.2. de Deo vno, disp.6.* Ruuius *loco cit. num.19.* Tolet. *concl.2.* Valent. *tom.1. disp.6. q.3. punct.2.* Suar. *lib.2. de Anim. c.2. num.8.* Morisan. *d.1. de Anima, quæst.12.* Complut. *d.3. quæst.1.* Ioan. à Sanct. Thom. *quæst.2. de Anima, art.3.* Arriaga *disp.3.* Hurtad. *disp.5. sect.5.* Eustach. *3. part. tract.1. disp.2. q.5.* Fuliens. *3. Phys. cap.2. art.2.* Iuuet. *cap.1.* 34

Secvnda opinio est Scoti *in 2. dist.16. q. vnic.* Heruæi. *quodl.1. quæst.2.* Iandun. *2. de Anim. q.85.* Caiet. Thien. *ad text.29.* Philop. Apolli. & Pauli Veneti, *de Anima, ad text.33.* potentias non distingui intrinsecè à priori, per actus, & obiecta; sed solùm à posteriori; quatenùs per actus, & obiecta nobis innotescit potentiarum natura, constitui verò propriis, & absolutis differentiis, more aliorum absolutorum. Sequuntur Scotistæ, Faber *Theor.7.* Cauellus, *disp.1. sect.19.* Rocchus, *2. de Anima, quæstione 23.* Mastrius, *disp.2. quæst.4.* alios allegans. Marinero. *d.3. quæst.2.* Cathar. *quæst.2. art.10.* P. Liuius Rabesanus, *disp.2. quæst.3.*

Sententia D. Bonau. est, potentias distingui intrinsecè per habitudinem ad actus, & ad obiecta; immediatiùs verò per actus, non quoscunque, sed formales, qui versantur circa obiecta, non quæcunque, sed formalia, quæ sola distinguunt potentias; & ita D. Bonauent. est cum prima sententia. Hæc habet *in primo. distinctione 7. articulo 1. quæst. 1. & in 2. distinctione 24. parte 1. art.2. quæst.1. ad 3. & in 3. dist.23 art.1. quæst.3. ad 1. & dist.26. art.2. quæst.1. in corpore.* 35

Fvndamentvm primum ex D. Bonau. *2. p. Breuil. c.9.10. & 11. & 3. p. Centil. à sect.19. & lib. 2. Compend. Theolog. veritatis, à cap.29.* quo vtuntur Suarez, *loco citato, numero 7. & sequentibus*, Ruuius *post numerum 16.* Deus sapientissimus, qui creaturas ad vsum hominis, hominem verò ad Diuinam Bonitatem ordinauit, tribuit & creaturis instrumenta, vt homini deseruiant, eique vt ad Beatitudinem perueniat, multas potentias

designauit, quibus & vitam agere, & cognoscere bonum, illudque amore prosequi valeret. Itaque tales condidit potentias, quales oportebat ad finem prædestinatum, nempè, vt aleretur, augeretur, generaret, perciperet per sensus obiecta, eaque intellectui immitteret; vt inde intellectus Deum amaret.
36 Ex fine igitur sibi præscripto conditæ sunt talis, vel talis ordinationis potentiæ; atque adeò in intentione Creatoris præsupponuntur determinati actus, præscripta obiecta, ob quæ tales sunt factæ potentiæ; & cùm finis sit prior instrumentis, quibus habentur media ad finem, dicere tenemur, actus, & obiecta potentiarum, in ratione finis, dedisse species potentiis, & esse ipsis potentiis, in intentione Naturæ, priores. Habes exemplum in artibus. Ars fabrilis requirit talia instrumenta, serram, securim, secam ad talia condenda fabrilia; & ideò actus scindendi, vel secandi obiecta lignorum, metallorum, aut lapidum, priores erunt in intentione artificis, ipsis instrumentis: quia condidit instrumenta, (dic etiam potentias) sicuti necessarium est, ad tales actus, circa talia obiecta eliciendos; atque adeò hæc dant, in ratione finis, speciem ipsis instrumentis: quia talis specie fieri debet, sicut necesse est, ad talia opera; vt docet Aristot. *primo de partib. Anim. cap. 5.* infrà citandus in D. Bonauent. Sic etiam in potentiis euenit; atque adeò ab actibus, & obiectis, seu potiùs ab habitudine ad ea, sumunt essentiam: nam habitudo connotans proprium finem intrinsecum, ad essentiam pertinet; vt homini essentialis est habitudo ad beatitudinem, in operatione consistentem. Hinc 2. *de Anima, text.* 33. cùm dixisset, *Potentia distinguuntur per actus; & actus per obiecta*; nè dicant Scotistæ, Aristotelem loqui de distinctione à posteriori, addit; *priores enim potentiis actus, & operationes, secundùm rationem, sunt*, quod non significat secundùm cognitionem, sed quidditatem, vt innuit, dicens, se tractare, quid sint potentiæ. Atque adeò Scotus, *quodl.* 13. *quæst.* 2. & Mastrius, *numero* 56. concedunt, Aristotelem loqui de distinctione à priori, considerando actus, non vt sunt effectus, sed vt sunt finis potentiæ: Sic autem distinguentes intrinsecè per ordinem ad extrinseca, vt dixi, recipiendo talem naturam, in ordine ad tales actus exercendos. Enim verò hic ordo est essentialis, vt dixi.

Fundamentum secundum est D. Bonau. suprà *relatis locis*, quem imitantur Eustachius, Toletus, Suarez, Ruuius, & alij, *locis ad luctis*. Obiectum potentiæ est triplex. Primum dicitur per se
37 primò. Secundum per se. Tertium per accidens. Per se primò illud est, quod primò terminat actum potentiæ; ita vt potentia illa non ordinetur in aliud, nisi ratione huius obiecti. Ita sapor est obiectum per se primum Gustus; nil enim percipitur gustu, quod saporem non participet; & eatenùs percipitur, quia sapor est; & dicitur obiectum motiuum, & terminatiuum simul. Obiectum per se est, quod potentiam quidem terminat, sed non semper; nec ob id, quia tale etiam percipitur; vt dulce est obiectum per se gustus, sed non primò: quia, quamuis dulcedo à gustu sapiatur; non tamen ad gustum pertinet, vt est dulcedo, sed vt sapor; & non mouet ad quodlibet aliud sapiendum. Obiectum per accidens, quod propriè non est obiectum, est, quod ab obiecto non comprehenditur; sed dicitur tale, quatenùs est coniunctum cum obiecto per se; sic album dicitur gustari, quatenùs est cum dulcedine in lacte coniunctum. Primum obiectum ex his dicitur formale; reliqua verò materialia; licèt minùs secundum, quàm tertium.

Est autem obiectum formale duplex. Alterum *Quod*; & est, quod terminat, adæquatque ipsam potentiam, & se tenet ex parte obiecti; vt color, atque lux, vt obiectum visus. Alterum dicitur *Quo*, seu ratio, sub qua potentia respicit obiectum; vt visibile in colore, est obiectum visus; Gustabile in sapore, est obiectum gustus, &c. & hoc se tenet ex parte potentiæ.

Fundamentum tertium est, potentias cognosci, tot esse specie distinctas, quot sunt obiecta formalia; quod malè negat Toletus *fundamento* 3. 38
obiecta verò formalia inde non cognoscuntur, vt putat Toletus; si quis, cùm priuatur actibus circa vnum obiectum, priuetur etiam actibus circa alia obiecta: nam qui priuatur actibus sensationum, priuatur etiam intellectionibus in hac vita; & tamen non est eadem potentia sensus, & intellectus. Similiter qui priuatur actu sensuum externorum, priuatur etiam actibus internorum; & tamen sunt distincti, vt benè arguit Ruuius, *libro 2. cap. 3. quæstione 9. num.* 125. At si potest in vnum obiectum habere actus, posset & in alia; tunc colligimus rectè à posteriori, omnia illa obiecta ad eandem potentiam spectare; & in quadam ratione communi ea omnia conuenire; è contra, cùm aliquis priuatur actibus circa vnum obiectum, & non priuatur actu circa alia obiecta; tunc meritò colligimus, esse diuersas potentias, circa illa obiecta versantes: Sic, quia videmus, habentem actus circa albedinem, posse etiam eos habere circa alios colores, colligimus, esse vnam horum potentiam; è contrà, quia aliquis, habens actus circa colores, tamen non sentit odores, vel sonos, arguimus, esse potentias distinctas horum obiectorum. Idem de actibus.

Hæc regula negatiua est D. Bonauenturæ, *loco citando*, & Toleti. Nec obest Ruuius, opponens, posse aliquem priuari actibus circa vnum obiectum, ob excellentiam: *verbi gratiâ*, non potest lippus videre lucem, & videbit colorem, cùm tamen ad eandem potentiam pertineant. Idem in vegetabilibus apparet. Quia, si quis nutritur, & non augetur, nec potest generare, arguimus, diuersas esse potentias. Hinc Galenus, & alij Medici distinguunt potentias Nutritiuas; quia viderunt, *verb. grat.* aliquem benè concoquere, & malè expellere: sed hæc per accidens veniunt ex aliquo externo impedimento, *verb. grat.* ex obturatione meatus; qui enim benè coquit, benè expellit superflua. Hoc fundamentum habetur in D. Bonauent. *in 3. dist. 26. artic. 2. quæst. 1.* & quidem ex actibus, & obiectis formalibus numerari species potentiarum & cognosci, habetur *in corpore*. Regula etiam cognoscendi, lata suprà, habetur *fundamento penultimo*. Vnde 39
malè Toletus concedit hanc regulam secundam; & negat, cognosci potentias ex obiectis formalibus; ex eo enim, quòd per hanc experientiam cognoscimus vnitatem, vel distinctionem potentiarum, infertur, talem esse naturam potentiarum, & eas diuersas, iuxta obiecta formalia diuersa; alioquin nunquam per actus, & obiecta cognoscerentur.

Qvòd verò per obiecta formaliter cognoscantur, est expressa mens Aristoteli 2. *de Anima, text.* 33. vbi Potentias specificari per actus, & obiecta, asserit: at non specificantur ab obiectis materialibus; cùm eadem potentia versetur circa plura obiecta materialia: *verb. grat.* intellectus circa entia, & plures potentiæ circa idem obiectum materiale: & plures sensus circa sensibile: ergo ab obiecto

for

formali. Hæc est ratio D. Bonau. *in 3. locis adductis*, quem sequitur Ruuius, *loco citato*, *num.* 228. *& sequentibus.*

Assero, potentias specificari intrinsecè: non sanè per obiecta, vel actus, cùm sint res distinctæ, sed per habitudinem ad ea.

Probatur primò; à Caietano ex Aristotele 2. *Physicorum*, vbi ait, optimam rerum reddi rationem à priori, cùm ex fine sumitur.

Respondet Fauentinus, hunc locum non inueniri in Aristotele.

Contra: nam Aristoteles, 2. *Physicorum. text.* 29. ait: *Præterea, vt finis; id autem est, cuius gratia, vt ambulandi sanitas: propter quid enim ambulat? dicimus; vt sanus sit.* quem textum refert S. Bonau. *in primo, dist.* 1. *dubio* 15. *litterali.* Idem habet *primo Ethicæ, cap.* 2. Vnde malè Faber ait, hæc non asseri ab Aristotele: nam subdit: *Et ita loquuti opinamur assignasse causam*; & concludit: *Causa igitur ferè tot modis fiunt*; & text. 71. ait:
40 *Efficiens, forma, & finis coincidunt*, vt notat D. Bonau. *in primo, dist.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad argumenta*; talis enim est forma constitutiua rei: quia talis est finis; sic talis ordinis specifici est anima: quia ordinatur, vt forma, ad compositum; vt dixi *disputatione* 1. *quæst.* 10.

Hinc sumitur validissimum argumentum à D. Bonau. *locis adductis*, *fund.* 1. quo vtitur Ruuius *à num.* 116. imò Aristoteles, 2. *de Anima, text.* 33. vbi acturus de potentiis animæ vegetatiuæ ait, sibi primò agendum de actibus, & obiectis earum: quia non possunt, nisi per hæc extrinseca definiri: ergo sentit, habere intrinsecam ordinationem ad illa; sic deducit S. Bonau. *locis adductis* in sententia referenda; vt nos suprà diximus *in primo fundamento.* Hinc sequitur, actus priores esse; quia per eos definiri debent potentiæ: Ergo habitudo ad actus est intrinseca: esto ordinata ad finem extrinsecè.

Fauentinus, *loco citato*, ait, Aristotelem non dicere, Potentias distingui per actus, & obiecta, sed per actus: actus verò per obiecta; sed hoc est, quod ait S. Bonau. *in 2. dist.* 24. *loco citato, in opinione sua.* Vult igitur, mediatè, etiam potentias per obiecta distingui; atque adeò non posse definiri, nisi per ordinem ad distinctiua, non solùm secundùm nos; vt putat Mastrius.

41 Respondet deinde, ex eo textu colligi suam sententiam; quia, ait, se velle priùs agere de obiectis, tanquam notioribus, & præcedentibus actus; deinde de actibus, & tandem de potentiis. At quis prohibet, actus, & obiecta esse notiora, & esse etiam causas finales, à quibus sumatur ratio potentiæ?

Respondet tertiò, potentias distingui per actus, & obiecta, tanquam per principia extrinseca, quæ sunt finis, & agens; actus enim est finis potentiæ; & obiectum, simul cum potentia, est concausa productiua actus: Sic etiam respondent Scotus, & Mastrius, ac Rabesanus.

Hic arguo cum D. Bonau. *ex fundamento primo.* Ordo, seu habitudo ad proprium finem, cuius gratia res constituta est, pertinet ad essentiam eius; sic homini essentialis est capacitas beatitudinis, sed operatio, seu actus circa tale obiectum est finis, ob quem potentia condita est à natura: ergo habitudo ad eam est essentialis. Maior est Scoti *in primo, quæst.* 4. *prologi*, & Fauentinus ibi, *disp.* 8. *capite* 2. vbi refricat appetitum beatitudinis, tanquam ab intrinseco naturæ, sic interpretatur illud D. Augustini: *Fecisti nos Domine ad te, &c.* vrgens, non solam capacitatem, sed naturalem intrinsecum appetitum ad beatitudinem, tanquam in finem; & hunc appetitum esse naturæ intrinsecum, confirmatur; nam finis imponit necessitatem intrinsecam his, quæ ad finem; sic serra est dentata, quia est ad secandum; vt ait Aristoteles, *primo de partibus animalium, cap.* 5: & arguit Seraphicus Doctor, *in primo, quæstione* 2. *Prolog. in corpore.*

Probatur tertiò. Non minùs est relatiua potentia ad actus secundos, quàm essentia ad actum primum informandi; sed intrinsecus est formæ vitali appetitus ad corpus, & tendentia in illud: ergo & potentiæ in actus secundos. Quamuis enim forma appetat materiam, vt vnum cum ea intrinsecè componat; potentia verò solùm, vt obiectum; vel vt illud producat; sicuti vegetatiuæ; vel vt respiciat, vt sensitiuæ, & intellectiuæ; tamen vtræque intrinsecè ad hoc habent respectum: nam etiam potentia intrinsecè talis est producta, vt appetitui deseruiat; sicuti anima, vt compositum faciat; & ideò illa aptitudo est intrinseca, & prior; vt notat D. Bonauentura, *in 2. dist.* 1. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. *in corpore, ad* 1. & dixi *quæst.* 10. *disp.* 1. 42

Obiicies primò cum Scoto *in quodl. quæst.* 13. & Fauent. *loco citato.* Quod est constitutiuum essentiale rei, non est posterius, sed prius ipsa re, similiter & distinctiuum, quod est idem; sed actus est posterior potentiâ essentialiter: Ergo. Maior patet. Minor probatur: quia actus sunt effectus potentiæ.

Respondet Seraphicus Doctor, *loco mox adducto*, naturalem ordinationem rei ad actum esse priorem; quia inest principiis constitutiuis; adeò, vt talis potentia, talis sit facta, vt sit instrumentum aptum ad tales actus, & tendat in talia obiecta.

Obiicies secundò cum Scoto *in 2. dist.* 1. *quæst.* 6. & Fauentinus, *loco citato.* Omne ens, potens agere, tale est, vt in se priùs sit actus primus naturæ; vt posteà sit principium actus secundi; sed potentiæ sunt principia productiua actuum secundorum: ergo priùs constituuntur; atque adeò distinguuntur in se, quàm sint principia actuum secundorum. Maior probatur: nam omne ens est principium talium effectuum, quia tale est in se; non autem est tale in se, quia est principium talium effectuum: Sic Sol, ideò est principium mineralium, quia talis est in se, & talis naturæ, ac virtutis: non autem talis est virtutis, quia est productiuus mineralium: nam productiuum esse mineralium, est effectus naturæ; atque adeò posterior. 43

Respondetur ex D. Bonau. *locis adductis*, verè quidem priùs esse potentiam, quàm actus secundos in executione; at verò actus secundi sunt priores in mente conditoris, qui intendens, tales actus produci ab anima; & videns, tales potentias requiri, condidit eas talis naturæ; &, licèt in Sole non appareat omninò similitudo, quia est substantia tantùm completa, non ordinata primò ad aliud: attamen ipse quoque talis conditus est, qualis erat necessarius ad illuminandum, & influendum, & ideò eius virtutes ex hac ordinatione determinatæ sunt à Deo: multò magis potentiæ, quæ, licèt sint substantiales, tamen ad aliud ordinantur complendum; &, vt instrumenta operationum, tales sunt ex intentione Conditoris, quales erant necessariæ ad opera. Itaque includunt in sua essentia relationem, non prædicamentalem, quæ est rés distincta, 44 sed transcendentalem, intrinsecam, in tali entitate, contra Rabesanum.

Instat Faber. Finis operatur tantùm metapho

ricè : ergo non poteſt conſtituere naturam ſubſtantiarum realium.

RESPONDETVR, finem operari realiter. At, eſto metaphoricè ; tamen natura eis data ad tales actus, cum hac proportione, eſt realis ; & ex hac ſumitur prioritas: nam quomodocunque operetur finis, tamen eſt prior productio realis talis naturæ, quæ intrinſecè dicit illam aptitudinem ; vt reſpondet D. Bonauentura *in 2. diſt. 24. p. p. art. 2. quæſt. 1. ad vlt.* Quòd ſi illatio Fabri eſt valida, dic etiam, Bonum, quod eſt finis, eſſe ens metaphoricè.

INSTAT Maſtrius. Natura abſoluta eſt diſtincta à relatione etiam tranſcendentali ; ne dicamus, idem eſſe abſolutum, & relatiuum : at entitas potentiarum eſt ſubſtantia ; & ideò abſoluta : ergo diſtincta ab aptitudine ad actus, & prior illâ.

RESPONDETVR, potentias non eſſe entitates, in ſuo eſſe completo abſolutas, ſed includere in ſua intrinſeca ratione ordinationem, ſeu talem proportionem, in ordinatione ad actus.

INSTAT ſecundò è Scoti doctrina. Omne ens quod eſt tale principium alicuius operationis ; ideò eſt tale principium, quia eſt in ſe tale ens. Vnde ſi quæras primam diſtinctionem Solis à planta, non eſt, quia Sol generat, vel generare poteſt plura diuerſa mixta, non autem planta ; ſed, quia Sol in ſe habet talem formam, à qua tam variæ generationes prodire poſſunt ; non verò planta. Sic igitur & potentiæ, licèt ſint à natura ordinatæ ad ſuas operationes, tamen ſunt priùs tales in ſe.

45 RESPONDETVR, agens operari talia opera: quia factum eſt tale, aptum ad tale opus ; ſic & Sol diſtinguitur per talem naturam à planta : quia talis naturæ eſt, putà, lucidus, & talis virtutis, in ordine ad bonum vniuerſi ; quæ quidem conſtitutio extrinſecè ſumitur, in ordine ad finem ; ſed intrinſecè talem conſtituit Deus Solem, talis ſubſtantiæ, & ad talem finem:

OBIICIT Maſtrius deinde Ariſtotelem, *2. de Anima, text. 130. & 132.* vbi ex potentiarum organicarum diſtinctione aſſignat diſtincta obiecta. Ita ex tali compoſitione, putà chriſtallina viſus ; colligit, illam potentiam eſſe illius obiecti.

RESPONDETVR, facilè, Ariſtotelem arguere talem oculi Symmetriam, ordinatam ad excipiendas ſpecies viſiuas è talibus obiectis.

OBIICIT quartò. Diuerſæ ſpecie potentiæ, diuerſis actibus, poſſunt circa idem obiectum verſari, nedum materiale, ſed formale. Probatur ; idem enim obiectum eſt omnis intellectûs; & omnis voluntatis beatæ.

RESPONDETVR, verſari circa obiecta formalia diſtincta ; nam intellectus eſt circa ens, vt verum voluntas ens, vt bonum, reſpicit ; quæ diſtinctio ſufficit, ad fundandas potentias diuerſas : Sic poteſt eadem res, in ſe conſiderata, eſſe obiectum multarum ſcientiarum ; vt patet de homine, qui, vt eſt ens naturale, ſpectat ad Phyſicam ; vt ſanabilis, ad Medicinam ; vt dirigibilis in moribus, ad Moralem ; & ita hæ rationes formales ſatis, ſuperque ſunt, ad fundandas diuerſas realiter ſcientias ; vt teſtatur Maſtrius. *num. 53.* Quare deleat, quod ſcripſit, *num. 50.* diſtinctionem formalem obiectorum non ſufficere, ad fundandas potentias diuerſas.

QVÆSTIO IV.

Quomodo emanent POTENTIÆ.

D. Tho. prim. 1. q. 77. art. 5. & 7.

POTENTIAS ab eſſentia animæ emanare, planè verum eſt : Omnis enim potentia a ſua natura, & forma deriuatur.

PRIMA igitur opinio, quoad modum, eſt Commentatoris, 4. *Metaphyſicorum, com. 2.* Ianduni, *2. de anima, quæſt. 10.* Nyphi, *eodem lib. text. 29.* Ægid. *in 1. diſtinct. 3. quæſt. 18.* potentias non emanare efficienter ab eſſentia animæ. Idem ſenſit Toletus, *lib. 2. quæſt. 11.* vt dixi quæſtione prima. 46

SECVNDA ſententia eſt D. Thomæ *loco cit.* Caietani, Bannes, ac cæterorum Thomiſtarum, aliorumquè recentiorum, Ruuij, *2. de anima cap. 3. quæſt. 5.* potentias efficienter ab eſſentia animæ prodire; è Thomiſtis verò nonnulli talem efficientiam animæ, circa potentias, tribuunt, vt dicant, animam noua actione potentias producere, actione, inquam, diſtincta ab ea, qua ipſa fuit producta.

ALII Thomiſtæ id negant, ob duo fundamenta, quæ ipſi magna religione venerantur. Alterum eſt, quòd ſubſtantia creata nequit eſſe principium immediatum alicuius actionis, maximè accidentalis. Alterum eſt, nil poſſe agere in ſe ipſum, per ſe primò : cùm ergo anima recipiat in ſe potentias, vt proprias, in ſe non agit, ac proinde nec media actione. Ità Caietanus *quæſt. 54. art. 3. part. 1.* ait, potentias dimanare à propria forma per quandam reſultantiam. Cui fauet D. Thomas ſuprà *ad ſecundum & tertium.*

RECLAMANT Suarez *Tom. 1. Metaph. d. 18. ſect. 3. & 2. de Anima, cap. 3.* D. Thomas, Conimbr. & alij apud Ruuium, 8. *Phyſic. & 2. de Anima, capite 3. quæſt. 6. num. 94.* Conſentire videtur D. Bonauent. *in 2. diſt. 24. part. p. art. 2. quæſt. vnic. ad vltim.* & *in primo, diſt. 3. part. 2. quæſt. 1. ad primum,* aliquam efficientiam admittentes.

ASSERO primò, potentias produci à Deo creante, vel agente principali, media tamen animæ actione.

PRIOR pars probatur à Ruuio, *num. 87.* ratione (vt ait) efficaci, quæ eſt D. Bonauent. *in primo, diſt. 3. part. 2. quæſt. 1. argumento 1. ad oppoſitum, addito reſponſo.* Ad generantem, aut creantem pertinet producere rem cum omnibus, quæ ei debentur ex vi generationis, aut creationis, in eodem inſtanti, in quo generatur, aut creatur : Sed rei genitæ debentur proprietates, aut naturales potentiæ, in eodem inſtanti, in quo producitur, & ex vi productionis, atque naturæ, ſunt ei conuenientes, vt ſit in ſuo eſſe perfecto, ſibi connaturali : ergo ad producentem pertinet producere, ſeu concreare potentias. Eadem nititur Suarez, *d. 18. Metaphyſic. ſect. 7. num. 21.* 47

QVÒD verò etiam anima habeat aliquam cauſalitatem efficienter, probatur à Ruuio, *num. 83.* ratione, quam indicat S. Bonau. *p. 2. Breuil. cap. 9. circa medium, §. & quoniam ipſa dat, non tantùm eſſe, &c.* Operationes vitales procedunt à principio vitæ, tanquam à prima radice earum ; ſed potentiæ vitales ſunt virtutes naturales, eidem principio conceſſæ à natura, pro eiſdem operationibus vitalibus elicien

eliciendis: ergo continentur in virtute eius, ab eo-
48 demque oriuntur, tanquam à prima radice. Constat autem, primum principium esse animam; ideò, sicut ab ea procedunt operationes vitales, tanquam à prima radice; ita etiam potentiæ.

Asser o secundò, hanc efficientiam esse distinctam actionem ab actione productionis principalis.

Probatvr ex dictis; si enim anima, respectu potentiarum habet efficientiam veram; cùm eius efficientia non sit formaliter actio Dei, sequitur, eam distinctam esse: actio enim dicit dependentiam actualis effectus ab agente.

Fvndamenta Thomistarum iam soluta sunt ex dictis.

Tandem addo, vnam potentiam non oriri ex alia, quia anima est principium omnium; neque enim auditus ex visu oritur, &c. Neque etiam sensibile ex rationali; sed materialiter rationale ex sensibili, formaliter verò res se habet opposito modo. Vide Suarez, 2. *de Anima, cap.* 3.

DISPVTATIO III.

De Anima Vegetativa

1 Iam incipimus agere de Animabus in particulari: Quoniam verò quæstiones cadunt supra Potentias; de Animæ Potentiis in singulari agemus, diuidentes disputationes, iuxta numerum Potentiarum in tot Partes, seu Sectiones. Sunt autem Potentiæ Vegetatiuæ tres; idest Nutritiua, Augmentatiua, & Generatiua.

De Nvritione
Prima Pars Disputationis.

QVÆSTIO I.

Quodnam sit Obiectum Potentiæ Nvtritivæ.

2 Ordine Aristotelico procedemus, qui, *cap.* 4. *secundi de Anima*, adoritur disputationes de Potentiis vegetatiuis; & quia potentiæ per actus, & actus per obiecta distinguuntur, exorditur ab obiectis.

Commvnis sententia est, Alimentum esse obiectum Nutritiuæ. Ita Aristoteles, 2. *de partibus, cap.* 3. ex Hippocrate, *libro de alimento.* Galenus, *libro method.* D. August. *libro de vera Religione, cap.* 40. adductus ad hoc à Diuo Bonau. *in* 2. *dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 2. Hoc autem debere esse substantiam, naturaliter certum est; vt ostendit D. Bonau. *in* 2. *loco cit.* & *in* 4. *dist.* 12. *parte* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. & probatur ab ipso Sancto Doctore, ratione, quâ vsus est Galenus, 3. *de temperamento, cap.* 2. Omne viuens nutritur illo, quod sibi assimilari potest, sed hoc debet esse substantia; accidens enim realiter in substantiam non conuertitur: Ergo. Ita Sanctus Bonauentura, *in* 4. *loco citato, in corpore.*

Probatvr secundò à Diuo Bonauentura, *loco cit. argumento primo ad oppositum*, ex Aristotele 2. *de Gener. text.* 50. Ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus; sed sumus ex substantia corporis. Ergo.

Est autem duplex genus alimenti, alterum remotum, quod est cibus, & potus: alterum proximum, quod proximè dispositum est, vt in alitum conuertatur. Ita Suarez 2. *de Anima, cap.* 4. post alios, præcipue D. Bonau. qui id probat *in* 4. *dist.* 44. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *fundamento primo*, ex D. Augustino, *de spiritu, & anima, cap.* 15. *Tom.* 3. vbi ait: *Corpus constat ex membris officialibus, officialia ex similibus, similia ex humoribus, humores ex cibis, cibi ex elementis.*

Hoc verò, ait, *loco citato in corpore*, esse in triplici statu, aut in primo egressu à venis è sanguine, & dicitur Ros; humiditas scilicet, quæ est in foraminibus paruarum venarum. Aut prout incipit vltrà progredi, & dealbari, & dicitur Cambivm: Aut est dealbatum, & cibans in actu, & dicitur Glvten, & hoc est vltimum alimentum, quod potiùs dicitur Complexionale, quia est de complexione membri consimilis, in quo est tertia species Hecticæ. 3

Alimentvm remotum diuiditur in cibum, & potum. Cibus debet à prædominio esse calidus, & siccus, qui est obiectum famis: At potus qui est obiectum sitis, atque adeò humidus, & frigidus. Debet autem cibus esse à prædominio calidus, & siccus, vt resistat calori naturali vertenti alimentum, & vt habeat consistentiam: potus verò, vt temperet calorem cordis, & ad ducendum per venas alimentum: Sunt tamen aliqua, quæ sunt cibus simul, & potus; vt vinum.

Ex his habes id, quod ait Aristoteles 2. de Anima, text. 45. *Alimentum pati ab eo, quod alitur: alimentum enim nutrit materialiter, non effectiuè viuens.* Communiter autem antiquitus sic nutritionem docebant.

Cibvs primò defertur in ventriculum, vbi substantialiter transmutatur, ibi gignitur Chylus: 4
deinde Chylus defertur ad Hepar, vbi primum alborem amittit, & rubescit in sanguinem, & hic in venis depuratur, & pars defertur ad Cor; vbi rursùs concoquitur, & spiritus gignuntur, & sanguis à singulis membris, è venis per poros exugitur, & mutatur, vt suprà cum D. Bonauent. in Rorem, Cambium, & Gluten. Idem habet Sanctus Thomas *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. Suarez, *libro* 3. *cap.* 4. *num.* 7. De hoc, *quæst.* 3.

Nota, in potentiis actiuis, quales sunt vegetatiuæ, aliud esse obiectum earum: aliud materiam, circa quam operantur. Obiectum est id, quod per eas fit: sic obiectum ventriculi est Chylus, Hepatis est sanguis: Materia verò, *circa quam* est subiectum, quod supponitur actioni; sic subiectum nutritiuæ in ventriculo est cibus: materia, circa quam versatur Hepar. est Chylus, &c.

QVÆST.

QVÆSTIO II.

An SANGVIS *sit merum alimentum: an verò Substantia.*

5 PRIMA opinio est, sanguinem esse partem corporis, animâque informatum. Ita Caiet. *p.p. quæst.* 119. *art.* 1. *&* 3. *p. quæst.* 14. *art.* 3. Syluest. *in Rosa aurea, tract.* 31. *quæst.* 3. Tolet. 2. *de Anima, quæst.* 4. Hurtad. *disp.* 1. *de Anima, sect.* 6. qui id negat de semine, & sanguine menstruo, Arriaga, *disp.* 1. *sect.* 9. Complutenses *disp.* 6. *quæst.* 1. qui alios Thomistas allegant, Conradus *prima secunda, quæst.* 54. Hispal. *in* 2. *dist.* 13. *quæst.* 1. Medina 3. *p. quæst.* 5. *art.* 2. Astudillo, *primo de Gener. quæst.* 15. *art.* 2. Et quoad priorem partem probabile censet. Zanardus, 2. *de Anima, quæst.* 15.

SECVNDA sententia negat, partes fluidas esse animatas. Ita D. Bonau. *in* 4. *d.* 44. *art.* 1. *quæst.* 1. & alij Scholastici, *ea dist.* Rich. *art.* 1. *q.* 2. Durand. *quæst.* 2. *ad* 2. Suppl. Gabr. *dist. cit. quæst.* 2. Palud. *quæst.* 1. *art.* 2. Sot. *art.* 3. & *d.* 10. *art.* 2. *quæst.* 1. Capreol. *quæst.* 2. *art.* 3. Scot. 2. *dist.* 18. *quæst. vnic.* & *dist.* 20. *quæst.* 2. & *in* 30. *dist.* 3. *quæst.* 2. & *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 4. Rabesan. *quæst.* 6. Mastr. *disp.* 1. *quæst.* 9. & alij Scotici. Tostatus *parad.* 2. *quæst.* 40. Galen. *lib. de vsu partium*, Valesf. *lib.* 1. *controu. Medic. cap.* 4. Fernel. *lib.* 2. *Physiol. cap.* 2. & Medici ferè omnes; Fracastor. 2. *de Anima*, Dand. *lib.* 3. *de corp. animato, cap.* 4. Onuph. *tract.* 1. *de Anima, disput.* 2. *part.* 2. *quæst.* 5. & Moderni ferè omnes insignes; Suar. 2. *de Anima, cap.* 5. Ruu. 2. *de Anim. cap.* 3. *quæst.* 8. Aresius, 1. *de Gener. disp.* 2. *quæst.* 15. *sect.* 1. ac probabilem censet Valent. *tom.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 3. & *tom.* 4. *disp.* 1. *quæst.* 5. *punct.* 1. Colleg. *de Gener. cap.* 4. *quæst.* 14. Et de sanguine imperfecto idem docent Thomistæ.

PRIMVM fundamentum è Diuo Bonauentura, hic iacit Rabesanus: Tripliciter aliquid viuit. Primò formaliter, cuius anima est actus informans, & hoc modo viuunt partes organicæ, & ratione earū etiam Similares. Secundò, aliquid viuit dispositiuè, quia est pars de integritate viuentis animalis, & hoc modo viuit sanguis; quia est necessarius, vt viuat animal, & sustentetur, vnde hausto sanguine moritur animal.

6 Hoc sensu Leuitici 17. dicitur: *Anima carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit*: Sic etiam dicitur anima in sanguine consistere, vt Poëta ait: *Vitam cum sanguine fudit*, & D. August. in quæstionibus Noui, & Veteris testamenti, vt refertur *dist.* 32. *quæst.* 2. *cap. Moyses*; videtur collegisse ex Leuit. *loco citato*, ea verba: *Anima certè, quia spiritus est, in sicco habitare non potest; ideò in sanguine fertur habitare.* Tertiò, aliquid viuit, quia ortum, & conseruationem habet ab actu vitæ, vt capilli. Cum D. Bonau. incedunt alij secundæ sententiæ. Hunc verò esse sensum illius loci Leuitici, docet D. August. *quæst.* 17. *in Leuiticum.* Vide & Fuliensem 3. *Physic. cap.* 1. *art.* 4. Eustachium 3. *p. Physic. tract.* 1. *disp.* 1. *quæstione* 3.

FVNDAMENTVM secundum est, Sanguinem consequenter, in sensu prædicto, esse partem corporis. Ita Sanctus Doctor, *loco citato, fundamento vltimo, & in corpore*; ideò illum Christus in resurrectione resumpsit. Ita D. Thom. etiam *in* 4. *dist.* 48. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiuncula* 2. *&* 3. & 3. *p. quæst.* 54. *art.* 2. *ad* 3. quos sequitur Ruuius *num.* 208. & cum in gloria non inseruiat alimento; quia *resurget corpus spiritale.* Prima Corinth. 15. sequitur eum resumptum esse ad integritatem aliquam corporis. Ita etiam Suarez *num.* 5. & videtur mens expressa Patrum Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 3. vbi dicitur *Sanguis contineri sub speciebus vini ex vi verborum; sub speciebus verò panis per concomitantiam, ex vi illius naturalis connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini inter se copulantur.* Quæ videtur Concilium sumpsisse ex D. Bonauent. *fundament. vltimo, loco citato.* Imò videtur sensus Concil. Ephesini in Epistola ad Nestarium, vbi dicitur: *Verbum factum homo, assumptione carnis, & sanguinis.*

Ex his colligitur, Sanguinem fuisse Hypostaticè vnitum Verbo Diuino, in quo omnes Theologi conueniunt, excepto Durando. Ita D. Bonau. *loco citato*, & nos ostendemus 3. *p. tract.* 1. *disp.* 9. Nunc probatur; quia sanguini Christi tribuitur redemptio nostra, tanquam pretio infinitæ virtutis. *Non corruptibilibus, auro, vel argento redempti estis; sed pretioso sanguine Agni, &c.* Petrus, epist. prima, cap. 1. & Paulus Heb. 13. *Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, &c.* & prima Ioan. cap. 1. *Sanguis Christi emundat nos.* & ideò in *extrauag.* VNIGENITVS *de pœnit. & remiss.* ait Clem. Papa V. *Vnam sanguinis Christi guttam sufficere potuisse ad redemptionem totius mundi, propter vnionem ad Verbum*, vt notat Suarez *numero* 4. post D. Bonau. *in* 3. *distinct.* 19. *quæst.* 1. *in fundamentis*, vbi affert alias scripturas Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis in sanguine suo*, Hebr. 9. *Sine sanguinis effusione non fit remissio Sanguis Christi, qui per spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras, &c.* & in Canone Missæ dicitur ex Matth. 26. *Hic est calix noui, & æterni testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Vide & *in corp.* De his 3. *part.* 8

ASSERO Sanguinem non informari anima. Patet è fundamento: Si enim esset pars corporis, iam ex vi verborum: *Hoc est corpus meum*, esset ibi, at solum per concomitantiam adest; vt definit Concilium Trident. *loco citato.*

PROBATVR primò ratione D. Bonau. *in corpore, & ad* 3. quâ vtitur Suarez, *num.* 7. Ruuius, *n.* 219. Mastrius, & Fuliensf. Id, quod est alimentum non est adhuc pars corporis animata formaliter; sed talis est sanguis: ergo. Minor probatur: quia quod substantialiter corrumpitur, amittit formam antiquam, & nouam acquirit; sed sanguis substantialiter corrumpitur: ergo primam formam perdit, & acquirit eam, quæ est in alio, in quod transmutatur; sed esse aliti, est esse organum informatum animâ: ergo priùs illud non habebat.

RESPONDENT aliqui apud Suarez, non corrumpi sanguinem substantialiter. Ita etiam Arriaga.

AT nutritio est ad substantiam, vt docet Arist. 2. *de Anima, cap.* 4. & 1. *de Gener. cap.* 5. vbi docet, alimentum, vt est potentiâ substantia viuens, esse subiectum, circa quod versatur virtus nutritiua; sed vt quantum, esse subiectum virtutis augmentatiuæ, & hæc est communis sententia; vt notat Mastrius *num.* 110.

RESPONDET Hurtadus *loco citato*, Valentia *in fine puncti*; non esse absonum id, quod informatur vnâ formâ, adhuc transmutari, & accipere formam

formam animæ; & quod infotmatur animâ, adhuc transmutari, vt aliam formam mixti acquirat. Sic aiunt Medici, neruos è carne ali, & ita eadem anima, quæ informabat modo imperfectiori, incipiet modo perfectiori informare.

Contra tamen; quia si viueret, augeretur secundùm omnes sui partes; & tamen hoc non
9 euenit. Vide Ruuium *num.* 216.

Falsum est porrò, viuens suis partibus metiri; alioquin seipsum destrueret.

Probatvr secundò, ratione D. Bonau. *in corpore*, quâ vtitur Ruuius, *num* 21. Id, quod informatur animâ, debet esse continuum cum cæteris partibus corporis; sed sanguis non est continuus: Ergo. Maior probatur; alioquin posset vna numero forma plures materias discontinuas informare, & quâ ratione posset plures, posset innumeras. Minor probatur ex Arist. *lib.* 2. *de partibus animalium, cap.* 3. vbi ait: *Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est, sed in corde, ac venis, quasi vasis, continetur.* & 3. *de hist. animalium, cap.* 14. docet, sanguinem esse dispersum fluentem per omnes partes corporis, & in singulis moueri; at partes non defluunt, sed consistunt: Quapropter non potest cum eis continuari; sicut enim repugnat, decurrentem aquam continuari cum terra quiescente; ita etiam repugnat, sanguinem currentem, cum partibus consistentibus continuari. Hoc argumento vtitur Rabesanus cum Fuliensi.

Obiicies primò ex Aristotele, *lib.* 3. *de hist. Animalium, cap.* 2. in principio, & 2. *de partibus, cap.* 3. vbi, inter partes similares corporis, nominat sanguinem. Et *libro* 3. *de hist. animalium, cap.* 19. ait: *Quandiu vita seruatur, sanguis vnus animatur, & feruet.* Confirmatur, quia adeps est sanguis concoctus, ex Aristotele, *lib.* 2. *de part. cap.* 5, sed adeps animatus est: Ergo.

10 Respondetvr, Aristotelem concedere, sanguinem esse partem secundam, quæ est de constitutione corporis, tanquam dispositio necessaria, neque ob id vult, esse formaliter animatum, nec motus eius, ac feruor id arguunt; motus enim ille est à partibus vitalibus, efficienter productus ab anima; sicut autem feruor aquæ, & motus argenti viui non arguunt, ipsa animari; ita nec sanguinem libet ex hoc animatum acclamare. Motus enim illi non sunt à principio intrinseco; sed ab extrinseco efficiente; sic & manus mea calida calefaciet manum alterius, vel soluet glaciem, & dabit ei motum, nec tamen animabit.

Reliqva verò argumenta id tantùm probant, sanguinem ideò esse de integritate corporis; quia sine illo non potest consistere, nec esse corpus perfectum humanum, atque adeò à Christo est etiam assumptus in vnionem hypostaticam: Neque tamen ex hoc licet inferre, esse animatum; quia res est diuersa; nam in triduo mortis, sanguis sanctissimus
11 fuit hypostaticè vnitus Verbo, nec tamen anima vllo modo informabat eum; vel alios humores. Hæc est solutio D. Bonau. quam sequuntur Suarez *à num.* 9. ad finem, Ruuius, *à num.* 223. Hinc etiam respondet D. Bonau. ad illud: In consecratione, panis transubstantiatur in corpus, & sanguinem. Ergo sanguis est pars.

Respondetvr enim, esse partem secundariam: Imo arguo: Sanguis in consecratione panis est tantùm concomitanter: ergo non est pars corporis. Antecedens patet etiam ex aduersariis. Consequentia probatur; quia si esset pars corporis, esset ibi ex vi verborum; nam verba sonant totum corpus: *Hoc est corpus meum*, est autem ibi totum id, quod verbis exprimitur, ex vi ipsorum verborum.

Addo, neque semen viuere formaliter, sed solùm virtualiter, virtute generantis. Ita D. Bonau. *in* 2. *dist.* 31. *quæst.* 1.

Probatvr; quia est superfluum indiuiduo, contentum in vase, non continuum: Non est tamen eadem ratio de semine plantarum; quia semen, *verb. grat.* frumenti, est frumentum. Collige multò minùs animari tres alios humores excrementitios.

QVÆSTIO III.

De Sangvinis *circulatione.*

Invenervnt Moderni, sanguinem totum, è corde per venas effluentem, velut ad mare flumina redeunt, ad Cor refluere. 12

Mirantvr Anatomici, omnes antiquos hac circulatione sanguinis non fuisse eruditos; eam tamen indicatam à veteribus, fatentur Ioan. Vvalæus ad Thomam Bartholinum, & alij.

Sic Hippocrates, *in medio libelli*, de ossium natura, ait: *Venæ* (sub quibus arterias etiam complectitur) *per corpus diffusæ spirituum fluxionem, & motum exhibent, ab vna multas propagines emittentes. Hæc autem vna, vnde exordium sumat, & vbi desinat, non satis mihi compertum est. Circulo enim facto, principium non inuenies.* & in fine libri de natura humana: *Crassæ venæ sibi mutuò alimentum subministrant: internæ externis; vicissimque externæ internis.* Et clariùs Author libri de alimento: *Omnium, quæ nutriuntur, vnum est principium, vnusque omnium finis, idemque finis, & principium.*

Diogenes Appollonita apud Aristotelem, lib. 3. hist. animalium, cap 2. *Crassissimus sanguis à partibus carniformibus exugitur; qui verò redundat in hac loca, venas scilicet maiores, tenuis, calidus, & spumosus fit.*

Plato in Timæo huic sententiæ arridet, vt attentè legenti enitet. 13

Aristoteles, *libro de somno, cap.* 3. vbi ait: *Non omnis impotentia sentiendi somnus est, sed ea solùm, quam diuaporatio committit alimenti, quod rarefactum quadatenus attolli, deinde regredi, & refluere instar Euripi, necesse est; nam animantis cuiusque calidum in sublime naturâ fertur: at vbi eo loci subuectum est, mox vniuersum reciprocat, & diuidit.*

Qvi verò sequuti sunt Scriptores, non satis sanguinis circulationem attigisse feruntur: Imò, eam potiùs obscurasse; ea enim, quæ Antiqui suis venis, hoc est arteriis, & venis adscriberent, Moderni venis, provt arteriis opponuntur, adscribunt. Itaque Græci, Arabes, & Latini sequaces Galeni huius motûs rationem ad hoc vsque sæculum detulisse censentur.

Hoc igitur sæculo, Fratrem Paulum Seruitam Venetum, Valuularum in venis fabricam obseruasse, refert Vvalæus, eumque Virum incomparabilem prædicat; ex hac verò Valuularum Anatomia, Fabricius ab Aqua-pendente, dicitur, circulationem sanguinis deduxisse, quam ambabus vlnis amplectuntur Moderni. Thomas Bartolominus *cap.* 1. *de Venis*, cum Gaspare Patre suo in sua Anatomia

refor

reformata, Gulielmus Haruæus, Ioan. Pecquetus Diepeus Medicus Parisiensis. Ioan. Vveslingius, & alij.

VERVM enim verò nullus ex allegatis antiquis sanguinis circulationem satis agnouit, aut valuulas, & sinus venarum in arterias, ipsamve sanguinis circulationem tradidit, vt patet ex allatis testimoniis.

MVLTÒ magis à veritate est alienum, Arcanum hoc, per tot sæcula, sapientum mentibus incognitum, ad nostrum transisse sæculum, ac Pauli Seruitæ adscribendum ingenio. Nam Seraphicus Bonauentura eam circulationem apertè edocuit, *lib. 2. Compendij Theologicæ veritatis*. Hoc sanè opus à nonnullis adscriptum fuit Alberto Magno, vel D. Thomæ, seu Ægidio; at in antiquo manuscripto exemplari Vaticano inuenitur *Compendium Theologicæ veritatis Bonauenturæ*. Et in alio Codice peruetusto extat diuisum in septem libros, iuxta diuisionem Breuiloquij, & doctrina est conformis Seraphici doctrinæ. Ideò iussu Sixti V. Pontificis optimi ter maximi cum cæteris operibus S. Bonauenturæ, est in Vaticana editione excussum, sub nomine S. Doctoris. Is igitur, *lib. 2. cap. 41.* ait: *Dicimus ergo, quòd virtus naturalis est motiua humorum mediantibus arteriis, & venis, quæ radicantur in Hepate secundùm Galenum; sed secundùm Aristotelem radicantur in corde, & hoc per spiritum naturalem: Est autem spiritus naturalis substantia subtilis, & aërea, vi caloris in corde generata, hæc sanguinem ad singula membra impellit, ex quo corpus vegetatur.*

QVIBVS verbis expressit, sanguinem venosum, & arteriosum eundem esse, & solùm differre copiâ; quia in arteriis maiorem copiam spirituum habet, quippè recens è foco prodit. Hoc autem primum fundamentum circulationis sanguinis est; quia per Anastomoses in venas labens, reuertitur ad Cor. cap. verò 57. ait: *Homo, Græcè* Antropos *dicitur. Vnde Antropologia*, & pergit: *Item partes corporis humani habent similitudinem totius mundi. Corpus humanum ex quatuor elementis componitur: sed apparet aqua in sanguine.*

15 MEMBRA corporis triplicia sunt. Quædam radicalia, vt Cor, Hepar, Cerebrum, in quibus, vt suprà dictum, sedem habent spiritus, naturalis, vitalis, & animalis. Alia sunt membra deseruientia, vt Venæ, Arteriæ, & Nerui, per quæ vehitur triplex ille spiritus. vt habetur suprà. Sunt membra tamen ita artificialiter ordinata, vt mutuò sibi deseruiant.

CAPITE 54. explicat suprà dicta, & *cap. 53.* repetita, dicens, animam in corde, centro, residere, sicut in medio telæ Aranea, quæ omnes lineas, circulo reflexas, ad centrum mittit. Vnde Aranea regit omnia, omnemque motum sentit: Sic igitur & anima in corde motum sanguinis totius corporis ibi regit, tanquam in centrum remeantem, modo dicto *cap. 41.* quem refricat *cap. 53.* in fine. Eadem docet *in 3. dist. 13. art. 2. quæst. 1.* vt dixi *tract. 1. disput. 21. quæst. 14.*

IDEM Seraphicus Doctor *ad cap. primum Eccl.* in ea verba: *Generatio præterit, & generatio aduenit*; ait: *Ergo mutatio est successio tam in homine, quàm in eius operibus: Alia generantur, & alia deiiciuntur: Sic generatio carnis, & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur*, Et subdit, hanc exprimi in circulationibus Solis. *Oritur Sol, & occidit; & ad locum suum reuertitur: ibique renascens, gyrat.* Idem explicat exemplo vaporis, ad terram, vnde exiit, refluentis. Aliam similitudinem apponit. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: Ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant*; *sic omnia* (vt suprà ait Sanctus Doctor) *feruntur in circuitu, & scimus, quia circulus finem non habet.* Hinc *1. part. Breuil. cap. 11.* ait, Deum dedisse motus vitales circulares sanguinis, &c. vt homo edisceret motum circularem ad suum principium. Huc alludit id, quod ait *in Psal. 118. vers. 1. capitis decimi*, ad ea verba: *Clamaui in toto corde meo*, ait enim: *Nulli dubium, quin Cor sit calidum, & caliditatis principium*; *vnde totum Cor dicitur* Magnus feruor; *sed debet habere conuersionem, & reuersionem*, & hoc applicat. 16

MODVM verò circulationis altiùs petere oportet. Cibum ventriculus demissum excipit, atque eo accepto, veluti Crumena constringitur, vt collecto calore concoquat, nisi dicas, ventriculum demitti, & orificium concidere potiùs quàm esse constrictum. Debilior tamen ventriculus debiliùs constringitur, & laxiori stylo sentitur.

RECEPTVS in ventriculo cibus totus, à cibi ipsius, & potus, atque saliuæ liquore permadescit; nec ita multò post porosus, spongiosusque conspicitur.

PAVLÒ post in minima inciditur, & quasi discerpitur in frustilla, quod profectò ab humore quodam acido fit, habente vim dissoluendi; acidum autem humorem è liene in ventriculum venire credimus, eò quòd non alia acida in corpore nostro sentiantur.

ITA cibus liquori per minima commixtus, tractu temporis consistentiam tenuioris cremoris hordei coctione adipiscitur, quam vbi accipit, tum demum cibus ad intestina protruditur.

VERVM enim verò hanc in ventriculo commutationem, non æquo temporis spatio omnis cibus consequitur. Ea enim peragitur breuiori mora die, in pauco cibo; in tenui; beneque masticato. Longius autem tempus exposcit noctu magna copia, crassus cibus, maximè plenis buccis, ac magnis frustis deglutitus.

LAC, iusculaque, de die, ho[illegible] spatio suam perfectionem accipiunt; quod etiam vrinæ emictio ostendit; tardiùs olera, panis medio modo; tardiùs legumina; pisces; carnes tardiùs, & inter eas, bubula: Neque tamen cibi inæqualis concoctionis se inuicem expectant, sed defluunt faciliores ad venas lacteas, cæteris non expectatis. Ventriculus enim fibris continuò excutit id, quod sibi magis est peruium, ad Venas lacteas. 17

IN intestinis, Chylus cineritius est; nec, nisi raró, à bilis flauedine tingitur; ab ipso autem iam Duodeno incipit Aselij venas ingredi, nec is ingressus in vllis cessat intestinis, quamdiù aliquid in intestinis chyli reperitur, vt rectum ipsum Intestinum venis lacteis donatum sit, quæ ab affluxu Chyli sæpè conspiciuntur candicare.

NVNQVAM autem Chylus animaduersus est venam vllam in ventriculi corpore, nec vllàm Mesaraicam intrare; vti nec sanguis ligaturâ venæ Portæ in venis Mesaraicis, quantumvis adauctus, vnquam visus est lacteas venas ingredi. Sic enim venæ lacteæ deferendo Chylo: Mesaraicæ verò sanguini deferendo destinatæ cernuntur.

CHYLVS in venis lacteis semper candidus est, etiamsi è chylo cineritio deuenerit. 18

PER has Venas lacteas Chylus assurgit. Quo autem modo id fiat arduum est exponere.

EXPERIENTIA didicimus in Canibus, quasdam

dam è Venis lacteis, ex intestinis in Ramum mesentericum; quasdam in ipsam venam Portæ; alias in Cauam Hepatis; paucissimas in venam Cauam propè emulgentes desinere; ea enim animalia vnicam non habent glandulam in principio mesenterij, quam Asellius Pancreas appellauit; sed quinque glandulis donatæ venæ illæ, quæ interuallo seiunctæ quibusdam intermediis venis lacteis, aditum, & transitum relinquunt apertum.

Per lacteas venas delatus Chylus permiscetur sanguini in Mesenterico Ramo in vena Portæ, in ipsoque Hepate; quocunque enim loco ligentur venæ lacteæ intumescunt; quia impediuntur hinc Chylum transmittere; ac soluta ligatura, eum illis partibus manifestè infundunt.

Rami Venæ Portæ in Hepate, quamuis variis in locis annectantur ramis venæ Cauæ, nullibi tamen in ramum maiorem venæ Cauæ aperirentur, sed minimi venæ Portæ rami, in minimos Cauæ ramos, Chylum hunc, sanguini mixtum transfundunt.

E ramulis venæ Cauæ in Hepate, sanguis, omnium iudicio, venæ Cauæ infunditur, & manifestò ea super Hepar in riuis ligata ab influente sanguine intumescit.

19 E vena caua Cordis ventriculum dextrum ingreditur, ligatâque alterutrâ venæ Cauæ parte, quæ suprà, infravè Cor sita, est obseruatum, eam Cor versus exinaniri.

E dextro Cordis ventriculo manifestè satis venam arteriosam intrat, & per eam in Pulmones fertur.

Ingressus per venam arteriosam sanguis in Pulmones per arteriam venosam ad sinistrum Cordis ventriculum abit, quod inde colligitur; quod ligato propè Pericardium in Pulmone viuo arteriæ venosæ maiori ramo, cernitur versus Pulmonis ambitum indurari, & in tumorem attolli, eâ parte inanitâ, & concidente, qua Cor spectabat, solutâ que ligaturâ sanguinem ad sinistrum Cordis ventriculum moueri, idque facillimum est in Cuniculis obseruare. Hic autem sanguis cùm aliunde venire non possit, è venâ arteriosâ huc defluere debet.

Ita ad sinistrum Cordis ventriculum delatus sanguis; inde ad arteriam Aortam pergit, & in minores arteriolas pertransit, vt ligaturis experientia docet.

Sangvis è minoribus arteriis potest venas intrare, arteriæ enim quibusdam in osculis ad venas peruiæ sunt; vt experti sunt exinaniendo venam, eamque vtrinque ligando, & relinquendo ibi liberam contiguam arteriam, ex qua defluens sanguis venam impleuit. Id ipsum Galenus viderat, *de vsu pulsûs*, *cap.* 5.

20 Et reuerà, sanguinem ex arteriis per ea oscula naturaliter in viuentibus venas ingredi, hæc inditia demonstrant.

Probatvr primò à Bartholino, ex copia sanguinis missi ab arteriis ad partes, & venas, qui non potest consumi à partibus, præsertim cùm sanguis arteriosus satis crassus sit, nec quartâ parte rarior venoso, & si refrigerari sinatur, concrescat; sed hoc argumentum peteret principium, supponens, arterias sanguinem venis communicare. Ea tamen communicatio ab eo probatur *libro* 3. *capite* 6. quia tubo inflatis capitis carotidibus arteriis, inflantur venæ ei iunctæ.

Probatvr secundò, cùm venam in brachio ligato secamus, si partem venæ tumentis, manum versus pollice comprimas, vel liges; nihil sanguinis fluere videbis; vnde videtur sanguis à manu venire rediens ad Cor, & cùm sanguis è venæ sectione sæpe vltra duas libras educatur, neque tantus sanguis in inferiori parte venarum brachij esse potuit, is eo debet ex arteriis venisse, quæ non sunt impeditæ ligatura venæ, vt integer pulsus ostendit.

Probatvr tertiò experimento alio, facto in viuis canibus, quibus ligata est vena inguinis; Ea igitur pars, quæ Cauam spectat, inanita videbatur; ex parte verò pedis intumescebat, adeò, vt præ plenitudine, durior ipsa arteria videretur; at lelata ligatura sanguinem sursum moueri videbant, & venæ duritiem, ac plenitudinem imminui; ligata verò arteria, mirum in modum intumescere eam partem, quæ Aortæ vicinior esset; at concidere remotiorem; nec venam tunc ligatam euidenter intumescere. 21

Vt autem clarius appareret experimentum, denudatam ita venam, & arteriam eleuarunt aliquantulum, & sub iis firmiter crus ligarunt, ne per aliam; quàm eleuatam, sursum, aut deorsum moueri sanguis posset. Tum filo suspensam, & occlusam venam infra ligaturam, lanceolâ aperuere, & sanguis ex parte remotiori à Corde copiosus erupit; illa verò pars, quæ Cor spectabat, paucas guttulas stillauit, quo enituit, sanguinem è venis minoribus ad maiorem reuerti, & hinc ad Cor transire.

Eodem modo Anseris collo ligato, iugularis Vena intumescit ex parte capitis; infrà ligaturam verò cernitur inaniri.

Idem Experimentum in suspensis: nam facies, & gula supra laqueum à sanguine detento rubescit, & inflatur. Alia retuli *Tractatu* 8. *disputatione* 4. *quæst.* 5.

In fœtibus paulò aliter fit circulatio.

Ex vtero materno sanguis, non arterias vmbilicales ingreditur, quæ ex obseruatione Arantij, vtero non iunguntur, sed venam Vmbilicalem intrat, à qua in Venam Cauam, & dextrum Cordis ventriculum secedit; Cor enim in fœtu, etiam imperfectum, pulsat. E dextro ventriculo in Venam Arteriosam descendit; sed cùm Pulmones non respirent, ideoque, nec patentes fiant, affatim nequeunt sanguinem recipere, & ad Arteriam venosam dimittere; quare è vena arteriosa per peculiarem ductum in Aortam vadit, & per peculiare venæ cauæ foramen arteriam venosam ingressus auriculæ Cordis sinistræ; eiusque sinistro ventriculo infunditur; E sinistro Cordis ventriculo, non aliter, ac is è vena arteriosa, arteriam Aortam ingreditur; vt in fœtu natura duobus ventriculis pro vno vtatur, ne in eodem fœtu, qui copiosi, non intensi caloris, nec siccus esse debuit, bis sanguis excoctus adureretur, Pulmonum refrigerio, & ventilatione destitutus. Ex arteria Aorta sanguis ad Arterias Vmbilicales vadit. His enim ligatis, pars, quæ fœtum spectat, pulsat, & intumescit; reliqua versus vterum pulsu destituitur; ex arteriis vmbilicalibus ad Placentam, vbi arteriæ venis manifestis anastomosibus iunguntur, & per eas anastomoses sanguis venas ingressus toto memorato itinere defertur, & circulatur. 22

Celerrimvm esse hunc motum ostendit tumor, & induratio velox venarum, & arteriarum ad ligaturas. Vno horæ quadrante totum circuitum peragi,

peragi, ait Bartholinus; ita verò, vt non idem semper sanguis; qui ex vna parte redit; putà, è cruribus, dum ad Cor peruenerit, eadem omninò via totus remeet, sed alius admixtus.

23 Ex quo etiam sæpè fit, vt cùm materia pestilens est in aliqua parte, sanguis redeundo ad Cor, syncopes, & paroxysmos efficiat, etiamsi aliis etiam è causis oriatur paroxysmus, vnde secundum etiam diem expectet.

PLVRIMVM autem confert motus sanguinis; tum, vt continuò calefiat, & aptior reddatur nutritioni: tùm, vt a corruptione seruetur immunis: Præterea expedit, vt sæpe calore rarefiat, & spiritosior euada

HABET etiam sanguis, præter motum circularem, alios motus; nam è minimis arteriolis sanguis recta in carnem defertur, vt humorem, quem nominant, Rorem, Gluten, Cambium, constituat, vt obseruat Vvalæus, *loc. cit.* post D. Bonau. *in 4. dist. 44. q. 1.* Primò enim humor sanguineus, vt Ros egreditur poros: deinde dealbatur, & fit alia substantia, quæ dicitur Cambium: vltimò fit Gluten, quod dicitur Humiditas, non ampliùs nutrimentalis, vt duæ priores: sed complexionalis, quæ est de complexione membri iam consimilis, in quo est tertia species hecticæ, dum iste humor læditur.

HIc sanè motus sanguinis prodest plurimùm multis Medicinæ ac Chirurgiæ ministrationibus, vt Vvalæus aduertit, & mihi sæpè dixit Bolarminius Medicus insignis, Hebræus natus.

24 OBIICIES primò. Experimento constat, venas tumescere, non ex sanguine, sed ex ligatura, neque ex ea fit, vt ingurgitetur sanguis permeans ad Cor; vt constat, si duas ligaturas apponas, & in medio Vena secetur, exibit sanguis intermedius.

RESPONDETVR, Venam tumescere in parte inferiori a sanguine, nam secta vena, sanguinem copiosum effundit e parte illa. Inter duas autem ligaturas exibit sanguis, si remotæ sint; & ideò impetu; quia per anastomoses ingreditur velox ad replendam venam. Ideò iis, qui humores malos habent, in sanguine purgatiori indicitur duplex ligatura.

OBIICIES secundò. Aliquæ partes sanguinem accipiunt, & ab affluxu sanguinis tumores patiuntur, quæ Arterias non habent, vt Pleura.

RESPONDETVR, nullas esse partes conspicuas sine Arteriis. Porrò è pleuræ arteriis in viuis animalis sectione, apparent riui sanguinis: sunt tamen plurimæ adhuc Arteriæ absconditæ.

OBIICIES tertiò. Si venosus sanguis ab arteria venit, quomodo est adeò dissimilis arterioso: tum in colore viuido; tum in raritate, & velocitate?

RESPONDETVR, velocitatem non è copia Spirituum; sed ex impetu cordis esse, non est autem adeò rarus, sicut apparet, vt constat, si frigesieri sinatur: est sanè calidior, quippe è foco tunc recens prodiit.

25 OBIICIES quartò menstruus sanguis, integro mense circa vterum colligitur: Ergo non fit huius sanguinis transitus à minoribus venis ad maiores.

RESPONDETVR, id fieri aliquando obstructionibus; at natura dedit menstruis motum, vt apparet ex palpitatione, & lypotymiæ indicant.

ADDO, pronidè naturam fecisse, vt non omnes praui humores per Cor transeant, potens enim Cor multos arcet, & multos repellit.

OBIICIES quintò, si fieret circulatio, oporteret saltem, semiunciam sanguinis in qualibet constrictione, Cor effundere ad Aortam, hoc autem est falsum; tum quia sanguis nimis spirituosus est; tum quia valuulæ cordis exiles, & arctæ quædam rimulæ sunt; at arteriæ nimis plenæ non valent tantùm accipere sanguinem.

RESPONDETVR, sanguinem minùs spirituosum esse, quam videatur; neque valuulæ Cordis sunt rimulæ; nam dissecta arteriâ satis magni sanguinis radij effluun: Neque absonum est, accipi semiunciam sanguinis singulis constrictionibus, quibus omnes arteriæ dilatantur, vt sensibus t ctum est.

OBIICIES sextò. Si sanguis in fœtu per venam Vmbilicalem ex Arteriis ingrederetur; sequeretur, tantum sanguinem vnam venam afferre, quantum duæ afferunt arteriæ.

RESPONDETVR, in fœtu vnam esse Arteriam. Porrò non absonat, duo vasa minora, non afferre maiorem copiam sanguinis, quam vas maius.

OBIICIES septimò. Si darentur tot anastomoses, non fierent tumores è fluxione, & congestione.

RESPONDETVR, fluuios, etiamsi ostium habeant, si æquo nimias aquas deferant, redundare: Sic igitur obstructionibus impeditur sanguis, eoque extrauasato, facile concrescit in tumores. 26

QVÆSTIO IV.

An Capilli, Vngues, Cornua, Rostra sint excrementa; an partes animata.

D. Bonau. 4. dist. 44. quæst. 2.
D. Thom. 5. sup. quæst. 60. art. 2.

PRIMA opinio negat, Vngues, Crines, & similia animari: Sic Galenus *in libro artis Medicæ.* Fernel. *libro 2. Physiol. capite 2.* Achillin. *libro 2. de element. quæstione 1. articulo 5.* Thomas Garbius, *libro primo, tractatu 4. quæstione quinquagesima tertia*, Fracastor. *de Anima*, Peramatus *de hominis procreat. capite octauo*, Conciliator *different. 54.* Toletus, *primo de Anima, quæstione quarta*, Rabesan. *disputatione prima, quæstione sexta*, Bartholinus, *libro 3. capite primo, Anat.* citans Paræum, & Hippocratem; Fuliensis, *libro tertio Physicorum, capite primo, articulo quarto*, (excipit verò dentes, quos includit Eustachius *tertia parte Physicorum, tractatu primo, disputatione prima, quæstione tertia.*) Et quoad crines, Suarez, *libro secundo, quæstione vndecima, numero quinto*, & quoad omnes, Poncius, *disputatione 1. numero 151.* exceptis dentibus.

SECVNDA opinio concedit, hæc informari anima, non quidem totius corporis; sed alia vegetatiua, distincta à sensitiua, aut rationali totius animalis, modo simili, quo herbæ, terræ adhærentes, habent aliam formam distinctam à forma terræ, idest, animam

mam vegetatiuam, cuius virtute nutriuntur, accepto succo per radices ab ipsa terra; Citatur S. Doct. *in* 4. *dist.* 44. *q.* 2. à Ruuio, *de Anima, cap.* 3. *quæst.* 9. & Mastrio *d.* 1. *num.* 108. Poncio *loc. cit.* sed malè, vt patet. Citatur & Auersa *quæst.* 45. *sect.* 4. Meriner. *disp.* 2. *quæst.* 5. *sect.* 3.

17 Tertia opinio est, Vngues, & capillos viuere, informatos eadem anima totius. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiuncula* 3. *ad* 3. Suarez, 2. *de anima*, *q.* 10. Bannes 1. *de Gener. cap.* 4. *q.* 16. *art.* 4. *concl.* 3. Viguer. *de institutione*, *c.* 21. & quantum ad vngues pertinet; Sequuntur Valesius, *cap. vlt. in fine*, Rochus 2. *de anima*, *q.* 5. Alij negant de pilis, & concedunt de vnguibus, vt Moriz. *disp.* 1. *de anima*, *quæst.* 8. Vales. *lib.* 2. *controu. medic. cap.* 4. Hurtad. *disp.* 1. *sect.* 6. Parisanus, & Plempius apud Bartholinum.

Sententia D. Bonau. habetur *in* 4. *dist.* 44. *q.* 1. *ad* 3. vbi distinguit tripliciter aliquid viuere, aut quia recipit influentiam vitæ, vt Caro: aut quia disponit, & conseruat vitam, vt sanguis: aut quia ortum, & conseruationem habet ex actu vitæ, & hoc modo viuificantur vngues, & capilli. Ita stat cum prima sententia. Quæstione secunda solùm dicit, resurrecturos vngues, & capillos, quia sunt de ornamento alicuius partis, idest, capitis, & extremitatum. Vnde non rectè adducitur a Ruuio; imò ratio, quâ vtitur Ruuius ad secundam opinionem improbandam, *num.* 128. nempè, quia non dantur in viuente plures animæ totales, vel partiales; est ratio S. Doct. *in* 1. *d.* 31. *quæst.* 1. vt vidimus *disp.* 1. *quæst.* 14. Hinc patet, malè allegari Seraphicum à Zanardo, 2. *de Anima*, *quæstione* 10. pro tertia sententia.

18 Assero primò, capillos non esse animatos.

Probatur primò. Quod non crescit vndequaque, non animatur animâ vegetatiuâ, nec verè nutritur, sed capilli crescunt solùm ex parte interiori, sicut vapor crescit per impulsionem sequentis vaporis, cogentis præcedentem crescere, & ascendere, ex Galeno *libro de temperamentis*: Ergo.

Hæc ratio adducitur à Suarez *loco allegato*, & videtur D. Bonauent. *quæstione* 1. *ad tertium.* Nec Ruuius oppositum probat, vt supponit *numero* 129.

Probatur secundò à Diuo Bonauentura, *loco citato, quæstione* 2. *argumento* 3. quia, quòd è fumositatibus gignitur, non spectat ad partes animatas: sed tales sunt crines. Ideò, qui habent plura excrementa, sunt semper valdè pilosi.

Probatur tertiò à S. Doct. *argumento vltimo.* Omnium naturâ constantium est determinata quantitas: sed tales non sunt capilli: Ergo. Maior ostensa est, *Tract.* 5. *disp.* 8. *quæst.* 5.

Probatur quartò à D. Bonau. ibidem. Si nutrirentur in animali, sentirent; sed non sentirent; nam sine dolore abscinduntur (quidquid dicat Ruuius,) vt indies patet experimento: Ergo.

19 Probatur à Sancto doctore *in corpore.* Quia quæ ad merum ornatum faciunt, non sunt partes corporis, sed tales sunt capilli: ergo. Maior probatur; nam finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem; & ideò, quæ ad vitam ordinantur, non sunt solâ ornatus gratiâ. Minor probatur: quia ad quid aliud deseruiunt vitæ: Hoc argumento vtitur Suar. *loco citato.* Confirmatur ex Aristotele, 3. *de histor. cap.* 11. vbi probat, pilos in cadaueribus augeri; Tametsi *primo, de Animâ, text.* 79. & *lib.* 3. *text.* 6. capillos inter partes animalis nominet, nempè, quia sunt de perfectione decentiæ corporis humani.

Assero secundò, idem dicendum de vnguibus. Patet ex rationibus factis pro prima assertione.

Obiicies primò, S. Bonauent. *sermone* 8. *de Apostolis*, post initium, ait: *Vngues, qui sunt ex fumositatibus cordis, in tantum Cor, à quo suum esse capiunt, diligunt, quod statim Corde patiente liuescunt, & quandoque nigrescunt: ita nunquam Cor patitur, quin signum in vnguibus ostendatur, sicut in febri monstratur.*

Respondetur, hæc signa non in vnguibus euenire formaliter; sed in viuaci carne suppositâ inde effulgente, quæ deficiente corde sentit defectum in Venis, & Arteriis. Id intendit S. Doctor. Vide *Tract.* 8. *disp.* 5. *quæst.* 18.

Quod verò ait Suarez, vngues destinatos esse ad firmiter apprehendendum, ideòque ad vitam spectare, friuolum est; nam apprehendere non est actus vitalis: Addit verò, vngues crescere secundùm omnes partes, licèt deducti ad debitam quantitatem, augeantur secundùm partem tantùm superiorem. 30

Sed videat, eosdem esse numero vngues continuos, qui vltra digestos excrescunt: & infrà: Quod si vni parti anima conceditur, & vegetatio; concedenda est etiam alteri. Cùm ergo vna pars non vegetetur, vt ipse concedit, idem de cæteris dicendum erit. Quod enim in euulsione vnguis sentiatur dolor, non est, quia sint animati; sed quia radicibus nectuntur firmiter carni, & neruis; ideò in euulsione in ipsis est dolor, cuius signum est quod idem vnguis numero in summitate abscinditur absque dolore.

Quoad dentes, reor eos animari, sunt enim vera ossa, habent venulas ad nutritionem: Id supponit S. Doct. *quæst. cit.*

QVÆSTIO V.

De Actibus NVTRITIVÆ POTENTIÆ.

Nota ex Diuo Bonauentura, *libro secundo, Compend. Theolog. capite* 33. Potentiæ nutritiuæ multas esse facultates, quibus suis actibus fungitur. Prima est Appetitiua cibi, & potus, quæ sequenti ratione operatur excitando famem, & sitim. Sugunt primò venæ nimirum à stomacho succum: succus autem hic efficit, vt alimentum deficiat in ventriculo, ad cuius absentiam ex Liene melancholiæ copia iniicitur, quæ os ventriculi rodit: Sicque fames sentitur, idest, appetitus calidi, & sicci. Euenit autem aliquando, vt ob nimium venarum succum, alimentum nondum rectè digestum à stomacho attrahatur, quod semper ex infirmitate aliqua prouenit, & tunc causatur fames canina; naturalis verò est quando venæ attrahunt cibum benè digestum: Sitis deinde causatur, quando ventriculus eget humore potus ad cibos benè concoquendos; sine potu enim alimentum coctum fit simile assatæ carni. Venæ etiam cum alimento attrahunt humorem necessarium, ex quo siccare contingit ventriculum, & ita causatur sitis; vnde naturaliter fames priùs sentitur, quam sitis; nam potus non est, nisi propter alimentum, & ideò prior est indigentia cibi, quàm potus. Dixi naturaliter: nam

nam præter naturam ex vehementi calore sæpè fit, vt priùs sitis, quàm fames sentiatur, vt notat Suar. *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 4.

31 SECVNDA facultas est Virtus attractiua cibi ab ore ad ventriculum; à ventriculo ad venas lacteas; inde ad Iecur; à Iecore ad alias partes venosas, præcipuè ad Cor; à corde per arterias, præcipuè ad Cerebrum, à Cerebro per Sensoria.

TERTIA est digestiua; nam primò cibus alteratus in ore, trahitur ad ventriculum, vbi coquitur, & substantialiter mutatur in massam subalbam, quæ est Chylus, vel secundùm Moderniores Anatomicos concoquitur ibi, sed non dealbatur; dealbatio verò fit in venis lacteis, de quibus vide Ioannem Veslingium & Bartolinum, vbi de Pancreate agunt, & quæ dixi *Tract.* 8. *disp.* 4. *quæst.* 10. & hîc *disp. ista, quæst.* 3. ibi fit separatio fæcum stercorearū, mox Chylus ad Iecur transit per venas Mesenterij, vbi ebullitur, & rubescit, spumaque supernatat, & in fundo densior quædam fæx subnigra euoluitur, & quidem partes hæ terrestriores sunt atribiliares, seu melancholicæ; & ad Lienem descendunt: spumosæ verò cholericæ, idest, flauæ bilis ad Folliculum fellis euolant. Mediæ autem rubescentes sunt sanguis. Porrò sanguinem in Iecore, vbi est officina sanguinis, fieri docent Anatomici veteres Galenus *lib.* 6. *de placitis*, *cap.* 17. & alij. Ita Plato *in Timeo*, Philo *lib. de victimis*. Gregor. Nyss. *lib. de hominis creatione*, *cap.* 27. Theodoretus, *serm.* 3. *de Prouidentia*, Lactan. *lib. de opificio Dei*, *c.* 14. Richar. *in* 2. *dist.* 3. *q.* 2. *ad* 5. Maior ibidem, *q.* 6. D. Bonau. 3. *part. Centil. sect.* 22. *& lib.* 2. *Comp. Theol. cap.* 41. contra Arist. 2. *de part. animalium, cap.* 4. & *lib.* 3. *de hist. animalium. cap.* 19. & Pecquetum apud Bartolinum; & sanè antiqua Anatomia id docet, nam ab Hepate adsunt venæ per omnia membra; sanguis verò ad Cor, è Iecore volat, & ibi in latere sinistro, seu ventriculo cordis fiunt Spiritus, & per Arteriam magnam distribuuntur per totum corpus, & aliquam partem seruat ad sui alimentum Pulmo; pars verò spirituum ascendit ad Cerebrum, & ibi
32 vltimò concoquuntur, & in Spiritus animales elaborantur, & ad sensationes emittuntur, vt docent Medici contra Arist. 2. *de Gener. animalium, cap.* 4. & *lib. de partib. animalium, c.* 7. Hinc fontem sensitiuæ virtutis cerebro adscribunt cum D. Bon. *citatis locis, & eisdem libris* passim, licèt fons vitæ sit in corde, vt patet ex virtute pulsatrice, quæ ex magna Arteria Cordis primogenitâ resultat. Nec aliud vult S. Doct. *in* 3. *dist.* 13. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 1. Igitur spiritus animales deriuantur per neruos, qui è cerebro prodeunt partim immediatè, partim per medullam dorsalem, quæ vsque ad spinam descendit: Prouidè autem inde natura neruos ad inferiores partes deriuat, ne cogatur tam longos tractus neruorum è cerebro, cum conuulsionis periculo, ad pedes trahere, vt notat Vessal. igitur vt ad rem reuertar, sanguis per venulas vsque capillares distributus, mutatur in Rorem, Cambium, Gluten, & Membra, & euaporantur excrementa pilarum. Vide & D. Bon. 2. *dist.* 44. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1.

HINC habes etiam tertiam facultatem expulsiuam.

VLTIMA est retentiua, quæ quibusdam repagulis retinet cibum, seu magis propinquum alimentum; sic in Ventriculo sunt ostia; in Iecore vectes; in corde penetralia, & hoc etiam in Cloaca intestinorum, vbi retinentur, nè fœteant clausæ fæces, & expelluntur blandiente Atrabile, vt aiunt Medici.

QVÆSTIO VI.

An NVTRITIO *sit aggeneratio substantialis formæ.*

FVIT opinio Magistri *in* 2. *dist.* 30. quem refert S. Doct. ibi, *art.* 3. *quæst.* 1. per Nutritionem non gigni nouam substantiam, sed solùm foueri eam, quæ habita est per generationem. Hanc opinionem refert D. Th. *p. p. q.* 119. *art.* 1. eamque sequi videtur etiam Albert. *in sum. de homine, quæst.* 1. *art.* 2. 33

VERA tamen sententia SS. Doctorum est, quos cæteri sequuntur, Nutritiuam esse aggenerationem alicuius substantiæ viuentis. Ita ante eos Arist. 1. *de Gener. cap.* 5. & 2. *de anima, text.* 46. Id etiam habet Scotus *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. & alij.

ASSERO cum hac sententia, In nutritione produci formam substantialem.

PROBATVR primò à D. Bonau. *dist.* 30. *quæst.* 2. ex D. Aug. de vera religione, *cap.* 40. vbi ait: *Alimenta carnis, corrupta, idest, amittentia formam suam in membrorum fabricam migrant: Et alimenta, quæ apta sunt, in huius corporis structuram assumuntur.* Hác authoritate vtitur Ruuius 1. *de gener. c.* 5. *quæstione* 1. *num.* 8.

PROBATVR secundò à S. Doct. *q.* 1. *in corp.* argumento, quo vtitur Scot. 4. *dist.* 44. *q.* 1. Quia non minùs perfecta est vegetatiua in Bruto, quàm in Homine; sed videmus per vegetatiuam bruti conuerti alimentum in substantiam aliti: Ergo.

CONFIRMATVR à Scoto ex S. Doct. Ita enim videmus gigni hominem imperfectæ quantitatis; sicut etiam Asinum. Videntur & membra maiora fieri & solidiora, & similia; quod non fit accretione alicuius accidentis, sed substantiæ.

PROBATVR tertiò à S. Doct. *loc. cit. in corpore*, constat enim experimento carnem, quæ habetur ab infantia ex vtero, sicut & ossa, mutari; hoc autem naturaliter fit, vt patet in infirmitati. & accremento ætatis, neque aliter potest fieri naturali ordine, quàm per aggenerationem nouæ substantiæ. Hác ratione vtitur Ruuius *num. cit.* Quæ autem forma substantialis aggeneretur, sub lite est: Qui enim formam corporeitatis excludunt, coguntur concedere, aggenerari aliquam partem animæ, aut nullam formam aggenerari: Sanè quoad animas diuisibiles concedunt Colleg. 1. *de gener. cap.* 5. *q.* 12. *art.* 2. Tolet *ibi, quæst.* 9. Arcsius *ibi, disp.* 4. *q.* 33. *sect.* 2. Bannes *q.* 5. *cap.* 5. De indiuisibilibus verò coguntur negare: Si enim anima est indiuisibilis, non admittit partes, vel partium additamentum: Ita etiam Scotus *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. *art.* 1. Ægidius *in* 1. *distinct.* 5. *art.* 2. *quæst.* 5. Marsilius 1. *de gener. quæst.* 11. *&* 12. Petrus de Mantua *Tract. de primo, & vlt. instanti*, Palat. 2. *de Anima*, Tolet. 1. *de gener. cap.* 5. *quæst.* 9. & Ruuius ibi, *quæst.* 9.

S. Thom. *p. p. q. vlt. art.* 1. in homine concedit, per generationem produci substantialem formam. Hæc verò apud D. Thom. & omnes Scriptores, non potest esse anima: Ergo erit forma corporeitatis. Neque enim potest esse materia cum quantitate; quia materia est ingenerabilis, etiam apud Diuum Thomam. Quod autem anima nullatenus aggeneretur in animalibus, etiam brutis, per nutritionem, probatur à Zabarella *de Nutritione, & Accretione*, *cap.* 15. Primò; quia anima est actus corporis dissimilaris: ergo non potest educi de parte similari aggenitâ; putà, carne, osse, &c. Secundò, sequeretur, 34

non

non manere idem numero viuens, dum ibi nutritur; atque adeò nutritio esset generatio, & corruptio totalis.

At S. Bonau. *quæst.* 2. *in corpore* supponit, tanquam citra controuersiam, nil animæ nostræ produci, cùm sit immortalis. Quoad alias verò probat eo argumento primo, quo vtitur Zabarella. Ita *libro* 2. *Compend. cap.* 29. vt dixi *disp.* 1. *quæst.* 9. & *in* 4. *dist.* 49. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. ac proinde infert, non posse animam educi de singulis partibus Homogeneis, vt notat etiam P. Galitius *part.* 2. *libro* 3. *tract.* 3. *quæst.* 4. *num.* 5.

Obiicies cum Magistro, Matth. 15. *Omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*: ergo nihil transit in substantiam, sed solùm inseruit fouendo calori. Idem habetur *Marci* 7. vbi Glossa: *Tenuissimus humor, & liquens esca cum in venis, & arteriis decocta fuit, & digesta per occultos meatus, quos Græci poros vocant, ad inferiora dilabitur, & in secessum vadit.*

35 Respondet D. Bonau. *dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 3. & D. Thom. *loco citato, ad primum*, sensum non esse vniuersalem pro singulis generum, ita vt singulæ partes escæ in secessum abeant, sed pro generibus singulorum; ita vt partes solùm terrestriores, & alimento inutiles abeant.

Sensus igitur Christi germanus est ad retundendam hypocrisim Pharisæorum, qui accusabant discipulos immunditiæ; eò quòd illotis manibus manducarent: Nil criminis est in hoc; quia, quod sumitur, etiam illotum, & immundum, in ventrem vadit, & ibi depuratur: inde immundum sanè deiicitur; alimentum autem mediantibus venis distribuitur per poros, vt ait Glossa, quæ, ideò nobiscum sentit, vt notat D. Bonauentura; (fæces enim non per poros, sed per intestina defluunt.) Hæc verò, quia naturaliter fiunt, ac decurrunt, non coinquinant hominem crimine: coinquinant sanè potiùs ea, quæ patrantur adulteria, periuria, &c. quæ per os, erumpunt è corde, seu voluntate. Itaque dicere vult Christus: scrupulos in manibus gestatis, librantes Anetum, & Cyminum, laxi in conscientia: Eandem responsionem adhibet Ruuius, *num.* 9.

Igitur Zabarella de nutritione, & accretione, *cap.* 15. vt ea deuitaret incommoda, aliud inuenit effugium, Animam omnem producto corde totam produci, & inde ad alias partes protendi; eodemque modo in accretione fieri, quæ protensio ab ipso vocatur impropria productio. Idem tenuit Philopon. apud eum, & Bannes *loco cit.* eadem est sen-
36 tentia Ruuij 1. *de Gener. cap.* 5. *num.* 107. vbi adducit Auerroëem 1. *de Gener. com.* 78. D. Thom. *lect.* 14. *&* 15. & *loc. cit. p. p. ad* 2. Conimbr. 1. *Physic. cap.* 9. *quæst.* 5. *art.* 2. quoad animas indiuisibiles; de diuisibilibus verò, cùm non possit esse tota talis anima vbique, id ipsum non tenet.

Assero secundò, formam, quæ producitur per nutritionem, esse corporeitatis.

Et sanè de mente D. Bonau. & Scoti hoc clarum est: & idem asserendum ex mente D. Thomæ, *loco cit.* vbi ait: *Cùm id, quod ex alimento generatur, adiungatur corpori nutrito per modum mixtionis, &c. non potest alia esse materia eius, quod aduenit, & eius, cui aduenit, cùm iam sit factum vnum per veram mixtionem*: At certum est, ex corpore, & anima non fieri vnum corpus mixtum, neque respectu materiæ; quia in materiis non datur vera mixtio: ergo fit respectu formæ corporeitatis.

Probatur; quia corpus est, quod restauratur, & diminuitur: ergo per formam corporis: ergo in nutritione forma corporis generatur. Idem dicendum in accretione.

Assero tertiò, in nutritione non produci aliam formam, quam corporis.

Supposita doctrinâ, traditâ *disp.* 1. *quæst.* 5. animas omnes indiuisibiles esse, res erit perspicua; sic enim tota initio debet esse producta, cum non habeat partes, successiuè producendas.

Mirantur secundò. In quauis opinione, vel producitur sola anima, vel simul cum forma corporis.

Si primum asseratur à Thomistis; concedent formam corporeitatis. Reliqui autem admittentes formam corporeitatis, & animas diuisibiles concedentes, id concedere coguntur (nisi imitentur inuentum Zabarellæ,) Cæteri verò Thomistæ, admittentes vnicam formam, eamque animam, negabunt aliam formam, præter animam, produci.

Contra vtrosque verò sunt argumenta Zabarellæ suprà indicata: Contra negantes verò formam corporeitatis arguitur doctrinâ D. Th. idest, 37
ex nutrimento, & nutrito, fieri vnum per mixtionem; At anima, & anima non possunt esse materia mixtionis.

Præterea si mutatur anima, non seruatur idem in nutritione indiuiduum.

Itidem; quia anima educitur ex semine ad summum; non autem ex nutritione. Suppositâ verò indiuisibilitate animarum deducit P. Galit. *loc. cit.* manere idem numero post nutritionem, quia eadem manet anima: At manere etiam portionem corporis, quæ est de veritate necessaria humanæ naturæ, addit Sanctus Bonauent. *loc. cit.* vt mox dicam.

QVÆSTIO IX.

Quomodo in Nutritione *seruetur idem indiuiduum.*

D. Bonau. in 2. d. 30. art 3. quæst. vlt.
D. Th. p. p. q. 119. art. 2.

Effatum est Arist. permanere ante, & post nutritionem, & augmentum, id, quod nutritum est, & auctum. Ita 1. *de gener. c.* 5. & id sæpe repetit *textu* 25. 31. 33. *&* 35. Probatur, alioqui nutritio, & augmentatio erunt totales generationes, & corruptiones, quod nullus dicet.

Quoniam verò per vim caloris naturalis, pars 38
aliqua deperditur; aliqua per alimentum restauratur in alito; quæstio est: Quomodo post nutritiones, adhuc idem numero nutritum permaneat.

Primi igitur aliqui dixere, ideò manere idem nutritum; quia, licèt deperdantur partes materiæ, tamen forma semper eadem permanet; quia illa pars formæ, quæ informabat partem materiæ deperditæ, quasi retrahitur ad aliam partem proximam ex his, quas priùs informabat, & ita manet eadem numero forma, à qua præcipuè sumitur identitas numerica corporis. Ita Albert. *in opusc. de nutritione. tit.* 1. *c.* 3. & *tit.* 2. *c.* 1. Philop. 1. *de Gener. c.* 5. Nyphus *ibidem, text.* 220. Saxonia, *q.* 12. Burlæus *tract. de intensione, & remissione formarum, cap.* 3. Gal. *p.* 2. *sum. lib.* 3. *tract.* 3. *q.* 4. *n.* 9. qui ait, optimè saluari hoc pacto naturam nutritionis, & cum Arist. doctrinâ componi, omnesque difficultates euacuari sed non video quomodo, vt infrà ostendam. Hanc adscribunt D. Thom. Zabarel. *c.* 18. & Fauent. *Theor.* 4. *cap.* 4.

SECVNDA opinio est, permanere idem numero nutritum vsque ad finem; quia licèt fiat deperditio secundùm partem materiæ, & secundùm partem formæ; non tamen fit secundùm totam materiam, & totam formam. Deperdi autem in habentibus animam diuisibilem etiam partem animæ, in habentibus verò indiuisibilem solùm partes corporis. Ità sentit Auër. 1. *de Gener. com.* 38. Videtur D. Thomæ ibi *lect.* 14. *ad finem*, & *lect.* 15. & *p.p. quæ-*

39 *stione* 119. *art.* 1. *ad* 2. Ex parte Ruuius 1. *de Gener. cap.* 5. *quæst.* 9. *numero* 107. Et in hanc incidit Scotus *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. *art.* 1. Fauent. *Theor.* 40. *cap.* 4. Ægid. *in* 1. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 5. Marsil. *lib.* 1. *de Gener. quæst.* 11. *&* 12. Caiet. ad locum D. Thomæ, vltimò citatum. Collegium, 1. *Physicorum*, *cap.* 9. *quæstione* 5. *articulo* 2. & alij apud Ruuium: Omnes enim primò asserunt (excepto Ruuio) nullam partem corporis indemnem seruari à voracitate caloris naturalis, & transmutationis, ne detur aliqua eius pars incorruptibilis. Deinde volunt seruari indiuisibilem animam, cæteras verò aggenerari. Itaque omnes conueniunt, primam, secundam, & tertiam, & sequentes nutritiones, non esse singilatim aggenerationes; quia pars tantùm producitur, non totum. Generatio enim est mutatio totius in totum, nullo remanente sensibili. Ad finem verò, post tot partes consumptas, tenentur omnes reddere rationem, quomodo adhuc maneat idem numero nutritum. Et sanè non potest Scotus respondere: Manet quidem, quia pars tantùm consumitur; videtur autem non manere, quia nulla pars secundùm ipsum, incolumis remanet à calore; ex quo fit, vt simul cum Fabro descendere cogatur ad compositionem cum D. Thoma, manere idem numero, quia remanet secundùm formam, vel æquiualenter; vt ait Fuliensis, 3. *Physic. cap.* 5. *art.* 4. vel secundùm essentiam, vt ait Eustachius, 3. *part. tract.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 5. hæc enim est forma metaphysica.

IVVETVS *c.* 2. ait manere idem; quia manet eadem materia, & forma totalis, idque esse contra omnes; satiùs diceret, id esse contra se, *cap.* 1. *quæstione* 7.

TERTIA opinio ait manere idem; quia remanent partes à generante acceptæ, esto pereant acceptæ per nutritionem, quæ non sunt de veritate naturæ: Sic D. Bonau. cum Magistro, *ea distinct.* vbi Rich. & Albert. in summa de homine, *quæst.* 1. *de potentia generatiua*, *art.* 2. & *quæst. de nutritione, & nutrito*, Alexander, & Philop. *text.* 35. *de Gener.* Nyphusque, 1. *de Gener. quæst.* 5. eam probabilem docet.

AT Zabarella, *lib. de Accretione, & Nutritione, cap.* 23. concedit sanè, aliquid conseruari, ac præseruari ab vstione caloris naturalis; vt possit dici, idem indiuiduum nutritum perseuerasse, cùm hæc duratio debeat esse respectu corporis nutriti; non respectu animæ indiuisibilis. Hoc tamen, quod super durat non esse humidum aliquod radicale, vel id, quod habetur à generatione, quasi ex vi fabricæ corporis sit inconsumptibile; sed esse partes terrestriores siccas, & frigidas, quæ etiam igni superdurant, sic videmus in his, quæ comburuntur, humido absumpto, manere partes terrestriores; vt cineres, quas ob maximam earum resistentiam non potest ignis absumere: Sic igitur in corpore animali calor absumit humidum radicale, quod est eius pabulum, & remanent ossa, & alia terrestriora. Hæc verò in prolixis morbis experimur, quibus consumptâ carne remanent ossa: Eum sequitur Ruuius 1. *de Gener. cap.* 5. *quæst.* 9. *num.* 107. Ex parte quantitatis, ait, non esse necesse, partes solidiores consumi. Omninò autem est sententia Philoponi, apud Ruuium, *num.* 104. 40

ASSERO primò, non ideò saluari idem indiuiduum toto nutritionis decursu; quia saluatur eadem anima.

PROBATVR primò à D. Bonau. *in corpore.* Id ipsum debet perseuerare secundùm esse indiuiduum, quod toto tempore augmentatur, seu nutritur, sed anima non nutritur, maximè indiuisibilis, & multò minùs augetur: Ergo. Minor est Aristotelis *locis adductis, initio quæstionis.* Minor est euidens. Ex quo sequitur, responderi extra chorum, dum dicitur, manere indiuiduum à nutritionis transmutationibus idem, quia manet anima: De hac enim non fuit quæstio apud Arist. vel apud alios; cùm nec ipsa nutriatur, nec augeatur, vt dixi, atque adeò non enodantur; sed effugiuntur difficultates.

QVOAD animas verò diuisibiles, cùm pendeant omninò à materia; ad destructionem subiecti penitus mutabuntur: Similiter adueniente nouâ parte corporis per nutritionem, adueniet noua pars formæ.

ASSERO secundò, non omnes partes corporis consumi tempore nutritionis, vel innouari.

PROBATVR primò à D. Bonau. *fundament.* 3. si omnes partes corporis essent innouationi obnoxiæ; iam virtus nutritiua haberet virtutem mutandi alimentum in carnem formaliter, secundùm speciem: sed hoc est falsum, ex Arist. 1. *de Gener. text.* 35. *&* 37. quia alioqui posset fieri augmentum in infinitum, nec vnquam senesceret corpus; sed semper iuuenesceret, & innouaretur: Ergo.

RESPONDET D Thom. *ad* 2. contra intentionem Arist. esse, quòd per carnem secundùm formam sumatur ea quæ à generatione, & per carnem secundùm materiam, ea, quæ per nutrimentum obtinetur; quia idem dicit intelligi & de ligno, & lapide; vt aliud sit secundùm speciem, aliud secundùm materiam. Certum est autem, in his non esse hanc diuersitatem; vt alia pars à generante, & alia ab alimento habeatur; non enim inanimata nutriuntur Secundò; quia id, quod ex alimento gignitur, adiungitur alito per modum mixtionis, sicut aqua miscetur vino; vt ait Philosophus ibi: at non potest alia esse materia eius, quod aduenit, & eius, cui aduenit, cùm iam sit factum vinum, per veram mixtionem. Sensus igitur est: Caro secundùm speciem manet; quia manet semper essentia carnis; non autem secundùm materiam, seu esse indiuiduum, secundùm quod, vna pars recedit, & consumitur: alia succedit per aggenerationem. 41

PACE S. Doctoris, non assimilat in omnibus inanimata animatis, quoad hoc; sed tantùm in eo, quod omnia habentia formam in materiam sunt transmutabilia ex natura sua, & quod ex eis fiunt mixtiones, quæ sunt plurium vniones; ita (ait) etiã ex carne aggeneratâ, & iam existenti, fit vnum eiusdem speciei carnis; ita tamen, vt hæc, quæ per aggenerationem habetur, sit accidentaliter imperfectior, & magis obnoxia corruptioni, quod optimè ad rem ostendit exemplum Philosophi, vt arguit Sanctus Bonauentura, *in corpore*; nam per additionem nouam aquæ, in vinum, fit sanè mixtio, ita tamen, vt vinum paulatim fiat aquosum: neque enim adeò transmutatur aqua in vinum, vt maneat semper cum eadem virtute, vt luce clariùs demonstrat experientia; ita etiam caro nutritia, addita spermaticæ, cùm sit imperfectior, reddit

hanc

debiliorem, ex quo fit, vt paulatim debilitetur, & senescat ad modum, quo inficitur vinum, ex pluribus aquæ admixtionibus. Quare exemplum Aristotelis mirè pro nobis est; vt notat Seraphicus *in corpore*. Ex quo patet, ipsum non benè à Diuo Thoma explicari. Quod si Diuus Thomas per carnem secundùm speciem, intelligi vult secundùm essentiam communem; secundùm materiam verò intelligi carnem indiuiduam; sic vult, indiuiduationem esse à materia signata, neque videtur ad propositum Aristotelis: nam caro secundùm essentiam manet, etiam quacunque carne destructâ; sicut manet essentia hominis, etiam si singuli pereant. Hæc verò expositio est etiam Richardi *in 2. distinct.* 30. *articulo* 1. *quæstione* 5. quam sequitur Ioannes Ingenicrus Episc. in sua Physionomia.

Respondet Durandus *in 2. distinctione* 30. *quæstione* 4. *ad primum*. Per carnem secundùm speciem, seu formam, intelligi formam partialem carnis: Per carnem verò, secundùm materiam, ipsam materiam carnis. Dicit ergo Aristoteles, Carnem manere secundùm materiam, non secundùm formam; quia corrumpitur forma, & remanet materia: eodem ferè modo respondet Aureolus ibidem, *quæstione vnica*; & Zabarella cum eo.

At verò Aristoteles *in Græcis Codicibus*, habet, manere carnem secundùm speciem: secundùm materiam verò transire. Vnde oppositum potiùs asserit Philosophus.

Toletus *in cap. 22. Matth. quæstione* 243. & 224. ait, Carnem, secundùm speciem, sumi prout habet figuram, ita vt forma sit ea, quæ est de quarta specie qualitatis: at verò prout substat materiæ, dici secundùm materiam. Itaque manet secundùm formam, pes, *verb. grat.* talis figuræ, magnitudinis, & sic semper manet; quia pes animalis, qui est nunc, erit etiam post nutritionem eiusdem figuræ, &c. Quia tamen aliqua his materia subest, & hæc ex parte per calorem consumitur; ideò dicunt, partes secundùm materiam perire. Huic interpretationi adhæret Aresius, *primo, de Gener. disput.* 4. *quæst.* 33. *sect.* 3.

43 Attamen non sola materia perit, sed etiam forma: deinde per formam intelligi speciem substantialem patet ex verbis, recensitis à D. Thoma suprà.

Igitvr satiùs dicam cum Sancto Bonauentura, *loco citato*, quem sequitur Ægidius *in 4. distinctione* 44. *articulo* 1. *quæstione* 2. *ad* 4. Carnem secundùm speciem esse, quæ habet virtutem transmutandi aliam carnem, sicuti primum vinum; carnem verò secundùm materiam, esse eam, quæ sanè est caro; sed non habet virtutem semper transmutandi alimentum in aliam carnem; alioquin nunquam viuens senesceret. Dat exemplum Aristoteles de vino, vt dixi: nam primò habet virtutem transmutandi aquam in vinum; at factum aquosum non ampliùs eam potest transmutare: quia aqua illa in vinum transmutata, ipsum debile admodum reddidit, & impotens.

44 Probatvr secundò à Sancto Bonauentura, *fundamento* 4. Si per nutritionem omnes partes immutarentur paulatim; sequeretur, renouari semper etiam humidum radicale: Ergo homo nunquam senesceret; sed semper iuuenesceret. Hâc ratione vtitur etiam Philosophus.

Respondet Fauentinus, *capite 6. ad primum*, Hominem non renouari; quia materia renouata semper est inferior, & quia agendo in alimentum repatitur, & sic tandem consumitur.

At verò sic conceditur id, quod S. Bonau. contendit, non posse virtute alimenti acquiri membra secundùm primam perfectionem: ergo est alia diuersa productio entitatis imperfectioris; atque adeò per nutrimentum non fiet mutatio in corpus humanum simpliciter, seu in id, quod est simpliciter de constitutione corporis humani ordinati ad resurrectionem; vt arguit S. Bonau. *in corpore*, & infra ostendam; alioquin nunquam stabit augmentum; quia simul cum carne multiplicata (etiò repatiatur virtus) addetur noua virtus, virtuti augmentatiuæ præualens.

Probatvr tertiò à Diuo Bonauentura, *fundamento quinto*: Si nulla corporis pars seruaretur incolumis post nutritionem; sequeretur, non manere in fine nutritionis idem indiuiduum contra Aristotelem adductum *initio quæstionis*.

Probatvr sequela. Vnum numero est, cuius materia est vna *ex 5. Metaphysicorum, text.* 12. Item idem numero est, cuius materia, & forma est eadem. Præterea non esset idem, qui generatur, augetur, & minuitur, nomen etiam indiuidui non diceretur de illo: essent enim plura indiuidua, & haberent vniuocum nomen. Forma etiam migraret de subiecto in subiectum; quia forma eadem manet: materia verò tota mutatur.

Respondet Diuus Thomas, *ad* 5. Ruuius, *numero* 109. Fauentinus, *numero* 6. Eustach. *loco citato*, negando sequelam: Ad probationem respondet; licet materia secundùm partes mutetur, nunquam tamen esse mutatam secundùm omnes partes simul: Similiter nec formam mutatam secundùm omnes partes simul, & sic permanet idem.

Ad Aristotelem respondent, materiam illius indiuidui semper esse vnam secundùm totum; quia secundùm totum non mutatur, licèt eius partes fluant.

At video, hæc effugia facilè præcludi; debet enim computari indiuiduum ab initio nutritionis ad finem. Itaque, licèt indiuiduum non mutetur totum nouâ generatione, quæ est mutatio totius in totum vna vice; sed per plures partiales aggenerationes; quis tandem negabit, in tot illis nutritionibus mutatum totum indiuiduum, cùm nihil illius corporis, quod erat primò, superstes sit? nam quod remaneat totum, quod mox erat in postremis, aut mediis nutritionibus, non facit, quin sit aliud indiuiduum à primo, quod genitum incepit nutriri, quandoquidem tot vicibus iam omnes partes consumptæ sunt, & hoc satis est ad euertendum Aristotelis 45 effatum: neque enim Aristoteles vnquam in animum induxit suum, hanc permanentiam indiuidui debere computari post aliquas nutritiones; sed vult ab initio nutritionis vsque ad vltimum permanere. Alioquin, si hoc pacto, idem dicatur permanere; poterit dici manere etiam idem Fluuius ab initio mundi vsque in finem, licèt aliæ, & aliæ aquæ successerint; vt ait D. Bonauentura.

Respondet Ruuius *numero* 110. non omnes partes viuentis corporis, toto vitæ cursu fluere; sicuti aquæ fluuij; sed manere aliquas solidas.

At verò per hoc non manet idem indiuiduum corpus organicum, quod substantialiter, non ex partibus solis durioribus conflatur, sed ex aliis etiam. Itaque si manerent eadem ossa numero vsque in finem; manere diceres Scheleton, sed non idem corpus, quo forma corporis intrinsecè constituitur.

Assero tertiò; aliquas partes, eas nempè, quæ habentur à generante, manere easdem numero; neque in eas conuerti alimentum. Prior pars probata est. Quod verò in eas non vertatur alimentum.

Probatvr primò à S. Doctore ex dictis; quia, sic benè distinguitur caro secundùm speciem, quæ potest mutare in carnem alimentum; & caro secundùm materiam, seu passiua; & si in veritatem carnis fieret semper transmutatio, nunquam periret homo; quia sic, cùm semper cresceret caro secundùm speciem, cresceret etiam virtus actiua; & ideò nunquam staret augmentum, & hoc satis patet exemplo vini allato.

Confirmatvr. Nam & Medici distingunnt duplex humidum; Radicale, & Nutrimentale; & aiunt, Humidum radicale esse, in quo sustentatur calor: Nutrimentale verò, quod præbet calori fomentum. Aiunt etiam, illud radicale non renouari; alioquin homo semper iuuenesceret: quia esto repatiatur ab alimento; tamen semper augeret no-
46 uam virtutem actiuam radicalem; & sic nunquam esset finis augmenti. In nutrimentale verò humidum, aiunt, mutari alimentum. Sunt hæc, sicuti in lampade Ellychnium, quasi humidum radicale, quod non restauratur; & oleum, quasi nutriens, & fouens. Vide Seraphicum latiùs disserentem hîc, & *serm.* 1. *S. Crucis.*

Probatvr vltimò à D. Bonauentura *in corpore*; quia corpus ordinatur ad incorruptionem, & præmium cum anima hominis; ergo idem debet seruari, quod pastum est.

Obiicivnt primò D. Thom. *loc. cit.* Scotus *cit.* Fauent. *cap.* 6. §. *Verum hæc opinio.* Ruuius *num.* 105. & alij, qui hoc Achille confisi, putant, se opinionem Seraphici euertisse. Si corpus illud, habitum à generante, semper maneret illæsum vsque ad finem; sequeretur, partes illas Spermaticas esse diuersæ rationis à nutrimentalibus; sed hoc est falsum; alioquin non possent continuari: Ergo. Probatur sequela; quia illæ partes sunt incorruptibiles: hæ verò corruptibiles.

Respondet D. Bonauent. partes Spermaticas, non esse naturâ suâ intrinsecè incorruptibiles à quocumque agente; sic enim variaretur essentia, vt ipsemet concedit *in* 2. *distinct.* 27. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. Sed esse incorruptibiles à calore naturali, qui est à Deo contemperatus ad talem escam. Vnde sicut partes aliquæ rerum corruptibilium seruantur illæsæ ab igne etiam vehementi, vt Lateres; & è cæteris, saltem partes terrestriores non corrumpuntur sub tellure vt crines, & ossa; sicuti, concedunt etiam aliqui aduersariorum; cur eadem ratione partes alitæ non possint ita aptatæ esse, vt non lædantur ad destructionem à calore temperato vitali? maximè verò cùm calor vitalis sit ad sustentandum, & nutriendum; non autem ad destruendum viuens.

47 Instat Fauentinus, omne humidum esse aptum natum absumi à calore; humidum verò radicale est verè humidum. Idem habet Zabarella, *loco citato.*

Respondetvr, non omne humidum esse consumptibile à quocumque calore; sed requiri calorem intensum, vt patet experimento; non enim quilibet calor dissoluit niues; consumit aquas, aut flumina siccat.

Præterea, cùm apponatur humidum magis consumptibile, id est, nutrimentale, circa illud laborat calor, & operatur.

Dices ex D. Bonauent. *in corpore.* Laborantes tertia parte hecticæ consumuntur in humido radicali irremediabiliter: sed hoc est illud, habitum à generatione: ergo per D. Bonauent. illud humidum consumitur à calore naturali.

Respondetvr, hoc dici ex sententia Medicorum: ideò acutè subdit, (vt ipsi dicunt.) Deinde dico, iam concedere Seraphicum, humidum radicale ex mixtione deterioris humidi, puta Phlegmatici, &c. fieri deterius; non tamen destrui. Aut dic, in humidum radicale agi à calore extraneo, & destrui temperiem qualitatum; non substantiam.

Obiicivnt secundò. Si prima substantia, sub qua genitus est homo, non potest corrumpi; sequitur, pueros, postquam geniti sunt, non egere alimento ad reparandum id, quod calore naturali deperditum est, sed solùm, vt augeatur: consequens est falsum: ergo. Minor probatur; quia euidens est, paruulum statim, vt natus est, deficere, nisi alatur, ideò, quia calor naturalis incipit statim agere in illam substantiam, eamque consumere. 48

Respondetvr ex D. Bonauent. *in corpore*, negando sequelam. Ad experimentum dico; non semper puerum à prima generatione incipere nutriri etiam in vtero per Vmbilici venas, quæ à Iecore matris sugunt alimentum sanguinis; ideò autem ipsum egere alimento probatur, non vt restauretur deperditum; sed, vt præseruetur, ne pereat: perit autem infans incibatus; quia eget repagulo alimentali contra calorem naturalem, & nutrimento partium genitarum, quæ ad vitam egent sanguine, & spiritibus.

Obiicivnt tertiò. Partes illæ spermaticæ ex omni parte augentur, vsque ad terminum à natura præstitutum: ergo etiam secundùm omnes minuuntur. Antecedens est Aristotelis: Similiter & consequentia probatur, *de gener. lib.* 1. *text.* 32. *&* *text.* 35.

Respondetvr, minui secundùm omnes partes; ita tamen, vt sicut accrementum factum est per partes alimentarias; sic fiat etiam decrementum, manentibus partibus spermaticis.

Instat Fauentinus *cap.* 6. §. *Tertiò aiunt isti.* 49
Quomodo potest pusillum humidum illud, à generatione habitum, conseruari, vt diffundatur per totam molem corporis aucti? Hoc enim fieri per Miraculum, sicut cum Dominus panes multiplicauit, est absque fundamento creditum. Itidem videmus ex paruulo semine gigni arbores proceras; non ergo diffunditur semen illud per totum. Hoc idem vrget Zabarella.

Respondetvr, fieri, modo, quo aduersarij dicunt, per additionem partium vndequaque: neque est absonum, diffundi per totum corpus. Neque verò semen est totum sperma arboris; nam est veluti semen animalis masculi, quod, veluti à fœmina, à terra additione augetur.

Addo copiosum esse humidum, habitum à generante, vt patet in pueris, qui ob humiditatem non valent consistere.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

An NVTRITIO *sit instantanea.*

NVNQVAM percipere potui, Nutritionem, & Augmentationem in eodem instanti simul fieri, cùm sint duo motus diuersi, quorum alter alterum supponit: nam augmentatio supponit materialiter nutritionem, tanquam substantiam, à qua est ipsa quantitas, quæ est terminus augmentationis; & ideò cùm nutritio sit aggeneratio, terminat ad formam substantialem priùs duratione, quàm adueniat extensio, seu quantitas, quæ iam est extensa, vt dispositio ante instans, quo inducitur forma substantialis; adueniente autem forma substantiali, prodit ex ea propria quantitas cum aliis qualitatibus: ad corruptionem enim compositi præcedentis, corrumpuntur etiam eius accidentia.

50 MVLTÒ minùs percipio, quomodo eadem quæstio de Nutritione, & Augmentatione instituatur: *An sit successiua*, cùm sit dispar ratio: quia Nutritio est mutatio aggeneratiua: at Augmentatio est motus absque dubio successiuus ad quantitatem. Tametsi Pater Galitius *parte* 2. *Philosophia*, *lib.* 3. *tract.* 3. *quæst.* 5. *num.* 6. de vtraque simul quærat.

PRIMA opinio asserit, Nutritionem esse successiuam. Ita Scotus *in* 4. *distinct.* 44. *quæst.* 1. Zabarella *de Accretione*, *cap.* 9. Pererius *lib.* 14. *Phil. cap.* 8. ad finem, & *cap.* 2. *ad* 7. Ambo isti adducunt etiam Auerroem. Idem colligitur 1. *de Generatione*, *cap.* 5. *quæst.* 16. *art.* 2. Richard. *quodl.* 3. *quæst.* 6. Aresius 1. *de Gener. disputat.* 4. *quæst.* 31. Marsil. 1. *de Gener. quæst.* 14. Saxonia *quæst.* 13. Venetus *de Gener. cap.* 7. Sotus 1. *Phys. quæst.* 4. *art.* 3. Iandunus 8. *Phys. quæst.* 1. Ruuius 1. *de Gener. cap.* 5. *quæst.* 3. *num.* 27. vbi adducit etiam D. Thomam 3. *part. quæst.* 3. *art.* 1. *in corpore*, & *ad* 4. Bannes itidem, *quæst.* 2. *cap.* 5. 1. *de Generatione.*

SECVNDA sententia est, Nutritionem esse instantaneam. Ita Toletus 1. *de Gener. quæst.* 11. pro se referens Auerroem, Albertum, & D. Thomam. Itidem Pomponatius, *lib. de Nutritione*, & *Augmentatione*, *cap.* 19. & 8. *Metaph. disput.* 7. *cap.* 1. qui etiam citat pro se Themistium, Simplicium, & D. Thomam. Itidem Iauel. *tract.* 2. *ad cap.* 2. *primi de Gener.* Zanardus 8. *Phys. ad text.* 23. vbi etiam S. Thom. & Albertum Magnum adducit.

QVOAD D.Bonau. P. Galitius *parte* 2. *tract.* 3. *quæst.* 5. *num.* 6. ait eum nihil asserere pro alterutra opinione. Affert tamen Seraphicum *in* 1. *dist.* 38. *quæst. vlt.* & *in* 2. *dist.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *in corpore*, & *in* 4. *distinct.* 16. *part.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. Miror autem, sæpè in quæstionibus tam leuibus, tantum insumi à Doctoribus sapientiâ conditis. Hæc sanè in verbis ferè stat.

51 ALIIS verò, secunda sententia videtur esse iuxta principia D. Bonauent de desitione formæ substantialis, vt notat Ruuius *num.* 26.

ASSERO, Nutritionem esse successiuam, si totalis intelligatur.

PROBATVR primò à Ruuio *num.* 27. Nutritio, & Augmentatio fiunt in eadem duratione; sed augmentum fit successiuè; ergo & nutritio. Hæc tamen ratio mihi non admodum probatur; vt dixi initio quæstionis, licèt eam refricet.

PROBATVR secundò. Calor naturalis est naturale instrumentum animæ, & agit in alimentum, sibi in principio dissimile, & contrarium, vt docet Aristot. 1. *de Gener. cap.* 5. ergo ex more agentium fortiùs agit in partes propinquas, quàm in remotas à virtute concoctiua, & eas citiùs disponit: ergo citiùs in eas, vtpotè citiùs dispositas, inducit formam; successiuè verò alias disponendo, & informando, hoc præstat.

CONFIRMATVR: nam alimentum est corpus, habens trinam dimensionem, atque adeò habet partes alias vicinas; alias remotas à fronte caloris: ergo necessariò aliquæ citiùs disponentur, & informabuntur, & successiuè reliquæ.

NEQVE verò necessariò expectanda est tanta pars corporis disposita, vt inducatur forma: quia, licèt in generatione requiratur, & detur corpus minimum quod sic; ita vt in minus non possit induci anima; tamen in extensione non requirit determinatam partem molis, cùm iam sit anima in sua sede. Per hoc patet ad argumentum Toleti. Concedo tamen, inductionem formæ substantialis in nutritione esse instantaneam; successionem autem nutritioni euenire per accidens, ratione alterationis, vt notat etiam Ruuius 1. *de Gener. cap.* 5. *quæst.* 6. *num.* 76. post D. Bonau. *in* 1. *distinct.* 17. *parte* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. & Eustachius 3. *part. Phys. tract.* 2. *disput.* 2. *quæst.* 3.

OBIICIES si Nutritio esset successiua; sequeretur alimentum desinere per vltimum sui esse. Nutritio enim incipit per sui non esse vltimum, sicut reliqua successiua; & ita verum erit dicere: Nunc non est Nutritio, & immediatè post erit; & quamdiù non est Nutritio, permanet Alimentum: Ergò verum erit dicere, in vltimo non esse Nutritionis, Alimentum esse, & immediatè post non esse; quia immediatè post, datur Nutritio, quæ cùm sit conuersio eiusdem Alimenti in substantiam aliti, repugnat simul cum ea permanere Alimentum. Quare verum erit de eo, quod nunc sit, & immediatè post non sit futurum, quod est desinere per vltimum esse; ex quo modo desinendi, sequitur, vel dari duo instantia immediata, aut materiam pro aliquo tempore, sine vlla forma reperiri. 52

MVLTA super hoc refert, & addit Ruuius à *num.* 33. *ad finem.*

RESPONDETVR ergo in via D. Bonauenturæ, non esse absonum duo instantia dari immediatè contigua, quod, qua ratione fieri queat, ostendetur 3. *part. tract. de Sanctissima Eucharistia*, *disputat. de transubstantiatione.*

EX his habetur, Nutritionem esse continuam. Ita D. Thomas 3. *part. quæst.* 33. *articul.* 1. & alij apud Ruuium, *lib.* 1. *de Gener. cap.* 5. *quæst.* 4.

PROBATVR, quia Nutritio sequitur ex alteratione, per quam disponitur Alimentum, vt inducatur forma substantialis carnis, ossium, &c. sed alteratio est continua: Ergo. Attamen formaliter, vt dicit inductionem formæ substantialis, est instantanea, vt docet D. Bonauent. *loc. cit.* & sequitur Faucnt. *Theoremate* 40. *cap.* 3. §. *Hac etiam.*

QVÆRES: An Nutritio sit continuata toto tempore vitæ, nec vnquam interrupta. 53

SVAREZ *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 4. concedit, Nutritionem aliquando interrumpi, quod probat; quia, licèt viuens abstineat à cibo aliquot dies, non continuò moritur; tunc autem cessat à conuersione Alimenti in substantiam aliti.

HINC tamen cessationem diuturnam esse non posse addit.

MIHI tamen probabilius est, Nutritionem toto tempore vitæ durare: nam calor naturalis est agens

agens necessarium, semper agens, & agit in Alimentum vltimum, quod est sanguis, tametsi deficiat cibus de ventriculo, vt certè aduertit Ruuius, 1. *de Gener. cap.* 5. *quæst.* 4. *part.* 2. *quæstionis*; post D. Bonauent. 3. *part. Centil. sec.* 21. Nec desunt alij humores, in quos agat calor, vt ait Eustach. 3. *part. Phys. tract.* 2. *disput.* 2. *quæst.* 3.

QVÆSTIO IX.

Quænam sit NVTRITIVA *Potentia.*

QVÆRITVR hic, in quo sita sit facultas nutriens; & quidem certum est, requiri animam, & corpus animatum: Similiter exigi primas qualitates, seu temperamentum earum, non modò ad nutritiuam, sed etiam ad reliqua vegetatiuæ munera adimplenda, ad quæ eleuantur, tanquam instrumenta ab anima, vt docet Aristoteles, 2. *de Generat. animalium*, *cap.* 4. D. Thom. *p. p. quæst.* 77. *art.* 1. & D. Bonauent. *distinct.* 30. *art.* 3. per duas quæstiones *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 3.

54 PROBATVR à D. Bonauent. *dist.* 15. *quæst.* 2. *fund.* 3. Quia viuens est corpus mixtum nobilissimum; atque adeò egens pluribus virtutibus actiuis ad tantam operationum varietatem, ad quam non negabis, necessarias primas qualitates, vtpotè actiuissimas, inter cæteras. Hoc argumento vtitur etiam Ruuius, 2. *de anima*, *cap.* 4. *quæst.* 1.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *dist.* 15. *quæst.* 3. *in fundamentis*, quia ad vitam necessaria est conuersio alimenti; hæc autem multas exigit dispositiones. Similiter requiritur esca calori naturali, vt nutriatur vita. At vita nutritur in calido præcipuè, & humido, vt habet Aristoteles, *lib. de longitudine, & breuitate vitæ*, vnde rectè probat Seraphicus Doctor *in corpore*, debere prædominari in virtute elementa actiua, & in mole, passiua. Hoc medio vtitur etiam Ruuius, *loc. cit. initio quæstionis.*

HINC colligit, deficere Galenum, *lib.* 3. *de causa symptomatum*, *cap.* 30. & Auicen. *fent. p. p. doctrina* 6. *cap.* 31. Vales. *lib.* 5. *controuers. cap.* 11. qui totam efficaciam instrumentalem soli tribuunt calori. Quamvis enim præcipuus sit calor, vt notat D. Bonauent. *quæst.* 3. etiam ex D. Augustino, *lib.* 1. *de Gener. ad loc. cit.* 3. & *de spiritu, & anima*, *cap.* 54. & Aristoteles, *loc. cit. &* 2. *de anima*, *cap.* 4. *text.* 50. & *lib. de sensu, & sensibili*, *cap.* 4. & *lib.* 3. *de partibus animalium*, *cap.* 6. tamen, & alias qualitates ibi interuenire, ibidem docet, vt notat D. Bonauent. *quæst.* 3. *adducta*, & post eum Ruuius *num.* 11. manet verò disceptatio: An, præter calorem, & cæterarum qualitatum temperamentum, ponenda sit alia qualitas nobilior, quæ sit Virtus nutritiua.

55 PRIMA opinio est, potentiam nutritiuam non esse aliam qualitatem distinctam à calore naturali; sed calorem ipsum, vel temperamentum esse potentiam nutritiuam. Ita Auer. 4. *Metaph. cap.* 2. Zimara *Theor.* 73. & alij iuniores.

SECVNDA opinio est, potentiam nutritiuam esse qualitatem quandam superiorem elementaribus, quæ vtitur calore, & cæteris partibus, vt instrumentis; ita vt anima vtatur ea facultate, seu qualitate, vt instrumento; ipso verò calore, & aliis primis qualitatibus, eo modo, quo Nauta ad mouendum Temonem vtitur instrumento manus; manus verò vtitur Temone (vt cum Aristotele loquar 2. *de Anima*, *cap.* 4. in fine) sic igitur anima per potentiam mouet qualitatem nutritiuam ad conuersionem cibi, hæc verò vtitur calore, &c. ad alterandum, ac disponendum alimentum. Ita videtur D. Bonauent. *locis adductis.* D. Thom. *in* 2. *dist.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 3. *& p. p. quæst.* 78. *artic.* 2. *ad* 1. & *quæst.* 118. *art.* 1. *&* 3. Albert. 2. *de Anima*, *tract.* 2. *cap.* 6. Philop. & Themist. 2. *de Anima*, *cap.* 4. Appolin. 2. *de Anima*, *quæst.* 2. Ferrar. 2. *contra Gentes*, *cap.* 73. Viguer. *in Instit. cap.* 10. & *cap.* 92. Tolet. 2. *de Anima*, *quæst.* 10. Suarez, *lib.* 2. *cap.* 9. Ruuius 2. *de Anima*, *cap.* 4. *quæst.* 1.

OBSERVANDVM cum D. Bonauent. *dist.* 30. *quæst. vlt.* & *dist.* 15. *quæstionibus adductis*, quem sequitur Suar. *loc. cit. num.* 3. Actionem nutriendi consistere in perfecta assimilatione alimenti ad substantiam aliti, vitaliter confectâ, qui modus in eo positus est, vt conuersio fiat per applicationem distributionemque alimenti ad omnes partes viuas, cum reiectione superflui. Vnde triplex actionis genus videtur ad nutritionem concurrere.

PRIMVM earum actionum genus, quæ remotè concurrunt, est factio, & retentio alimenti, expulsioque excrementorum. Secundum est earum actionum, quæ propiùs disponunt materiam ad introductionem animæ. Tertium est actio ipsa inductiua animæ in alimentum, in qua sanè consistit essentialiter nutritio. Verum & in prioribus actionibus aliquæ sunt transmutatiuæ substantialiter, vt concoctio Chyli sanguinis, & spirituum, quæ altiorem virtutem exigit, quàm caloris, vt notat etiam Ruuius, *num.* 20. *& sequentibus.*

ASSERO primò. Virtus essentialis nutritiua, non est temperamentum primarum qualitatum; sed ipsamet virtus superior animæ. 56

PROBATVR à D. Bonauentur. *dist.* 15. *quæst.* 2. *fund.* 3. Quantò sunt diuersæ, & altioris ordinis operationes, tantò altiores facultates prærequiruntur: sed operationes animæ vegetatiuæ sunt nobiliores operationibus inanimatorum; & operationes sensibilium, operationibus vegetantium; & operationes rationalium, operationibus sensibilium: ergo proportionatas requirunt nobiliores operationes. Sed sic est, quòd etiam inter operationes vegetantium sunt aliquæ, aliis nobiliores, atque ita diuersæ, vt nequeant ab aliis attingi: ergo requirunt alia, præter virtutes omnibus communes, quæ sunt elementares qualitates.

MINOR verò vltima probatur à D. Bonauent. *dist.* 30. *quæst. vlt. in fine argumentorum*, *& in corpore.* Certum est, corpus humanum per vegetationem fieri perfectissimum, vt exigitur ad immortalitatem, & participationem accidentalem beatitudinis. Tale autem non potest attingi à vegetatiua Leonis, vel plantæ; Ergo necessariò tale fit ad complementum per virtutem nutritiuam, & auctricem, longè cæteris nobiliorem. Idem ferè discursus fiat de cæteris: nam vegetatiua plantæ non potest nutrire Animal, nec vegetatiua Asini Leonem, &c. Hoc argumento, quod sanè validissimum est, vtitur & Ruuius, *num.* 15.

PROBATVR secundò alio argumento D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *quæst.* 3. *argumento* 3. cum responsione. Idem est principium essendi, & operandi *ex* 2. *de Anima*, *text.* 24. *&* 2. *Phys. text.* 17. ergo cùm principium essendi viuentis sit forma substantialis, id est anima, principium operandi debet esse in ipsa anima per potentiam à se fluentem; sed Anima est altioris ordinis, cæteris formis naturalibus; 57

bus; ergo etiam potentiæ, & virtutes vitales, eam consequentes, sunt altiores virtutibus, consequentibus formas elementares; & alias inanimatorum.

Confirmatur à D.Bonauent. *in 2.dist.15. quæst. 2. & 3.* Quælibet forma potentialiter agens, exigit instrumenta proportionata ad opera exequenda, & altius opus requirit altiora instrumenta, vt patet in artibus: At operationes vitales sunt nobiliores inanimatis: Ergo. Hoc argumento vtitur etiam Ruuius *num.17. & 18.*

Argumenta in contrarium nitentia, calorem, &c. esse virtutem nutritiuam, probant solùm, dispositiuè verum id esse; non autem inducere formam carnis, &c.

Pro anteactis roborandis scito, calorem naturalem esse eiusdem rationis cum elementari, vt probat D. Bonauent. *in 2. dist. 17. art. 2. quæst. 2.* & *in 4. dist. 49. part. 2. art. 2. principali, quæst. 1.* vt refertur etiam ab Aresio *2. de Gener. cap. 3. disp. 2. quæst. 13. sec. 2.* Suarez. *2. de Anima, cap. 9. num. 10.* Idem censet D.Thom. *2. de Anima, text. 41.* Alexander, & Ægid. ibi, Caiet. *p. p. quæst. 118. artic. 1.* Argentina, *lib. 1. de somno, & vigilia, cap. 5.* Albert. *lib. 2. de Animalibus, tract. 2. cap. 4.* Auerroes *7. colliget. cap. 2.* Saxonia, *lib. 2. de Anima, quæst. 5.* Marsil. *ibidem, quæst. 4.* Achillin. *lib. 2. de element. dub. 16. contra* Fernel. *4. Physiolog. cap. 1.* Nyphum *1. Meteor. com. 35.* Mirandulan. *lib. 2. cont. Astrolog. cap. 3.* Marcell. *2. de Anima, cap. 3.* Ferrar. *1. contra Gent. cap. 73.* vt dixi, *tract. 8. disput. 4, quæst. 6.*

58 Probatur à D. Bonauent. *loc. cit. distinct. 17. argum. 2.* ex Aristot. *lib. de Animalibus, cap. 6.* vbi ait. Est in nobis calor igneus, & calor animalis, & calor cælestis, qui quidem est calor vitalis.

Notat autem S.Bonauent. *in responsione*, non ideò dici calorem cælestem in nobis, quia sit in materia cælesti; quia cæli non sunt calidi, nec frigidi; sed quia à Cælis, Sole, &c. influitur ad conseruationem caloris naturalis.

Tunc sic. Qualitas illa, quæ est symbola cum alia, eamque conseruat, & fouet, atque auget, est eiusdem rationis. Sed calor influxus à Sole, conseruat in nobis elementarem corporum, ex quibus compositum est Animal: ergo.

Ex hoc etiam eruitur aliud argumentum. Ea, quæ se inuicem intendunt, habentque idem contrarium, sunt vnum, vt habet Aristoteles *1. cæli, text. 10.* Et Ecclesi. *33. In omnibus operibus Altissimi intuere duo contra duo: & vnum contra vnum.* Sed calor cælestis, & elementarius se inuicem virtute intendunt, habentque vnum esse idem contrarium, id est, frigus: ergo vnum sunt. Quòd verò calori elementari, & cælesti sit idem hostis oppositus, patet; nam frigus debilitans calorem elementarem, infirmat etiam influxum à cælis, vt patet experimento. Quòd verò vnus calor sit ab Igne; alter à Sole, non variat essentiam; nam idem à diuersis variatur tantùm extrinsecè, non intrinsecè; sic idem Ignis à Sole, & ab igne fit. Neque ratione subiecti variat essentiam; idem enim calor specie, est in Igne, & in aëre; quod verò vitalis habeat operationes præstantiores; hoc est, quia est instrumentum animæ. Imò etiam elementaris producit Animalia ex Ouis, vt habet Aristot. Per hæc ruunt obiectiones. Quod verò calor febrilis noceat, est, quia nimius resoluit partes, & poros pandit, vndè Spiritus euolant.

QVÆSTIO X.

In quo Subiecto præcipuè sit Virtus nutriens.

Prima opinio est Aristotelis *2. de Generatione Animalium, cap. 4.* vbi ponit potentiam nutriendi in Corde, vel in parte proportionali in animantibus, quæ non habent Cor, ab illaque communicari partibus sequentibus. Ita etiam Auicen. Fernel. *prima parte, doctrina 6. cap. 1.* Videtur D. Bonauenturæ, infrà citandi. 59

Secunda opinio est Galeni, *lib. 6. de placitis*, eam esse in Iecore, post Platonem, *dialogo de Natura.* Idem tenet Albert. *2. de Anima, tractatu secundo, cap. 9. & sequentibus.* Suar. *lib. 2. de Anima, cap. 11. num. 8.* Videtur D.Bonauent. *3. part. Centil. sec. 22.* & *lib. 2. Compend. Theol. cap. 41.* At ibi solùm vult Hepar esse officinam generalem nutritiuæ, quia producit sanguinem, & mouet humores: At potiùs Cordi hæc adscribit, quod sanguinem perficit, Spiritus gignit, &c.

Videtur quidem, in omnibus partibus esse, vt ait Ruuius *2. de Anima, cap. 4. quæst. 3.* cum D. Bonauent. *loc. cit.*

Probatur. Ibi est virtus nutritiua, vbi est actus essentialis nutritionis, qui est inductio animæ in materiam, quæ olim fuit Alimentum, ex Suar. *cap. 9.* Sed hæc assidet penes animam in omnibus partibus; non in solo Corde, aut Hepate. Ergò. Minor probatur à Sancto Doctore, *loc. cit.* Ibi est inductio formæ, vbi dispositio materiæ. Hæc autem est in omnibus partibus attractione, expulsione superflui, & concoctione: Ergo.

Idem dic de Auctiua, quæ auget Viuens in omnibus partibus.

Ita Nutritio est aggeneratio ex alimento, facta à viuente per virtutem nutritiuam. Sic D. Bonauent. *in 4. distinct. 12. part. 1. artic. 2. quæst. 1.* post Aristotelem.

De Accretione.

Pars II.

Germana est adeò Accretio Nutritioni, vt hæc sine ea non fiat; tametsi Nutritio, vtpote maior natu, sit ante augmentationem; imò etiam post eam. Omittam igitur ea, quæ sunt Accretioni cum Nutritione communia: Ea verò addam, quæ illi propria sunt.

QVÆST. I.

Quodnam sit Accretionis *Obiectum.*

Insvdavit diù nostræ Religionis Atlas P. M. Antonius Galitius, *part. 2. lib. 3. tract. 3. quæst. 2.* huius difficultatis pondere pressus: mihi verò admodùm leuis apparet; facillimèque soluenda. 60

da. Sic etiam Ruuius, *lib.1. de Generatione, cap.5. quæst. 1. num.14.* duobus verbulis eam expedit dicens, Augmentationem esse acquisitionem maioris quantitatis è substantiali conuersione alimenti; atque adeò obiectum, ac terminum eius, maiorem esse quantitatem. Latiùs verò aliquantulum hanc quæstionem prosequar cum eodem Ruuio, *quæst.6.* quamvis aliqui *lib.5.* Phys. *cap.* 8. alij *1. de Generat. cap.* 5. eam tractent, quasi iureiurando Aristotelis ordini obstricti; mihi tamen hìc videtur locus proprius, vbi de Potentiis Animæ disceptatur.

Prima opinio est Marsilij *1. de Gener. lib.* 10. & Caiet. *5. Physicorum*, Accretionem esse generationem substantialem; est enim conuersio Nutrimenti in substantiam aliti in maiori quantitate, quàm sit deperditum; atque adeò sequitur, obiectum Accretionis esse substantiam maiorem deperditâ.

Secunda opinio est Ioan. Gandau. 4. *Physic. quæst.* 10. Burlæi, *in 3. Phys. & 8.* Accretionem esse extensionem rei auctæ, quæ consequitur aggenerationem rei nutritæ.

Tertia opinio est Petri Pomponatij apud Zabarellam, quòd Accretio est adeptio maioris quantitatis. Hanc sequitur Buccaferreus, *in primum de Gener.* Faber. *Theor.* 40. *cap.* 3. adducens Scotum, *in 4. distinct.* 44. *artic.* 1. Fuliens. *3. Phys. cap.* 3. *art.* 4. Eustach. *3. part. Phys. tract. 2. disp.* 3.

Quarta opinio est Zabarellæ *lib. de Accretione, cap.* 8. Accretionem consistere in nutritione, & extensione simul. Id laudat Faber, si materialiter loquamur.

61 Assero Augmentationem non habere pro obiecto aggenerationem, sed perfectionem secundùm quantitatem.

Ita D. Bonau. *in Compend. Theol. lib. 2. cap.* 33. vt vidimus, *disput. 2. quæst. 2.* & *in 1. distinct. 17. part. 2. quæst. 1. ad 3.*

Probatur à S. Doctore ibi, argumento, quod Fauent. *cap.* 3. ait, educi è Scoto. Duo motus distincti habent diuersos terminos, diuersa obiecta; & diuersitas obiectorum arguit diuersitatem potentiarum; sed obiectum nutritiuæ est aggeneratio ad substantiam. Ergo non potest esse obiectum, & terminus Augmentationis, quæ secundùm Aristotelem est motus distinctus, vt habet *5. Phys. cap.* 8. *text.* 18. alioqui non erunt tres species motus distinctæ.

Addit verò S. Bonauent. *ad* 3. Augmentationem ita esse ad quantitatem, quæ est accidens & terminus proprius formalis, vt terminetur per accidens etiam ad substantiam; cùm enim additur quantitas maior minori (nisi fiat per rarefactionem in aliquorum opinione, de qua agam *quæst.* 4. vel per protensionem) oportet, quod addatur substantia, in qua sit illa quantitas, & ita augmentum plus habet de substantia; & ideò ad substantiam etiam terminatur; & hoc modo intelligendus Zabarella, *loc. cit.* dicens, Accretionem terminari ad
62 substantiam, & quantitatem. Et Aristot. *1. de Generat.* cum dixit, Accretionem fieri ex materia extrinsecùs adueniente; vnde non in sola extensione consistit, sed in aggeneratione partis substantiæ in maiori quantitate. Et *text.* 25. addit, illa, quæ augentur, locum mutare, sicut illa, quæ extenduntur; & ita sensit aggenerari substantiam, & fieri maiorem extensionem, ac produci maiorem quantitatem, modo suprà dicto; vt etiam notauit post D. Bonauenturam Fauentinus, *cap. 2. in calce.* Ruuius *loc. cit. ad argumenta.* Et eadem doctrina D. Bonauent. soluitur obiectio Zabarellæ, si velit substantiæ aggenerationem esse terminum formalem Accretionis.

Probatur secundò à D. Bonauent. *in 1. distinct. 17. part. 2. quæst. 2. fund.* 2. ex Aristot. *1. de Generatione, text.* 31. *Augmentatio est præcedentis quantitatis additamentum.*

Probatur tertiò, *fund.* 4. à D. Bonauent. ex Aristot. *2. de Anima à text.* 34. & deinceps ex eisdem vnumquodque & nutritur, & augetur; ita vt ad augmentum requiratur maior virtus; ergo distinguitur à Nutritione, nec est ad substantiam. Multa ibi docet eas etiam distinguentia.

In responsione verò *ad* 2. S. Doctor ponit duas conditiones Augmentationis; altera est quantitas: altera est vnibilitas, vt sit subiectum capax quantitatis maioris, & sit vnibile illi, & in hoc dicit esse imperfectionem; ideò ritè *in Compend. Theol. cit. cap.* ait, Augmentationem esse, per quam res ad perfectionem peruenit, & hanc conditionem vnibilitatis refricat, *argumento vltimo* docens necesse esse, fieri vnum ex augente, & aucto.

Addit *in fine quæstionis*, in augmentatione animalis, ipsum Animal se habere actiuè conuertendo in se alimentum in maiori quantitate, quam priùs esset; atque ita non agit in se, sed in nutrimentum difforme, illud sibi assimilando: Alimentum verò se habet materialiter, & passiuè; est enim id, quod transmutatur in maiorem molem.

Quæres: An augmentum semper duret.

Respondet S. Doctor *in 1. dist. 17. part. 2. quæst. vltim. corp.* & *3. part. Centil. sec.* 21. negatiue: augmentum (ait S. Bonauent.) habet statum à tribus; scilicet à virtute agente, à potentia suscipiente, & à forma perficiente. Igitur in homine Augmentum stat, quando virtus caloris, & carnis, secundùm speciem, non potest ampliùs conuertere, quàm deperdatur. Secundò, quando potentia humidi radicalis non potest ampliùs extendi. Tertiò, quando corpus perfectum est secundùm quod congruit perfectiori animæ. Idem tenent Sapientes: de quo vide etiam Ruuium *1. de Gener. cap. 5. quæst.* 8. qui ad litteram sequitur Seraphicum, & Diuum Thomam. 63

Notandum ex Aristot. *3. de Anima, text.* 59. Viuentia triplex habere tempus quo ad nutritiuam. Primum est augmenti, quod hominibus designari solet ab initio generationis ad tertium septennium, seu ad vigesimum primum annum: vt docet Diuus Thomas *2. 2. quæst. 147. art. 4. ad 2.* Secundum est status, in quo non augetur, nec minuitur, & hoc à vigesimo primo anno ad trigesimum quintum. Ab hac verò ætate ad finem, dicitur tempus decrementi. Aliter D. Bonau. *lib. 2. Comp. cap.* 10. vt dixi, *tract. 2. disp. 14. in fine.* Ratio huius limitationis sumitur primò è natura ipsius hominis, & caloris naturalis, quæ est virtutis limitatæ ab intrinseco, sicuti est omnis potentia actiua, vt docet Aristot. *1. de cælo & mundo, cap.* 4. & D. Bonauent. 64 suprà, & quia vita naturalis consistit in calido, & humido radicali, quod inficitur additione Nutrimenti; sicuti vinum è superinfusione aquæ, vt dixi cum Aristotele, & cum D. Bonauent. *quæst.* 6. Secundò ex parte capacitatis humanæ perfectionis, quæ finita est; & ideò cùm ad tale augmentum peruenerit, sistitur. Tandem à virtute limitata; & quò magis Corpus extensum est, eò virtus est magis dispersa ad consequendum, &c. Ita D. Bonauent. Itaque, licèt toto vitæ decursu producatur cum Alimento noua quantitas; non tamen fit augmentum semper, quia à tempore status, solùm tanta producitur,

producitur, quanta continuò deperditur. In tempore verò decrementi minor producitur. Neque verò omnis motus ad quantitatem est augmentatio relatiuè ad corpus auctum, licèt in se sit motus ad quantitatem, & augmentum quantitatis, quæ non erat in rerum natura; At cùm non producitur maior quantitas, quàm erat deperdita in animali; non dicitur augmentari.

QVÆSTIO II.

An AVGMENTATIO *fiat secundùm omnes partes integrales corporis viuentis.*

SVPPOSITA cum D. Bonauentura indiuisibilitate formæ viuentis, non est locus quæstioni: An augeatur secundùm partem essentialem formalem, quæ est Anima: præcipuè verò de Anima nostra, hoc est certum.

65 QVÆSTIO igitur est: An Accrementum fiat secundùm omnes partes integrales. Hæ verò sunt aliæ similares, vt Caro, Neruus, Os: Aliæ dissimilares, quæ ex his componuntur, vt Manus, Pes, Caput, &c. Rursus, partes integrantes diuiduntur in æquales, quæ sunt certæ magnitudinis, & vna est extra aliam. Et in proportionales, quæ includuntur in eisdem æqualibus; vt pars carnis certæ magnitudinis includit duas medietates; & quælibet harum medietatum duas alias, & sic in infinitum, & istæ dicuntur proportianales. Procedit autem quæstio de omnibus integralibus Homogeneis, seu similaribus, deque Heterogeneis, seu dissimilaribus: An secundùm omnes istas partes fiat Accretio: Et quidem in communi, Primò certum est, viuens secundùm omnes partes augeri, cùm secundùm omnes nutriatur. Ita Aristoteles, *primo de Generatione, cap. 5. text. 32.* Vnde etiam calor est in toto corpore; ergo vbique agit. Dixerim, hæc fieri per se; nam per accidens, potest aliqua pars quasi extincta, vixque nutrita, non augeri.

SECVNDÒ euidens est, partes dissimilares augeri; quia augentur similares componentes; sic augetur manus, quia Ossa, Caro eius, &c. augentur, vt docet Aristoteles, *primo de Generatione, textu 35.*

QVÆSTIO igitur est: An fiat augmentum solummodò in partibus æqualibus; in proportionalibus verò solùm mediatè, ratione Accrementi aliarum.

ET verè ita esse sentiunt aliqui Moderni apud Ruuium *primo de Generatione, cap. 5. quæst. 9.*

66 ASSERO tamen, etiam partes proportionales immediatè augeri. Est Aristotelis, *primo de Generatione, textu 35.*

PROBATVR ratione: Quia si partes æquales augentur; sequitur, etiam partes in eis contentas augeri; sed æquales continent partes proportionales, nec aliam habent entitatem: Ergo cum illis augentur etiam istæ.

QVÆSTIO III.

Quomodo fiat in omnibus partibus ACCRETIO.

ARDVVM sanè videtur; qua ratione Alimentum resoluatur in substantiam aliti, & omni ex parte illud augeat.

ET primò quidem difficile est definire, in quo statu sit Alimentum, cùm vnitur alito: An adhuc sit Alimentum; puta Sanguis, Ros, vel Cambium, aut Gluten: An verò priùs sit resolutum in substantiam aliti, & eo ipso vnitum.

DEINDE verò arduum est etiam assignare modum istum vniendi sibi partem auctricem; nam vel fit per mixtionem intus sumendo; vel fit iuxta apponendo. Priùs enim videtur non posse fieri absque penetratione; nam caro alenda est solida, & quamvis in quibusdam partibus habeat poros; tamen istis sunt interpositæ partes solidæ carnis. Si autem dicatur fieri per iuxta positionem, iam non distinguetur Accrementum viuentium, ab augmento non viuentium, puta Ignis, & Aquæ, quæ augentur per appositionem noui Ignis, & nouæ Aquæ. 67

QVOAD priorem controuersiæ partem.

PRIMA opinio est aliquorum Recentiorum apud Ruuium, *primo, de Gener. cap. 5. quæst. 5.* materiam sanguinis priùs vniri materiæ corporis viuentis, quam fiat conuersio eius in substantiam aliti, non priùs duratione temporis; sed in instanti; ita vt in instanti initiatiuo conuersionis substantialis, quod est vltimum non esse nutritionis, fiat vnio, seu continuatio vnius materiæ cum alia.

SECVNDA sententia est, non priùs duratione temporis, seu instantis fieri continuationem sanguinis cum corpore viuente, sed simul duratione, priùs tamen naturâ. Itaque eodem prorsus tempore, quo fit conuersio, vel nutritio, incipiens per vltimum sui non esse; fit etiam continuatio materiæ, & eodem modo incipit, sed priùs naturâ; quia vnio, vel approximatio agentis ad passum ordine naturæ, supponitur actioni eius, tanquam causa, *sine qua non.* Hi tamen in fundamento sunt varij. Aliqui enim ideò negant, priùs duratione vniri sanguinem cum corpore viuente; quia est diuersæ speciei: Ea verò, quæ differunt specie, nequeunt continuari, ex Aristotele 5. *Phys. text. 39.* Ita Scotus 5. *Phys. quæst. 3. ad 8.* Fonseca 5. *Metaph. cap. 4. quæst. 3.* & alij. Alij verò concedentes non repugnare naturaliter continuari ea, quæ sunt diuersæ speciei, nisi quatenus diuersæ speciei sunt: cùm diuersitatem specificam non faciat materia, aut quantitas; sed forma substantialis, aiunt, continuari posse secundùm formas substantiales, quæ cùm sit diuersæ speciei, repugnat vltimum earum esse vnum; vnde cùm sanguis non distinguatur specie à corpore viuente, ratione materiæ, vel quantitatis, sed solùm ratione formæ substantialis, dicunt, posse continuari secundùm materiam, & quantitatem; & ideò ex hoc capite, priùs duratione posse fieri continuationem sanguinis cum corpore, quàm fiat conuersio sanguinis ipsius in alitum. Ita Saxonia, 5. *Physic. quæstione 5. ad 2.* Valesius, *controuers. 31. ad Tyrones.* Toletus 5. *Physic. quæst. 3. ad 3.* Videtur D.Thom. *3. part. quæst. 77. art. 16. ad 2.*

Dicvnt igitur prius sanè, non duratione, sed naturâ, fieri talem continuationem; hanc verò continuationem materiæ sanguinis, vna cum materia viuentis semel tantùm fieri, nempe, dum viuens incipit nutriri per primam generationem, & per continuationem tunc factam manere totum sanguinem continuatum cum corpore viuente, secundùm materiam, & quantitatem; licèt discontinuum secundùm formam.

Qvid D. Bonauent. sentiat, colligam. Primò quidem non putat absonum, duo diuersæ speciei continuari secundùm communia, nempè quantitatem, & materiam. Ita *in 4. dist. 12. part. 1. artic. 2. quæst. 2. ad argumenta*, præcipuè ad 6. vbi docet, si fiat mixtio alieni liquoris cum speciebus consecratis vini, fieri continuationem secundùm quantitatem, licet non secundùm modum essendi, & speciem. Et hoc sanè videtur consonum experimentis; nam ramus siccus continuatur viridi secundùm quantitatem, & materiam, & tamen sunt diuersæ speciei; imò etiam generis: Nam viridis truncus est animatus; siccus verò ramus inanimis; alioqui essent diuisi, & plures, sed sunt vnus truncus: Ergo continuus, quia vnum continuum, & vnum numero idem sunt. Secundò, partes extremæ corporis humani priùs desinunt viuere, & sæpè aliqua pars est fracida, & inanis, & tamen continuatur, licèt diuersi generis à partibus animatis.

Deinde verò Sanctus Bonauent. vult, Alimentum, quamdiù est Alimentum, etiam vltimum, esse discontinuatum, vt vidimus *disputat. 3. quæst. 2.* Vult igitur priùs naturâ fieri conuersionem, quam continuationem; non quia repugnet continuatio diuersorum in specie, saltem secundùm quantitatem; sed ob alias rationes, vt infrà.

69 Et in hoc consentit Ruuius *num. 57.* vbi docet, non fieri continuationem illam priùs naturâ, ante conuersionem; sed per illam.

Assero cum hac sententia, continuationem alimenti cum corpore viuente fieri per ipsam conuersionem alimenti, non antè.

Probatvr, quia sanguis, manens sanguis, similiter & Ros, & Cambium, ac Gluten sunt liquida contenta in poris, velut in vasis; fit verò solidum, *verbi gratiâ* caro, neruus, os, dum in ea mutatur. Et hoc puto, velle D. Bonauent. *in 4. distinct. 44. quæst. 11. in corpore*, dum ait, sanguinem esse humorem in venis; humiditatem autem triplicem inde prodire in nutritione facienda. Primò enim sanguis mutatur in rorem, qui inter poros continetur exuctus à venis: deinde albescit, & fit Cambium; vltimò hoc dealbatum, fit Gluten in ipsa conuersione, id est in ipsa agglutinatione, & vnione resoluitur in partem alitam.

Frvstra verò authores primæ sententiæ ideò necessariam clamant vnionem, ante conuersionem, ad hoc, vt fiat debita approximatio agentis ad passum. Sufficit enim contiguitas: imò contiguitas ideò impediet, ne idem in seipsum agere videatur: Scio, idem acturum secundùm diuersas partes, & passurum. Sufficit igitur approximatio contiguitatis ad calorem naturalem, eadem verò actio conuersionis est etiam vnionis; nam anima per potentiam nutritiuam habet virtutem transmutandi, simul & vniendi alimentum in se.

70 Qvomodò autem fiat hæc conuersio secundùm omnes partes.

Sciendvm, in omnibus partibus viuis diramari venulas, vsque adeò minutas, vt capillares dicantur, per eas verò riuuli sanguinis decurrunt, vt ait Sanctus Bonauentura *loc. cit.* Inde autem partes exugunt Alimentum, & in Rorem, & Cambium mutant, quod recipitur in poris, qui sunt in omnibus partibus, non sanè, vt singulæ partes minimæ, vel proportionales habeant suum porum, vt putat Auerroës, *primo de Generatione, com. 38.* hoc enim redderet corpus laxum, non firmum, sed intelligitur, singulas partes paruulas habere porulos circum minores, vel maiores, pro varietate partium, & quidem latiores in iuuentute. Cuius fundamentum, & ratio non est maior conuersio Alimenti, quasi verò hæc dilatet poros, vt putat Ruuius *primo de Generatione, cap. 5. quæst. 7. num. 85.* Sed venit ex maiori abundantia caloris in iuuentute; est enim calor dilatatiuus, atque apertiuus; ex quo sequitur, maiora fieri vasa ad recipiendum è venis sanguinem, in Rorem tunc mutatum. Inter porulos autem vndique est pars corporis, siue carnis, siue nerui, vel cartilaginis, ossis, &c. quas non potest Ros, vel Cambium, aut Gluten penetrare naturaliter, sed additur superficiebus illarum partium, sicuti aqua mixta alterius aquæ, eam non penetrat; sed dilatat, & intermediat se, vt ait Diuus Bonauentura *in 4. distinct. 12. quæst.* suprà adducta. Itaque hi pori non sunt secundùm partes æquales, æquali distinctione collocati, neque sunt infiniti in singulis partibus proportionalibus, sed in aliqua indeterminata proportione situm habent; vnde partes omnes exugunt; 71
atque adeò partes æquales non nutriuntur per se, vt æquales sunt, seu secundùm suam æqualitatem; sed per extremitates determinatas pororum.

Ex his habes, non fieri augmentationem singularum partium per intimam ad omnes peruasionem Roris, &c. Sed per appositionem ad particulas contiguas poris; neque enim potest dari penetratio Cambij ad omnes particulas.

Avgentvr igitur omnes partes corporis proportionaliter secundùm trinam dimensionem; quo modo, etiam inanimata augentur, tametsi aliquando ex aliqua parte magis ea accrescant, vt, si igni pabulum ex vna tantum parte sit appositum; at si vbique, vel alius ignis misceatur, aut liquor liquori, augetur secundùm omnes partes, vt ait Diuus Bonauentura *in 4. distinct. 12. quæstione citata.*

Hoc verò peculiare habent viuentia, vt non solùm alimentum resoluant in se, sed etiam per poros attrahant ad singulas partes, modo suprà dicto. Hoc pacto intelligendus est Aristoteles; cùm ait, Augmentum fieri ad omnem partem, nempè augeri omnes, tam Homogeneas, quàm Heterogeneas; tam æquales, quàm proportionales, sed singulas secundùm propriam naturam; Heterogeneæ quidem non per se; sed ad augmentum Homogenearum, ex quibus componuntur: Similares verò æquales, & proportionales per se immediatè, quatenùs per extrema tangunt alimentum, & illud disponunt, atque conuertunt in substantiam, eisdemque per eadem extrema, vnitur, & continuatur pars alimenti conuersa. Vide Ruuium; *loco adducto*; Eustachium *3. part. Phys. tract. 2. disput. 3.* Fuliensem *3. Phys. cap. 3. art. 4.*

QVÆ

QVÆST. VI.

An AVGMENTATIO *differat à Rarefactione.*

71 VT inter hos motus differentiam assignemus, oportet videre: An Rarefactio sit motus ad quantitatem, sicut Augmentatio. Sumo autem Rarefactionem propriè, in qua rarefit corpus, & ampliatur, absque alterius corporis extrinseco additamento.

PRIMÒ sanè aliqui dicunt, in rarefactione totam priorem quantitatem corrumpi; & nouam produci. Ita Gotfredus, vt referunt Marginistæ Scoti *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 4. qui adducunt etiam Burlæum, sed malè. Eam etiam Scoto adscribit Capreol. *in* 2. *dist.* 18. *quæst.* 1. sed falsò. Idem tenet Hispalensis *dist.* 18. Pomponatius, 1. *de Generatione, quæst.* 10.

SECVNDA sententia est, Rarefactione aliquam produci partem quantitatis. Ita Scotus, *in* 1. *d.* 17. *quæst.* 3. *artic.* 2. & *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. quem sequuntur multi discipuli, præcipuè P. Linus Rabesanus 4. *Phys. disputat.* 2. *quæst.* 3. Faber *Theor.* 44. Auers. *quæstione* 58. *sec.* 4. Amicus, *tract.* 15. *quæst.* 4. Toletus 4. *Phys. quæst.* 11. Marsil. 1. *de Gener. quæst.* 15. Heruæus *quodl.* 2. *quæst.* 15. Burid. 4. *Phys. ad text.* 84. Roccus 4. *Phys. quæst.* 10. Poncius *d.* [illegible] 6. *quæst. vlt.*

TERTIA opinio est, Rarefactione nullam produci quantitatem. Sic Diuus Thomas 4. *Physic. lect.* 14. & *prima secund. quæst.* 52. *artic.* 1. quem sequuntur discipuli, præcipuè Ioan. à S.Th. Complutenses. Durand. *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 7. *num.* 22. & *in* 2. *dist.* 18. *quæst.* 1. Capreol. *in* 4. *dist.* 12. *art.* 3. Soncin. 8. *Metaph. quæst.* 27. Sotus *cap. de Quantitate in Logica*; sed & Mastrius cum Belluto, *disp.* 14. *de Rarefact. quæst.* 3. Fuliensis 3. *Phis. cap.* 3. *art.* 5. Eustachius 3. *part. Phys. tract.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 6. Ruuius 1. *de Generatione, cap.* 5. *tract. de Rarefact. quæst.* 1. P. Galitius *part.* 2. *lib.* 3. *tract.* 3. & alij apud hos, cum Auerroïstis dicentibus, quantitatem a materia esse inseparabilem, & improducibilem.

73 QVOAD D. Bonauenturam adducitur à P. Galitio pro tertia sententia in pluribus locis, quæ examinabo. De rarefactione ait *in* 2. *dist.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, Corpora per raritatem, & densitatem disponi adhuc magis, sicut è contrario, vt fiat ex Aëre Aqua, Aër priùs condensatur, agente illic frigore, hic autem calore, à quibus fiunt rarefactio, & condensatio; calor enim dissoluit, & rarefacit: frigus verò condensat. Addit verò, Raritatem, & densitatem in corporibus cælestibus causari non à calore, vel frigore; sed à sola maiori, vel minori partium condensatione, & situ: At in Elementis fieri à calore dissoluente, vel frigore constringente partes materiæ. Itaque hìc concedit nouam extensionem quantitatis. Hoc innuit Aristoteles 4. *Phys. text.* 84. vbi ait: *Sic esse vnam materiam parui, & magni; sicut vna est calidi, & frigidi*, id est, sicut vna est materia, cùm mutatur quid à calido in frigidum; ita cùm mutatur quid à magno in paruum. Vult dicere, fieri aliquid de potentia in actum per rarefactionem; sicut per calefactionem: & sicut per calefactionem non mutatur substantia, vel quantitas, ita nec per rarefactionem; sed solùm acquiritur aliquis modus accidentalis. Raritas sanè, & densitas recipitur, vt in subiecto primo, ac materia, in quantitate; ipse enim est primò capax diuisionis, & extensionis, & hoc innuit S. Doctor *in* 2. *dist.* 30. *art.* 3. *quæst.* 1. *in corpore*, vbi docet, in materia, vt sic consideratâ, non esse *tantum*, aut *quantum*, benè autem esse in materia secundum suum esse accepta; quia tunc est sub quantitate, quæ est scaturigo magnitudinis, & paruitatis. Igitur substantia catenus est rara, quatenus est magna; est autem magna primò per quantitatem.

IN *secundo, distinct.* 18. *artic.* 1. *quæst.* 2. *fundamento* 5. ait, Dupliciter fieri aliquid maius, vel per rarefactionem; vel per appositionem extrinsecæ materiæ, quæ est augmentatio, & in hoc, vt reor, videbimus consistere differentiam rarefactionis ab augmentatione, vt in rarefactione nulla fiat noua additio quantitatis, quæ materiam compositam sequatur; sicut fit in Accretione. Itaque S.Bonauent. est pro tertia sententia. Id clariùs aliis locis infrà adducendis, astruit.

AT *in primo, dist.* 17. *part.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. ait, Motum augmentationis formaliter esse ad quantitatem; attamen coniunctam esse etiam accretionem substantiæ, sed per accidens, respectu motus formalis augmentationis, & subdit: (*Cùm enim additur quantitas maior minori, nisi fiat per rarefactionem, vel per protensionem, oportet, vt addatur substantia, in qua sit illa quantitas: & ita augmentum plus habet de substantia; & ita ad substantiam etiam terminatur.* Hoc textu nisus R. P. Ioan. Bapt. Carampellus nostræ Prouinciæ eximius Antistes, & decus, Seraphicum enim secundâ sententia ponit: Hic quidem videtur velle, etiam rarefactionem esse ad quantitatem, sed non est ita. Hic enim solùm vult dicere; Cùm aliud quantum fit maius in concreto; non in abstracto. (hic enim est scopus D. Bonauent. includere etiam substantiam) semper addi nouam etiam substantiam, excepta maioratione per rarefactionem, in qua non additur noua substantia, fit tamen quantum maius extensione, ratione cuius etiam quantitas potuit dici à S. Doctore fieri maior, quoad modum. Hoc ait etiam P. Galitius *loc. cit.* Quod si opponas S. Doctorem dicere; *cùm additur quantitas maior*: dico, per illud intelligi maiorem expansionem. 74

ASSERO primò, in rarefactione non acquiri nouam quantitatem, veteri deperdita. 75

PROBATVR primò, ratione D. Bonau. *in* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad primum*, qua vtitur Ruuius *num.* 129. Omnia accidentia sensibilia inhærent composito, media quantitate, & omninò dependenter ab illa. Ideo naturaliter accidentia panis manent in Eucharistia, quoad hoc, quod stant in quantitate, etsi superne, quatenus ea subsistit miraculo. Hinc habes, corrupta quantitate, destrui alia accidentia, colorem, saporem, & cætera; corrupto enim subiecto, corrumpuntur omnia, quæ sunt in eo; vt arguit S. Doct. *in* 1. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 3. sed in rarefactione liquor quilibet retinet eundem odorem, saporem, &c. Ergo & quantitatem. Eadem ratione vtitur Scot. *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 4. Et Fauent. *loc. cit. cap.* 1. Maior probatur à D.Bonau. *eadem dist. art.* 1. *quæst. vlt. argum.* 2. ad oppositum. Id, quod conuenit alicui, & est proprium alterius, conuenit ei, ratione eius, cui est proprium. Sed accidentibus, puta colori, sapori, conuenit extensio, quæ est proprietas quantitatis, vt patet: Ergo conuenit ratione quantitatis; non conueniet autem,

tem, si ipsa accidentia essent in materia, ante quantitatem, vel non in materia quanta. Ideò docet *disp. 12. p.p. artic. 2. quæst. 3. fundamento vltimo*, accidentia naturaliter existere in quantitate, licèt ipsa miraculosè stet per se; sicut, si Nauis suspensa a Deo sisteretur in aëre, tamen Nauta staret in ea naturaliter.

Hinc eruitur aliud argumentum Theologicum. Si in rarefactione produceretur noua quantitas, & prior corrumperetur; iam sequeretur, cùm rarefiunt species in calice congelatæ, destrui illam quantitatem, & accidentia omnia ibi existentia; atque adeò desinere ibi esse sanguinem Christi, quod est falsissimum. Probatur sequela; quia corrupta quantitate, quæ est subiectum accidentium, corrumpi debent etiam ipsa, aut stare per se, nouo miraculo, aut migrare de subiecto in subiectum. Sed hoc est absonum, vt notat Diuus Bonauentura *in 4. distinct. 12. part. 1. quæst. 3 in corpore.* Ergo. Hoc mihi videtur argumentum validissimum D. Bonauenturæ.

76 Assero secundò, Nullam partem quantitatis produci in rarefactione.

Probatvr argumento D. Bonauenturæ *in 4. distinct. 12. part. 1. artic. 2. quæst. 3. ad 2.* Quantitas producitur à substantia; sed in rarefactione nulla substantia producit quantitatem: Ergo. Maior patet; nam cùm substantia sit primum ens, debet esse principium accidentium, quæ sunt entia secunda. Minor probatur. Vel producitur à substantia veteri, vel à substantia noua. Hoc secundum non potest dici; quia in rarefactione nulla de nouo substantia aduenit, vt omnes concedunt; & notat Fauentinus, initio Theorematis. Neque producitur à substantia veteri; quia, si ab ea produceretur, iam in ea inhæreret; hoc enim est proprium formarum naturalium; sed in ea non inhæret; alioquin daretur penetratio cum priori quantitate: Ergo.

Respondet Fauentinus *in calce, cap. 2.* negando, sequuturam penetrationem; quia materia magis extenditur; atque adeò nouas dimensiones posse stare extra alias.

Contra; Nam extensio, per te, *cap. 1. §. Verum hic opinio*; est noua quantitas, quod probatur; quia illud est formaliter quantitas, quo aliquid formaliter est quantum; sed aliquid dicitur esse quantum formaliter per aliquam extensionem longitudinis, vel latitudinis: ergo extensio formaliter est quantitas. Alia multa ad hoc roborandum addit.

77 Iam sic arguo: Quandocunque aliquid est cum alio formaliter idem; tunc vtrumque simul augetur, aut neutrum, vt ipse Fauentinus contendit, & si augetur in alio, quod participat; multò magis debet esse auctum in se, vt, *verbi gratiâ*, si corpus sit magis coloratum, debet augeri primò calor: Tunc sic: At materia est extensa, & sit talis per quantitatem; Ergo, dum extensio fit in materia, fit ratione eius propriæ quantitatis existentis: Ergo per extensionem materiæ non ceditur locus nouæ quantitati aduenienti, nisi dicas, manere aliam partem materiæ absque quantitate veteri; nam si extenditur, sanè extenditur magis per quantitatem iam ibi inhærentem; hæc enim est formaliter extensio per te; atque adeò noua quantitas adueniens non potest insistere materiæ iam extensæ per suam quantitatem, nisi eam penetret. Itaque si noua producitur quantitas; ergo prior non extenditur; Nam extensio noua per te, est noua etiam quantitas.

Ex præcedenti fundamento eruit S. Bonauent. ibi Argumentum Theologicum: Experientiâ constat, species in sanctissimo Calice rarefieri; & condensari, & post rarefactionem continere Corpus Christi; Manent enim adhuc species panis, & vini, quibus durantibus, ex condicto, ibi stat Corpus Christi, vt omnes fatentur Theologi. Si ergo acquiritur noua pars quantitatis in rarefactione, debet produci à substantia, & ex ea educi. Vel ergo educitur de corpore Christi; & hoc absit: neque est alia substantia. Si dicas educi è quantitate. Contra; nam si educeretur ex quantitate præexistenti reciperetur in ea, tanquam in subiecto. Hoc enim est proprium formæ materialis; & sic daretur penetratio.

Cvm igitur educatur è subiecto aliquo, nec ab aliqua substantia; sequitur eam creari. Tunc verò sequitur, Aërem, vel Ignem rarefacientem species, creare illam quantitatem: Sequitur prætereà, illam quantitatem fore sine subiecto, & sub ea non esse corpus Christi, contra sensum omnium Theologorum. Probatur sequela; quia Christus non continetur nisi sub consecratis; sed pars illa quantitatis de nouo creata, non fuit consecrata: ergo sub ea non continetur Christus, & ideò non potest dari sine subiecto; quia accidentia sola panis, &c. manent sine subiecto ex vi transubstantiationis; sed pars illa quantitatis nunquam fuit in substantia panis, aut vini desinente: Ergo ex vi desitionis eius non potest permanere sine subiecto. Ex quibus sequitur, species Sacramentales non posse naturaliter rarefieri, neque condensari quod est falsissimum. Hoc argumento vtitur etiam Ruuius, *num. 130.* 78

Rabesanvs, hæc omnia soluere nititur. Dicit ergò, Rarefactione rem fieri extensam, atque adeò nouam productam quantitatem conuinci; quia extensio est passio Quantitatis. Hanc verò recipi in aliqua parte substantiæ sine penetratione; quia rarefacta redditur capax quantitatum partialium. Addit, non induci penetrationem; quia in nouo loco adæquato est corpus rarefactum; non per quantitatem præexistentem; sed per aliam nouiter additam.

Porrò, in Eucharistia, ait, quantitatis partem creari à Deo ex pacto ad præsentiam agentis creati, & in ea esse corpus Christi, non ex vi verborum, sed concomitanter, quia vinum erat in potentia ad illam quantitatem, & poterat antè reduci ad actum, si tunc facta fuisset conuersio.

Hæc tamen friuola sunt, & quò ad prima, respondebo quæstione sequenti. Interim, cùm maior extensio actualis ad locum sit accidens separabile, & possit augeri, & minui intactâ quantitatis essentiâ, vt infrà ostendam, & probaui, *Tract. 5. disputat. 8. quæst. 1.* non benè infert, ex augmento istius accidentis in proprio subiecto quantitatis præexistentis, nouam addi essentialiter quantitatem. Modus verò insinuandi nouam quantitatem in partes substantiæ, est ridiculus; nam partes illæ corporis non deferunt suam quantitatem, dum rarefiunt; alioqui & quantitas migraret; & substantia illa, vel semel esset sine quantitate, vel duas simul penetratas haberet. Quòd verò ait, substantiam rarefactam, reddi capacem quantitatum partialium; implicat: Est enim dicere, 79

dicere, rarefactionem priùs esse, & disponere ad nouam quantitatem. Ergo rarefactio est facta, non per acquisitionem nouæ quantitatis, cùm ex Rabesano, illa sit causa disponens, atque adeò priùs confecta.

Deinde rursus tenetur dicere in quas partes inducatur hæc noua quantitas. Num in quantas? & ecce generatio. An in non quantas? & tunc dabit substantiam corpoream sine quantitate. Et qui è proprio subiecto eiecerit antiquam?

Qui autem ait ad argumentum de Augustissima Eucharistia nihil ponderant. Nam ibi materia respondet formæ. *Hic est sanguis meus, &c.* Et sub nulla quantitate esse potest sanguis Christi, nisi sub consecrata, vt arguit Scotus 4. *dist.* 12. *quæst.* 4. vbi contra Gothifredum vrget, idem inferri de parte quantitatis.

Vrgeo cum D. Bonau. suprà, & Scoto, *littera A.* In toto corpore rarefacto, & omnibus partibus eadem accidentia sunt, quæ antea; putà dulcedo, rubedo vini, humiditas. Igitur vel transierunt de primo subiecto in nouum quantitatis additæ; vel sunt alia producta: at Agens rarefaciens, *verb. grat.* ignis non habet virtutem producendi humiditatem, dulcedinem, &c.

Frustra verò, & gratis Rabesanus ait, ea accidentia ab igne produci per rarefactionem alterando. Sanè & gelu condensans conseruat easdem qualitates alteratione contrariâ.

Raphael Auersa aliud effugium inuenit dicens, subiectum immediatum accidentium non esse quantitatem, sed potentiam de genere qualitatis.

Contra, quia omnes id negant. Deinde non effugit, vt notat Mastrius, quia in rarefactione non dissoluitur, aut corrumpitur potentia naturalis, vel aliud subiectum accidentium illorum; & si corrumperetur, perirent etiam omnia accidentia Sacramentalia, & desineret corpus Christi esse in Eucharistia, quoties rarefiunt species.

Noster P. Ioannes Baptista Laodiensis addit; posse Deum creare cum quantitate substantiam, & in illam corpus Christi conuertere; at saltem nouam illam quantitatem creari; sub ea verò: an sit corpus Christi, quis nouit? & si negetur; quid inde? etiamsi sub quauis citatæ quantitatis particula non sit corpus Christi, quæ, inquit, inde absurditas?

Pace tanti viri dico, eam creationem, & conuersionem, nullo indicio probari ex institutione Christi, vel aliunde, vt euidens est. Neque inueniri locum tali quantitati, vt ostendo in quæstione; & si sub ea non est corpus Christi; neque ea erit absque sua substantia; at hoc est Lutheranum. Deinde in fractione, Adoratione, vel dispersione induceretur Idolatria. Tertiò, si in minutis partibus præcedentibus quantitatis dispertitur, sequetur penetratio.

Probatur tertiò, Argumento adducto ex locis præfatis D. Bonauent. Si per rarefactionem acquiritur noua quantitas; sequitur, eam esse idem cum augmentatione, contra communem Aristotelis, & Philosophorum sensum, vt notat etiam Ruuius *num.* 131.

Tandem, Raritas est in quantitate: ergo vel in veteri, vel in noua; si in veteri, ergo noua non producitur; si in noua: ergo prior non rarefit, nisi velis admittere penetrationem. Vide etiam Arcesium, *disp.* 5. *quæst.* 36. Mendozam *disp.* 4.

Obiicies primò cum prima sententia. Si per rarefactionem non acquiritur noua quantitas, & per condensationem non deperditur; sequitur dari penetrationem aliarum partium, vel eas esse simul in diuersis locis, sed vtrumque est falsum: Ergo. Probatur sequela; quia corpus per rarefactionem extenditur ad maiorem locum; & per condensationem reducitur ad minorem: ergo si permanet eadem quantitas, occupabit illa eundem antiquum locum, & etiam nouum, ad quem extenditur; & si per condensationem eadem permanens, occupabit minorem, quod non videtur intelligibile, nisi quædam partes reducantur ad locum aliarum per penetrationem.

Respondetur, negando sequelam. Ad probationem respondetur, partes in rarefactione non fieri distantiores, sed extensiores, id est, acquirere nouum modum, quo occupent maiorem locum; neque ideò ante se penetrabant, sicut, & motus localis velocior habet partes magis constipatas, nec tamen se penetrant, & tardior habet partes extensiores; quia in velociori non est assignari tempus, in quo duæ partes; vel plures sint simul; sed omnes successiuè: similiter & species vnius montis sunt in paruulo Speculo, neque tamen se penetrant; patet, quia res condensatæ retinent eandem figuram; alioquin si essent penetratæ, vna aliam tegeret.

Obiicies secundò cum Scoto, Fabro, Pon- 80
cio, & cæteris. Per rarefactionem acquiritur extensio; sed hæc est ratio formalis quantitatis: ergo acquiritur quantitas.

Respondetur, Extensionem actualem ad locum esse accidens separabile à quantitate. Ideò variatur; essentiâ illæsâ. Solus quidem Deus extensionem hanc omninò tollere valet; at expansio ad maiorem locum, vel restrictio ad minorem, naturæ est. Saluatur enim adhuc simpliciter extensio ad locum.

Obiicies tertiò, aqua in vase rarefacta, acquirit noua puncta: Ergo & partes. Antecedens probatur. Si vas sit repletum vsque ad medietatem, puncta aquæ solùm correspondent punctis medietatis vasis: post rarefactionem verò, cùm plenum sit vas, correspondet omnibus punctis integri vasis. Ergo acquisiuit aqua per rarefactionem infinita alia puncta, per quæ correspondent infinitis punctis vasis, quibus non correspondebant priùs. Probatur consequentia; quia repugnat, eadem puncta correspondere pluribus, & paucioribus. Premit Poncius, *num.* 40. Aliter non possem scire quantitatem rerum; quia posses dicere eas esse extensas solùm, putà ad cubitum, &c.

Respondet Ruuius *ad numerum* 135. negando antecedens; nam puncta aquæ non correspondent simul omnibus punctis, quibus correspondebant primò, & aliis etiam postea; sed tantùm successiuè, quod ita fit: Per rarefactionem eadem quantitas dilatatur; & acquirit maiorem extensionem in loco; & consequenter minor quantitas correspondet maiori spatio, quod necessariò debet fieri per mutationem præsentiæ, per quam, totam se extendens ad maiorem locum, amittit præsentiam priorem, & aliam acquirit. Similiter & partes, & indiuisibilia amittunt priorem præsentiam, & acquirunt aliam; atque adeò aliis partibus, & punctis respondent; non autem ampliùs prioribus. Ad Poncium dico è qualitate raritatis notâ, nosci subiectum non magis quantum, sed dilatatum.

Obiicit sibi Ruuius, hinc sequi, quod si no-

81 næ partes, & noua puncta non producuntur per rarefactionem; saltem corpus paruum habet tot partes, & tot indiuisibilia, quot habet etiam magnum. Probatur consequentia; nam aqua illa ante rarefactionem duplo minor erat vase; post rarefactionem verò adæquat vas. Ergo omnibus, & singulis partibus, & punctis vasis correspondent singulæ partes, & tot puncta aquæ: Ergo vel eas partes, & ea indiuisibilia habuit etiam ante rarefactionem, vel noua acquisiuit.

RESPONDENT Collegium 1. *de Gener. cap. 5. quæst.* 17. *art.* 4. & Mastrius, *num.* 31. concedendo, tot partes proportionales, & tot puncta habere paruum corpus, ac magnum; quia habent infinita actù; & vnum infinitum non est maius alio. Quod probant hoc argumento. Dentur duo Circuli concentrici, quorum alter sit in altero longè arctior; tunc omnes lineæ ductæ à centro ad circumferentiam maioris Circuli, interfecabunt Circulum maiorem in puncto, id est, tangent in suo transitu punctum aliquod eius. Ergo tot erunt puncta in minori, & consequenter tot partes. Probatur consequentia; quia ad omnia puncta maioris Circuli ducuntur lineæ, & per omnia puncta minoris transeunt: Ergo non habet maior Circulus plura puncta, quàm minor, & consequenter nec plures partes, nec ideò vnum infinitum erit maius alio. Hæc, *tract.* 3. *disp.* 8. *quæst.* 3. & 4. resolui.

82 IMPVGNAT Ruuius *num.* 136. hanc responsionem; quia, licèt infinitum in ratione infiniti non sit maius alio; quia stat in priuatione numeri; attamen materialiter pro entitate consurgente ex partibus infinitis euidens est, vnum infinitum esse maius alio, id est, alias partes continere, præter partes alterius. Quod sic ostenditur exemplo Circulorum maioris, & minoris, qui, si extendantur in modum lineæ rectæ, euidens est, efficere duas lineas rectas, quarum altera est longior. Quo supposito arguit: Linea maior resultans ex maiori Circulo habet totam longitudinem minoris, & plus. Ergo habet aliquam longitudinem, non contentam in ea, & consequenter aliquam entitatem realem, præter entitatem eius; ex quo patet, eam plures partes habere, & plura puncta. Assumptum verò probatur eo argumento, quo probatur etiam, totum maius esse suâ parte: Est autem tale vnicum argumentum. Quidquid continet totum, quod continet aliud, & aliquid præter illud, maius est illo; sed totum continet, quidquid continet pars eius, & aliquid aliud: ergo. Quod sanè argumentum desumptum est ex D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 10. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. *fundamento* 2.

Ex his sequitur, non produci noua puncta, vel nouas partes per rarefactionem; sed pauciores partes, & pauciora puncta, secundùm diuersitatem dispositionum respondent pluribus; acquirunt verò diuersam dispositionem partes, & puncta per rarefactionem, cùm magis distent inter se, & maiorem extensionem habeant ad locum, ad quem mouentur, dum rarefiunt.

83 EGO sanè assentior, plures partes æquales esse in maiori Circulo, quam in minori, & materialiter infinitum vnum esse maius alio, *verb. grat.* si demus vnum numerum Leonum ex hac parte; ex alia verò quaternarium infinitorum, *verbi gratiâ* Infinitos Equos, infinitos Camelos, infinitos Elephantes, & infinitos Boues; non video quomodò in numero sint hi omnes plures, quàm solus numerus infinitus Leonum; nam omnes consistunt in priuatione additionabilitatis; est etiam talis numerus, cui nihil addi potest; & vna priuatio non est maior priuatio, quam alia, (si est priuatio totius.) At materialiter, quis non videt, futura in mole quatuor hæc infinita maiora? sed hoc nihil facit ad rationem infiniti.

AT verò cùm ratio continui intrinsecè conueniat singulis partibus, non video, quomodò vnum continuum, etiam mole maius, habeat plures partes proportionales, & plura puncta, quàm minus continuum; non enim diuisibilitas in infinitum competit continuo, vt est tantæ molis, vel magnæ, sed vt est continuum; & cùm essentia continui sit æquè in minori Circulo, ac in maiori, vterque erit diuisibilis in infinitum, & infinita habebunt puncta terminantia, & continuata (si indiuisibilia ibi sunt actù) ex quo fit, vt habeant puncta, & partes proportionales totidem, quamvis partes æquales sint maiores in circulo maiori; attamen per rarefactionem possunt minores coæquari, non quoad quantitatem; sed quoad modum extensionis, & præsentiæ localis cum maiori. Poterunt igitur partibus proportionalibus, & indiuisibilibus vasis correspondere partes proportionales, & indiuisibilia acquiri absque noua productione, vt docent Conimbricenses, & sic respondetur securiùs argumento.

RESPONSIO autem Ruuij non placet in multis. Quia non video, quomodò infinita puncta, infinitæque partes proportionales ab ipso admissæ in continuo aquæ minoris vasis, non respondeant indiuisibilibus, & partibus proportionalibus vasis, quoad molem; & sint pauciores. Nec video ad quid faciat illa doctrina de infinito secundùm entitatem materialem: Nam puncta, nec releuant molem, nec secundùm molem computantur, sed secundùm numerum. Et cùm sit infinita non minùs quàm puncta vasis, cur non poterunt singulis respondere punctis vasis. Ipse quidem mensura molis dimetietur puncta, non secundùm rationem discretæ quantitatis, quæ est numerorum, quod patet, dum circulos vertit in lineas, & alteram alteri applicat, ac mensurat secundùm longitudinem: Neque enim Collegium, vel alius negat, in longiori linea contineri maiorem Circulum. De hoc egi, *tract.* 5. *disput.* 8. *quæst.* 3. 84

PRÆTEREA aberrat concedens, omnes lineas, à maiori Circulo deductas ad centrum, interfecari in aliquo puncto minoris Circuli interioris, & postea negat tot puncta minori Circulo, quot maiori concedit; sed vult habere pauciora in infinitum. Si enim habet pauciora in infinitum. Ergo nulla habet, cùm, ablato numero infinito, tollatur omnis numerus in eo clausus. Deinde sequitur, vnum infinitum numero esse infinitè numerosius altero, atque adeò in ratione formali infiniti, quod suprà negauit.

QVOD verò subdit, etiam pauciora puncta circuli inferioris respondere singulis punctis exterioris, ratione dispositionis circulationis, friuolum est. 85 Nam continuum, siue sit rectum, siue obliquum, *verb. grat.* linea, non acquirit noua puncta, ex eo, quòd sit recta; vel posteà in gyrum obuoluatur; Exemplum verò, quod ipse subdit de quadrato, vndique lineis obsignato, non est ad rem; nam adhuc mensurat secundùm rationem, & mensuram continui, & molis, non secundùm numerum; mensurat etiam secundùm partes molis æquales, non secundùm proportionales.

PARTES

PARTES sanè æquales sunt maiores in maiori quantitate, *verb. grat.* vasis, quàm aquæ; attamen non producuntur nouæ, quia priores dilatantur, & extenduntur ad locum, mutatione accidentali quantitatiua per rarefactionem partium, & extensionem accidentalem quantitatis, per quam nec partes substantiæ, nec quantitatis adducuntur, sed omnes dilatantur accidentaliter in ordine ad locum, partes sanè quantitatiuæ per se; substantiales verò ratione quantitatis.

OBIICIES vltimò: Sic se habet rarefactio in quantitate; sicut intensio in qualitate: sed hæc acquirit nouam qualitatem: Ergo.

RESPONDETVR, negando paritatem; nam qualitas intenditur per accrementum in se intrinsecum; quantitas verò extenditur per rarefactionem in ordine ad locum; extensio autem ad locum est accidens variabile; imò separabile, vt patet in corpore sanctissimo Christi, in Eucharistia; vbi est quantitas; non extensio ad locum, & maior extensio, siue maiores etiam dimensiones sunt naturaliter variabiles.

QVÆSTIO V.

Quinam sit terminus formalis RAREFACTIONIS.

86 PRIMA opinió est, Rarefactionem per se terminari ad maiorem distantiam partium inter se; Condensationem verò ad maiorem compressionem partium. Ita Philosophi aliqui antiquiores apud Aristotelem, 4. *Physicorum*, *cap.6.* & Valesius 4. *Physicorum, text.*84. *& controu.* 27. *ad Tyrones*, & & alij, apud Fuliensem, 3. *Physicorum*, *capite* 3. *articulo* 5.

SECVNDA opinio est, rarefactionem terminari ad maiorem extensionem ad locum. Ita Recentiores nonnulli apud Ruuium 1. *de Gener. cap.* 5. *quæstione* 2. & videtur D. Thomæ, *lib.* 2. *de Gener. lect.* 2. Sic Mastr. *disp.* 4. *quæst.* 5. Ariet. 4. *distinct.* 12. *quæst.* 4. *art.* 3. Bonamic. *lib.* 7. *de motu, capite* 41. Arefius *disp.*4. *quæst.*36. Fuliens. *loco cit.* Eustach. 3. *part.tract.*2. *disputatione* 3. *quæstione* 6.

TERTIA opinio censet, rarefactionem per se terminare ad raritatem, quæ est qualitas, quâ corpus disponitur ad maiorem extensionem, & maiorem præsentiam localem: Ita Antiquiores Aristotelis expositores: imò etiam SS. Patres; August. *capite* 12. *Cathegor. in primo Tom.* Damasc. *cap.* 12. *Physicorum*, Boëtius, & Albert. *in prædicamento Quantitatis.* Author sex Principiorum, *cap. de situ.* Auerroes 4. *Physicorum*, *text.* 84. & ibidem Burlæus, Capreolus *in* 2. *distinct.* 19. *quæst.* 1. *artic.* 3. Argentina *in* 2. *distinctione* 18. *quæst. vnic. artic.* 4. Durand. ibidem *art.* 1. *sect.* 8. *Metaph. quæstione* 27. Caiet. 3. *part. quæst.* 77. *art.* 5. Ruuius *loco citato*, P. Galitius *p.* 2. *lib.* 3. *tract.* 3. *quæstione* 3. *num.* 2. Et vt reor, est sententia D. Bonau. *in* 2. *dist.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore.* vbi ait: *Raritatem, & densitatem in sublunaribus fieri à calore dissoluente; vel frigore constringente partes materiæ*, atque adeò vult esse terminum per se alterationis, qui est qualitas. Ita etiam Arist. 6. *Physicorum*, *cap.* 2. & 2. *de partibus animalium*, *capite* 1.

ENIM verò Fauentinus, *Theor.*44. *circa finem*, ait, dici posse, rarefactionem formaliter terminari ad quantitatem; causaliter verò esse in qualitate, quia raritas prouenit ex alteratione, facta in qualitate. Mox concludit, Raritatem fieri quidem in quantitate, sed per accidens, interueniente alteratione in qualitate; & ita rarefactio, vt est acquisitio nouæ quantitatis, est formaliter in quantitate; vt autem denotat alterationem factam per caliditatem, & frigiditatem, est in Prædicamento Qualitatis. Itaque videtur asserere cum hac sententia, scilicet, rarefactionem terminari per se ad qualitatem.

ASSERO primò, Raritatem, & Densitatem, non esse formaliter extensionem ad locum; nec ad eam formaliter terminari Rarefactionem. 87

PROBATVR. Quæ possunt separari, non sunt vnum formaliter, sed raritas, & densitas possunt separari ab extensione: Ergo. Minor probatur. In Sanctissima Eucharistia sunt partes Christi organicæ, nempè ossa, nerui, carnes, manus, caput, cor, cerebrum, & alia. Est enim ibi corpus Christi viuens, & si est animatum, est organicum: & si organicum, est quantum; & tamen non est ibi extensum in ordine ad locum, vt arguit S. Bonau. *in* 4. *distinctione* 10. *parte* 1. *quæstione* 2. *&* 3. quem sequitur Ruuius *num.* 151.

RESPONDENT Authores secundæ sententiæ, negando, partes Christi in Sacramento habere densitatem, & raritatem, nos verò putare ea membra rara esse, & densa, quia imaginamur ea ad modum, quo sunt in Cœlo.

CONTRA arguo ex D. Bonauentura, *quæst.* 2. *citata, in corpore*, quia implicat, corpus esse viuum, & non esse organicum: & si sit organicum, implicat non habere partes extra partes; & ideò quantitas etiam eâ ratione, eoque modo quantitatis, qui necessarius est ad organa constituenda, inter quæ requiritur raritas in quibusdam partibus; in aliis densitas, putà in osse soliditas, in venis, cerebro, corde, & carne raritas maior. At corpus Christi in Sanctissimo Sacramento esse viuum, est de fide.

ASSERO secundò, Rarefactionem primò tendere ad raritatem, quæ est formaliter qualitas. 88

PROBATVR à Sancto Bonauentura, *dist.* 14. *quæst. cit.* Quod producitur per alterationem, est qualitas. Tales sunt raritas, & densitas; quarum altera per calefactionem, altera per frigefactionem producuntur: Ergo. Est argumentum etiam Arist. 3. *Physicorum*, *text.* 86.

DICES Aristoteles, *cap. de qualitate in Prædicamentis*, negat, raritatem, & densitatem esse qualitates. & 5. *Metaph. text.* 19. inter qualitates eas non ponit.

RESPONDETVR Aristotelem 7. *Physicorum*, *cap.* 2. *sent.* 11. & 2. *de partibus animalium, cap.* 1. eas numerare inter qualitates; sed quia habent etiam alias rationes, putà extensionis, sub his rationibus eas non numerat inter qualitates, sed collocat, vel in Prædicamento *Situs*, vt dicunt ordinem ad locum; vel in Prædicamento *Quantitatis*, quatenùs acquisitionem, aut amissionem alicuius accidentis Quantitatis dicunt.

DIFFICVLTAS est, quo pacto corpus rarefactum occupet maiorem locum, cùm anteà minor locus esset ei adæquatus, neque addita sit noua quantitas, vt dixi suprà: Sanè non potest vnum corpus esse in locis aliis, vltra adæquatum, vt ostendi *Tract.*4. *disp.*9. *quæst.* 3. & *Tract.* 5. *disp.* 11. *quæstione* 3. Similiter arduum est perceptu, quo pa-

cto partes corporis in condensatione reducantur ad minorem locum absque penetratione. Mirum, quot responsa hac de re circumferantur. Vide Mastrium *disp.* 4. *quæst.* 5.

COMPLVTENSES dicunt, eo modo fieri, quo papyrus inuoluitur, & explicatur.

IOANNES à Sancto Thoma respondet, quod indiuisibilia inadæquatè afficiunt partes, & ideò per additionem indiuisibilium partes extenduntur.

NON vult eruditus hic vir, vt putat Mastrius, indiuisibilia extendere corpus; sed, veluti emissis partibus proportionalibus extendi. Quod dicunt etiam Hurtadus, Auersa, Arcsius, & alij.

MASTRIVS, & Bellutus, *num.* 48. vt nodum soluant, confugiunt ad simile in quantitate successiua motus, in quo, modò magnæ, modò paruæ motus portiones, eadem temporis duratione, transiliunt. Hoc sanè non è sola extensione mobilis euenit, sed ex virtute motrice, ex applicatione, &c. Ita igitur quantitas permanens quæ est ratio essendi in loco, dilataturque & restringitur, non est ratio præcisa talis effectûs, sed euenit etiam è vario temperamento corporis; vnde est corpus durum, vel molle, spissum, vel rarum. Sicut igitur idem motus in eadem magnitudine factus coëxistit modò maiori tempori, modò minori ob diuersitatem virtutis motiuæ: ita potest idem corpus eadem quantitate coexistere, modò maiori, modò minori loco ob diuersitatem temperiei, & aliorum concurrentium ad rarefactionem, & condensationem.

89 AD difficultatem igitur respondent, in rarefactione non poni corpus in pluribus locis, sed in maiori: nec in condensatione penetrari, sed solùm poni in loco minori per sui replicationem, neque vnam partem occupare locum alterius; alioqui non omnes essent densatæ, sed singulas arctari ad minus spatium; sicuti idem motus velocior fit eodem tempore, neque tamen plures partes sunt simul: Similiter corpus idem rarefactum, aiunt extendi ad maiorem locum per extensionem partium acquirendo nouum locum, sed non retinere priorem, nec duo æqualia, sed maiorem extensione acquirere, sicuti eædem partes motus extenduntur.

PROFECTÒ hi plicantes papyros, & paginas explicantes, fatentur meritò, id sibi esse arcanum, vt ait Poncius *in Append. Apologiæ, num.* 116. Dicere enim, corpus palmare, habens locum palmarem adæquatum, posse per rarefactionem acquirere locum bipalmarem, est repetere arcanum, non reuelare: Similitudo autem motus est æquè obscura, nec resoluit difficultatem assimilatam: nam non est idem motus, sed distinctus numero substantialiter; & specie accidentaliter, velox, & tardus: At quantitas hic eadem numero permanet in magno loco, quæ erat in paruo, & è contrà. Similiter & tempus est omninò distinctum: nam tempus hoc in singulis est motibus proprium, vt dixi *Tract.* 5. *disput.* 14. *quæst.* 3. extrinsecum verò alias partes inæquales in primo mobili numerantes habet: Atque locus in casu nostro est diuersus: ibi autem idem remanet.

TANTI mysterij reuelatio meritò Seraphico est reuelata: Rarefactio enim, vt ait, non mutat partes quantitatis in aliquo essentiali; neque in passione propria, sed in accidentibus productis per alterationem factam in substantiæ accidentibus, resul-
90 tantibus è tali temperamento elementorum; Etenim magis frigida, & sicca, densiora sunt; magis calida, & sicca rariora, quia partes à frigore densantur, & à siccitate indurantur, terra dominante; sicuti à calore dissipantur, & additâ siccitate disperduntur. Raritas igitur est qualitas resultans è partibus corporis ab inuicem recedentibus, medio aliquo corpore se insinuante, putà aëre, in locum, quem aliquæ partes relinquunt recedentes, etsi non se discontinuantes ex omni parte. Quantitas igitur, quæ adhærens substantiæ, sequitur naturam eius; simul cum partibus corporis ad loca alia partialia, virtute alterantis, putà caloris, abit, primum locum partialem deserens, cui succedit aliquid tenue simplex, putà aër; vel mixtum, putà humor, vt disserit Sanctus Doctor, *loco primò relato, quæstione præcedenti.* Quare nec timendum, ne plura loca adæquata occupet, vt constat. Hic modus aliorum non patitur difficultates, vt ait Poncius, & hoc experimur, dum rarefacta ad se redeunt euaporato aëre, &c.

SIMILITER Philosophantes de condensatione, quâ, constringente frigore, partes magis inuicem contiguæ fiunt, recedentibus intermediis particulis aëris, humoris, &c. vnde totum stabiliùs fit.

Tanta molis erat per rarum reddere densum.

Ita nec in condensatione vna pars ingreditur locum alterius; nec in rarefactione nouum locum, maiorem adæquato, obtinet, sed partibus veluti spongiosis viam aperit, intermedio subtiliori. Annuit Scot. 4. *distinct.* 12. *quæst.* 4. Ponc. *disput.* 26. *numero* 47. Arriaga, *disput.* 26. *num.* 191. cum Nominalibus.

OBICIT Fuliensis Vnde nam eueniant ea corpuscula? quo pacto se insinuant? & dum se insinuant, nonnè rarefactio iam facta est? Tandem elementa rarefiunt, nec talia corpuscula admittunt, aut habent.

DICO, singula elementa comprimere partes cum partibus, & eas expandere adeò, vt rariores fiant, replentibus rarioribus sinus propriâ subtiliatâ substantiâ: Sæpè verò & extraneæ subtiles particulæ se insinuant; vt aëris ambientis in aquam calefactam.

QVÆSTIO VI.

An Corpus paruum possit fieri magnum absque additione materiæ. & absque rarefactione.

D. Bonau. in 2. dist. 30. art. 3. quæst. 1. in corpore.

HANC quæstionem ferè dissoluimus, *Tract.* 8. *disp.* 3. *part.* 3. vbi vidimus corpus Euæ è sola costa Adæ conditum absque nouæ materiæ additione, & absque rarefactione: Ibi etiam D. Bonauenturam allegaui. Sic Magister 2. *dist.* 18. Lyran. *ad* 2. *Genes.* & alij contra D. Thom. *p. p. quæst.* 92. *art.* 3. Scot. *dist.* 18. *quæst. vnic.* Mastr. *disput.* 4. *quæstione* 3. Ioannes à Sancto Thoma, *loco citato, D. Thom.* Colleg. & alij. 91

ASSERO affirmatiuè cum Diuo Bonauentura, ibi adducto, & hic *in margine*, & infrà *in argumentis*, & dicam etiam *parte* 3. *disputationis*, *quæstione* 2.

PROBATVR à Diuo Bonauentura *in* 2. *distinctione* 18. *quæstione* 2. *fundamento* 2. & 5. duplici Authoritate Scripturæ, altera Genesis, vbi Deus profi

profitetur, se ex costa sola Adæ ædificasse Euam, ait enim: *Tulit igitur Dominus Deus costam, quam sumpserat de Adam, & ædificauit eam in mulierem*; vbi notandum, solam costam asseri, ex qua ædificatum est corpus Euæ: Alterum exemplum est *Ioan. 6.* vbi Christus dicitur satiasse turbam illam copiosam ex quinque panibus, & duobus piscibus: ergo absque additione materiæ hæc facta sunt, alioqui dicere debuisset, de illa alia materia addita, quæ multò maior naturaliter esse debuit, fabricasse Euam; & satiasse turbas. Eadem habet *in 2. dist. 30. artic. 3. quæstione 1. in corpore, & fundamento quarto.*

RESPONDET Suarez *libro 3. de hominis creatione, cap. 2. numero 12.* ex proximo aëre Deum nouam sumpsisse materiam, vel ex terra: Ad instantiam respondet, dici factum corpus è costa, quia hæc fuit fundamentum fabricæ. Ita respondet *numero 13.* D. Thomas, *p. p. quæstione 92. artic. 3. ad primum*, ait; Nouam illam materiam fuisse creatam de nouo.

91 CONTRA arguit Diuus Bonauentura, *loco citato*, quia falsò diceretur Deus, ædificasse costam in mulierem, vel costa *in recto*, ædificata in mulierem; si alia maior materia fuisset assumpta, quin imò illa potius fuisset fundamentum fabricæ; non verò Costa.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, *quæstione citata, disput. 18.* Is qui omnipotens valet facere quod maius; potest & id, quod minus est, eiusque habet ideam: Sed Deus in creatrice virtute, & essentia, habet Ideam mundi producendi ample è nihilo: Ergo & extendendi corpus absq; noua materia, vel rarefactione; id enim quid est minus, vt patet. Confirmatur, non enim est ibi implicantia contradictionis; quod si sit, ostendatur: Sane magnū, & paruum sunt in potentia obedientiali materiæ: Confirmatur secundò: potest enim Deus idem corpus in pluribus locis collocare; in quibus omnibus multiplicabit extensiones adæquatas in loco absque rarefactione, vel materiæ additione; obsecro, cur nequeat Deus extendere idem corpus ad ea plura loca continuata?

RESPONDET Ruuius, *primo, de Gener. cap. 5. quæst 3. num. 170.* esse in potentia materiæ recipere maiores dimensiones, media quantitate; à quantitate verò oriuntur maiores dimensiones, si vel noua addatur, vel antiqua rarefiat, nec alio modo fieri posse; & ita solùm his duobus modis valent à Deo produci, & non alio medio, sicut non potest producere album, nisi media albedine. Ad confirmationem ait, Posse Deum ponere vnum corpus in pluribus locis, non verò facere, quod intendimus; quia maior separatio partium corporis inter se, includitur in esse rarefacti, quod formaliter connotatur in esse materiali; atque adeò intrinsecè includitur, sicut corpus includitur in esse albi.

93 ENIM verò non benè loquitur; nam collocatio corporis eiusdem in sexcentis locis, occupabit 600. loca suæ superficiei adæquata, omninò disiuncta; putà si ponitur Brixiæ, Veronæ, Vincentiæ, Patauij, Venetiis, &c. idem corpus hominis; Sicuti idem corpus Christi est in Cœlo, & fuit simul in via Damasci, & poterat esse etiam alibi. Iam si idem corpus hominis extendatur ad triginta palmos absque rarefactione, non fiet aliud, quàm extendi ad locum triginta palmorum; addendo extensionem maiorem localem, quæ est accidens merum, separabile à quantitate; atque adeò cùm possit Deus accidentia separabilia producere, nisi sint de ratione formali alterius; cur non poterit partes corporeas sine rarefactione extendere ad locum ampliorem, esto sit maior separatio partium etiam in naturali rarefactione corporis: Esto extensio includatur in esse etiam rato connotatiuè, seu connotetur à tali esse rarefacto: At simpliciter separatio illa, quæ fieret à Deo, non fieret per rarefactionem, ac proinde petitur principium, dum dicitur, connotatum rarefactionis requiri in alio modo supernaturali extensionis, qui non est rarefactio. Nec est simile de corpore albo; album enim est tale per accidens albedinis, quæ vna est numero ad albificandum, & hic est eius effectus formalis; at extensio pluribus à causis potest venire. Præterea (demptâ informatione) non negabo efficientiæ Dei album reddere aliquod corpus efficienter, & non per albedinem. 94
Proh Deum inopem, si modis naturalissimis, infimis alligaretur! plurima autem potest Deus facere, quæ homo nequit intelligere, cùm infinitis modis vnum valeat producere, & efficere; nisi includatur imperfectio, vel contradictio in tali productione. Quòd si Deus id tantum posset facere, quod nos comprehendimus, iam potentia Dei admodum esset limitata, cùm non transcenderet nostram capacitatem finitam. At *non est impossibile apud Deum omne verbum*, vt sæpè iniungit S. Bonau. *in suis quæstionibus, ex 1. Luce.*

PROBATVR etiam à Diuo Bonauentura, *in 2. dist. actione 30. articulo 3. quæstione 1. argument. 1.* Ex Hugone de Sancto Victore, *libro 1. de Sacrament. capite vltimo*, (id enim supra naturam tantùm fieri asserit, vt monet ibi Seraphicus Doctor, *in resp. & in corpore*) vt dicam *p art. 3. disputationis, quæst. 3.*

OBIICIES primò cum Ruuio, & aliis D. August. 10. *de Genes. capite 26.* vltimò ait: *Quid autem absurdius, quàm putare vllum esse corpus, manente natura suæ quantitate, quod vndique crescat, nisi rarefiat?*

RESPONDET Sanctus Bonauentura, Diuum Augustinum ibi agere contra Tertullianum, qui volebat, animam corpoream ex paruulo semine crescere cum corpore, non additione nouâ, sed extensione, sicuti massa metalli percussione extenditur, & fit maior, non additione metalli, & hoc naturaliter fieri, sicut corpus naturaliter crescit: At Diuus Augustinus absonum putat, animam esse 95
corpus, & extendi ex vna parte, nisi restringatur in alia, sicut naturaliter videmus metalli massam, dum fabri malleo ex vna parte percutitur, & crescit; decrescere ex alia, vel augeri latitudine, dùm tantum crassitudine minuitur: Similiter absonum credit massam corpoream, nullâ additâ materiâ, vndique crescere naturaliter, nisi rarescat. Hinc infert: *Quomodò igitur implebit anima ex illa stilla seminis magnitudinem corporis; quod animat, si & ipsa corpus est; cuius substantia nullo accessu crescat? Quomodo vnquam implebit carnem, quam viuificat, nisi tantò rarior fuerit, quantò grandius, quod animauerit?* supponit igitur, animam naturaliter talem esse, sicut supponit de corpore; non autem quod Diuina dextera id non valeat. Percipiant ergo, posse Deum ex atomo orbem condere, qui illum è nihilo fecit.

QVÆRES: An Accrementum à Decremento; & Raritas à Densitate differant positiuè.

RESPONDETVR, differre priuatiuè; nam decrementum est ad priuationem alterius prioris quantitatis: Similiter condensatio ad maiorem extensionem per conspissationem, & in hoc soluatur, Ita

Ruuius

Ruuius, *primo de Gener. capite 5. quæstione 10.* Colleg. 4. *Physicorum, quæstione 2.articulo 2.* Fonseca 5. *Metaph. cap.13.quæst.9. sectione 4.* Distinguuntur ergo specie, non positiuè; sed sicut generatio, & corruptio. Ita Ruuius, *quæstione 11.* & alij.



PARS III.

De Potentia Generativa.



QVÆSTIO I.

Quid sit Generatio *viuentium.*

96 De Generatione egi *Tract. 5. disput. 18.* Iam verò de sola viuentium Generatione agimus; de qua Diuus Bonauentura, *in primo, dist.9.* quæ definitur ibi à Seraphico, quæst. 1. *Est productio similis in natura à principio coniuncto per suæ substantiæ communicationem.* Eodem ferè modo definitur à D. Thoma, *p.p. quæst.27. art.2.* Ex qua definitione liquet, obiectum generationis esse prolem, similem in specie: Hanc definitionem explicat D.Th. *4. cont. Gent. cap. 11.* Quantò aliquid est perfectius, tantò est ei intrinseca generatio, ideò, quia Deus infinitè est perfectus, intrinsecum adeò habet generare, vt generatio sit ipse Deus formaliter, & Filius productus est sanè distincta persona, tamen manet in generante totus: At inanimata, circa res extrinsecus agendo, gignunt; animata verò aliquid sanè distinctum numero à se producunt, communicando partem substantiæ suæ; (in quibus duobus à generatione Diuina deuiant; in qua est eadem numero essentia Generantis, & Geniti, & Generans totam communicat substantiam) non producunt tamen ex aliena substantia, sed ex propria; siue sit semen, siue aliquid, loco seminis, vt in plantis. Gignunt autem simile ex vi generationis, non per accidens, vt euenit in generatione vermis ex superfluitatibus alterius viuentis. Idem habet Seraphicus Doctor, *in primo, dist. 9. quæst. 1. & sequentibus.* Vide Ruuium *secundo, de Anima, cap.4. quæst.4.*

De Generatione, asserit Aristoteles, *2. de Anima, cap.4. text. 34.* esse opus viuentibus inter cætera naturalissimum; & ideò est magnæ perfectionis; quia, quod intenditur, & appetitur à natura est bonum; & quod magis appetitur, est magis bonum, atque adeò perfectum; sed generatio maximè intenditur à natura, & meritò, quia finem nobilissimum intendit, qui est conseruatio speciei, ac bonii communis perpetuatio, quod bono particulari conseruationis indiuidui, intentæ per nutritionem,
97 & augmentationem intenditur, *ex 1. Eth. cap. 2.* vt notat Diuus Bonau. *quæst. 1. dist. 9. fundam. 3.* & Aristoteles, *loco citato.* Deinde Generatio est finis Nutritionis, & Accretionis; nutritur enim animal, & crescit, vt ad perfectum statum perueniens, opera perfecta faciat, inter quæ est generatio sui similis ex Aristotele, *4. Meteor.cap.3.* & *2.de Anima, text. 49.* & patet: Finis enim arboris est fructus. Consentiunt Seraphico Commentatores Aristotelis, apud Suarez, *libro 2. de Anima, capite 8. numero 4.* Opus verò generationis ideò est naturalissimum, quia natura intensiuè, vehementissimè in illud inclinat, licèt non extensiuè, idest in pluribus: Sic exponunt Paulus Venetus *loco citato* Aristotelis, & Caiet.

At Diuus Thomas, *ad textum Aristotelis, 2. de Anima,* & *p. p. quæst. 38. art. 2.* naturalissimum credit esse viuentibus generare, quia hoc est commune omnibus ferè substantiis naturalibus, etiam inanimatis, & ideò est opus commune naturæ.

Obiicit Suarez, etiam Nutritiua intendit speciem conseruare.

Respondetur, non intendere per se primò conseruationem speciei; sed indiuidui, vt notat Ruuius *loco cit. numero 81.* vbi, laudatâ nostrâ expositione, addit *numero 8.* aliam à se excogitatam, Quomodo naturalissimum, atque adeo perfectissimum sit viuentibus generare: Nobilissimum enim est bono perfecto se diffundere, atque communicare aliis quantum potest; ita, vt bonum non communicatum, vel saltem non potens se communicare, quasi sterile, & imperfectum meritò censeatur iuxta id, quod dixit Deus Isa. 66. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* sed certum quoque est, viuens non posse communicare aliis maximum bonum vitæ, nisi per generationem: quia per nutritionem, non se communicat aliis. Ideò generatio, per quam diffundit bonum vitæ, communicans illud cæteris, perfectissimum opus naturale est omnium, quæ potest habere anima vegetatiua, & ideò naturalissimum. Hæc hausit è Sancto Bonauentura, *in primo, distinct. 9. quæst. 1.* 98



QVÆSTIO II.

Quo ordine fiat Generatio.

Hunc tradit Seraphicus Doctor, cum D. Augustino *libro 83. qq. quæstione 56.* sic dicens, *ad cap. 2. Ioannis.* In primis sex diebus, lactis quasi habet similitudinem; sequentibus nouem vertitur in sanguinem; duodecim diebus solidatur, reliquis diebus formatur vsque ad perfecta lineamenta.

Suppono, fieri successiuè organizationem fœtus, eaque perfectâ, & non ante animari, vt dixi *disputatione prima, quæstione 14.* Sic enim, & in plantis videmus successiuè formationem: Similiter & in artefactis, quæ naturam imitantur; & ratio est, quia virtus seminis est finita, ac proinde nequit suum effectum subitò producere. 99

Volunt igitur Aristoteles, & Auicenna, primò formari Cor, fontem vitæ. Galenus verò cum Hippocrate, quos Medici sequuntur, aiunt, primò formari Hepar, & ab Hepate ad Cor, à corde ad Cerebrum procedi, tum simul fieri membra reliqua, his principalibus deseruientia. Idem censet D. Bonauent. *serm. 2. de Sancta Agnete, serm. 2. de vno Confess. serm. 2. de Sancto Laurentio,* & aliis locis, vt ostendi, *Tractatu octauo, disputatione 5. quæst.27.*

Suppono cum Seraphico Doctore, *3.p. Centil. sect.22. & 25.* & *libro 2. Compendij Theol. cap. 31.* &

& passim, triplicem dari in viuentibus virtutem. Prima est naturalis, seu nutritiua. Secunda vitalis, quæ in motu pulsuum ad dispertiendos spiritus destinatur. Tertia est sensitiua. Prima ex Galeno sedet in Hepate. Secunda in Corde. Tertia in Cerebro. Prima est imperfectior, quàm secunda; & secunda, quàm tertia. At è D. Bonauent. Prima est in Corde, vt dixi hîc *p.p. quæst.* 3.

PROBATVR ergo à Suarez opinio Galeni *lib.* 2. *de Anima, cap.*8. *num.* 3. Natura procedit ab imperfecto ad perfectum; sed Hepar est imperfectius, & quasi fundamentum aliorum membrorum; Cor verò medium; Cerebrum autem rationem vltimi habet: Ergo &c. Hippocrates ita se vidisse testatur, *lib. de natura infantis*, in muliere, quæ fœtum emisit, fabrefacto Hepate solo.

100 HÆC tamen ratio videtur deficere; nam processus naturæ est perfectissimus; optimus autem modus fabricandi corpus, est, vt constituto vno membro principali, statim exerceat sua opera vitæ vt vitaliter fiat processus ad alia membra, qui modus in Plantis apparet manifestè; sed membrum principale vitæ est Cor: Ergo. Maior est Suarez *loc. cit. num.* 5. Minor est Aristotelis: Fallitur autem Suarez putans, primum necessarium ad opera vitæ esse Hepar: nam infans in vtero matris per Vmbilicum exugit ab Hepate matris alimentum iam concoctum sanguinis, non autem Chylum, atque adeò eget primò corde ad perficiendum sanguinem, & ledem animæ constituendam; sanguis enim formatur in Hepate, vt ait Suar. *lib.* 2. *cap.*9. *num.*6. Deinde, si primò animatur Hepar, quomodò in prima concoctione sua, quæ est sanguinis, subministrata per venas Cordi, inuenit Cor animatum ad purificationem sanguinis? Quod si ab imperfectis natura incipit: Ergo primo pedes, & manus intexit.

PRÆTEREA si priùs animatur Hepar: deinde pòst, tempore, Cor informatur aliâ animâ, id est sensitiua, vt ait Suar. *num.*5. *&* 6. Quomodò corpus Christi in primo instanti animatum illis animabus, fuit assumptum à Verbo? Si enim assumptum, est animatum illis animabus, sequitur dimisisse illas animas, postquam eas assumpserat. Si autem assumpsit corpus, animatum simul anima rationali, & aliis; implicat, duas vegetatiuas, & duas sensitiuas animas ponere assumptas. Si verò assumptio fuit facta postea: Ergo corpus Christi non in instanti substantialiter, sed decursu temporis est organizatum, & animatum, contra Sanctos Patres, quos *tertia parte* referam, *tract. de Incarnatione, disp.*29. *quæst.* 3.

101 SVAREZ *num.*7. descendit ad opinionem D. Bonauent. inuitus; ait enim, membra principalia, id est, Hepar, Cor, & Cerebrum, eodem instanti informari anima perfecta.

PROBATVR ab ipso, ratione D. Bonau. allatâ, *disp.* 1. *quæst.*14. quia Anima est actus corporis organici. Ergo requirit organizationem iam perfectam, vt informet. Enim verò, cùm hæc sit definitio, omni animæ conueniens, debet concedere, Hepar, Cor, & Cerebrum, nullâ animâ informari ante perfectam organizationem; sed, per te, perfecta organizatio est simul: Ergo. Confirmatur; nam Anima non est actus vnius organi, sed corporis organici, pluribus organis constituti: Ergo, etiamsi demus, Hepar priùs elaboratum, quàm Cor, aut Cerebrum, non informabitur tamen animâ, antequam organizatum sit totum corpus.

QVÆSTIO III.

An per GENERATIONEM *aliquid Patris transeat in Filium.*

D. Bonau. in 2. d. 30. art. 3. quæst. 1.
D. Th. p. p. q. 119. art. 2.

HÆc quæstio includit eam: An semen, quod transfunditur ad fœtum efformandum, sit tantùm aliquid superfluum ex alimento; non aliquid de veritate humanæ naturæ.

QVÆSTIO igitur in forma est hæc: An semen, quo fit generatio, sit substantia traducta ab Adam, & aliis Progenitoribus: An verò sit ex alimento concocta.

PRIMA opinio est Magistri *in* 2. *dist.* 30. totum 102 semen transfusum, quo Proles gignitur, esse à Primo Parente deriuatum; atque adeò nihil intrinsecum, ex alimento emulsum, transire in prolem. Quomodò autem tantula materia adeò multiplicata sit, variæ sunt opiniones. Aliqui enim dicunt, fieri à Deo miraculis absque nouæ materiæ additione, sicut multiplicauit panes in deserto; & costam Adæ ad formandam Euam: Alij fieri virtute corporum cœlestium: Alij volunt, id fieri naturaliter.

SECVNDA opinio est, Totum id, quod transit per generationem in prolem, esse ab Extrinseco emulsum è superfluitate alimenti necessarij, ad conseruationem indiuidui. Ita D. Thom. *loc. cit.* Albert. *tract. de Animalibus, tract.* 5. *&* 6. Sotanus Ephesius *in Isagoge, cap.*16. Scot. *in* 2. *distinct.*20. *quæst.*2. Durand. *dist.* 30. *quæst.* 3. Maior *dist.* 13. *quæst.*6. Bassolius *dist.* 33. *quæst. vnica, art.* 3. Abulens. *in cap.* 4. *Exodi, quæst.*24. Et plurimi Medici cum Galeno, *lib.* 2. *de Semine, cap.*4. post Pythagoram apud Plutarchum, *lib.* 5. *de placitis Philosophorum, cap.* 3. Ruuius tandem 2. *de Anima, cap.* 4. *quæst.* 3. *num.*56. Fauent. *in* 2. *disp.* 11. Suar. *lib.* 2. *de Anima, cap.* 10. & *cap.*12. *num.*9. Videtur Aristotelis, 1. *de Gener. Animalium, cap.*17. *&* 18.

TERTIA opinio media, est D. Bonauen. Semen, quo fit propagatio, non esse ex solo alimenti superfluo, sed ex humido aliquo, etiam radicali. Vult igitur Adamum transmisisse ad filios aliquid radicale sui, & illud augmentatum ex additione Humidi alimentalis in Caïno, Seth, &c. Caïnum verò, & Seth transmisisse aliquid de illo radicali, quod sparsum erat in toto corpore, & hoc mixtum cum alio fuisse, & infectum successiuè; sicuti si 103 quis in massa pastæ ponat fermentum, tota commaculatur: & si hæc in alia maiori, eam commaculat, & hæc alias fermentat. Vide Diuum Bonauenturam.

ASSERO primò, Materiam Generationis non esse totam decisam ex Adam.

PROBATVR à D. Bonauent. quia euidens est, non fuisse tot Atomos in primo semine, deciso ex Adam, quot homines progeniti sunt.

QVONIAM verò respondent aduersarij, multiplicatum esse vno ex tribus modis, suprà dictis.

ARGVIT primò ad probandum, hanc multiplicationem non esse factam miraculosè. Hunc verò modum dicendi, & cæteros sibi contrarios impugnat sensu, ratione, & authoritate.

PRIMÒ

Primò enim, sensu videmus sic hominem ex homine generari; sicut asinum ex asino, & plantam ex planta: Si igitur alia viuentia producuntur ex materia addita, & sensus noster non fallitur; idem erit dicendum de corpore humano.

Ratione etiam repugnat illa opinio, non enim est generatio naturalis, nisi ea, quæ fit à natura: Si ergo generatio hominis est miraculum, subministrata à Deo materia, non est vera generatio.

Avthoritate item refellitur S. Augustini, *decimo super Genes. ad litt. cap. 20. & 21. Tomo 3.* ait: *Nos fuimus in Adam secundùm corpulentam substantiam, & secundùm seminalem rationem: At Christus solùm secundùm corpulentam substantiam.* Quod si corpora nostra deducerentur ex Adam, miraculo supra naturam; iam non essemus in eo secundùm rationem seminalem, quia vis seminalis dicit vim actiuam. Ideò enim & Christus non contraxit originariam labem, quia non deriuatus est seminaliter ex Adam, sed mirè, agente Spiritu Sancto: vnde, etiamsi non fuisset Deus, adhuc non contraxisset culpam, si eò tantùm miraculo esset con-
104 ceptus, vt notat Fauentinus *in 3. disputatione 11. post Diuum Bonauenturam, in 3.* vt dicam *3. part.* & D. Thom. hic, *ad 4.*

Contra secundum modum dicentium, hanc multiplicationem fieri virtute corporis cœlestis, quod in corpore humano dominatur, possit quippè corpus luminosum in se ipso lumen multiplicare.

Ipse sensus huic modo obuiat. Nullum enim corpus cœleste multiplicat lumen in se, sed in externo.

Ratio est, quia multiplicatio per virtutem creatam, est ab aliquo simili actiuo; si ergo formæ tantùm est augere, & forma non assimilatur materiæ, sed alteri formæ, impossibile est aliquid multiplicari per virtutem creatam, quantùm ad materiam.

Avthoritas etiam repugnat, quia lumen egrediens à corpore luminoso, corpus non est, nec habet in se materiam, vt aiunt Sancti Patres, relati *disput. 1. Tractatûs 5.*

Tandem visum est *Trac. 5. disp. 1. quæst. 2. & disp. 2. quæst. 1. & disp. 3. quæst. 1.* Corpora omnia mixta, præcipuè humanum, non è natura cœlesti; sed ex elementis esse conflata.

Contra tertium modum, qui ponit, hanc multiplicationem fieri virtute materiæ, & formæ, eò quòd materia non sit extensa in se, sed ratione formæ: vnde quantula ponatur materia in aliquo corpore, potest amplè extendi, si daretur agens imprimens formam requirentem tantam extensionem: Similiter & forma habet virtutem multiplicandi sibi simile, sic è paruulo semine oriuntur segetes segetum; syluæ syluarum; populi populorum, vt dicit D. Augustinus, *libro de vera Religione, cap. 42. Tomo 1.*

Contra, quia huic modo sensus repugnat: Si enim in his, quæ generantur, incrementum fieret per multiplicationem, absque additamento, tunc mundus iste esset multò maior, quàm fuerit à principio, & visibiliter cresceret quotidie: Non enim posset dici, quòd per resolutionem decem grana frumenti aeducantur in vnum.

Ratio etiam pugnat, quia materia non est subiectum transmutationis alterius, nisi sub aliquo esse. Vnde, etsi materia corporalium per intellectum abstrahi possit a forma corporum, nunquam tamen per virtutem alicuius creaturæ potest expoliari omni extensione, & formâ corporeâ. Ideò sæpè D. Augustinus ait: Impossibile esse ex corpore fieri 105
Spiritum. Ita super *Genes. ad litt.* & *libro de immortalitate animæ*; Si igitur hæc materia sub tali esse statum habet, & determinationem in sua extensione, vltrà quam, natura non potest producere; quia, vt ait Aristoteles, *2. de Anima*, text. 36. & 41. *Omnium natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti.* Sequitur, impossibile esse, aliquam rem corpoream augeri absque sui rarefactione, vel alterius appositione: intellige naturaliter (ait D. Bonauentura.)

Avthoritas etiam obuiat Hugonis de Sancto Victore, *libro 1. de Sacramentis, part. 6. capite vltimo.* Vbi talem multiplicationem soli Deo possibilem ait: Confirmatur ex Diuo Augustino, *decimo, super Genes. ad litt. cap. 24. & 26.*

Assero secundò, materiam generationis non esse totam ex superfluo alimenti, contra secundam sententiam.

Probatvr primò à Diuo Bonauentura, *in corpore* experimento sensus, quia videmus prolem sæpè assimilari Auo, Proauo, Atauo, & Antè natis: ergo videtur, quod de illis sit aliquid traductum. Deinde videmus hominem ex frequentia actuum venereorum attenuari, & mori. Videtur ergo, in semine emisso non esse sola superfluitas alimenti; sed etiam aliquid radicalis virtutis; & ita proles non solùm est de superfluitate alimenti; sed etiam de veritate generantis.

Respondet D. Thom. *ad 2.* quòd assimilatio geniti ad generantem non fit propter materiam; sed propter formam agentis, quod generat sibi simile; quare, vt aliquis assimiletur Auo, non oportet, vt materia corporalis seminis fuerit in Auo; sed quod sit in semine aliqua virtus deriuata ab anima Aui, mediante Patre.

Pace S. Doctoris: Virtus assimilatiua huic magis, quàm illi, non potest esse ab anima, quia non fit assimilatio secundùm animam in prolineatione membrorum; quia anima non operatur, nisi secundùm id quod assimilat, quod est proportionatum assimilato; hoc autem est corpus.

Præterea animæ omnes nostræ, secundùm 106
D. Thomam *22. quæstione 5. articulo 4. ad 3.* & *3. parte, quæstione 69. art. 4. ad 3.* sunt æqualis capacitatis, & diuersitas venit ex diuersitate corporum, quia sunt eiusdem naturæ: Tunc sic. Virtus assimilatiua huic magis, quàm alteri, & multò magis virtus assimilatiua pulchriori, & perfectiori cæteris, non venit ex anima; sed ex corpore; sed hæc virtus est à forma: Ergo in corpore est forma corporeitatis, per quam traducitur illa proportio membrorum, & lineamentorum.

Probatvr secundò à Diuo Bonauentura, *in corpore.* Alimentum corporis generantis sæpè est ex carnibus bouis, vel porci, & similium. Si igitur semen esset de superfluo alimenti, homo genitus ex semine, maiorem affinitatem haberet cum boue, & porco, quàm cum patre, & aliis consanguineis, & ita omnis consanguinitas tolleretur.

Respondet Diuus Thomas; Affinitatem non attendi secundùm naturam; sed magis secundùm deriuationem formæ.

Contra: nam consanguinitas sonat corporis vicinitatem; de qua dantur etiam multi gradus, etiam inter eos, qui non deriuantur ab inuicem, vt inter fratres, consobrinos, nepotes, & patruos; vt arguit D. Bonau. *fundamento 5.*

Probatvr tertiò à Diuo Bonauentura ibi.

Ex

Ex D. Augustino 10. *super Genes. ad locum citatum, cap.* 20. habetur, Quod omnes fuimus in Adam secundùm corpulentam substantiam, & secundùm seminalem rationem, & quod maius est, Apostolus ait, Romanos 5. *Omnes in Adam peccauerunt*, &
107 ad Heb. 7. *Leui in Lumbis erat Abrahæ; quando decimatus est*, si autem semen, ex quo gignimur, esset ex superfluo alimenti; non esset generatio, nec cognatio vera: nam generatio viuentis est productio de sua substantia: nec possent verificari supradicta testimonia; non enim fuissemus in Adam secundùm geminos modos, nec in Adam peccauissemus, nec Leui in Lumbis fuisset Abrahæ, qui fuit Atauus.

RESPONDET D. Thomas, nolle D. August. nos actu in Adam fuisse, vel seminalem astruere rationem propinquam, vel substantiam eius, vel illius recentioris hominis, sed quia vterque fuit in Adam secundùm originem; nam etiam materia corporalis, quæ ministrata est à Matre (quam vocat D. August. corpulentam substantiam) deriuatur originaliter ab Adam; & similiter virtus actiua existens in semine patris, quæ est huius hominis propinqua ratio seminalis; sed Christus dicitur fuisse in Adam secundùm corpulentam substantiam; sed non secundùm seminalem rationem, quia materia corporis eius, quæ ministrata est à Matre Virgine, deriuata est ab Adam; sed virtus actiua non est deriuata ab Adam; quia corpus eius non est formatum virtute virilis seminis: sed operatione Spiritus Sancti.

108 CONTRA: accipio totum id, quod Abraham effudit ad generationem Isaac, certum est, fuisse comparatum per se ex alimento ab ipso Abraham: Similiter materia siue sanguinis, siue seminis matris, quam materiam vocat corpulentam substantiam, certum est, comparatam fuisse à Sara in ætate adulta: Ergo non deriuatur ab Adam; nam etiam virtus actiua seminis sequitur substantiam seminis, sed semen est ex superfluo alimento Abrahæ: Ergo non protrahitur vsque ab Adam.

VRGET S. Doct. quia omnes in Adam peccauimus, & maculam in anima, quæ bona creatur à Deo, contrahimus, dum vnitur carni contaminatæ in Adam; quomodo autem contaminata est caro illa, ex qua formatus est Isaac, si tota fuit noua de superfluo alimenti, vel progenita de alimento Abrahæ?

CONFIRMATVR à Diuo Bonauentura, *fundamento secundo*, ex Diuo Anselmo, *libro de Conceptu Virginis*, *capite* 2. vbi ait: *Quia tota natura humana in illis erat, & nihil extra ipsos erat, tota infirmata est, & corrupta.*

PROBATVR quartò à Seraphico Doctore, *fundamento vltimo.* In resurrectione vnusquisque resurget in suo corpore, vt habet 19. Iob. *Scio quia in carne mea surrecturus sum.* Iam demus, Sultanum Ibrahimum, nutritum carnibus humanis, genuisse Sultanum Vssainum, qui est Magnus nunc Turcarum Imperator; si semen est ex solo alimento, cùm huius corporis alimentum sit de veritate alterius hominis vorati, redibit ad primum corpus, & ei restituetur: Ergo Sultanus Vssainus non resurget, quia non habebit corpus: Ergo oportet, vt semen etiam ex alia substantia Patris traductum sit in filium.

109 ASSERO tertio, Etiam aliquid sanè de superfluo alimenti est in semine.

PROBATVR primò à D. Bonau. *in corpore*, ex Aristotele, *lib.* 2. *de Animalibus*, *capite* 18. vbi ait: *Semen est superfluitas vltimi cibi.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. ibi, ex D. August. *lib. de vera Religione*, *cap.* 40. & *de Spiritu, cap.* 2. & 4.

PROBATVR tertiò. Omne augmentum, quod fit naturaliter, vel fit per rarefactionem, vel per additionem: si ergo omnes homines ex illo semine solo, quod ex Adam decisum fuit, geniti sunt, necesse est, illud esse auctum: Ergo hoc factum est, vel per rarefactionem, vel per additionem: Non per rarefactionem; quia nec tot atomi fuere in illo semine, quot homines fuere ex eo producti: ergo per additionem: ergo aliquid additum est extrinsecus de eo, quod ex alimentis emulsum est.

SI dicas: auctum est neutro istorum modorum, sed per multiplicationem.

CONTRA arguit ex Hugone de Sancto Victore, *lib.* 1. *de Sacram. p.* 9. *cap. vlt.* vbi ait, Talem modum multiplicandi absque additione, vel rarefactione soli Deo esse possibilem. Hoc vidimus etiam, *quæst.* 6. *partis secundæ, de Augmentatione.*

CONFIRMATVR quintò à Sancto Bonauentura: Non potest animal nutriri, nisi apponatur aliquid extrinsecum, per quod nutriatur: 110
Ergo pari ratione, nec potest augmentari, nisi addatur aliquid extrinsecum; nam augmentatio supponit nutritionem. Hâc distinctione eliduntur omnia aduersariorum argumenta: Nam argumenta Magistri probant, aliquid propagari à parentibus ex Adam, in quo, vt ait D. Anselmus, erat tota natura humana, tanquam in principio: sic saluatur lex cognationis; imò ex hoc, quod aliquid etiam extrinsecus additur, fit, vt qui vicinior est, fit magis coniunctus sanguine; & quod linea consanguinitatis aliquando terminetur, & qui magis distant à stipite, minori vinculo consanguineitatis coniungantur.

SI dicas, etiam illam partem debuisse multiplicari, quia non fuere tot atomi in illo semine, quot processere ex eo homines.

RESPONDET Sanctus Bonauentura *ad* 5. Semen etiam esse quantum mole, & esse quantum virtute; At quantitas virtutis se tenet ex parte formæ, & potest dici ratio seminalis; & hæc, cùm sit forma, est multiplicabilis: Itaque ex hoc saltem potest inducere incrementum in materiam sibi appositam. Quantitas verò molis, quamvis parua, potest tamen ita extendi, vt commisceatur valdè magnæ quantitati per eam naturam, quâ omne Corpus est diuisibile in infinitum, & sic magnæ quantitati potest commisceri & totum trahere ad naturam suam, & ex illa totali quantitate potest aliud fieri, quod non fieret de ipso semine per se, & quotquot fiant de illa totali quantitate, dicuntur facta per se: Nec tamen ibi oportet distinguere diuersas partes, ex quibus diuersa fiant in illo semine primordiali, sed solùm in proximo, pro eo, quòd illud per additionem alimenti adauctum est.

SALVATVR etiam identitas eiusdem corporis in resurrectione, quia caro secundùm speciem, non potest in alterum conuerti, siue hoc sit ob naturalem appetitum tendentiæ ad propriam animam, siue ob prouidentiam Conditoris. Resurget autem semen in genito, non in generante; nam spectat ad totam naturam geniti at in generante ad partem tantùm, & hanc ordinatam ad aliud, vnde etiam delectabilitate effusum est, vt notat

notat D. Bonau. *dist.* 20. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. Igitur ad veritatem naturæ geniti spectat. Vnde si mulier faciet abortum ante animationem, illud in nullo resurget.

Id verò, quod obiicit Magister *Matth.* 15. & *Marci* 7. Nihil transire per nutritionem in substantiam aliti, sed in secessum elabi, vnde nec posse in semen conuerti ad prolem form ndam, iam solutum est *part.* 1. *disputationis*, *quæst.* 5.

Argumenta verò D. Thomæ probant, verè aliquid etiam de superfluo alimenti impendi ad fœtum procreandum: Sic intelligendus Arist. *loc. cit.* sic Glossa, *in Luca* 11. sic D. Aug. suprà, 3. *assertione* adductus, vbi etiam alias rationes produxi. Ideò saluatur, quomodo natura delectatione effundat semen, quia est superfluum, & quia ordinata ad aliud. Vide D. Bonauenturam.

111 Ex his ferè soluta est quæstio: An semen sit animatum.

Dicendum enim erit informari anima, aliquam eius saltem partem, quæ est spiritosa (esto crassior non sit animata:) Ita Galenus, *lib. de Maras. cap.* 5. Paramatus *lib. de semine*, Zimara *ad* 2. *de Anima, text.* 43. Valesius *lib.* 2. *controu. cap.* 9. Plato *in Timæo*, Themistius 2. *de Anima*, *text.* 6. & multi Recentiores. Germanus *in Epitome librorum de Anima.* Iacobus de Forliuio *ad* 23. *Canon.* Caiet *p. p. quæst.* 118. *art.* 1. vbi ait, illud habere corpus Heterogeneum. Suarez, *lib.* 2. *de Anima*, *cap.* 12. *num.* 9. Arist. 2. *de Gener. animalium*, *cap.* 3.

Scio oppositum teneri à multis, inter quos adducitur D. Thomas *loco cit.* & 2. *contra Gentes*, *cap.* 89. & *de Potentia*, *quæst.* 3. *art.* 9. *ad nonum*, & *art.* 12. Verum D. Thomas solùm significat, formam illius seminis non esse animam in genito introducendam, vt notat Suarez, *loco citato*, *num.* 10. Citantur etiam Scotus *in* 4. *dist.* 44. *quæstione* 1. Abert. 2. *part. summa de homine*, Fernelius *lib.* 7. *suæ Philosoph. cap.* 13. Iandunus 7. *Metaph. q.* 19. Thomas, Gabr. *lib.* 1. *Tract.* 5. *quæst.* 5. Vide Ruuium 2. *de Anima, cap.* 4. *de potentiis animæ vegetatiua, num.* 59. Eustach. 3. *p. Tract.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 2.

Probatur igitur nostra sententia primò ex dictis; quia semen est de veritate naturæ humanæ ex parte.

112 Probatur secundò ex fructibus arborum, qui sunt semina, & tamen viuunt.

Respondet Ruuius *num.* 6. Fructus, vt sunt partes coniunctæ arbori, esse partes viuas, &c. at vt semina separata, non viuere.

Nobis sat est, viuere in suo subiecto; sic etiam semen animalium decisum, non amplius viuit; sed retinet virtutem organizandi sibi ingenitam. Quod enim aiunt aliqui in decisione accipere animam aliam vegetatiuam, mihi non placet; quia gratis sine fundamento effingitur; nec est necessaria ad organizandum, vt dixi *disp.* 1. *quæst.* 17.

Probatur à Ruuio, *num.* 64 quia si semen in decisione amittit animam, eam sanè amittit per corruptionem: Ergo non disponitur vt sit corpus viuens, sed vt sit cadauer.

Hæc ratio mihi non probatur; non enim semen in decisione amittit animam ex aliqua corruptione; sed ex discontinuatione; sicuti si aliquis manum abscindit. Deinde, esto ibi inueniretur aliqua corruptio, adhuc posset disponi ad vlteriorem animam; sicuti, cùm è carne vlcerata nascuntur pediculi, aut vermes.

QVÆSTIO IV.

In quo Subiecto sit Potentia Generatiua.

Aliqui dicunt virtutem generatiuam esse non in semine solo, sed in viuente toto esse virtutem seminis laboratricem. Ita Hippocrates, *libro de Genitura*, & *lib. de locis.* Albert. *in* 2. *de Anima, text.* 2. *cap.* 7. Hanc sententiam refellit Arist. 1. *de Gener. animalium, cap.* 17. & 18. Galenus sæpè. D. Thom. *p. p. quæst.* 119. *art.* 2. & *in* 2. *dist.* 30. *q.* 2. *art.* 1. D. Bon. *in* 2. *dist.* 20. *q.* 2. *fundam.* 2. Suarez, *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 7. Ruuius 2. *de Anima*, *cap.* 4. *de Potentiis Vegetatiua, q.* 3. *num.* 66. Fernel. *lib.* 3. *Physiolog. cap.* 2. Paral. *lib. de semine*, & alij ex Medicis, quos citat Vales. *lib.* 1. *Controuersiarum*, Bartholin. *lib.* 1. *cap.* 22. Vesalius *in Anatom.* 113

Probatur à Diuo Bonauentura, ex Anatomia, quâ seminis vasa distincta secernuntur: Estque argumentum validum, apud Anatomicos euidens.

Hinc deducit S. Doct. *loc. cit. in* 2. *dist.* 20. *q.* 2. *fund.* 2. etiam in statu innocentiæ futuram seminis decisionem, quia vasa illa in primis parentibus condita sunt.

Ad argumentum aduersariorum patet solutio; nam si virtus formatiua seminis est in omnibus membris, vt è singulis formetur virtuosum ad singula membra cudenda; iam semen erit paruum animal, & in singulis formabit vtriusque parentis membra; atque adeò omnes erunt Hermaphroditi.

Quæstio autem est: Quodnam præcisè sit subiectum, in quo semen formatur. Communiter testiculis adscribitur ab Anatomicis apud Bartholinum, *lib.* 1. *cap.* 22. vbi adducit Vesalium *in Anat.* Dodonæum, *obseru.* 39. Hofman. *de Gener. cap.* 18. Carpum Biolanum, & alios, qui in sectis testiculis sæpè id repererunt; Etsi aliquando serosum liquorem viderint, in quem semen resolutum forsitan erat. Hæc est sententia D. Bonauenturæ, quam probat modestè *in Diata, tit.* 6. *cap.* 2. nam *Matth.* 19. continentia suadetur sub metaphora castrationis, etenim recisis testiculis, non generatur, vt patet experimentis.

Hinc refelluntur Aristoteles, Cremoninus, Fallopius, Spighelius, Regius, Testibus officium hoc negantes; Similiter Smetius, Fontanus, Cabrolius, Hofmannus, dicentes aliquos sine testibus generasse.

Hic Anatomici solent cerebrum elambicare in assignanda causa cuiusdam suæ praxis, quam experiuntur proficuam.

Dicunt, magnum esse consensum testiculorum cum partibus superioribus; præcipuè cum Corde, cum Capite, cum instrumentis vocis. Ideò Epithemata cordialia, & refrigerantia in cordis deliquiis, in Hæmoragia, in vocis oppressione vtiliter testiculis applicant; eaque, ac si cordi aliisque partibus affectis essent applicita, plurimum iuuant. Experimur etiam, à pubertate vocem pati mutationem, vt notant etiam Musici: sed rationem adhuc emendicant, vt fatetur Neotericus Bartholinus, *loco adducto.* 114

Hippo

Hippocrates, *libro de semine* docet, testiculos conferre ad vocis confirmationem. Hinc masculi tempore pubertatis vocem mutant. Hinc vox mutatur in castratis; Equus castratus hinnitum deperdit. Capo canere desinit; aut cantum infirmiorem reddit. Rationem verò huiusce mutationis ignorat; & Bartholinuss *lib. 2. cap. 21.* cum omnibus Medicis silet.

Galenus autem omnia resoluit, ratione generali, in testibus spiritum gigni, qui per totum corpus diffunditur. Enim verò in omni morbo deberent mederi testiculis, eos temperando, Iacchinus Laurentius, & Hofmannus dicunt, id euenire ex animi affectibus, quia libidini iunguntur. Instat Bartholinus, nam Ennuchi libidinosi sunt, & iracundi.

Mercatus dicit, spiritus vberes in testibus colligi, & per corpus spargi.

Contra; nam corpora glandulosa inepta sunt ad spirituum generationem, aut viuacem eorum distributionem, vt docet Galenus, nec in testibus sunt meatus ad hoc peragendum.

Thomas à Vega, & alij dicunt, auram quandam seminalem in generatione seminis eleuari, & ad cor insinuari; hos autem spiritus esse virulentos. Sanè Tauri, Arietis, Hirci, & aliorum non castratorum carnes virus diffundunt, quod non faciunt carnes castratorum. Huic subscribit Bartholinus, donec probabilior appareat ratio.

Hoc Secretum Helmontius dominio adscribit; sicuti stomachus vtero dominatur, sed quâ viâ, nescitur.

Vueslingius hæc agnoscit ab insiti caloris in copiosa materia, quæ in semen verti debebat, oppressione. Consensum verò cum corde à neruis, & sanguinis circulatione sumit. Alios retuli *Tract.* 8. *disp. 5. quæst. 13.* confusè, & Pithio more locutos.

Qui Seraphicum legerit *in Dieta, tit. 3. cap. 4.* & *in opusc. de profectu Relig. cap. 39. & seq. libro 2. cap. 54. & seq.* & *in speculo animæ, cap. 3.* & *opusc. de modo confitendi,* & *de puritate conscientiæ, cap. 8. & 10.* videbit, eum vidisse allatas rationes, & ad medicinam contra libidinem, eas considerasse, ac melius omnibus penetrasse.

Sic autem differit: Semen è sanguine, nutritioni residuo, concoquitur in testibus ad generationem. Quod si nimium alimenti accipiatur, eâ materiâ calente replentur vasa; & superfluum expelletur; & quia è materia calenti, & spiritosa, maximè vino, fit; virus emittunt nimij caloris, & spirituum, ac materiæ incoctæ, fumantis, & ardentis ad partes superiores per venarum meatus, vt dixi *loco citato, disputatione 3. part. 1. quæst. 3.* de circulatione sanguinis. Ita hi spiritus virulenti inficiunt cor; euaporant per Tracheam ad os, vnde vox læditur adolescentum, qui incipiunt semen producere, & multum comedunt, ac bibunt: similiter per Arterias è corde exhalant virus ad caput, vbi fit inflammatio sanguinis, & Hæmoragia. Hæc verò spiritu suo inuoluit, & modestiâ obscurat Seraphicus, inferens, virus è vasis ad cor, ad linguam, ad imaginatiuam, etiam ad alios sinus cerebri in animæ, ac corporis ruinam, transuolare.

QVÆSTIO V.

An in vtroque Parente sit Potentia Generatiua Actiua.

Peruulgata est Aristotelis sententia; fœminam passiuè tantùm se habere ad viuentium Generationem, cum eo est Diuus Thomas 3. *part. quæstione 32. articulo 4.* Idem habet Philosophus *primo, de Generatione Animalium, capite 2. & 20.* & *15. de Animalibus, cap. 25. & 26.* quem carpit Bartholinus, *lib. 1. capite 26.*

Opposita fuit sententia Hippocratis, *libro de Genitura,* & *libro de animatione fœtus.* Galeni, *libro secundo de semine, capite quarto,* & omnium Medicorum, quibuscum stat Sanctus Bonauentura *in 3. distinctione 4. articulo 3. quæstione prima,* Scotus ibi, *quæstione vnica,* Suarez, *2. de Anima, capite 12. numero 2.* Collegium *primo, de Gener. capite 4. quæstione 27.* Vessalius, Vallisvitidis, Bartholinus, & cæteri Anatomici. 115

Assero, etiam fœminam actiuè concurrere ad generationem, & in ea esse potentiam generatiuam.

Probatvr primò à Seraphico Doctore, *in corpore.* Assimilatio effectus ad causam venit à forma operante, non à principio passiuo; quia agens est quod assimilat sibi passum; sed proles sæpè assimilatur magis matri: Ergo. Ratio verò, cur actio matris aliquando superet virtutem seminis virilis, assignatur ab Hippocrate, *loco citato*: quia eius semen sæpè est calidius. Hâc ratione vtitur Suarez, *num. 2.*

Probatvr secundò à Sancto Bonauentura, *in secundo, distinctione 20. quæstione secunda, fundamento secundo,* ex Anatomiâ, quâ videntur vasa seminum etiam in mulieribus: semen autem, sæpè etiam magis spiritosum inde erumpit, vt patet in similitudine. Hoc argumento vtitur Suarez, *loco citato,* & allegati Anatomici.

Probatvr validiùs, à Sancto Bonauentura, ex Diuo Damasceno, *libro tertio, de fide, capite secundo,* vbi ait: *Beatam Virginem habuisse virtutem Verbi susceptiuam, & generatiuam*: Sic etiam Ecclesia canit: *Genuit puerpera Regem*; sed generare est agere, Quod si merè passiuè se habuisset, non fuisset maior affinitas quàm limi ad Adam, aut costæ ad Euam.

Respondet Diuus Thomas, Beatam Virginem satis fuisse genitricem, passiuè se habendo; non enim fuit Pater, sed mater.

Contra: Nam Sanctus Damascenus distinguit concursum passiuum, recipiendo Verbum in corpore disposito; & actiuè generando. Quoad animalia certum est non omnia generare, vt sunt plurima, quæ ex putri fiunt materia; similiter nec perfecta semper generare. De quo plura, & facilia multi edisserunt. 116

Probatvr â Iunet. *capite quarto, quæstione quarta,* quia, si duo animalia diuersæ speciei coëant, sæpè filius similis est matri. Vide Delrium, *lib. 2. quæstione decima-quarta, disquisitionum Magicarum.*

DISPVTATIO IV.

De Anima Sensitiva.



Latior hæc Disputatio in plura Segmenta diuidetur: Primò igitur de Sensibus in genere: postmodum verò in particulari differemus.



De Sensibus In Genere.

CAPVT I.



Ordine Aristotelico, de Obiecto priùs, & de his, quæ cum Obiecto faciunt ad Sensationes, idest, de Speciebus Intentionalibus, agam.



QVÆSTIO I

An Obiectum Sensvvm *sit singulare, & quomodo.*

1 Scotvs, in opinionibus afferendis subtilior, secedens à communi loquendi vsu; singulare non esse obiectum sensuum in hac vita, sub proprio singularitatis conceptu, ait, sed solùm sub conceptu naturæ specificæ. Ita *in 2. sent. dist. 3. quæst. 21.* soluendo secundam rationem Henrici; *& in 4. dist. 45. quæst. 3. ad 3. principale*: & *in 3. dist. 10. q. 3. ad vlt. principale* respondens: & *in 7. Metaph. q. 15.* Qui bus locis docet, singulare non cognosci pro hoc statu sub conceptu proprio singularitatis, cognitione abstractiua ab intellectu. Ex quo habetur, neque à sensu percipi; nam intellectus rem percipit, vt sibi à phantasmate offertur. In terminis verò id habet *in 2. dist. 3. quæst. 1. litt. C.* & *in 1. dist. 3. q. 6.* quem sequuntur Scotistæ, ex quibus Fauent. *Theor. 87.* Cauell. *2. d. 3. q. 1.* vbi Lichetus *Canon. 1. Physs. quæst. 2. art. 1.* Trombetta *in Metaph. quæst. 6. & 7.* Anton. Andr. ibi, Mastrius *disp. 4. quæst. 3 num. 28.*

2 Attamen singulare esse obiectum sensus docet D Bonau. *in 1. d. 39. art. 1. quæst. 2. & 3. & in 2. d. 3. part. 1. quæst. penult. ad penult.* vt exponit Trigosius, *quæst. 9. articulo 3. dub. 1.* & *lib. 2. Compend. cap. 35.* D. Thom. *p. p. quæst. 12. art. 4.* & *quæst. 80. art. 1.* & *quæst. 44. art. 7. q. 85. art. 1. & 3.* & alibi, quos cæteri sequuntur, ex quibus Zimara *in adnot. in Iandun. 3. Metaph. errore 2.* impugnat Scotum.

Assero, singulare secundùm rationem singularis, percipi à sensu.

3 Probatvr à D. Bonauentura *in 2. dist. 3. part. 1. art. 2. quæst. 2. ad penultimum*, ex illo Aristotelis Axiomate apud omnes trito, *primo Poster. text. 45.* vbi in hoc distinguitur sensus, ab intellectu, quòd sensus est solùm singularium; at intellectus est etiam vniuersalium. Hâc authoritate vtitur Zimar. *loco citato*: Confirmatur à Diuo Bonauentura *in 2. distinctione 8. p. p. quæst. vlt. ad 4.* ex Boetio, idem asserente.

Respondet Fauentinus, *capite 2.* & Mastrius *loco citato*, eatenus sensum non esse vniuersalium; quia quod à sensu cognoscitur, non cognoscitur sub conditionibus vniuersalibus.

Contra arguo ex Diuo Bonauentura, *loco citato*, & *libro 2. Compend. Theol. cap. 34. & 35.* Quia tunc nulla esset differentia inter obiectum Sensûs, & Intellectûs, quia Intellectus est circa vniuersale. Confirmatur ex Aristot. 1. *Metaph.* vbi ait: *Cognitiones singularium esse maximè proprias sensuum.* & 2. de anima, ait: *Dum singulare sentitur, vniuersale intelligitur*, vt refert S. Doctor, *loco citato*, & *lib. de somno, & vigilia*, ait: *Sentire, est ipsius singularis.*

Respondet Fauent. ex Scoto *in quodlibet. quæst. 13. art. 2.* Potentias disparatas habere obiecta diuersa: Sic obiectum Visûs est diuersus ab obiecto Auditûs, &c. at potentias subordinatas, quales sunt Sensus, & Intellectus, non habere obiecta diuersa, sed eadem; ita tamen, vt potentia superior percipiat aliquid, quod non percipit inferior: Sic igitur sensus, & intellectus percipiunt singulare; sed intellectus percipit sub ratione magis vniuersali. Igitur Aristoteles non vult, quòd singularitas sit obiectum sensuum; sed vult notare, quòd singularitas est conditio agentis; quia obiectum non mouet sensum, nisi, vt est in singulari aliquo, & indiuiduo. 4

Contra est expressè Aristoteles. Id, quod propriè est obiectum, non est mera conditio; sed singulare est maximè propriè obiectum, provt distinguitur ab vniuersali; vt habet Aristoteles *allegatis locis*: Ergo singulare, vt singulare, differens ab vniuersali, est proprium obiectum intellectus; sed differt ab vniuersali per singularitatem: Ergo hæc est ratio obiecti; non autem conditio *sine qua non*, vt ait Fauent. *loco cit.* ita & Anton. Andr. 1. *Metaph. quæst. 8.*

Probatvr secundò. Illud formaliter sentitur, quod repræsentatur per phantasmata, ex Scoto, locis primò adductis, & Fauent. *Theor. 86.* sed phantasma repræsentat solùm singulare ex Scoto, *in primo, distinctione 6. quæst. 3.* & Fauent. *Theor. 79. cap. 4.* Ergo. 5

Dicet Faber, repræsentare singulare sub conceptu solùm naturæ specificæ, & vniuersalis: Ita *Theor. 86.*

Contra arguo. Nulla eadem species est per se repræsentatiua obiecti sub oppositis rationibus: ratio singularis, & ratio vniuersalis sunt oppositæ rationes: Ergo phantasma non potest repræsentare obiectum sub ratione singularis, & sub ratione vniuersalis: at repræsentat obiectum per se sub ratione singularis; Ergo non potest repræsentare idem obiectum sub ratione vniuersalis.

Hoc totum argumentum est Scoti *in primo, distinctione 3. quæstione 6.* & Fauentinus, *Theor. 79. cap. 4.* ad litteram; & apertè deducitur ex S. Bonau. *locis adductis.*

Si dicas, eandem speciem sub alio, & alio lumine, repræsentare obiectum, sub alia etiam, & alia ratione. 6

Contra; quia lumen phantasmatis, seu speciei est vnum; est enim à sensu eodem. Vrgeo. Vt phantasma repræsentet vniuersale, debet in se continere naturam vniuersalem virtualiter; sed phantasma est singulare hoc modo, nullo

nullo autem pacto includit naturam vniuersalem: ergo non potest eam repræsentare. Totum argumentum est Fabri, *loco citato*.

Si dicas, phantasma repræsentare singulare, vt alligatum accidentibus, quæ simul nequeunt alteri conuenire; non autem singulare, quoad substantiale indiuidui, vt videtur responsio Fabri hic.

Contra. Indiuiduum includit in se naturam, & quidditatem, non absolutè; sed contractam; ita, vt vnam tantùm portionem singularem includat: Ergo phantasma, quod repræsentat singulare, *verbi gratiâ*, Socratem, non potest repræsentare naturam, & quidditatem vniuersalem, quia illa non est in Socrate, ex natura rei; sed ab intellectu agente efformatur. Hoc est argumentum Fauentini *Theor. 79. cap. 4.*

Obiiciunt primò Faber, & Scotus. Potentia cognoscens aliquod obiectum sub ratione singularitatis, potest illud distinguere à quolibet alio distincto numero: sed sensus id non valet: Ergo. Minor probatur; quia non potest distinguere radios Solis, qui sunt distincti numero. Confirmatur; nam si Deus ponat duas albedines in vno pariete, non poterit eas distinguere. Hoc argumentum efficacissimum acclamat Meldula.

Respondetur; Visum, & alios sensus, discernere indiuidua, cuius signum est, quod Sensus conuertitur ad hoc, *verbi gratiâ*, coloratum, magis quàm ad illud: & ad hoc pulchrum, non ad aliud. Quod verò non distinguat radios Solis, est; quia à vehementi sensibili læditur: Similiter, nec omnes cernet albedines positas supernaturaliter à Deo; quia sunt extra ordinem naturalis distinctionis, quæ est obiectum naturale sensûs: Sufficit igitur Sensui, vt feratur in obiectum, debitâ proportione positum, medio non impedito, & potentiâ non malâ affectâ; vt notat Sanctus Bonauentura, *in secundo, distinctione octaua, parte secunda, articulo primo, quæstione tertia*, explicans illud Aristotelis effatum, de sensu, & sensibili: *Sensus circa obiectum proprium non fallitur.* Quando igitur est aliquod impedimentum, non est mirum, si sensus non percipiat; tale est in vehementi sensibili Solis, & in duabus albedinibus: Sicuti cùm Cingari corrigiolam inuoluunt; at verò certum est, positis certis proportionibus, indiuidua, sub ratione singulari, percipi; vt vidimus.

8 Opinio verò Scoti prætendit, nunquam sentiri, vt patet locis adductis. Ipse verò arguit ex duobus singularibus, vt colligat vniuersalem assertionem; quod est vanum. Hoc idem de intellectu currit; vt notat D. Bonau. *in 2. dist. 3. part. 1. art. 2. quæst. 2. ad penultimum.*

Obiiciunt secundò, Scotus *in 2. dist. 24. quæst. 1. ad 2.* & Fauent. hic, *cap. 1.* si singularitas esset obiectum sensuum, tot essent obiecta, quot singularia; sed vnusquisque sensus solùm habet vnum obiectum: ergo. Probatur sequela; nam sensus distinguuntur per obiecta: ergo obiectum debet esse aliquid commune vniuersale, in quo omnia singularia conueniant.

Respondetur, vnum esse obiectum, in quo conueniunt indiuidua, idest, coloratum esse, vel luminosum; At sensus non præcisè coloratum, sed hoc, & illud percipit; sicuti etiam intellectus habet pro obiecto ens, & tamen percipit hoc, & illud, & si ratio Scoti est valida: erunt tot obiecta intellectus, quot sunt entia; sic etiam per singularia colligitur, hunc non esse obiectum illius; *verb. grat.* sonum obiectum Visus: Et per hoc patet *ad tertium* Fabri.

Obiiciunt vltimò: Sicut se habet potentia materiæ, respectu formarum eiusdem rationis, ita potentia cognoscitiua, respectu obiectorum eiusdem generis erit vna, non numero, sed genere: ergo potentia sensitiua respectu obiectorum eiusdem generis erit vna, non numero; sed genere, illis obiectis respondens: Obiectum ergo non erit aliquid vnum numero.

Respondeo, Argmentum esse pro me: vna est, enim potentia materiæ remota, attamen secundum diuersas dispositiones ad singulas formas tendit: ita etiam potentia sensitiua.

Collige; obiectum sensuum esse sensibilia; pro cuiusq; potentiæ varietate diuersa, quæ in singulari percipiuntur: Sic obiecta sensuum internorum sunt quidquid sensibus externis percipitur, perfectiore tamen ratione.

Probatur à Scoto, *quæst. 13. in quodl. art. 3.* atque Fabro, *Theor. 87. cap. 1.* sensus communis, & sensus particularis sunt potentiæ subordinatæ singulæ cognitiuæ: Ergo habent obiecta subordinata, vt superior percipiat, quidquid percipit inferior: Est ratio D. Bonauenturæ, *3. part. Centiloq. sect. 20.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm Obiectum Sensvvm *distinguatur in Sensibile proprium, commune, & per accidens.*

Hæc est diuisio Aristotelis, *2. de Anima, cap. 5. & 6.* repartientis obiectum sensuum, quod est sensibile. Eum imitatur D. Bonau. *Tom. 7. in Itinerario mentis in Deum, cap. 2.* & communiter Philosophi: Sensibile proprium est, quod est proprium obiectum vnius tantùm sensus, alios eiusdem ordinis excludens, potest enim ab alio superiori sentiri; sic color, qui est obiectum visus potest sentiri etiam à sensu communi: Ea verò enumerat S. Doct. *loc. cit.* vbi Colorem, & Lucem ait esse obiectum Visus; sonum Auditus; Odorem Olfactus; Saporem Gustus: Et quatuor qualitates obiectum Tactus: Similiter obiectum proprium vnius sensus, imprimit propriam speciem, & sentitur per se ab vno sensu inter multos eiusdem ordinis; potest tamen sentiri per accidens ab alio. 10

Est autem sensibile per accidens, quod sensum non immutat; sed tantùm cognoscitur per immutationem alterius obiecti, cui coniungitur. Hoc modo, substantia corporea, est per accidens sensibilis; quia sui speciem ipsa in sensum non imprimit; coniungitur tamen sensibilibus, quæ imprimunt: Est autem necesse ad hoc, vt aliquid sit sensibile per accidens, vt non modo coniunctum sit sensibile per se; sed, vt ex vi sensationis, per se ipsum sentiatur: Sic albedo, *v.g.* quia immutat sensum non in abstracto; sed in subiecto; ideò per accidens subiectum sentitur. Ita D. Bon. *ad cap. 1. Ecclesiast.* & *in 4.* vbi de potentia Corporis Christi in Eucharistia agit. 11

Neqve verò necesse est, sensibile per accidens distinctè cognosci ab eo sensu, à quo per accidens sentiri dicitur; sed sufficit, vt ex vi cognitionis sensus vnius, statim quippiam aliud cognoscatur ab eodem sentiente: Sic dulcedo lactis dicitur per accidens sensibilis visui; non quia ab ipso visu perci-

percipiatur; sed quia eâ albedine visa, statim cognoscit tunc coniunctam illi esse dulcedinem; oportet tamen hoc fieri ex vi sensationis, non per discursum. Vnde, licèt Deus ex sensibilibus effectibus cognosci queat, non tamen dicetur per accidens sensibilis.

SENSIBILE COMMVNE est, quod à pluribus sensibus percipitur per se. Quomodo autem inter sensibilia per se numeretur, disputant multi: Percipi verò illud omnes concedunt; vt notat Seraphicus Doctor *in Itinerario*, *c.* 2. & *in* 4. *dist.* 12. *p.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. Bellarminus, *de Eucharistia*, *libro primo*, *capite* 14. & *libro* 3. *capite* 24. *ad primum.*

12 QVIDAM enim putant, sensibile commune, dici sensibile per se, respectu interioris sensus, qui communis appellari solet, in quem proprias species imprimit, cum tamen in externos nullam imprimat. Ita Commentator 2, *de Anima*, *text.* 65. Apollin. *quæstione* 18. & Perspectiui aliqui, vt Aliac. *in* 2. *sua Perspectiua*, Vitell. *libro* 4. *Opt.* Cirnellus, *libro primo*, *capite* 6. *concil.* 3. Aliqui tamen Auerroistæ ita explicant: Dici sensibile commune; non quia per se percipiatur à sensu communi interno, sed quia percipitur à sensu, vt habet naturam sensus cum aliis communem, *verbi gratiâ*, à visu, vt sensus est. In primo tamen sensu, opinio est falsa; nam sensus internus species recipit mediis externis. Præterea euidens est, sensibilia communia ab Aristotele nominata, cognosci exteriori sensu. Hæc verò sunt Numerus, Magnitudo, Figura, Quies & Motus; vt notat Diuus Bonauentura, *loco citato*, & post eum Suarez *libro* 3. *de Anima*, *capite* 8. *numero* 3. Ruuius, 2. *de Anima*, *capite* 6. *de obiectis*, *quæstione* 11. *numero* 34. Tolet. 2. *de Anima*, *quæstione* 14.

IN vltimo etiam sensu est falsa; quia Visus, & Tactus soli percipiunt figuram; si autem eam perciperent, quatenùs sunt sensus; cur etiam ab aliis, *verb. grat.* Olfactu, Gustu, & Auditu, qui sunt sensus, non perciperetur?

ALII verò dicunt, sensibile commune imprimere sensui externo propriam speciem, se repræsentantem, & hanc esse distinctam à specie proprij sensibilis. Citantur Scotus *in* 4. *distinctione* 11. *quæst.* 3. *ad* 2. Gandau. 2. *de Anima*, *quæstione* 17. Ægidius, *eodem libro*, *ad text.* 65. *dub.* 2. Iand. *quæstione* 18. Ruuius 2. *de Anima. quæstione* 32. Philat. *ad text.* 5. Merin. *disp.* 6. *quæstione* 3. Cathar. *quæstione* 3. *articulo* 4. Villauer. *capite* 5. *quæstione* 5. Rabesan. *disp.* 4. *quæst.* 5. Rocch. *quæst.* 32.

13 ALII dicunt, sensibile commune, eadem specie sensibilis propriæ, per se videri; ita vt sensibile proprium producat speciem, quoad entitatem; sensibile verò commune addat ei modum, vt, *verb. grat.* color in corpore sphærico videtur à visu; & sanè, vt color, producit speciem; at figura illa addit modum, quo color aliter sensum visus afficiat, quam si esset in quadrato. Ita Diuus Thomas, *p. p. quæstione* 17. *articulo* 2. & *quæstione* 78. *articulo* 3. *ad* 2. Caiet. Iauellus, quos adducunt, & sequuntur Suarez, *loco citato*, *à numero* 5. Toletus, *loco citato*, & Ruuius, *numero* 137. adducens etiam Bannem, Philopon. S. Thomam Thiennensem, Venetum, *capite* 11. *secundi*, *de Anima*, Ferrar. *capite* 6. & alios. Inclinat Scot. 4. *distinctione* 49. *quæstione* 3. Mastr. *disp.* 4. *quæstione* 5. Ponciu*s disput.* 2. *quæstione* 9. Complut. *disp.* 9. Eustach. 3. *part. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 3. Fuliens. 3. *Physic. cap.* 4. *art.* 2. At Cauellus *ad quæst.* 6. est anceps.

ALII verò, de quibusdam sensibilibus asserunt, ea producere propriam speciem: Sic Caietanus, 2. *de Anima*, *capite* 6. Iauellus, *quæstione* 24. Arriaga *disp.* 4. *sectione* 1. qui de sola Vbicatione hoc concedit. Auersa *quæstione* 52. *sectione* 4. id admittit de sensibus communibus, in ordine ad Tactum, si essent à propriis separati.

ABIECTA primâ opinione, videtur mihi secunda probabilior ad mentem D. Bonauenturæ, *in* 4. *distinctione* 49. *articulo* 3. *quæstione* 2. *argumento* 3. *addito responso*, & *Itinerario*, *capite* 2. vbi videtur arridere, & *in* 2. *distinct.* 2. *part.* 2. *quæst.* 1. 14

ASSERO, Sensibile commune emittere propriam speciem.

PROBATVR à D. Bonauentura, *loco citato*. Ea, quæ possunt per se, separatim ab omni alio sensibili, percipi, emittunt propriam speciem; sed Magnitudo, Numerus, & Figura sunt huiusmodi: Ergo. Maior est clara. Minor probatur: Si quis tangat corpus cœleste, fieret sensatio illa per Tactum, vt luce clarius est; sed Cœlum nullum habet sensibile proprium Tactus, quia caret omninò qualitate tangibili, quæ ex elementis fit: Ergo solùm sentiretur Magnitudo, & Figura eius, quæ sunt sensibilia communia, quod fatetur Caucel. 2. *de Anima*, *capite* 6.

RESPONDENT Complutenses, in Cœlo sentiendas qualitates tangibiles, duritiem, mollitiemve, si sunt liquidi; hæ etenim non modò è primis elementorum qualitatibus oriuntur.

CONTRA: separentur istæ à Deo, adhuc sentietur magnitudo, quod frustrà supponunt falsum, vt ait Poncius, *numero* 92. Ideò respondet, magnitudinem, quâ parte est impenetrabilis, esse proprium sensibile tactus: Esto magnitudo, vt dicit extensionem partium extra partes, sit sensibile, commune Tactui, Visui, & Auditui.

AT subtilitas hæc arguta retunditur. Concedit ergo, hâc ratione, experimentum. Ita sensibile commune absque proprio, immittere speciem. Addo, & sub ratione impenetrabilis, esse visui commune: Sic video pluuiam non penetrare Tecta, globum è bellico tormento excussum arma non peruadere & sexcenta alia; sic videns per Cœlos solidos saxum non descendere, hoc discernit absque discursu. 15

RESPONDET Ruuius *loco citato*, *numero* 144. cum Scoto, & Mastrio, negando experientiam: quia nequit obiectum secundarium percipi, sine primario. Secundò: quia Sensibile commune pertinet ad obiectum sensuum solummodò, in quantum determinat, & modificat proprium; & ideò nec species ratione suæ entitatis ipsum repræsentat, sed solum moraliter: Infert igitur, quòd manus tangens Cœlum, non sentiret eius quantitatem, sed tantùm ratione impenetrabilitatis Cœli sentiret se non posse vlterius progredi, quod si niteretur peruadere Cœlum, sentiret repelli manum, & dolorem in brachio sine aliqua impressione qualitatis à Cœlo, vel sine distemperatione.

HÆc tamen responsio nil premit: nam obiectum sensibile commune, non est obiectum secundarium, sed primarium, nec merum modum addit speciei, vt ostendi, cùm per se moueat potentiam: At esto esset modus; certum est habere suam speciem: nam qualitates tangibiles aliam impressionem faciunt in corpore sphærico: aliam in quadrato. Aliam impressionem facit coloratum, vt stat: aliam, vt mouetur, & non merum modum, vt putat Toler. Confirmant Rocch. & Rabes. Si manus tangat Pomum eodem 16

dem gradu calidum; sentit figuram, non calorem, & album motum mox quiescere. Sed non probant, quia primum per molle, durum, & alia propria sentiri potest: alterum per calores, &c. Bonum est autem exemplum cæli; nam sentit solam superficiem, ab eaque repellit manum. Similiter, si gyraret circum, sentiret Sphœram repellentem: Ergo sentiret figuram. Similiter si vnum cælum postea penetraret, quod sisteret, & aliam superficiem contiguam tangeret, sentiret aliud corpus moueri; hoc verò stare, vt luce clariùs constat: Similiter sentiret numerum stellarum, si ab vna ad aliam euolans, oculis clausis circumduceretur; Ideò sentiret omnia sensibilia communia, & nullum proprium. His quid clarius?

Obiiciunt primò Ruuius *num.* 140. Suarez, *num.* 8. Toletus *concl.* 1. Sensus non percipit formas abstractas, sed in concreto, vt visus non albedinem sentit; sed hoc, vel illud album; quia calor sine quanto, est indiuisibilis, quod etiam Aristoteles docet de sensu, *cap.* 6. vbi ait: *Sensus coniunctior est, ac singularium sensibilium perceptiuus est; non ipsarum formarum.* Hinc habemus, sensibile proprium cum communi imprimere vnicam speciem, cùm sint inseparabiliter coniuncta.

17 Respondetur primò, retorquendo argumentum. Id, quod est ratio sentiendi aliud, est obiectum magis per se, & primarium: sed per vos quantitas est ratio sentiendi obiecta peculiaria Visus: Ergo quantitas est obiectum primum per se. Tunc sic: obiectum per se primum mouet sensum, sua propria specie, per Ruuium suprà, & alios. Sed quantitas, ex concessis, est obiectum per seipsum: Ergo.

Respondetur secundò, tametsi sensibile commune plerumque sit simul inseparabiliter cum proprio; attamen habet distinctam entitatem sensibilem; nam si esset vna entitas sensibilis, *verb. gratia.* Coloris, & Magnitudinis, ea ratione, qua tactus percipit Magnitudinem, perciperet etiam Colorem. Enim verò sæpè separantur, vt dixi suprà. Adde, esse falsum, Sensibile commune, & proprium vniri inseparabiliter, vt dixi; quippè in cœlis est sensibile commune sine proprio: Itidem posset Deus sensibilia propria, puta qualitates, à quantitate separare; sicuti separat quantitatem à substantia in Eucharistia; & eas qualitates modo indiuisibili ponere, sicuti ponit in Sanctissimo colores, odorem corporis Christi, &c. An verò tunc sentirentur, de hoc erit quæstio sequens. Dicere autem tunc non fore sensibiles, est circulus.

Obiicit secundò Suarez. Sensibile commune; & proprium non conueniunt in vna ratione sensibilis: Ergo non potest vtrumque immutare sensum per propriam sui speciem. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia vna potentia solùm potest immutari ab vna ratione obiecti, per quam distinguitur ab aliis potentiis, vt ait Poncius, *num.* 90.

18 Respondetur, negando Consequentiam; nam vna potentia immutari potest ab vna ratione formali obiecti; ita vt sub illa ratione ab alio sensu non immutetur: non enim ab obiecto materiali specificatur potentia, sed à formali, vt docet D. Bonauent. *locis adductis, dist.* 2. *quæst.* 5. Iam verò Magnitudo, vt visibilis, non percipitur ab alio, quàm à visu: sub hac igitur ratione continetur inter obiecta Visus, licet sub alia ratione, vt tangibilis, *verb. grat.* sit obiectum Tactus; nec mirum, eandem rem sub diuersis rationibus, diuersas respicere potentias, vel habitus. Sic etiam Magnitudo, vt mensuralis, est obiectum Mathematicæ; vt visibilis, Perspectiuæ. Obiectum igitur specificans visiuam potentiam non est color, sed visibile. Vnde negatur & antecedens, prout assumitur.

Obiicit secundò. Si sensibile commune efficit propriam sui speciem; vel efficit eam eiusdem rationis in omnibus sensibus, vel diuersæ. Si primum, quomodò varij sensus possunt actuari speciebus eiusdem rationis. Si secundum; quomodo idem sensibile multiplicabit species diuersas, cùm sit idem, eodem agens modo.

Respondetur, sensibile commune, vt dixi, mouere diuersis speciebus diuersos sensus; agit enim diuersis modis, *verb. grat.* vt est tangibile, per speciem Tactus; vt est visibile, per speciem visiuam, &c. Sicut enim sensibilia communia sunt entia magis de necessitate naturæ; ita plures habent operationes.

Obiicit tertiò. Sensibile commune, & proprium vno actu sentiuntur: Ergo per vnam speciem; hanc autem imprimit sensibile proprium. Antecedens primum probatur: Nam, quando video hominem ambulantem, vno actu video hominem, & deambulantem.

Respondetur, diuersis actibus sentiri sensibile proprium, & commune, cuius signum est, 19
quod sæpè vnum ex eis perseuero sentire, & cesso ab alio; vt cùm homo deambulans mox quiescit; video adhuc hominem, & non ampliùs deambulantem. Signum ergo est vnam speciem manere, & aliam euanescere, atque adeò esse duas realiter distinctas.

Obiicit quartò Toletus. Sequeretur, Quantum absque colore posse mouere sensus. Probatur Sequela: Si sunt duæ species, & non vna per alteram, quamvis separentur, adhuc mouebunt.

Respondetur primò, concedendo sequelam, vt ostendi experimento cæli. Idem esset, si esset corpus in aëre Sphœricum, à quo Deus auferret colorem.

Respondetur secundò, retorquendo argumentum. Si Color emittit speciem, & non per quantitatem: Ergo, etiamsi separetur à quantitate per Dei potentiam, videbitur, quod est falsum; nam erit indiuisibile, vt dicam *quæstione sequenti.*

Obiicit quintò Toletus. Dicant mihi isti; quæ species à numero exit, distincta à speciebus propriis; & quæ à motu? quæ à quiete? Profectò, non est inuenire. A multitudine enim quomodò vna species simplex erit, & à motu vna species permanens, & à quiete; quæ priuatio est, vna positiua? Vanum est ergo id affirmare.

Dicam libenter, hanc speciem esse numeri, vt 20
visibilis est. Sicut igitur species plurium albedinum recipitur in oculo; ita etiam plurium distinctorum numero corporum; quia albedo non spectat ad obiectum proprium visus, vt est vna, vel plures numero, hoc verò ampliùs discernitur specie nona, siue simplex sit, siue pluribus vnitatibus, nihil refert. Similiter species motus non est permanens, nisi vt repræsentatum obiectum præsens est, & quia videtur moueri, vt est adhuc præsens, ideò eâ specie permanente videtur, nec vllum inuenio in hoc nodum.

Ad vltimum dico, non sentiri quietem, vt est priuatio motus formaliter, sed tantùm materialiter, vt dicit permanentiam in eodem situ; & ita circa tale obiectum elicit potentia actum, & ab ea

recipit speciem, vt sui immemor fatetur Toletus *quæst. sequenti, cap. 15.*

Tandem videns Mastrius, arduum esse explicare, quo pacto sensibile commune possit modificare speciem sensibilis proprij; nam iste modus, vel est eiusdem rationis in omnibus sensibus, vel diuersis; adhæret Auersæ, dicendo, speciem propriam repræsentari cum omnibus affectionibus communibus, & propriis.

An verò materiæ priuationes cadant sub obiecto sensus; Dico cum Diuo Bonauentura *in 2. dist. 21. part. 2. quæst. 3.* priuationes proprij obiecti per accidens percipi, vt tenebras ab oculo, silentium ab aure: At quies non est priuatio obiecti proprij, nec est mera priuatio, vt dixi.

Priuationes quidem obiectorum sensibilium, non afficiunt potentiam, nec circa eas elicitur actus, sed suspenditur. Sic auris non audit silentium, nec oculus videt tenebras. Hoc autem est signum, eas non spectare ad obiectum; nam potentia circa obiectum operatur, eliciendo actum.

At verò priuationes, spectantes ad obiectum intellectus, & voluntatis, obiecti rationem obtinent. Nolle enim malum aliquando, est aliquid positiuum. Vnde, & priuatiua ab intellectu cognosci est certum: Et D. Bonauent. *in primo dist. 45. artic. 1. quæst. 1.* ait, Etiam malum ad obiectum voluntatis spectare. Vide etiam Vasquez, *p. p. disp. 61. cap. 1.* Sed de hoc *disp. 9. quæst. 12.*

21 Circa numerum sensibilium communium scias à Perspectiuis poni decem, & nouem. Ita Vitellius *lib. 3.* initio. Videntur enim Æquale, Inæquale, Simile, dissimile, Maius, & Minus, esse obiecta communia sensibilia. Videmus enim Canem, visa ossa maiori, relinquere minorem; Equum relinquere viam asperam, & per planam incedere. Similiter Vnitas ponitur ab Aristotele *2. de Anima, text. 33.* inter sensibilia communia. Et *de sensu, cap. 4.* nominantur Obtusum, Acutum, Asperum, & Leue.

22 Scias per Magnitudinem intelligi molem, & corpulentiam rei, vt dicam *quæst. sequenti.* Per figuram, eam, quæ corporibus naturalibus inest. Per Numerum, rerum discontinuationem, non vt est mensura rerum numeratarum; sic enim solus homo numerat, vt docet Aristoteles, *sec. 30. problem. quæst. 5.* vbi petit: *Quare homini sit danda fides?* Respondet: *quia solus scit, inter omnia, numerare; & solus Deum veneratur.* Numeris opponitur vnitas, quæ est obiectum sensus, quatenus dicit continuationem habere; tamen reducitur ad numerum: Per quietem intelligitur rei consistentia in eodem situ: Per motum, recessus à situ; & hæc materialiter tantùm percipiuntur à sensu.

Iam verò sensibilia communia non omninò omnibus sensibus sunt communia, sed aliqua tantùm. Figura enim visu, & ferè tactu solis percipitur. Numerus ab omnibus: Motus, & Quies visu, & tactu percipiuntur; Similiter etiam auditu, qui sentit approximationem, & elongationem. Olfactus etiam percipit idem. Similiter gustu percipimus Motum seu extensionem saporis per partes linguæ. Magnitudo ab omnibus percipitur; à visu tamen, & tactu perfectiùs; cùm enim omnia sensibilia propria in magnitudine sint; atque adeò magnitudo sit de ratione omnium sensibilium, non possunt immutari, nisi per magnitudinem; vt docet Tolet. *2. de Anima, cap. 6. quæst. 15.* post. D. Bonauent. *in 4. dist. 10. art. 2. quæst. 2. in corpore.*

QVÆSTIO III.

An Sensibile *proprium absque quantitate percipi queat.*

Primò quidem Recentiores nonnulli asserunt, 23
sensibilia habere sine quantitatis extensione extrinseca, propriam intrinsecam, quæ habent proprias partes indiuisibilibus copulatas, & distinctis partibus spatij correspondentes; licèt non coextensas eidem spatio, nec partes eius occupantes, ratione cuius extensionis, vna entitas dicitur maior, vel minor alterá, vel æqualis, prout habet plures maiores, vel æquales partes aliquotas; has autem partes, cùm eas habeat à se, docent posse sentiri sine quantitate saltem, vt commune sensibile, cùm habeat intrinsecam extensionem, quæ est sensibile commune: externam verò extensionem, quam accipit à quantitate, dicunt non esse sensibile commune.

Cæteri verò vnicam sensibilem extensionem, & hanc à quantitate agnoscentes, aiunt, sensibilia quantitate denudata, manere inextensa indiuisibilia. Hoc igitur supposito, diuiduntur.

Prima opinio est; Sensibile expoliatum quantitate, ac indiuisibile redditum, naturaliter videri, nisi impediatur visio eius: ex quo inducunt, corpus Christi sanctissimum in Eucharistia videndum, nisi ad meritum fidei impediremur. Ita Ocham *in 4. dist. 18. quæst. 5. art. 3.* Maior *quæst. 5.* eam probabilem censet Gabriel, *lec. 45. in Canonem.*

Secunda opinio negat, proprium sensibile 24
sub modo indiuisibili existens, videri posse, benè tamen per absolutam Dei potentiam. Ita videtur D. Thom. *in 4. distinct. 10. quæst. vnic. art. 4. quæst. 1.* præsertim *ad 2.* & *p. p. quæst. 76. artic. 7. ad 2.* Alens. 4. *part. quæst. 10. m. 7. art. 3. §. 8.* Soto, *in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 7.* & habetur *in summa Victoria, verbo Eucharistia, num. 61.* citatur à Fabro, *loco citando*, etiam D. Bonau. & Valdensis, sed sicut Ruuius, *2. de Anima, cap. 6. tract. de obiectis, & speciebus, quæst. 12. num. 148.* notat, immeritò adducitur; eam verò sequuntur plurimi Recentiorum.

Tertia opinio ait; implicare, sensibile proprium sub modo indiuisibili videri, atque adeò per nullam potentiam id fieri posse. Ita Richard. *in 3. dist. 10. art. 5. quæst. 2.* Paludanus & Capreolus, *parte vltima,* Hispal. *quæst. 1. artic. 3. ad 6. contra 5. Concl.* Suarez *in 3. part. Tom. 3. disputat. 53. sec. 4.* Ruuius, *loc. cit.* & Diuus Bonauentura *locis citandis.*

Qvarta sententia est; posse quidem sensibile sub modo indiuisibili per Dei potentiam videri, non tamen reduplicatiuè, vt sub illo modo, ita, vt modus ipse videatur, quia modus indiuisibilis, non est visibilis. Ita Scotus *in 4. dist. 10. quæst. §. Ad quæstionem dico.* Fauent. *in 4. dist. 44. num. 5.*

Assero, per nullam potentiam posse corpus 25
Christi, vel aliud, modo indiuisibili existens, videri.

Probatvr primò à Sancto Doctore *in 4. dist. 10. quæst. vlt. fund. 2.* quo vtuntur Authores tertiæ sententiæ, relati à Fauentino *num. 4.* & adhibetur à Ruuio *num. 155.* Omnis potentia ita est commensurata suo obiecto, vt manens eadem, nequeat per quamlibet potentiam extra illud egredi

ad

ad obiectum ordinis superioris: sed obiectum sensitiuum est corpus extensum; at corpus Christi habet in Eucharistia modum essendi supra spiritum: Ergo. Maior probatur, quia virtus à potentia, & potentia ab essentia manat toto conatu, & hæc specificatur per actus, & obiecta, ideóque non potest variari obiectum, cui est proposita talis potentia, in tali ordine, nisi varietur ratio intrinseca potentiæ, & essentia eius; sicuti non potest variari sensibilitas, & extendi ad spiritum percipiendum, quin nouus addatur gradus cognitionis, qui sit ordinis superioris. Maior probatur quoad priorem partem à D. Bonauent. quia obiectum debet organo commisceri; at organa omnia sunt necessariò extensa (nisi substantialiter mutentur,) ideò, vt immutentur ab obiecto, debent esse extensa, & vt obiectum ea immutet, debet esse extensum. Quoad alteram partem probatur; nam corpus Christi existit etiam secundùm accidentia ad inuisibilem modum substantiæ, quæ per se non est visibilis, sed solùm per accidentia. Imò existit ibi ad modum substantiæ separatæ. Patet, quia nihil habet cum substantia corporea, secundùm modum præsentiæ, commune; cùm solùm diffinitiuè sit in loco. Iam verò, sicuti non potest oculus corporeus per quamvis potentiam eleuari ad videndum spiritum, vt ostendi *Tract.* 1. *disp.* 11. *quæst.* 7. ita nec potest eleuari ad videndam substantiam indiuisibilem; quia est obiectum improportionatum.

Respondent Scotus, & Faber *loc. cit.* non posse quidem talem substantiam videri cum modo indiuisibili, posse tamen Deum causare in oculo glorioso speciem corporis Christi, licèt illud corpus non esset vnquam, nisi in Euchatistia.

26 At verò, si vult dicere posse causari speciem in oculo, quæ repræsentet corpus Christi formaliter in Eucharistia, falsum dicit; quia, vt ipsi fatentur, est improportionatum obiectum potentiæ. Si verò volunt dicere, posse Deum imprimere speciem corporis Christi extensam, iam non erit species corporis Christi formaliter repræsentans illud in Eucharistia, sed modo, quo esset extra, vtique naturali. Vnde apparet vana distinctio Scoti, quam Fauentinus, *num.* 2. meliorem cæteris acclamat.

27 Prætere a non potest videri sensibile secundùm modum indiuisibilem, nisi viso modo indiuisibili. Talis autem modus non est visibilis, vt ipsi fatentur. Maior patet; non enim potest videri corpus album, nisi visa albedine; vel corpus habens figuram, nisi visa figura, vt notat Ruuius, *numero* 157.

Confirmatvr à Sancto Doctore *in corpore*, vbi resolutio quæstionum semper est attendenda. Id, quod est de ratione intrinseca sensatorum, nequit auferri; sed de eorum ratione est quantitas: Ergo. Maior est manifesta, alioqui sexcentæ inducentur implicantiæ, *verb. grat.* Leonem fieri rationalem, & tamen manere brutum: Plantam manere plantam cum sua essentia, & fieri Ouem; aut mutatâ essentiâ, manere plantam, & Leonem. Minor probatur; quia sensus debet coniungi cum obiecto per contentum; At inter organum, & obiectum indiuisibile nullus esse potest, vt videmus: Ergo.

Confirmatvr à D. Bonauent. *fund.* 3. quia si Beatus sumeret corpus Christi, non posset sentire saporem carnis; ergo nec videre. Antecedens patet: nam sapor est qualitas, quæ debet commensurari corpori affecto; at ipsa est indiuisibilis; ergo non potest extendi ad aliquam partem organi.

Probatvr tertiò à Sancto Doctore, *fundamento vltimo.* Vbi duæ magnitudines videntur æqualiter distantes, maior magnitudo secundùm Perspectiuam apparet sub angulo maiori. Visio enim 28 fit secundùm pyramidem, cuius basis est in obiecto, & directio radiosa terminat Pyramidalem cuspidem in pupillam. Cùm ergo corpus Christi maius sit ista specie Sacramentali; si intra hanc vides maiorem magnitudinem, nempè corpus Christi procerum, iam maior angulus est intra minorem. Sed hoc non potest fieri, nisi fiat tale miraculum; vt species proceri corporis (quod debet exhibere oculo corporeo species extensas ad hoc, vt recipi queant) intra omnem diuisibilem speciem, vel minimam, sub qua poterat saluari forma panis, restringatur; indéque etiam exprimant corpus minutissimum, aut indiuisibile; alioqui Pyramis atomi specierum claudet Pyramidem corporis proceri. Hoc autem exigit, vt corpus ipsum Christi procerum ex illa specie se exhibeat, mittatque speciem repræsentantem, esto minutam; sicut è cælo vel monte, paruula species oritur in speculo, & ad oculum mittitur; Sed quamvis species miraculosè è corpore procero, attenuato deferretur, & hoc pacto exhibere posset oculo corpus Christi, non naturaliter; essetque par miraculum videre corpus Christi procerum attenuatum ad paruulam quantitatem per speciem ad oculum immissam à Deo, & tali modo ibi existere. Attamen ex indiuisibili obiecto speciem inextensam indiuisibilem ad organum extensum proportionare, est implicantia, vt arguit in *corpore* Demonstratiuè, & è fundamento sequitur.

Itaqve Sanctus Doctor hoc fundamento solùm intendit, ex hoc capite continentiæ pyramidalis ostendere, naturaliter non posse Christi corpus attenuatum sub specie (adhuc tamen diuisibile) videri: attamen in corpore restringit ad statum præsentem indiuisibilem, & omninò implicare ostendit, sicut in fundamento innuit.

Qvare decipitur Faber, hoc fundamento, Seraphicum in Scoti rapere sententiam prætendens.

Obiicies primò cum prima sententia, corpus 29 Christi est coloratum præsens speciebus Sacramentalibus: Ergo potest videri.

Respondet Ruuius, *num.* 164. è S. Doctore 30 *in corpore.* Corpus Christi esse coloratum; sed, vt sit sensatum obiectum, requiri intrinsecè extensionem, per quam proportionetur potentiæ corporeæ.

Obiicies secundò cum secunda sententia. Si aliquid obstat, quin supernaturaliter videatur color indiuisibilis, maximè quia caret sensibili communi; aliter enim cùm sit sensibile proprium in se, est obiectum per se primum sensus visiui; vel quia est indiuisibili modo; sed hoc non obstat: Ergo. Minor probatur, quia præsentia localis est *Vbi*, sed *Vbi* non est obiectum sensus. Quod neque indiuisibilitas obstet, probatur: tum quia indiuisibilitas est sola negatio, & ideò non est perceptibilis sensu, Deinde, modus indiuisibilitatis non est supernaturalis substantialiter, sed tantùm secundùm modum: Ergo potest videri.

Respondetvr, negando Minorem. Ad probationem dico, localem præsentiam esse sensibilem, ratione extensionis, licèt non quoad relationem corporis ad spatium. Obstat etiam indiuisibilitas, quæ est modus positiuus communicatus corpori Christi in Eucharistia. Eum itidem modum dico supernaturalem esse quoad substantiam.

Obiicies tertiò, sensibile proprium potest sine 31 communi sentiri; quia sensibile commune non est ratio

ratio sentiendi proprium: Ergo proprium non pendet à communi, quoad sui sensationem, dependentiâ essentiali. Potest enim separare Deus colorem, & saporem panis à quantitate; sicut quantitatem separamus à substantia: tunc ergo sentiretur color, sapor, &c. sine quantitate. Confirmatur, quia color per se primò est visibilis: Ergo non pendet à modo indiuisibili, vel diuisibili; quia visibilitas coloris non pendet ab his modis, vt sit ei intrinseca.

RESPONDETVR ex dictis, proprium sensibile pendêre essentialiter à communi, quod etiam concedit Ruuius *num.* 166. Quod si Deus separet colorem à quantitate; dico, non fore eum sensibilem, quod ampliùs tenebatur aduersarius probare. Neque color est per se primò visibilis; sed visibilitas est per sensibile commune; sicut animal per *esse viuens*, habet etiam vt sensitiuum esse queat.

OBIICIES quarto cum Scoto *loc. cit.* Fauent. *num.* 5. Forma absoluta potest fieri in aliquo, sine forma respectiua; sed visio corporis Christi est forma absoluta; & penetrabilitas ad illas species, seu modus in Eucharistia est relatio extrinsecus aduenniens: Ergo potest Deus causare visionem corporis Christi absque visione modi præsentiæ.

32 RESPONDETVR, negando Maiorem; nam forma absoluta sæpè includit intrinsecè etiam relationem, *verb. grat.* intellectio, & volitio secundum te, *hic*, & *quæst.* 5. & 6. *conclus.* 5. Sunt formæ absolutæ; & tamen dicunt etiam respectum ad obiectum; non enim potest quis intelligere sine obiecto; alioqui intelligeret nihil; & sic intelligeret, & non intelligeret. Negatur etiam Minor. Nam visio corporis Christi est relatiua, intrinsecè specificata ab obiecto, ad quod refertur; præsentia verò corporis Christi non est relatio extrinsecus aduenniens; sed est modus Vbicationis, è modo substantiali pendens. Neque verò visio corporis Christi est generica; sed talis, tali modo, id est in Eucharistia, qui quidem modus est intrinsecus illi obiecto, vt sic, & provt à nobis agitatur quæstio, quæ non est:

33 An corpus Christi sit visibile; sed: An, provt est tale obiectum in Sacramento Eucharistiæ, tali modo sit visibile. Vnde distinctio Scoti est nulla. Quia, vel videtur corpus Christi secundùm Scotum modo extenso, vel inextenso, nec datur medium: ergo non potest videri corpus Christi absque alterutro modo. Adde, eam fore visionem intrinsecam, quæ est rei, provt existentis, eo modo, quo præsens est, vt arguit Suarez, probando secundam partem conclusionis secundæ.

RESPONDET Fauentinus corpus Christi videndum extensum ea extensione, quæ est de prædicamento Quantitatis; non verò de prædicamento Situs.

AT hæc vana sunt; tum quia non datur alia quantitas alterius prædicamenti; tum quia si videretur, ideò quantitas videretur modo naturali.

Ex his manet confutata opinio, allata initio quæstionis, quæ dicit sufficere extensionem præsumptam in ipsis qualitatibus intrinsecam, vt sint obiectum aptum visui: Sequeretur enim idem dicendum de substantia, & sic eam per se sensibilem esse, contra Aristotelem 2. *de Anima, cap. 6. text. 65.* similiter posse colorem corporis Christi etiam in sanctissimo Sacramento naturaliter videri, vt arguit Diuus Bonauent. *loc. cit.* & post eum Ruuius *quæst.* 11. *num.* 132.

34 NISI quis velit, Christum in sanctissimo Sacramento carere propriis accidentibus, vt Durand. *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 2. sed ex hoc multa consequuntur absurda, vt probat Suarez *in* 3. *part. disp.* 51. *sec.* 2. post D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 10. *p. p. art.* 1. per duas quæstiones.

Ex dictis à Seraphico colligitur primò, non posse oculum corporeum videre Spiritum; quia corporei ad incorporeum nulla est proportio. Ita Seraphicus *in* 4. *distinct.* 10. *loc. cit.* & *in* 2. *dist.* 8. *dub.* 3. *litt.* Trigosius *quæst.* 7. *artic.* 1.

COLLIGITVR secundò, non solùm à visu, sed neque ab aliis sensibus posse percipi indiuisibile obiectum.

PROBATVR ab ipso *loc. cit. in* 4. quia obiectum sensibile debet esse proportionatum sensui. At omnes sensus sunt corporei extensi ad locum.

An verò sub quavis minima quantitate valeat obiectum percipi.

RESPONDETVR negatiuè, & patet experimento: Nam paruulus sonus, vel color non sentitur.

AN verò sub quavis magnitudine sentiatur. Respondetur affirmatiuè: Sic enim videtur cœlum.

SIMILITER & sub qualibet intensione potest sentiri, vt notat D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 14.

QVÆST. IV.

An omnia sensibilia obiecta sub vna ratione formali percipiantur.

ASSERO primò, Omnia sensibilia sub vna ratione formali generica respici.

PROBATVR, quia vni potentiæ finitæ, vnus assignatur modus operandi: Ergo vna ratio obiectiua: hæc autem vna est vnitate potestatiua, sicut ipsum obiectum. 35

ASSERO secundò, singula obiecta habere propriam rationem sensibilis. Ita Vasquez *p. p. disputatione* 43. *cap.* 4. Mendoza, *disput.* 16. *de Anima, sec.* 4.

PROBATVR ab eo. Actus diuersificantur in eadem potentia: Alia est enim visio, qua video albedinem. Ergo diuersificantur rationes formales obiectorum. Probatur consequentia; nam vnitas, vel diuersitas actuum, ab vnitate, vel diuersitate formalis obiecti est sumenda.

PROBATVR secundò. Sensus iudicat inter obiecta; puta, albedinem, & nigredinem, ergo vt diuersa ratione formaliter apprehendit.

ADDO tamen, non cognoscere distincto iudicio obiectum vniuersale, puta colorem, & Singulare, puta hunc colorem albedinis. Probatur, quia vna ratio vtramque repræsentat, & si alia cognitione perciperet colorem, distincta ab ea, quæ percipit hunc colorem; iam perciperet vniuersale.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

An, & quomodo VEHEMENS SENSIBILE *lædat sensum.*

PROPOSITIO est Aristotelis, 2. *de Anima, capite* 12. Vehemens sensibile lædere sensum, quam omnes ferè concedunt; videmus enim, nullum defigere oculos, illæso lumine, in Solem. Rationem affert Seraphicus Doctor, *in Itinerario mentis in Deum, cap.* 2. quia tristantur in extremis; & in mediis delectantur sensus, temperie proportionata dotati.

36 PRIMA opinio est, sensum lædi à sensibili vehementi directè per se, ratione excellentis speciei intentionalis improportionatæ infirmitati potentiæ. Ita Caiet. 3. *de Anima, ad textum* 123. & 124. Toletus 2. *de Anima, quæstione* 4. Fuliensis 3. *Physicorum, capite* 5. Eustach. 3. *part. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 5.

SECVNDA opinio asserit, obiecta sensuum per se sumpta, vt obiecta sunt, nullo modo lædere sensus, aut organa eorum; lædere autem vt agentia naturalia per qualitates naturales, quæ per se lædunt organum, quod possunt; imò etiam destruere; per accidens autem lædere potentiam. Ita Scotus 2. *distinctione* 3. *quæstione* 8. *ad* 3. & *in* 4. *distinct.* 44. *quæstione* 3. & *distinct.* 49. *quæstione* 13. Mastrius, *disp.* 5. *quæstione* 7. & Scotistarum præstantior pars. Ita & Collect. 2. *de Anima, quæstione vlt.* vbi etiam Ruuius *numero* 90. Suarez, 3. *de Anima, capite* 2. *numero* 34. Titel. *libro* 28. *capite* 9. Vasquez, *disp.* 43. partim, Richard. *in* 4. *dist.* 49. *artic.* 4. *quæstione* 6. Scotus ibi, *quæstione* 15. *ad* 3. & videtur expressa Aristotelis *libro de Insomniis*, & Diui Bonauenturæ, *in primo, distinctione* 1. *articulo* 3. *quæstione* 1. *ad* 2. D. Thom. 2. *contra Gent. cap.* 14. post Aristotelem, 2. *de Anima, textu* 7. vbi vterque Sanctus Doctor aduertit, aliter euenire in sensu: aliter in intellectu: sensus enim ab excellenti obiecto ita hebetatur, vt ad alia sentienda sæpè reddatur ineptus, vt patet contuenti Solem fixo obtutu: Intellectus è regione, percepto nobili obiecto, aptior ad alia inuenitur percipienda, ratio disparitatis est, quia sensus omninò ab organo corporeo corruptibili pendet formaliter in suis actibus: at Intellectus non sic. Secunda diuersitas oritur ex parte obiecti; nam obiectum sensuum excitat, sed non adiuuat ad sui perceptionem: obiectum autem excellens iuuat, & confortat intellectum; quia influentia talis cognoscibilis procedit ab intimis, & intrat ipsam potentiam; & ita illam confortat. Tertiò ex parte modi, quia sensus in perceptione sui obiecti extrà egreditur, ideò debilitatur; sed obiectum intellectus, cùm sit intra, non dispergit virtutem intellectus. Eandem doctrinam habet Seraphicus Doctor, *in* 2. *dist.* 15. *articulo* 2. *quæst.* 1. *ad* 3.

37 NOTA ex Diuo Bonauentura, *libro* 2. *Compend. Theolog. capite* 35. Aliud esse dicere Potentiam Sensitiuam, putà Visum; aliud dicere Organum, putà Oculum. Id notat etiam Ruuius, *initio quæstionis*, cum Sancto Doctore. Dicit igitur Seraphicus, Potentiam sentire formaliter; organum verò instrumentaliter.

ASSERO cum hac sententia, quæ est Aristotelis 2. *de Anima, text.* 123. vbi ideò non dixit excellentia sensibilia lædere Sensum; sed lædere Sensorium, quia suo excessu lædunt harmoniam, seu temperamentum naturale organi, ratione cuius erat subiectum bonum ipsius potentiæ sensitiuæ, & ideò, eo corrupto, corrumpitur potentia.

PROBATVR ergo, quia temperamentum organi constat qualitatibus naturalibus, & læditur; quia per alterationem æquo nimium intenditur aliqua qualitas, cuius intensio dissoluit temperiem innatam; vt patet de intensione caloris nimia, ratione cuius proportio aliarum qualitatum naturaliter requisita, tollitur. Tunc sic: sed constat rationem hanc alterantem naturaliter Organum non procedere ab obiecto sub ratione obiecti; quia non est intentionalis, sed naturalis: ergo nec obiectum sub ratione obiecti, lædit, vel corrumpit organum ex mente Aristotelis: sed vt agens naturale. Hæc ratio est D. Bonau. *loco* primò *adducto*, quam adhibet Ruuius, *num.* 93. 38

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, *loco* primò *cit.* quia cognitio, vt cognitio, est perfectio potentiæ, eamque perficit; & quò perfectior est, ac perfectioris obiecti, eò potentiam perficit magis. Cuius exemplum patet in cognoscente Deum: Ergo quidquid facit ad cognitionem, quales sunt species, non lædit potentiam, sed perficit, vt notat D. Bonau. *loc. cit. Itinerarij mentis in Deum*, quem Ruuius *num.* 95. sequitur.

Ex his patet ad argumenta Toleti; nam albedo disgregat: lux dissoluit visum, viridis color confortat ratione qualitatum naturalium, vt ait D. Bonau. *in Dieta salutis, tit.* 7. *cap.* 1. vt albedo, quæ multum habet lucis, ideò disgregat; sicut & lux dissoluit. Viridis videtur, quia est color medius temperatas habens qualitates, ideò confortat, & hoc vult Arist. *sect.* 32. *Problem. quæst.* 44.

SIMILITER ad id, quod adducunt ex Arist. *lib. de longit. & breuitate vitæ, cap.* 1. nil corrumpi, nisi à contrario; sed sensus caret contrario: Ergo.

RESPONDETVR enim, sensum, ratione organi habere contrarium, quia ex tali harmonia qualitatum componitur organum; & ideò potest à contrariis, seu extremis qualitatibus lædi, vt notat S. Doct. *locis adductis*, & post eum Ruuius, *quæst. adducta*, passim, & cæteri nostræ sententiæ.

QVÆSTIO VI.

An erret SENSVS *circa Obiectum proprium.*

HVIC quæstioni ansam præbuit Arist. 2. *de Anim. cap.* 6. sic definiens proprium sensibile: *Dico autem proprium quidem, quod non contingit decipi*, vt notat Ruuius 2. *de Anima, cap.* 6. *Tract. de obiectis, atque speciebus, quæst.* 15. post D. Bonau. *in* 2. *d.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *argum.* 1. *ad oppositum.* 39

QVÆRITVR ergo: An hæc propositio ita sit vera, vt nunquam error cadat circa sensibile proprium. Errorem autem non sumo formaliter cum affirmatione, vel negatione composita; nam hæc est solùm in iudicio intellectus. Errorem voco apprehensionem, qua res aliter, quàm sit, percipitur. Quo sensu etiam in phantasia errorem admisit S. Doct. dum eam vocat veram, vel falsam *in* 2. *d.* 5. *art.* 3. *q.* 1. *arg.* 2. *sed cont.* & *dist.* 24. *p.* 2. *q.* 1. *arg.* 2. & *in resp.* & *in* 3. *dist.* 33. *art.* 1. *q.* 3. *arg. vlt.* post Arist. 3. *de Anim. text.* 51. quos sequitur Ruu. *loc. cit. num.* 195.

PRIMA opinio fuit Epicureorum dicentium, nunquam

nunquam errare sensum. Huius meminit Iullius in quæstionibus Academicis; & Diuus Augustinus, *lib. 6. de Ciuitate Dei*, *cap. 7.* quam videtur sequi Tertullianus, *lib. de Anima*, *cap. de quinque sensibus.*

SECVNDA opinio, è Diametro opposita, est; Nullam vnquam fidem sensibus fallacissimis adhibendam. Ita nonnulli Academici, quos refellit D. Augustinus quibusdam libris, qui *in primo Tomo* habentur.

TERTIA opinio est media, asserens, circa sensibilia propria rarò decipi sensus: sæpius verò circa communia. Ita Aristoteles 2. *de Anima*, *text. 161.*

QVARTA opinio est Alberti 2. *de Anima*, *tractatu 3. cap. 5.* & Apollin. ibidem *quæst. 13.* Sensum nunquam errare circa proprium sensibile, quia semper percipit rem, vt ei repræsentatur, licèt aliter quàm sit.

40 QVINTA sententia est simplicij Themistij 2. *de Anima*, *cap. 12.* D. Thom. ibidem, *sec. 13.* sententiam Aristotelis veram esse, tribus conditionibus. Prima conditio est, vt Organum sit benè dispositum, ex cuius defectu conditionis, æger iudicat amara esse, quæ dulcia sunt. Secunda conditio est, vt medium sit benè dispositum, ex cuius defectu, rubea apparet manus, vel facies, si per intermedium vitium rubeum inspiciatur. Tertia conditio, vt sit in debita distantia.

SEXTA opinio est Toleti, 2. *de Anima*, *quæst. 13.* Sensum, circa rationem communem sensibilis proprij, non posse decipi; vt visum circa colorem; quia non potest visus indicare coloratum esse, quod nullo colore perfusum est; Errare verò posse circa rationem propriam sensibilis proprij, vt circa album, vel nigrum, vt talia sunt, accipiens tanquam nigrum, quod in se est album. Tandem errare circa applicationem sensibilis proprij ad tale obiectum, sicut errat applicando colorem rubeum manui, quam, medio rubeo vitreo, rubeam apprehendit. Sicut ferè Eustach. *3. part. tract. 3. disp. 1. quæst. 4.*

SEPTIMA opinio est Ruuij *loc. cit. num. 201.* Sensus externos non posse errare formaliter circa sensibilia propria, siue in communi, siue in partibus considerata, sed solùm per accidens. Addit secundùm communem modum operandi, quem habent, rarò decipi circa sensibilia propria, etiam secundùm speciales rationes considerata; circa communia verò frequenter, & multò magis circa sensibilia per accidens:

41 SENTENTIA Diui Bonauenturæ *3. part. Centil. sec. 21.* & *in 2. dist. 8. part. 2. art. 1. quæst. 3.* est, Ad arcendum à sensibus errores circa sensibilia propria, exigi tres illas conditiones, in secunda sententia relatas. Itque per se non decipi; benè verò per accidens, maximè si ei sensui particulari admisceatur phantasia, componens species iuordinatè; vt fit in illusione Dæmonum, quod notat S. Doctor *in 2. loc. cit.* Idem vult *ad primum Ecclesiast.*

ASSERO primò, sensus circa propria obiecta aliquando errare. Ita concedit Aristotel. 2. *de Anima*, *text. 161.*

PROBATVR sexcentis experimentis, Visus, qui à longè videns, putat esse hominem, & est arbor, baculum in flumine esse retortum, cùm sit rectus: Item Auditus, qui putat esse vocem Petri; & erit Pauli: Gustus, qui amarum sæpè putat dulce; & è contrà: Odoratus, qui putat esse emissum fœtorem ex aliqua putredine, quem habet in organo: Tactus, qui apprehendit calidum, quod tangit, eò quòd ipsa manus est frigidissima.

ASSERO secundò, non semper falli Sensus circa propria obiecta.

PROBATVR à Ruuio *num. 207.* Argumento D. Bonauent. *in 3. dist. 24. dub. 2. litt.* & *ad cap. 1. Eccl.* ad ea verba: *Cuncta res difficiles*, quia ex Aristotele, *primo Post. text. 1.* dupliciter contingit scire aliquid, scilicet per inuentionem, & doctrinam. Cognitio quidem per doctrinam, est ex Auditu; & per inuentionem ex Visu, & hæ cognitiones certæ sunt: Ergò datur aliqua in sensibus certa cognitio. Imò *Fides ex Auditu est* ex Apostolo *Rom. 10.* Similiter fides habetur de his, quæ sunt visa, vt habetur Ioan. 20. *Quia vidisti me Thoma, credidisti*, & Prima Ioan. primo dicitur. *Quod vidimus, & audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ*, vt arguit D. Bonauentura *in 3. dist. 24. art. 2. quæstione prima*, vbi tamen notat, ea, quæ creduntur, non haberi omninò, & totaliter à sensu; alioquin non erit fides, vt dicam *secunda secundæ, tract. de Fide, disput. 1. quæst. 5. & 6.* Addit etiam S. Bonauent. plenitudinem fidei non inniti sensibus, qui aliquando falluntur, vt concedit etiam Ruuius, sed lumine superno, quod non potest decipere; & in hoc deficeret ratio Ruuij, qui ex certitudine fidei arguit omninò certitudinem sensuum; hoc enim deficit. Si enim concedit, semel errare, deficit in aliquo certitudo fidei. 42

ASSERO tertiò, Sensus per se non falli circa proprium obiectum. 43

PROBATVR à Ruuio, Argumento S. Bonau. *in 2. loc. cit.* sumpto ex natura obiectorum, & potentiarum, quæ sunt sibi inuicem à natura proportionata; ex quo sequitur, potentias ita à natura, quæ in necessariis non deficit, esse adaptatas, vt circa propria obiecta sensibus non deficiat; deficeret autem maximè circa illa si deciperentur; cognitio enim naturalis est certa, sicut & appetitus est bonus; alioquin natura esset principium malum, vt arguit S. Bonauent. *in 4. dist. 49. p. p. art. 1. quæst. 2.* Quod verò natura, nec in necessariis deficiat, nec faciat superflua, est Aristotelis *3. de Anima, text. 45.* vt notat Sanctus Doctor *in 2. dist. 29. art. 1. quæst. 2. ad Argumenta.*

Ex hoc infert Ruuius *num. 202.* post Seraphicum *loc. cit.* Per accidens contingere errorem sensus, circa proprium sensibile, nempe ex defectu alicuius extrinseci, à natura instituti, quod abest. Talis est perfectio organi, proportio medij, & debita obiecti distantia.

ADDIT Ruuius *num. 205.* Aristotelem non ponere certitudinem cum illis tribus limitibus adductis à Diuo Bonauentura: Nam cum illis neque decipitur circa sensibile commune, quod est contra Aristotelem *loco citato.*

RESPONDETVR tamen, sensum circa sensibile commune decipi, quia ex natura sua non est ita conquadratum, & appropriatum huic; vel illi sensui; & licèt sit ratio cognoscendi sensibile proprium, non tamen hinc deducat aliquis, nos cogi ad asserendum, illud magis esse certum; eò quòd *propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale.* Nam sensibile commune non est ratio cognoscendi proprium, vt proprium; sed, vt in communi sensibile, *verb. grat.* quantitas crucis, non est ratio cognoscendi in cruce rubedinem, vt rubedo est; sed vt color est, qui debet esse extensus, vt sentiatur.

COLLIGO ex his primò non benè saluari ab Alberto naturam proprij sensibilis, dum dicit, non falli sensum circa illud; quia, licèt illud apprehendat 44

dat aliter, quàm verè sit, non tamen aliter, quam vt ei demonstratur à specie; nam error stat in cognoscendo obiectum aliter quàm sit; & obiecta non sunt à natura adaptata, vt aliquo modo apprehendantur, sed vt apprehendantur verè, & vt sunt; vt inde intellectus abstrahat species, & scientias, vt experimentis verè ædificat, vt notat D. Bonau. *in 3. dub. cit. litt. & ad loc. cit. Ecclesiast.*

Colliges secundò, Positas illas conditiones, ita reddere proportionatum obiectum potentiæ, vt non fallatur, nisi ei aliqua auersio phantasiæ coniungatur, vt notat D. Bonau. *in 2. loc. cit.*

Colliges tertiò, non benè Ruuium, & Toletum refellere expositionem secundæ sententiæ argumentando, hinc sequi, positis illis conditionibus, neque circa sensibile commune, sensum falli. Respondetur enim faciliùs falli, quia nunquam est ita conquadratum sensibile commune singulari huic potentiæ, sicut sensibile proprium.

Colligo quartò, sensum Toleti ad bonam frugem non reuocari, sensus scilicet, non falli circa rationem communem sensibilis proprij, *verb. grat.* Visum circa colorem, & lucem; quia aliud, præter hæc, non habet proprium obiectum, nec sentit sonum, aut saporem; hic enim non sunt errores circa obiectum, sed alligationes ad proprium obiectum; vnde non ideò dicitur visus, bonus iudex sui obiecti, quia non videt sonum. Quod verò circa obiectum particulare, *verb. grat.* circa hunc colorem, fallatur, putans, esse nigrum, cùm sit rubeus; iam reuertitur ad conditiones à se repulsas; vel ad fatendam naturam non benè commensurasse potentias, & obiecta sibi inuicem.

QVÆSTIO VII.

An obiecto necessariæ sint species.

45 NOTANDVM ex D. Bonau. *in 2. dist. 3. part. 2. art. 2. quæst. 1.* & *de reductione Artium ad Theologiam*, post initium, *tom. 6. fol. 2. col. 1. & 2.* & *in Itinerario ad Deum*, *cap. 2. fol.* 137. mihi videtur etiam. 138. Per species intelligi qualitates abstractas ab obiectis, & diminutas ab esse materiali, quæ sunt obiecti similitudines quædam, & feruntur imprimi in potentiam primò sensitiuam: deinde etiam in rationalem. De his quæritur: An necessariæ sint, vt obiecta coniungantur potentiis. Et idem est quærere: An sint. Quia natura, sicut in necessariis non deficit; ita superflua detestatur, & nihil frustra facit.

Primò quidem species, *intentionales*, appellatas negant Plotin. Ænead. 4. *lib.* 5. vbi id etiam tribuit Platoni, Galen. *lib. 7. de decretis*, Hippocr. *cap. 6.* Seneca, *lib. 2. naturalium quæstionum. cap. 5.* Contaren. *quæst. 5.* Prouenzal. *lib. de sens. cap. 7.* Giannninus, *de humor. & speciebus*, *cap.* 27. Dand. 2. *de Anima*, *disp.* 31. & alij apud Modernos citati.

His adde, qui negant species in sensibus maximè externis. Henric. *quodl. 5. quæst.* 14. Ocham, *in 2. quæst. 17.* Dur. *dist. 3. quæst. 6.* Valles. *lib. 2. controuers. cap. 29.* Garb. *sum. lib. 1. tract. 5. quæst. 63.* Ex his aliqui dant species internis, non externis. Iunge negantes eos Gustui, & Tactui. Tolet. 2. *de Anima*, *q.* 2. Ponc. *disput. 2. q. 6.* & qui etiam Olfactui Hurtad. *disp. 12. de Anima*: Arriag. *disp.* 4.

46 VERA tamen sententia est, dari species impressas ab obiectis in potentias, ad sensationes. Ita D. Aug. *lib. 10. Confess. c. 10.* & *c. 15.* & *lib. 12. super Genes. c. 10.* & *lib. 11. de Trinit. c. 2.* Anselm. *in Monol. c. 36.* Damasc. 2. *de fide, c.* 20. D. Bonau. *locis adductis, & adducendis.* D. Thom. *3. cont. Gent. c. 49.* & *p. p. q. 55. art. 1. & 3.* Alens. *2. p. q. 22.* Albert. *2. p. summa de homine, tract. 4. q. 14.* & *de quatuor coæuis, q. 5.* & alij Scholastici, *in 2. dist. 3.* Vbi Scot. *q. 10. & 11.* Henr. *quodl. 5. q. 6.* cum Arist. *infr. cit.* Platone *in Timæo*, apud Chalci. sequuntur Recentes, Merin. *disp. 5. q. 5.* Rabesan. *disp. 5. q. 2.* Eustach. *3. part. Phys. tract. 3. disp. 1. q. 2.* Ruu. *de Anima, lib. 2. c. 6. tract. de obiectis, & speciebus, q. 5.* Suar. *lib. 3. de Anima, c. 2.* & *seqq.* Fuliens. *lib. 3. Phys. c. 4. art. 3.* Bellut. & Mastr. *disp. 4. de Anima, q. 4.* afferens alios, è quibus quidam volunt species esse res ipsas. Hi sunt Valles. *l. 2. controu. c. 26.* Cels. Mancin. *de Synaupa, c. 7.* Compl. *disp.* 18.

Assero dari species intentionales.

Probatvr à D. Bonau. *in 2. dist. 18. part. 2. art. 1. q. 3. ad* 4. ex Arist. 2. *de Anima*, *text.* 20. vbi sensum vniuersaliter definit: *Sensus est id, quod est susceptiuum formarum sine materia*, & habet exemplum; Vt cera Annuli aurei, vel ferrei recipit impressionem, & figuram sine auro vel ferro: ita, &c. Similiter autem, & sensus vniuscuiusque ab habente odorem, aut saporem, aut sonum patitur. Idem habet *text.* 134. Ideò ait, *3. de Anima, text.* 37. *Anima est quodammodò omnia intelligens per assimilitudinem*, vt notat S. Bonau. *in 2. dist. 7. p. 2. q. 3. arg.* 3. & post eum Scotus *in primo dist. 3. quæst. 6.* eadem authoritate vtitur Ruuius *num.* 44. & alij, vt Faber, *Theor. 79. cap. 2.* & apud eum Scotus. 47

Probatvr secundò experientiis à S. Doct. *3. p. Centil. sec. 20. 21. & 23.* Certum est, notitiam rei visæ permanere in imagine, vel memoria sensitiua; sed hoc non potest esse, nisi aliqua similitudo rei permaneret: Ergo. Minor probatur, quia obiectum non est præsens per se: Ergo non mouet per se sensum, nec terminat sensationem. Quare non potest sentiri, nisi per aliquid à se relictum, & reseruatum in memoria sit præsens, & moueat. Hoc experimento vtitur S. Bonau. etiam *lib. 2. Compend. Theol. verit. cap. 37. 39. & 40.* vbi ostendit, hæc nobis prouenire non à gradu intellectiuo, sed à sensitiuo; nam videmus bestias ex aliqua antecedente impressione sensibili multa facere, *verb. grat.* ouem ex morsu accepto fugere animalia, à quibus læsa fuit: Canem verberibus affectũ, obedire alicui post tempus in re, cui priùs repugnabat: Sic & latrare Ferrariis transeuntibus, qui multo ante tempore eum castrauerunt. Idem de memoria intellectiua probat *in Itinerario, loc. cit.* Hoc Argumentum, multis spretis, laudat Poncius, *num.* 49. 48

Probatvr tertiò à S. Doct. *tom. 1. serm. 11. Hexaëmer. circa finem*, experimentis in sensu Visus. Homo videt in corpore chrystallino terminato, siue animato, *verb. grat.* in pupilla alterius; siue in speculo faciem hominis, quam non potest realiter videre, & variis modis auersum intuetur; imò etiam semetipsum ipse contuens videt, cùm seipsum videre aliter nequeat. Hoc etiam mirabile adde: Si duo specula è regione ponantur, in altero videbis quidquid in altero apparet, etiam teipsum in illo expressum; nulla sanè alia de causa, nisi quia in ipso genitæ sunt earum rerum similitudines, seu species; & hæ rursus ad alterum speculum reflectuntur.

Neqve verò speculum multiplicat species, vsque ad alterum speculum, & hoc alias suâ reflexione, vt putat Ruu. *n.* 46. sed eadem species à speculo reflexiua, vt aduertit S. Doct. *loc. cit.* & *in 2. dist. 3. p. 2. art. 2. q. 1. in corpore.* Ratio D. Bonau. est, quia ratio specierum concessa est obiecto, quippe sunt eius similitudines, vt dicam, *quæst.* 13. His experientiis vtuntur Toletus 2. *de Anima, quæst.* 33. Mastr. & Bellut. *num.* 39. ac Poncius, *quæst. 8. num.* 75.

Alias apponit Eustachius, nempè baculi in aqua, vnde apparet fractus: arborum, qui in decurrentium aquarum marginibus videntur immersæ; calculi in vas iniecti, qui labiis vasis visum intercipientibus, oculo paulum distanti non apparebat, infusâ in vas aquâ, incipit apparere. Alias addit Fuliens. eorum, quæ sine inspicillis, vel tubo optico non videremus; Soni, qui è loco clauso auditur: quæ passim refert S. Doctor. Inspicilia exhibet etiam Poncius, *num.* 49.

Probatvr quartò à D. Bonau. *loc. cit. de redutt. art.* & *in Itiner.* Cognitio fit assimilatione potentiæ cum obiecto ex Aristot. 2. *de Anima, cap.* 5. & ostenditur ex modo operandi cognoscitiuæ, attrahendo ad se obiectum; cum potentia appetitiua operetur, exeundo ad illud. At non valet potentia coniungere sibi obiectum Physico statu in seipso, cùm tamen agens & passum debeant esse similia; nec ei similari, cùm in se diuersi ordinis sit dissimile, nisi per aliquam similitudinem in potentia productam ei vniatur: Sic arguit & Ruuius, *num.* 47. & Poncius Scotista, admonens, non posse obiectum visus agere in distans.

Confirmatvr, quia potentia est indifferens. Ergo debet ab aliquo determinari ad hoc obiectum; sed obiectum immediatè nequit, quia improportionatum est & distans: Ergo.

49 Confirmatvr à D. Bonau. *in* 2. *dist.* 3. *initio cit. ex* 28. *Ezech.* vbi Lucifer, & Rex Tyri dicitur *plenus sapientia*; hoc autem per species inditas fuit.

Secvndò, ex *lib. de causis*, propositione 10. *Omnis intelligentia est plena formis.*

Confirmatvr à D. Bonau. *in Itinerario*, ex D. Aug. qui passim eas species admittit, non solum sensibiles; sed etiam intelligibiles, vt vidimus initio, & habet etiam *lib. de vera religione.*

Obiicies cum Durando. Si darentur species similitudines obiecti, deducentes in obiecti cognitionem, essent priùs cognitæ, quàm obiectum; sicut imago priùs est cognita, quia deducit in cognitionem Prototypi; sed species sunt sensibus incognitæ: Ergo.

Commvniter Recentiores respondent, negando Maiorem; nam species non est ratio cognoscendi, vt est imago, sed vt medium, seu instrumentum cognitionis, ideò non est necesse, ipsam priùs esse cognitam. Addunt, esse alterius naturæ ab obiecto; habet enim esse diminutum; ideò non facilè percipiuntur; & hæc videtur potior responsio. Pleniùs Argumentum resoluam, *quæst.* 9.

Ex his primò habes, species alterius esse naturæ ab obiecto, vt docet D. Bonau. *loc. adduct.* D. Thom. *de sensu, & sensibili, lec. vltim.* 7. *Metaph. lec.* 6. & *quæst.* 8. *de veritate, art.* 11. *ad* 3. Albert. *in* 2. *de Anima, com.* 27. D. Aug. 7. *super Genes. cap.* 2. quos sequitur Ruuius 2. *de Anima, in hoc tract. quæst.* 4.

Probatvr à D. Bonau. secundò *in Itinerario, loc. cit.* quia contraria non possunt esse in eodem subiecto, sed qualitates sensibiles secundùm suam substantiam sunt contrariæ: ergo non intrant per se, vel per aliquid eiusdem substantiæ, seu rationis, sed tantùm per species, quæ sunt similitudines. Hoc Argumento vtitur Ruuius, *num.* 53.

50 Probatvr tertiò à D. Bonau. *in* 2. *dist.* 3. *citata*, nam species Angelicæ repræsentant substantias; & tamen non sunt substantiæ, sed accidentia, vt patet, & vt cum D. Bonau. ibi ostendimus. *Tract. de Angelis, disp.* 2. & vrget Ruuius, *num.* 54.

Ex his iacet ratio Durandi, Imaginem scilicet debere esse eiusdem rationis.

Respondetvr debere esse in repræsentando, non autem in essendo: putat autem, dari imaginem obiectiuam in sensibus internis; non autem externis.

Probatvr quartò à Fabro, *Theor.* 29. *c.* 2. Eust. 51
loc. cit. ratione validissima, quæ est D. Bonau. *lib.* 2. *Compend. cap.* 35. sensibile supra sensum, non facit sensationem, seu non sentitur, ex Aristot. 2. *de Anima, text.* 75. & 98. & *lib.* 7. *cap.* 1. Tunc arguit S. Bonau. In sensatione, potentia sensitiua patitur à sensibili, quia sentire, includit pati ab obiecto; at obiectum materiale non tangit sensum, quia positum supra sensum non sentitur: ergo debet dari aliqua res spiritualis repræsentans ipsum sensibile, quæ per medium deferatur ad organum, & potentiam sensitiuam, eique vniatur, quod necessarium est, vt fiat sensatio, sed de his *quæstione sequenti.*

Collige hinc, species distingui ab actu sensationis contra Bucafer 3. *de Anima*, cum Picolom. *lib.* 5. *de mente humana, cap.* 8.

Probatvr à Vasq. *p. p. disp.* 43. quia oculus efficit visionem, & non speciem; hæc enim obiecto similatur, vt proles. Ergo hæc sunt diuersa. Vide D. Bonau. *serm.* 11. *Hexaëm.* Id ostendam *quæst. seq.*

QVÆSTIO VIII.

An præter Phantasmata dentur Species *intelligibiles impressæ.*

Henricvs, & Bacconus 2. *sent. dist.* 6. *quæst.* 1. 52
art. 3. Mercenar. *in Dilucid.* Picolom. *lib. de humana mente, cap.* 7. Zabar. *lib. de speciebus intellig. cap.* 5. Buccafer. 3. *de Anima, lec.* 22. & omnes ferè Recentiores negant, dari species intelligibiles impressas. Est autem species impressa Idolum quoddam impressum ab intellectu agente in possibilem ante intellectionem; sed dicunt ad hanc sufficere phantasma illustratum à lumine intellectus agentis, quod sufficienter ostendit intellectui possibili obiectum intelligibile; ipsam verò speciem nihil aliud esse, quàm actualem intellectionem. Subscribit Eustach. 3. *part. Phys. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 2. & *multi alij.*

E Regione stat D. Bonau. *in* 2. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. & *in Compend. Theol. lib.* 2. *cap.* 34. 44. 45. & 46. vbi nota, videri quidem D. Bon. *cap.* 46. cum prima sententia, dum ait, necessarium esse lumen intellectus, vt Phantasmata fiant intelligibilia; sicut Lux est necessaria colori, vt fiat sensibilis; at potiùs oppositum deduci debet, quòd sicuti color illustratus, non est sensibilis per se, sed aptus vt educantur ex eo species sensibiles; ita etiam phantasma illustratum, non illicò est actu intelligibile, sed aliquo modo dispositum, vt educatur species intelligibilis, non quidem veluti materialiter; nam subiectum materiale compositum non potest esse principium rei spiritualis, neque efficienter ob eandem improportionem; sed exemplariter, vt notat cum Seraphico *loc. cit.* Suar. 4. *de Anima, cap.* 2. Neque puto comparationem fieri à D. Bonau. luminis Solis recepti in colore, cum lumine intellectus, recepto in phantasmate omninò adæquatè; quia lumen spirituale non recipitur in subiecto corporeo, vt rectè arguit Vasquez, *prima primæ, disputatione* 43. *cap.* 2. sed in hoc solùm, quod lumen intellectus agentis, agens, seu respiciens suo lumine in phantasmata, accipit exemplar speciei, quam ipse intellectus format ad similitudinem phantasmatis, seu repræsentantem id, quod phantasma repræsentat quod est singulare sensibus perceptum. Quod 53
videtur

videtur sentire *in 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quaest. 4. corpore*, vbi similitudinem ponit oculi Æluri, qui suo lumine sibi speciem efformat. Ipsum vide: Ex quo modo philosophandi deducetur ratio pro nostra sententia, quæ est etiam D.Thom. *p.p. quaest. 84. art. 1.* Scoti *in 2. dist. 3. quaest. 6.* Alensis *2. part. quaest. 24. in 2. & 3.* & *quaest. 26. art. 2.* Alberti *in 2. dist. 3. art. 15.* Gregor. *in 2. dist. 7. quaest. 3.* Zimaræ, *Theor. 82.* Ruuij *3. de Anima, cap. 3.* de Intellectu agente, *quaest. 2.* & aliorum Philosophantium apud Mastrium, & Bellutum *disp. 6. de Anima, quaest. 4.* Auersam, *quaest. 78. sec. 5.* Onuphr. *text. 2. disput. 1. quaest. 3. de Anima.* Sic Tolet. *de Anima, quaest. 21.* Conimbr. ibi, *cap. 5. quaest. 3.* Hurtad. *disp. 12. de Anima, sec. 1.* Arriaga, *disp. 4. de Anima, sec. 1. subsec. 8.* Complut. *disp. 18.* Licetus, *opusc. de Intellectu agente, lib. 5.* Cottunius, *lib. de triplici statu Animæ rationalis, disp. 8. & 9.*

MEDIA opinio est, species necessarias esse ad notitiam abstractiuam, non ad intuitiuam, Scot. *1. dist. 3. quaest. 6.* ibi Lichet. & Barg. Viue, & Ioan. de Mag. Mayr. *d. cit. quaest. 10.* Faber, *Theor. 79.* Tartaret. & Ioan. de Magistr. *in 3. de Anima,* Regentes Paris. ibi, *quaest. 1. in quaest. 3. later:* Mastrius, & Bellutus *disp. 6. quaest. 4.* est autem D.Bonauent. *primo, dist. 3. art. 2. quaest. 2.* vt dicam, *disp. 9. cap. 4. quaest. 7.*

PONCIVS, *disp. 6. quaest. 3.* è Scoto, *quaest. 17. de Anima*, & Cauell. *ibi*, dicit, Si stemus rationibus, non firmè constare eas dari, attamen inclinat in hanc sententiam, & ait: Si dantur, concurrere etiam sensum internum ad earum productionem.

ASSERO, ad notitiam abstractiuam requiri, præter sensibiles species, etiam intelligibiles.

54 PROBATVR à S.Doctore *loc. cit. in 2.* ex Aristotele *3, de Anima, text. 18.* vbi docet, intellectum possibilem esse, quo est omnia intellecta fieri; & agentem, quo est omnia facere; hoc autem ait, ostendere, talem esse intellectum ratione specierum, quas producit intellectus agens, quibusque formatur possibilis, quibus dicitur Anima fieri in esse intelligibilis, in quantum sibi repræsentatur species. Hac authoritate nititur Ruuius *num. 93.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. *locis adductis, quaest. praeced.* Argumento, quo nititur Scotus, & Fauentinus, *loc. cit.* atque Ruuius, *num. 14.* *Ab obiecto & potentia paritur notitia*, ex D.August. *9. de Trinitate, cap. vlt.* (quomodò verò fiat, dicam, *quaest. 10.*) hoc autem debet fieri per vnionem vtriusque proportionati mutuò, quia cognitio fit per assimilitudinem; sed phantasma est improportionatum intellectui: Ergo. Minor probatur; nam phantasma, quamvis etiam illuminatum, est corporeum; intellectus est spiritualis: Ergo. Quibus fuga Aduersariis præcluditur dicentibus, phantasma illuminatum, esse proportionatum intellectui. Hoc tamen Argumentum vrget pro statu isto, vt notat Mastrius ex Licheto *primo, disp. 3. quaest. 6.*

55 PROBATVR tertiò à S. Doctore, *libro primo, Compend. Theol. cap. 46.* & *in 2. dist. 24. loc. cit. in corpore*, ex Aristotele *3. de Anima, text. 14.* vbi ait: *Animam esse veluti tabulam rasam, in qua nihil depictum, & à sensibus abstractum*, vt notat D. Bonau. etiam *in 2. dist. 39. art. 1. quaest. 2.* ad Argumenta. *Fit autem omnia.* ex *3. de Anima. text. 37.* vt notat S. Doctor, etiam *in 2. dist. 7. part. 2. art. 1 ad Argumenta, in fine*, concipiendo naturas etiam vniuersales, quas habet pro præcipuo obiecto, sed eas non discit à phantasmate, quia phantasma repræsentat rem, vt est hausta à sensibus: sensus autem percipit singularia; Ergo vt intellectus possibilis recipiat notitiam vniuersalis, debet aliam speciem abstractam ab intellectu agente recipere, quam non potest phantasma supplere. Hoc Argumentum vrget vehementer Scot. *loc. cit.* Mastr. *num. 65.* Fauent. *loc. cit. cap. 4.* Probatur verò vltimum subsumptum. Repræsentatiuum, repræsentans secundùm suam totam virtutem aliquod obiectum sub vna ratione obiecti, non potest illud repræsentare ratione obiecti opposita; sed phantasma dicto modo, repræsentat singulare: Ergo non potest vniuersale repræsentare.

PROBATVR quartò à S. Doctore *loc. cit. in 2. sent. in corpore.* Intellectus agens, secundùm omnes Philosophos, est potentia actiua; quia eius est omnia facere; sicut possibilis est omnia fieri: Et est agens verum, & reale. Ergo terminus eius est realis, sed actio intellectus agentis est omnia facere, id est, omnia obiecta coniungere intellectui possibili proportionata, atque in actu primo eum constituere ad intellectionem; ergo vere id præstat; sed phantasma, vt mere illuminatum, non aptat intellectum possibilem, vt omnia fiat, quia adhuc est corporeum improportionatum: ergo producit aliquid spirituale coniunctiuum obiecti, sed hoc non potest esse præter speciem intelligibilem: Ergo.

NEQVE verò actus intellectus agentis potest esse intellectio, quia obiectum non est adhuc proportionatum, vt intelligatur. Et sicuti relucens in phantasmate non est aptum mouere voluntatem, quæ est spiritualis; non quia subordinata est intellectui, vt respondet Poncius; nam ideò expectat intellectionem, vt modo apto appetitus dirigatur. Sanè moueretur, si phantasma ei posset ostendere veritatem, bonitatémque obiecti: Sicut enim appetitus materialis sensitiuus mouetur ab obiecto materiali proportionato: ita & spiritualis, non nisi ab obiecto spirituali mouetur, vt confitetur Poncius, *num. 24.* Sic Scotus. 56

PROBATVR quintò à D. Bonau. *loc. cit. Compend. cap. 45.* Obiectum, vt cognoscatur, debet esse præsens potentiæ secundùm eam rationem, secundùm quam est cognoscendum: At cognoscit vniuersale abstrahendo à singulari, quod solùm potest phantasmate reddi intellectui præsens; non enim aliud exprimitur phantasmate, quam singulare quod cepit: Ergo tenetur abstrahere speciem vniuersalis, vt hæc intelligat. Id vrget Faber è Scoto.

RESPONDET Ponc. qua ratione dicimus nos, posse Phantasma agente intellectu producere speciem spiritualem, eadem etiam ratione posse producere intellectionem.

AT responsio non est ad rem, quia Argumentum non premit, medio termino sumpto ex improportione, vt in præcedenti, sed ex necessaria expressione, & quia phantasma exprimit solùm singulare, nequit exprimere vniuersale, quod rationem habet oppositam.

RESPONDET secundò phantasma includere in se singulare formaliter; & vniuersale virtualiter, & ita vna realitate sub diuersa formalitate potest repræsentare rationes oppositas singularis, & vniuersalis, maximè negotiante circa illud intellectu.

HÆC multis ambagibus inuoluta euoluo. Primò quidem volo scire, quæ negotiatio intellectus circa phantasma ex eo exprimat obiectum vniuersale. Profectò non est intellectio eius, quia intellectioni supponitur obiectum iam præsens; phantasma autem, cum spectet ad potentiam sensitiuam bestiis communem, non exprimit aliud obiectum, quàm singulare, brutis comune; neque in nobis habet virtutem exprimendi vniuersale sine intellectus negotiatione 57

negotiatione, vt fatetur Poncius. Igitur negotiatur abstrahendo à singulari naturam, pluribus communem, ibi non expressam formaliter (quod sanè exigitur, vt obiectum formet, & assimilet ei potentiam, quæ quidem assimilatio est ad cognitionem necessariam, vt sæpè ostendit cum Aristotele, & D. Augustino Seraphicus,) neque aliud Poncius inueniet, quod negotiator intellectus pertractet ante intellectionem, circa phantasmata, vt suprà etiam authoritatibus, & rationibus cum S. Doct. ostendi; nisi illum destinet ad anguillarum pelles otiosè mercandas.

PROBATVR sextò à S. Bonauent. *in 4. dist. 50. part. 2. quæst. 1. ad 1.* supposita declaratione corporis, & *quæst. 2. in corpore, & ad 3. & ad 16. Lucæ* in ea verba: *Fili recordare, &c.* Argumento quod est inter cætera validissimum, quodque afferunt Mayro *primo, disp. 3. quæst. 10.* Mastr. & Bellut. *num. 67.* cum Scoto *primo, dist. 3. quæst. 6.* Certum est, animam separatam recordari præteritorum, sicuti recordabatur Abraham, & insinuabat Diuitis animæ: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Hæc autem est memoria intellectiua, non sensitiua, vt constat; neque enim habebat organa; & ideò nec phantasmata. Respondet tamen Scotus *in lib. de Anima, quæst. 17.* ex actu intellectionis relinqui habitum, qui inclinat ad rem illam agnoscendam, & illam repræsentat.

58 CONTRA, quia repræsentatiuum obiecti in causando non se tenet ex parte potentiæ, sed ex parte obiecti: habitus autem se tenet ex parte potentiæ. Præterea non ex omni actu generatur habitus; & tamen possumus illius recordari. Hanc rationem soluit etiam Mayro *loc. cit.* eamque inefficacem dicunt Mastrius & Bellutus *num. 67.* atque Cauellus *quæst. 17. de Anima*, & Poncius; qui duo respondent, talem habitum infundi à Deo; At ita sequitur, Animas separatas, & Angelos, suæ naturæ relictos, nihil recordari. Frustrà verò ad Superos recurrit.

RESPONDET Ponc. sicuti esset recurrendum ad Deum ad excitandas has potiùs species, quàm illas de re præterita, aut saltem ad aliam causam; cur non etiam ad productionem, & infusionem? Decora quidem responsio, dans idem, aut simile, esse modum agendi connaturalem cum miraculoso.

CONTARENVS iunior, *quæst. de speciebus, cap. 7.* conuictus, concedit species expressas intellectione. At recordamur obiectum illud; quomodò sensus feriit, quomodò primò excitauit passiones, quomodò se applicuit, &c.

PROBATVR septimò à D. Bonau. *loc. cit. in 2.* Argumento vltimo, addita responsione: Vt intellectus intelligat ea, quæ sunt extra se, oportet vt eis coniungatur, nec potest coniungi vniuersalibus ipsis rerum entitatibus, cùm sint extra se: Ergo per speciem. Maior patet ex dictis hîc, & *quæst. præcedenti*, ex Aristot. *3. de Anima, text. 37.* vbi habetur, intellectum fieri omnia, non materialiter; non enim homo, intelligens Leonem, fit Leo realiter substantialiter, vt volebant Prisci, sed accidentaliter per similitudinem.

59 QVOD verò istæ species non sint ipsa Sensatio, vel intellectio, vt respondent aduersarij. Probat Diuus Bonauent. *in responsione*, & post eum Scotus, ac Fauent. *loc. cit.* Scientia, seu Sensatio absque specie, non est similitudo rei intelligibilis: ergo non potest dici Anima esse omnia per ipsam scientiam rei. Antecedens probatur. Secundùm Aduersarios, actus intelligendi non est merum recipere, sed iudicare, seu iudicium, quod facit intellectus de obiecto proposito; At iudicare, seu iudicium ferre, non est formaliter assimilatio rei, sed eam supponit informatione, quæ fit per speciem; ex qua informatione est in actu ad iudicandum, cùm antea carens specie esset in potentia: Ergo circumscripto obiecto in specie expresso, actus intelligendi non est similitudo rei cognitæ. Hæc ratio, vt ait Faber, est ita euidens, vt & obstinatos succutiat, & à pertinacia auertat.

VIDETVR aliquam difficultatem ponere Sanctus Bonauentura, *lib. 2. Compend. Theolog. cap. 46.* vbi ait; quod, sicuti color non est visibilis sine lumine; ita nec phantasmata erunt actu intelligibilia, nisi intellectus agens irradiet, & faciat intelligibilia actu. 60

RESPONDETVR, S. Doctorem velle dicere, necessarium esse lumen, vt percipiantur, & ad earum exemplar spiritus agens educat speciem intelligibilem. Sed de hoc *disp. 9. cap. 4. sect. 1. quæst. 4.*

DICES: Si ipsa intelliguntur, quæ necessitas erit, abstrahendæ speciei?

RESPONDET D. Bonauent. *cap. 4.* debere cognosci phantasmata; sed produci speciem subiectabilem in spirituali potentia, ac repræsentatiuam etiam naturæ vniuersalis, quando est abstracta à naturis singularibus.

OBIICIES primò: Si species imprimeretur in intellectu; sequeretur, quod intellectus semper illam intelligeret; sed hoc est falsum: Ergo. Probatur sequela, quia species imprimitur in intellectu, separata à materia, ex Aristotele *3. de Anima, text. 15. & 16.* Omne autem seiunctum à materia, est actu intelligibile. Hoc verò magis vrget contra ponentes, speciem intelligibilem habere rationem obiecti: Sequeretur enim, animam semper intelligere. Probatur minor ex Diuo Bonauentura, *in 2. distinct. 3. quæst. 1. in corpore*, vbi ideò distinguit Animam ab Angelo, quod Angelus semper est in actu primo ad intelligendum, quia habet species; Anima verò est in potentia, quia est priuata speciebus, & eget conuerti ad phantasmata. Ita loquitur etiam *fundamento 4.*

RESPONDET Diuus Bonauentura *in corpore*: Species in intellectu manere ad modum habitus; neque semper intellectum esse in actu, quia intellectus, pluribus intentus, eget excitari à phantasmate, & ad illud conuerti, vt actu intelligat ante productionem speciei, post productionem eget ab ea excitari, vel imperio voluntatis conuerti ad eam speciem. Ita respondet etiam Ruuius, *num. 97.* & & Fauent. *loc. cit. ad primum.* 61

OBIICIVNT secundò: Aristoteles *3. de Anima, text. 5.* ait; *Intellectum nihil esse actu eorum, quæ sunt, antequam intelligat*; si autem poneretur species intelligibilis ante intellectionem, iam intellectus esset factus aliquid obiecti ante intellectionem. Confirmatur *ex text. 14.* vbi ait: *Intellectum ante intellectionem esse tabulam rasam.*

RESPONDET Diuus Bonauentura *loc. cit. in corpore, & ad 4.* plures actus intellectus requiri ad intellectionem, licèt quodammodò videatur actus intelligibilis simplex formaliter: Sunt autem plures actus ad inuicem ordinati, è quibus resultat vnus actus perfectus: Primò enim, è phantasmate illustrato, siue cognito, exemplar eruitur speciei, formatur species, imprimitur ab intellectu agente, cuius est omnia facere; recipitur in possibili, qui omnia fit, & elicitur actus intellectionis. Iam verò ante hos omnes actus, secundùm Arist. qui eos admittit, vt dixi supra; intellectus est tabula rasa, vt notat S. Bonauent.

nanent, etiam *fundamento* 5. & non est aliquid eorum, quæ intelliguntur; at post aliquos actus, qui sunt actus intellectionis, iam intellectus est aliquid. Ita
62 respondet etiam Faber *ad* 5.

OBIICIES tertiò: Forma non potest esse subiectum accidentium. Intellectus est forma: ergo.

RESPONDET Fauent. *ad secundum*, Maiorem esse veram de forma separata à materia, non de ea, quæ est in materia. At malè respondet; nam Intelligentiæ sunt separatæ à materia, secundùm eum, & tamen sunt receptiuæ specierum, secundùm Scotum *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 11. & Faber. *disputat.* 27. *num.* 25. & 44. & *num.* 22. probat, posse Angelum reducere formas materiales ad esse intelligibile, absque media phantasia: Nam quod est medium virtuti inferiori, non est necesse, vt sit medium virtuti superiori; cùm autem phantasia sit medium virtuti inferiori, id est, animæ rationali, ad reducendas res ad esse intelligibile, non est necesse eam esse medium virtuti superiori Angeli. Confirmatur, quia, vel hæc necessitas venit ex parte obiecti, vel ex parte potentiæ; non ex parte obiecti; quia alioqui etiam Deus cogeretur vti phantasia, vel sine ea non intelligeret. Si ex parte potentiæ: Contrà, quia Angelus nón habet phantasiam, & ideò illi non potest esse medium. Hæc est doctrina S.Bonau. hìc *in corpore*; vbi ideò connentionem intellectus cum phantasia ponit ad differentiam Angeli ab Anima statuendam.

63 RESPONDETVR ergo in sententia D. Bonau. Intellectum constare ex materia, & forma, vt dixi, *quæst.* 7. *disp.* 1. & ideò posse esse subiectum accidentium.

OBIICIVNT quartò, substantia æterna non est capax accidentium variabilium: Intellectus est substantia æterna: Ergo.

RESPONDET Fauent. *ad octauum*, Maiorem esse veram de forma omninò independente à materia, seu corpore.

CONTRA; nam etiam Angelus est forma independens à corpore, & tamen recipit species secundùm Scotum, vt vidimus *tract.* 4. *disp.* 2. *quæst.* 5.

64 RESPONDET D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 19. *quæst.* 1. *ad argumenta*, receptionem passionis, vel accidentis variabilis, non attingere substantiam, neque ad eam lædendam valere: Et ideò cum Anima sit non solùm immortalis, sed forma corporis; Datum est ei recipere formas variabiles, putà operationes immanentes, passiones, &c. & tamen manere in suo esse incorruptibili; cùm imò maximè patiatur etiam ex separatione à corpore, nec tamen intereat, & post corpus dimissum torqueatur, & tamen maneat immortalis. Quoad hoc, responsionem benè tulit Fauentinus.

OBIICIVNT quintò: Superius non potest perfici ab inferiori; sed species est inferior animâ: ergo non potest animam perficere.

RESPONDET D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst* 3. *ad* 1. Superius perfici accidentaliter ab inferiori; ab accidente enim perficitur substantia. Licèt enim accidens sit ignobilius substantiâ in se, tamen, quoad actum secundum, potest substantiam perficere, id est, ad operationem, vt patet in Anima, quæ gratiâ decoratur. Ita respondet etiam Fauentinus.

OBIICIES sextò: Si darentur species intelligibiles, non esset necesse, intellectum, dum intelligere vult, conuerti ad speculanda phantasmata: At *oportet intelligentem speculari phantasmata* ex Aristot. 3. *de Anima, text.* 39. Hanc rationem vrget admodum Zabarella. *cap.* 8. *lib. de speciebus*.

RESPONDET Faber, *ad* 10. cum Scoto ex D. Bonau. *hìc*, *in corpore*, Talem esse nexum phantasiæ cum intellectu pro hoc statu, quod nihil intelligimus in vniuersali nisi cuius singulare priùs phantasiamur. Conuertitur igitur intellectus ad phantasmata, quia, dum considerat vniuersale; phantasia imaginatur singulare eius, ex quo accidit, quod impeditâ operatione phantasiæ, impeditur intellectus; sicut operatio sensus communis impeditur, impeditâ operatione sensuum externorum.

INSTAT Zabarella primò; quia Aristoteles vult, intellectum, non phantasiam, semper, dum intelligit, speculari phantasma a.

SECVNDÒ, quia acquisitâ notitiâ intellectiuâ, imaginatio non est ampliùs causa intellectionis, secundùm vos: Ergo nulla est inter eas connexio. Neque exemplum habes in aliis, etiam subordinatis, vt oculus videat, dum phantasia imaginetur. Nec est simile de sensu communi, qui est centrum quinque sensuum. Confirmatur: Si species iam essent in intellectu repositæ, iam insani, corruptâ phantasiâ, adhuc tenerent vsum rationis circa præterita, possentque pœnitere, differere, &c.

FABER respondet, intellectum speculari phantasmata in specie intelligibili; & ideò hæc speculatio phantasmatum est mediata, dum in specie intelligibili, intellectus percipit singulare, à phantasmate repræsentatum, & simul phantasma, lato modo, speculatur ob connexionem cum intellectu. Quod verò non detur talis connexio in aliis, falsum est, etiam secundùm Zabarellam, quia dato, quod intellectus contemplari cogatur semper phantasmata, & non detur species intelligibilis impressa à phantasia; imaginatur illud phantasma; & tamen sunt distinctæ potentiæ. 65

RESPONDETVR melius, verè Communionem magnam esse inter intellectum, & phantasiam, etiam quoad phantasmata, & species impressas, atque res apprehensas; Vnde amentes non modò insaniunt, loquentes de rebus, quas de nouo apprehendunt in phantasia auersa, sed etiam circa iam ante amentiam perceptas; neque aliquis existimauerit, inde euenire, quia totus specierum thesaurus sit in phantasia, & solùm phantasmatum; sed quia intellectus species abstractas à singularibus habet similes phantasmatibus in repræsentando; & dum ad eas conuertitur, etiam phantasia, habens organum læsum phantasmata confusa offert, excitando intellectum vehementer ad eam confusionem. Vnde species nouas efformat, deformiter vniformes, & ideò insani multa ad rem admiscent, & alia extra chorum adoluunt loquendo, & ob hanc mutuam conuersionem intellectus ad phantasiam excitantem ad noua, & sæpè intexta antiquis, sequitur concomitanter speculatio phantasmatum. 66

OBIICIES sextò: Si ponatur species impressa; sequitur, primum actum intellectus esse reflexum, quia est ad illud, quod iam est in intellectu.

RESPONDETVR ex D. Bonau. *locis adductis hìc*, & *quæst præced.* primum actum esse formationem speciei, & ideò rectum; deinde sequi impressionem in intellectum possibilem, & tertiò iudicium, quod est actus rectus; non enim percipit, se percepisse, sed primò intellectus informatus intelligit. 67

OBIICIES septimò: Vel intelligere est agere, & tunc non est necessaria species impressa, quia potentia nata est producere actum, præsente illo, quod causat, quod est phantasma: Vel intelligere est passio causata ab obiecto; & tunc neque est necessaria species præuia.

RESPONDET D. Bonauent. *loc. cit. in 2. distinct. 3.* Intellectionem esse actionem formaliter post receptionem speciei; vt autem fiat præsens debitè obiectum, oportet illud esse in eodem ordine cum potentia spirituali; at Phantasma adhuc non est spirituale, vt etiam notat Ruuius *ad primum Argumentum.*

68 SIMILITER etiam sensus est sanè passiuus ab obiecto, vt docet D. Bonauent. *lib. 2. Compend. cap. 34. & 35. & in 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. vlt. ad 2.* vbi assignat etiam causam, cur dentur intellectus, agens & possibilis, distincti; & non dentur Sensus, actiuus & passiuus, distincti; nempè quia, cùm species exit ab obiecto ad sensum exteriorem, & inde ad imaginationem, stat in eodem ordine sensibilis obiecti, & adhuc proportionatæ potentiæ, ideò non est necessarius sensus elaborans speciem altiorem, sicut in intellectione; quia ascenditur à sensibili ad spirituale, ideò magis eget intellectus potentiâ actiuâ distinctâ. Idem habet *in Compend. Theol. lib. 2. cap. 46.* Addit, etiam sensum posse dici habere duo distincta magis, quàm intellectus, quia organum inseruit pro potentia receptiua specierum, atque adeò passiua; animæ verò
69 potentia inseruit pro actiua. Hanc tamen responsionem non omninò laudat; sed alteram amplectitur. Fuit verò assignatio hæc sensus agentis, & patientis, opinio Apollinaris *2. de Anima, quæst. 13.* Iand. *quæst. 16.* Doctrinam hanc cæteri è D. Bonauentura desumpsêre, qui cum Aristotele *2. de Anima, cap. 5.* ponit, sensum quidem recipere speciem ab obiecto agente; non verò agere in obiectum; Veluti agit intellectus, abstrahendo speciem, eámque formando proportionatam; sed tantùm elicit actum vitalem; nam species sufficienter formatur ab obiecto, & imprimitur in potentiam, quæ ipsa quoque elicit actum vitalem sensationis, & sufficit pro vtroque officio: Vnde frustra additur sensus. Sic arguit Ruuius ex Diuo Bonauentura contra dictos authores.

CREDIDERIM tamen, eos non assignare potentiam actiuam ad formandam speciem sensibilem, vt ipse videtur Ruuius fateri *num. 11.* dum ait. Prima opinio ponit in quolibet organo sensus duplicem potentiam sensitiuam; passiuam vnam, quæ immutatur ab obiecto per receptionem speciei ab eo: & actiuam alteram ad eliciendum actum sensationis præsupposita receptione speciei, quæ est opi-
70 nio ipsius Ruuij, *num. 13.* Certum est enim, potentiam aliâ virtute recipere speciem: aliâ non elicere actum sensationis; ad recipiendam enim speciem videtur maiorem partem habere organum; ad actum verò vis sensitiua, vt docet Seraphicus.

OBIICIVNT adhuc ex Aristotele *7. Phys. text. 20.* vbi ait, fieri alterationem, & passionem in cognitione, & hanc in potentia sensitiua: Ergò in mente nihil recipitur, sed ab ea tantùm procedit iudicium.

RESPONDET Faber *ad vndecimum*, ibi solùm haberi, perturbationes per se esse in sensu, non autem ibi recipi species; nam recipere species, non est perturbatio, vel alteratio.

RESPONDET D. Bonauent. *in 2. distinct. 24. part. 1. artic. 2. quæst. 4. in corpore* super quartum modum; Animam recipere species sine perturbatione per se, cuius signum est, quod etiam separata habet intellectum possibilem, quo est *omnia fieri*; & agentem, quo est *omnia facere.* Non igitur hæc facultas à corpore tantùm inest.

OBIICIES vltimò. Omnis qualitas intenditur, & remittitur, quod de speciebus dici nequit; alioqui superflui erunt habitus. Communiter Recentiores concedunt, species intendi cum Scoto *4. dist. 45. quæst. 5. ad 3. principaliter.* Vide Arriagam *disp. 4. sec. 3.* Mastrium *num. 75.* Alia congerunt Zabarella, & Bacconus, quæ ex dictis facilè corruunt. Cognitionem verò intuitiuam fieri absque specie, ostendam *disputatione nona, capitulo quarto, quæst. 7.*

QVÆSTIO IX.

An SPECIES *sit* IMAGO, *velut Idolum formale obiecti: An virtualiter tantùm expressiua.*

CVM iam liqueat, speciem esse similitudinem obiecti; quæritur: An sit formalis similitudo, & velut Idolum repræsentans per modum imaginis: vel solùm quadam ratione virtuali illud effectiuè demonstrans. Opinio ingenti ferè omnium Recentiorum plausu fert, speciem, esse meram, velut semen virtuale obiecti, efficienter illud exhibens. Ita Vasquez *p. p. disp. 45. cap. 2.* Arriaga, *disp. 4. de Anima, sect. 2. & p. p. disp. 1. & 8. sec. 2. subs. 2.* Mastrius cum Belluto, *disp. 4. num. 110.* Fuliens. *3. Phys. cap. 4. art. 3.* Eustachius *3. part. Phys. tract. 3. disp. 1. quæst. 2.* Suar. *3. de Anima, cap. 2. num. 20.* Ruuius *2. de Anima, cap. 6. quæst. 6.* & alij apud istos. Videtur D. Bonau. *lib. 2. Compend. Theol. cap. 18.* vt dixi *tract. 4. disp. 2. num. 161.* 71

ALTERA è regione censet, species esse idola obiectorum. Ita D. Thom. *p. p. quæst. 12. art. 2. & 2. contra Gent. cap. 98. & lib. 3. c. 49.* Scot. *in 2. dist. 3. quæst. 7.* Faber. *Theor. 79. & in 2. disp. 25. & 26.* Rocchus *2. de Anima, quæstione 38.* Complutenses, *disp. 18. quæst. 2.* Ioan. à S. Thom. *quæst. 6.* Poncius. *disp. 2. quæst. 7.*

HÆC est sententia D. Bonau. *Itinerario mentis, cap. 2.* vbi comparat species impressas Dei Verbo genito, quod est similitudo formalis Patris; & *Sermone 11. Hexaemer. & in primo, dist. 35. quæst. 1. & dist. 37. quæst. vlt corp. & dist. 48. quæst. 1.* vbi præclarè id ostendit; & *in 2. dist. 13. artic. 3. quæst. 1. ad 1. & dist. 17. art. 1. quæst. 2. ad 4. & in 3. disp. 14. art. 1. quæst. 3. ad 2.* vbi etiam rationes annuit. Equidem priorem sententiam non respui, sed probabilem dixi *tract. 1. disp. 11. quæst. 4. & 5.* neque illam à se impugnatam inuenio. 72

ASSERO tamen, secundam esse probabiliorem, nimirum species esse obiectorum Idola; quæ non tenuunt, ex aduersis, Suar. & Ruuius.

PROBATVR à D. Bonau. *locis adductis*, & omnibus ferè locis citatis *quæst. 6. 7. & 8.* Potentia per receptionem speciei fit similis obiecto, cùm ante esset dissimilis: fit autem similis obiecto, quatenus habet speciem per quam similatur obiecto, & tale fit, quale est obiectum, in esse intentionali. Sic enim Anima fit omnia, vt ait Aristot. apud D. Bonauent. *quæst. præced. & in 3. dist. 14. artic. 1. quæst. 3. ad 2.* Vnde vulgatum inter sapientes proloquium vertitur *Cognitionem fieri per assimilitudinem*, sed hanc similitudinem non potest causare inter obiectum, & potentiam species intentionalis, nisi sit formalis similitudo obiecti: ergo. Probatur Minor. Si species est tantùm efficienter causatiua cognitionis obiecti, oportet, vt detur aliqua alia forma, per quam obiectum

obiectum cum potentia assimiletur; sed hæc non est species, cùm non sit formalis similitudo; neque obiectum, quod in esse reali est dissimile; ex quo sequitur speciem non posse producere similitudinem formalem obiecti, & potentiæ; quia cum sit ab obiecto, tanquam à causa æquiuoca, non potest producere terminum similem obiecto, imò nec actio potest exire per modum assimilationis, nisi à principio producenti simili, quale non est species, secundùm aduersarios. Hâc ratione vtitur Ruuius, *numero 65*.

73 Probatvr secundò. Si species sunt, velut semen obiecti, effectiuè repræsentantes obiectum, ad modum seminis producentis fœtum; sequitur dari aliquam formam productam actuantem potentiæ capacitatem, & eam informantem, qua verè formata potentia exeat ab actu primo, in quo est, ad actum secundum: Sed forma ista est species: Ergo formaliter actuat potentiam similitudine obiecti. Vel ergo alia à se distincta similitudine formali; vel seipsa: Si seipsa; habetur intentum. Si alia a se: Ergo species actuans potentiam est formalis obiecti similitudo.

Probatvr tertiò: Quia per vos ita se habet species ad obiectum, sicut semen ad animal a quo est decisum: sed semen non est merum efficiens fœtum; sed ex partibus corpulentioribus spiritus agens educit fœtum, vel si libet, Deus, & astra: Ergo & ex specie effectiua, quam ponitis, vel illa, vel aliud agens educit similitudinem aliquam formalem obiecti: Probatur consequentia, nam cognitio fit per assimilationem.

Ardvvm mihi sanè videtur explicare, quonam pacto species sit agens instrumentale, quo producitur actus, seu, vt clarius loquar, quo pacto potentia formatur similitudine obiecti, & actuata constituitur in actu primo ad cognoscendum obiectum sæpè absens, aut absconditum; vel magnitudine excedens, & non præ se ferat similitudinem obiecti formalem. Vrget experientia: Nam speculum exhibet species formaliter repræsentantes mihi homines, post tergum transeuntes, quos nunquam

74 viderim, & hos quidem staturâ minores. Respondet Arriaga, & alij, in speculo, faciem hominis, non speciem, videri.

Contra, quia res non existens, non potest terminare visionem; cùm enim in aqua apparet virga, vel turris inuersa, non videtur virgula, vel turris, quæ sursum eriguntur, sed species.

Respondet Arriaga, rem non existentem posse cognosci; vt quando amo sanitatem, quâ careo, eam agnosco.

Hæc tamen non sunt ad rem, quia sanitatem agnosco, internè existente iam specie.

Obiiciunt primò Suarez, *num. 19.* Ruuius *numero 6.* Vasquez *loco citato.* Vel species est similitudo obiecti naturalis, vel intentionalis, neutrum dici potest: Ergo. Non naturalis, quia talis imago fundatur in vnitate cum obiecto; deinde non ducit in cognitionem obiecti, nisi prius ipsa sit cognita, vt patet in imaginibus; si verò est similitudo intentionalis: Contra. Similitudo formalis obiecti informans potentiam, & repræsentans ei obiectum; reddit ipsam formaliter cognoscentem; sed hoc non præstat species impressa: alioqui frustrà daretur species expressa, & ipsa cognitio. Vrgetur tunc: Potentia cognoscit actu obiectum, quando facta est ei similis actu, & formaliter; quia cognitio consistit etiam secundùm vos in actuali assimilatione eius cum obiecto; sed species impressa est similitudo formalis obiecti: Ergo eo ipso, quòd actu inhæret potentiæ, eam informans, ipsam constituet actu similem obiecto formali: Ergo faciet eam formaliter cognoscentem: Si dicas, potentiam constitui per speciem impressam, & similem fieri in actu primo, siue habitualiter; cognitionem verò actualem, cùm sit actus vitalis, non recipi solùm, sed etiam elici à potentia vitali.

Contra vrget Suarez, *numero 22.* quia hoc est petere principium, quia hoc ipsum vrget argumentum, non esse aliud potentiæ necessarium, præter speciem impressam, si per eam fit assimilatio, in qua cognitio posita est, & constituta. Imò vrget. Si ideò quia turris non est inuersa, non videtur: Ergo neque species. Probatur consequentia, 75 quia turris videtur procul infra aquam; species autem est in prima superficie, aut saltem in vltima: ergo illa species videtur, vbi non est. Secundò, illa species non est colorata; alioquin cùm transeat per aerem deberet totum colorare. Tertiò, vel per illam videtur etiam obiectum, vel non: Si primum: Ergo cùm appareat aliquid non rectum, & obiectum sit rectum; videtur aliquid, quod non est. Si secundum: Ergo species non ducit in cognitionem obiecti. Igitur respondet, species per fluctus aquæ discontinuari, & facere diuersas reflexiones; ideò diuersis in locis repræsentare virgæ partes, illamque facere curuam. Turris verò ideò videtur inuersa, quia species repræsentant distantiam obiecti, versus partem illam, vnde ipsæ reflectuntur, quia ergo pars altior turris, est distantior, apparet in aqua remotior versus profunditatem, quia inde reflectuntur species, ideò apparet profundior.

Hæc tamen nil ponderant; Nam, esto res absens aliquo sensu cognosci possit, non tamen visu; neque species videtur in sola superficie vltima, sed diffunditur per medium; alioquin non vniretur oculo; nec est necesse, esse coloratam, sed diminutè similem. Per eam verò videtur obiectum in imagine de genere entitatis diminutæ, quoad omnia; atque adeò, quoad colores, D. Bonau. *in 2. dist. 18.* 76 *articulo 2. quæst. 1. ad 1.* respondet, speciem esse similitudinem intentionalem, atque diminutam habentem suum esse formaliter manifestatiuum obiecti, ex quo fit, vt non prius cognoscatur, cùm sit exilis entitatis inter obiecta Intellectus; neque necesse est prius, eam esse cognitam, vt prætendebat Durandus. Iam verò non sequitur, superfluam fore cognitionem vel speciem expressam, quia species impressa solùm habitu, & actu primo facit similitudinem, quatenus potentia informatur specie, quæ est accidens, & idolum obiecti; sicuti si aliquis haberet imaginem Christi in corde; assimilaretur Christo, cum hoc discrimine, quod cæteræ formæ informatum reddunt perfectè assimilatum, *verbi gratiâ*, albedo reddit album simile formaliter completè omnibus albis; at species, quia licèt informent potentiam, tamen tantùm partialiter concurrunt ex parte obiecti ad actum vitalem, & solùm materialiter: Assimilatio autem vitalis perfecta fit per actualem coniunctionem cum obiecto per actum elicitum; ideò licèt potentia sit specie informata, non tamen adhuc est vitalis coniunctio perfecta actualiter, sed solùm in habitu; & ideò non superflua, sed necessaria est actualis productio actus, facienda à potentia, cùm species solùm exemplariter ad id concurrat, vt dicam *quæst. sequenti.* Neque hoc est petere principium; sed negare id, quod non probatum aduersarius supponit; sufficere,

ſcilicet, ſpeciem ad perfectam aſſimilationem potentiæ cum obiecto, quæ quidem fit perfectè per actum cognitionis, qui ſine ſpecie non eſſet aſſimilatio, vt dixi: Neque ſuperflua erit ſpecies expreſſa, per quam & obiectum, & ipſa cognitio exprimitur. Quibus notatis, euertuntur cætera Suarez obiecta.

77 ADDIT, facilè concedi poſſe, ſpeciei concurſum ſuppleri per alias res diſparatas: Si autem ſpecies eſſet formalis obiecti repræſentatio, non poſſet hoc admitti, quia non poteſt res diſparata obiectum repræſentare.

RESPONDETVR, non admitti à nobis, ſuppleri poſſe ſpeciem, niſi per obiectum, ſi ſit proportionatum. Quod ſi obiectum eſt improportionatum; negatur eam poſſe ſuppleri; de quo infrà *quæſtione* 14.

OBIICIES vltimò cum Suarez, & Maſtrio, ſpecies in ſpeculo non repræſentat imaginem in ſuperficie, ſed intus in ea diſtantia, in qua ſtat obiectum: Ergo non eſt imago formaliter.

RESPONDETVR ex Diuo Bonauentura, *ſerm.* 11. *Hexaëmer. circa finem*, ſpeciem repræſentare obiectum, à quo materiali modo & efficienter procedit in tali diſtantia. Vnde hinc potiùs habetur, eſſe Idolum obiecti, quod exprimit in diſtantia conſtitutum: Hinc eruit Fulienſ. ſpeciem non videri, ſed de hoc *diſp.* 5. *cap.* 2. *quæſt.* 8.

QVÆSTIO X.

Vtrùm SPECIES *efficiant cum Potentia Senſationem, ſeu Intellectionem.*

78 PRIMA opinio celebris eſt, ſpecies effectiuè concurrere ad actus ſenſationis, vel intellectionis. Ita D. Thom. *p.p. quæſt.* 56. *artic.* 1. & *quæſt.* 84. *articulo* 3. quem ſequuntur Thomiſtæ: Et è Ieſuitis Colleg. 2. *de Anima*, *cap.* 6. *quæſtione* 2. *artic.* 3. Suarez, *libro* 3. *capite* 4. & in D. Thom. 3. *part. diſput.* 14. Vaſquez, *prima primæ, diſputatione* 38. & 43. Ruuius, 2. *de Anima*, *capite* 6. *Tract. de ſpeciebus, quæſtione* 2. Scotus verò *in primo*, *diſtinctione* 3. *quæſtione* 7. Fauentinus, *Theor.* 77. Maſtrius *diſputatione* 4. Cauel. *in quæſtione* 14. *de Anima*, Smiſingh. *Tractatu de Deo vno*, *diſput.* 6. *quæſtione* 1. Vtiuenſ. *quæſtione* 7. *articulo* 1. *ſectione* 2. & alij apud iſtos. Adde Fulienſem 3. *Phyſic. cap.* 4. *art.* 5.

SECVNDA ſententia eſt negantium, obiectum, vel ſpeciem concurrere efficienter ad actus vitales ſenſationis, vel intellectionis, ſed tantùm habere rationem materiæ, circa quam intellectus, vel ſenſus ſolus operatur, eliciens actus. Ita D. Bonauentura, *in* 2. *diſtinctione* 23. *artic.* 2. *quæſt.* 1. Innuit, & *diſt.* 14. *p.p. quæſt. vlt.* & *in* 3. *diſtinct.* 14. *artic.* 1. *quæſt. vlt.* & *in* 4. *diſt.* 44. *quæſt. vlt.* de quo egi *Tract.* 4. *diſp.* 8. *num.* 94. Sequuntur Henricus, *quodl.* 4. *quæſt.* 7. Tolet. 2. *de Anima, quæſtione* 12. Præpoſitus, ſignatus apud marginem Scoti, Picolom. *lib.* 1. *de mente agente*, *cap.* 7. & *lib. de ſenſu agente, cap.* 8. Iauel. *lib.* 3. *de Anima.*

ALIQVI verò adeò è diametro hanc ſententiam impugnant, vt auſi ſint dicere, potentiam cognoſcentem non efficere actum, ſed ab obiecto illud recipere. Ita de ſenſibus aſſerit Venetus 2. *de Anima, text.* 60. & *in ſumma de Anima*, *lib.* 2. *tract.* 4. *libro* 10. Nyphus, *libro de ſenſu, contra Iandu.* Idem putat de intellectu Godfredus, vt refert Scotus *loco cit.* §. *Alia eſt opinio.*

ALII verò dixere, actum fieri à potentia, ſpecie informatâ; ita tamen, vt potentia ex ſe nullam actiuitatem habeat, ſed tota ratio efficiendi ſit ſpecies, quemadmodum aquæ calidæ tota ratio calefaciendi eſt calor. Pro hac adducitur à Scoto D. Th. *p.p. quæſt.* 56. *art.* 1. & *quæſt.* 79. *art.* 3. *ad* 1. & *quæſtione* 85. *art.* 2. *ad* 3. Verè autem fuit opinio Alberti *Summa de homine*, *de Potentiis ſenſuum*, Thienenſ. 2. *de Anima, text.* 22. Iauelli *quæſt.* 21. quoad ſenſus, quamuis aliter de intellectu ſentiat, *lib.* 3. nec longè abit Caiet. *p.p. quæſt.* 14. *art.* 1. *quæſt.* 79. *articulo* 1. *quæſtione* 87. vt notat Suarez, *num.* 4. & Fauentinus.

ALII tandem dicunt, apprehenſionem obiecti fieri à ſpecie: iudicium verò de eo, à potentia. Ita Ægidius, *libro* 8. *quæſt.* 2. inſinuatque D. Thom. *quodl.* 8. *quæſt.* 2. Alij dicunt, ſpecies internas effectiuè concurrere ad ſenſationes; externas verò, vt effectus præuios, ab obiectis manare. Ita Vulp. *prima primæ, diſputatione* 19. *articulo* 2. Bargh. 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 6. 79

ASSERO primò, potentiam cognoſcitiuam habere propriam actiuitatem circa actum proprium.

PROBATVR à D. Bonauentura, *in* 2. *diſtinct.* 23. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad vlt. primo loco*; & *in* 4. *loco citato*, ex D. Auguſtino, *libro* 6. *Muſica*, *cap.* 5. *Tom.* 1. Cognitio eſt actus potentiæ intrinſecus: ſic enim dicuntur potentiæ cognoſcitiuæ: ſi autem potentia non eſt actiuè cognoſcens; neque anima, quæ per potentiam operatur, cognoſcet. Tandem ſi agit per ſpeciem, ſicut aqua per calorem, iam & per accidens operatur; ſicut aqua calefaciens per calorem aget. Hoc argumentum vrget Suarez, *numero* 4. & 5.

CONFIRMATVR à D. Bonauentura, 3. *parte Centiloquij*, *ſect.* 3. Quia anima eſt ad imaginem Dei: Ergo habet actus vitales intrinſecos, non ab externo; at ſi tota actiuitas ſpeciebus concederetur, certè iam ſpecies eſſent vitales, non anima. Confirmatur ibi, quia anima dat viuere, ſentire, & intelligere formaliter per potentias, quibus produci debent actus; non autem à ſpecie extrinſeca. Ita vrget etiam *diſt.* 24. *quæſt. citata, in corpore.*

CONFIRMATVR à Diuo Bonauentura, *in Compend. Theolog. veritatis*, *cap.* 45. quia intellectus ipſe circa ſpecies operatur, eas abſtrahendo, componendo, plurimaque ex eis elaborando, vt mirum ſit, quo pacto circa ſpecies non agat. Eruit enim è ſpeciebus acceptis multiplicem cognitionem, diſcurrendo, deducendo, inductiones conficiendo, & ſcientias comparando; imò inſtituendo, quas à meris ſpeciebus non habet.

CONFIRMATVR à Diuo Bonauentura, *capite* 40. *lib. cit.* quia, cùm homo reminiſcitur alicuius rei, inueſtigando, perſcrutando, deducendo ex aliqua particula rei, quæ in memoria remanſit; reflectendo, ſe aliquando rem illam ſciuiſſe plenè; Quis negabit, potentiam agere? Id melius clarebit *aſſertione ſequenti.* 80

ASSERO ſecundò, ſpeciem, vel obiectum nil efficienter agere ad cognitionem, ſed ſolùm materialiter.

PROBATVR primò ex D. Bonauentura, *diſt.* 14. *loc. cit.* Materialis cauſa nunquam coincidit in vnum cum efficiente, ex Ariſtotele, 2. *Phyſicorum*, *text.* 70. alioqui, ſi materia eſſet efficiens, ageret in ſeipſam, & ſic ſpecies cognoſceret ſeipſam, & reflecteretur

æretur in se. Quod si id negatur potentiæ viuæ sensibili; multò magis speciei, vel obiecto inanimato. Id supponit fundamento primo. Tunc sic: Sed obiectum, & species sunt materia, circa quam agit intellectus agens, dum omnia facit sibi similia, vt docet Aristoteles, *3. de Anima, text. 18.* & notat D. Bonauentura, *in corpore*: ergo eadem species non potest esse efficiens: Nam quamuis recipiatur vt forma in intellectu possibili; attamen ipse intellectus possibilis iudicat eam; alioquin non posset dici intellectus; sicuti nec oculus dicitur visus, vt arguit S. Doctor.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, *distinct. 23. loc. cit. in corpore.* Intelligere, est actus vitæ connaturalis intellectui; sed species non habet simul cum intellectu vitam, imò est aliquid penitus extrinsecum: Ergo. Hoc argumentum à Toleto citando validissimum acclamatur.

PROBATVR tertiò è responsis D. Bonau. *ad argum. locis adductis.* Vel species est operatiua visionis, siue intellectionis, mediata, vel immediata: Si mediata: ergo potentiam, tanquam medium adhibet, & ita animatum dirigitur ab inanimato: Si immediata, cùm & à potentia ei non subordinata fiat; iam vnus actus simplex à pluribus causis compositis diuersis, non subordinatis producetur, contra principia metaphysica.

81 ADVERTIT verò S. Doctor ad actus plures concurrentes dispositiuè ad cognitionem, quales sunt abstractio speciei, & receptio, posse concurrere plures vires eiusdem potentiæ, vel etiam plures potentias, formaliter distinctas. Quòd verò plures disparatæ nequeant, Probatur à Sancto Bonauentura, quia sequeretur vnam intelligere aliquid, quod altera non intelligit, & ita species aliquid intelligeret, quod intellectus non intelligit. Hoc argumento vtitur Toletus *conclus. 2.*

CONFIRMATVR à D. Bonauentura, *in 2. distinct. 23. loco citato, ad vltimum*, quia intellectio est actio immanens, quâ anima agit in se, seipsam formando: Ergo illa actio non potest esse ab aliquo extrinseco, alioqui maneret in illo. Et si esset à specie, maneret in ea: Ergo esset formaliter intelligens, ac talis denominaretur.

RESPONDET Fauentinus ex Scoto, speciem non denominari intelligentem, quia intelligere consistit formaliter in receptione intellectionis; hoc autem est à solo intellectu, tametsi species concurreret ad producendum actum intellectionis.

82 CONTRA: Quia, cùm intellectio sit actus immanens, vt notat Diuus Bonauantura ex Aristotele, *2. Physicorum, text. 15.* & *9. Metaph. text. 16.* debet in eo recipi, à quo producitur: Quare, si semel concesseris, speciem elicere actum intellectionis, cogeris concedere etiam, accipere eundem actum; ac proinde, speciem esse intelligentem: Ergo denominabitur intelligens. Probatur consequentia, quia accidens, secundùm Scotum, semper denominat suum subiectum.

OBIICIT primò Scotus. D. August. *9. de Trinitate, cap. vlt.* & *30.* de paruis, ait: *Ab vtroque enim notitia paritur, à cognoscente, & cognito.* & *2. de Trinitate*, cap. 4. *Ex visibili, & vidente fit visio*, & *15. de Trinitate, capite 10.* & *24.* idem astruit.

RESPONDETVR, D. Augustinum solùm velle, obiectum, seu speciem concurrere, vt materiam circa quam versatur intellectus, & vt id, quod cognoscitur, vt habet ipse Sanctus August. *9. de Trinitate, capite vltimo.* Ait enim: *Fieri non posse, vt sciatur, quod scibile non fuerit. Vnde qualibet res congenerat notitiam sui*, sed *cap. 2. secundi, de Trinitate*, nil dicit, Sanctus Augustinus de hoc; neque *cap. 4.* citato à Scoto. Imò super *Genes. 12.* ait: *Species corporis nil facit in Spiritum intelligentem.* Quasi species sit materia, circa quam corpus in species operetur, & probat, quia omni modo nobilior est res, quæ facit, quàm materia, circa quam facit; sed Spiritus est nobilior corpore: Ergo. Concludit, quòd *licèt imago corporis sit in Spiritu, tamen non corpus in Spiritu; sed spiritus in seipso facit celeritate mirabili*, & subdit: *Cuius imago mox vt oculis, &c. visa fuerit in spiritu videtur, sine vllius puncti temporalis interpositione formatur.* Hæc Scotus ipse refert, & concedit. & *15. de Trinitate, cap. 10.* Sanctus Augustinus ait: *Ex scientia, quam memoriâ tenemus, nasci verbum*: Ergo tanquam ex materiali principio. Vide S. Doctorem, *serm. 11. Hexaëmeros.*

OBIICIVNT secundò Scotus *loco citato.* Quatuor sunt genera causarum *ex 2. Physicorum, & 5. Metaphysicorum*, quæ si sunt sufficientes; sequitur effectus: Necessariò, si sint naturales; potest verò sequi, si sint liberæ. Tunc sic: Actus intelligendi est effectus: Ergo ab istis causis prouenit: At non habet esse à fine realiter, quia is sequitur productionem rei: Similiter & forma producitur. Causæ ergo, quæ præcedunt rem in esse, sunt materia, & efficiens: Tunc sic. Quando istæ duæ causæ sunt sufficientes, nec impeditæ, sequitur necessariò effectus: Ergo si anima est tota causa notitiæ genitæ, iam in anima erit quæcunque actualis intellectio, quæ in ipsa anima esse potest. Probatur Consequentia, quia anima est subiectum receptiuum talis accidentis, nec est impeditum, at falsum est, omnem intellectionem actualem semper esse in anima: Ergo. Hoc argumentum efficacissimum clamat Faber. Mihi autem videtur nullius consequentiæ. 83

RESPONDETVR, negando sequelam: Ad probationem respondetur, intellectum, & sensum, vt sit semper in actu, requirere materiam, circa quam versetur actu applicitam vt obiectum, sicut ignis requirit lignum, vt comburat, & statuarius æs ad formandum Idolum, sæpè verò distrahitur potentia spontè, vel ex imbecillitate, quia fatigatur ob coniunctionem cum corpore; vel abest lumen sufficiens, vt notat Diuus Bonauentura, *in primo sent. dub. 1. ad prologum.* Adde, actum vnum intellectionis esse posse ob finitatem potentiæ. Ideò Aristoteles, *2. Top. cap. 4.* ait: *Scimus plura, sed intelligimus vnum solum*, vt notat Sanctus Bonauentura, *in 3. distinctione 14. articulo 2. quæst. 2.* præcipuè *fundamento primo*, & alibi.

OBIICIT tertiò Faber cum Scoto: Si anima esset totalis causa intellectionis, iam intellectio non esset similitudo obiecti, quod est falsum; nam intellectio est imago rei in intellectu; vnde, qualis est res; talis esse debet scientia; quod si sola anima efficit actum, poterit ex obiecto hoc, putà Leone, effingere ad libitum notitiam Bouis, Lupi, &c. effingendo (vt vos dicitis) ex ea materia imagines, ad modum, quo figulus e massa terræ vasa ad libitum; aut sculptor è marmore statuas Hominis, Leonis, aut Lupi efformat: At tenetur ex tali obiecto, *verbi gratiâ*, Lupo, notitiam Lupi elicere: non ergo obiectum, aut species est tantùm materia ex qua, sed efficiens etiam; sicuti Aromatarius è cicorea exprimens succum, est quidem causa efficiens succi; at non solus, sed vnà cum Cicorea: Ita ergo intellectus exprimit ex obiecto succum notitiæ, simul coagente obiecto. 84

RESP

85 Respondeo, totum argumentum infirmum, Cicoreâ, quâ confortetur, egere. Primò quidem notitia non est species obiecti, vt Faber supponit, sed huius partus. Iam verò intellectus assimilatur obiecto, putà lapidi, & fit lapis, vt ait Aristoteles adductus, *quæstione* 7. & 8. per speciem, quæ est similitudo obiecti, Huiusque idolum ab eo efficienter producta. Quare Leo speciem sibi similem sculpit; vel se immediatè exhibet intellectui, vel sensui; & ipse ex ea elicit, tanquam è materia sculpta, intellectionem Leonis, non alius obiecti. Itaque exemplum figuli extra chorum salit: in hoc verò est ad rem, quatenùs is nequit è materia cretæ vas fingere aureum. Exemplum verò aromatarij in eo etiam est ad rem, quòd obiectum producit speciem, & ab eo est hæc expressa, non tamen vt succus è Cicorea ad vnguem, vt dicam *quæst. sequenti*, multò minùs idem est modus educendi notitiam.

Instat Faber, nos secum iungi, si enim intellectus necessariò pendet ab obiecto in notitia formanda: ergo non est huius notitiæ totalis causa.

Dico, Intellectum egere obiecto, seu specie, vt *ex quo*, materiali, non verò efficienti.

Obiicit quartò, sequeretur, actum intelligendi non distingui essentialiter ex obiectis, Probo sequelam; quia obiectum, per vos, non est causa per se.

Respondeo negando sequelam, eius quoque probationem: Est enim obiectum, circa quod per se potentia operatur, inde eruendo actus.

Hinc ruunt alia Fabri obiecta, quæ supponunt intellectum apud nos accidentaliter ab obiecto pendêre. Dicat, num materia proxima sit causa per accidens?

86 Instat. Obiectum virtualiter continet scientiam: Ergo efficienter & actiuè: At obiectum est materia, circa quam, vt docet Faber *Theor*. 5. & 76. & aliis: Materiam autem esse passiuam testatur *Theor*. 26. & 27. & aliis.

Obiicies septimò. Species est forma, & actus potentiæ, vnumquodque autem agere dicitur, quatenus est actu; sed est actu per speciem: Ergo.

Respondetur, speciem comparari ad potentiam, vt materiam ad agens, non tanquam formam ad actionem; quia licèt informet potentiam, non tamen ob id agit per eam potentia, nec actuatur, vt habilis fiat; sed vt habeat idolum, seu obiectum suæ intellectionis vicinum, & quia est accidens, debet illud sibi adhærens constituere.

87 Obiicies octauò cum Trigosio, obiectum mouet voluntatem: ergo, & intellectum.

Respondetur cum Diuo Bonau. *in* 2. *distinctione* 23. *loco citato, ad vlt*. Obiectum mouere intellectum, quatenus intellectus ocasione obiecti mouet seipsum, vt habet D. Augustinus, adductus à Seraphico.

Obiicies vltimò, D. Bonau. *in* 1. *distinct*. 3. *quæstione* 3. *ad* 2. ait, Deum esse efficiens, vt obiectum mentis: & *in* 2. ait, Intellectum agentem iuuari à specie, quoad actum suum.

Respondet D. Bonauentura, *in* 3. *distinct*. 14. *articulo* 1. *quæstione vlt. ad vltimum*, hoc esse peculiare in supernaturali cognitione, vt idem Deus, qui est obiectum excedens, confortando potentiam, & condescendendo, eam eleuet ad sui claram cognitionem; imò etiam ad alias non claras supernaturales.

Dices ex D. Bonauentura *in* 3. *dist*. 13. *dub*. 1. *litterali*. Sonus excitat potentiam auditus.

Respondetur, excitare suâ viuacitate, ei obiiciendo se, non in ea efficiendo sensationem.

Hinc habes primò, speciem neque effectiuè disponere intellectum ad intellectionem, neque determinare seipsam effectiuè; materialiter verò ab obiecto determinari.

Habes secundò, species subiectari tantùm in potentia: Ita Diuus Bonau. *in* 2. *dist*. 1. *art*. 1. *quæst*. 2. *ad* 4. D. Thom. Scotus, & alij communiter. Probatur, quia sunt accidentia, & sanè distincta ab intellectione.

Habes tertiò, speciem intelligibilem esse in intellectu possibili. Ita S. Doct. *in* 2. *dist*. 24. *p. p. quæstione vltima*.

Habes tandem, sensationes non in sola receptione consistere, sed etiam in actione. Ita D. Bonau. *locis adductis*, præcipuè *in* 3. est Aristotelis, 2. *de Anima*, *textu* 37. & 9. *Metaphysicorum, text*. 16. & *de sensu*, *cap*. 2.

Probatur, quia constat, speciem esse receptam in oculo, & non fieri visionem, vt patet in abstractis; Si dicant, requiri attentionem: Ego dico, hanc sine actiuitate esse non posse. Confirmatur à D. Bonau. citatis suprà omnibus ferè locis, argumento efficaci, quo vtitur Toletus: Quia sensatio est actus vitalis animæ: Ergo est ab interno principio vitæ. Idem de intellectione ostendam *disp*. 9. *quæst*. 3. & 4.

Nota, Obiectum efficienter quidem producere speciem, vt ait S. Doct. *serm*. 11. *Hexaëmer*. non verò actum vitalem.

QVÆSTIO XI.

Ex quo producantur Species.

Assero, propriè species non educi è potentia materiæ: Ita D. Bonau. *serm*. 11. *Hexaëmer*. circa finem, & *in* 2. *dist*. 13. *art*. 2. *quæst*. 2. Hanc probabilem putat Tolet. 2. *de Anima, quæst*. 34. *ad* 3. Eustach. 3. *part. tract*. 3. *disputatione* 1. *quæst*. 2. contra Richard. *in* 2. *dist*. 13. *quæst*. 1. Colleg. 1. *Physic. cap*. 9. *quæst*. 12. *art*. 6. Fuliens. 3. *Physic. cap*. 4. *art*. 4. 88

Explicat autem S. Bonau. *in Hexaëmer. serm*. 11. quo pacto hoc fiat dicens, species mirabiliter produci, cùm enim non sint causæ perfectæ in ordine naturali, sed entia diminuta ad elicienda obiecta corporea ad esse intentionale, & sint veluti modi essendi, sufficit, si habeant primum principium, seu originem mediam inter principium effectiuum, & materiale. Dedit igitur Deus cuilibet rei facultatem gignendi similitudinem suam ex naturali fœconditate; & quia species debet esse quid vagum, non fixum; non fuit educenda è subiecto, cui fixè inhæreat, sed apta induci in potentiam ex virtute obiecti: vnde neque dicitur creari. Idem habet *Itinerario mentis in Deum*, *cap*. 2.

Probatur ergo: Si educerentur è materia, non possent perire in medio, abeunte obiecto; sed hoc est falsum, sicut etiam de lumine dicam, *disp*. 5. *quæst*. 4. & 5.

Svnt igitur ab obiecto, vt principio; & in medio, vt in vehiculo. Hinc non rectè Mastrius *disp*. 4. *n*. 49. arguit, eas educi de materia, seu potentia obiecti, quia non creantur.

QVÆSTIO XII.

An Species *sint extensæ.*

89 Species possunt considerari, vel in essendo, vel in repræsentando, scilicet, vt sunt in se, & vt repræsentant.

Prima opinio est, species esse indiuisibiles in essendo, & repræsentando. Ita Venet. *ad 2. de Anima, text.* 127. Pisanus in sua Perspectiua, *parte* 5.

Secvnda opinio est, esse quidem diuisibiles in se, quia sunt è subiecto diuisibili, esse tamen indiuisibiles in repræsentando. Ita Colleg. *2. de Anima, capite 6. quæstione 2. articulo 2.* Anguillon. *in Opt. proposit.* 70. Pannes. *p.p. quæstione* 78. *articulo 3. disp. 3. ad* 2. Tolet. *2. de Anima, quæstione* 14. Morisan. *disp. 2. de Anima, quæstione* 17. Auersa *quæstione 53. sectione 3. & 5.* Eustach. *3. part. tract. 3. disp. 1. quæst. 2.*

Opposita sententia est, species esse diuisibiles, etiam in repræsentando. Ita Ruuius *2. de Anima, Tract. de Obiecto, & speciebus sens. quæst.* 8. vbi multos refert, Suarez, *3. de Anima, capite* 2. Hurtad. *disp. 12. sect.* 3. Arriaga *disp. 4. sect.* 7. Cauellus *disp. 2. sect.* 14. Mastrius, & Bellutus, *disp. 4. art. 3.* Fuliens. *3. Physic. cap. 4. art. 4. & 5.* & Rocch. *2. de Anima, quæstione 28. & 38.* cum D. Bonauent. *Itiner. in Deum, cap.* 2. vbi solas species intelligibiles esse à quantitate abstractas dixit.

Assero primò, species in ordine ad subiectum, esse extensas.

Probatvr à Ruuio ratione D. Bonauenturæ. Accidens receptum *in corpore*, mediâ quantitate, esse debet quantitate affectum. Species recipiuntur in organo corporeo mediâ quantitate: Ergo. Quamuis enim recipiantur in anima; non tamen in ea nuda recipiuntur, sed vt extensa ad corpus informatum, tametsi in se indiuisibilis supponatur.

90 Assero secundò, species esse extensas obiectiuè, ita vt pars partem repræsentet, & tota totum obiectum.

Probatvr argumento validissimo, deducto ex D. Bonau. *loco citato*, cui adhæret Ruuius *num.* 90. Mastrius, *num.* 85. Sensus in consideratione sui obiecti delectatur in eius partibus, siue ratione pulchritudinis visus, siue ob suauitatem Odoris, Olfactus, &c. Hæc autem delectatio est ex proportionalitate: hæc verò proportionalitas est obiecti, ratione speciei ad potentiam, & hæc videtur dicenda æqualitas sensibilis. Hanc sequitur apprehensio, & iudicium intellectûs iudicantis rationem illius
91 pulchri, illiusve dulcis: sed hæc stat in æqualitate secundùm essentiam, vt ait Sanctus Bonauentura, *loco citato*, non secundùm dimensiones, quæ ratio est eadem in magnis, & paruis, nec extenditur dimensionibus; quia, *verbi gratiâ*, cùm pulchritudinem vultus iudicat modo spirituali, illam iudicat, essentiam pulchritudinis considerans; non autem mensurans lineamenta. Vnde pulchritudo, cùm stet in numero, & proportione membrorum cum quadam coloris suauitate, respicitur à sensu cum tali extensione, vt hæc pars speciei repræsentet distinctè os; illa exprimat genas; hæc nasum; hæc verò oculos; hæc frontem, ita vt non confundantur, sed repræsentent distinctè; vt autem distinctè repræsentent, debent repræsentare necessariò obiectum, prout ab eo sumptæ sunt illæ partes; & cùm nasus non emittat speciem oris; nec oculi emittant speciē nasi, sequitur etiam speciem habere diuersas partes distinctas, vt tota totum, & pars exprimat partem, numerumque partium, in quibus pulchrum materialiter est, vt ait Sanctus Doctor. Ita, si repræsentet mulierem speciosi vultus, sed gibbam, deformem in reliquo corpore, distinguet vnam partem ab altera. Neque aliter quàm ab obiecto desumpta est. Quis autem dicat, partem speciei, quæ gibbam repræsentat, sumptam esse ex vultu? Nullus sanè; nam, si gibbam operias, adhuc vultum videbis, ita perfectè, non tamen videbis gibbam. Dicere enim cum Toleto, debere speciem terminare actionem totius, & non esse impeditam, est petere principium: Nam imò hoc medio ostenditur, 92
speciem partis, non terminare actionem totius, & operire partem, est medium ad hoc cognoscendum: At verò intellectus respicit illam pulchritudinem modo speciali, considerando deformitatem illius speciei non extensæ, sed vt deficit ab essentia pulchritudinis, quæ, licèt supponat cognitionem quantitatis, atque adeò vultus, gibbæ, &c. tamen solùm considerat affirmando spiritualiter, & primò apprehendendo, quatenus quantitas vultus, extensioque gibbæ sunt quantitatiuæ in tali gradu essentiæ, & accidentium, atque adeò non amplius extensiones respicit materialiter, vt sensus; Ratio enim non extenditur dimensionibus, nec transit cum transeuntibus, nec motibus alteratur, sed induit esse speciale, vt notat D. Bonauentura, *loco citato*. Idem argumentum est de pluribus coloribus in eodem; de pluribus membris eiusdem statuæ, &c.

Obiicies primò cum Toleto. Corpus luminosum, ita vnitur secundùm omnes partes ad producendum lumen, vt totum pendeat à toto, & quælibet pars à toto lumine: Ergo etiam obiectum vnitur secundùm omnes partes ad totam speciem emittendam.

Respondet Ruuius, *num.* 87. negando paritatem: species enim repræsentant obiectum per modum imaginis, & ideò debent partes eo modo repræsentare, vt dixi: non sic autem lumen, & alia naturalia, vnde non agunt partes actionibus partialibus.

Ego negarem etiam, lumen totum esse à qualibet parte, quia omnes partes luminosi corporis ita agunt, vt, si vna absconditur, *verb. grat.* pars lychni candelæ, vel pars metalli fulgentis, adhuc aliæ habeant quidem eandem intensionem, non tamen extensionem; vnde non adeò extenditur lumen: Signum ergo est, illam partem recisam habuisse suum partialem distinctum effectum.

Obiicies secundò, Si corpusculum sit longè, 93
non videtur: Apponantur alia plurima, tunc etiam illud primum videbitur: Ergo se iuuant ad species gignendas.

Respondetvr, se iuuare non vt obiecta talia sunt, *verbi gratiâ*, granum fuluum; sed vt sunt sensibilia communia, *verbi gratiâ*, quanta: nam cùm potentia sit limitata non potest, nisi tale obiectum sentire: Si igitur vnum granum tritici longè apponatur distans, & non videatur; apponas autem modium tritici, constituet competentem quantitatem Potentiæ, potiùs in ratione sensibilis communis, cuius signum est, quod videbitur cumulus, nec distinguetur color cumuli, non quia singula grana totum obiectum referant: hoc enim est ridiculum; sed quia obiectum aptum imbecillitati potentiæ

tentiæ constituet, quoad quantitatem, quæ est sensibile commune, quod debet esse proportionatum potentiæ, & quia sensibile proprium à sensibili communi pendet: Id, ait Fuliens. probari, si ponantur discolores non se iuuantes, vt tales.

Obiicies tertiò: Si species essent extensæ, se a. gustarent in medio; sed hoc est falsum: Ergo. Hoc argumentum videtur D. Bonau. *in* 1. *distinct.* 17. *part.* 2. *quæst. vlt. ad* 2.

Respondetur, ibi comparari lumen cum speciebus, quorum neutrum habet corpulentiam, vt se coangustet, cùm non sit corpus, sed ens spiritualizatum diminutum.

94 Quæres: An species habeant diuisibilitatem intensionis.

Respondetur affirmatiuè, vt patet experimento: Si dealbares manum, magis autem vultum, quis ignorat, magis disgregaturam esse albedinem vultus, quàm manus? Simile eueniret, si massam niuis hinc aspicias; inde verò aliam æqualem corporis, non tam intensæ albedinis: Si pariter corpus album, *verbi gratiâ*, parietem magis, magisque albifices, magis, magisque disgregabit visum; neque verò hoc tantùm præstabit, sed etiam clariùs videbitur, & perfectius; quia, sicut crescit in perfectione naturali, crescit etiam in virtute intentionali; nam cùm producat speciem secundùm propriam virtutem realem, debet perfectiorem producere si perfectior est. Species porrò internæ intenduntur ab iteratis actibus: Si verò circumstantias addunt loci, temporis, aliæ potiùs producuntur. De his Ruuius *quæst.* 9. Arriaga *sect.* 5. Petrus à S. Ioseph. Fuliensis *lib.* 3. *Physicorum, capite* 4. *articulo* 4.

QVÆSTIO XIII.

An Species *se inuicem multiplicent.*

95 Prima opinio est, species se multiplicare in medio. Ita Palacius 2. *de Anima, cap.* 12. referens Assianum. Videtur D. Thom. *quæstione* 16. *de veritate, artic.* 1. *ad* 1. Albert. 2. *de Anima, tract.* 3. Sic Ruuius 2. *de Anima, cap.* 6. *tract. de speciebus, quæstione* 10. Eustach. 3. *part. tract.* 3. *disp.* 1. *quæstione* 2. Fuliens. *infr. cit.* Arriaga *de speciebus.* Ex his dicunt, species se inuicem multiplicare independenter ab obiecto in hac multiplicatione. Vide S. Doctorem, 2. *distinct.* 13. *quæst. vlt. in corpore.*

Secunda sententia omninò negat, species, se inuicem multiplicare. Ita D. Bonau. *in* 2. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *in corpore*, quem sequitur Scotus *in* 2. *dist.* 16. *quæst. vnica*, Poncius *disp.* 2. *quæst.* 8. cum aliis suæ scholæ, & plurimi Moderni: Fuliens. *lib.* 3. *cap.* 4. *artic.* 5. ex parte. Displicet tamen ei Ioannes à Sancto Thom. *quæst.* 6. *art.* 2. innuens obiectum producere eas virtute participata à Cœlis, & Intelligentiis: timet autem ab hac opinione, quia sunt ordinis spiritualioris, sed non vidit species esse ens diminutum, obiecto inferius, & exilius.

Assero cum his. Probatur à Sancto Doctore; quia non est intelligibile quo pacto fiat hæc multiplicatio. Primò, quia species est ens diminutum: Ergo non potest producere aliud.

Deinde, species sunt dependentes ab obiecto, tanquam semen illius, aut imago; non autem altera est semen alterius, vel imago: Si enim altera esset alterius imago, eam repræsentaret, non obiectum: quod experientiæ repugnat: Si vna esset semen alterius, iam alias produceret in eodem speculo, quod est falsum. Probatur Minor: nam vel vna produceret species eiusdem rationis; vel diuersæ: Non diuersæ, quia eas non continet, nec formaliter, nec eminenter. Cur enim dicas, speciem montis continere speciem Solis? Vel speciem bouis, speciem hominis, &c. Si produceret eiusdem rationis. Contra primò, quia sequeretur innumeras species, solo numero distinctas, produci in eodem subiecto, putà speculo, potentia, &c. Hoc autem est inuehere in naturam superflua. Omitto, secundùm aliquos, non posse duo accidentia, solo numero distincta, esse in eodem numero subiecto.

Præterea sequeretur, vnam speciem in anima, alias eiusdem rationis, solo numero distinctas producere, & sic, qui habet speciem, *verb. grat.* Petri, experiretur innumeras Petri se habere, quia ex naturali fœcunditate se multiplicant: Saltem verò in necessitate, species in memoria aliam germinaret, nec sineret intellectum fatigari ad reminiscendum: Similiter, & in vno speculo, in vno oculo innumeros Petros videret, dum vnicum obiectum haberet, & inuicem ita haberent dependentiam, vt vna manente, omnes permanerent, & tamen experimur perire vnam speciem, putà, quæ est in medio, manente ea, quæ est in organo. 96

Insuper; si species se multiplicarent, *verbi gratiâ*, in speculo, videretur species, quæ est in speculo, stante post humeros; nam recta etiam linea deberet species illa, alias in medio, vsque ad oppositionem oculi, producere; ita vt videretur saltem inuersa res. Deinde in cubiculo vsquequaque videretur res, quæ extra fenestram est, in quocunque angulo esses: Similiter videretur res ingentis magnitudinis tota, *verbi gratiâ*, Turris extra surgens, quia in qualibet parte producit speciem totius, vt dixit Ruuius, *quæstione* 8. qui negat hîc, *numero* 123. totam turrim videri ab intra cubiculum existente, sed non erat cur id negaret: Negat deinde, Turrim producere totam speciem ex quauis parte, quia producit speciem dependenter ab obiecto, iuxta modum, quo & obiectum potest eam producere, idest per lineam rectam. Hoc tamen retractare videtur, *Tract. de sensu visus, quæstione* 2. *numero* 36. vbi supposito, quod lumen in medio esset species, vt volebat Scotus, infert sequelam, quod videretur obiectum ex quacunque parte medij ab oculo sub quauis dispositione, in quouis situ, licèt non è regione, & per lineam rectam. 97

Sed hæc fictitia sunt: Si enim species modo indiuisibili repræsentat, vt ipse Ruuius vult, debet quæuis pars totam turrim repræsentare. Dicere autem, id verum, nisi operiantur aliæ partes, est petere principium; nam si quæuis pars totam repræsentat, quid obest cæteras operire? Imò ex eo, quòd cæteræ operiuntur, coarguitur falsitas eius assertionis.

Obiicit Ruuius euidentem (ait) experientiam obiecti à tergo positi, & visi in speculo ante oculos positos per reflexionem; non enim potest videri per speciem immediatè productam ab obiecto, cùm non sit in situ in quo possit speciem ad oculum emittere: Ergo per speciem productam ab obiecto in speculo, sed illa species speculi non potest videri, nisi ipsa aliam producat in oculo: Ergo se multiplicat (non enim potest ab obiecto esse producta immediatè.)

Resp

98 Respondetvr, speciem illam speculi non separari à speculo, vt docet S.Doct. *in 2.dist.8.p.2. art.1. quæst.3.in corpore*; nego tamen multiplicari; sed dico protendi, & deferri vsque ad oculum: hæc est enim natura intentionalium, quæ non adeò fixè inhærent subiecto, vt notat D.Bonau. *serm. 11. Hexaëmer*. & maximè specierum, sicut igitur ex obiecto protenditur ad speculum oculi; ita à speculo chrystallino ad oculum reflectitur, quæ sanè est eiusdem speciei continua emanatio ab obiecto, vt notat D.Bonau. *in 2. distinct. 13. art. 3. quæst. 1. ad primum, & secundum*: Sic enim (ait Seraphicus) & lumen à corpore luminoso tendit ad parietem, & quia habet virtutem se ampliùs protendendi, reflectitur ad oculum; vnde illud lumen non producitur à pariete, vel ab illo primo, sed est vnum numero, idemque à corpore luminoso emanans, quod cùm habeat virtutem, sanè finitam, attamen ampliùs se extendendi, *verb. grat.* ad quadraginta cubitos; si infra vigesimum cubitum opponatur paries, vel speculum, reflectitur lumen ad vsque alios viginti cubitos: Sic etiam species producta ab oculo, semper dependenter ab eo operatur, vt notat etiam Ruuius sub *num.* 220. atque adeò non operatur, nisi vt virtus obiecti instru-

99 mentalis (ait Ruuius:) Tunc sic: Sed obiectum per te non producit immediatè, vt causa principalis secundum speciem, quam dicis reflexam à speculo ad oculum: ergo neque species ipsa, quæ est merum instrumentum. Vanum est enim dicere, causam instrumentalem agere ad aliquem effectum, & principalem nil aliud agere quàm conseruare instrumentum in suo esse, nec principaliter agere actione propriâ principali ad eam actionem; hoc enim implicat. Sic respondet etiam Fuliensis.

Obiicies vltimò. D. Bonau. *in 2. dist. 13. quæst. vlt. in corpore*, agens contra D. Thomam dicentem, lumen esse ens reale, conatur probare, habere esse intentionale specierum, quia se multiplicat in medio ex D. Dionys. *cap. 4. de Diuinis Nominibus*.

Respondeo, rationem D. Bonauenturæ esse lumine ipso clariorem; nempè, lumen non esse ens corporeum merè naturale; sed etiam intentionale; quia plura lumina in medio eodem, multiplicata ad numerum luminarium, fiunt in eo vnita, & inconfusa; non autem dicit multiplicari ab vno, vt volunt aduersarij.

Dices cessante sono Campanæ adhuc species perducuntur ad aures: Ergo ab aliis speciebus.

Respondeo Sonum manere adhuc in aëre repercusso, & sic posse emittere species immediatè.

QVÆSTIO XIV.

An, præter Speciem, *sit necessaria præsentia Obiecti ad Sensationem externam.*

110 Qvæstio hæc aliam supponit: An valeat species externa conseruari, remoto obiecto: Communis quidem sententia est; species, etsi non omnes, saltem maiori ex parte, & præcipuè visibilium, ne momento quidem posse conseruari absque præsentia obiecti: Ita Colleg. *2. de Anima*, Ruuius *Tractatu de obiectis, & speciebus sensibilibus, quæstione 13.* Aquil. *lib. 1. Opt. prop. 52.* Moncæus *in locis Theologicis, disp. 5. capite 6.* Zabarella *libro de sensu agente, capite 3.* Auersa, *quæst. 13. sectione 6.* Suarez *3. de Anima, capite 12.* Arriaga *disp. 4. de Anima, sectione 6.* Salas *part. 2. tractatu 10. disp. 2. num. 72.* Gabr. *2. dist. 7. quæst. 4.* Maior. *disp. 3. quæst. 9.* Dand. *2. de Anima, ad textum 138.* & alij cum Seraphico infrà citando.

Opposita sententia est Vasquez *p.p.disp. 38.* Nicol. Letniei, *lib. de somnio, p. 3.* Celsi Mancini *libro de som. & synesi per somnia, cap. 5.* Fonseca *5. Metaph. cap. 28. quæst. 6. sect. 2.* sic Mastrius, & Bellutus *disp. 4. de Anima, quæstione 5. numero 95.* & alij dicentes, posse species aliquanto tempore, sed breuissimo, sine præsentia obiecti conseruari, maximè illas, quæ ab aliquo vehementi obiecto imprimuntur. Fauere videtur D. Augustinus *11. de Trinitate, cap. 2.*

Sane de speciebus internis patet, eas, destructo obiecto, in memoria diu retineri. De externis, idem asserunt aliqui in speciebus soni, & aliis odorum, &c. de quibus erunt singulares quæstiones in propriis sensibus discurrendis; sed non est verum.

Svppono hìc, naturali cursu ordinario, obiectum præsens esse, atque sentiri materialiter præsentiam, contra allegatos, & contra Suarez *3. de Anima, cap. 4.* Ruuium *3. de Anima, quæst. 6.* 101

Est sententia D. Bonau. *in 2. dist. 8. p.p quæst. vltima, ad argumenta*, vbi adducit D.August. *epist. 112.* est Arist. *lib. de memoria, & reminiscentia, capite 1. & 2.* vbi vocat memoriam, sensum temporis, subdens: *Est enim præsentis quidem sensus; futuri verò species, facti autem memoria.* Probatur etiam ratione, quia obiectum causat in appetitu speciem, vt cùm Leo sequitur prædam: ergo sentit esse absens: Similiter delectationem, dum habetur: ergo sentitur præsens esse alioquin non discerneretur operatio Memoriæ, ab operationibus sensus communis. Dixi verò, cognoscere materialiter, neque enim necesse est, cognoscere formalitatem temporis præsentis, vel futuri, vt arguit Ruuius.

Qvæstio autem est: An obiectum sensus externi absens, vel non existens possit per solam specierum præsentiam percipi. 102

Prima opinio est, præsentiam obiecti, ita esse necessariam, vt nequeat per præsentiam solius speciei percipi à sensu externo, etiam per Dei potentiam: Ita Gabriel *in 2. dist. 3. quæst. 2. concl. 2.* quem Recentiores aliqui sequuntur.

Secvnda sententia è diametro concedit, aliquando etiam naturaliter posse obiectum absens percipi à sensibus externis per solam speciei præsentiam: Ita Buridan. *2. de Anima, quæst. 21.* Videtur Arist. *lib. de Insomniis, cap. 2.* & D. Aug. *11. de Trinitate, cap. 2.*

Tertia sententia, veluti media, negat, id naturaliter posse fieri, sed Diuinæ Potentiæ non denegat id præstare. Ita D.Th. *3. p. quæst. 76. art. 8.* Molina *p.p. quæst. 55. art. 2. disp. 2. membr. 3.* Suarez, *tom. 3. in 3. part. disp. 53. sect. 4. & disp. 55. sect. 2.* estque ferè communis inter Modernos, vt refert Ruuius, *2. de Anima, cap. 6. Tract. de speciebus, quæst. 13.* Huc reuocari possunt Doctores asserentes, in apparitionib. quæ fiunt in SS. Eucharistia, dũ videtur Christus in specie pueri, vel Iuuenis, aut simili, non videri verum Christi corpus, sed repræsentari hæc per species impressas oculis, ac si ibi verè esset Christus: Sic Scotus *in 4. distinctione decimâ, quæstione 1.* Ledesma, *prima primæ, quæstione 14. art. vltimo,* Antonin. *3. part. Theolog. titulo 13. capite 14.* 103

Victoria *in relect. de Eucharistia, num.* 62. Soto *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. *art.* 8.

114 Hæc profectò sententia est D. Bonau. & quoad priorem partem, non posse naturaliter id fieri asserit 3. *part. Centiloquij, sect.* 20. 21. 23. & *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 37. & *in declaratione Terminorum Theologiæ, post initium.* Quod verò Dei potentiæ non sit denegandum, videtur astruere *in* 4. *dist.* 10. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. clarè autem *in* 2. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *in corpore*, vbi id, mirabile astruens, concedit, *argum.* 2. & 3. Id ostendit non esse peruium potentiæ naturali dæmonis, quia nequit educere species è nihilo, neque opera naturæ valet inuertere.

Assero cum hac sententia, Primò; naturaliter non posse obiectum sensibile à sensibilibus externis percipi, absque præsentia obiecti.

Probatvr à S. Doct. 3. *p. Centil. sect.* 20. vbi ex Magistris, præcipuè Aristotele, 2. *de anima, text.* 60. definitur sensus sic: *Singularium quidem secundùm actum sensus est, Scientia autem vniuersalium, hæc autem in ipsa quodammodo sunt anima; vnde intelligere in ipso est, cùm vult; sentire autem non est in ipso; necessarium est enim esse sensibile,* Idem habet *sect.* 21. Hâc authoritate vtitur Ruuius *numero* 169. & 175.

Probatvr secundò à D. Bonau. *sect.* 23. eiusdem tertij ex D. August. *lib. de spiritu, & anima, capite* 11. vbi definitur sensus esse, ea vis animæ, quæ rerum corporearum recipit corporeas formas, sed præsentes: loquitur autem de sensu externo.

Probatvr tertiò à D. Bonau. ratione *dist.* 8. *loc. cit. argumento* 2. quo vtitur Ruuius *num.* 176. Non potest obiectum per se esse obiectum proportionatum sensibus, sed debet sentiri per suam speciem, vt vidimus *quæst.* 7. At species dependent à proprio obiecto, cuius sunt partus, & imago: Ergo non potest species repræsentare absque præsentia Obiecti. Confirmatur, quia, vt notat S. Doct. species semper est repræsentatiua imago sui obiecti: Ergo, sicut ab eo pendet *in fieri*, ita etiam *in conseruari*, & sic non potest naturaliter deferri species, quin proferatur obiectum, *verb. grat.* animal, &c. Hâ ratione vtitur etiam Suarez, 3. *de Anima, capite* 12. *num.* 3.

115 Probatvr quartò *in corpore*, circa medium, quia species producta ab obiecto, deberet recipi in aliquo, & in eo retineri, & alio deferri: at hoc non potest esse: Ergo. Minor probatur, quia in speculo, vbi recipitur, non potest auferri, quia recedente obiecto perit, vt patet experimento: Neque in alio vase recipi, quia à speculo non potest separari: Ergo, &c.

Assero secundò, per Dei potentiam posse, absente obiecto, per solam speciei præsentiam, sentiri obiectum.

116 Probatvr à S. Doct. *argum.* 2. *adducto dist.* 8. quo vtitur Ruuius, *num.* 197. Id, quod ab agente creato effectiuè producitur potest, & à Deo è nihilo produci: sed species ab obiecto creato effectiuè producitur, nec aliud requiritur, si aliunde producatur, quàm, vt educatur è nihilo: Ergo. Maior probatur, quia perfectio primæ causæ efficientis est, vt contineat virtutes, & effectus omnium causarum efficientium; alioqui non erit prima causa, à qua reliquæ habent virtutem. Minor probatur, quia species non exit ab obiecto formaliter. Confirmatur, quia Deus condidit species rerum in intellectu Angelico, vt probat Seraphicus *in* 2. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. & ostendimus *Tractatu de Angelis, disp.* 2. *quæst.* 5.

Obicies primò: Nulla potentia transgreditur suum obiectum: Sed obiectum sensuum externorum est sensibile præsens: Ergo.

Respondet D. Bonau. *dist.* 8. *loc. cit. in corpore*, Naturale obiectum esse sensibile: præsentiam verò obiecti non esse intrinsecam, nisi apud aliquos secundùm speciem, & ideò mirabiliter posse speciem absente obiecto conseruari à Deo, & deferri: Itaque per miraculum potest videri in speciebus Cœlum destructum.

Ad testimonia D. August. & Aristotelis dico, vehemens sensibile, actione naturali, imprimere quandam similitudinem lucis, & colorum in organum, adeò vehementer, vt obiecto amoto, aliquantisper duret illa repræsentatio semilusoria.

Responsio ad argumentum indicat quæstionem quandam: An possit, sensus externus iudicare obiectum, quod est absens, nec offert speciem ita vt nec in obiectum, nec in speciem tendat potentia. 117

Molina *p. p. quæst.* 55. *art.* 2. *disp.* 1. & Ruuius 2. *de Anima, cap.* 6. *Tract. de obiectis. quæst.* 14. id fieri posse à Deo, dicunt.

Probatvr, quia Deus potest supplere omnem causalitatem effectiuam, quæ non sit vitalis.

Oppositvm tamen Conimbr. defendunt 2. *de Anima, capite* 6. *quæstione* 3. *art.* 1. qui tamen implicantiam non ostendunt.

QVÆSTIO XV.

A quonam agente producantur Species Sensibles.

Aliqva delibauimus suprà ex origine effectiua specierum; attamen latiùs hic discutietur, ob singulares occurrentes difficultates.

Distingvvnt autem communiter quatuor genera specierum: Alias sensatas sensuum externorum: Alias sensatas internas: Alias compositas ex sensatis, quas Phantasiæ adscribunt: Alias vocant insensatas, quia non per sensus acceptæ sunt, sed aliâ ratione repræsentantes obiectum, quàm per sensum fuerit in speciebus sensatis expressum. Tales dicuntur species Æstimatiuæ, *verb. grat.* eam, qua Ouis percipit Lupum, non modò illius Coloris, Odoris, Figuræ, quæ per sensus exteriores ostensa sunt, sed inimicum. Tales sunt omnes pariter, quæ repræsentant obiecta sub ratione conuenientis, vel inconuenientis. Et de his vltimis est maior difficultas: Nos de singulis agemus per dubitationes. 118

Svppono autem, eas esse diuersi generis, cùm enim repræsentent obiecta secundùm proprias singulorum sensuum rationes, quæ sunt subordinatæ, atque adeò perfectione inæquales; illæ erunt perfectiores, quæ à sensibus perfectioribus sunt, seu illis deseruiunt: Itaque eæ sunt perfectiores, quæ à sensibus internis, & inter eas, quæ ab internis extimioribus oriuntur.

Dvbita

DVBITATIO I.

A quo producantur SPECIES *externorum sensuum.*

109 SPECIES has ab obiectis produci, Sentit D.Bonau *in 2.dist.24. p.1. art.2. quæst.vlt.arg.ad oppos.* & *serm. 11. Hexaëmer.* & *Itinerario mentis, cap.2.* & alibi, D.Th. *p.p. quæstione 11.articulo 4.* & *in quæst.de anima,art.4.ad 5.* Albert.*in summa de homine,quæst.102.* & *2. de Anima, Tract.3. c.6.* & omnes ferè expositores Aristotelis, *ad text.121.secundi de Anima*, vbi ait: *Sensum pati à sensibili*, & D.August. 10. *de Trinitate*, *cap. 2.* vbi ait: *Obiectum a l extra mouere sensum*: Ita Suarez, *3.de anima, cap.9.* Cauell. *disp.2.sect. 1.* Mastrius *disp.4. art.2.* & cæteri.

PROBATVR à D. Bonau. *serm.11. Hexaëmer.* circa finem,experimentis. Dedit enim Deus omnibus rebus, vt vnirentur sensibus; & quia non possunt immediatè vniri, tribuit eis producere similitudinem sui: & hoc patet in speculis,in quibus recipiuntur ab obiectis præsentibus species: obiectis autem variantibus, variantur; & amotis, euanescunt species. Idem oculis experimur. Hoc argumento vtitur Suarez *libro 3. de Anima*, *capite 94.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in Itinerario mentis in Deum, cap.2.* Quia creaturæ sic conditæ, atque aptatæ sunt,vt per earum cognitionem scandens Anima, ascendat in Deum; cognitio autem fit per assimilitudinem potentiæ cum obiecto: assimilatio autem fit secundùm formam; at verò non potest obiectum materiale corporeum se ipsum assimilare animæ spirituali; Ergo oportet vt gignat sui similitudinem, & imaginem, vt ostendimus *quæst. 9.*

DVBITATIO II.

A quo producantur in sensibus internis SPECIES SENSATÆ.

110 ALIQVI dixere tales species productas esse à sensu agente: Ita Auerroës *2. de Anima*, *com.6.* Nyphus *ibidem*, Iand.*quæst.11. & 13.* Apollinar. *quæst.16.* sed hæc opinio est noua,non necessaria, quia abstractio,ope potentiæ agentis inducta est in intellectum,vt phantasmata, quæ sunt ordinis inferioris eleuentur ad esse intelligibile, vt notat D.Bonauentura, *quæst. cit. ad 2.* & *Itiner. loco cit.* quæ necessitas hîc non viget; nam sensus omnes sunt materiales,corporei,ac consequenter etiam omnes eorum species similis sunt conditionis.

ALII dicunt, produci ab obiecto externo, mediis speciebus emissis ad sensus externos; sed neque hoc placet; quia species internæ sunt perfectiores iis, quæ recipiuntur in sensibus externis: ergo nequeunt produci ab externis. Probatur Consequentia; quia causa non debet esse imperfectior effectu. Alij dicunt, produci ab obiecto externo, vt cognito; seu medio actu cognitionis. Verùm idem argumentum currit. Vide Colleg. *3.de Anima, cap.3. quæst.5. art.1.*

RESPONDET Ruuius,*loc.cit. num. 165.* species expressas sensus externi, ac simul sensationem,esse actum vitalem expressum, repræsentantem obiectum, esseque perfectiores speciebus impressis sensus interni, quæ nec vitales sunt, nec obiectum cum tanta perfectione repræsentant. Idem sentit Suarez *3. de anima, cap.9. num.7.* Fonseca, *1.Metaph. capite 2. quæstione 3. sectione 8.* Molina, *p.p. quæstione 1. art.2(disp.4.* & videtur D.Thom. *p.p. quæstione 78. art.4. ad secundum*: Sic & omnes ferè Moderni. Itaque volunt, sensum etiam exteriorem per actum cognitionis producere speciem expressam, repræsentantem res in actu secundo. Per hanc dicunt produci in sensu interiori speciem repræsentatiuam eiusdem obiecti, & hæc prouenire è sympathia, & contemperatione sensuum ad inuicem in eadem anima.

CONTRA tamen, quia species expressa à sensu externo cognoscente stat in terminis effectuum sensus externi, qui longe ignobilior est sensu interno, qui adeò nobiliorem etiam speciem requirit, eamque accipi per actum vitalem receptiuum, nobiliorem actu vitali sensus externi. Quod probatur; nam species illa impressa actuat potentiam internam, eamque deducit de potentia ad actum: Ergo debet esse nobilior quocunque accidenti, inferiorem potentiam actuante; nam quod est actus respectu potentiæ superioris, crit excedens potentiam inferiorem. Quamuis autem omnes istæ species sint eiusdem conditionis, quoad esse sensibile in genere, vt docet Diuus Bonauentura *in 2. distinctione 24. quæstione 1. ad 2.* tamen istæ sunt longè perfectiores. 111

IN re adeò obscura dicet quis,interuenire etiam conuersionem potentiæ interioris vitalem, atque adeò ad nobilitatem speciei impressæ aliquo modo concurrere, vt fiat nobilis in eo gradu: Sed neque hoc probatur.

DVBITATIO III.

An dentur SPECIES INSENSATÆ, *& à quo producantur.*

PRIMA opinio negat, Æstimatiuam percipere obiectum, vt conueniens, vel noxium, per alias species insensatas, sed per easdem receptas à sensu communi, quæ sensatæ vocantur; in quibus potentia videat etiam esse conueniens, vel disconueniens. 112

ITA Recentiores quamplurimi, inter quos Suarez *loco citato*, *numero decimotertio.* Volunt autem, in eadem specie vnam potentiam plura cognoscere, quàm aliam, propter diuersam virtutem, & diuersum instinctum: Itaque in eadem specie sensata, idest, hausta à sensibus, æstimatiua Ouis percipit inimicitiam Lupi, puta ex odore,ait Poncius, *disputatione secunda*, *quæstione decima*, cum Scoto, & Schola,Hurtad. *disputatione 15.*

SECVNDA opinio est, dari species insensatas, quibus animal nouit conuenientiam, vel disconuenientiam in obiecto. Ita D. Bonauent. *libro 2. Compend.*

Compend. Teolog. veritatis, cap. 38. & 39. D. Thom. *p. p. qu. st.* 78. *art.* 4. Caiet. *ad eum locum D. Thom. art.* 3. Tolet. Martinus Peref. Iauel. 3. *de Anima, c.* 2. Titel. *lib.* 10. *suæ Philosophiæ*, quos adducit, & sequitur Ruuius, 3. *de Anima, Tract. de sensibus internis, quæst.* 10. Complut. Arriaga, Auersa apud Poncium.

Assero cum hac sententia, haberi species insensatas repræsentantes Animali Conuenientiam, vel disconuenientiam obiecti.

Probatvr à Diuo Bonauent. *cap.* 38. *adducto.* Appetitus sensitiuus tendit in rem sensibilem, sub ratione conuenientis naturæ sensitiuæ, eamque sub ratione boni, & delectabilis appetit; & rem noxiam sub ratione mali detestatur: Ergo ratio formalis obiectiua est conuenientia ex bonitate sensibili, sed cùm sit cæcutiens potentia, non potest ferri in incognitum, nec sub ratione formali obiectiua incognita: Ergo necesse est, vt obiectum formale sensibile sub ratione formali conuenientis ex bonitate; vel noxij ex malo, proponatur ei à poten-
113 tia sensitiua, eam cognoscente. Constat verò, Æstimatiuam versari circa obiectum sensibile conueniens: Ergo necesse est, cognoscat illud sub formali ratione conuenientis, vt sic repræsentatum appetitui, possit sub eadem ratione illud appetere; vel sub ratione noxij, vt valeat aufugere.: At ratio conuenientis, vel noxij non exprimitur in specie sensata, nec à sensibus cognoscitur externis, aut à sensu communi: Ergo neque potest cognosci ab Æstimatiua per species sensatas, ei impressas ab ipsis, sed necessariò per nouas alias, non sensatas.

Vrgeo, quia appetitus rationalis, & sensitiuus conueniunt in prosequendo bono sub ratione conuenientis; differunt verò, quia appetitus rationalis, quæ est voluntas, versatur circa bonum, vt apprehensum per rationem, & ideò dicitur rationalis: sensitiuus verò versatur circa bonum cognitum per sensum, & ideò appellatur sensitiuus, sed non potest voluntas ferri in bonum sub ratione vniuersali boni, quin sub tali ratione apprehendatur ab intellectu, & ei proponatur: Ergo pari ratione non potest appetitus sensitiuus versari circa bonum sensibile, sub ratione boni delectabilis, nisi sub eadem cognoscatur ab Æstimatiua, eique proponatur. Hoc argumento vtitur Ruuius *numero* 177. Vide D. Bonau. ibi egregiè differentem de Æstimatiua.

114 Obiicivnt primò, Suarez, & alij, quia talis species insensata non est necessaria; sufficit enim oui, si videat Lupum, vt eum fugiat: Sic ex visione sola statim absque noua cognitione, ad fugam erumpit: Neque tales species possunt esse, quia non est inuenire, à quo producantur: Non enim ab obiecto, vt sensato per sensum externum, vel per communem, quia sensus isti non nouerunt obiectum, vt conueniens: Ergo non potest producere species tali modo repræsentantes; imò si producerentur, iam essent species sensatæ: Neque possunt produci ab Æstimatiua, quia sensus quicunque solùm habet virtutem cognoscendi obiectum, si ab eo immutetur: Ergo per speciem sibi ab eo impressam. Confirmatur experimento. Cùm enim Auis sentit ventum, se in tutum deducit timens pluuiam, & hoc etiam in Apibus excellens est: sed ex vento non eliciunt pluuiam esse futuram, cùm forsan anteà simile non sint experti: ergo per speciem venti sentiunt etiam pluuiam: Idem de Oue, quæ non vidit anteà Lupum, tamen mox visum timet, & fugit.

Vrget Poncius *num.* 94. quia potentia Ouis, sanè indeterminata, nequit à speciebus extra receptis determinari ad æstimandum Lupum sibi inimicum, vt fatemini; nam si obiiciatur aliis bestiis amicis, non producunt eam æstimationem: Igi- 115
tur oportet vt discurrens ouis coniiciat: nam nec ipse intellectus percipit alio modo ea, quæ à sensibus non hausit, & cùm neq; actu ouis lædatur, nec videat irruentem, quo eum pacto æstimat læsiuum? potest enim esse, vt aliàs non sit experta, vt suppono. Idem etiam premunt alij: Ratio conuenientiæ, vel noxæ est relatio proportionis, quæ sensibus non percipitur: Ergo.

Respondeo ex dictis species insensatas esse necessarias, neque à sensibus extra hauriri, & hoc solùm obiecta probant; neque ab æstimatiua produci directè, aut per discursum: sed dico eas inditas à natura initio, vt mox edisseram. Eæ verò exprimunt materialiter proportionem, quæ etiam à sensibus ex parte accipitur, vt cùm auditur plurium Musicarum vocum consonantia, vt notat Arriaga, nec inficiatur Poncius: Quod enim ex molestia habita ex odore, vlulatu, & similibus, fugiat ouis absque alia æstimatione, vt putant aduersi, falsum est; quia à longè videns, tacitum timet. Deinde si educetur cum Lupo domesticè, non læditur dolore illo; & si ouis metu cogatur cohabitare, vt miraculo adscribit Isa. *Habitabit Agnus cum Lupo*, saltem aliis non indicet fugam. Recurrere verò ad sympathiam, est petere principium cum Porcio *numero nonagesimo sexto*, & cogi admittere species sympathicas, quas negant, sed ego mox eas demonstrabo.

Ardva res Philosophis visa est, de qua multa, ac varia sapientum placita circumferuntur, diuersæque opiniones enarrantur.

Prima vult, has species à Deo inditas esse 116
Animalibus à natiuitate: Ita videtur sentire Diuus Thomas, *quæstione* 18. *de veritate, articulo* 7. *ad* 7. & alij apud Salam *primo Tomo, super primam secundæ Diui Thomæ, tractatu* 1. *disputatione* 4. *num.* 72.

Secvnda opinio est, inditas à Deo, non sanè ab initio, sed prout necessitas occasionis sese obtulerit diiudicandi noxia, & proficua: Ita Viguer. *in Itiner. cap.* 1. §. 8. *versu* 9. & 10. sequitur etiam Salas.

Tertia opinio est, Æstimatiuam perfectiorum animalium, operari quidem per species insensatas, easque è sensatis elicere, sed modum, quo eas eliceat, non explicat. Æstimatiuam verò animalium imperfectarum non elicere tales species, nec eis vti; fugere tamen eadem nociua, & instinctu naturæ conuenientia appetere, quod non est aliud eis, quàm modus obscuritatis iudicij comparatione eius, quod perfectiores beluæ formare consueuerunt: Ita Conimbr. 3. *de Anima, capite* 3. *quæstione* 1. *art.* 5.

Qvarta opinio est, species insensatas produci ab æstimatiua, mediis sensatis, quas recipit à sensu communi: Ita Sanctus Bonauen- 117
tura *loco citato*, Diuus Thomas, *prima primæ, quæstione septuagesima octaua, articulo quarto, ad secundum, & quartum*, Ruuius 3. *de Anima, capite* 3. *Tract. de sensibus internis, quæst.* 11. *numero* 186.

Svpponendvm è D. Bonau. *lib.* 2. *Compend. à cap.* 35. Potentias subordinatas, quales sunt sensus, & intellectus, sic se habere, vt circa idem obiectum, potentia

potentia superior aliquid amplius videat, quàm inferior. Hoc autem egregiè discurrit inter omnes Seraphic. per singula capita progrediendo à sensibus imperfectioribus ad perfectiores, vt specierum munia describat. Hæc prosequar, vestigiis eius insistens, vt insensatas species elucidem.

Primò quidem sensus externi, ab obiectis species singuli sibi debitas accipiunt: Ita Oculus accipit colores, Auris sonos, Olfactus odores, Gustus sapores; Tactus qualitates palpo motrices. Occurrit nostro aspectui Lupus, qui, si primò nos videat, vocem nobis opprimit, ob rationem allatam *Tract.* 8. *disp.* 5. *quæst.* 3. Videat illum Ouis: Fertur statim species coloris, & figuræ ad oculos, vlulatus ad aures. Fœtor ad nares: Hæ species, tanquam lineæ ad centrum, vniuntur ad sensum communem, qui omnes simul relatas species accipiens iudicat, Lupum à se visum esse subobscurum, villosum, talis figuræ; vlulantem, fœtidum, tali odore olentem; Hæ species in virtute imaginatiua imprimuntur, vt etiam abeunte Lupo maneant. Imprimuntur autem in anteriori sinu cerebri ex frigiditate magis obdurescente ad retinendum.

Tunc potentia Æstimatiua ad eas species conuersa, maiori lumine perfusa aliam, sibi speciem insensatam practicam ex illa format, quâ iudicat tale animal, talibus circumstantiis præditum esse sibi noxium; atque appetitum excitat ad fugam; & sentiens vocem Pastoris vociferantis; agni sui balantis, & canis sui latrantis, sibi eò fugiendum iudicat. Quare species istæ insensatæ conuenientiæ, & inconuenientiæ virtute solùm includebantur in sensatis, & formantur ex eo obiecto ab Æstimatiua, quæ ad Imaginatiuam se habet, sicut intellectus practicus ad speculatiuum; & propterea non est solùm apprehensiua, sed etiam motiua. Vnde ad eam sequuntur affectus, fugæ, prosecutionis, odij, timoris, &c. Hac mouetur ad talia pascua decerpenda, vt conuenientia; ad alia vitanda, vt noxia: Sic Anthoram carpit; Napellum subodoratum recusat. Sic agno suo è balatu, &c. seorsim vbera præstat, seipsam exhibet, alienum agnoscit, ac capitis ictu repellit. Hæc potentia est in prima parte mediæ cellulæ cerebri, quæ calida, & viuax est è spirituum copia, eò exhalantium.

118 Hinc soluitur oppositio Suarij. Species enim exprimentes inimicitiam Lupi: amicitiam Pastoris, quarum altera ad hunc impellit, altera ab eo auertit, sunt virtute in speciebus sensatis exhibitis ab Imaginatiua, & virtute luminis potioris exprimuntur, & elucent æstimatiuæ.

Sequitur Phantasia, quæ suprà relatas species, siue sensatas inuicem, siue cum insensatis componit; siue etiam insensatas ad inuicem commiscet. Ita diuersas figuras contexit, putà caput Lupi, & bustum Asini visi, & chimæras fingit: Et ecce species sensatæ compositæ. Componit etiam intentiones, seu species insensatas, vt iudicet, vbera huic agno præbenda; non illi, simul lactari enitenti. etiam vnum recipit; alterum repellit. Componit Ideò imagines sensatas cum intentionibus, vt cùm apprehendit formam illam Lupinam fugiendam, &c.

Addit S. Bonau. & meritò, per phantasiam haberi maximam, quæ potest esse in anima sensitiua cognitionem, nam hæc notitias sensatas, & insensatas continet compositas; neque solùm præsentia videt, & præterita, sed etiam prouidet futura. Per hanc enim animalia sibi casas struunt, & cibos pro futuro tempore accumulant; quod etiam in formicis, & aliis minutis videmus. Per hanc videmus, bruta eligere aliqua; alia respuere. Ad id autem requiritur cognitio, atque discretio. Ob id aliqui dixêre phantasiam esse aliquid rationis: sed notat Seraphicus Doctor, eam non esse veram electionem cum discretione formali: 119
Hæc à vulgo in homine vocatur cogitatiua, cum tamen cogitare propriè sit rationis, vt ait Sanctus Doctor.

Phantasia operatur etiam in somnis, sicut in vigilia: Cur autem in somno res videantur esse præsentes, est, quia fit reuersio ad sensum communem.

Hæc potentia, quando coniuncta est rationi, tunc accipit agendi regimen a ratione: Sed quia ratio diuersificatur secundùm diuersitatem eorum, de quibus ratiocinatio fit, ideò operationes phantasiæ multiplicantur plurimæ in homine: Vbi autem phantasia non est cum ratione, vt in brutis; tunc regitur solo instinctu naturæ, quæ est determinata ad vnum: Itaque, quia vno modo generico se habet in singulis generibus, & vno specifico in singulis speciebus; ideò conceptio phantasiæ in his vno modo proportionaliter operatur. Hinc aues vno modo generico nidos struunt, & quælibet species singillatim magis similes; proinde Hirundinis nidus similior est nido alterius hirundinis; quàm nido Lusciniæ. Hinc dicuntur bruta, in his magis agi à naturæ determinatione, quàm agere.

Addit Seraphicus Doctor, bruta citiùs recipere influxus primi Motoris, quàm homines, sicut patet in formica, quæ, quando cibum colligit, intra tres dies non pluit: & Gallus per Cantum suum per nocturnas stationes variat, quia mutationes ex primi Motoris influxu sentiunt: Hinc mirabilem hunc Galli, & aliorum operandi modum suæ soli sapientiæ. Dominus adscribit Iob. cap. 38. *Quis dedit Gallo intelligentiam?* 120

Ne autem paradoxum oleat, quòd bruta faciliùs naturæ impressiones à Deo sentiant, quàm homo; reddit Seraphicus Doctor rationem, quia illa soli naturæ intendunt determinatæ; at sensus hominis est ad plura; & ideò minor ad singula. Insuper abstrahitur homo ad operationes intellectus, componendo, diuidendo, discurrendo, &c. ad opera etiam voluntatis, intendendo, eligendo, consultando, &c. Habent autem hæ potentiæ obiectum infinitum.

Mira sunt, quæ rerum naturalium scrutatores optimè obseruarunt in brutis, quæ vide in Plinio, & aliis, & quædam *Tractatu* 8. *disputatione* 5.

Ad rem nostram: Phantasia compositas imagines insensatas, &c. exhibens, ad fugam, vel amorem impellit: Sic viso semel Lupo, repræsentet deinceps ab illo fugiendum, quod è sola figura primò non est factum, vt putat Suarez, *numero* 13. sed deinceps phantasiatur, atque adeò statim, vt mox deinde Lupum viderit, percipit simul inimicitiam, & hoc benè diceret Suarez: Eadem est doctrina Diui Thomæ, *prima primæ, quæstione* 78. *articulo quarto, ad* 2. & 4. Vide etiam Rubium, 2. *de Anima, Tractatu de sensibus internis, quæstione* 11. *numero* 186. & 197. vbi cum Seraphico conuenit, qui *in* 4. *distinctione* 49. *quæstione secunda, ad penultimum*, aliquas species congenitas concedit in homine; neque absonum crede

crederem, idem etiam in brutis admittere, vt, sicut nobis ad prima principia rationis, putà ad Parentes colendos, filiosque alendos, species indidit; item ad bonum in genere prosequendum, & malum fugiendum; etiam brutis aliquas indiderit ad prima, ac necessaria opera naturæ, quæ maximè in sensibus ab extrà non accipiuntur, quales sunt inimicitiæ, &c.

122 NOTAT Seraphicus Doctor hic, Phantasiam poni in medio mediæ cellulæ cerebri, tanquam centrum inter memoratiuam, & imaginatiuam, quia phantasia conuertit se, tam super formas, quas accipit imaginatiua per sensum, quàm super intentiones, quas reseruat memoria, & tunc istas formas, ac intentiones diuidit, & componit.

Ex dictis habes, eum distinguere etiam organo Phantasiam ab Imaginatiua; at nos probabiliùs ex aliis locis Seraphici Doctoris vnam constituemus *disp. 6. quæstione 1.* Ideò hæc etiam probabilis asseretur.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm SENSATIO *sit* COGNITIO *iudicatiua.*

123 IAM suppono, dari Cognitionem Sensitiuam, seu actum sensationis, alioquin frustrà esset potentia Sensitiua, quæ non reduceretur ad actum: Similiter apprehendere suum obiectum, hæc enim est minima sensatio.

ALIQVI concedunt sensui interno solius hominis proprium iudicare per compositionem ex coniunctione cum ratione: Ita Diuus Thomas, *prima primæ, quæstione* 78. *articulo* 4. *ad* 5. & 22. *quæstione* 47. *articulo* 3. & ibi Caietanus, Alens. 2. *parte, quæstione* 67. & alij apud Ruuium, 3. *de Anima, tractatu de sensibus internis, quæstione* 5. *numero* 115.

SECVNDA sententia negat sensibus iudicium proprium: Ita Toletus 3. *de Anima, quæstione* 3. & omnes ferè interpretes D. Thom. & Aristotelis. Estque D. Thom. *prima* 2. *quæstione* 1. *articulo* 1. *&* 2.

ASSERO, Sensationem esse iudicium de suo obiecto.

PROBATVR ex illo Iob. 12. *Nonne auris iudicat verba?* Ita D. Bonauentura, *in Itinerario, capite* 2. Aristot. 2. *de Anima, text.* 138. D. Thom. 2. 2. *quæst. cit.*

124 Hoc tamen est discrimen, inter iudicium sensitiuum brutorum, & hominis. Aliqui ponunt, quòd hoc ob participationem cum ratione, non modò iudicat obiecta, sed confert: At sanè hoc non est iudicij sensitiui, sed rationalis formaliter; nam sensitiuum hominis; & bruti sunt eiusdem rationis. Vide D. Thom. *p. p. quæst.* 78. *art.* 4. Colleg. 3. *de Anima, quæst.* 2. *art.* 2. *sol. quæst.* 7.

ALIO modo distinguitur ab aliis iudicium, ex Collegio. Primò, quando aliqua potentia cognitis plurimis sine collatione iudicat hoc, non esse illud: Dat exemplum S. Doct. *loc. cit.* & *lib.* 2. *Compend. Theolog. cap.* 39. & *in* 2. *dist.* 8. *art.* 3. *quæst.* 2. de sensu, discernente album à nigro: Alterum genus iudicij est cum formali distinctione, vt iudicatorium boni, & mali, inditum à natura. Ita D. Bonau. *in* 2. *dist.* 39. *art.* 3. *quæst.* 2. & D. Basilius ad illud Psalmi *Mendaces filij hominum*: Hoc verò iudicatorium vtilis, vel delectabilis, inditum est etiam brutis in Æstimatiua, vt docet D. Bonau. *lib.* 2. *Compend. cap.* 36.

ASSERO, propriè sensum non iudicare: est Arist. 2. *de Anima, text.* 157. Neque enim bruta conferunt ad inuicem obiecta, ad quod sequitur verum iudicium. Ita D. Bonau. 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. Itaque Æstimatiua non potest conferre actum compositum: Hoc scilicet esse; vel non esse: Ita D. Bonau. *in* 2. *dist.* 24. *&* 38. Addit tamen Æstimatiuam hominis habere aliqualem rationem, sed intellige ob identitatem eius, in eadem substantia; sicut etiam Sensitiua hominis, quia coniuncta est cum voluntate, libera censetur libertate imperata, & subiectiua, non autem elicita formaliter.

PROBATVR, quia proprium iudicium est ex cognitione extremorum, & comparatione eorum formaliter cognoscendo proportionem, quæ includit relationem; sed sensus huc non peruenit: Ergo. Neque sensui hominis id concedas ob identitatem animæ rationalis, quia sensus etiam hominis habet idem obiectum cum sensu bruti.

DICES: Canis ad triuium olfaciens feram, & non sentiens in secunda, & prima via, posteà absque olfactu pergit per tertiam: ergo, infert, fera neque hac, neque illac abiit: ergo istac. 125

RESPONDETVR, Canem solo odore cieri per tertiam viam.

OBIICIES, Prouerb. 6. dicitur: *Vade ad formicam, & disce prudentiam*: Idem concedit apibus, & formicis Arist. 1. *Metaph. cap.* 1.

RESPONDET Ruuius 3. *de Anima, cap.* 3. *tract. de sensu, quæst.* 5. *num.* 126. ex D. Bonau. *serm.* 31. qui est secundus *de vno Doctore.* Deum sapientissimum authorem naturæ dedisse his animalibus instinctum discernendi noxium à proficuo, vt Apibus flores, à floribus: Formicis grana, à granis, atque concessisse appetitum prosequendi, &c. & in hoc apparet sapientia Dei.

LATIVS *in Dieta salutis* S. Bonauentura, *tract.* 5. *cap.* 5. & *lib.* 2. *Compend.* præcipuè *cap.* 39. vbi infert ex Philosophis, animalia in his potiùs agi, quàm agere.

QVÆSTIO XVII.

Quis ACTVS, *& qualis sit* SENSIO, *seu* SENSATIO.

NOTA ex D. Bonau. *in* 2. *dist.* 8. *p. p. art.* 3. *quæst.* 2. *ad secundum*, sumi Sensionem multis modis. Hic sumitur propriè, vt est susceptio speciei in organo, atque productio actus. Vide S. Doctorem. 126

ASSERO primò, Sensationem esse actum immanentem vitalem.

PROBATVR, quia, vt infrà, recipit Sensationem suam.

ASSERO secundò, ad Sensationem concurrere passionem.

PROBATVR, quia non potest potentia elicere actum circa obiectum, nisi illud recipiat, sed hæc receptio est passio: Ergo. Ita S. Doct. *de septem Itineribus Æternitatis, Itinere sexto, dist.* 1. & *in* 2. *dist.* 8. *part.* 1. *quæst.* 1.

ASSERO tertiò, Sensionem non esse formaliter receptionem speciei. S. Doct. *in* 3. *distinctione* 17. *art.* 1.

art. 1. *quæst.* 2. *ad vltimum*, & *in* 4. *dist.* 12. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. Vasq. *p.p. disp.* 43.

PROBATVR à D. Bonau. *in* 2. *dist.* 3. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 3. Quia, vt fiat Sensio, debet potentia immutari, sed non immutatur per solam receptionem specierum, sed per actum vitalem: Ergo.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in* 3. *dist.* 17. *quæst.* 2. *ad* 5. Quia requiritur necessariò attentio, vt docet Diuus Augustinus 9. *de Trinitate*, per totum, & *lib.* 11. *cap.* 2. & 17. & *lib.* 2. *cap.* 12.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. omnibus ferè *locis adductis*, superioribus quæstionibus, à *quæst.* 7. sensio est operatio vitalis: Ergo à principio intrinseco vitæ. Ita Aristot. 3. *de Anima*, *text.* 37.

QVÆRES, quomodo impediatur Sensio.

RESPONDETVR, impediri ex nimia occupatione contemplationis, vel imaginationis. Ita D. Gregor. Nyssen. ad illud Cant. *Ego dormio, & cor meum vigilat* D. Bonauent. *de septem Donis, de Dono scientiæ, cap.* 3. & *de Dono Intellectus, cap.* 6.

SECVNDÒ, impediri dormitatione; quando omnes sensus ligantur. D. Bonauent. 3. *part. Centiloquij, sec.* 21. & *in* 4. *dist.* 4. *quæst penultima*, & *in* 2. *dist.* 25. *quæst. vlt.*

QVÆSTIO XVIII.

An SENSIONES *ipsæ per* SENSIONES *percipiantur.*

127 MVLTAS quæstiones hæc quæstio inuoluit, quas singulas percensebo. Prima quidem: An Sensus interni Sensationes externorum apprehendant. Secunda: An etiam proprias.

QVOAD primam.

PRIMA opinio est, Sensus internos, non percipere Sensationes externas, sed sensibilia dumtaxat, circa quæ versantur, putà Colores, Odores, Sapores. Ponunt verò isti quandam potentiam perceptiuam Sensationum Sensuum exteriorum. Ita Plutarchus apud Philop. cui assentitur Simpl. 3. *de Anima, cap.* 3. Nyphus in collectaneis. Hemesius *de natura hominis, cap.* 2. & 7.

SECVNDA opinio est, Sensationes externorum sensuum percipi ab interno. Ita D. Thom. *prima prima, quæst.* 78. *art.* 4. *ad* 2. & *quæst.* 87. *artic.* 3. *ad* 3. & 2. *cont. Gentes, cap.* 60. Scotus *in* 4. *distinct.* 45. *quæst.* 3. & omnes Moderni, præsertim Tolet. 3. *de Anima, quæst.* 3. Ruuius ibidem *in tract. de Sensibus internis*, Suar. 3. *de Anima, cap.* 31, post D. Bonauent. *locis infrà adducendis.*

128 ASSERO. Sensus internus percipit Sensationes Sensuum externorum.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *lib.* 2. *Compend. Theol, cap.* 36. ex Peripateticorum consensu, quos *cap.* 34. profitetur sequi in hac materia, post Aristotelem, *loc. cit.* vbi Sensui communi id tribuit, qua authoritate vtitur Ruuius, *num.* 79.

PROBATVR secundò à D. Bonauentura, *loco citato*, experientiâ: Nam apprehendimus, nos videre, cùm videmus: audire, quando audimus, & discernere inter hæc, & alia sensata actu: hoc autem est per sensum communem; sed repugnat cognosci, vt actu sensata, nisi cognoscantur sentiri: Ergo. Hac ratione vtitur Ruuius, *num.* 82.

PROBATVR tertiò à Diuo Bonauentura, *loc. cit.* Si sensus communis, non agnosceret Sensationem sensuum externorum, non satis esset vtile videre, & audire, & secundùm alios sensus apprehendere: Probatur sequela: Quia, si Sensio non apprehenderetur, seu obiecta actu sentiri; non satis operarentur ad mouendum appetitum, ad quem operationes dirigunt. Nec esset necessarius sensus communis ad obiecta singulorum sensuum apprehendenda, cùm satis per particulares sensus percipiantur.

PROBATVR quartò à Diuo Bonauentura, *loc. cit.* Quia Sensus communis est veluti Centrum, ad quod terminantur omnes sensus particulares: Ergo eò referunt suas species, & operationes, sicut & species expressas è sensibus, quæ species expressæ debent repræsentare etiam Sensationes virtualiter.

PROBATVR quintò à Diuo Bonauent. *cap.* 40. 129
Quia memoria reseruat intentiones, seu species insensatas, *verb. grat.* Illud esse sibi noxium; hoc proficuum: vt si Canis in aliquo loco percussus est, non reuertitur eò libenter; si verò ibi esculentum aliquod erodit, cito eò reuertitur. Hoc autem non potest esse, quin sentiat operationes, *verb. grat.* percussionem, aut delectationem præteritam. Hoc argumento vtitur Ruuius, *num.* 81.

PROBATVR sextò à Diuo Bonauentura *cap.* 30. *secundi libri Compend. Theol.* Quia sommamus res præteritas, vt præsentes, *verb. grat.* visum prælium. Secundò fit per Phantasiam: Ergo Phantasia reuertitur ad sensum communem, cuius est obiecta præsentia percipere; sed non potest reuerti videndo obiectum præsens, vt patet: Ergo percipiendo sensationem obiecti præsentis, facti à sensu communi, ad eam se, de nouo, conuertendo.

OBIICIES primò. Species expressa sensus externi, & sensatio, per quam fit, non potest imprimere speciem sui in sensu interno, sed solius obiecti, cuius est similitudo.

RESPONDETVR, speciem expressam, non modò habere, vt repræsentet obiectum, sed esse aliquid in se cognoscibile à sensu interno.

OBIICIES secundò. Si color, *verb. grat.* & visio eius percipiuntur à sensu Interno, poterit alterum sine altero percipi; cùm per diuersas species repræsententur: sed hoc est falsum: nam visio est coloris, & color visus est per visionem: Ergo.

RESPONDETVR, percipi per eandem speciem modificatam, vel si per diuersas, tamen inseparabilem repræsentantes.

QVOAD Secundam.

PRIMA opinio est simplicij, apud Tolet. 3. *de Anima, quæst.* 3. & Ruuium *quæst.* 4. *de Sensibus internis*; Alios etiam sensus externos percipere suam Sensationem, & hanc per obiectum (*Quod*) atque adeò distincta cognitione ab ea, quâ cognoscunt obiectum. 130

SECVNDA opinio est, Sensus etiam externos percipere suas Sensationes; non tamen alio actu distincto, sed eo, quo percipiunt obiectum. Ita Ægidius, & Paulus Venetus, *cap.* 3. *tertij de Anima*, & aliqui Recentiores. Et videtur D. Thom. *lib.* 3. *de Anima. cap.* 12. & *prim.* 2. *quæst.* 112. *art.* 5. *ad* 2. Et Ferrar. 2. *contra Gentes, cap.* 66.

TERTIA opinio omnibus sensibus negat propriam Sensationem percipere, externis quidem. Albert. in 2. *de Anima, tract.* 4. *cap.* 7. Iauellus, *quæst.* 56. Iandun. *quæst.* 33. Appolin. *quæst.* 57. S. Thiennens *ad textum* 138. *eiusdem libri.* Tolet. 3. *de Anima, quæst.* 3. Capreol. *in* 3. *dist.* 44. *quæst.* 1. *art.* 3. & alij; Et ipse D. Thom. *prima prima, quæstione* 78. *art.* 4. *ad* 2. post Aristotelem, *ad cap.* 2 *tertij de Anima.*

QVOAD internos quoque D. Thom. 2. *contra Gent. cap.66.* vbi Ferrar. Et *prima primæ, quæst.78. art.3.ad 3.* Scotus, *in 4. dist. 45. quæst.3. §. Circa istam quæstionem.* Fulienſ. 2.*Phyſ. cap.6. art. 1.*

131 ASSERO cum hac Sententia, nullum Senſum propriam ſenſationem percipere ob rationem Diui Thom. *quæſt.78. art.3. ad 3.* quæ mihi videtur ratio etiam D. Bonauent. *loc. cit.* Senſus ex propria natura cognoſcit per organi corporei, cui alligatur, immutationem ab obiecto extra ſe exiſtente: Ergo non poteſt à ſe, vel à proprio organo; vel ab his, quæ in eo ſunt, immutari; ſed Senſatio eſt in ipſomet Organo: Ergo non poteſt ab eo ſenſu percipi. Hanc rationem indicauit, *lib.2. Compend. cap. 34.*

OBIICIES ex Ariſtotele, *lib. de Memoria, & Reminiſcentia, cap. 2.* vbi diſtinguit Senſum Communem à Memoria; quia ille verſatur circa phantaſma, vt rem quandam; Memoria verò verſatur circa illud, vt imaginem obiecti iam ſenſati, & cogniti; ſed Phantaſma eſt terminus ſenſationis; ergo cognoſcit etiam ſenſationem.

RESPONDETVR, Memoriam verſari circa Phantaſma, non tanquam obiectum, ſed vti eo, tanquam principio cognoſcendi rem præteritam in Ærario repoſitam.

QVÆSTIO XIX.

Quomodo SPECIES *corrumpantur.*

PRIMA opinio eſt, eas deleri per contrarium formale. Videtur Scoti *primo, diſt. 3. quæſt. 6.*

132 VERA tamen ſententia eſt, ſpecies non opponi ad inuicem, alioqui neque ſimul recipi valerent, quod falſum eſt; recipimus enim ſimul in eodem corpore ſpeciem albi in pariete, & nigri in vino. Et in picturis idem conſtat. Cùm enim ſpecies ſint entia diminuta intentionalia, non retinent formalitates qualitatum naturalium, quæ habent contrarium.

CORRVMPVNTVR igitur ſpecies ſenſuum externorum ad deſtructionem obiecti, & organi. Ideò Ariſtoteles, de Memoria, & Reminiſcentia, *cap. 1.* ait: *Pueros, & Senes malè reminiſci propter nimiam humorum abundantiam.* Potiùs verò pueri; nam Senes ex diſſiccatione potiùs deteriorantur.

DICES primò, ſi ad mutationem organi deſtruuntur ſpecies. Ergo in Cerebro fluido, & tenuis ſubſtantiæ, non conſeruarentur.

RESPONDET Maſtrius *diſp.4. quæſt.5. num.98.* cum Arriaga *diſp.4. ſec.6.* Cerebrum, etiamſi fluidum, non facilè permutari ob Caloris tenuitatem, & frigiditatem innatam. Deinde in reparatione partis deperditæ Cerebri, reparari etiam ſpecies priùs amiſſas.

DICES ſecundò: Si ad abſentiam obiecti ceſſarent ſpecies, clauſis oculis poſt rutilantis Solis intuitum, nulla lux perciperetur intra oculos: contrarium tamen experientiâ patet: Experimur enim veluti quaſdam Scintillas, hinc inde coram nobis etiam in tenebris volitare.

RESPONDET Arriaga *loco citato*, id non oriri ex ſpecierum continuatione, ſed ex concurſu ſpirituum vitalium, quos prior lux excitauerat, & igneos fecit; ac proinde aliquid lucis in ſe continent.

HINC ruit opinio quorundam volentium, ſpecies ſemper durare, aliquando verò obrui aliarum acceſſu; Hic enim modus inexplicabilis eſt; nam ſpecies non ſe premunt ad inſtar cumuli lapidum, ita vt vna ſpecie ſuperpoſita, alia diſparcat; cùm ſint omnes in eodem loco abſque formalitate qualitatum rerum materialium.



DISPVTATIO V.

DE SENSIBVS EXTERNIS.

DVM in temporis huius defluxu fluctuat Anima noſtra, vti Noë per Arcæ feneſtram, nunc Coruum, nunc emiſit Columbam, ita illa per Corporis ſenſum, Columbinam modò elicit, recipitque ſimplicitatem, modò Coruinam exerit; vtinam penitùs exueret, rapacitatem, miſerè inhians perituris huiuſce mundi illecebris, vt autem de Phyſico huius ſenſus munere agam.

DISPVTATIONEM hanc in plures Sectiones repartiar; & vt diſtinctiùs incedamus, vnumquemque Senſum ſuo ordine perluſtrabimus, quod vt præſtemus, priùs à Senſibus externis in genere exordiemur.



CAPVT I.

DE SENSIBVS EXTERNIS IN GENERE.

DARI Senſus externos probatione non eget, ipſi enim Senſus de hoc teſtimonium luce clarius, vt patet, perhibent. Iam igitur de his plura diſcutiemus. 1

ET primò quidem de Numero, & de nobilitate Senſuum in ordine ad ſua ſubiecta quædam exquiremus.



QVÆSTIO. I.

An SENSVS *externi ſint quinque.*

OMNIVM Philoſophorum, & Theologorum calculis aſtruuntur quinque Senſus externi: *Viſus, Auditus, Guſtus, Odoratus, & Tactus.* Ita Philoſophi Ariſtotele vetuſtiores, apud Authorem *de Secretiore Sapientia.* Plato, *in Thæteto.* Ariſtoteles *3. de Anima, cap.1.* & omnes eius Interpretes. Sanctus Thomas *prima primæ, quæſt. 78. artic. 3.* Diuus Bonauentura, *locis infrà adducendis.* Ante hos etiam Sancti Patres, Ambroſius *in capite 18. Apocal.* Auguſtinus, *lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 5.* & *lib. de quantitate Animæ, cap. 23.* Hieronymus

in Psal. 141. Gregorius homil. 17. in Ezech. Damascenus 2. de fide, cap. 18. Nyssenus oratione 7. in Cant. & omnes ferè Expositores Euangeliorum, ad Parabolam de quinque Talentis, Matth. 25.

ALIQVA sanè nobis difficultas videtur in hoc efficaciter probando; siquidem Moderni rationes Diui Thomæ & Aristotelis recensent, tanquam probabiliores cæteris spretis.

PROBATVR ergo primò à Diuo Bonauentura, 2. part. Breuil. cap. 9. & in Itinerario mentis in Deum, cap. 2. & tertia parte Centil. sec. 21. ex fine. Finis necessitatem imponit his, quæ sunt ad finem. Finis sensuum est, vt obiecta cuncta sensibilia externa percipiantur; vt inde, ad intellectum ascendant, & per hæc cognita, Intellectus ascendat ad Dei cognitionem; sed cuncta sensibilia percipiuntur quinque Sensibus; Neque est aliquid ab his non perceptum, Ergo. Minor probatur, quia sensibilia ex quinque corporibus, nempe quatuor Elementis, mixtisque ex his, atque ex Cœlis, constituuntur. Sed omnia percipiuntur quinque Sensibus: Ergo. Minor probatur, quod per has potentias omnia mundi obiecta intrent. Omnia enim per sensibilia accidentia sunt Sensibus peruia; vel quia lumino-
2 sa sunt, aut colorata, & hæc per VISVM ingrediuntur: vel quia palpabilia, siue dura, siue mollia, siue aspera, siue lenia, siue calida, frigida, humida, vel sicca; & hæc per TACTVM, qui terrestriora iudicat. Vel quia sapida à dominio humida, crassa, aquea; & hæc per GVSTVM. Vel quia aërea, & ex primis qualitatibus & motu, qui est prima passio sonora; & hæc per AVDITVM. Vel quia ignea, seu calida aëreo mixta; & hæc per ODORATVM. Intrant igitur per has potentias non modò corporea simplicia; sed etiam mixta ex his. Quia verò sensu percipiuntur, non modo ista singularia sensibilia, Color, Sonus, Odor, Sapor, & quatuor primæ qualitates; Verum etiam sensibilia communia, quæ sunt Numerus, Magnitudo, Figura, Quies, & Motus; Et discernimus, omne quod mouetur, ab alio moueri; & quædam seipsis moueri primò, & quiescere, vt Animalia; satis per hæc sensibilia ad Superna cognoscenda, vbi noster est Finis, eleuamur; neque aliquo alio indigere nos sentimus, vt patet experimento: quando autem aliquo ex his sensibus caremus, experimur indigentiam. Signum ergò est, nos satis, superque quinque sensibus exterioribus instrui ad nostrum finem. Hoc argumento vtitur Suarez 3. de Anima, cap. 28. num. 2.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. loc. cit. ex subiecto, quod est Organum. Quinque enim tantùm organa habent Animalia perfecta, inter quæ etiam homo computatur: Ergo quinque habet Sensus. Antecedens patet. Consequentia est euidens. Cùm enim Sensus sint potentiæ organicæ, quæ ex potentia animæ, & organo complentur; egeant autem organis, tanquam instrumentis ad operationes diuersas; tot sanè debent esse species organorum, quot species diuersæ formales immutandi. Hoc argumentum est etiam Aristotelis 3. de Anima, cap. 1. Eo vtitur Suar, loc. cit.

3 CONTRA arguit Ruuius 3. de Anima, tract. de Sensibus externis, quæst. 1. num. 14. quia Aristoteles cap. de Tactu docet, Gustum, etiamsi foret dispersus per totum corpus vbicumque reperitur Tactus, adhuc fore distinctum ab eo: Ergo ex multitudine Organorum, non arguitur multitudo sensuum.

HÆC sanè obiectio crassa mihi videtur; nam Aristoteles non dicit, etiamsi esset organum Sensus, & Tactus; sed; etiamsi per omnes partes corporis, vbi est Tactus, diffunderetur Gustus, quòd adhuc esset in organis formaliter distinctis: nam Tactus est sensus, velut vniuersalis, qui in eadem parte corporis aliquam temperiem organi particularis alterius sensus admittit; est enim etiam in Oculis, in Auribus, in Naribus, in Lingua, vbi aliæ temperies, atque alia organa se inuicem compatiuntur.

PROBATVR tertiò à Diuo Bonauentura 3. part. Centiloquij, sec. 21. adducta; quia ad perfectam Sensationem tria requiruntur necessariò. Bonitas organi, Dispositio medij, & Præsentia obiecti. Sed hæc quinque generum tantùm sunt. Quoad Organum probatur; nam principium Sensuum est a Cerebro, vt docent omnes Anatomistæ, & ostendit D. Bonauent. 3. dist. 13. art. 2. quæst. 1. & 3. maximè, quia Christus influens in Ecclesiam Sponsam, sensum, & motum spiritualem, CAPVT acclamatur: Inde autem quinque genera instrumentorum descendunt; Ab interiori quidem parte Cerebri descendunt decem coniugationes neruorum; ex quibus aliæ ad Oculos, aliæ ad Aures, aliæ ad Linguam, aliæ extra ad Tactum; similiter è Cerebro egurgitant per ossa triginta quatuor dorsalia, vsque ad spinam triginta coniugationes neruorum, ad tactum, & motum eliciendum per totum corpus, vt ait S. Bonauentura part. 3. citata, vt patet experimento, acriter enim in his est sensus tactus vehemens. Iam vero isti nerui ingrediuntur compositionem organorum; nam Oculis se exhibent gemini, tunicis deriuatis è Durâ Matre, ac è Meningê, quæ dicitur Pia mater; atque pupillam vestiunt, ac roborant, speciesque dispertiunt. Similiter etiam ad alia sensoria contexenda, nec ampliùs quàm quinque genera organorum ex Anatome apparent, vt latiùs explicui tract. 8. disp. 4. 4

SIMILITER Obiecta sunt quinque generum: 5 nempè, Lux, Color, & eius differentiæ, quæ sunt obiectum Visus: Odor, qui est obiectum Odoratus: Sapor, qui cùm suis differentiis est obiectum Gustus: Sonus, & eius differentiæ, quæ sunt obiectum Auditus: Elementares qualitates, & ex his reliquæ secundæ per alios sensus non perceptæ, sunt obiectum Tactus: nec Author naturæ reliquisset obiecta, quæ essent inuia sensibus, à se ordinatis ad vniuersi cognitionem.

SIMILITER media, quæ sunt Aër, & Aqua, & cætera corpora diaphana quinque modis immutant: Nam illuminatum est medium in Visu: Aër exterior, & interior, medium in Auditu: vapor per Aërem delatus est medium Odoratus; res enim odorifera quasi fumum sensibilem euaporat, ex quo immutatur Aër, deferens Odoratum: Humor salíualis est medium in Gustu; Caro est medium in Tactu. Vide Sanctum Doctorem: relatis locis Centiloquij, &c.

DICET Ruuius num. 15. hoc supponere, necessariam humiditatem prædominantem in sensoriis, eò quòd sit qualitas ad recipiendum accommodata, quod est falsum; nam Aristoteles ipse de Gustu docet, Saporem præsupponere temperamentum, in quo siccum comprehendat humidum; Organum autem, tanquam subiectum sensus, debet esse proportionatum obiecto in temperamento: Ergo est siccum.

RESPONDETVR, à Diuo Bonauent. hoc non supponi (nam pro medio sensorij Tactus, assignat S. Bonauent. carnem, quæ non est omninò à Dominio humida. Similiter ponit pro sensorio Tactus, Neruos

Nernos ſiccitatem habentes) ſed vult tantùm, media ad deferenda obiecta in aliis quatuor ſenſibus, eſſe humida; non autem infert idem temperamenmentum requiri in Organo.

6 Ex his habes, quinque tantùm modos immutandi ſenſus externos dari: Ex eóque quinque tantùm ſenſus reperiri, qui ſunt immutatiui ſenſuum, quæ eſt ratio S. Bonau. & D. Thom. *loc. cit.* quâ nullam probabiliorem eſſe ait Suar. *num.* 1.

Obiicies primò ex Ariſt. 2. *de Anima, cap.* 10. & 2. *de part. cap.* 3. Guſtus eſt quidam Tactus.

Certe omnes Ariſtotelis Interpretes (excepto Veneto) hos diſtinguunt. Ita D. Bonau. *locis adductis, tract.* 2. *de Anima, ſec.* 21. & idem Ariſtoteles, *text.* 112. *& tertio de Anima, cap.* 1. atque Expoſitores, idem indicant.

Respondeo igitur Guſtum eſſe quendam tactum, quatenus ſentir obiectum aliquo præuio materiali contactu: diuerſi tamen ſunt in ratione propria ſentiendi obiecta, vt declarant D. Thomas *loc. cit.* Suar. *num.* 4. & cæteris melius D. Bonauent. *lib.* 2. *Compendij Theol. cap.* 35. vbi ſimul & horum maiorem conuenientiam cum ſe inuicem, quàm cum aliis; & ipſorum inter ſeſe diffrentias aſſignat, tali diſcurſu. Conueniunt omnes quinque ſenſus; quia ſunt receptiui ſpecierum; ſunt perceptiui tantùm ſingularium, ſunt organici, requirunt proportionem obiecti cum ſenſorio; ideo vehementia lædunt organum, quod medio delectatur; exigunt obiecti præſentiam; medium deferens; atque adeò *Senſibile ſupra ſenſum, non facit ſenſationem*, exigunt organum ſanum, tali præditum temperamento; exigunt animæ attentionem. Tandem omnes à ſenſu communi, quaſi à centro lineæ, oriuntur, & ad eum ſpecies immittunt.

Differunt primò, quia ſinguli habent ſpeciale inſtrumentnm; ſpeciale obiectum, differunt medio; ſed in hoc, Tactus, & Guſtus magis conueniunt; quia habent medium intrinſecùs: cæteri verò tres extra. Differunt in velocitate operandi; quia Viſus eſt velociſſimus ad remotiſſima recipienda; cæteri, quò craſſiores, eò tardiores. Differunt ſitu; quia Viſus eſt in oculis, & Guſtus in palato,
7 & lingua; Tactus vbique corporis. Differunt vtilitate, quia inter omnes, Guſtus, & Tactus ſunt neceſſarij ad conſeruandum indiuiduum, & ſpeciem ipſam. Guſtus enim diſcernit cibos, per quos ſeruatur animal à noxiis, & eos ſub ratione ſapidi diſcernit. Tactus verò diſcernit primas qualitates, vt tangibiles, & alias emanantes palpabiles, vt Animal declinet extrema, ſui deſtructiua, maximè actiuiora, vt Calorem, & Frigus: Differunt impreſſione, quia ſenſus craſſiores fortiùs retinent impreſſionem, vt Tactus, & poſt eum Guſtus, qui ſuum obiectum ſapidum accipit medio materiali contactu, & ob id dicitur eſſe quidam Tactus. Addit 3. *part. Centil. ſec.* 21. idem organum nerui recipere impreſſiones Tactui debitas, nempè primarum qualitatum etiam in lingua, quæ ideò ſentit colorem cibi; & frigus potûs; ſed recipere aliâ virtute ſapores, qui ſunt obiectum Guſtus medio contactu. His habes reſponſum ad argumentum, & eximias inſuper à Seraphico eruditiones.

Hoc ampliùs elucidabo, *cap.* 5. *quæſt.* 3.

Obiicies ſecundò, Ariſtoteles 2. *de Anima, cap.* 11. videtur plures Tactus aſſignare.

Respondetur è D. Bonauent. 3. *part. Centil. ſec.* 21. vnum eſſe Tactum, nam vnum eſt organum eiuſdem rationis, id eſt, totum compoſitum neruorum. Similiter obiectum vnum, quia ſunt qualitates tangibiles, quæ, vna ratione, eodémque modo percipiuntur vbique idem medium, quod eſt caro; eodem modo tangere omnia tangibilia ex eodem D. Bonauent. *loc. cit. Compendij* ſatis ſuprà probatum eſt. Hanc potiſſimam huius reſponſionis rationem aſſerit Suarez *num.* 5. Hanc veritatem tenet D. Thom. *prima primæ, quæſt.* 78. *art.* 3. *ad* 3. & alij inſignes Ariſtotelis Interpretes. Et idem Ariſtoteles 3. *de Anima, cap.* 1. At loco ſuprà dubitat, aut vult, plures eſſe tactus partiales, & alios aliis viuaciores, ratione medij, vel Organorum; ſic ſenſitiuior eſt, vbi plures ſunt nerui.

Obiiciunt tertiò Auicenna 6. *naturalium, part.* 2. *de tactu, quæſt.* 2. Apollinar. 2. *de Anima, quæſt.* 3. D. Thom. *lec.* 23. Albert. *tract. de Tactu.* Auerroës, 2. *de Anima, text.* 108. Vnius primæ contrarietatis eſt vnus ſenſus; ſed in tangibilibus qualitatibus dantur duæ primæ contrarietates: Ergo duo ſunt ſenſus Tactus ſecundùm ſpeciem; atque adeò erunt quinque ſenſus tantùm ſecundùm genus ſubalternum. 8

Respondetur ex D. Bonauent. *loc. cit. in Compend.* Vnum ſenſum Tactus verſari circa primas qualitates: nam Tactus, eſt ad arcenda à corpore animalis extrema corruptiua, quod eſt maximè neceſſarium conſeruationi: Extrema autem ſunt in ambabus contrarietatibus, quæ ad vnam contrarietatem reduci poſſunt, ſcilicet nociuorum, & ad corruptionem eo ſenſu actiuiſſimè diſponentium; nec pluralitas materialis contrarietatum multiplicat ſenſus; nam etiam Guſtus, & odoratus, multas odorum, ac ſaporum continent contrarietates. Cum D. Bonau. incedit Suar. *num.* 5.

Hinc colligitur, omnia animalia habere Tactum; vtpotè maximè neceſſarium ad præſeruationem ab extremis. Id ſæpè repetit Ariſtoteles *in libris de Anima, & lib. de Senſu, & Senſibili, cap.* 2. docet, aliqua eſſe animalia imperfecta, ſolo Tactu prædita. Idem clariùs docet 3. *de Anima, cap. vlt.* & D. Bonauent. *in* 2. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *fundamento primo, & in corpore.*

Circa alios ſenſus: Viſum, & Auditum omnia animalia perfecta habent hos ſenſus. Ideò homines maximè hos ſenſus diligunt, quia maximè proficui ſunt ad diſcendum; licèt per omnes diſcamus. Ita D. Bonauent. *ſerm.* 35. cum Ariſtotele, *libro primo, Metaph. cap.* 1. Ideò dicitur *Pſal.* 44. *Audi filia, & vide, &c.* & *in* 3, *diſt.* 24. *dub.* 2, *litt.* notat S. Doct. Senſum Viſus deſeruire maximè illi modo ſciendi, qui eſt per inuentionem: Senſum verò Auditus illi modo, qui eſt per doctrinam, qui ſunt duo modi ſciendi, vt habet Ariſtoteles *primo Poſter. text.* 1. 9

Quænam verò ſint animalia perfecta docet Ariſtoteles, 4. *de hiſtor. Animalium, cap.* 4. eſſe Terreſtria. Idem docet 3. *de Anima, cap.* 12. Excipit verò primo de hiſtoria *cap.* 9. Talpam, quam ait Viſu carere. Idem habet S. Bonauent.

Circa Apes docet Ariſtoteles *primo, Metaph. cap.* 1. eas carere ſolo Auditu. Id refert, nec reprobat Suar. *lib.* 3. *cap.* 28. *n.* 9. Sed id miror, cum ſono cymbalorum reuocentur, vt notat D. Bonauentura, *ſerm.* 3. *de communi circa finem.* Addit Suarez *in calce*, Animalia quærentia longè cibum, neceſſariò habere auditum, aut viſum, aut olfactum: ab illis enim diſtans ſenſibile percipitur, vnde quæ animalia habent vim motiuam ad locum diſtantem, vendicant ſibi aliquem ex his ſenſibus: Et è contrario, quæ eorum aliquem habent, poſſunt moueri

ueri ad distans; nam è sensu sequitur Appetitus; & ex appetitu Motus.

Qværes. Quisnam sit inter hos Sensus nobilissimus.

10 Respondetvr, ex D. Bonauent. *in Compend. Theolog. cap. 35.* sensum Visus esse nobilissimum: Deindè Auditum, Gustum, Odoratum, & Tactum.

Nobilissimvs est Visus, ideò natura eminentissimo in loco eius collocauit organum, vt ait S. Doctor, *lib. 2. Compend. cap. 35.* idque miro contexuit artificio, cuius admirabilem texturam describit, *3. part. Centil.* S. Bonauent. *loc. cit.* & nos infrà, *cap. 2. quæst. 7.*

Deinde præcellit ob obiecti excellentiam, quod est Lux, & Color. Præcellit etiam apprehendendi velocitate; nam remotissima, vsque ad octauam Sphæram vno instanti tuetur, & percipit. Præcellit denique spiritualitate; nam, medio præclaro Luminis, Aëreque purgatissimo, suum obiectum sibi è specula propria prætendit. Vide Diuum Bonauenturam, *loc. cit.* quem sequitur Suarez, *lib. 3. cap. 29. num. 1.* Adde, per Visum, nos præcipuam viam ad scientiam habere, vt dixi suprà cum D. Bonauentura.

Adde, etiam sensibilia communia, ab hoc Sensu plura, & perfectiùs percipi. Similiter etiam quoad sensibilia per accidens præcellit; nam remotissima corpora Cœlorum Figuras, Motus, & Magnitudinem discernit.

Seqvitvr Auditus, cuius obiectum spiritualius est cæteris, & spiritualiùs ab eo immutatur, ex quo spiritualiorem capit oblectationem; organum enim est aëreum.

Seqvitvr Odoratus, qui spiritualiùs reliquis inferioribus immutatur; qualitas enim immutans spiritualior est.

Ob easdem rationes Gustus Tactum superat, qui est crassissimus in omnibus, vt docet D. Bonauent. *loc. cit. Compend.* Addit tamen, Gustum, & Tactum, necessitate, cæteris anteire, vt dixi: Tactum verò generalitate, quia in omnibus membris est, & impressionum retentione, quò enim materialior est sensus, eò tenaciùs impressiones seruat. Vide Seraphicum Doctorem, *loc. cit.*

QVÆSTIO II.

An Sensvs *in homine perfectiores sint, quàm in aliis Animalibus.*

11 Dvplex esse potest quæstio: Altera est de perfectione essentiali, & quidem hasce potentias specie in nobis, & in Brutis distingui censent Regentes Parisiorum, Scotistæ *2. de Anima,* Auersa, *quæst. 51. sec. 4.* Altera est de perfectione indiuiduali; & de hac, opinio est D. Bonauent. *in 3. dist. 13. dub. 1. litt.* In homine omnes Sensus esse perfectiores quàm in Brutis; tametsi videatur loqui in genere, quod Animalia perfecta præstant imperfectis in integritate Sensuum. Loquitur tamen in hoc secundo sensu. Eum sequuntur Tolet. *2. de Anima, quæst. 24.* Cauellus, *ad quæst. 6.* Doctoris subtilis *de Anima.* Suarez, *libro tertio, de Anima, capite 29.* Alij dicunt, quædam præcellere in aliquo, vt in Gustu, Tactu, & forsan Auditu: Sic Mastr. & Bellut. *disp. 5. de Anima, num. 232.* Fuliensis verò ait *3. Phys. cap. 5.* nos ab Aquilis visu, à Talpis auditu, à Vulturibus odoratu. Alij denique dicunt omnia in aliquo præcellere, vti dicitur his Versibus:

Nos Sus auditu, Linx visu, Simia gustu.
Vultur odoratu, precellit Aranea tactu.

Assero tamen primò, Tactum esse nobiliorem in homine. Ita Aristoteles *2. de Anima, capite decimo.*

Probatvr, quia Tactus, vt sit perfectus, requirit temperiem qualitatum primarum: Ergo tactus temperatissimi corporis, temperatissimus est, & perfectissimus, cùm propter moderationem ab omni extremo recedat: Ergo. Hæc ratio elicitur è S. Doctore *in 2. dist. 17. art. 2. quæst. 3.*

Assero secundò, etiam Gustum esse perfectiorem in homine: tum quia Gustus affinis est Tactui: tum quia debet esse nobilior, seu nobiliorum obiectorum; Sed cibi hominis sunt nobiliores, vtpote decentes Animal nobilissimum: Ergo. 12

Assero tertiò, Odoratum in eo quoque esse perfectiorem.

Probatvr, quia multis odoribus, quibus non delectantur animalia, delectatur homo, maximè in calidis, & aromaticis, quia calida sunt, & vapore deferuntur calido ad Cerebrum, vt ait S. Bonauent. *loc. cit.* quem Vessalius, Veslingius, & alij Anatomici sequuntur. Anterior verò pars Cerebri est frigida, & humida, vt notat Sanctus Doctor, *lib. 2. Compend. cap. 36. & 37.* Hinc fit, hominem non sentire adeò odores vehementer, & à longè, sicut aliqua animalia, vt Vultures, & Canes venatici, vt notat etiam Albert. *2. de Anima, cap. 13.* Ægidius *text. 92.* Suarez *lib. 3. cap. 29. num. 3.* Hinc homo eget somno longiore ob humiditatem, & frigiditatem. Sic enim inseruit cognitioni; Calor enim conturbat animales spiritus. Quia ergo Olfactus organum iuxta Cerebrum situm est, olfaciendi viæ obturantur continua Cerebri distillatione frigida, & humida; vndè quò plura huiusmodi excrementa per nares defluunt, minùs olfacimus, & cætera animalia Cerebrum habent calidius; vnde in hominibus Odoratus acutior, caliditatem Cerebri indicat; & ex consequenti ruditatem, & obscuritatem ingenij. Vnde nares patulæ alacritatis, & fortitudinis dant indicium, quia datæ sunt à natura proportionatæ ad purgandum humidum Cerebrum. Similiter nares proportionatæ à Fronte descendentes, prudentiam demonstrant, vt notat Sanctus Bonauentura *libro secundo Compendij Theol. cap. 38.*

Assero quartò, Auditum in nobis esse perfectiorem. 13

Probatvr, quia plura percipit modulata naturaliter, & artificialiter; habetque subtilissimum Organum.

Assero quintò, idem dicendum de Visu ob easdem rationes, & ob delicatum Organi artificium: Tandem, quia hi duo vocantur Sensus disciplinæ; quia per hos discitur, vt notat D. Bonau. *locis adductis, quæst. præcedenti.*

Obiicit verò Ruuius *3. de Anima, cap. 1. quæst. 2.* aliquos textus Aristotelis; qui solùm ostendunt, aliquam maiorem in brutis perfectionem, secundùm aliqua tantùm obiecta. Idipsum dic de Diuo Thoma *3. de Anima, lib. 19.* Colleg. *3. de Anima, cap. 1. quæst. vnica, art. 2.*

Fateor, Seraphicum *ad Concionem, Serm. 2. de Angel.* præferre nobis Capras visu, Lupos, olfactu; Araneam tactu.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Vtrùm SENSIBILE *externum positum supra* SENSVM *sentiatur.*

14 PROPOSITIO est Aristotelis 2. *de Anima, cap. 7. text.* 75. *Sensibile supra sensum non facit sensationem.* Et *cap.* 9. *text.* 95. de omnibus sensibus id astruit, camque tradit Sanctus Bonauent. *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 35. & 3. *part. Centil. sec.* 21. singulis sensibus exterioribus media designat; & *lib.* 2. *Compend. cap.* 35. *citato*, dicit, differre sensus in medio sensationis; quia Gustus, & Tactus habent medium intrinsecus; alij verò extrinsecus: Et *in* 2. *dist.* 13. *art.* 1. *quæst.* 2. *argum.* 2. ad oppositum, addito responso, ait ex D. Augustino, *lib.* 12. *cap.* 16. & *lib.* 7. *cap.* 13. *de Genesi ad litt. Visus agit pura luce: Deinde incorporata in subtilissimo aëre; deinde lux mixta in aëre caliginoso; deinde cum corpulento humore; postea cum terrena crassitudine*, & sic quinque Sensus designat. Clariùs verò id asserit in Opusculo. *Reductio Artium ad Theologiam.*

IDEM astruit Albert. *in* 3. *part. summa de homine, quæst. de Tactu.* Commentator, *comm.* 116. Ægid. & vterque Caiet. *cap. de Tactu.* Iandun. 2. *de Anima, quæst.* 21. Ianellus, *quæst.* 50. & est apud Thomistas magno plausu accepta: Eam tuetur egregiè Ioan. de S.Thoma, *quæst.* 4.

SECVNDA opinio est: Non omnes externos sensus medium exigere. Aliqui enim negant de Visu: Ita Tolet. 3. *de Anima, cap.* 10. *quæst.* 2. postulat verò medium circa solos colores, non circa lucem. Scotus verò, *lib. de Anima, quæst.* 4. quem sequitur Auersa, *quæst.* 54. excipit quoque Auditum: Et solum Visum ait per se indigere medio ad videndum obiectum, maximè Colorem. Idem sentiunt Mastrius & Bellutus, *disp.* 5. *quæst.* 7. *n.* 223. ac Fulienf. 3. *Phys. cap.* 5.

15 SVAREZ verò *lib.* 3. *de Anima, cap.* 28. & Colleg. 2. *de Anima, cap.* 11. *quæst.* 3. excipiunt Gustum, & Tactum: Sic etiam Alexander 2. *de Anima, cap. de Gustu, & Tactu.* Ruuius 3. *de Anima, cap.* 1. *quæst.* 3. excipit etiam Olfactum. Eustachius, 3. *part. tract.* 3. *disp.* 2. *quæstione* 2. solum Tactum excipit.

ASSERO primò, Visum requirere medium externum per se, respectu Coloris, non respectu Luminis.

PROBATVR à Diuo Bonauentura *in* 2. *dist.* 13. *quæst. vltim. in corpore* experimentis: Nam Lumen etiam immediatum pupillæ, videtur, vt patet fricanti oculos in nocte. Similiter luminosum applicitum oculo. Ratio est, quia Lumen habet esse etiam intentionale. Quare non eget medio alio immaterialiori, vt notat S. Doctor è D.Dionysio.

QVOAD Colores, vnusquisque experiatur, Colores oculis applicitos non videri.

ASSERO secundò, etiam Auditum exigere medium externum per se.

PROBATVR à Sancto Doctore 3. *part. Centil. sec.* 21. quia media Sensuum sunt Aër, & Aqua, ex Aristotele 2. *de Anima, cap.* 9. *text.* 98. Certum est autem, iuxta Tympanum, quod est organum Auditus, posuisse naturam aërem connatum, qui non potest esse organum sensorium, cùm sit inanimis; ibi autem est, tanquam in vase; Tympanum autem videtur ad pulsationem organizatum.

ASSERO tertiò: Odoratus eget medio.

PROBATVR à D. Bonauentura, *loco adducto, Centil.* Quia Vapor per aërem defertur naturaliter ad sensus; res enim odorosa exhalat vaporem, & vaporat fumum, vt deferatur per aërem, qui est medium, vt ait Aristoteles, *loc. cit.* atque indè emittat species intentionales: Quamuis enim vapor ille excedat per nares, ac progressus transgrediens mamillares, ad Cerebrum expiret; attamen non omittit eiaculari species; imò ex eò, quòd fumus ille intra processus mamillares, qui sunt sensorium Olfactus, non terminatur, sed progreditur ad Cerebrum, colligitur, non fieri per illum sensationem; sicuti è contra, quia sonus ad Tympanum desinit, nec vltra procedit, colligunt, ibi esse Auditus sensorium.

ASSERO quartò, Gustum requirere medium externum. 16

PROBATVR à Diuo Bonauentura, 3. *part. Centil. loc. cit.* quia ex Aristotele media deferentia species, sunt Aër, vel Aqua, vel aliquid ex his. In Gustu autem humor solus adest saliualis, qui fit aptum medium: Saliua autem prudenter à natura conspuitur ad hunc finem; nam cibus non potest, etiam mixtus saliuæ, penetrare linguam, exiliter porosam, & ad neruum pertingere.

ASSERO quintò, Tactum quoque medio egere interno: Est Aristotelis 2. *de Anima, text.* 116.

PROBATVR, quia caro est medium, non sensorium; vt dicam, *cap.* 6. *quæst.* 4. Itaque Gustus, & Tactus habent medium internum, id est, vnitum parti sentienti; non autem externum, seu extra, ac separatum. Vide Sanctum Doctorem *adductis locis*, præcipuè in Opusculo *de Reductione artium*, vbi hanc indicat rationem, Species produci ab omnibus obiectis necessariò, tanquam res naturaliter genitas: Non potest autem coniungi immediatè, quia non est proportionatum obiectum: Ergo egit necessariò obiectum, effundere speciem per medium ad organum, quia immediatè applicitum, nimis materialiter opprimit illud.

ARGVMENTA, quæ Toletus, Ruuius, & Conimbr. adducunt, ea facilitate negantur, qua congeruntur. Alia habet Suarez, quæ discutiam, *capite* 5. *disp.* 1. *quæst.* 3.

CAPVT II.

DISPVTATIONIS.

DE SENSV VISVS.



ACTVRI de sensu Visus, ab obiecto eius exordiamur, quod est Lumen, & Color, & cætera visibilia, vt docet Aristoteles 2. *de Anima, cap.* 7. qualia sunt ligna quædam putrefacta, squamæ quorundam piscium, cærulea Columbarum colla, & his similia.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quid sit Color.

Prima opinio est Pythagoreorum, Colorem esse ipsam extremam cuiuslibet corporis superficiem, eos refert Aristoteles, *lib. de sensu, & sensibili, capite 3.* Videntur arridere Pronensal. *parte 2. de Sensibus, capite decimosecundo*, Celsus Mancin. *lib. de Synagia*, Plat. *capite vigesimotertio*: Hæc tamen opinio est antiquata; Colores enim videntur etiam in profundo, & multi colores fiunt absque variatione superficiei.

Secunda opinio est, Colorem nihil esse, quàm lumen externum impressum in corporibus opacis, ac iuxta diuersitatem dispositionum eorundem corporum apparere diuersos colores; atque adeò, recedente lumine, nullum in corporibus colorem remanere; ac redeunte lumine colorari. Huic videtur alludere Ecclesia Hymno.

Rebusque iam color redit
Vultu nitentis syderis.

Ità sentit Plato *in Timæo*; omnésque ferè Arabes; Auempace apud Auerroem 2. *de Anima, com.65.* Auicenna *6.lib.naturalium, part.3. cap.2.* Aphrodis. *lib.2. naturalium quæst.onum, quæst.1. cap.2.* Albertus de sensu, & sensibili, *tract.2. cap. 1.* Videtur Diu. Thom. 2. *de Anima, lect. 14.* Cisalp. *lib.5.quæst.9.Peripat.quæst.7.* Citantur etiam Scaliger. *exerc.cap.325. art.5.* Scarmilio *lib.1. de coloribus, cap.6.* Mayro *in Prol.quæst.19.* Capreol. 2. *distinct. 14. quæst. 1.* Complutenses verò dicunt *distinct.10.quæst.2.* Lumen esse principium formale coloris dispositiuum.

18 Tertia opinio est, Colores apparentes esse Lumen; veros autem colores distingui specie à lumine. Ità omnes ferè Aristotelis interpretes *ad 2.de Anima, c.7.* Itaque volunt, veros colores esse secundas qualitates, resultantes ex primis, atque adeò è certo mixti temperamento, vt docet Aristoteles *lib. de coloribus, capite 1. 2. & 3.* & *lib. de Sensu, & Sensibili, cap. 3.* & cum temperamentum sit permanens, & ab intrinseco, ideò etiam colores permanentes figurantur, sicut colores apparentes, quia ab externo sunt, & transeuntes, ideò phanatici sunt.

Ex his Sapientiores dicunt, Colores non causari à mixtione primarum qualitatem immediatè; nam sæpè idem Color à contrariis oritur temperamentis, vt albedo in niue, & calce; & in eadem pluma varij colores, quod Senertem mouit, vt omninò negaret, Colores, Saporesque causari à temperamento formali elementorum. Ità *in lib. contra Peripateticos, de coloribus.* Volunt igitur, colores causari à mixtione elementorum, secundùm esse perspicui, & opaci, mixti, diaphani, & tetri, siue ignei, aërei, aquei, ac terrei; & hæc est opinio, quam explicat Tolet. 2.*de Anima, quæst.17.* Dand. 2. *de Anima, digress.35.* Ruuius 2.*de Anima,tract. de Visu, quæst. 1.* Zabarella *lib. de Visu, cap. 2.* Contaren. *quæst. de Visu, cap.2.* cum Sancto Bonauentura *in 2.distinct.13.art.2. quæst.2.in corpore*, vbi ait: quòd Lux incorporata, est principium coloris in corpore terminato, qui quidem color est accidens, & passibilis qualitas, & sensu percipitur: & *in 3.dist.23.art.2.quæst.5.* secundam opinionem refutat.

De coloribus verò apparentibus Iridis *lib. 2. Compend. Theol. cap.9.* ait Seraph. Doctor: *Iris est lumen Solis receptum in nube concaua, & aquosa, & Soli ex aduerso opposita.* Similia indicat *ad c.5. Sapientiæ*, vbi de Iridis disparitione. De hac egi *tract.7.disputat.3. q.25.* 19

Ad Colorum permanentium naturam ediscendam, eorúmque causas indagandas rectè viam aperient notiores, apparentésque Iridis, Columbæ, atque Cameleontis colores: De hoc vltimo Seraph. Bonauent. *serm. 3. de Apostolis*, esse bestiolam, ait, diuersa colorum varietate respersam, ad omnes colores, qui ei offeruntur, variatam; vti & ad colores omnes, qui in vitro suscipiuntur, vt notat Diu. Bonauent. *loc. cit.* sic enim etiam Aristoteles *problem. sectione 30. quæst.1.* scrutans mutationes melancholicorum, qui modò tristes sunt, modò hilares, videns effectus similes in ebriis; in quibus causa est notior, quæsiuit dispositionem ebriorum, quæ est causa talium effectuum: talis enim erit dispositio etiam melancholici; sed hæc est à natura: illa ex accidenti. Similiter de rubedine, & macula differens naturali, *in prædicamento Qualitatis*, comparauit eam erubescentibus; in quibus rubor est, quia sanguis ad faciem confugit; ita erit in illis aliis, sed à naturali generatione: his autem ex accidenti.

Similiter, & nos quærentes Colorum principia; scrutemur colorum ex accidenti principia, *verbigratia*, Iridis, quæ habet colores, euanescentes, vt dicitur *3.Metheor.cap.4.* veros tamen, vt ostendi *loco citato.*

In his igitur tria sunt principia; Est diaphaneitas quædam nubis, qua lumen recipitur: est Opacitas quædam, qua retinetur, ne omninò transeat: Et est lumen ipsum receptum, retentum, & opacatum, & ex his Color resultat. Inter hæc tria, Lumen est forma, & coloris substantia: reliqua duo sunt principia materialia. Quòd si Lumen illud esset ab interno nubis, & permaneret, vtique esset verus color, & permanens: At quia ab externo Sole pendens, & nubes citò resoluitur, non est permanens. 20

In coloribus ergo veris permanentibus hæc tria sunt principia eadem. Est Lumen quoddam, non ab externo, sed ab interno, ex partibus igneis, ex quibus mixtum est, quod receptum cum diaphaneitate aquæ, & aëris, & opacatum tetro terræ, transit in colorem verum, & permanentem. Hæc igitur est substantia coloris; hæc etiam sunt principia, vt notat Tolet. 2.*de Anima, quæst.17.* post D. Bonauent. *loco citato.*

Ex his primò habes, primas qualitates remotè solùm concurrere ad colores, quatenus diaphaneitatem, vel opacitatem faciunt. 21

Secundò collige, non solùm vbi qualitates elementares sunt, esse colores, sed etiam, vbi non sunt; sed est aliqua opacitas, vel diaphaneitas cum luce, & tales dicuntur colores simplices, quales elementis, & Cœlis insunt, qui non plenè videntur, nisi coniungantur cum externo lumine. Et hæc colorum diuisio in simplices, & mixtos habetur in Aristotele siue Theophrasto, qui censetur author istius libri *Libro de coloribus* initio. Mastrius, & Bellutus, sapientes Scotistæ *disput. 5. quæst. 2. de Anima*, excussis oppositionibus, concludunt cum Auersa *quæst.54. sect.2.* nullam posse assignari certam regulam vniuersalem, quænam

qualitatum mixtio hunc, vel illum causet colorem. Quare aiunt, debere nos fateri nostram ignorantiam circa colorum originem; posse tamen in genere dici, Colores causari posse, tum à mixtione lucis, & opacitatis; tum à vario primarum qualitatum temperamento: Succinit his Fulienſ. 3. *Physic. capite* 5. *articulo* 2. Eustachius, 3. *part. Physic. tract.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 6.

Sane video multa terrea, quæ plurimum habent opacitatis, esse alba, vt sunt marmores Parij, & Calx: Ex quo habes, albedinem non oriri ex prædominio perspicui, & lucidi, vel aërei, & ignei; eóque minùs, quo candor in niue, ne
22 dum in calce reperitur: Neque ex frigoris prædominio; nam albedo inuenitur in calce, in lacte; Esto enim homines frigidiorum Climatum sint albi, & Phlegma, humor frigidus, albescat; tamen multi etiam in Regionibus frigidis nigri sunt; & in Torridis Albi. Neque oritur à prædominio siccitatis, qualis apparet in cinere; nam & multa humidissima sunt alba, vt nix, grando lac, & alia; multa sicca nigra, &c. vt caligo in camino, & crines aridissimi in iuuenibus calidissimis, & maximè in Æthiopibus nigri sunt; Esto in Senibus canescant; imò in Cœsiis à iuuentute, & in Senio nigrescant.

Similiter, & Color niger non ex opacitate terrea præcisè oritur: Nam Carbunculi lucidi, nigri sunt, neque ex siccitate; nam Atramentum est humidissimum; neque ex conuersione humidi in siccum, qualis videtur in fumo, & carbonibus; nam humores decocti expurgantur, deputantur, albescunt, vt Pharmacopolis notum est.

Neque verò ex temperie aliqua primarum qualitatum, aut mixtione, oriri hæc animaduerto; nam esto Olores sint candidi in plumis, sunt in cute nigri: Et Corui in plumis nigri, sunt in carne rubei: Et Columbæ aliquæ albæ, aliquæ nigræ, aliquæ flauæ; imò in eadem pluma Picæ, vel Psitaci est color ceruleus, albus, purpureus & niger, nedum eadem Columbæ pluma, mille trahit varios, aduerso Sole colores. Neque in densitate, & raritate posita est colorum varietas, esto aliqua ob id mutatio appareat, vt in Stellis, quæ sunt partes Cœli densæ: Video, & fumum rarum nigrum, & corpus densum, album, vt in Ebore, & Marmore Pario constat. Porrò eiusdem densitatis lapides nigros, vt in lapide Lydio: Alios albos, vt in Alabastro experimur.

23 Idem discursus fiat de mediis coloribus, putà perfectè medius viridis, qui ideò confortat, dicitur ortus ab humido; Vnde Herbæ, Mare, Aër, virescunt: Sed video Smaragdum viridem, Terram viridem pictorum, quæ sunt aridissima. Similiter Puniceus non oritur è perspicuo; est enim in auro opaco, & à prædominio terreo; quod ideò inter Metalla grauissimum est. Similiter Aurichalcum est flauum. Pariter Purpureum ex primis qualitatibus, vel ex aliqua præcisa temperie ortum non agnoscitur. Aliqua enim purpurea humidissima sunt, vt sanguis Concharum: aliqua sicca, vt gemmæ aliquæ. Et sanè in gemmis est admodum mirabilis tot colorum eximia varietas, vt candor in Adamante; rubor in Rubino; viror in Smaragdo; purpura in Ametisto; flauedo in Pyropo; nigror in Carbunculo, cùm tamen omnes sint lapides. Similiter varietas in eodem marmore, cui non admirabilis inuenitur?

Considero etiam colorem rubeum in sanguine humido, & calido: in rubino frigido, & sicco, in eodem flore, ruborem mixtum cum candore; è floribus eiusdem speciei, aliquos albos, aliquos rubeos, vt Rosæ; & Garophanos in eodem folio variari, vt in Garophano vario; in pomo, & floribus, qui dicuntur *Hispaniæ mirabilia* simul candor, & rubor, &c. Sæpè etiam rubor cum colore citrino, & croceo in metallis, aureum fuluum; argentum album, auricalchum flauum, æs subnigrum, & alia rubentia, vel pallentia, atque flauentia animaduertuntur.

Neque in tanta varietate constitutas res, rectè ponderauit Daniël Sennertes *in primo Tomo*, rapidè se conuertens ad colores, atque sapores, è mixtionibus sulphuris, & nitri auspicandos. Vbi enim in tot frigidissimis, & tot purissimis coloratis est sulphur, aut nitrum? Discurrantur singula. Verè, ac rectè Iridem, vbi colores perpulchri enitent, dices Filiam admirationis; dixissem potius Parentem.

Assero primo, lumen externum non dare esse colotibus. 24

Probatur. Alioqui sic color esset lumen, nec darentur contrarij positiuè colores, nam lumini, solùm tenebra opponitur, quæ est priuatio.

Probatur etiam testimonio Aristotelis 2. *de anima, cap.* 7. vbi diuersas definitiones lumini, & colori assignat. Color enim definitur. *Motiuum perspicui in actu:* Lumen verò *actus eiusdem perspicui:* Ergo color supponit lumen in subiecto, per quod idem subiectum fiat perspicuum actu, & ipsum mouere possit, producendo in eo speciem propriam. Aër, *verbi gratia*, est secundum se perspicuus in potentia, quem non potest mouere color, producendo in eo speciem, nisi prius fiat perspicuus actu: fit verò perspicuus actu per lumen in se receptum: ergo color ex propria ratione supponit lumen in subiecto. Quare necesse est, quòd sit qualitas realiter, essentialiter distincta ab eo.

Dices, lumen quoque esse motiuum perspicui in actu, quia si aer sit aliquantulum illuminatus, moueri potest ab aliquo luminoso per productionem specierum, & ita videri per tale medium. 25

Respondet Ruuius 2. *de Anima, capite* 7. *tractatu de visu, quæst.* 1. *numero* 16. res distinguendas ex his, quæ per se eis conueniunt; non ex his, quæ per accidens obueniunt; color per se habet mouere pespicuum actu; nec potest illud actu perspicuum constituere; lumen verò per se illud constituit perspicuum in actu. Quare per se habent rationes distinctas.

Assero secundò, Lumen internum corporis causare colorem, non componendo, sed efficiendo. Ità Diu. Bonauentura *in* 2. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *ad primum*, & est communis, vt ait Ioan. de S. Thoma *quæst.* 3. *de Anima*, *art.* 2. Mastrius *disput.* 5. *num.* 59.

Probatur ab eo prior pars ex dictis: posterior verò, quia color est forma simplex: Ergo non ex pluribus composita. Probatur Antecedens, nam accidentia sunt simplicia. Potest verò forma substantialis luminis causare accidens, agens per lumen.

Duas definitiones coloris hìc libare libet. Altera habetur *lib. de Sensu, & Sensibili*, capite tertio. *Color est extremitas corporis perspicui terminati.* Vbi extremitas non sumitur materialiter pro superficie, sed pro fulgore consequente ad 26

corpus

corpus perspicuum terminatum; & licèt sit in toto corpore, & secundùm omnes dimensiones, tamen ponitur sola extremitas, quia definitur Color in ordine ad Visum; ideò dicitur *terminati* in ordine ad Visum, ad distinctionem diaphanorum, quæ non sunt per se terminata in ordine ad visum, sed per externum corpus opacum, vt patet in speculis, quibus apponitur argentum; & in hoc differt etiam à lumine, quod non mouet tantùm è superficie; sed ex toto diaphano aëre, vel alio medio. Definitur igitur Color per extremum, tanquam subiectum, loco generis positum, quod per aliam particulam (per se terminati) determinatur ad imperfectissimum perspicuum, & distinguitur à lumine, & cæteris.

SECVNDA descriptio coloris habetur in Aristotele 2. *de Anima*, *cap*. 7. *Color est Motiuus perspicui in actu*, id est, Color est motiuus medij illuminati; quia producendo species, mouet medium ad visionem efficiendam.

Ex his patet ad Argumentum primæ opinionis: Videtur enim lumen externum, non constituere formaliter colores.

QVÆSTIO II.

An LVMEN *sit Corpus.*

D.Bon. in 2. dist.13. art. 3. quæst. 1.
D.Thom. q.61. art.3.

SVPPONO primò, Lucem, & Lumen differre: Lux enim est forma substantialis, à qua Lumen procedit, vt ostendi, *tractatu 6. disputatione secunda. quæst.* 5.

27 FVIT opinio Empedoclis, & quorundam ex Academicis, Lumen esse corpus. Idem videtur sentire Diuus Augustinus, *libro secundo, de Libero arbitrio*: Et Theodoretus, *quæstione septima supra Genes.* Damascenus 2. *de Fide, cap.* 7. Seneca apud Diuum Bonauenturam, *loco citato*, Varios huius Sententiæ modos refert, atque refellit Sanctus Doctor.

VERA tamen Sententia negat, Lumen esse corpus. Ita Aristoteles, *cap.* 7. *secundi de Anima*, & post eum omnes Peripatetici.

ASSERO cum hac Sententia, Lumen non esse Corpus.

PROBATVR à D. Bonauent. ex Aristotele 2. *de Anima, text.* 69. *&* 70.

PROBATVR secundò: Quod habet contrarium priuatiuum; non est corpus: Sed Lumen habet contrarium priuatiuum, quod est tenebra: Ergo.

PROBATVR tertiò: Nullum corpus mouetur in instanti; sed Lumen mouetur ab Oriente ad Occidentem in instanti: Hæc ratio est Aristotelis, *loco citando*.

PROBATVR quartò. Nullum corpus mouetur velociùs primò mobili: sed Lumen ab Oriente in Occidentem mouetur subitò; at primum mobile duodecim horas insumit: Ergo. Maior probatur; quia motus primi mobilis est omnium perfectissimus, ac omnium primus; Ergo velocissimus.

28 PROBATVR quintò. Nullum corpus simul, & semel mouetur ad opposita partes se diffundendo sursum, deorsum, antè, & retrò: Lumen tali pacto mouetur: Ergo non potest esse corpus.

PROBATVR sextò. Non possunt duo corpora se penetrare, neque etiam vnum esse in altero absque alterius augmentatione: sed Lumen simul cum aëre impermixtum stat, neque aërem ipsum augmentat: Ergo non est corpus. Maior probatur, quoad priorem partem ex Aristotele, 4. *Physicorum, text.* 46. & à Dino Bonauentura, *in* 4. *distinct.* 49. *art.* 4. *quæst.* 1. vbi penetrationem corporum esse supernaturalem ostendit. De quo 3. *part. Tract. de Resurrectione, disput. de corporum Dotibus, quæstione* 1. Hâc ratione vtitur Aristoteles, 2. *de Anima, cap.* 7.

PROBATVR septimò. Nullum corpus habet continuò suum esse *in fieri*: Sed tale esse habet Lumen: Ergo.

PROBATVR octauò. Si Lumen est corpus, aut ex nihilo est, aut ex aliquo: Si ex nihilo: Ergo à Creatore solo producitur: ergo lumen est à solo Deo, cuius proprium est creare: Si ex aliquo: Quæro ex quo? Aut ex corpore, à quo causatur; aut ex corpore, à quo suscipitur. Non secundùm, quia Lumen non producitur ex aëre, qui absente corpore luminoso, obtenebrescit. Si ex corpore, à quo causatur: Ergo corpus luminosum effundit contraria de sua substantia, & destruitur; Ergo corpora cœlestia sunt corruptibilia; imò iam Sol deberet esse consumptus.

HIS Seraphici rationibus vtuntur Toletus, 2. *de Anima, quæstione* 18. Ruuius 2. *de Anima, Tractatu de sensu Visus, quæstione* 2. *numero* 29. Suarez, 3. *de Anima, quæstione* 14. Fuliensis 3. *Physic. cap.* 5. *art.* 2. 92

OBIICIES primò. Omne, quod mouetur localiter, & dimensiuè est corpus: Sed Lumen sic mouetur: Ergo.

RESPONDET D. Bonau. quòd sicut species colores dupliciter mouetur, primò per diffusionem, procedendo à corpore colorato ad speculum; Secundò ad motum corporis colorati mouetur in speculo; & prior motus non est localis, sed generationis; Secundus verò est localis per accidens: Sic etiam Lumen primò mouetur, dum diffunditur à corpore luminoso per generationem continuam, & diffusionem; Secundò per dilatationem radiorum super terram ad motum Solis, & hic motus est per accidens ad motum sui principij; sic etiam virtus mouetur ad motum sui principij, cuius est virtus; neque tamen ideò virtus illa est corpus; Lumen autem exit, vt virtus Solis, &c. vt ait D. Damasc. 2. *de fide, cap.* 7. *&* 9.

OBIICIES secundò. Nil repercutitur, & repellitur à corpore, nisi corpus; sed Lumen repercutitur, & repellitur à corpore opaco: Ergo. Maior probatur; quia non potest, non corpus à corpore moueri.

RESPONDET Sanctus Bonauentura, aliam esse repercussionem collisiuam duorum, sicut pila colliditur parieti: Aliam esse ex ineptitudine patientis ad suscipiendam virtutem agentis, & hoc secundo modo repercutitur radius à corpore opaco. Sol enim, & quodcumque aliud Corpus luminosum habet virtutem diffundendi radios ad tantam distantiam (determinatam sanè, quia corpus luminosum est finitum) & quamdiù se protendit illa virtus, multiplicatur lumen, si susceptibile sit idoneum: cùm verò ante terminationem totius virtutis, apponitur corpus inhabile ad suscipiendum, cùm non possit lumen se multiplicare interius, se multiplicat reflexè, non ex virtute corporis resistentis; vnde 38

de, cùm fit repulsio in aqua mota, mouetur radius; non quia aqua sit primum mouens, sed quia virtus radium producens, occasione acceptâ ab aqua, potest radium reflectere, & occasione ab eodem acceptâ potest reflexionem variare, & ita radium mouêre. Quod dicitur, impossibile esse, non corpus à corpore repelli; videtur verum esse, si ita non est corpus, vt sit spiritus: Si autem egeat corpore deferente, sic absque dubio repelli potest, vt patet in imagine, quæ relucet in speculo propter appositionem plumbi cum vitro, quod est corpus opacum: Si enim esset vitrum solum, transirent species, & non redirent ad oculum.

31 Obiicies tertiò; Quæcumque confringuntur inuicem, & intersecantur, sunt corpora; sed ex repercussione luminis ad speculum concauum, fit radiorum intersecatio, & confractio: Ergo tam lumen, quàm radius sunt corpus.

Respondet Sanctus Bonauentura, confirmationem fieri ratione aëris adiuncti, qui ex virtute radiorum ibi concurrentium subtiliatur, & mouetur ex ratione illius: Dicuntur etiam radij intersecti, confracti, atque refracti, dum ex multiplicatione secundùm oppositas vias per progressum, & regressum fit quædam multiplicatio, & aggregatio luminis, atque radiorum concurrentium, & subtiliatio aëris circa corpus tersum, ex qua contingit calorem productum radij intendi, & ignem ibidem per caloris intensionem ex aëre subtiliato sic generari.

Obiicies quartò: Omne, habens trinam dimensionem, est corpus: lumen est tale: Ergo. Minor probatur, quia diffunditur secundùm omnem positionem, nec solùm in superficie est, sed penetrat aërem, vsque ad profundum.

Respondet Diuus Bonauentura, Lumen habere trinam dimensionem per corpus, in quo est; non per se, quod corpori necessarium est, quæ enim habent dimensionem per aliud, non sunt corpora; Alioqui etiam albedo, quæ in niue, & lacte habet dimensiones, esset corpus.

32 Obiicies quintò: Esto quod Sol esset, & circa ipsum esset spatium vacuum; cùm Sol possit absque extrinseco adiutorio sola virtute lucis radios diffundere, illos spargeret vndique; neque illi radij essent in alio corpore: Ergo essent substantia per se; non spiritualis, vt patet: Ergo corporea: Ergo corpus.

Respondet Diuus Bonauent. ex Aristotele 2. *de Anima*, & 4. *Phys. text. 66.* & D. August. 12. *Confess. cap. 3.* diffundere tunc, nullo modo posse solum Lumen; Cùm enim Lumen sit forma corporalis, eget medio deferente.

Obiicies sextò: Quod potest gignere corpus, est corpus; sed Lumen in medio gignit Ignem: Ergo.

Respondet D. Bonauent. Lumen agere virtute corporis luminosi; corpus autem luminosum solam formam educit; ideò, cùm Lumen sit illud per quod agit, sufficit si sit forma corporalis. Authoritates Sanctorum Patrum explicui, cùm de luce egimus, prima die condita, *tract. 6. disp. 2.*

QVÆSTIO III.

An Lvmen *sit forma, & qua.*

D. Bon. in 2. d. 13. art. 3. q. 2.
D. Thom. q. 67. art. 3.

Prima Sententia est dicentium, Lumen esse speciem ignis, atque adeò formam substantialem. Ita Proclus *in Commentariis supra Timaum Platonis, cap. 13.* Idem videtur sentire Aristoteles, vt refert D. Thomas, *quæst. 67. art. 2. ad 3.*

Secvnda Sententia est, Lumen esse qualitatem, non realem, sed merè intentionalem, sicut species coloris in aëre; eò quòd Lumen sit species lucis. Ita Ægidius 2. *de Anima, text. 76. dub. 2.* S. Thien. *ibidem*: Contaren. *quæst. de Visu, cap. 5.* Assianus *in quæstionibus perspectiuis.* 33

Tertia Sententia est, Lumen esse qualitatem merè realem. Ita Diuus Thomas hîc, & 2. *de Anima, text. 70.* &. *quæstione decima de veritate, articulo 8. ad 10.* & communiter Thomistæ: Caietanus, *loco citato, prima prima*: Ioan. à Sancto Thoma, *quæst. 7. artic. 2.* Complutenses, *disputat. 10. quæstione prima*, Conimbr. 2. *Cæli, cap. 7. quæst. 7.* Fulien. 3. *Physic. cap. 5. articulo secundo*, Eustach. *part. 3. Phys. tract. 2. disp. 2. sec. 2. quæstione 5.* Toletus 2. *de Anima, quæst. 17.* Ruuius, *tractatu de Visu, quæst. 2. & 3.* Motisanus, *disp. 2. de Anima, quæst. 6.* Suarez 3. *de Anima, cap. 14.* Auersa, *q. 53. sec. 7.* Arriaga *disp. 4. sec. 3.* & communiter Scholastici, *in 2. dist. 17.* vbi adducitur D. Bonau. Richard. Durand. *quæst. 2.* Heruæus *quodl. 3. q. 18.* & communiter expositores Aristotelis, 2. *de Anima, cap. 7.* Alex. Philoponus, Simpl. Themist. Auer. Albert. *tract. 3. cap. 10. & 11.* & Auicen. 6. *naturalium, part. 3. cap. 2.* & alij.

Qvarta Sententia, media inter geminas, est, Lumen habere esse eminens intentionale, & reale, Id vidimus, *cap. 1. Disputat. 3.* sequitur Zabarella, *lib. 1. de visu, cap. 6.* Piccolom. *lib. de visu, cap. 8.* Buridan. 2. *de Anima, quæst. 17.* nec longè abest Ramnes *prima prime, quæst. 67. articulo 3.* Eum sequuntur Scotistæ Faber, *Theor. 66.* Mastrius, & Bellutus, *disp. 5. de Anima, quæst. 2. num. 32.* qui allegant suum Scotum 2. *dist. 13. quæst. vnica*, qui tamen videtur pendulus; & ad secundam opinionem procliuis. Est autem hæc Sententia D. Bonau. *locis citandis.*

Assero primò, Lumen non esse formam substantialem, contra primam Sententiam. 34

Probatvr primò à D. Bonauent. *dist. 3. art. 2. quæst. 2. argumento 2. ad oppositum, addita responsione*, quod magni pendit Scotus *loc. cit.* & alij Authores suprà adducti: Faber *cap. 2. initio*, Tolet. 2. *conclusione 2.* Ruuius *num. 30.* Suarez *num. 1.* & cæteri. Idemque habet hîc *initio corporis.* Quod per se est sensibile, non est substantia; Lumen est per se sensibile: Ergo. Maior est Aristotelis: Minor est lumine ipso clarior.

Probatvr secundò à Sancto Bonauent. hîc. Quod aduenit enti iam completo, est accidens; sed Lumen aduenit aëri iam completo: Ergo. Probatur Minor. Si substantialiter compleret aërem, iam aër haberet lumen pro vltima forma; & iam

non

non esset aër. Hoc Argumento vtitur Suarez, *loco citato.*

PROBATVR tertiò à Seraphico hîc: Quod adest, & abest præter subiecti corruptionem, est accidens; Tale est lumen: Ergo. Hoc argumento vtitur Suarez *loc. cit.* Alia argumenta vide ibi apud Sanctum Doctorem.

35 ASSERO secundò, Lumen non esse qualitatem mere intentionalem.

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *in corpore*, quo vtitur etiam Diuus Thomas, *loc. cit. prima primæ*, Ruuius, *num.* 34. Suarez, *num.* 4. Toletus, *conclusione tertia*: Nulla causa producit effectum superioris ordinis; sed Lumen producit effectum ordinis naturalis, qui est ordo superior diminuto intentionali: Ergo Lumen non est ens merè intentionale. Maior est Scoto familiaris *in* 4. præcipuè *distinct.* 13. *quæstione tertia*, & *distinct.* 1. *quæstione prima*, Fabri *Theor.* 34. ex proposito. Minor est clara.

RESPONDET Faber hîc *ad secundum Diui Thomæ*; Lumen causare effectus naturales æquiuocè; argumentum verò concludere, Lumen esse etiam rem, sed non obstare quin sit etiam intentio agens æquiuocè.

CONTRA primò ad præcludendam fugam Fabri: Agens æquiuocum, non habet naturam consimilem cum effectu, vt patet: Sed per te Lumen est agens æquiuocum effectus realis naturalis: Ergo ipsum non habet esse naturale: Ergo solum intentionale; nam quòd haberet etiam intentionale, nihil faceret, quin secundùm esse reale vniuocè conueniret; nam etiam effectus naturalis habet virtute esse intentionale per speciem, quam potest producere. Tunc sic arguo: Omne agens totale vel est vniuocum: Et ità est æquè perfectum, vti effectus; vel est æquiuocum, & est perfectius effectu; Sed Lumen per te est agens æquiuocum effectuum naturalium: Ergo debet esse nobilius effectibus illis; At per te est ignobilius, cùm habeat esse diminutum tantùm: Et si haberet etiam esse intentionale, non augeret aliquid supra effectum naturalem, qui habet virtutem emittendi species: Ergo. Maior principalis est Scoti, *loco mox adducto*, & Fabri *Theor.* 33. *cap.* 2. initio.

36 PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura *argumento* 3. Sicuti se habet color ad corpus terminatum: ita Lumen ad corpus transparens: sed color est accidens habens esse reale, naturale: Ergo etiam Lumen.

PROBATVR Maior; Nam color est sensibilis, non species eius; non enim species coloris videtur, vel saporis gustatur; sed est id, quò obiectum sentitur: Similiter & Lumen est per se sensibile absque dubitatione, quod tremens concedit Scotus. Secundò, Lumen denominat subiectum, & aërem, in quo est, seu aliud medium luminosum, sicut color denominat subiectum coloratum; neque verò species denominat aërem.

RESPONDET Fauentinus *ad primam Diui Thomæ*, ex Scoto *ad* 4. speciem posse denominare oculum, vel aërem, si inuentum esset proprium vocabulum horum denominatiuum: At quia non est impositum denominatiuum proprium à Philosophis; ideò non denominat.

HOC sanè responsum non concutit argumentum Diui Bonauenturæ, quo vtuntur etiam Tolet. *loco citato*, Ruuius, *num.* 37. & quod Suarez, *num.* 4. dicit, esse optimum; non enim defecerunt Philosophi in imponendis nominibus; sed consultò non imposuêre denominationes, sumptas à speciebus, quia sunt entia diminuta; alioquìn, cur Scotus non inuenit denominationem, si species potest denominare? Nam alia etiam nomina noua excogitauit, ipsis etiam speciebus subtiliora.

ASSERO tertiò, Lumen non habere esse merum naturale. 37

PROBATVR à Sancto Bonauentura argumentis secundo loco, addita responsionum modificatione *in fine quæstionis.* Primò: Non possunt duo accidentia naturalia eiusdem speciei esse in eodem subiecto; Sed duo lumina sunt in eodem aëre: Ergo non sunt accidentia naturalia.

RESPONDET Suarez, *num.* 6. concedi a multis perspectiuis, duo lumina esse simul in eodem subiecto; de quo alibi latiùs, nempè, *disputatione quinta*, *Metaphys. sec.* 8. nunc tamen necessitas nulla est, id asserendi; licet enim duo luminosa ponantur efficere lumen vnum intensius, vt docet Diuus Thomas, *primâ secundæ*, *quæstione nona*, *articulo quarto.* Durandus, *in* 2. *dist.* 13. *quæstione* 2. Caietanus, *prima primæ*, *quæstione* 41. *articulo* 6. Capreolus, *in* 2. *distinct.* 7. *quæstione* 2. Ferrarius, 4. *cont. Gent. cap.* 26. Nam causantur duæ vmbræ; tamen duæ vmbræ causantur, eò quòd duæ medij partes sint impeditæ, quò minus in eis possit fieri Lumen æquè intensum, ac in cæteris medij partibus; Vmbra autem, nihil est aliud, quàm luminis carentia: Quod autem ab vnico obstaculo duæ partes aëris impediantur, ratio clara est, quia duobus luminosis opponitur, ac respectu diuersarum partium totalis medij.

HÆC tamen mera fuga est, quæ facilè præcluditur: Nam Diuus Thomas, *prima primæ*, *quæstione* 41. *articulo* 6. & *quæstione* 85. *articulo primo*, & *tertia parte*, *quæst.* 35. *articulo quinto*, & omnes Thomistæ cum Diuo Bonauentura, *in* 3. *distinctione* 8. *articulo* 2. *quæstione secunda*; Et Suarez *loco citato*, aiunt, duo accidentia non posse esse in eodem: At duo lumina esse in eodem medio concedere coguntur cum Diuo Bonauentura hîc, *distinctione* 3. *parte secunda*, *artic.* 2. *quæstione* 1. *in corpore*; nam retinent diuersas vmbras, vt patet in duabus candelis positis, altera à dextris: altera à sinistris Calicis in Altari ante Auroram; Si enim vnirentur, iam destruerent hinc inde vmbram, cùm ex altera parte non sit obstaculum. De accidentibus verò realibus est Sententia negatiua Aristotelis, 5. *Metaphys. cap.* 10. vbi ait: *Quæcunque accidentia sunt in eadem substantia, specie differunt.* Vt ostendi *in Metaphys. disputatione penultima*: Et ratio est, quia accidens nominatur ad subiecti denominationem. Quod verò duo lumina impermixta sint in eodem medio, probatur hîc à Diuo Bonauentura ex Diuo Dionysio, *cap.* 2. *de Diuin. nom.* vnde non est quò effugiat Suarez. 38

RESPONDET Ruuius, *tractatu de Visu*, *quæstione tertia*, *num.* 51. idem ferè cum Suarez: Vmbram verò ait non esse carentiam, sed remissionem luminis, cùm videamus obiecta intra eam existentia, dum sumus intra vmbram: Est igitur remissio luminis in ea parte medij, quæ certè tollit continuationem luminis ab vtroque luminoso producti, nec eius identitatem consequitur numericam.

CONTRA; Nam & ens remissum est aliud numero ab intenso.

39 Probatvr secundò: Naturale accidens, cùm generatur, ex propriis principiis subiecti habet ortum; Et cùm resoluitur, in suum subiectum resoluitur: Sed lumen non educitur ex aëre; nec resoluitur in aërem: Ergo lumen non est accidens naturale in Aëre.

Probatvr tertiò: Nullum accidens naturale transit à subiecto in subiectum, vt omnes Peripatetici concedunt; sed radius mutatur ab vna parte aëris in aliam: Ergo non est accidens merè naturale.

Probatvr quartò: Nullum accidens merè naturale manet immobile, moto eo, in quo est; sed radius manet immobilis, moto aëre: Ergo.

His Argumentis non respondent Aduersarij.

Probatvr quintò à Sancto Doctore *in corpore* primo argumento, quo vtitur Scotus *loc. cit.* & Fauent.*cap.2.* Si lumen esset merè naturale: sequeretur positum supra sensum, non facere sensationem ex Aristotele *2. de Anima, text. 68.* & vidimus, *quæst.3. capitis præcedentis*: Et ita lumen positum super oculo, non videretur, quod pugnat cum experientia. Quidquid dicat Ruuius *hic, quæst. 3. num. 49.*

Respondet Toletus, recipi in oculo, non vt oculo, sed vt diaphano: At si in oculo recipitur, vt est diaphanus, & sentitur; recipitur in oculo, vt oculus est.

Probatvr sextò; quia lumen in medio multiplicatur ex Diuo Dionysio, *cap.4. de Diuinis nominibus*, in eodem aëre absque confusione, sed distinctè, quod accidentibus naturalibus repugnat, vt dixi argumento primo.

Probatvr septimò à Diuo Bonauentura, quia lumen spargitur, sicut species visiuæ in instanti.

Respondet Toletus, sic spargi, quia caret contrario. Quid tum?

40 Ex his solutæ iacent obiectiones Scoti, & Diui Thomæ.

Respondetvr enim cum D. Bonau. lumen habere vtrumque esse, naturale, & intentionale eminenter.

Obicies cum Ruuio, *num.35.* quia esse naturale, & intentionale sunt duorum ordinum entitates, superioris, & inferioris: Ergo nequeunt eidem conuenire. Vrget verò, quia lux, & lumen solùm differunt, sicut calor in igne, & calor in medio, quæ sunt eiusdem speciei.

Respondetvr ex D. Bonauentura, ens diminutum habere quidem imperfectionem diminuti entis; attamen habere etiam perfectionem spiritualioris esse, per quod potest esse intentio, eò quòd magis à materialitate recedit; & hæc perfectio potest simul esse cum esse naturali in aliquo statu eminentiori, esto non possit sub ea ratione, quæ est ens ordinis inferioris, id est, diminuti, esse etiam superioris formaliter, id est, naturalis, qui gradus sunt distincti solùm secundùm esse, vt sic, naturale, & diminutum. Ad vrgentia respondetur, iam ostensum esse, Lucem esse substantiam, *tractatu, & quæstione, citatis initio quæstionis secundæ.*

Ex his habes, Lumen habere esse eminens, super naturale, & intentionale, & vtrumque modo eminente continere, atque adeò posse se ipso videri absque emissione speciei, quæ esset superflua. Ita Diuus Bonauentura, *loc. cit.* & videtur D. Thom. *prima primæ, quæstione 56. articulo tertio in corpore.*, & Caietani, atque aliorum relatorum à Ruuio, *Tract. de sensu Visus, quæstione tertia.*

Obicies secundò cum Ruuio, *quæstione mox adducta*: Ponamus lumen candelæ in loco remotissimo, *verb. grat.* quatuor leucas; illud lumen videbitur; sed non potest videri per se, cùm sit remotum: Ergo per speciem.

Respondetvr facilè, Lumen ob sui eminentiam ad proportionatam distantiam videri per se, intra Sphæram suæ actiuitatis; extra eam verò emittere speciem; & hoc, quia habet esse eminenter reale, & intentionale. 41

Qværes: An Lumen recipiatur non solùm in diaphano; sed etiam in superficie corporis opaci, & intra illud?

Aliqvi negant, in corpore opaco recipi lumen per informationem. Ita videtur sentire Diuus Thomas, *libro de Sensu, & Sensato, lec.6.*

Alibi concedit etiam S. Thom. corpori opaco lumen in sola superficie. Ita *in 2. distinctione 14. artic. 2.*

Alii etiam illud intra profunditatem admittunt. Ita Caietanus *2. de Anima, capite septimo*, Toletus, *quæstione 17. ad 1.* Ruuius, *Tractatu de Visu, quæstione quarta*, & videtur D. Bonauent. *2. distinctione 13. quæstione vltima, fundamento 3.* vbi ait, Ita se habere lumen ad corpus perspicuum; sicut Color ad opacum: sed Color est accidens in corpore terminato: Ergo & Lumen in perspicuo. Tunc sic: In tantum corpus est susceptiuum luminis, in quantum habet de perspicuo. Sed corpora opaca habent aliquid perspicui: Ergo. Minor probatur: Nam Color definitur ab Aristotele, *lib. de Sensu, & Sensibili, cap. 3. Est extremitas perspicui in corpore terminato*, vbi per corpus terminatum non intelligit diaphanum, sed opacum. Ita arguit etiam Ruuius, *numero quinquagesimosexto.*

QVÆSTIO IV.

An Lvmen *sit necessarium ex parte medij ad videndum.*

Svppono ex dictis, medium non esse necessarium Lumini, quod immediatè videtur. 42

Qvæstio ergo est de visione Coloris, qui ideò definitur ab Aristotele: *Color est motiuum perspicui in actu*, id est, medij interiacentis. Discutiemus tamen etiam quæstionem de lumine distante, seu remoto; De quo nobis est quæstio.

Prima opinio, ait, necessario medium debere esse illuminatum, tam ad videndum Lumen, quàm colores. Ita Auerroës, *2. de Anima, commutatione 67.* Diuus Thomas, *lec. 14.* Auicenna, *lib. Naturalium quæstionum, parte 3. capite tertio*, Ferrarius, *2. de Anima, quæstione decimatertia*, Toletus, *2. de Anima, quæstione 17.* Colleg. *17. quæstione quarta*, Auersa, *quæstione 54. sec. 3.* Zabarella, *libro primo de Visu, capite nono*, Picolom. *cap. 14.* Contar. *de visu, capite sexto*, Mastrius, *disputatione tertia, num. 6.* cum Scoto, *quodl. 15. littera R. 2. distinct. 13.* D. Bonauent. *serm.6. de Apostolis.*

Secvnda opinio negat omnibus obiectis videndis necessitatem medij illuminati: Ita Suarez

43 Suarez *lib. 3. cap. 63.* Arriaga *disput. 5. sect. 3. dub. 2.* Hurtadus *disp. 17. sectione* 4. Eam Cauellus *disput. 2. sect. 9.* ait probabilem.

Tertia sententia est, medium debere illuminari, vt videatur Color, non autem vt videatur Lumen. Ita Ruuius 2. *de Anima, Tract. de Visu, quaestione* 5. Eustach. *3. part. tract. 3. disp. 2. sectione 2. quaest.* 5.

Assero primò, ad videndum Lumen remotum, semper requiri aliquam partem medij illuminati.

Probatvr, quia Deus, & natura nihil frustrà faciunt; sed omnibus Luminosis dedit illuminare medium ex aliqua parte: Ergo in ordine ad id, ad quod Lumen dirigitur, idest, vt inseruiat visioni. Minor probatur à Diuo Bonauentura, *in 2. distinctione 24. parte 1. articulo 2. quaestione 4. in corpore*, & *ad 3.* Si aliqua Luminosa non illuminarent aliquam partem medij, maximè quae noctu lucere solent, vt nocticulae, & oculi Aeluri; sed haec faciunt Lumen in medio: Ergo. Minor probatur: Si accipiatur Nocticula in tenebris, sensibiliter videtur medium illustratum: similiter, & oculi Cati.

44 Argvit contra Ruuius *num. 69.* hoc esse contra Aristotelem, *lib. de Sensu, & Sensibili, cap. 2.* vbi loquens de his ait: *Leuia enim in tenebris nata sunt fulgere, non tamen Lumen facere.*

Respondetvr, facillimè, haec dici ab Aristotele, quia minimum lumen effundunt; at quod aliquod emittant, ostenditur experimento.

Vrget Ruuius, *num. 70.* quia haec non solùm videntur in tenebris, sed quo magis obscurum est, ac tenebrosum medium, magis videntur, vt constat de Igne, Stellis, &c. Ergo non est necessarium Lumen ad visionem eorum.

Respondetvr, negando Consequentiam, ideò distinctiùs discernuntur in tenebris, quia, cùm sint parui luminis, operiuntur quocunque alio modico lumine; attamen quis negabit, aliquam partem medij, Ignem, & Stellas illuminare? Id concedit etiam Ruuius *eodem Tractatu, quaestione 6. numero* 101.

Addo tamen, non esse necessarium, Lumen in toto medio apparere.

Probatvr experimento illius, qui è foramine, in loco tenebroso profundissimo, videt stellas; & qui è cubiculo obscurissimo inspicit existentia in luce.

45 Respondet tamen Mastrius, semper aliquid luminis propè potentiam inueniri. Hoc tamen non videtur verum in allatis, aliisque experimentis.

Assero secundò, necessarium esse lumen in medio ad videndos colores: Ita Aristoteles; 2. *de Anima, cap. 7. text. 67.* vbi ait: *Omnis enim color motiuus est eius, quod est secundùm actum perspicui, & hoc est ipsius natura: Vnde non est visibilis sine lumine, sed omnis cuiusque color in lumine visibilis.* Idem habet *text. 37.* vbi ait: *Illud quidem, quod in lumine, hoc enim erat ipsi colorem esse; motiuum esse secundùm actum perspicui, Lumen est.*

Hinc arguit. Omnis color est motiuus perspicui in actu; sed actus perspicui est Lumen: Ergo omnis Color est motiuus perspicui illuminati: Ergo nullus color potest videri, nisi per medium illuminatum.

Actio autem est imperfectio Coloris in ordine ad oculum, est enim imperfectus, materialis, &c.

QVAESTIO V.

An Lvmen sit necessarium, non modò in medio, sed etiam in colore, vt is videatur.

Prima opinio negat, Lumen requiri ex parte obiecti, sed illuminato medio, Colorem posse videri: Ita Comment. 2. *de Anima, com. 7.* Thienens. & Iandunus *ibidem, quaest.* 19. Ferrar. 2. *de Anima, quaest.* 14. Aquarius *ibidem*; Tolet. 2. *de Anima, quaestione* 17. asserens communem esse sententiam, & expressam D. Thom. Aegidiumque, ac Soncinantem adducit. Idem astruit Ruuius *Tract. de Visu, quaest. 6.* asserens, expressè ab Aristotele teneri 2. *de Anima, cap. 7.* vbi definit Colorem, esse motiuum perspicui in actu; idest, mouere perspicuum actu illuminatum: Idem asserit Bannes *p. p. quaest. 79. art. 3. in fine*, vbi ait, D. Thomam etiam oppositam sententiam tenere, & vtraque vsum, prout se occasio obtulit ad explicandas quaestiones Theologiae; at verò *ad 3. de anima, text.* 18. dum agebat Aristotelis Commentarium, suam hanc sententiam sibi magis placentem declarasse. Idem ferè sentit Ferrar. 1. *contra Gent. cap. 76.* Videtur D. Bonau. *serm. 6. de Apostolis*; enim verò ibi solùm definit necessarium esse Lumen in medio. 46

Secvnda opinio asserit, ad videndum Colorem necessariò debere esse illuminatum, non solùm medium, sed etiam ipsum Colorem: Ita Diuus Thomas *in 1. dist. 45. art. 2. ad 1. & dist. 48. articulo 2. & in 2. dist. 20. quaest. 2. articulo 2. ad 2. primo, contra Gent. capite 67. prima secundae, quaest. 8. art. 3. ad 2. & p. p. quaest. 79. art. 3. ad 2.* vtramque sententiam refert, nec reprobat: Ibidem consentiunt Conradus, & Medina. Idem verò, *& 2. 2. quaestione 1. articulo 3.* astruit D. Thom. Consentiunt Palacius, Petrus Martinez, Sebastianus, Perez, Conimbr. & alij Recentiores, *cap. 7. secundi, de anima*, Mastrius *disp. 5. num.* 103. allegans Scotum 2. *dist.* 13. & *in lib. de anima, quaest. 4. & quodlibet* 15.

Hi tamen diuisi sunt in modo explicandi.

Omitto dicentes, Lumen esse formam Colorum; atque adeò, absente Lumine, non esse aliquem Colorem in corporibus. Hi enim confutati iacent, *quaest.* 1.

Aliqvi dicunt, Lumen concurrere ex parte obiecti, tanquam formam Coloris, non in se, sed vt visibilis fit, quia tribuit ei visibilitatem, quippè Color est solùm visibilis in potentia; per lumen verò constituitur actu visibilis: Ita D. Thomas; & ferè omnes adducti. His addo Albertum *in summa de Homine, quaest. de substantia coloris.* Haec est sententia D. Bonauenturae, *in 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quaest. 4. in corpore.* referentis tertium modum dicendi, circa distinctionem Intellectûs agentis, & possibilis: Estque sententia Aristotelis 3. *de anima, text.* 18. vbi comparat Intellectum agentem cum lumine, & ait: *Quonam enim modo, & lumen facit potentiâ existentes colores, actu colores*, vt notat D. Bonau. ibi clariùs id ait *in 3. distinct. 23. articulo 2. quaestione 5. in corpore*, vbi ait: Color tenebrosus formatur ad luminis ingressum, & explicat, illum formari in ordine ad visionem. 47

Alii dicunt, Lumen concurrere, vt conditio-

 nem,

tem, ob quam Color, vt visibilis, habet cum lumine necessariam connexionem.

ALII dicunt, Lumen, nullam habere efficientiam respectu visionis colorum; sed colorem se solo producere speciem sui in medio illuminato; requiri tamen lumen pro dispositione.

ALII volunt, concurrere Lumen, vt causam partialem cum colore ad producendam speciem.

ASSERO cum Diuo Bonauentura, Lumen necessarium esse ipsi colori, vt fiat actu visibilis.

PROBATVR à Sancto Doctore, *loco citato*, ex Aristotele hic adducto, vbi ait: *Lumen quodammodo facit potentiâ existentes colores, actu colores.*

RESPONDET Diuus Thomas *loco citato*, & Ruuius, *num. 166.* Lumen facere colores, qui sunt potentiâ, esse actu colores, illuminando medium; nam color seipso est visibilis: solùm ergo requiritur illuminare diaphanum, vt moueri queat à colore, qui est motiuus perspicui in actu, idest, medij, actu illuminati.

CONTRA arguit Seraphicus, *loco citato*, quia ibi Aristoteles *text. 18. tertij de Anima*, comparat Lumen cum intellectu agente in modo operandi circa obiecta, & definit: Quòd sicuti intellectus agens est habitus, & lumen faciens intelligibilia potentiâ, actu intelligibilia phantasmata, ea illuminando, vt suprà exposuimus *disp. 4. cap. 4. de Anima sensitiua, quaest. 8.* Ita & Lumen fertur in Colores, eos illuminando, vt fiant ex potentia, actu visibiles: Ergo sicut phantasmatibus necessarium est Lumen Intellectûs agentis, vt ex eis educatur species; ita necessarium est Lumen corporeum ipsis coloribus formaliter, vt fiant actu visibilis. Idem argumentum vrget Sanctus Bonauentura, *ad vltimum.*

48 PROBATVR secundò à Sancto Bonauentura, *in 3. dist. 23. art. 2. quaestione 5. in corpore.* Ponamus multos colores perpulchros in cubiculo tenebroso, ingrediatur paululum lumen, vt fit in aurora; quis non videat, eos colores, quò augetur lux, eò magis venustari, magisque decoros splendescere; hoc autem, nisi lumen ipsos colores informet, non fiet.

NEQVE dicat Ruuius, hoc euenire, quia medium est illuminatum; nam color magis decorus apparet ingrediente lumine, neque aër vnquam illuminatur, quin necessariò decoretur & color, ac pulchrior etiam suo naturali statu appareat. Hinc igitur habes illuminari necessariò etiam superficiem coloratam, & informari. Hoc est validissimum argumentum.

RESPONDET Ruuius post *num. 101.* concedendo quidem illuminato toto medio, illuminari etiam colorem: Sed negat, ideò necessarium concursum eius ex parte coloris, quem licèt perfundat lumen simul cum medio; nullus tamen concursus ex parte eiusdem coloris praestatur ad productionem specierum, aut visionem eius, sed propriam tantùm producit speciem distinctam à specie coloris, per quam videtur distinctâ visione.

49 CONTRA arguit S. Doctor, *loco citato*; nam color ibi illuminatus apparet magis venustus, & intensiùs decorus, atque adeò species vna colorem ita decorem repraesentat. Ex hoc sequitur, Lumen adiuuare colorem ad speciem producendam, eamque esse per modum vnius, licèt sint duo obiecta speciem producentia; nam apparet lumen decorum, magis, quàm naturaliter fit, quod patet etiam de colore ampullae vitreae, plenae vino, per quam transiens lumen imprimit parieti colorem rubeum, pulchriorem solo colore ampullae rubentis à vino solo: Ergo lumen adiuuat colorem ad speciem efformandam.

CONFIRMATVR à Sancto Bonau. ex multorum Doctorum sententia, qui dicunt ita se habere lumen ad formandos colores in ordine ad visum, sicut gratia gratum faciens, informes virtutes reddit alieno formatas.

OBIICIT primò Ruuius *num. 84.* testimonia expressa (inquit) Aristotelis, qui 2. *de Anima, capite 7.* ait: *Color est motiuus perspicui in actu.* & addit Aristoteles, *hoc esse naturam eius*; sed mouere perspicuum in actu, est producere in eo speciem sui: ergo à sua natura habet posse producere speciem in medio: Ergo id non habet à lumine externo, & hic est vnicus Achilles aduersariorum, colorem suaptè natura esse scilicet visibilem, atque adeò non egere adiutorio.

HAEC tamen ratio friuola est; Nam, si in rigore quo procedunt aduersarij, incedamus, oportebit inferre, colorem videndum etiam in tenebris, cùm naturâ suâ habeat intrinsecè, vt sit visibilis. Intelligitur ergo sic, Colorem naturâ suâ esse aptum mouere perspicuum, aptâ sibi proportione afferens lumen; si enim perspicuum sit perfectè medium, defert lumen ad ipsum colorem, quo rectè, ac vltimò dispositus ac formatus, fit motiuus eiusdem perspicui, aliâ actione spiritualiori producendo speciem in eo, deferendam ad speculum, vel ad oculum. 50

MVLTAS sanè responsiones refert Ruuius *numero 84.* atque refutat; sed hanc, quae germana est è Seraphici doctrinâ, *in tertio* deductâ, non vidit.

INSTAT Ruuius *num. 87.* Color distinguitur specie à lumine; sed vna species non potest esse forma alterius: Ergo lumen non potest esse forma coloris, qui suâ naturâ, & ex sua forma est visibilis, secundùm Aristotelem.

RESPONDET Sanctus Bonauentura *in 3. loco citato, in corpore*, Lumen non esse formam coloris, vt color est, sed, vt visibilis est, neque est forma intrinseca; sed extrinseca.

INSTAT Ruuius. Proprietas sequitur essentiam à qua emanat: Ergo si repugnat, vnam speciem esse quomodocunque formam alterius per propriam naturam, vel essentiam; repugnabit quoque ratione proprietatis: Sed visibilitas est proprietas luminis, atque etiam coloris: Ergo repugnat, quòd per visibilitatem lumen sit forma coloris non minùs quàm ratione naturae; vel essentiae.

RESPONDET Diuus Bonauentura *in corpore*, ex lumine, & colore, non fieri vnum per essentiam, sed vnum per coordinationem quandam sic institutum à natura, vt, quia color est ens imperfectum, etiam in ordine ad visionem, vt fatetur ipse Ruuius *Tract. de Visu, quaest. 5. num. 72.* eget adiuuari à lumine, quod per se est perspicuum, & visibile: non enim visibilitas est proprietas coloris nudi, sed coloris formati lumine, modo suprà declarato ad textum Aristotelis: Vnde non infert rectè, colorem absque lumine videndum; nam, licèt sit sensibile proprium sensus visus, includit tamen etiam lumen: non enim seorsim à lumine color est visibilis. 51

INSTAT adhuc. Quaedam sunt colorata, quae simul habent exiguum lumen, ratione cuius, noctu videntur, sed non eorum colores, quos tamen videmus interdiù: Ergo lumen in ratione visibilis, non

non est forma coloris. Probatur Consequentia, quia si forma esset, sicut parua illa lux noctu videtur, videretur etiam color in eodem subiecto, cum ea existens, à qua fieret formaliter visibilis; visâ enim formâ, non potest non videri res per eam constituta.

Respondetvr, allatum exemplum esse pro nobis. Illa enim lucidula non videntur die propter maximam illuminationem medij, quæ operit lucillulam obiecti animalculi: tamen ratione splendoris in tenebris elucescunt; sed latet color eorum, quousque Sole illucescente magis illustretur; & tunc apparet, & videtur; iam offuscato, ob imperfectionem eius, animalculi lumine.

52 Qvòd verò colores non videantur interdiù, eò quòd requiratur illuminatio medij, nil contra me; non enim dicimus, sufficere illuminari obiectum quocunque modo, sed requiri etiam illuminationem medij ad videndum colorem; neque bene infert, lumen non esse formam coloris visibilis, quia alioquin viderentur colores formati, quia visâ formâ, debet videri res formata. Dico enim lumen esse formam extrinsecam coloris in ordine ad visionem; atque adeò debet informare colorem modo proportionato; Sicut enim intensissimæ lucis informatio reddit colorem minùs visibilem, quia læditur oculus, ita etiam tenuissimæ lucidulæ radiolus non satis informat: Potest igitur videri forma, idest, lumen, non viso colore: tum quia est forma extrinseca, ad quam non sequitur vnum per essentiam cum colore: Tum quia lumen est per se visibile: Tum quia hâc vice non est forma sufficiens ad informandum colorem, eumque reddendum visibilem; nam cùm sit lumen tenuissimum, non satis illustrat se solo colorem, ac medium necessariò illustrandum, vt dixi *quæst. præced.*

QVÆSTIO VI.

An Visio *fiat per Susceptionem speciei ab Obiecto.*

53 Celebris est opinio Platonis *in Timæo*, & *in Tæteto*. & *lib. 6. de Legibus*, Visionem fieri per emissionem Oculi ad obiectum. Ita Gellius, *lib.6. Noctium Atticarum*, & Stoici cum Empedocle; Galen. 7. *lib. de placitis Hyppocratis, & Platonis ad finem lib.* 10. *de vsu partium*, & *lib.* 1. *prognost. sentent.* 19. Seneca 1. *Naturalium quæstionum*, Aphrodisæus *lib.* 1. *problem. quæst.* 79. Euclides *in libello de perspectiua.* Sic tenuisse Platonem asserunt Ptolomæus *in Catoptuo*, Chalcidius *super Timæum*, Alchindus *lib. de aspectibus*, Lactantius *lib. de Opificio Dei, cap.*8. Plutarchus *lib.* 4. *de placitis Philosophorum, cap.* 13. Gregorius Nyssen. *lib.*4. *de viribus animæ, cap.* 2. nullam scilicet speciem ab obiecto; sed ab organo radios, seu, vt ait Galenus, fulgorem emitti ad visionem. Idem visi sunt sentire Aristoteles *lib.* 2. *de Cœlo, & Mundo, text.*49. & *lib.* 3. *Meteor, summa* 1. *cap.* 3. D. Augustinus *lib. 6. musicæ.* Nota, quòd Plato, & Galenus aiunt, egredi radios ab oculo ad obiectum, indeque species ad oculum, simul iam radio redeunte, venire, & ibi fieri visionem. Suspicantur aliqui, idem de Sancto Doctore.

Secvnda opinio asserit, visionem fieri per emissionem alicuius rei ab obiecto ad potentiam; & potentiæ ad obiectum: Ita Valesius *lib. 2. controu. medic. cap.* 18. Vult enim primò recipi species; deinde egredi species ab oculo ad talem distantiam, vbi fit visio in aëre ipso.

Enim verò perpetuo Schola Peripatetica consensu asseuerauit, visionem fieri per emissionem speciei ab obiecto in potentiam, quâ receptione obiectum vnitur potentiæ; est Aristotelis 2. *de Anima, capite* 7. *text.* 67. & 74. *capite* 12. *text.* 121. & *lib.* 3. *capite* 1. 2. & 3. *lib. de Sensu, & Sensibili, cap.* 2. Ita Diuus Bonauentura, *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 35. & *in* 4. *dist.* 49. *part.* 2. *art.* 1. *principali, art.* 3. *minori, quæstione* 2. & *de Reductione Artium ad Theologiam, circa medium*, & 3. *part. Centil. sect.* 21. & *in Itinerario mentis in Deum, capite* 2. & cæteri omnes Philosophi cum Sancto Thoma.

Assero cum hac sententia Visionem fieri per emissionem speciei ab obiecto in potentiam visiuam. 54

Probatvr primò à Diuo Bonauentura *Opusculo de Reductione artium ad Theologiam, text. 6. initio*, argumento, quo vtuntur communiter, præcipuè Ruuius 2. *de Anima, tract. de Visu, quæst.* 7. *numero* 111. Species emittuntur ab obiectis ita necessariæ ad visionem, vt in multis casibus conuincatur, non posse, nisi per illas, visionem fieri, vt patet in reflexione factâ in speculo, per quod videtur obiectum, à tergo videntis positum, quod per solam emissionem visorij spiritûs, vel visualis radij fieri repugnat, cùm non sit possibile spiritum, quasi recto tramite egressum ab oculo, & eodem modo ad illum reuersum, obiectum in ea dispositione existens tangere: Vnitur verò per speciem ab eodem obiecto egressam, & reflexam in speculo, & à speculo in oculum. Hoc eodem argumento vtitur Suarez *lib.* 3. *de Anima, capite* 17. *num.* 2. Idem D. Bonau. *in* 4. *loc. cit. fundam.* 3.

Probatvr secundò à D. Bonau. *in* 4. *loc. cit. fundam.* 1. & *in Compend. Theol. loc. cit.* ratione, qua principaliter nititur Suarez *num.* 5. Vel visio fit extra oculum, vel intra: Non extra: Primò, quia Visio, cùm sit actio immanens, fieri debet in ipso cognoscente; & omnis cognitio est noua receptio notitiæ in potentia, cui profectò vnitum debet esse obiectum; si autem fieret visio in aëre, vel in obiecto, iam aër, vel obiectum viderent. Hæc autem ratio valet etiam de aliis Organis, ac Sensibus.

Probatvr tertiò à Diuo Bonauentura, *in* 4. *loco citato, fundam.* 2. & *in corpore.* Omnis cognitio est per vnionem cognoscibilis cum cognoscente; sed sensus non possunt vniri rebus materialibus, maximè distantibus: ergo vniuntur per speciem receptam. Quæro, vbinam alibi fit hæc vnio? In cæteris sanè sensibus non inuenitur fieri extra potentiam per emissionem alicuius rei: Ergo neque Visus. Hoc vrget S. Bonauent. *loco cit. Compend. Theolog.* vbinam ergo fiat hæc vnio? vbicunque autem fiat, extra non fiet vnio potentiæ cum obiecto, cùm potentia maneat in organo; non enim extra oculum in alia parte corporis videtur. Hoc argumento vtitur Suarez *num.* 2. 55

Probatvr quartò à D. Bonauent. *fundam.* 3. experimento speculi, quod recipit species obiecti, & quantò clarius est, tantò clariùs exprimit species rerum obiectarum, & imagines earum: Ergo signum est obiecta illa esse, quæ emittunt suas imagines, quæ sanè à speculo ad oculum venient, etiamsi obiectum remotissimum sit, & post humeros, vt cùm expono speculum in terra, & in eo aspiciens video stellas,

ſtellas,& Solem: Quis autem dicat, radios ab oculo in ſpeculum ſpiculatos reflecti vſque ad Cœlum? Aut quo pacto oculi cudunt tot diuerſarum rerum imagines?

Præterea in Speculo recipitur imago obiecti; & in vitro polito non: Si autem oculus emitteret radios, & ſpecies ad obiectum per inſpicillos vitreos, iam daretur penetratio.

Probatvr quintò à D. Bonauentura, *in 2. diſtinctione* 8. *part.* 2. *articulo* 1. *quæſtione* 3. cùm aliquis viſu illuditur, *verbi gratiâ*, videt hominem, qui videtur Aſinus; vel emittit radios, vel ſpecies, & ſimilitudines recipit, ſi emittit radios, quomodo poſſunt illud obiectum effingere aliud? Oportet ergo, vt ſimilitudo talis formetur in oculo.

56 Præterea cùm Diabolus deludens facit, hominem videri capram, aut tunc ſimilitudo hominis venit vſque ad oculum, aut oculus emittit radios: Si venit: Ergo iudicabit, illum eſſe hominem: ergo non decipietur: Si non peruenit; quid impedit? exiſtente enim medio illuminato, neceſſe eſt, obiectum multiplicari per medium, niſi adſit corporeum obſtaculum; ſi enim fieret per extramiſſionem, iam corporeum obſtaculum vitri, quod non impedit ſpecies emiſſas ab obiecto, impediret radios eiaculatos ab oculo, vel daretur penetratio. Hoc idem argumentum eruitur ex Diuo Bonauentura, *in* 4. *diſt.* 49. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 1. *argum.* 2. *ſed contra*, additâ reſponſione.

Obiicies cum Valeſio: Si viſio fit per receptionem ſpecierum, non videbitur diſtantia, nec maior, & minor obiectorum magnitudo; nam ſpecies repræſentat pariter magnum, & paruum, nec diſtantiam repræſentat.

Hæc ſanè difficultas vrget magis aduerſarium, vt oſtendit Zabarella, & Suarez, *num.* 9.

Respondetvr ergo, diſtantiam, & magnitudinem videri per ſpeciem ſenſibilis communis. Res autem eò minor apparet, quò remotior eſt; quia ſpecies emittuntur ab obiecto in figuram radioſæ pyramidis, cuius baſis eſt in obiecto; cuſpis verò in oculo: Quo magis autem elongatur pyramis ob diſtantiam obiecti à potentia, eò angulus acuitur, & minor euadit. Ita quoque reſpondit Albert. 2. *de Anima*, *Tract.* 3. *cap.* 14. D. Thom. *lectione* 15. *text.* 74. D. Bonau. vt vidimus *diſp.* 4. *capite* 1. *quæſtione* 3.

Obiicies ſecundò, Oculi è continua viſione laſſantur, eò quòd emittunt rectè radios.

Respondetvr, eos laſſari videndo propter attentionem continuam, in qua inſumuntur ſpiritus animales, vt notat S. Doct. *lib.* 2. *Compend. Theol. verit. cap.* 41.

QVÆSTIO VII.

Quodnam ſit Organum Visvs.

57 Ocvli ſtructuram deſcripſi *Tract.* 8. *diſp.* 4. *de Anatomia*, *quæſt.* 33. Vt inueniamus organum Viſûs, oportet oculorum ſtructuram hic delineare: Hanc verò deſumo è Seraphico 3. *part. Centil. ſect.* 21. & *in* 4. *diſt.* 18. *part.* 1. *art.* 3. *quæſtione* 1. & *part.* 2. *eiuſdem diſt. art.* 1 *quæſt.* 4. *ad vltimum*, Galeno *lib.* 8. *de vſu partium*, *capite* 6. & *lib.* 10. *cap.* 10. Veſſal. *de humani corporis fabrica*, *lib.* 2. & *lib.* 4. *cap.* 4. Valliſuiridis *lib.* 7. *cap.* 3. Veſlingio *in ſuo opuſculo Anatomico*, Bartolino *in Anatome*, Vega *in Galenum de locis affectis*, *lib.* 4. *cap.* 1. Valeſ. *lib.* 2. *con. cap.* 8. quos ſequitur Suarez, *lib.* 3. *de Anima*, *cap.* 18. Ruuius *lib.* 2. *de Anima*, *Tractatu de Viſu*, *quæſtione* 8. Tolet. 2. *de Anima*, *quæſtione* 16. Colleg. 2. *de anima*, *capite* 7. *quæſt.* 6. & 7. Fulienſis 3. *Phyſicorum*, *cap.* 5. *art.* 2. Euſtach. 3. *part. Phyſicorum*, *tract.* 3. *diſp.* 2. *ſectione* 1. *quæſtione* 8.

Ocvlvs igitur quinque intexitur tunicis; tribus obuoluitur humoribus: & ſeptem muſculis firmatur.

Habet Oculus totam figuram Oui. In eius centro reſidet humor pellucidus, velut chryſtallinus, aliquantulum mollis, figuram referens lentis, aut Lupini. Hic humor inuoluitur tunica ſubtiliſſima ſpeculari, quæ dicitur Aranea; eſt enim ſpeculo ſimilis, & araneæ telis ſubtilitate non abſimilis: Mergitur humor chryſtallinus medius alio humore vitreo; quippè vitro liquato atque ſplendenti non diſſimili: Sic verò mergitur in hoc chryſtallinus, vt media eius pars ſupereemineat, ac ſi globulus ligneus in aqua nataret. Humori chryſtallino appoſuit natura à tergo nigrum quendam humorem, vt veluti ſpeculum terminatum, oculus eſſet verè ſpeculum naturæ; ſicut ſpeculum eſt oculus artis. Humorem vitreum circundat ſecunda tunica, Retina nuncupata, vtpotè venulis multis, & arteriolis intexta; modum quendam retis habet, & ad eam partem deſinit, quâ chryſtallinus humor eminere incipit ſupra vitreum; ita vt vitreus humor, qui ſe habet veluti dimidium globuli habens ſectionem, ex parte anteriori, in qua chryſtallinus humor continetur, vndique retrò, & in facie in tota illa ſectionis ſuperficie, quæ extra chryſtallinum humorem redundans, circumdat, veſtiatur retina tunica. Hæc eſt tunica neruorum; nam è prima coniugatione neruorum ex anteriori parte Cerebri duo nerui diramantur, qui ad cauitatem Caluariæ peruenientes veluti vniuntur, & in crucis modum interſecti, ſe iterum diuidunt, vt dexter ad ſiniſtram; ad dexteram verò alter incedat. Hi deſcendunt veſtiti duabus tunicis: altera à Meninge, ſeu Pia matre obtentâ, altera qua dura eos mater induit: Sic duo foramina penetrant, quæ in cauitate oculorum aperiuntur, & poſtquam ad locum oculi perueniunt, neruus vnus adhæret, & exuens modum nerui, dilatat ſe, ambiens humorem vitreum vſque ad extremitatem araneæ; & facit tunicam Retinam; Tunica verò interior à pia Matre commodata circumdat totam ſuprà recitatam molem oculi, relicto in proſpectu foramine. Hæc verò dicitur Vuea Choroides: Similis enim eſt pelliculæ grani vuæ præmaturæ, cui detracto pendulo remanet foramen rotundum, per quod in aperto adhuc humor chryſtallinus appareat. Hæc verò circumferentia eſt pupillæ ambitus. Hæc ſanè tunica aliquo colore ſubobſcuro è ſua natiuitate infecta eſt, imò diuerſis coloribus in omnium oculis nitet; hinc colores cæſij, nigri, virides nominantur, atque apparent; ſic etiam cutis, capillique variantur.

Cùm igitur hæc tunica ſit obſcura, iure, ac meritò pandit in proſpectu rotundam feneſtrulam humori chryſtallino, vt inde pupilla reſideat è ſpecula ſubobſcura, ne vehementi luce lædatur; & dicitur Iris minor. Hæc tertia tunica veluti imbibitur alio humore albugineo, ſimili albo Oui, à quo humore rigatur pupilla, ne exſiccata deſtruatur. De hoc liquore aliquid ſtagnat etiam inter Araneam, & Vueam, hancque ſuſtinet, ne cadat ſuper Araneam,

neam, & impediatur visio, & vt nutriantur tunicæ. Mox verò alia superior tunica ex Dura Matre desumpta, operit totam iam dictam oculi molem. Hæc verò tunica dicitur Cornea, quippè similis laminæ corneæ, atque si cultro scindatur, in laminulas peruias, veluti corneas, subtiliatur, Huic (quæ ideò Sclirotica dicitur,) quà parte est diaphana, attribuit Toletus colores, cæsium, viridem, &c: Itaque humor albugineus inter tunicas, Vueam, & Corneam, stagnat. Hæc operitur alia tunica, Alba dicta, quodam aperta foramine, sicut Vuea, per quod pupilla conspicitur, vt ad eandem transmitti possint species. Hæc verò tunica deriuatur à Pericranio, quod ita dicitur, quia est tunica, craneum ambiens, estque calidior cæteris, atque suo calore prædictos oculi humores fouet, ne congelentur. Vocari autem solet Album oculi.

60 Totus verò hic globus sex musculis alligatur, qui tunicæ candidæ iunguntur, suntque ligamenta quædam mobilia, quibus oculus sustinetur, & in varias partes mouetur, idest, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum: ideò ita sunt pro istis muneribus deputati, alter è latere dextro, alter è sinistro; duo sursum; duo deorsum, & alter retrò; vbi sex musculi in vnum confluunt, & sic fiunt septem, per quos spargitur neruus, proueniens à Centro Caluariæ; hic septimus oculum firmat, cui suffragatur neruus iuxta nasum supra, iuxta quem coeunt nerui Optici, ex quorum coniugio oritur hic neruus motiuus, sustinens, ac continens oculum in loco suo. Hic neruus spargitur per musculos, & communicat eis virtutem motiuam (musculi enim carne, Neruo, & ligamentis infarciuntur.) Per neruum è cerebro, inter tunicam, albam, & palpebras, fluunt lachrymæ. Multa alia apposuit natura, nempè, palpebras, cilia, & supercilia ad munimen. Est igitur quæstio, in qua parte consistat sedes Organi Visorij.

61 Bartohlinus *in Anat. lib. 3. de Capite, cap.* 8. Primarium sanè visionis medium, chrystallinum acclamat humorem; vitreum autem foramini oppositum, species externas in Musæum tenebricosum admittere, sed chrystallinum species admittere, atq; colligere. Quia autem perspicuus est humor, ait non sistere in eo species, nec colores percipere, quod credidere, post Gal. pleriq; Anatomici; nulla enim alioquin ratio est, quare non in Cornea, & humore vitreo, pellucidis quoque, & animatis, sentiantur. Ideò Visio per hunc humorem primariò, non fit, sed in Retina tunica species demùm cognoscuntur, quia ibi opaco corpore sistuntur, quod in pariete cubiculi, clausis fenestris, videre licet.

Scheinervs, in chrystallino species, quæ repræsentabant omnia inuersa, arbitratur corrigi, & refrangi, vt omnia recta exhibeant: Sed ex obseruatione Ioannis Vualæi, Francisci Syluij, & Francisci Vander. Schangen (ait) sublata à postica parte choroide, Sclirotica, & Retina tunica, omnia per oculum inuersa videntur, & repræsentantur formâ minimâ in oculo bubulo, paulò maiori in humano. Idem experimento instrumenti vitrei, tribus humoribus pleni, probat Plempius, foramini fenestræ inditi, vbi omnia in pariete euersa exhibentur, & omninò inuersæ species debent sisti in Retina, alioquin nos inuersa cuncta videremus, non recta, quod Keplerus inde demonstrat; quia in passione, patientia agentibus è regione oportet esse opposita.

Alii iudicio nostro corrigi volunt deprauatam figuram, quod iustam rerum obiectarum magnitudinem, situmque è receptis speciebus exilibus discernit. Alij communem sensum præferunt, qui retrò, & desuper retinæ cauum, species inuersas inspiciendo, eas erectas apprehendit. Alij denique, rectum fieri iudicium; quia secundùm rectam lineam fit. Hæc Bartholinus: Ita videtur sententia Toleti *hic*.

Secvnda opinio est, potentiam visiuam esse in pupilla, seu humore chrystallino, hanc Suarez, *libro 3. cap.* 18. ait: *num.* 4. esse communem sententiam Philosophorum: Ita Aristoteles, *lib. 1. de hist. Animalium, cap. 9. de Sensu, & Sensibili, capite 2. & lib. 5. de Generatione animalium, cap. 1.* Galenus *lib. 8. de Vsu partium, cap. 6. & lib. 1. capite* 10. Vega, & Vales. *locis adductis*, aliique Medicorum proceres: Sequitur Suarez *loc. cit.* Ruuius 2. *de Anima, tractatu de Visu, quæst.* 8. Fuliensis, & Eustach. *loco citato*, Poncius *disputatione 3. quæst.* 1. adducens multos. 62

Tertia sententia est Auicennæ *6. naturalium, part. 3. cap.* 8. & aliorum, organum Visûs esse in coniunctione neruorum opticorum, intrò ad nasum.

Qvarta media est Alberti *in summa de homine*, vbi ait, Initium esse in humore chrystallino; progressum in neruo, & complementum eius in spiritu, quantum ad perfectionem interiorem.

D. Bonauent. *3. part. Centil. sectione* 21. dicit: Organum Visûs sunt pupillæ oculorum.

At verò *in 4. distinctione 18. part. 1. artic. 3. quæstione* 1. dicit: Vis visiua non est humidum chrystallinum, tamen illud exigit ad suam operationem, sic ipsa authoritas discernendi requirit habitum scientiæ. Videbitur forsan in humore chrystallino non ponere organum: At certè idem tenet, 63
quod dixerat *in Centiloquio*, chrystallinum humorem non esse vim visiuam, idest, potentiam formalem; sed organum, quod est subiectum: sic enim ait, etiam scientiam esse velut dispositionem materialem, sine qua altera clauis, quæ dicitur scientiæ, nequit in actum exire. Id docet etiam *lib. 2. Compend. cap.* 35. distinguens organum à potentia visiua.

Tandem *in 4. eadem distinctione, part. 2. art. 1. quæst. 4. ad vltimum*, dicit, Priuationes non recipere maius, vel minus, ratione actus, vel habitus, tamen recipere ratione causarum: Vnde magis est priuatus visu, qui læsus est in neruo, & in pupilla, & in humore chrystallino, quàm qui in altero horum tantùm læditur. Vbi primò distinguit humorem chrystallinum à pupilla; quia pupilla est solum id chrystallinum, quod è fenestrula rotunda tunicæ vueæ splendet; reliquum enim humoris chrystallini opertum est, nec ad visionem facit directè, sed solùm fouendo reliquum humoris.

Secvndò vult, etiam neruum concurrere ad visionem, & ita videtur in humore chrystallino, & nerui Optici coniunctione ponere organum Visûs. Posset aliquis dicere, solùm velle, neruum adiuuare, ob delationem Spirituum à cerebro, & specierum, ad sensum communem: At sanè videtur Sanctus Doctor, ibi etiam ponere sensorium, atque adeò cum Alberto ferè conuenire, vel potiùs declinans videtur asserere in Retina, quæ facit pupillam, organum esse. Nam 3. *part. Centiloq.* ait: Ita organa descendunt ab interiori parte Cerebri, in qua quidem est neruus, qui dicitur Opticus, & descendit ad pupillas (intellige constituendas:) nam nerui visorij faciunt Araneam, vt dixi, & ita videtur in hac ponere pupillam, quàm sententiam sequitur

quitur Toletus, 2. *de Anima, quæstione decima-sexta.*

64 ASSERO primò, solum humorem chrystallinum non esse Sensorium Visûs.

PROBATVR primò, fundamento D.Bonau. *loco citato, Centil.* vbi *sect.*18. prius præmittit, animam esse corporis vnius organici: Idem iniungit *sect.* 20. Postmodum *sect.* 21. ostendit, organum Visûs esse pupillam; vtque sciremus, hanc esse aliquid corpori continuum, cum Anatomistis aduertit, organum esse neruos Opticos, qui ab interiori parte Cerebri diramantur: At verò humor chrystallinus non est continuus, sed veluti in vase; neque sentit: Ergo non potest esse sensorium Visûs. Hac ratione vtitur Toletus.

RESPONDENT Ruuius *numero* 131. & Fuliensis, humorem chrystallinum non esse cum fluidis humoribus computandum, sed esse animatum, atque continuum: est enim pars quasi solida.

ESTO ita sit, attamen non video, quomodo ibi consummetur visio; nam, cùm sint duæ pupillæ, deberent singula obiecta geminata apparere.

RVVIVS *numero* 129. solùm dicit, non esse inconueniens, duo sensoria Visûs, atque adeò duas numero distinctas potentias visiuas dari, sicuti etiam duæ auditiuæ, duæ olfactiuæ, quia, cùm admodum sint necessariæ, multorumque obnoxiæ iniuriis exterorum, æquum fuit, eas geminari, vt altera læsa, maneat adhuc vna; at non soluit argumenta; quomodo inde non appareant duo obiecta loco vnius.

65 SVAREZ *numero* 10. idem ferè habet cum Ruuio. Addit verò, obiectum non apparere geminatum, quia oculi sunt in æquali situ, & ordinatione positi, ac simul, eodemque modo immutantur ab obiecto: Adducit Aristotelem 2. *de partibus, cap.* 9. & Galen. suprà. Vnde si contingat inæqualitas aliqua in oculis, veluti si pupilla vna sit altior altera, obiectum iam apparet duplex.

AT verò hæc nil impediunt, quin duplex obiectum appareat, si in ambabus pupillis reciperetur species; nam licèt in æquali situ ponantur, attamen sunt distincta numero organa; distinctæ enim species, atque adeò duo obiecta debent apparere, non minùs, quàm cum duo obiecta; puta duo libri, in omnibus simillimi, in æquali distantia opponuntur, apparent duo. Quod verò eulsâ è loco parte oculi, appareat duplex non est, quia humor chrystallinus asportetur, sed quia nerui concuruantur, & seiunguntur, vt patet experimento subiiciendo digitum, quo nerui sensibiliter amouentur. Fuliensis rationem assignat, quia ab vtroque oculo, duæ lineæ terminantur ad idem punctum obiecti, vt aiebat Suar. non quia fiat visio in coniunctione neruorum, quæ in multis non fit. Addit, non fieri in neruis visionem, cùm sint extra oculos: At responsio Suarez explosa est; adhuc enim duplex obiectum recipitur in geminis pupillis, vbi dicis fieri visionem: Ideò autem vnio neruorum in vnum coalescentium fit supra sellam ossis sphœnoidis, non per simplicem cussationem, vt plurimum, sed per totalem substantiæ vnitatem, ne visibile, vtroque receptum oculo, geminetur, vt ait Bartholinus *libro 3. capite* 2. siue, vt etiam spiritus visiuus, si opus sit, alteri oculo deferatur; seu etiam ad robur, ne in cerebri concussionib. deferantur ad ipsũ læsiones, disrumpanturq; aut distorqueantur nerui à suo tramite. Scio è Vesalio, Aquapendente, & Valuiridi, aliquando neruos opticos in aliquibus non iungi, at probet Fuliens. hos non esse visus praui: Vel si probet, dico eos compleri in prima neruorum diuisione, vt indicat Bartholinus, *lib.* 3. *capite* 8. *de Capite.* Quod autem oculi sint organum Visûs, iam satisfeci: Sic ruit Ruuius *num.* 227.

ASSERO secundò, organum Visûs esse pupillam, ac neruos: vt dixi. 66

PROBATVR ex dictis, è confutatione aliorum.

OBIICIES cum Ruuio *numero* 227. Suarez, *numero* 4. quia humor chrystallinus habet omnes conditiones sensorij Visûs; est enim in centro à natura collocatus, ac protectus tot vallis: Est etiam lucidus, rotundus, &c.

RESPONDETVR, deficere præcipuum, vt dixi, quia non est vnus continuus, & cùm geminus sit; ineptus est ad vnitatem obiecti exhibendam, quod neruorum decussationi meritò conceditur, quodque experimento, euidens fit; dum enim neruus, digito submisso, demouetur, geminatur obiectum.

OBIICIT tertiò Ruuius: Si alter oculorum claudatur; videmus acutiùs, eò quòd vnificata potentia, vnitur virtus, fortiorque redditur; huius verò rei nulla potest dari ratio, si ponatur sensorium in vnione neruorum.

RESPONDETVR, in sententia D.Bonauent. facilè reddi rationem, quia, scilicet, potentia oculi, delatiua specierum ad coniunctionem neruorum, vnificata redditur fortior ad deferendam speciem; nam:

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus,

Quod hîc potest commodè applicari modo dicto: Ita & clauso vno oculo, spiritus ab altero solo consumuntur, qui ideò validiùs operatur.

QVÆSTIO VIII.

An, quod videtur in Speculo sit Species Obiecti, vel ipsum Obiectum.

PRIMA opinio est, videri tantùm imagines, non obiectum: Ita Vulpes apud Mastrium, infrà. 67

SECVNDA opinio affirmat, vtrumque videri; Ita Diuus Thomas, *quæstione* 8. *de veritate, art.* 5. & *prima primæ, quæstione* 58. *articulo* 3. Capreol. *in primo, distinctione* 35. *quæstione* 2. *articulo* 1. Caiet. *prima primæ, quæstione* 56. *articulo* 3. Scotus *in* 2. *distinctione* 13. *quæstione* 1. Cælius *lib.* 15. *cap.* 1. Ioan. Gandau. *lib. de Sensu, & sensibili, quæstione* 9. Zamora, *lib.* 3. *Meteorum, quæst.* 4.

TERTIA opinio negat, videri speciem, sed vult obiectum solum videri: Ita Richardus, *in* 4. *distinctione* 11. *quæstione* 1. *ad* 6. *principale.* Palatius *in* 2. *distinctione* 3. *dub.* 5. Apollinar. *libro* 1. *de Anima, quæstione* 17. Toletus 2. *de Anima, quæstione vlt.* & est communis omnium ferè Peripateticorum, vt constat ex Ciruelo *libro* 2. *Perspect. capite* 2. *conclus.* 13. Vitelione, *libro* 5. quos adducit, & sequitur Ruuius, 2. *de Anima, tract. de Visu. quæst. vlt.* Mastrius *disp.* 5. *de Anima, num.* 90. adducens Scotum 2. *distinctione* 13. *quæst. vnica,* Fuliensis 3. *Physic. cap.* 4. *art.* 4.

QVOAD D.Bonau. ipse *ad cap.* 7. *sapientiæ, circa finem*, ad ea verba: *Speculum sine macula*, comparat Hominem, & Angelum speculis, & dicit eos repræsentare imaginem Diuinam, sicuti specula repræsentant obiecta per species, vbi videtur asserere, in

in speculis vtrunque videri; sicuti obiectum, idest Deus, & imago eius, videntur in homine & Angelo. Hæc tamen comparatio latior est.

Seraphicvs ergo *in 2. dist. 8. part. 2. art. 1. quæst. 6. ad 5.* vult in speculo videri obiectum: de specie ait, videri speculum, & omnia, quæ in eo sunt; sed in eo sunt similitudines multæ rerum; ergo & illæ videntur.

68 Assero primò, videri in speculo obiectum.

Probatvr ratione D. Bonau. *3. part. Centil. sect. 21. & cap. 2. Itinerarij*, & *in 2. dist. 19.* passim, & alibi. illud videtur, quod est proprium obiectum potentiæ; sed obiectum proprium potentiæ est res ipsa: Ergo. Hàc ratione vtitur Ruuius, *num. 135.*

Assero secundò, videri etiam imagines rerum. Probatur ratione Diui Bonauent. *serm. 11. Hexaemer.* circa finem, quâ vtuntur Authores primæ sententiæ. Quia, id, quod videtur in speculo, diuerso modo repræsentatur a statu obiecti; videtur enim oppositum, & sæpe imago inuersa, oblonga, pressa, minutissima, vastissima, & magis distans ab oculo, quàm sit secundùm esse reale; sæpè in eodem speculo plura apparent obiecta, cùm sit vnum. Hæc autem ostendunt, non merum obiectum, sed etiam simulachra videri.

69 Respondet Ruuius *numero* 140. alio modo se habere obiectum in multiplicanda specie directa, & reflexa; nam directam per se ipsum producit: reflexam verò, medio speculo; vnde iuxta conditiones reflexionis iudicandum est tam de specie producta in oculo, quàm de visione obiecti.

Contra: Quomodocunque, & à quocunque fiat illa reflexio, etsi fiat a speculo, repræsentat imaginem obiecti, diuersam ab obiecti ipsius reali existentia: Ergo non videtur ibi obiectum solum, sed cum additione illius nouæ extrauagantis similitudinis, quæ cùm (etiam secundùm Ruuij assertionem,) non sit producta ab obiecto, sed à speculo, non poterit speculum repræsentare; neque vt imaginem, neque vt causam; atque adeò nullo modo repræsentabit. En Scyllam vitans, incidit in Charybdin.

Obiicies cum Ruuio *numero* 135. Nullum obiectum, extra adæquatum, potest percipi à potentia; sed species est extra obiectum adæquatum potentiæ visiuæ: Ergo non videtur. Minor probatur, quia obiectum adæquatum est lumen, & color; sed species neutrum est horum: Ergo. Idem vrget Fuliensis.

70 Respondetvr, negando Minorem: Ad probationem dico, speciem esse aliquid coloris; est enim color diminutus, neque per hoc excludendus à potentia, quinimò potius ei magis proportionatur quàm ipse color materialis, qui debet per speciem sentiri: Itaque obiectum Visus est color, non materialiter; sed intentionali modo attenuatus, ac proportionatus.

Obiicies cum Fuliensi, species non videri, quia ipsæ non penetrant superficiem speculi; quod autem videtur, apparet intra speculum; & quia species non potest esse maior speculo, quod autem videtur sæpè est multò maius, vt mons, *verb. grat.* aut Cœlum; Et quia distantiam obiecti imitatur distantia eius, quod intus videtur, vt quò magis obiectum à prospectu superficiei elongatur, eò magis intus elongetur res visa: Ergo signum est, id, quod videtur, esse obiectum: Sanè, si videretur species, in toto medio, vbi diffunditur, appareret.

Respondeo, hæc non vrgere: Imò si id, quod videtur, est obiectum, multò minùs potest speculum penetrare. Speciem igitur esse maiorem speculo virtute repræsentatiua, etsi non materialiter, dico. Quoniam verò est idolum obiecti ab eo productum è naturæ mira inuentione, ideò nil mirum, si distantiam exprimat, quam in diffusione per medium cudit. Non videtur sanè per totum aerem, quia exigitur vnio cum potentia in organo ad hoc conflato.



DE AVDITV.

CAPVT III.

DISPVTATIONIS.



BIECTVM Auditûs, est Sonus, vt docet Aristoteles, *2. de Anima, capite* 8. & post eum omnes Peripatetici, cum Diuo Bonauentura, *3. parte Centiloquij*, *sectione 21. & in Itinerario mentis in Deum, capite secundo*, post initium, & alibi; ideò de eo prius agendum. 71



QVÆSTIO I.

An Sonvs *sit Qualitas.*

Prima opinio est, Sonum esse formaliter motum: Ita Themist. & cæteri Expositores Græci Arist. *text.* 85. *cap.* 8. *secundi de Anima*, vbi ait: *Est enim sonus motio eius, quod potest moueri eo motu, quo resultantia à lenibus, cùm aliquis percusserit.*

Secvnda sententia est, Sonum esse qualitatem, per motum causatam: Ita Auicenna, *libro 6. naturalium, parte 2. capite 5.* Albertus *in summa de Homine, parte 2. quæstione 1.* D. Thomas *2. de Anima, capite 8. lect. 16.* & cæteri Interpretes eiusdem capitis. Tolet. *quæstione* 19. Bannes *prima prima, quæstione 7. artic. 3. disputatione 1.* Mastrius *disput. 5.* Ruuius *Tractatu de Auditu, quæstione 1. numero 19.* Fuliensis *3. Physicorum, capite 5. articulo 3.* Eustach. *3. parte, tractatu 3. disputatione 2. quæstione 9.* Suar. *3. de Anima, capite 19.* post D. Bonauenturam, *in 4. distinctione 49. art. 3. quæst. 2.* vbi docet, sonum resultare è motu corporum.

Assero cum hac sententia, Sonum esse qualitatem causatam per motum corporum; non verò ipsum motum.

Probatvr primò, à D. Bonauentura, *loco citato*, Quæ possunt separari, non sunt vnum, sed motus a sono separatur: Ergo. Minor probatur, nam in Cœlis erit motus corporum gloriosorum, non Sonus, vt constat; alioqui essent immobiles beati: Secundum probatur à D. Bonau. quia non erit medium soni aliquid, quod est aer, vt docet Aristot. *2. de Anima, cap. vlt.* Hoc argumento vtitur Ruuius *num.* 20. Suarez *loc. cit.* Toletus *loco citato.*

Probatvr secundò à D. Bonauentura, *in Itinerario mentis in Deum, cap. 2.* Sensibile proprium non potest esse sensibile commune; sed sonus est

ſenſibile proprium auditus; motus verò eſt ſenſibile, commune multis ſenſibus. Minor probatur de Sono. *ex* 2. *de Anima, cap.*8. De motu verò, *cap.*6. Quo argumento vtuntur Ruuius, Suarez, & Tolet. *loco citato*.

Confirmatvr ex D.Bonan. 3. *p. Centil. ſectione* 21. vbi Sonum cum ſuis differentiis ponit obiectum Auditûs: Sunt autem differentiæ Soni acutus, obtuſus, &c. quæ motui non conueniunt. Ariſtot. verò Sonum per Motum cauſaliter definit; quia eſſentia eſt ignotior: Sic & Eclipſis definitur. *Interpoſitio*, &c.

QVÆSTIO II.

An Sonvs *ſit qualitas ſucceſsiua.*

72 Prima opinio eſt, Sonum eſſe omninò ſucceſſiuam qualitatem: Ita Palatius *ad text.*8. *ſecundi de Anima.* Fonſeca 5. *metaph. quæſt.*1. *ſect.*3. Tolet. 2. *de Anima*, *quæſt.* 9. Colleg. hîc. Hi tamen duo vltimi dicunt, Sono conuenire ſucceſſionem per accidens: Motui autem per ſe. Suarez *lib.* 3. *c.*19. Videtur D.Bonan. *ad Pſal.*118. ad ea verba: *Clamaui in toto corde*: & *ſerm.* 11. *Hexaëmer. ad finem*, & *ad* 17. *Sap.*

Secvnda opinio tribuit Sono aliquam permanentiam: Eſt communis inter Modernos, vt notat Ruuius *tract. de Viſu*, *quæſt.* 1. *prima ſecundæ*, vbi hanc ſequitur, ſed *cap.*8. *ſecundi, de Anima, in tract. de Auditu, quæſt.*4. *num.* 91. videtur cum prima opinione ſequitur Fulienſ. 3. *Phyſic. cap.*5. *art.*3.

Assero, Sonum eſſe qualitatem ſucceſſiuam, motus ipſum cauſantis naturam imitatum.

Probatvr verò primò à S. Doct. *ad loc. cit. Sap.* vbi narrantur varij ſoni, aëris impulſi ſucceſſiui ventorum ruentium, aquarum decurrentium ſaxorum præcipitantium, & torrentes. Addit S. Doct. id Leuit. 26. *Terrebit eos ſonitus folij volantis*: Vbi Pagn. Chaldea, & LXX. *Perſequetur eos ſonus.* Vbi ſucceſſio ſoni cum motu exprimitur.

Probatvr hinc ratione, quia ſonus eſt à motu, & ab eo pendet in conſeruari: Ergo illi ſe aptat. Neque verum permanentiæ ſignum dat Ruu. quod idem numero ſonus à multis auditur ſucceſſiuè: Similiter, & in Echo, prius auditur vox directa; deinde reflexa; nam idem experimur de motu, vt qui propius eſt, videat motum tranſeuntis, & tamen eſt ſucceſſiuus. Auditur ergo ſucceſſiuè motus idem numero ſecundùm diuerſas partes; vt qui vicinior eſt, plures partes audiat, nempè eas, quæ fiunt intra ſphœram ſenſus; is autem, qui remotior vltimas tantùm audit, non autem omnes: ſic etiam Echo auditur, qui eſt repræſentatio vocis directæ per reuerberationem à loco ſolido cauo; vt notat S. Doct. ad illud Sap. 17. *Reſonans de montibus Echo*, eſt autem vna vox continuatione, ſicut & motus, qui non ideò permanet: Sed de Echo, *quæſt.* 8. agemus.

Obiicit Fulienſis, Sonus non producitur in motu, ſed in contactu corporum colliſorum, vt patet in ſono Campanæ: At ille contactus non eſt ſucceſſiuus, & ſæpe ſonus non plus duat quam percuſſio duorum corporum; nec auditus obſeruat in eo vllam variationem: Ergo poteſt ſonus eſſe permanens.

Respondeo ex Fulienſi, poſt hæc effata, Sonum, ex communi ſententia non recipi in corporibus colliſis, ſed in corpore intermedio, cuius compreſſione ſonus excitatur, vt oſtendam *quæſt.*5. fateor ergo ipſum cauſari non rarò à contactu; at in aëris diffuſa ſucceſſiua repercuſſione habere eſſe, atque deferri.

QVÆSTIO III.

An requirantur ad Sonvm *tria corpora.*

Prima opinio eſt, Sonum requirere duo corpora, ſe mutuò collidentia, & tertium interceptum: Ita videtur Ariſt. 2. *de Anima*, *text.* 78.

Secvnda opinio eſt, ſufficere duo corpora. 73

Alij verò dicunt, requiri tria, ſed non diſcontinua: Ita Poncius *diſp.* 3. *num.* 47. dicens eſſe ſententiam communem.

Probatvr à Ruuio *quæſt.* 2. *Tract. de Viſu, num.* 34. nam ad ſonum requiritur colliſio duorum in aliquo medio, putà aëris, etiamſi duo tantùm diſcontinua ſint, vt, cum virga percutio aërem, & cùm aër ad arteriam vocalem alliſus, format vocem: Sic & Poncius.

QVÆSTIO IV.

An Sonvs *à corporibus colliſis; an verò à medio ſit.*

Breviter hæc expedire libet: tum quia parui ſunt ponderis: tum quia parum ad noſtrum inſtitutum ſpectant.

Prodvcitvr Sonus per motum localem per accidens; etenim terminus motus localis per ſe, eſt Locus, vel Vbi, non autem Sonus.

Assero, Sonum fieri à corporibus colliſis; medium verò reſiliens, eſſe ſolum inſtrumentum Soni. 74

Probatvr ex Ariſtotele, 2. *de Anima, cap.*8. initio, vbi omnes eius Interpretes, & *text.*79. ait: *Non eſt autem Author ſoni, aër, neque aqua, ſed oportet ſolidorum percuſſionem fieri ad inuicem*, ex quibus verbis illud (*Author*) exponitur ab omnibus de cauſa præcipua. Probatur etiam, quia corpora ſunt, quæ mouent aërem ad ſonum; non è contra: Deinde quia denominantur ſonantia: *Factus ſum velut æs ſonans* ex Apoſtolo. Præterea diuerſitates ſonorum variantur ex colliſorum varietate, *verb. grat.* è campanis, tympanis, tubis, cùm aër ſit tantùm vnus.

QVÆSTIO V.

An Sonvs *ſit in corporibus ſonantibus: an in ſolo medio.*

Prima opinio eſt, Sonum recipi in medio, & in corporibus etiam colliſis. Ita Venetus apud Palatium *cap.*8. *ſecundi de Anima*, *ad text.* 85. Vega *lib.* 1. *de arte medendi*, *fol.* 144. & aliqui ex antiquis Ariſtot. Interpretibus, vt refert Apollinaris, *quæſt.* 21. *ſecundi*, *de Anima*, Maſtrius *diſp.*5. *numero* 128. Fulienſ. 3. *Phyſ. cap.* 5. *art.*3.

Secvnda ſententia eſt, Sonum eſſe in corporibus tantùm percutientibus. Ita Auerſ. 9.54. *ſect.*3. 75

Tertia opinio eſt, ſonũ recipi in ſolo medio. Ita commu

communiter Arist. Interpretes super *cap.8. secundi de Anim.* Auicenna, Simplicius, Albertus, D. Thom. Caiet. Bannes, Tolet. *quæst.* 20. Conimbr. 2. *de anima, cap.8. quæst.* 2. *art.* 2. Ruuius *tract. de Auditu, quæst.* 3. *secundi de anim.* & omnes ferè moderni subscribit Eustach. 3. *part. tract.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 9.

Assero, hanc sententiam probabilem, quæ est D. Bonau. *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 9. & *ad* 17. *Sap.* ad calcem, vbi obseruat illa præcipuè verba: *Siue Spiritus sibilatus*; vbi sonus in aere percusso ponitur: Vnde Græcus legit: *Spiritus sibilans*.

Probatvr secundò, quia Sonus est à corporibus in aliud, ex Arist. 2. *de anim. text.* 78. per actionem transeuntem; Id autem in quo extra recipitur sonus, esse medium, probatur; quia sonus à longè non statim auditur, tametsi statim videatur percussio, vt patet in fulgure, & tonitruo; nam priùs illud videmus, quam audiamus hoc, cuius alia non potest reddi ratio, nisi quia sonus eget deferri per sphæram suæ actiuitatis à medio aëre, qui aliquod tempus in motu insumit: at visio fit per receptionem specierum intentionalium in instanti. Deferri autem sonum realiter, saltem per aliquod spatium, probatur; nam sæpè experimur, sonum, flante vento ad nos, audiri; flante verò in contrarium, & aërem abripiente, non audiri: Sic in campanis id experiuntur communiter.

Obiicit primò Fuliens. Cùm duo corpora colliduntur, auditur ibi Sonus, etiamsi aër refractus longius fugerit.

Respondeo, aërem totum abire non posse, ne detur vacuum, sed partem circumagi, & sonum afferre; eum verò, qui abiit, alio sonum afferre; hoc autem ostendit, eum esse subiectum soni.

Obiicit secundò: Aër est corpus tenue, labile, & sæpè aliqua eius exilis particula intercipitur: Quomodo ergo reddere valet tam validos sonos?

Respondeo, aërem mixtum vaporibus, & compressum, graue sonare; si verò sit modicus, acutum sonat.

Obiicit tertiò: Dum charta, vel sericum vi scinditur, stridor auditur, etsi nullum ibi sit medium confractum, aut excussum: Aër verò inter partes concissas est minimus, ad sonum reddendū ineptus.

Respondeo, multò minùs scissuras illas esse sonoras: agitatur verò aër scissus, & stridet.

Obiicit quartò: Si aër esset subiectum soni, deberet audiri semper sonus similis, non adeò varij, dummodo eadem duritie prædita sint, & tamen alius, & alius sonus est à ferreis: alius ab æneis: alius à variis musicis instrumentis. Confirmatur ex tinnitu, qui auditur post sonum Campanæ, & Fidium cessationem.

Respondetvr, hæc diuersificari è varia percussione, quæ ex multis variatur subiectis; fertur verò ad nos aër percussus, vt patet in tonitru, quod descendit ad nos realiter; non verò nubes. Sic etiam in sono torrentis euenit, vt notat S. Doct. *ll. citatis.*

QVÆSTIO VI.

Quodnam sit medium, in quo fit Sonvs.

76 Prima opinio est, solum aërem esse medium in quo producitur sonus. Ita Commentator *in c.*8. *secundi de anim.* Albert. *in tract.* 3. *de anim. cap.* 28. Ægid. *com.* 7. *eiusdem cap.* Bannes *p.p. quæst.* 78. *artic.* 3. *de Auditu, dub.* 3. & Hurtad. *disp.* 17. *sect.* 3. Compl. *disp.* 11. *q.* 3. Ioan. de S. Th. *quæst.* 7. *art.* 3.

Secvnda sententia est, etiam in aqua fieri sonum: Ita D. Th. 2. *de anim. cap.* 8. *lect.* 16. *ad text.* 79. & omnes ferè Aristot. Interpretes. Atque Scaliger *exerc.* 279. Simpl. Tolet. Ruuius, *ad text.* 76. Auersa, *q.* 56 *sect.* 6. Complut. *d.* 11. *q.* 4. Ruu. *tract. de Auditu*, *q.* 4. cum Arist. 2. *de anim. text.* 49. Alij addunt etiam ignem, & corpora solida esse media soni: Ita Arriaga *disp.* 4. *n.* 22. & *disp.* 5. *sect.* 3. Mastrius *disp.* 5. *n.* 158. Fuliens. 3. *Phys. cap.* 5. *art.* 3. Eustach. 3. *p. tract.* 3. *d.* 2. *q.* 9. Poncius *disp.* 2. *num.* 46.

D. verò Bonau. 3. *part. Centil. sect.* 21. medium soni receptiuum, dicit esse aërem.

Idem indicat *in Itinerario mentis in Deum*, *c.* 2. vbi distinguit Auditum à cæteris sensibus in obiecto, quia ad auditum ingrediuntur aërea, & *in* 4. *d.* 49. *art.* 3. *q.* 1. non admittit libenter laudes vocales in Empyreo, vbi non est medium, idest, aër.

Arbitror tamen, Seraphicum voluisse cum Arist. assignare media præcipua soni: Ita etiam Aristot. 2. de Anima, cap. 7. *medium quidem in sonis est aer*, si sonus singulariter fit in aëre, quia est aptior, vt intercipiatur, & subitò vno ictu extrudatur; Et ita experimentis erudimur, in aqua non fieri adeò clarum sonum, vt fatetur Arist. 2. *de anim. c.* 8. *text.* 79. vt cum baculo immerso verberatur aqua; sic pisces in fundo vasis, pleni aquâ, crepitant branchiis, & sonum audiunt. Ideò piscatores silentium indicunt. Delphini à profundo ad musicam euolant: sic natantes sub aquis sonos audiunt: Sic fragor lapidum, à torrente per fundum raptorum, auditur, & gelato è flumine auditur crepitus è fundo defluente.

Qvod maius est, per corpora solida meant species soni: Sic in cubiculo optimè clauso auditur sonus extrà factus: è pila ænea clausa auditur sonus lapilli, intus clausi: Si longa trabs percutiatur in altera extremitate, defertur sonus ad alteram, & melius auditur applicitâ aure, quàm è loco ictus, si ei auris non applicetur. Neque confugiant ad poros. Qui enim pori sunt in pila ænea? In cæteris verò rari sunt, vt species ad alteram partem deferant. 77

Dices: Capite in aqua merso, impeditur auditio: Idem experimur corpore duro posito inter potentiam, & obiectum.

Respondetvr, his tantùm hebetari sonum, quia opprimitur sensorij organum.

QVÆSTIO VII.

An Sonvs *realiter perueniat ad auditum; an verò solùm intentionalier.*

Prima opinio affirmat, necessarium esse, audiri Sonum realiter, non verò intentionaliter: Ita Auicenna *libro* 6. *naturalium de Auditu*, Albertus *in summa de Homine*, *tractatu de Auditu*, Alexand. 3. *de Anima*, *capite* 8. Ægidius *ad text.* 84. & ex Recentioribus aliqui.

Secvnda opinio vult, Sonum non peruenire ad Auditum, sed aliquam ad distantiam audiri: Ita Diuus Thomas, *in secundò*, *distinctione* 2. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 5. vterq; Caiet. 2. *de anim. c.* 8. Colleg. *ibidem*, *quæst.* 2. *art.* 2. Ponc. *disputatione* 3. *quæstione* 2. 78

Tertia, sententia est, sonum à principio emittere species, nec esse necessarium, vt realiter multi-

plicentur, imò talem multiplicationem esse impertinentem: Sonum verò primum realiter deferri ad aliquam distantiam pro viribus per aërem refractum. Ita Tolet. 2.*de Anima*, *quæst.*21. Ruuius, *tract.de audit. quæst.*4. innuit Molin. *p.p.quæst.*55. *art.*2. *disp.*1. Fuliens. 3. *Physic. cap.*5. Arriaga, & qui negant sonum recipi in medio, relati *quæst.*5.

SVPPONO hic, Sonos vehementes peruenire ad aures realiter: Ita D. Bonau. obseruat ad illud Sap.17. *Siue enim Spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos Auium sonus suauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut sonus validus præcipitantium petrarum, aut mugentium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo; deficientes faciebant illos præ timore*, Et ad ea verba, cap.18. *Resonabat autem inconueniens inimicorum vox.*

79 PATET verò experientiâ, nos vehementi sono concuti, concussione perfectâ, reali, & physica, vt notat idem S. Doct. Attamen adhuc necessariam esse speciem, patet ex dictis, *disp.*4.*cap.vlt. q.*7.

ASSERO, non peruenire necessariò sonum realem ad aures, vt fiat sensatio.

PROBATVR multis experimentis, primò soni extrà facti, quem nos in loco clauso sentimus. Secundò è sono, qui fit in pila ænea a lapillo, vel ferro intùs commoto. Tertiò è sono facto a tenui instrumento, & audito à nobis longè, veluti voce hominis; de piscibus audientibus vocem piscatoris, vltra ripam existentis.

QVÒD verò non sit necessaria ad hoc realis multiplicatio soni, probatur ratione D. Bonau. 3.*p. Centil.sect.*21. & *in Itinerario, cap.*2. & *serm.* 11. *Hexaemer.* & *de Reductione artium ad Theologiam*, quia sonus est sensibile proprium: Ergo habet virtutem statim producendi species. Hâc ratione vtitur Ruuius *num.* 83. Auersa *quæst.*54. *sect.*6. Mastrius *loco citato.*

DICES: Si ab initio produceret species, fieret auditio in instanti, quod est contra experientiam.

PROBATVR Sequela: Quia species producuntur absque resistentia: Ergo in instanti.

RESPONDETVR, negando sequelam; quia licèt producantur absque successione; attamen sonus per motum localem producitur, & ex aliqua resistenria corporum, is producit species successiuè, & hic excitat sensum, vt docet D.Bonau. *in* 3. *dist.* 13.*dub.*1.*litt.* non tamen agit, vt dixi *disp.*4. *cap. vlt. quæst.*10. *ad finem.*

80 QVÆRES secundò, vnde fiat Sonus internus intra aures.

RESPONDETVR, talem Sonum fieri sæpè ex distillatione defluentis humoris superflui, percutientis organum, vel mouentis ad fugam, vel ad motum aërem innatum, & tunc auditur quidam veluti riuuli decurrentis sonitus per calles, & labyrintos aurium.

AGVNT hic aliqui de voce articulata, quæ dicitur loquela.

CERTVM est, vocem solis animalibus propriè conuenire, & inanimatis solùm metaphoricè, vt monet Arist. 2.*de anim.text.*87. Neque omnibus conuenit; sed iis solis, quæ respirant; atque adeò habent pulmones. Vnde exanguia, & pisces nullam vocem edunt; possunt tamen causare sonum aliquem, præsertim quædam exanguia, vt Apes, Cicadæ, Vespæ, Crabrones murmur efficiunt, percutiendo membranâ aliquâ aërem, vt docet Aristoteles, *lib.de iuuent.cap.*11. & 4. *de hist.animalium,cap.*9. & Conimbr. 2. *de Anima*, *cap.*8. *quæst.*3.

Vox sub se habet, tanquam speciem, loquelam, quæ est vox articulata; ita vt articulatio sit eius differentia; sicut enim articulis connectuntur membra; ita etiam vox pluribus veluti nodis intercepta non eodem procedit tractu, sed veluti articulis litteras connectimus.

QVÆRVNT verò: An ita brutis detur loquela. 81 Certe videtur prima facie negandum, vt vidit Hieronym. ab Aquapendente in suo Opusculo de loquela, attamen Porphyrus *lib.* 3. *de abstinentia ab vsu carnium*, Arist. 4. *de hist.animal.cap.*9. auiculis, præsertim Lusciniæ eam concedunt, & Episcopus Maiolus *in dieb.canicularib.* refert Luscinias colloquentes Ratisponæ.

DANTVR profectò in eis instrumenta ad loquelam, vt constat in Pica, & Psitaco; Sanè aliqua vox articulata, etiam ab homine per fistulam emittitur, vt ait Arist. 2. *de anim. text.* 87. Fateor cum Arist. 4. *de hist.animalium,cap.*9.& 5.*de gener.animalium,cap.*7. loquelam brutorum esse materialem; quia loquuntur absque intentione, ea significandi, quæ proferunt, etiamsi ab hominib. didicerunt, nisi fortè materialiter. Cæterùm à natura, vix articulatè aliquid discunt; illud verò, ex imaginatione proferunt: De his actum est *Tract.*8 *disp.*4.*q.*30.*&* 33. quare diutiùs non libet illis immorari.

QVÆSTIO VIII.

Quid sit ECHO.

PRIMA opinio tenet, ECHO fieri per reflexionem soni realis in corpore obsistente & reuersionem eius, vsque ad auditum, vel certè vsque ad aliquam partem medij, ex qua speciem sui producat in organo: Ita videtur sentire Plato *in Phædro.* Et expressè Auicen.*lib.*6.naturalium,*c.de auditu.* Simplicius, Alex. Philopon.*cap.*8.*secundi de anim.* vbi etiam D. Th. & Albertus *tract.*3.*cap.*19. & alij, quibus arridet Eustach. 3.*part. Phys. tract.*3. *d.*2. *quæst.*10.

SECVNDA sententia asserit, *Echo* fieri, non per reflexionem soni realis, sed specierum intentionalium per aërem, qui impeditur à corpore obsistente, nec valens recta eas vltrò deferre, reflexus refert ad auditum. Ita Buridan. 2.*de anim.q.*12. Apollinaris, *q.*24. Molin.*p.p q.*58.*art.*1.*d.*1.Tolet. 2.*de anima*, *q.*22.Ruu.*tract.de auditu*, *q.*5.Mastr. *d.*5. *n.*161. & multi alij è recentiorib. post. D. Bonau. ad illud *Sap.*17.*Resonans de altissimis montibus Echo*, vbi exponit Repræsentationem vocis animalium propter reuerberationem montium, vel petrarum; vbi vult, ECHO non esse ipsam realem vocem animalium, sed imaginem, vel repræsentationem factam per speciem, quæ est imago, vt dixi *disp.*4.*cap.vlt.q.*9. Non negamus tamen, aliquando ob vehementiam soni, & vicinitatem corporis solidi caui, fieri refractionem realem aëris; sed dico, vocem primò productam emittere speciem, & deferri per aërem, qui est medium auditus, vt docet S.Doct. 3. *p. Centil.sect.*21. vsq; ad auditum: Sic & Fuliens.*lib.*3.*Phys.c.*5 *art.*3. 82

PROBATVR ex dictis *quæst.praced.* Si enim sonus primò emissus statim speciem emittit, sequitur, eam esse, quæ defertur per aërem, & refractam redire resonando: Sic enim etiam species visiuæ reflectuntur à speculis. Hinc infero, ECHO esse eundem numero sonum, qui primò emissus est.

PROBATVR, quia, sicut species reflexa in speculo repræsentat obiectum oculo, ita etiam vox reflexa auditui, sed idem numero obiectum repræsentatur in specie reflexa visibili: ergo. 83

OBIICIES

Obiicies Sap. 17. dicitur: *Resonans de montibus altissimis Echo*, resonare autem non conuenit speciebus intentionalibus, sed sono reali.

Respondet Ruuius, *num.* 109. ex Diuo Bonauentura, ad ea verba Sap. Resonare sonum in montibus; quia ab illis reflectitur vsque ad sphæram Auditûs, vt iterum audiatur, siue reflectatur per se, siue per suas species. Addit verò D. Bonau. dici etiam resonare Echo, quia refranguntur species intentionales repræsentatiuæ soni realis, & tanquam imagines illius refractæ deferuntur ab aëre ad auditum, & ita, sicuti, cùm recipio species coloris, dicor, videre colorem, vel colorem ad meum emitti sensum; ita etiam dum recipio species soni, dicor, recipere sonum ex obiecto emissum per medium, in obstaculo refractum. De hoc lepida Cardan. *lib.* 18. *subtil.* accinit.

QVÆSTIO IX.

Quodnam sit Organum Avditvs.

84 In auribus esse organum Auditûs certum est; sunt autem aures cartilaginosæ, anfractibus cocleæ in figuram elaboratæ, quibus intime est angustum foramen, quod *Cæcum* dicitur; desinit verò Cerebrum versus in quandam, veluti orbitam cauitatem, cuius medietatem operit membranula quædam quæ *Tympanum* dicitur, vel *Myringa*. Hæc verò membrana trib. ossiculis sustentatur, quorum vnum similitudinem Incudis: Secundùm figuram Maleoli. Tertium figuram Stapedis habet. Membrana etiam affixa est neruo descendenti à Cerebro, per quam spiritus animales è Cerebro ad sensationem emittuntur & species ad sensum communem ascendunt. Intra medietatem illius cauitatis cerebrum versus, in quā desinit Cæcum foramen, residet substantia quædam subtilissima, quæ dicitur aër innatus, circumdata Tympano. Quæritur ergo, vbinam sit sedes organi.

Themistivs *ad text.* 83. *secundi, de Anima*, Organum Auditus docet, esse spiritum animalem deriuatum à Cerebro in has internas partes aurium.

Alii dicunt, esse neruum illum à Cerebro descendentem, cui affixum est Tympanum: Ita Auicen. quem imitatur Albert. *in tract. de Auditu, quæst.* 1. Videtur etiam Nysseni, *lib.* 4. *de virib. Animæ, c.* 6. Vessalius *lib.* 1. *c.* 8. *de humani corporis fabrica*, vult, tale organum esse ossicula suprà allata, Tolet. *q.* 21. *secundi, de Anima*, docet, esse Tympanum. Sequitur Morisan. *disp.* 2. *quæst.* 9.

Alii hoc organum ponunt in aëre illo subtili: Ita Ruuius 2. *de Anima, Tract. de Auditu, q.* 6. Galen. *lib.* 8. *de vsu part. cap.* 6. Mastr. & Bell. *disp.* 5. *n.* 118. Ponc. *disp.* 5. *q.* 2. Eustach. 3. *part. tract.* 3. *d.* 2. *q.* 12. Fuliens. 3. *Physic. cap.* 5. *art.* 3. Alij ponunt in aëre illo, & in neruo auditorio: Ita Complut. *disp.* 11. *quæst.* 6. Ioan. à S. Thom. *quæst.* 5. *art.* 3. Videtur Bartholini, *lib.* 3. *cap.* 9.

85 Opinio S. Doct. est, non in aëre illo, qui est medium, constitui organum: Ita 3. *p. Centil. sect.* 21. In *quarto autem, dist.* 23. *quæst. penult. in corpore*, solùm in genere dicit, organum esse Aurem. Idem habet *loco citato Centiloquij*.

Probatvr tamen; quia aër ille non est animatus; sed veluti in vase, vt sit medium, vt notat S. Doct. Quidquid vrgeat Ruuius, & Mastrius *disp.* 5. *num.* 121. vbi etiam negat, esse aërem, Tolet. addit secundò rationem; quia sonus ad Tympanum ductus non potest vlterius progredi; sed hoc non placet, quia sufficit speciem penetrare.

Obiicies primò, Arist. 2. *de partib. animalium, c.* 10. & 2. *de Anim. text.* 83. docet, Sensorium Auditus esse aërem illum.

Respondetvr, Arist. solùm velle in priori loco intra tympanum non esse vacuum, sed aerem, in quo, idest, in cuius sinu est sensorium, quod etiam dicitur aer, idest, illa cauitas plena aëre, quæ est Tympanum.

In posteriori loco solùm vult, illum aërem immotum, & quietum esse, vt sentiat, idest, recipiat species, & obiiciat eas Tympano.

Obiicies secundò. Galen. *loc. cit.* ait. Alteratur, non à quouis sensibili, omne sensorium; sed splendidum a coloribus; aereum à sonis. 86

Respondetvr, alterari aereum, idest, Tympanum, aëre vallatum à sonis, aerem verò aberrari, quia in eo recipiuntur species, & per eum deferuntur: vt notat S. Doct. *loc. cit. Centiloquij*.

Obiicies tertiò, S. Doct. *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 35. In hoc distinguit Tactum, & Gustum, à reliquis sensibus, quia hi duo habent medium intrinsecus; alia verò organa extrinsecus: Ergo aer intrinsecus non est medium.

Respondetvr facilè, Differentiam in hoc esse, quòd illa sensoria habent tantùm medium intrinsecum, quod est pars organi; putà, caro: At Auditus habet etiam extrinsecum: Aër verò non dicitur propriè extrinsecus, quia non est pars, licèt intrinsecè in organo stet.

Hinc collige, organum esse tympanum est enim animatum, instrumentis cinctum, aptum sonis excipiendis. Vnde non sunt spiritus organum, quia inanimes, & alimenta sunt, vt in aliis; adde, nec neruos: Non enim soni sensorium consistit in ossiculis crassitie inneptis, ad species accipiendas, quæ vel infimum sensum tactus apud multos non participant.

DE OLFACTV.

CAPVT IV.

DISPVTATIONIS.

QVÆSTIO I.

Quid sit Odor.

Actvrvs Arist. *secundo de Anima*, de Sensu Olfactus, prælibat aliqua de eius obiecto, quod est Odor, de quo quærimus. 87

Fvit opinio dicentium, Odorem esse vaporem, seu exhalationem è corpore spirantem: Ita Plato *in Timeo.* Galen. *lib. de instrumento olfactus.* Auer. *lib. natural. p.* 2. *cap. de odore*, Theophrastus, *lib.* 6. *de causis Plantarum, cap.* 5. Damasc. 2. *de fide, cap.* 18.

Secvnda opinio est, Odorem esse qualitatem secundam. Ita Aristoteles 2. *de Sensu, & Sensibili, capite sexto, & loco citato*, Albert. *in* 2. *parte, summa de Homine, titulo de Olfactu, quæstione quinta*, & *libro* 2. *de Anima, Tract.* 3. *capite* 25. D.

D. Thom. Alex. & cæteri veteres, *libro de Sensu, & Sensibili, cap. 3.* Tolet. 2. *de Anima, quæst.* 25. Colleg. *cap. 9. secundi de Anima, quæstione* 1. *artic.* 2. Ruuius *Tract. de Sensu Olfactus.* Mastrius, *disp. 5. num.* 165. Fulienſ. 3. *Physicorum, cap. 5. art.* 4. Eustachius 3. *part. Physicorum, tract. 3. disput. 2. quæst.* 13. Est etiam D. Bonauent. *locis infrà citandis.*

Igitvr D. Bonauent. sæpè odorum meminit, in quibus odorem distinguit à corpore odoroso. Ita *in Diæta salutis, tit. 5. cap.* 2. vbi odorem vocat fragrantiam corporis odorosi. Ad hoc adducit illud Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris,* Et illud Genes. 27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Idem habet *in Speculo B. Virg. lect.* 7. vbi ideò affert illud Ecclesiastici 24. *Sicut Cinnamomum, & Balsamum aromatizans odorem dedi*, & *lect.* 14. refricans illud *Genes.* 27. comparat Mariam agro pleno, & odorem assimilat gratiæ, quæ est accidens: Et *lect.* 16. repetens illud Genes. affert illud Eccles. 24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Et illud Cant. primò. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

88 Eadem refricat *de septem Itineribus Æternitatis, Itinere 3. dist. 7.* & *Itinere 6. dist.* 6. Odorem Christi, qui procul dubio non resoluitur in vapores, recenset, sicut, & in suprà *alleg. locis.* Adducit verò Linconiensem *in cap. 4. Angelicæ Hierarchiæ S. Dionys.* vbi ait: *De olfactiua virtute discretiua odorum, quæ intus suscipiendo agit, dicit Dionysius, signare susceptiuum bene redolentis:* & *Dionys. cap. cit. Eccles. Hier.* ait: *Si sensibilium aromatum susceptio moderata, vim olfactiuam nostram sanam delectabiliter resouet, pariter & intellectualem sensum nostrum, &c. susceptio Diuini boni odoris, &c. Huius odoris experientiam habuit, qui dixit Cant. 1. In odorem vnguentorum tuorum curremus, &c.*

Tertia verò parte *Centil. sect.* 21. vbi ex proposito agit de obiectis sensuum, ait, Obiectum odoratus esse odorem, & eius differentias: Medium verò esse vaporem per aërem delatum, res enim odorifera, quasi fumum sensibilem euaporat, ex quo immutatur aër deferens odorem ad odoratum.

89 Ex his habemus, non solùm astrui, sed etiam è Scripturis probari à D. Bonauent. odorem esse qualitatem resultantem è corpore odoroso, atque adeò cum secunda sententia conuenire: Attamen *in Diæt. Salutis, tit.* 7. dicit Thus, de quo *Eccles.* 5. dicitur: *Thus redolens*, Nardum, de quo Cant. 1. *Nardus mea dedit odorem*, & Cinnamomum, de quo *Eccles.* 24. spirare quendam visibilem odorem, idest, vaporem, vbi videtur confundere odorem cum corpore vaporoso.

Verum hic locus explicatur alio clariori, qui est, *capite 2. Itinerarij mentis in Deum*, vbi docet, omnia sensibilia, atque totum mundum intrare ad sensus, vt Intellectus per hoc ascendat in Deum: Igitur ad rem ait, Per odoratum intrare vaporabilia, quæ aliquid habent de natura aquea; aliquid de aërea; aliquid de ignea, siue calida; sicut patet in fumo ex aromatibus resoluto: & hoc esse proprium olfactus obiectum: Nominat verò odorata concretè, vt condita ad Dei bonitatem in accidentibus subodorandam: Subdit verò sensibilia communia: Numerum, Magnitudinem, Figuram, Quietem, & Motum: Substantias verò horum ait, non percipi à sensu per se, sed ratione accidentium: sic corpora, vt luminosa, vel colorata à Visu; sonora ab auditu; per gustum corpora, vt calida, sicca, & humida; sicco, seu excedente, seu comprehendente humidum, vt ait Aristoteles, *loco citato.*

Hæc verò non per se secundùm proprias substantias; idest non modò substantias sensibilium per se, sed neque ipsas sensibilium substantias, idest, entitates, ait intrare ad sensus, sed solùm similitudines.

Ex his habemus rationem, cur Odor, non possit dici vapor, seu substantia: Quia non esset obiectum proprium sensûs; nam obiecta propria sensuum sunt accidentia; substantiæ verò per se non sunt sensibiles, vt ait etiam Aristoteles 2. *de Anima, capite 6.* Qua ratione vtitur Ruuius, *loco citato, numero 3.* 90

Gignitvr autem Odor ex corpore, in quo humidum comprehenditur, seu superatur à sicco. Hinc res odorosæ calefactæ magis fragrantiam emittunt, quia magis edomatur humidum. Ideò etiam res illæ magis Verno tempore redolent, quàm Hyeme: Ideò dicitur Eccles. 50. *Quasi Thus redolens in diebus æstatis*; vt notat D. Bonauentura, *in Diæta, tit. 7.* & *in Itinerario mentis in Deum, capite 2.*

Dices. Videmus, res odoriferas sæpè esse à prædominio humidas: Ergo non est tale temperamentum odoris, quale descripsisti.

Respondetvr, Talia odorosa habere aliquas partes, in quibus humidum decoctum est, vt patet in Aqua Rosea, & ideò ratione talium partium fragantiam redolere; licèt ob alias partes, in quibus humidum præualet, contineatur temperamentum saporis. Experimur autem, Aquam Roseam, igni appositam, magis redolere.

QVÆSTIO II.

An Sensorium Olfactvs *immutetur realiter ab Odore.*

Svppono hîc, medium, per quod immutetur Olfactus, esse aërem, & aquam: Ita D. Bonau. 3. *part. Centil. sect.* 21. & aliis locis, adductis *quæst. præcedenti.* Theophrastus *lib. 6. de causis Plantarum, capite* 11. Albert. 2. *part. summa de homine, tract. de Olfactu.* Themist. 2. *de Anima, cap.* 34. Garb. *in summa, quæst.* 69. Fernel. *lib. 6. Physicorum, cap.* 10. & cæteri omnes. 91

Prima igitur opinio est, Odorem non immutare Olfactum, nisi realiter deferatur vsque ad sensum. Ita Auicen. 6. *natural. part. 2. cap. de Olfactu,* Albertus 2. *de Anima, cap.* 3. Hurtad. *disp.* 12. *de Anima, sectione* 1. Arriaga *disp. 4. sect. 2. subsect.* 5. His adde negantes omninò species.

Secvnda opinio, è diametro opposita, negat, Olfactum vnquam mutari realiter: Ita Auerroës, 2. *de Anima, com.* 97.

Tertia opinio est, Odorem immutare medium, vsque ad aliquam distantiam; ab ea verò solùm per species intentionales medium mutare, & organum: Ita D. Thom. 2. *de Anima, lect.* 10. & *in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 2. ad* 5. Philoponus 2. *de Anima, cap. 9. tract. de Olfactu, quæst. 2. num.* 22. & 23. Suarez *loco citando.* Complut. Auersa hîc. Eustach. 3. *part. tract. 3. disp. 2. quæst.* 13. Fulienſ. *lib. 3. cap. 5. art.* 4.

Assero, Olfactum nunquam immutari ab odore

odore reali, esto deferatur nonnunquam vapor vsque ad organum.

PROBATVR à D. Bonauentura, 3. *part. Centil. sect.* 21. & *lib.* 1. *Compend. Theol. cap.* 35. quia aër est medium extrinsecum Olfactus, vt ait etiam Aristoteles 2. *de Anima, cap.* 9. ergo exhalatio non coniungitur per se organo.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *in Itinerario mentis in Deum, cap.* 2. quia obiectum, & potentia debent proportionari, vt fiat sensatio; sed obiectum merè naturale non est proportionatum potentiæ, quæ est intentionalis, & à corporeitate aliquantò segregata: Ergo. Odor verò, cùm sit sensibile proprium, statim habet virtutem emittendi species. Hoc nititur Suarez, 3. *de Anima, capite* 24. *num.* 3.

92 PROBATVR à Ruuio, *loco citato, à num.* 28. Quia odor est in corpore vaporali; at corpus non est sensibile per se. Hoc verò argumentum vanum videtur; quia, esto odor sit qualitas in corpore, attamen posset aliquis dicere, coniungi per se potentiæ; substantiam verò per accidens, sicut albedo Oloris.

RATIO igitur optima est, quam habet S. Bonauent. quà vtitur etiam Suarez, 3. *de Anima, capite* 24. *num.* 3. vt suprà.

ADDO tamen, è corpore odoroso euaporare subtiles aliquando halitus, qui tamen non immutant sensorium, nisi per species, esto confortent cerebrum, vt ait Aristoteles *lib. de Sensu, & Sensibili, cap.* 5.

QVÆSTIO III.

Quodnam sit Organum ODORATVS.

SCIENDVM, Olfactum profectò intra nares esse, vt notat D. Bonauent. 3. *part. Centil. sect.* 21. Quæstio verò est in qua parte. Oriuntur ex duabus cellulis in anteriori parte Cerebri excauis, duo nerui *mamillares* appellati, quia eorum extremitates sunt veluti duæ papillæ, perque duo foramina Nasi itur ad illos processus mamillares.

PRIMÒ quidem Galenus, *lib.* 8. *de vsu partium, & lib. de instructione odoratus* Auicen. 6. *natural. part.* 1. *cap.* 5. Albert. 2. *de Anima, cap.* 26. Philo. *fol.* 65. *col.* 2. & 4. docent, sensorium Olfactus in ventriculis Cerebri residere.

93 VESSALIVS autem, *lib.* 4. *cap.* 3. vult, consistere in officulis mamillaribus, eum plerique Moderni sequuntur.

MAGNESIVS verò, *libro de Sensu partic. cap.* 22. sentit, per cartilagines narium deriuari neruos, in quibus stet Sensorium, *com.* 2. *Collect. capite* 17.

VERA sententia est, Sensorium Olfactus situm esse in processibus mamillaribus neruorum: Ita D. Bonauentura, *loco citato*, Philoponus 2. *de Anima, cap.* 9. Albertus *in* 2. *part. summa de homine, tract. de Olfactu*, D. Gregor. Nyss. *lib.* 4. *de viribus animæ, cap.* 5. Fernel. *lib. de partibus corporis humani, cap.* 9. Garb. *quæst.* 59. Conci. *diff.* 55. Tolet. *quæst.* 27. *secundi de Anima*, Colleg. *cap.* 9. *secundi de Anima, quæst.* 4. *art.* 2. & omnes ferè Recentiores, quos adducit, & sequitur Ruuius 2. *de Anima, cap.* 9. *tract. de Olfactu, quæst.* 3. *num.* 40. & inclinare videtur Suarez, *lib.* 3. *de Anima, cap.* 25. *numero* 2. Mastrius *disp.* 5. *num.* 164. Fulienſ. 3. *Physic. cap.* 5. *articulo* 4. Eustach. 3. *part. tract.* 3. *disp.* 2. *quæstione* 14. Poncius, *disp.* 2. *quæst.* 3.

ASSERO cum hac sententia, Organum Olfactus situm esse in processibus neruorum mamillaribus.

SVAREZ, & Ruuius nesciunt, vt fatentur, inuenire aliquam rationem pro hac assertione, attamen ratio optima eruitur è D. Bonauentura, *loco citato*, educta ab experientia; experimur enim in parte illa, vbi processus mamillares sunt, odores sentiri statim, nec expectari ascensum ad Cerebrum, nec extra, vel infra Nasum sentiri.

PROBATVR secundò à D. Bonauentura, *Opusc. de reductione artium ad Theolog. tom.* 6. quia spiritus sensibiles, seu qui insumuntur ad sensationes, in neruis sunt, & à Cerebro per neruos deriuati, ad quinque sensoria descendunt, nec extrà prodeunt: Ergo in his est labor, & opus omnium sensationum. Hæc ratio est optima. 94

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 35. quia sensus secundùm eorum maiorem nobilitatem, debent habere, & Organa varia, & ordinatè collocata: Itaque, non in Cerebro omnes sunt, sed in sensibus membrorum coordinatorum, vt in eminentiori specula sint oculi; infrà, sit organum Auditus; aliquantò infrà, organum Odoratus; infrà verò sensorium Gustus, & tandem Tactus, vsque ad infima; & quamuis, & in partibus superioribus, putà Frontis, & Verticis sit; nil facit; cùm etiam in aliis aliorum sensuum organis vigeat; at maior pars infra linguam iacet. Hæc verò ratio, ex naturali membrorum hierarchia ducta, optima est; nam etiam Cerebrum, fons omnium sensuum, in eminentissimo loco residet.

ORGANVM hoc descripsi *Tractatu* 8. *disput.* 4. *quæst.* 30.



DE GVSTV.

CAPVT V. DISPVTATIONIS.



QVÆSTIO I.

An Obiectum GVSTVS *moueat Sensum realiter.*

SVPPONO primò, Gustum esse in omnibus animalibus, exceptis quibusdam imperfectis, vt sunt Holoturij, Stella marina, Pulmo marinus, Vrtica, Spongia, hæc enim à radicibus aluntur, vt ait Aristoteles 2. *de Anima, text.* 17. & 23. & *lib.* 3. *text.* 66. & *de somno, & vigilia, cap.* 2.

SVPPONO cum D. Bonauentura, *locis adductis, quæstionibus præcedentibus*, obiectum gustus esse Saporem: Ita etiam Aristoteles 2. *de Anima, cap.* 10. quem Philosophi sequuntur. 95

SAPORVM autem octo species nominat Aristot. *loco citato*. Dulce, Amarum, Pingue, Salsum, Acre, Austerum, Acerbum, & Acidum.

PRIMA opinio est, Saporem immutare realiter

organum: Ita Valesius 2. *libro Controuersiarum*, *cap. penultimo*, Poncius relatus cum aliis, *disput*. 4. *quæst*. 7.

SECVNDA opinio est, monêre intentionaliter: Ita D. Bonauentura *locis adductis, cap. præced.* præcipuè *quæst*. 2. D. Thom. *p. p. quæst*. 78. *art*. 3. *in corpore*, & *ad* 4. & omnes ferè Aristotelis Interpretes *ad cap*. 10. *secundi de Anima*, & est sententia expressa Aristotelis 2. *de Anima, cap*. 12. vbi ait: *Oportet autem vniuersaliter de omni sensu accipere, quod sensus est id, quod est susceptiuum formarum sine materia, vt cera annuli sine metallo figuram recipit*, vt probauit ex Aristotele Sanctus Bonauent. & nos cum eis *in hac disp. cit. quæst*. 3. Hâc authoritate Aristotelis vtitur Auuius 2. *de Anima, cap*. 10. *quæst*. 1. *num*. 14. & alij.

96 RATIO ergo præcipua est, quam attuli *cap. præcedenti, quæst*. 2. & *cap*. 1. *huius disp. quæst*. 3. ex D. Bonauent. Quia, vt obiectum sentiatur, debet esse intime præsens, atque proportionatum potentiæ, quòd est esse præsens secundùm modum potentiæ recipientis; sed in esse reali non est obiectum aptatum ad esse ipsius potentiæ, quæ est intentionalis: Ergo. Hâc ratione vtitur Suarez 3. *de anima*, *capite* 26. *num*. 5. qui hanc esse rationem vniuersalem notat cum D. Bonauentura, adducto *quæst*. 2. *capite præced*. Vtitur eâ & Ruuius 2. *de anima*, *capite* 10. *quæst*. 1. *à num*. 17. Ratio verò à priori adducta à Diuo Bonauentura, & assumpta a Ruuio *num*. 18. est: Quia operatio sensuum est eleuata supra operationes merè materiales, vt sunt, Calefactio, Frigefactio, Humefactio, Exsiccatio; sicut igitur, vt materiales actiones fiant, debent agens, & passum debito modo materiali vniri, vt sicut actio materialis corporea in corpore recipiatur; ita ad hoc, vt recipiatur operatio eleuata super ordinem corporeum merum, debent obiectum, & recipiens potentia esse in suo ordine proportionata.

IDEÒ cuncta obiecta, quæ non sunt intimè vnita, & proportionata potentiæ, egent specie repræsentatiua. Omnia igitur obiecta (exceptâ Diuinâ essentiâ, quæ ex immensitate est omnibus præsens, & substantia Angelica, quæ est ipsi præsens; similiter & humana extra corpus non habens necessitatem sensuum, & possunt videri sine specie) indigent specie ad sui cognitionem extra hauriendam.

QVÆSTIO II.

Quodnam sit Organum GVSTVS

ORGANVM hoc descripsi *Tractatu* 8. *disp*. 4. *quæstione* 33.

97 E Cerebro deriuantur duo nerui ad linguam, ac per eam diramati in ramusculos illam circumeunt: ipsa verò nouem musculis intexta est. Per hos igitur ramulos neruorum, extensum esse organum gustus, docet Arist. *lib*. 1. *de hist. animalium, cap*. 11. & *lib*. 2. *de partibus animalium*, *cap*. 12. Galenus, *lib. de partium vsu*, *cap*. 2. Vessalius *lib*. 2. *cap*. 19. Auicen. *lib*. 2. *de animalibus*, *cap*. 12. Valesius *libro* 2. *Contron. cap*. 24. Plinius *lib*. 11. *cap*. 35. Lactantius *lib. de Opificio Dei*, *cap*. 10. *Comen*. 1. *Colle*. *t. cap*. 3. Albert. *in p*. 2. *summa de Homine*, *quæst*. 2. *de Gustu*, citans Gregorium Nyss. Toletus, Collegium, & cæteri omnes Interpretes Aristotelis, *ad cap*. 10. *secundi de anima*. Imò D. Augustinus *sermone* 2. *de verbis Domini*, Damasc. 2. *de fide*, *cap*. 18. D. Nemes. *lib. de natura hominis*, *cap*. 9. Hæc est sententia D. Bonauenturæ, 3. *part. Centiloq. sect*. 21. vbi etiam ad Palatum extendit organum. Ratio eius est, quia nerui à Cerebro descendentes ad linguam, etiam palatum repentes peruadunt: Idem sentiunt etiam suprà allegati Doctores, ob rationem D. Bonauenturæ, quam assumit etiam Ruuius 2. *de anima*, *cap*. 6. *quæst*. 2. *num*. 14. Mastrius, & Bellutus, *disp*. 3. *n*. 118. Bartholinus *in Anat. libro* 3. *cap*. 13. qui id probat ex Columbo, quia his neruis obstructis, vel ad linguam non pertingentibus, Gustus deperditur.

MEDIVM huius organi obiectum deferens, ait D. Bonauent. *loco citato*, esse humorem salivalem, qui, per partes spongiosas linguæ, defert ad neruos sapores: Imò & carnem ipsam spongiosam, esse medium internum, asserit idem S. Doctor, *libro* 2. *Compend. cap*. 35.

QVÆSTIO III.

An GVSTVS *differat à* TACTV.

ALIQVI posuère, Tactum, & Gustum, non differre, nisi quatenus Gustus est viuacior Tactus: Ita Venetus 2. *de anima*, *cap*. 10. Ægidius *ad text*. 103. 98

ASSERO tamen, differre: Ita Aristot. 2. *de anima*, *capite* 10. & *libro* 3. *capite* 1. & *libro* 3. *de hist. animalium, cap*. 8. & omnes eius Interpretes, ac D. Bonau. *locis omnibus suprà adductis*.

PROBATVR à D. Bonau. 3. *part. Centil. sect*. 21. & 2. *lib. Compend. Theol. cap*. 35. & *in Itinerario mentis in Deum*, *cap*. 2. Potentiæ habentes diuersa obiecta formalia, diuersa media, diuersa organa, diuersosque modos immutandi, procul dubio sunt distinctæ; sed Tactus, & Gustus sunt huiusmodi: Ergo. Probatur Minor; nam obiectum Gustus est Sapor; obiectum Tactus sunt primæ qualitates tangibiles, & aliquæ secundæ, vt durities, mollities, &c. (excipe Saporem.) Immutat etiam diuerso modo; nam qualitates tangibiles immutant linguam, non emittendo saporem, vt cùm lingua calefit, frigefit, exsiccatur, &c. at verò sapor immutat Gustum; medium etiam diuersum est; nam medium Gustus est etiam humor salivalis, qui non inseruit propriè ad Tactum. Organa etiam sunt, vt patet, diuersa.

LICET autem in lingua sit etiam sensus Tactus, non tamen ideò sunt vnum organum; probatur, quia etiam in Oculo, Aure, Naribus, est sensus tactus. Deinde, quia obiecta, in hoc organo percepta distincta, ostendunt organum illud, licèt vnum materialiter, esse duo formaliter; nam lingua sentiet alteratione tactus aliqua, quæ non sentit alteratione Gustus, vt si bibat aquam puram elementarem: ergo adhuc in parte illa, sensatio Gustus, & Tactus, sunt diuersæ, cùm sint separabiles. Hoc argumento nititur Ruuius, 2. *de anima*, *cap*. 10. *tractatu de sensu Gustus*, *quæst*. 3. Suarez, *lib*. 3. *capite* 28. *num*. 3. 99

REPROBAT autem Suarez *cap*. 27. *num*. 5. & 6. differentiam sensuum allatam à D. Bonauent. ratione medij; eò quòd Gustus, & Tactus habent medium intrinsecum: cæteri verò sensus extrinsecum.

ARGVIT

Arguit autem contra; quia, non necessariò, hi duo Sensus per medium intrinsecum mutantur; imò etiam sine medio; nec cæteri per medium extrinsecum.

Respondetur, iam ex dictis suprà, præcipuè *in cap. 1. disp. quæst. 3.* patere, quomodo necessaria sint media sensibus; & quidem cutis non sentit calorem, vt supponit Suarez, sed nerui per cutem, nec distantem sentit; nec immutatur per aërem: Similiter, & vapor odorosus; licèt peruadat ad odoratum, defertur tamen per aërem, nec aliter peruaderet; aër verò defert etiam species, vt notat D. Bonauentura, *locis* omnibus *adductis* suprà: Similiter sonus defertur per aerem, nec satis probat Suarez, deferri immediatè vsque ad organum; at esto materialiter tantùm tangat organum, tamen species emittit per aërem deferentem: Similiter etiam sapor defertur sanè per humorem saliualem ad sensorium; habet enim organum gustus, medium extrinsecum, & intrinsecum. Per medium extrinsecum differt à Tactu; per intrinsecum à cæteris.

100 Adde, non ita differre, vt necessaria sint media extrinseca odoratui, visui, & auditui, & non emittant species, nisi remotè: puto enim, vndique emittere species, quia talis sint naturæ: Sunt enim obiecta propria sensuum; sed differentia in hoc sita est, vt hi vtantur mediis extrinsecis. Gustus verò, externo, & interno; & Tactus interno. Quod verò etiam Visus, & Auditus per medium intrinsecum sentiant, non probatur à Suarez.

Exponit autem ipse proloquium illud. Sensibile supra sensum, non facit sensationem, hoc modo, quia sensibile non est aptum inhærere sensui, & sentiri; nam sonus in aëre stat; sapor in corpore, mixto suæ temperiei, &c. Hæc tamen expositio inepta, & ridicula videtur, non enim dicit Arist. *2. de Anima, text. 75. 98. & 116.* Sensibile accidens, inhærens organo, tanquam in subiecto, *non facere, &c.* sed *supra sensum positum*, idest contiguum, vt dixi *cap. 1. disput. quæst. vlt.* Vel axiomata potius negare satiùs erit, quàm ad sensus tam remotos, ac peregrinos ea rapere.

An verò sensus Tactûs sentiat tantùm organi excellentias, dicam *cap. 6. quæst. 3.*

DE SENSV TACTVS.

CAPVT VI DISPVTATIONIS.

QVÆSTIO I.

De Obiecto Tactvs.

102 Tactvs est Sensus cognoscitiuus qualitatum primarum, & aliarum secundarum resultantium tangibilium: Suppono autem, non posse tangi, nisi corpus. Vnde Christus, Luc. vlt. *Palpate, & videte; quia spiritus carnem, & ossa non habet*: Ita Diuus Bonauentura, ad eum locum *Lucæ*. Tactus [illegible] em est duplex, Physicus, & Mathematicus, de quo D. Bonauentura *in 1. distinctione 33. artic. 1. quæstione 2. ad 5.* Sphœra tangit planum in puncto, & quidem Tactus experimentalis Mathematicus est cum Physico coniunctus.

Obiectvm igitur Tactus, sunt qualitates tangibiles, vt docet Aristoteles *2. de Anima, cap. 11.* Hæ qualitates sunt Calidum, Frigidum, Humidum, Siccum, Rarum, & Densum, Leue, & Graue, Asperum, & Lene; vt notat D. Bonau. *3. part. Centiloq. sect. 21.*

QVÆSTIO II.

An Tactvs *immutetur à suo Obiecto.*

Prima opinio astruit, Sensum Tactus, solâ mutatione reali mutari, non autem intentionali: Ita Toletus *3. de Anima, quæstione 2.* Vales. *lib. 2. Controu. cap. penult.* Hurtad. *disputatione 12. sectione 1.* Arriaga *disput. 4. sect. 1. subsect. 5.*

Secvnda opinio est, immutari etiam intentionaliter, & realiter: Ita omnes ferè Recentiores, quos adducit Ruuius, *2. de Anima, capite 11. quæstione 3.* 102

Tertia opinio est, immutari intentionaliter tantùm: Ita Diuus Bonauentura, *de Reductione artium ad Theologiam,* & *in 4. distinctione 49. part. 2. art. 3. quæst. 1. in corpore*, & *in Itinerario mentis, cap. 2.* & *serm. 11. Hexaëmer.* & *3. part. Centil. sectione 21.* D. Thomas *in 4. distinctione 44. quæstione 2. art. 1. quæstiuncula 3.* & *p. p. quæstione 78. articulo 13.* Consentiunt Thomistæ. Scotus *4. distinctione 44. quæstione 3.* Colleg. *2. de Anima, capite 11. quæstione 2. articulo 2.* Suarez, *libro 3. cap. 26. num. 5.* Mastrius *disp. 5. n. 214.* Ruuius, *loco citato, num. 33. & sequentibus*, vbi tamen immutationem naturalem, tanquam conditionem necessariam, prærequirit; hanc verò non esse alterationem naturalem organi; sed realem contactum obiecti tangibilis; nam species subitò, ac obiectum tangit sensorium, emittitur ad alterandum intentionaliter: Alteratio verò naturalis, putà calefactio, in aliqua mora sequenti, successiuè fit; hæc tamen non est sensatio: Imò Toletus docet, hanc immutationem esse per accidens sensationi.

Assero primò, necessariam esse immutationem per speciem intentionalem ad Sensum Tactus. 103

Probatvr à Diuo Bonauentura, *in 2. dist. 8. part. 1. art. 3. quæst. 1. ad 4.* ex Aristotele, *2. de Anima, text. 121.* vbi ait: *Oportet autem vniuersaliter de omni sensu accipere, quod sensus est id, quod est susceptiuum formarum sine materia, vt cera annuli, sine ferro, & auro, recipit signum: similiter autem, & sensus vniuscuiusque.* Idem habet *text. 123. & 124.*

Probatvr secundò à D. Bonauentura *ibidem*, ratione, quâ vtitur Ruuius hîc, *num. 30.* & *capite 10. secundi de Anima, quæst. 1. num. 17.* vt obiectum sentiatur, debent esse præsens intimè ipsi potentiæ secundùm modum illius: sed obiectum materiale non est satis præsens secundùm modum potentiæ, seu modo proportionato ipsi potentiæ: Ergo. Maior patet ex dictis *cap. 5. quæst. 1.* & *cap. 4. disput. quæstione secunda.* Minor probatur ibi; quia obiectum est omninò corporeum; potentia verò est spiritualis, & ideò nec calefit, nec frigefit. &c.

Idem

Idem habet Sanctus Bonauentura *libro 2. Compendij Theologiæ, cap. 35.*

RESPONDET Arriaga *disp. 4. sect. 1. subsect. 5.* & Mastr. *n. 172.* esse mera verborum terriculamenta: Si enim obiectum producit species spiritualiores se; cur non etiam sensationem valeat producere?

104 ENIM verò disparitas est luce clarior: nam, quia obiectum debet coniungi sensui, habet virtutem producendi species, vt possit ei proportionari, cùm alioqui nequeat; cùm sit nimis materiale: ex quo eruitur, vere ita esse; alioqui Deus, & natura frustrà concurrerent ad omnium sensuum species producendas, vt disserit Sanctus Doctor *serm. 11. Hexaemer.* & *Itinerario mentis, cap. 2.* Producit autem ens diminutum: At sensatio se tenet ex parte sentientis per cognitionem, quam obiectum eatenus potest, vt instrumentum, ad summum, causare, quatenus intentionaliter vnitur formali vnione cum potentia, penes quam est cognitio, & quacum debet facere vnum formale proportionatum, vt docet Aristoteles *3. de Anima, text. 37.* & cum eo S. Doct. *2. distinctione 7. part. 2. art. 1. quæst. 3. ad argument.* Ideò, cum potentia eleuetur super esse merè corporeum, habet, vt suscipiat formas sine materia, vt notat S. Doct, *in 2. distinctione 8. parte 1. art. 3. quæst. 2. ad argum.* cum Aristotele *2. de Anima, text. 62.* & omnibus sapientibus; hæc autem potentia receptiua esset frustrà, si posset obiectum sentire, vt stat corporeo modo physico; Et è contrà conuincitur, non posse sic vniri ob eandem rationem: Igitur cum nequeat sic vniri formaliter, debet producere speciem intentionalem, quam, etsi possit gignere; non tamen sequitur, posse sine ea vniri, aut operatione solà producere sensationes, quia debet concurrere, vt forma vnita; At forma exhibet se per id, quod est extrinsecè, vt patet in vnione materiæ, & formæ; Ex obiecto autem, ac intelligente fit vnum, sicut ex materia, & forma. Idem dic de sentiente cum suo obiecto: Itaque nequit in suo esse merè physico sensationem causare.

HÆC non sunt nuda vocabula, sed doctrinæ à sapientibus iuratæ.

HINC probatur tertiò è D. Bonauentura, *lib. 2. Comp. cit.* suppositis duobus principiis, traditis ab Arist. *2. de Anim. cap. 6.* Alterum est: Omnis sensus est potentia passiua patiens ab obiecto passione perfectiua intentionali. Alterum est: potentia prius quàm sentiat, est dissimilis obiecto, vt autem sentiat, debet assimilari obiecto; assimilatio verò fit per aliquam formam. Hæc non potest esse forma, naturali in statu posita, quia improportionata: Ergo assimilandum est obiectum per formam eiusdem ordinis intentionalem: Sic vrgent & Ruuius *numero 30.* & Suarez *cap. 26. num. 5.*

RESPONDET Mastrius negans, potentias aliquid pati, & recipere ab obiectis: Sed hoc est Solem negare, imò se ipsum, relatum à me *disputatione 4. quæst. 7.*

105 ASSERO secundò, Sensum Tactus non immutari realiter: Quamuis autem tangibile accedat ad membrum, quod est caro, vt docet D. Bonauent. *3. part. Centil. sect. 21.* attamen per hoc, quod est medium internum, vt dicam *quæst. 4.* defertur species ad sensorium, quod est Neruus.

OBIICIES primò. Vnio obiecti, cum potentia per speciem intentionalem sufficit, vt per eam concurrat cum potentia ad sui sensationem; Sed perfectiùs vnitur color, existens in igne ei approximato, per alium calorem sibi similem productum in organo, cùm iste longè sit perfectior specie: Ergo sentitur per illam.

RESPONDET Ruuius *loc. cit. num. 39.* sufficere speciem obiecti vnitam cum potentia, quæ, quia est imago intentionalis obiecti, vnit potentiam cum obiecto, modo intentionali, redditque eam similem obiecto in esse intentionali; ad hoc autem, (quod sanè est necessarium ad sensationem,) non est apta res merè corporea, quippè improportionata. Hæc responsio eruta est ex D. Bonau. *locis adductis hic,* & *disp. 4. cap. vlt. quæst. 7.*

OBIICIES secundò. Si aliquod animal, Diuinâ virtute, poneretur propè Solem, sentiret calorem Solis, non quidem in Sole; sed in se productum: Vnde superflua erit species. Imò, si Deus impediret quamcunque productionem speciei intentionalis, tamen animal illud calefieret.

RESPONDETVR, tunc animal primò calefiendum, velut lignum, insensibiliter; quia non esset proportionatum potentiæ: Sed calor ille innatâ virtute produceret speciem, per quam sentiretur, nisi esset impeditus. Hæc responsio ex doctrina S. Bonauenturæ, *locis adductis* eruta est; & ex *4. sent. distinctione 44. quæstione vltima, in corpore, & ad argumenta.*

OBIICIT sibi tertiò Ruuius *num. 42.* argumentum à se (ait) excogitatum. Quò magis alteratur organum; qualitas magis, aut melius sentitur ratione intentionali: Ergo sequitur, quòd perfectior qualitas, producit perfectiorem speciem, exprimentem illam intensiorem alterationem. Cùm igitur perfectior calefactio ad perfectiorem calefactionem intentionaliter sentiendam conducat; sequitur, quòd calefactio simpliciter, ad sentiendam simpliciter intentionaliter calefactionem requiratur. 106

RESPONDETVR ex D. Bonauentura *in 4. loco mox allegato.* Actionem naturalem, quâ ignis calefacit, esse omninò diuersam ab actione animali, quâ sensu percipitur; & quidem actio naturalis calefactionis est per contrarietatem expellendo frigus ex organo, quod successiuè, expellitur; Actio verò animalis per speciem intentionalem, non producitur à naturali, sed ab obiecto materialiter offerente speciem a se productam; ab anima verò se ipsa mouetur; vnde sequitur, nec perfici sensationem ad intensionem caloris. Dolor verò maior propter solam maiorem calefactionem sentitur, quia intensio maiorem causat distemperiem Organi. Idem respondet Ruuius, *num. 42.*

QVÆSTIO III.

An sentiantur soli excessus Obiecti: an etiam gradus æquales internis.

QVÆSTIO est: An si obiectum, putà saxum, sit æquè calidum, ac manus, sentiretur calor eius. Aliqui enim asserunt, qualitates sentiri in quouis gradu. 107

ALII concedunt, sentiri solùm excessus: Ita Buridanus, ac Recentiores. D. Bonau. *loco afferendo,* videtur annuere, actione intentionali, simile agere in tactum similem in gradu.

TERTIA opinio media est, primarum solùm qualitatum

qualitatum sentiri gradus excedentes: Sic Murcia 2. *de Anima, disp.* 10. *quæst.* 2. Auersa *quæst.* 54. *sec.* 14. subscribunt Mastrius, & Bellutus, *disp.* 5. *num.* 203. Adducunt, aliarum qualitatum sentiri omnem gradum, siue intensiorem, siue remissiorem: Et quoad priorem partem est sententia Scoti, *quæst.* 15. *de Anima, ad primum principale:* Et Aristotelis 2. *de Anima*, *textu* 118. & Interpretum. Ita Diuus Bonauent. innuit, *serm.* 2. *D. Laurentij*, non sentiri primas qualitates remissiores.

ASSERO, vt probabile, Qualitatum primarum solos sentiri excessus.

PROBATVR ratione Aristotelis. Omne recipiens debet esse denudatum naturâ recepti; nam *intus existens prohibet extraneum.*

PROBATVR verò experientia: Manu enim calida intensè non percipimus calorem aquæ tepidæ, sed potiùs frigus superans calorem eiusdem.

PROBABILE assero secundò; In aliis qualitatibus sentiri etiam remissiores.

108 PROBATVR; nam minorem mollitiem sentimus, quàm sit in manu tangente, minorem grauitatem, &c.

RESPONDENT Complutenses, minorem mollitiem sentiri solùm per accidens, quatenus sentimus maiorem duritiem, sicuti de calore remisso dixistis; quia sentitur maior frigus.

CONTRA; Nam si duos digitos confricees, senties æqualem in vtroque mollitiem; ergo potest sentiri etiam remissior. Addit Ful. 3. *Phys. cap.* 5. *art.* 4. sentiri æqualem calorem.

PROBATVR à Mastrio, quia maior mollities, non impedit, quin obiectum minùs molle, emittere queat species, quia emissio specierum est æquiuoca, non vniuoca; at agens æquiuocum agere potest in simile, si subiectum est capax. Id niti videtur Seraphico *in* 4. *dist.* 44. *quæst. vlt. ad primum*, vbi eandem affert rationem; sed in genere quod simile potest ad tactum mittere species, vt dixi, *tract.* 5. *disp.* 17. *quæst.* 3.

CONTRA Mastrium ergo sic insisto ad hominem, ratione Sancti Bonauent. Agens æquiuocum potest actionem habere in simile capax: Sed omnes qualitates, etiam primæ, intentionali actione in Tactum capacem agunt æquiuocè: Ergo agere valent in Tactum similem, secundùm qualitates omnes. Totum est Mastrij.

NEQVE diluetur dicendo, rationem esse diuersam; quia primæ qualitates non percipiuntur, nisi præuia naturali alteratione; vnde negandum est, esse capacem.

CONTRA, quia impressio præuia Physica requiritur ratione materialitatis tactus: Ergo vel in omni eius obiecto præexigitur, vel in nullo.

ENIM verò quia Sanctus Doctor, si penitiùs inspiciatur *loc. cit.* loquitur hoc sensu, posse qualitates, putà calorem, agere intentionaliter in obiectum non contrarium, etiamsi dissimile, putà calorem ignis, in spiritum, qui non sunt contrarij, cùm sub eodem genere non distent summè; Ideò omnia in probabilitate expressa relinquo.

QVÆSTIO IV.

Quodnam sit Organum TACTVS.

QVÆSTIO non vrget de partibus insensitiuis, 109 vt sunt ossa.

OMITTO opinionem Themistij *in sua Paraphrasi, cap.* 39. *&* 40. Simplicij *in textu* 116. ponentium organum tactus solùm in corde, eò quòd Aristoteles, *lib. de Sensu, & Sensibili, cap.* 2. & *lib.* 2. *de partibus Animalium, text.* 10. sensum Tactus, imò & Gustus, docet, sedem habere in Corde.

PRIMA opinio ponit Sensorium Tactus in quibusdam neruis per totum corpus, ad modum retis diffusis; medium verò carnem. Ita Commentator 2. *de Anima, com.* 16. Galenus, *primo, de vsu partium, cap.* 16. Fernelius, *de facultate Animæ, cap.* 6. Vessal. *lib.* 6. *cap.* 17. Albert. 2. *de Anima, art.* 3. *cap.* 31. Ægidius, *ad text.* 108. Bannes, *p. p. quæstione* 78. *art.* 3. *ad* 2. *de Tactu.* Complutenses, *disp.* 14. *quæst.* 4. Ioan. de S. Thoma *quæst.* 5. *art.* 6. & alij: Eandem videtur sequi Scotus *de Anima, quæst.* 2. *&* 28. vbi Cauellus, *in adnot.* & Regentes Parisienses 2. *de Anima, quæst.* 2. *& quæst.* 4. *collater.* D. Thom. *de Anima, Lec.* 2.

SECVNDA sententia est, etiam Carnem, & Cutem esse sensorium Tactus. Ita Auer. *lib. de Sensu, & Sensibili, cap.* 2. & *lib.* 2. *collect. cap.* 8. *&* 13. Alex. 2. *de Anima, cap. de Tactu.* Prouenzal, *part.* 2. *de Sensibus, cap.* 51. Philoponus ad *text.* 116. Auicen. 6. *naturalium, part.* 2. *cap.* 3. Fernelius, *lib.* 5. Physiol. *cap.* 3. Simon Portius, *lib. de dolore, cap.* 10. Tolet. 2. *de Anima, quæst.* 3. Colleg. 2. *de Anima, cap.* 11. *quæstione* 1. *art.* 1. D. Thom. *Opusc.* 43. *cap.* 3. Suar. 3. *de Anima, cap.* 27. Ruuius, & Dandinus 2. *de Anima, cap.* 5. Eustachius, 3. *part. tract.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 20. Auersa, *quæst.* 54. *sec.* 13. Hurtad. *disp.* 17. *sec.* 3. Arriaga, *disp.* 5. *sec.* 1. *subsec.* 5. Ful. 3. *part. cap.* 5. *artic.* 4. Morisan. *disp.* 2. *quæst.* 13. Mastrius, & Bellutus, *disp.* 5. *num.* 186. subscribit Sanctus Bonauentura, 3. *part. Centil. sec.* 21. & *in* 2. *dist.* 8. *part.* 1. *quæst. vlt.* Et *lib.* 2. *Compend. Theol. quæst.* 33. & 3. *part. stimuli Diuini amoris, cap.* 14. & *in Meditationibus* 110 *Christi, cap.* 76. vbi carni Christi dolorem adscribit sensibilem. Hæc Sententia fundatur experimentis; nam dolorem sentimus in carne incisa, & ne dicant sensationem fieri in neruis propinquis. Contra est; nam sentitur dolor in Corde, & Hepate, Pulmone, Pericranio, & similibus, in quibus non sunt nerui, iuxta communem Anatomicorum sententiam.

ASSERO, Neruos esse præcipuam sedem sensus Tactus.

PROBATVR experimento; nam ibi terribilis dolor sentitur, & voluptas. Ideò in carne neruosa maximè sentitur.

ASSERO secundò, Carnem esse medium Tactus, videtur probabile.

PROBATVR à Diuo Bonauentura *locis adductis*, 111 præcipuè *in Compend. Theolog.* ex Aristotele 2. *de Anima, cap.* 11. Sensibile supra sensum non sentitur; sed posito tangibili supra carnem, sentitur; Ergo non est organum Tactus, sed medium. Maior vniuersalis probata est, *cap. primo huius disput. quæst.* 3. Minor patet.

Assero tertiò: Probabile est, etiam carnem esse organum Tactus, ne dum medium.

Probatur à Doctoribus hîc, Argumento experimentali, quo vtitur Diuus Bonauentura *locis* suprà *adductis*; quia si Caro pungatur, vel laceretur, sentitur dolor, vt suprà dixi.

Respondent, Carnem sentire, ratione neruorum, quibus adnectitur.

Instat Ruuius, *num.* 7. quia aliquæ partes sentiunt dolorem, quæ non intexuntur neruis, vt Cor, & cætera suprà relata.

112 Respondent, Cor fibris neruosis compaginari.

Imò vrgent, si posset sentiri tangibile immediatè, possent sentiri qualitates inhærentes ipsi organo; sed hoc est contra experientiam; alioquin, cùm sensorium semper habeat aliquos gradus primarum qualitatum, essemus in continua sensatione Tactus, vt infert ipse Ruuius *3. de Anima, cap.* 11. *de sensu Tactus, quæst.* 3. *art.* 64.

Dices S. Bonauent. *in 3. dist.* 13. *dub.* 1. docet, sensum Tactus in vnione obiecti ad potentiam consistere; non loquitur autem de vnione intentionali, vt patet in littera. Sanè enim & aliis sensibus hoc commune est; & in hoc, ipsum Tactum ab aliis distinguit.

Non requiritur sanè medium externum, putà Aër, vel Aqua, contra Auerroëm 2. *de Anima, com.* 113. Ægid. *ibidem*; sed neque internum ex Diuo Bonauentura; sed quandoque per accidens interuenit. Ità sentiunt communiter alij, præcipuè Scotus, *quæst.* 3. *de Anima*, & 8. *Methaph. quæstione tertia.*

Quod non requiratur medium externum, probatur: Nam Aër, & quodcumque corpus fluidum immediatè nos tangit, & sentitur calor Aëris, & Aquæ, immediatè tangentium, si valdè calidi; vel frigidi sint.

Quod neque requiratur medium internum, nempè Caro, probatur; Quia in ea sentitur immediatè dolor, vt dixi.

113 Oritur verò quæstio; An qualitas, quæ Tactu sentitur, sit in organo, vel in obiecto tangibili. Aliqui volunt, solam qualitatem in organo percipi à Tactu.

Alii docent, solam qualitatem obiecti sentiri, non autem Organi.

Ita Ioan. de Sancto Thoma, *quæst.* 7. *artic.* 7. Suarez, *lib. 3. de Anima, cap.* 26. Ruuius, *tract. de Tactu, quæst.* 5.

Alii docent, vtramque percipi: Sed & hi diuisi sunt; nam Auersa, *quæst.* 54. *sec.* 15. loquendo de primis qualitatibus actiuis (Nam de secundis omnes concedunt, percipi eas solùm, quæ sunt in obiecto) admittit, qualitatem obiecti simpliciter sentiri; distinguit tamen de qualitatibus Organi; nam si sunt in temperamento connaturali, asserit non percipi; si verò excedunt; tunc ait cognosci. Cauellus suprà, *quæst. 3. de Anima*, & Complut. *disp.* 14. *quæst.* 1. aiunt, qualitates organi non percipi ab ea parte, in qua reperiuntur, sed à parte propinqua.

114 Toletus 3. *de Anima, quæst.* 2. Vales. *lib.* 2. *Controu. Medic. cap. penult.* sustinent, qualitatem Obiecti percipi dependenter à qualitate Organi; vt hæc possit sine illa cognosci; non tamen è contra.

Mastrius, & Bellutus, *disp.* 5. *num.* 200. docent, qualitatem obiecti per se percipi à Tactu, non per qualitatem organi. De hoc tamen esse dubium; an percipiatur. Primam partem asserit etiam Scotus, 3. *dist.* 15. *art.* 1. & *in* 4.

Quod sentiatur qualitas in obiecto, probatur: Si manum frigidissimam approximes igni, sentitur dolor vehemens ob calorem extra; nam calor in organo est paruus: Similiter, dum manum propè ignem tenemus, percipitur maximus calor, qui ampliùs non sentitur, amoto igne; Et tamen calor in manu productus statim, amoto igne, euanescit, quod indicat calorem illum manui fuisse inflictum.

Quod verò probabile sit, non sentiri qualitates organi, probatur, quia neque in aliis sensibus, sentitur qualitas Organi: Sic Lingua non percipit proprium saporem, neque etiam Tactus sentiet propriam duritiem, aut mollitiem; alioquin essemus semper in continua sensatione Tactus; Ex fine id etiam colligitur: Natura enim sensum Tactus dedit, vt noxia fugiamus, & conuenientia sequamur; quare videtur ordinatus ad solas externas qualitates euitabiles sentiendas.

In contrarium est tamen, quia febricitantes sentiunt calorem, per membra diffusum, & qui stat propè Solem, sentit vehementem calorem; non Solis, quia caret calore formali: Ergo in seipso existentem. Adde, si ignis non produceret calorem in manu vicina, non sentiretur; at verè experimur calefieri, & amoto igne, conseruari calorem: Hæc oppositam sententiam reddunt probabilem. 115

Attamen dico, ea non conuincere; nam calor febrilis extraneus, est in humoribus ardens, accendens Cor. Calor à Sole accensus est in aëre, radiorum reflexione. Melior ratio est, quia calor educitur de potentia materiæ in passo ab agente; non enim transmigrat calor agentis in passum calefactum.



DISPVTATIO VI.

DE SENSIBVS INTERNIS.

Postquam Sensus externi, res materiales sufficienter per varios organorum meatus colauerint, & crassioribus qualitatibus (quantum licuit) exuerint, puriores species in Sensus internos ad spiritualiùs agendum confluunt.

Incipimus itaque hic cum Aristotele *3. de Anima, cap.* 3. agere de Sensibus internis: Hos dari ostendi *disput.* 4 *cap.* 1. *quæstione* 7. Nam bruta operantur è notitia etiam Obiectorum anteà perceptorum: At Sensus externi, obiecta tantùm præsentia respiciunt. Hæc identidem refricabo.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quot sint SENSVS *Interni.*

1 PRIMA opinio vnicum tantùm Sensum asserit, quem ex variis operationibus variè denominari dicunt, Sensum scil. communem, Phantasiam, &c. Ita Alex. 2. *part. quæst.* 7. *in* 2. Ruuius 3. *de Anima, cap.* 3. *quæst.* 1. Suar. 3. *de Anima, cap.* 30. Eustach. 3. *part. tract.* 3. *disp.* 3. Tartaretus 2. *de Anima, disp.* 2. Cauellus suprà, *quæstione* 9. *de Anima*, Mastrius, & Bellutus, *disp.* 5. *num.* 294. qui addunt etiam Hurtadum, *disp.* 17. *sec.* 7. Dandulum, Ful. 3. *Phys. c.* 6. Guenarium, Philaltæum.... Auers. 9.55. *sec.* 3. Arriagam *disp.* 5. *sect.* 4. Meriner. *disp.* 2. *quæst.* 2. *in tertium de anima*, Villauerd. *cap.* 7. §. 9.

SECVNDA Sententia ponit quinque Sensus Internos: Sensum Communem, Imaginationem, Phantasiam, Æstimatiuam, & Memoriam. Ita Auicenna 6. *naturalium qq. quæst.* 4. *cap.* 2. Albert. *in* 2. *de Anima, tract.* 4. *cap.* 7. & *lib.* 3. *tract.* 1. & *in summa de homine, tract. de Imaginatione*, Algazel. *in lib. de Anima, tract.* 4. *cap.* 4. Iandunus *quæst.* 37. *eiusdem libri.* Anton. Andr. 10. *Metaph. quæst.* 5. Catharen. *quæst.* 4. *art.* 3. Rabesan. *disputatione* 7. *quæst.* 2.

TERTIA Sententia quatuor sensus ponit: Vnum constituentem Imaginatiuam, & Phantasiam, cæteris cum priori sententia datis. Ita Auerroës 3. *de Anima, com.* 6. D. Thom. *prima primæ, quæst.* 78. *art.* 4. Caiet. Bannes, & alij Thomistæ; Ioan. de S. Thoma, *de Anima, quæst.* 8. *art.* 1. Complut. *disp.* 15. Regentes Parisienses 2. *de Anima, quæstione* 3.

2 QVARTA Sententia tres sensus ponit internos, Sensum Communem, Æstimatiuam, & Memoriam: Vult autem, Imaginatiuam, Phantasiam, & sensum communem, esse eundem. Ita Galen. *lib. de diff.* 1. *symptom. cap.* 3. Vales. *lib.* 2. *Contrau. cap.* 22. & Piccolom. *de Sensu interiori, cap.* 7. D. Damascenus 2. *de Fide, cap.* 17. D. Gregor. Nyss. *lib.* 4. *de erroribus animæ, cap.* 6. & Fernel. *lib.* 5. *Physiol. c.* 4.

ALII ex Imaginatiua, Phantasia, & Æstimatiua, vnum statuunt, cui addunt Sensum Communem, & Memoriam. Ita Tolet. 3. *de Anima, quæst.* 6. Contaren. *de Anima, quæst. de Sensibus internis*, Faber. *Theoremate* 100.

QVINTA Sententia duos constituit, Phantasiam, & Sensum Communem Ità Fons. 8. *Methaph. cap.* 28. *quæst.* 7. *sec.* 4. Colleg. 3. *de Anima, cap.* 3. *quæst.* 1. *art.* 3. Marcellus, Petrus Martinez. Foroliuien. Prouenzal. & alij apud Auersam.

3 S. BONAVENTVRA, quem profectò sequi intendo 3. *part. Centil. sec.* 21. ex Anatomica diuisione sinuum Cerebri, tres distinguit Sensus internos.

PRIMVS est Imaginatio, quæ & Phantasia dicitur, & Sensus communis. Dicitur Sensus communis, quatenùs ibi terminant sensus quinque externi tanquam lineæ in centro, ibique ligantur, atque adeò omnibus sensibus externis præsidet, sensationes, atque sensata eorum percipiens; & discernens inter sensatum per Visum, & sensatum per Auditum, ac sic de reliquis.

PROBATVR verò, distingui à Sensibus externis; quia discernens inter duo, debet vtrumque cognoscere. At sensus externi id nequeunt, licèt Visus, *verb. grat.* valeat discernere à colore, cùm libentiùs in vnum quàm in alium inspiciat; nequit tamen discernere colorem ab odore, sono, &c. Percipit verò tot obiecta varia, quia est potentia perfectior, & veluti fons quinque sensuum; nam ab eo deriuantur, & in eo terminantur, vt ait etiam Diuus Augustinus 12. *in Genes. ad loc. cit.* 26. Ita Diuus Bonauentura *locis citatis*, Suar. 3. *de Anima, cap.* 30. *num.* 3. Dicitur Imaginatio, quia repræsentat formas priùs receptas à particularibus sensibus, etiam in absentia obiectorum; & hoc nos experimur, vt patet in dormientibus, atque etiam in vigilantibus, qui circa ea imaginantur, etiam non operante aliquo sensu externo: Dicitur etiam Phantasia, quatenùs potest componere formas nouas, secundùm similitudinem eorum, quæ percipit per sensus externos, vt ex monte, & auro componimus montem aureum; & ex multis membris plurium animalium, vnam constituimus Chimæram: Hic sensus viget, ac residet in anteriori sinu Cerebri.

SECVNDVS Sensus dicitur Æstimatiua, quam Sagacitatem, vel Prudentiam in Brutis nominamus circa appetenda proficua; & fugienda nociua. In quo mirabilia experimur circa irrationalia, vt in Vulpe cautiones; in Oue fugas; in omnibus astus: Hic sensus externa sensata nouâ ratione insensatâ percipit, vt dixi, *Disputatione* 5. *capite vltimo*, *quæstione* 15. & 16. Hic sensus in medio Cerebro erigitur: Vide Diuum Bonauenturam, *Opusc. Declaratio termin. Theologia*, & *lib.* 2. *Comp. Theol. cap.* 38. 4

TERTIVS Sensus dicitur Memoria, quâ retinet Animal species perceptas. Huius virtute, Canis recordatur, ac refugit locum, vbi percussus est; Asinus rupem, vbi cecidit, &c. Hic sensus in posteriori sede Cerebri habet domicilium. Hæc D. Bonauent. ibi.

LIBRO verò secundo *Compendij Theologicæ veritatis*, *cap.* 34. Distinguit quinque Sensus internos apprehensiuos, Sensum communem, Imaginationem, Æstimatiuam, Phantasiam, & Memoriam.

Ex his Imaginatiuam, Æstimatiuam, & Phantasiam, notat percipere præcipuè singularia secundùm situm partium, lineamenta, & quantitatem.

ADDIT verò, has Potentias omnes ita se habere, vt quod vna apprehendit, alia retineat; & quæ est retentiua, requirit complexionem à dominio frigidam, & siccam; quæ verò recipit, humidam exigit.

PROBAT S. Doctor, Sensum communem distingui ab Imaginatiua; supponit autem, *cap.* 36. Sensum communem duo habere officia; alterum est indicare sensationes sensuum externorum, vt diximus cum eo, *disputatione* 4. *quæst. vlt.* Alterum est, multa sensata comparare dicendo, vnum dulce, aliud dulcius esse. Deinde *cap.* 37. supponit, Imaginationem non apprehendere obiectum solum præsens, vt facit etiam Sensus communis; sed etiam absens. 5

HINC eruitur ab eo distinctio: Duæ virtutes, quarum altera est in abstractione eleuatior, quàm altera, distinguitur ab illa: Sed Imaginatio est abstractior Sensu communi; nam considerat res etiam absentes: Ergo. Hac ratione vtitur etiam D. Thom. *loc. cit.* & alij primæ opinionis.

CONFIRMATVR; nam penes diuersos ordines, & modos satis distinguuntur Potentiæ.

Secundò probatur à Diuo Bonauentura hîc, *cap.* 36. in fine, *&* 37. ac *tertia parte Centil.* quia diuersitas temperamentorum in organis, arguit diuersitatem potentiarum; sed pro sensu communi requiritur temperamentum oppositum organo Imaginatiuæ: Ergo. Minor probatur; nam Sinus Sensus communis est medullosus, à prædominio humidus, & talis esse debet ad recipiendum: Organum verò Imaginationis, quæ est veluti thesaurus specierum, etiam absente obiecto, debet esse siccum: Ergo. Hac ratione vtitur etiam Diuus Thomas, *loco citato.*

6 Probat verò *cap.* 39., distingui Phantasiam atque Imaginatiuam ab Æstimatiua. Supponit autem hîc, & *in* 2. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæstione* 3. Phantasiam dici græcè φανὶς prima apparitio, ab φῶς, quod est Lumen, ita dictum; quia facit, res apparere, omnia enim manifestantur in lumine: (Hæc enim sensibilia absentia, facit diuersis modis apparere per compositiones phantasmatum) Tunc sic: Maior virtus requiritur ad insensatam notitiam, è rebus diuersis sensatis eliciendam, quàm ad ex ipsis merè sensatis sensatam cognitionem educendam; Sed Æstimatiua percipit intentiones conuenientes, vel noxias, non sensatas per sensus: Ergo requiritur potentia perfectior ad has intentiones insensatas percipiendas, quod fit per Æstimatiuam, quam ad sensatas cognitiones habendas, quod fit per Sensum communem, & Imaginatiuam.

Probatur secundò: Longiùs se habet Æstimatiua ab Imaginatiua, ac Sensu communi, quàm se habeat Intellectus practicus à speculatiuo: Sed Intellectus practicus, & speculatiuus differunt aliquo modo: Ergo, magis Æstimatiua cæteris. Maior à Sancto Bonauentura probatur; quia Sensus communis solùm sensatas species haurit, easque Imaginatiua seruat: Ideò ad imaginationem solam non sequuntur affectus desiderij, fugæ, delectationis, tristitiæ, &c. At Æstimatiua, omnia hæc suscitat, formando nouas species insensatas, quæ vtilia, & noxia; amicos, & inimicos discernant: Hæc porrò Intellectus practicus non ita diuersa à speculatiuo obtinet, cum sola specie speculatiua extensa ad opus tendat; eò minùs, quò in potentiis superioribus colliguntur sparsa in inferioribus.

7 Probatur tertiò; quia exigit organum diuersum, spiritibus plenum.

Capite trigesimonono probat, Phantasiam ab aliis distingui; nam maior virtus requiritur ad componendam è multis variis vnam speciem, quam ad singulas accipiendas: Sed Phantasia habet virtutem componendi Imagines cum Imaginibus, *verbi gratiâ*, album, & nigrum; caput Leonis, & collum Gruis, Pectus Equi, pedes Aquilæ, &c. Habet virtutem etiam componendi intentiones, seu species insensatas; vt, cùm Ouis apprehendit nato Agno præbenda vbera; & alienum repellendum; componit etiam imagines cum intentionibus; vt, cùm Ouis apprehendit formam Lupinam esse vitandam: Ergo, &c. Hinc deducit Sanctus Bonauentura ibi, summam cognitionem, quæ possit haberi per Animam sensitiuam, haberi à Phantasia: Per hanc enim non modò scit præsentia, sed præuidet in futurum: Per hanc Animalia constituunt sibi Casas, & de cibo prouident ad multum tempus: Per hanc Animalia discernunt.

Hanc facultatem à vulgo Cogitatiuam vocari, dicit Sanctus Bonauentura; sed addit, verè Cogitatiuam esse facultatem rationis. Vide ibi multa in Sancto Bonauentura eximia, quæ retuli, *disp.* 4. *quæst.* 15.

Capite denique quadragesimo ostendit, memoriam à cæteris discerni; est enim Bibliotheca, in qua reseruantur intentiones elicitæ per Æstimatiuam, sicut Imaginatiua conseruat species à Sensu communi receptas.

Anima sanè ob memoriam reuertitur per species ad sensibilia, quæ sunt extra; sic egreditur Canis ad reuidendum, seu recognoscendum eum, à quo percussus fuit; Asinus ad recognoscendum locum, vbi cecidit; vt apprehendat, fugienda hæc, vt noxia; sic & Ouis exit ad memorandum tale animal villosum, oculis sanguineis, cauda ampla, odore tali fœtidum, sibi necem intentasse, & ad fugam impellitur. Ad hoc autem requiritur, vt species sensata à sensu communi ex particularibus accepta, ab Imaginatiua custodita sit; Et species insensata, indè formata ab Æstimatiua, seruetur in memoria, quæ reuertitur ad indicendam appetitui fugam Lupi. 8

Aduertit hinc Sanctus Doctor differentiam Imaginatiuæ, & memoriæ; nam vtraque sanè species conseruat; sed illa sensatas; hæc insensatas.

Assignat etiam differentias inter Memoriam, & Reminiscentiam. Prima est, quia Memoria discretè, & distinctè reuertitur ad præterita, componendo species insensatas, seu conuenientias; & inconuenientias cum Imaginibus præteritis distinctas. Reminiscentia autem, siue Recordatio, motu per obliuionem reciso, & intercepto, reuertitur, resumendo notitiam ex comparatione loci, temporis, & aliorum; vndè vestigia rei, ante cognitæ, ac oblitæ, recalcat, inquirens è pluribus memoratis notitiam: Vt si ego vadam Venetias in plateam Diui Marci; occurrit mihi, aliàs me vidisse homines, ibi colludentes; sed oblitus singularia; quæro à me, qui homines? quo situ? quo loco? quo tempore? quas fecere actiones? &c. Hinc Reminiscentia aliquid supponit in Memoria retentum de eo ludo; Si enim omninò oblitus essem, nequiret Reminiscentia recordari illius facti. 9

Ex dictis, habes aliam differentiam Memoriæ, & Reminiscentiæ: Nam Anima, vt oblita resumat, reuertitur ad inuestiganda multa reseruata in Intellectu, seu Memoria intellectiua, eáque considerat, componendo, diuidendo, discurrendo, deducendo. Sic in casu relato differit, non fuisse tales homines nobiles; quia mimicè vestiti; non eruditos, quia ineptè locuti; non Senes, quia graciles ad saltus. Hinc arguit, fuisse Histriones, &c.

Hinc colligit Sanctus Doctor, Reminiscentiam in homine esse, non in brutis, in quibus tamen vrget memoria, quam in Cerebello ponit sicciori, apto ad retinendum, inde enim non longè oriuntur nerui sicci, &c.

Sicut autem Reminiscentia, est circa præterita; ita Cogitatiua circa præsenita sensibilia cum quadam rationis operatione.

Hæc è Seraphico eruere Moderni, inter quos Ruuius *tract. de Sensibus*, *quæst.* 2. qui tamen, vt dixi, hæc concedit sanè plura esse munera, sed eiusdem potentiæ. Idem agit Suarez, *Coll.* Tolet. & alij, *locis allegatis.*

In

10 In hoc tamen loco obseruo à S. Doct. distingui Æstimatiuam à Phantasia, & Imaginatiua, sicut Intellectus Speculatiuus, qui extensione fit practicus, vt docet Aristoteles 3. *de Anima*, *text.* 49. Hoc autem modo intelligi etiam posse videtur ad mentem Diui Bonauenturæ, *in* 2. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *argum.* 2. *addito responso*, quod sicuti illa eadem potentia, quæ dirigit in considerando, postmodum regulat in operando, atque adeò est vna eademet potentia; quia extensio est eiusdem; Ità & Imaginatiua extenditur ad praxim æstimatione. Hoc tamen differentiam reddit maiorem, quòd Æstimatiua non recipit ab Imaginatiua species, sicuti Intellectus practicus accipit a speculatiuo; sed ipsa species cudit insensatas, vt *disputatione* 4. *cap. vlt. quæst.* 15. dixi *in dub.* Vnde erui, eam esse præstantiorem: Deindè, quia Intellectus est nobilior; atque adeò speculatiuum, & practicum, diuisum in parte sensitiua, vnitur in superiori. Id autem intendit Sanctus Doctor, *in Compen. loc. cit.* Alioqui non posset stare propositum sustinendi numerum quinarium Sensuum internorum.

Enim verò non repugnat numero trinario, asserto *in Centil.* Sensuum internorum; sed hic magis è muneribus ampliat. Stabo tamen Centiloquio, cùm ibi certiùs agnoscatur Seraphici sententia.

11 Assero igitur, Tres tantùm esse Potentias sensitiuas.

Probatvr à Fauentino, *Theor.* 100. *cap.* 1. argumento D. Bonau. *loc. cit. Centil.* Quia organa diuersa, diuersis potentiis adaptantur: sed in Cerebro sunt tres sinus: Ergo.

Declinat verò Faber cùm Scoto à D. Bonau. quia hos tres asserit: Primum Sensum communem. Secundum Phantasiam, seu Imaganatiuam. Tertium Memoriam.

Assero secundò: Hos tres sensus esse Sensum communem, Æstimatiuam, & Memoriam.

Probatvr à Fauentino, *cap.* 2. argumento D. Bonauent. adducto: Potentia illa distinguitur ab alia, quæ oppositum temperamentum exigit: Sed potentia primò apprehensiua interna, quæ profectò est Sensus Communis, requirit temperamentum, oppositum organo Æstimatiuæ, & Memoriæ: Ergo. Probatur Minor; nam organum apprehensiuæ debet esse humidum, & frigidum ex Aristotele,
12 *lib. de Memoria, & Reminiscentia.* Organum enim apprehendens debet esse Molle; at Organum Memoriæ retentiuum, debet esse siccum; debet enim durum esse. Similiter organum Apprehensiuæ primæ, & componentis phantasmata, debet esse molle. Similiter, & Imaginatiuæ: De facili repræsentans obiectum, debet esse frigidum, ne perturbetur species agitatione caloris; Similiter & Organum Memoriæ; At organum medium est calidum ex frequenti copia spirituum, vt velociter operetur æstimando, vt excitet ad fugiendum sensibile malum; & prosequendum bonum conueniens. Neque dicant, ventriculum medium Cerebri esse multiplicem: Nam, vt obseruant Anatomistæ, est vnius, veluti canalis ex omni parte æqualis, vt notat etiam Fauentinus, *loc. cit.* Tolet. 3. *de Anima*, *quæst.* 3. *conclus.* 1. Bartholinus, *lib.* 3 *cap.* 6. Vide *Tract.* 8. *disp.* 4. *quæst.* 33. vbi Capitis Anatomiam habes.

Qvod verò Imaginatio, & Phantasia sint vnum; Probatur ex Aristotele 3. *de Anima, cap.* 3. vbi Imaginationi tribuit proprium actum Phantasiæ, vt patet *text.* 55. vbi ait: *Igitur Imaginatio est, secundùm quam Phantasma aliquod in nobis dicimus fieri.*

Probatvr ratione: Quia Imaginatio, & Phantasia dicuntur distinctæ, quia illa species simplices apprehendit; hæc verò componit; at hoc non arguit distinctas potentias, quia non potest potentia componere species simul, nisi simplices priùs cognoscat.

Qvod verò Phantasia, & Imaginatio, non differant à Sensu communi, probatur ex Aristotele, *libro de memoria*, & *reminiscentia*, *capite primo*, vbi ait: *Phantasma sensus communis passio est.* Tunc sic: Phantasmata pertinent ad sensum communem, tanquam passio eius, aut affectio; hæc autem est species phantasiæ: Ergo eadem est potentia.

Probatvr ratione: Quia etiam Phantasia ap- 13
prehendit sensibilia præsentia, sicuti Sensus communis; non enim posset cognoscere obiectum absens, nisi ab obiecto præsenti, receptâ specie; non enim obiectum sensibile potest mouere potentiam, nisi sit præsens.

Ex quo habeo, non posse Phantasiam, aut aliam potentiam sensitiuam poni, quæ versetur circa obiecta tantùm absentia.

Fvndamentvm eorum, qui plures ponunt Sensus internos, est multiplex operatio; sed hoc iam euulsum est.

Fvndamentvm eorum, qui vnicum Sensum ponunt; est, quia non habetur vrgens necessitas ponendi plures sensus; cùm per vnicum, ea omnia portari queant; non est autem in nobis ponendum aliquid superfluum: Ita Ruuius, & Suarez, *loc. cit.* post Alensem 2. *part. quæst.* 17. *m.* 2. Tartaret. 2. *de Anima in fine.*

Respondetvr tamen ex dictis constare, non esse superfluos plures sensus, sed probabiliter demonstratos. Pluribus non immoror, cùm hæ quæstiones probabiliter vtrinque sustineantur, nec admodum graues sint: Saltem hos sensus formaliter differre, probatur ex Aristotele, *lib. de insomniis, & imaginationibus, cap.* 1.

QVÆSTIO II.

De Organo *Sensuum Internorum.*

Prima opinio est Aristotelis, Sedem Sen- 14
suum internorum esse Cor. Ita *secundo, de Generatione Animalium*; *capite quarto*, *lib.* 5. *capite tertio*, *lib.* 3. *de partibus Animalium*, *capite tertio*, *& quarto*, *lib. de Iuuentute*, *& Senectute*, *cap.* 1. *&* 2. *de somno*, *& vigilia*, *capite secundo*, Auerroës, *lib.* 2. *de partibus Animalium*, *cap.* 7. & in collectanea, *libro secundo*, *cap.* 11. Auicen. *Doctrina* 6. *cap.* 10. Apoll. *secundo, de Anima*, *quæstione vigesimaseptima*: Iandunus, *de Somno, & Vigilia*, 49. Prouenzalis, & alij apud Auersam, *quæstione* 55.

Secvnda opinio est, sedem esse Cerebrum. Ita Galenus, *libro octauo*, *de vsu partium*, *cap.* 3. *&* 4. & *libro septimo de Decretis*, quem sequuntur Diuus Thomas, 3. *part. quæstione* 8. *artic.* 1. *&* 6. *& quæstione* 66. *articulo* 7. *ad* 3. Albert. *in primo de Anima*, *tractatu* 4. *capite vndecimo*, Toletus 3. *de Anima*, *quæstione* 5. Colleg. 3. *de Anima*, *quæstione* 1. *artic.* 4. Et est communis inter Recentiores, cui applaudit Ruuius 3. *de Anima*, *tract. de Sensibus internis*, *quæst.* 7. Suar. 3. *de Anima*, *cap.* 31. *num.* 5.

Hanc Sententiam amplexus est Sanctus Bonauentura, 3. *part. Centil. sec.* 21. *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 36. *& sequentibus.* Præcipuè hanc quæstionem hinc inde probabiliter exagitat S. Bonau. *in* 3. *sent. dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad argumenta,* vbi comparat influxum capitis in membra, cum influxu Christi in Ecclesiam, cuius ipsum esse caput ostendit *præcedentibus quæstionibus*; eò quòd motum, & sensum illi influit.

15 Assero cum hac sententia, Sedem Sensuum internorum esse Cerebrum.


Probatvr primò à Diuo Bonauentura *in* 3. *loc. cit.* ratione Theologica, ductâ ex humani corporis Physica compositione; vnde desumpta est Corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, denominatio: In hoc autem Christus dicitur *Caput,* Ephes. primo. *Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam.* Et Coloss. 2. *Ipse est Caput omnis principatus*, & ibi dicitur *Caput Ecclesiæ.* Idem habet Ephes. *cap.* 4. & 5. Estque de Fide, vt supponit S. Bonau. vt notat Suar. *tomo primo, in* 3. *part ad art.* 6. *quæst.* 8. *disp.* 23. *sec.* 1.

Ideo autem Christus est *Caput*; quia, sicuti Caput influit sensum, & motum membris; ita etiam Christus gratiam: Et ideò Ioan. primo. *De plenitudine eius omnes accepimus*, vt notat D. Bonauent. ad eum locum, & Suar. *loc. cit.* aliique Theologi cum Sanctis Patribus.

Qvamvis autem concedat, vniuersalius principium vitæ esse *Cor*, vt Naturales docent, & à Corde, vt principio primo, ac sede vitæ, sensum, & motum prouenire; tamen addit, in Capite immediatè hæc apparere, quia ibi sunt nerui, qui sunt principia immediata Sensuum, & Motus, quod
16 etiam docuit aliis locis suprà adductis. Quare non est credendus D. Bonau. hic *in* 3. contradicere, & meram apparentiam sensuum Capiti concedere, cùm omnibus adductis locis, cellulas Cerebri, & neruos ab eo emanantes, principia Sensuum acclamet. Cordi verò id adscribit, quatenùs dat Spiritus vitales, vnde elaborantur alij animales ad sensum.

Qvod verò nerui habeant in Cerebro suam sedem, ac originem, vt ait D. Bonauent. probatur ex Anatomiæ sectionibus; non enim magni nerui Cor attingunt; at è Cerebro manare conspiciuntur, & iuxta Cerebrum grossiores sunt; quo argumento vtitur Aristoteles, ad probandum, Arterias è Corde effundi, quia iuxta Cor maiores sunt. Præterea, si Neruus ligetur, sentit ex ea parte, quæ est Cerebrum versus: Ex alia autem non. Similiter & Nerui ad motum totius corporis destinati, è medulla dorsali per nodos effunduntur; in quo prouida natura cauet, ne si Nerui à Capite immediatè descenderent, deberent protrahi in longum, cum damno imbecillitatis, ac conuulsionis periculo. Prouidit igitur, vt Cerebrum medullam dorsalem per os nodosum effundat; & inde per foramina ner-
17 uorum triginta coniugationes prosilirent. Tandem læsio Capitis tollit sensus, Corde illæso manente, vt notat S. Bonau. *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 39. vt post eum Ruuius *loc. cit. num.* 141. Præterea experimur, ex vehementi, ac fixa attentione lædi Caput; non Cor: Et læsâ Phantasiâ, applicari Capiti medicamenta: Experimur etiam, rerum imagines in Capite fieri; non in Corde. Tandem cogitationes, & somnia Capiti attribuuntur, *Daniel.* 2. & à SS. PP. Chrysostom. *in cap.* 4. *ad Ephes.* Ambros. 6. *Hexaemer. cap.* 9. August. *in Psal.* 29. Gregor. *in cap.* 9. *Iob.* & insinuatur ab Aristotele 2. *de partibus, cap.* 7. & 10. & *lib.* 3. *cap.* 7. & *lib.* 4. *cap.* 10. *sec.* 3. *problem. quæst.* 3. & 4. *de somno, & vigilia.*

Reliqva ad internos Sensus pertinentia definita sunt, cùm de Sensibus in communi actum esset. Video sanè Vessalium, Bartolinum, & alios parum vasis Cerebri fidere ad Sensuum internorum casas astruendas: Sed parco, magis verò Valuerdo qui Seraphicum, & cæteros Doctores spernit, vt vidimus in *Anatom. tract.* 8. *dist.* 4. *quæst.* 33.




DISPVTATIO VII.

DE APPETITV SENSITIVO.



Hæc est illa potentia, quæ despoticè dominatur in Brutis, & politicè obtemperatur in homine, cuius passiones suscitat, succutiendo voluntatis imperium; nec nisi ægrè rationi obsequitur, si quando à grato sensibilium amplexu eum arcere, & ad Peregrinum spiritualium amorem trahere nitatur: Quamobrem hîc nobis incumbit, eius quidditatem penitiùs inspicere.



QVÆSTIO I.

Quid sit, & quotuplex Appetitvs Sensitivvs.

Omnis Appetitus, siue Sensitiuus, siue Rationalis, sequitur cognitionem. Ideò post Disputationes de Potentiis sensitiuis apprehensiuis, agendum de Appetitu consequente.

Notant autem Tolet. 3. *de Anima, quæst.* 26. 1
Ruuius, 3. *de Anima, cap.* 13. *tract. de Voluntate, & Potentia motiua, quæst.* 1. *n.* 39. Suar. *lib.* 5. *de Anima, cap.* 1. *n.* 1. & alij ex D. Bonau. *lib.* 2. *Compend. Theol. cap.* 41. & *de Profectu Relig. lib.* 1. *c.* 8. & *in* 2. *dist.* 31. *art.* 2. *q.* 1. *in corpore*, & *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *q.* 3. in corpore, & alibi, triplicem dari Appetitum, Naturalem, Sensitiuum, & Rationalem: Naturalis appetitus dicitur, qui non pendet ex cognitione, sed immediatè naturam sequitur, nec est aliud, quàm inclinatio naturalis rei in id, quod conueniens est suæ naturæ, vt inclinatio lapidis ad centrum, dicitur Appetitus eius. Præter hunc appetitum geminos alios ponunt Arist. 3. *de Anima, cap.* 10. & *lib.* 1. *moral. cap.* 18. & cum eo tota Peripateticorum vniuersitas; qui non sequuntur proximè naturam, sed cognitionem Sensitiuam, vel rationalem: Et qui sequitur sensitiuam, dicitur Appetitus sensitiuus; qui verò Rationalem, dicitur Rationalis, seu voluntas.

Et quidem Appetitum sensitiuum à rationali specie diuersum, luce clariùs, manifestum est, vt notat Ruuius *loc. cit.* post Diuum Bonauenturam, *locis adductis*, & *in* 2. *dist.* 28. *artic.* 2. *quæst.* 1. *in corpore* ex diuersis obiectis: Vnde probatur etiam distinctio aliarum potentiarum; nam Voluntas fertur

fertur in bonum cognitum per rationem vniuersalissimam in tota latitudine boni, vt bonum est: Appetitus autem sensitiuus, in bonum sensitiuum, neque liberè, vt appetitus rationalis. Confirmatur: nam appetitus rationalis consequitur naturam animæ rationalis; & ideò spiritualis omninò est: Appetitus verò sensitiuus consequitur naturam sensibilem. Prætereà Voluntas reflectitur super actus suos, diligendo, se diligere; non sic Appetitus sensitiuus, cùm sit Potentia Organica. Prætereà Appetitus sensitiuus subditur voluntati, vt dicitur Genes. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*; non tamen subditur despoticè, sed ciuiliter, vt supra notaui: Ideò Apostolus, *Rom.* 7. ait: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, vt notat D. Bonauent. *in 2. dist.* 32. *art.* 2. *quæst.* 1.

2 Idem habetur Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus Spiritum, &c.* vt notat Diuus Bonauentura, *in 2. dist.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad argumenta*, & *dist.* 20. *art. vnico, quæst.* 1. *ad argumenta* in fine. *Et dist.* 32. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad argumenta*, & *in 3. dist.* 28. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad argumenta*, & *in 4. dist.* 43. *art.* 1. *q.* 1. *ad argumenta*, & *de tribus ternariis peccatorum, cap.* 3. & *in Appendice Dietæ salutis ad Dominicam quartamdecimam Pentecostis*, & *in Procemio Dietæ salutis.*

Idem colligitur ex Matth. 26. *Spiritus promptus est; Caro autem infirma*, vt notat Diuus Bonauentura *in Dieta salutis, tit.* 5. *cap.* 6.

Idem colligit Sanctus Bonauentura, *ad* 2. *Ecclesiast.* illis verbis: *Nec prohibui Cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Et ex illo Eccl. 18. *Fili post concupiscentias tuas ne eas.* Eum sequitur in omnibus Suar. *lib.* 5. *de Anima, cap.* 1. *n.* 3. *cum cæteris.*

3 In appetitu verò includitur, non modò facultas ad bonum prosequendum, sed etiam ad malum arcendum: Vnde igni leuitatem dedit, quâ sursum ferretur; & calorem, quo impedimenta arceret. Hoc autem non negauit natura Animalibus; nam appetitum dedit, quo bona prosequerentur, fugerentque mala, & facultatem, qua obstantia impedimenta, quæ bonum consequi, vel malum fugere prohibent, arcerent. Prior facultas dicitur concupiscibilis: Posterior Irascibilis: hæc enim facultas versatur in remouendis obstaculis à concupiscibili, ob id dicitur habere pro obiecto bonum arduum; vel malum arduum, illud obtinendum; hoc propellendum.

Exempli gratiâ: Lupus Ouem, cibum admodum sibi appetitiuum, simul percipit, ac difficultatem, quia Pastores, & Canes aduigilant, tunc inclinat irascibilis in illud bonum obtinendum, non obstante illa arduitate.

Habet verò Concupiscibilis sex passiones: Irascibilis autem quinque.

4 Et quidem concupiscibilis versata circa bonum prosequendum, & circa malum fugiendum, habet tres passiones: Amor, Desiderium, Delectatio, quæ dicitur Voluptas, seu Gaudium, vel Lætitia.

Cvm enim Imaginatio proponit bonum aliquod, Æstimatiua illud conueniens, statim iudicat, & in appetitu oritur quædam inclinatio, quæ dicitur Amor; quod si proponat tale bonum absens, & futurum; sequitur in appetitu quædam tendentia in ipsum, & dicitur Desiderium; quod si, vt iam præsens, & obtentum proponatur; sequitur quædam quies appetitus in ipso, & dicitur Voluptas, vel Delectatio, quæ est finis amoris: Amor assimilatur connaturalitati, & aptitudini, quam res inanimes habent ad suum finem, quæ metaphoricè dicitur Amor in ipsis. Desiderium similatur tendentiæ, seu motui, quo in finem, vel in locum mouentur. Voluptas similatur quieti ipsarum in fine, seu loco proprio. Hæc autem quies, seu hoc gaudium est vitalis complacentia, vt notat Suar. *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 3. post D. Bonau. *loc. cit.* Ideò deceptus est Scot. *in* 1. *dist.* 1. *q.* 3. & *in* 4. *dist.* 49. *p.* 4. & 7. dum putauit, Delectationem esse aliam passionem.

Aliæ sunt tres passiones oppositæ circa malum. Prima est Odium. Cùm enim Æstimatiua aliquid sub ratione mali, vel disconuenientis proponit, fit quædam displicentia in appetitu, quæ odium est. Cùm autem proponitur, vt malum aduentans, insurgit passio, quæ dicitur Fuga, & auersio quædam opposita Desiderio. Cùm verò malum, vt præsens iam proponitur, fit passio Tristitiæ contraria Voluptati.

Hæ sunt passiones in Concupiscibili.

5 In Irascibili verò, quæ circa ardua versatur, tam bona, quàm mala, hæ passiones insunt. Prima est Spes, circa bonum arduum obtinendum. Audacia circa malum arduum aggrediendum; Dicit enim quandam appetitus eleuationem, & motum ad malum arduum superandum. Non tamen datur tertia passio, quæ dicatur Quies, quia cùm bonum possidetur, non est arduum ampliùs, nec Irascibili eget.

Circa idem arduum ad fugam, sunt tres passiones. Prima est Desperatio, contraria Spei; cùm enim bonum impossibile, vel admodùm difficile proponitur, est displicentia appetitus, & abiectio, quæ dicitur Desperatio. Cùm verò proponitur malum arduum, scilicet cum difficultate aliqua cauendi, fit quædam depressio animi, quæ dicitur Timor. Cùm verò malum est præsens, difficileque se Animal ab eo liberari posse percipit, fit Ira, quæ non habet contrarium, vt dixi, quia debebat esse bonum præsens; sed tunc non est ampliùs arduum.

Vt autem ordinem percipias inter has passiones, aduerte, quod in Concupiscibili sunt passiones, quæ dicunt quietem, & finem; vt Delectatio, & Tristitia; sunt aliæ, quæ dicunt motum in terminum, vt Amor, Desiderium, Odium, Fuga.

6 Passiones igitur Concupiscibilis, quæ sunt in motu, proprium locum obtinent in executione; Secundum locum obtinent passiones Irascibilis, si bonum, vel malum sit arduum. Tertium Concupiscibilis, quæ dicunt quietem, vnde passio incipit à Concupiscibili, & terminat in ipsa, *verb grat.* circa bonum. Prima opinio est Amor, statim Desiderium; postea, si sit arduum, Spes, vel Desperatio, quod si consequitur bonum, fit Delectatio.

Circa malum primò est Odium; secundò Fuga; Deindè, si sit arduum, Audacia, vel Timor; & tandem Ira: quod si non vincit malum, fit consummata Tristitia, quæ incipit aliquando ante Iram, cùm malum ineuitabile apparet.

Nota tamen, quod ea, quæ sunt in Concupiscibili, circa malum, id est, Odium, Fuga, Tristitia, sunt posteriores iis, quæ sunt circa bonum; quia enim bonum amamus; ideò oppositum odio habemus, & sequuntur omnia alia. Amor igitur est prima omnium, parénsque passionum, & habet vnum effectum, qui dicitur Zelus, quo auersamur omnia, quæ bonum amatum impediunt, vel contra ipsum sunt.

Ea autem de causa passiones dicuntur, non quod non sint potentiæ actus; sed, quia, cum alteratione quadam sensibili fiunt, & Cordis motu. Ira enim Choleram diffundit; Timor Sanguinem ad

ad Cor trahit, partésque corporis pallentes, & frigidas relinquit: Amor spiritus accendit: Delectatio sanguinem, & spiritus per Corpus spargit, membráque saltare facit: Tristitia spiritus obnubilat, incrassatque sanguinem, & sic etiam in aliis. Hæc notat Tolet. 3. *de Anima*, *cap.* 11. *quæst.* 26. ex Diuo Bonauentura *lib.* 2. *Compend. Theologicæ veritatis*, *cap.* 41. & *de Profectu relig. cap.* 8. *&* 21. & *in* 3. *distinct.* 36. *artic.* 1. *quæstione* 2. & *serm.* 11. *Hexaemeronis.*

7 Ex his primò habes necessitatem Appetitus, vt scilicet fines suos res consequantur, qui quidem fines ab inanimatis non sunt cogniti, atque adeò diriguntur intentione aliena, sicut sagitta dirigitur à sagittante: hæc tamen lato aliquo modo fines suos propria intentione petere dici possunt; ideò casualiter dici possunt extra intentionem, non quidem Dei dirigentis, sed naturæ, aliud intendentis. Prætereà omnes res inanimes præcipites feruntur ad Sphœras, ad Centrum, &c. ideò oportet, vt habeant aliquid directiuum, & interius, quod veluti pondus sit dirigens. Ideò dicitur Iob. 37. *Frumentum desiderat nubes.* Vide Diuum Bonauenturam in Itineribus Æternitatis, *itinere* 6. *dist.* 2.

Animata verò feruntur in finem, cognitum vel sensibus, vel ratione: ideò, vt consequantur eum, datus est eis appetitus; alioquin frustrà esset cognoscere proficua, & noxia, nisi possent illa prosequi; hæc euitare. Ita D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 38. *artic.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, & post eum Suar. *lib.* 5. *de Anima*, *cap.* 1. *num.* 2.

Habetur primò, secundùm diuersos gradus cognitionis, diuersos etiam appetitus in Animalibus reperiri: Nam in brutis, in quibus est sola cognitio sensitiua, solus Appetitus sensitiuus datur: At in rationalibus datur etiam Appetitus Rationalis, vt notat Diuus Bonauentura *locis adductis*, & Suar. *loc. cit. num.* 3. & suprà ostensum est de fide è Scripturis. Est igitur Appetitus potentia, quâ res feruntur in obiectum sibi conueniens.

Cum autem dixerimus, triplicem esse appetitum, Naturalem, Sensualem, & Rationalem: Quæritur; an Sensualis multiplicetur, prout multiplicantur cognitiones, per varios sensus variæ.

8 Prima opinio est Scoti 2. *dist.* 6. *quæst.* 2. *&* *in* 3. *dist.* 17. *quæst. vnica in corpore*, & *distinct.* 15. *litt. D.* quem sequuntur Bellutus, & Mastrius, *disp.* 5. *q.* 10. Hurtad. *disp.* 17. *sec.* 11. *Metaph.* cuilibet sensui cognoscitiuo respondere proprium appetitum.

Hanc sententiam ab Hurtado temerè inuentam conclamant è regione stantes cum sententia communi, quæ est D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 39. *art.* 2. *quæstione* 1. & *aliis locis infrà allegandis.* Arriaga, *disp.* 5. *de Anima*, *sec.* 4. Auersa, *quæst.* 56. & Fuliens. 3. *Physic. cap.* 6. *articulo secundo*, inanem illam vocans.

Assero cum hac sententia Diui Bonauenturæ, non dari tot appetitus, quot sensus.

Probatur primò ex Patribus, qui vnicum Appetitum sensitiuum nouerunt, vt distinguit etiam S. Bonauent. vbique.

Neque verò est aliqua necessitas tot appetitus multiplicandi; cùm vnus sufficiat; neque verò Sensus externi percipiunt obiecta, vt conuenientia; vel disconuenientia, hoc enim spectat ad Sensum internum.

9 Quæstio igitur est: An duæ illæ facultates, Irascibilis, & Concupiscibilis in appetitu naturæ sint duæ potentiæ.

Prima opinio est, esse duas actualiter distinctas Potentias. Ita D. Thom. *prima primæ*, *quæst.* 81. *art.* 2. quem sequuntur Thomistæ. Idem habet de Veritate, *quæst.* 15. *art.* 3. Idem tenuit Pythagoras, & Plato, quos refert Plutarchus 4. *de placitis Philosophorum*, *cap.* 4. Similiter Gregor. Nyssen. *lib.* 4. *suæ Philosophiæ*, Galenus 6. *de vsu partium*, *cap.* 18. Adducuntur etiam communiter SS. Hieronymus, & Augustinus. Est etiam Toleti 3. *de Anima*, *quæstione* 26. Albert. 3. *de Anima*, *tract.* 4. *cap.* 2. Henrici, *quodl.* 8. *quæst.* 15. *in* 3. *dist.* 34. §. *Notandum vlterius.* Valentiæ, *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 1. *punc.* 1. Conimbr. *Eth. disput.* 6. *quæst.* 1. *artic.* 2. Azorij, *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. *quæsio* 3. Tanner. *part.* 2. *disput.* 2. *quæst.* 4. *dub.* 1. vbi pro ea adducit Diuum Bonauenturam *in* 3. *dist.* 33. *art.* 1. *quæst.* 3. *&* *dist.* 26. *art.* 2. *quæst.* 4. Sed malè, vt patet; nam vbique Concupiscibilem & Irascibilem, vt sunt irrationales, quas Sensuales vocat, duas virtutes, & duas vires eiusdem potentiæ, asserit.

Secunda opinio D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 24. *art.* 2. *quæst.* 1. Esse vnam Potentiam realiter, quâ prosequimur bonum, etiam arduum, & refugimus malum, duas tamen virtutes; sicut eadem securis ex vna parte scindit; ex altera retundit. Idem habet Suar. *lib.* 5. *de Anima*, *cap.* 4. qui oppositum nullis rationibus niti ostendit, sic & Fuliens. 3. *Phys. cap.* 6. *art.* 2.

Idem censet Angestus *in moralibus*, *cap.* 4. Gabriel *in* 2. *dist.* 16. *quæstione vnica*, & *in* 3. *dist.* 26. *quæst. vnica*, *art.* 3. *disp.* 1. 10

Assero cum hac Sententia, Concupiscibilem, & Irascibilem esse vnam realiter potentiam.

Probatur à Diuo Bonauentura *in corpore*, argumento, quo nititur Suar. *num.* 2. *argumento* 2. ex connexione actuum Irascibilis, & Concupiscibilis: Adeò enim sibi inuicem connectuntur, vt vtrique ad perfectionem actus eiusdem, circa prosecutionem boni, requirantur. Irascibilis enim nititur ad manutentionem boni concupiti: Quare ait D. Iacobus: *Vnde bella, & lites inter vos, nonne ex concupiscentiis vestris?* Et Aristoteles 8. *de Animalibus* ait: *Animantium pugnas de rebus concupiscibilibus suscipi de cibis, de venereis, &c.* Ideò ad complementum actus adæquati ipsius appetitus concupiscibilis spectant actus Irascibilis, nitentis ad defensionem boni concupiti; Si namque tota ratio tuendi bonum, est, quia appetitur; qua quæso ratione vna potentia tuetur, quod appetit altera? Dat exemplum S. Doct. Sicut enim eadem securis est, quæ scindit ex vna parte, & ex altera retundit, vt perfectè exerceat suum munus, ita, &c. Per hæc patet ad Argumentum Diui Thomæ.

Toletus obiicit primò. Irascibilis sæpè appetit contra inclinationem Concupiscibilis: Ergo sunt duæ potentiæ. Antecedens patet, quia Irascibilis semper amat tristia, vt repugnet contrariis; amare autem tristia inclinationi Concupiscibilis aduersatur: Sic Canis per Irascibilem suffert verbera; & Lupus ictum, vt prædam consequatur.

Respondetur, ex eò, quòd Ira amat tristia, vt concupita assequatur, non inferri indè diuersas esse potentias, sed vnam; ob id amat rem contrariam, *verb. grat.* vulnera, vt concupitum consequatur; atque adeò vnus actus est propter alium, esto in obiecto sit aliqua diuersitas; & ex apprehensione diuersa, diuersè etiam appetat. 11

Obiicit secundò; ex hoc inferri, esse plures potentias; quia vna est ministra alterius, id est

Irascibilis,

Irascibilis, seruans concupita, est Concupiscibilis pedissequa.

Respondetur, etiam in actibus Concupiscibilis euenire, vt desiderium tendens in bonum, sit minister amoris.

Obiicit tertiò: Vnius passionis actus, aliquando impediunt passiones alterius: Iratus enim impeditur ab amore: Ergo hoc a diuersis prouenit potentiis.

Respondetur, imò oppositum sequi; Si enim istud à duabus potentiis proueniret omninò diuersis, Virtus non dimidiaretur, & ità possent validè ambæ operari; At quia vnius potentiæ actus sunt; hinc fit, vnum actum alteri detrimento esse, quia:

Pluribus intentus, minor est ad singula Sensus.

Sic etiam contemplatiua impedit negatiuam; vndè etiam studiosi, & contemplatiui squallent, non quia sint plures potentiæ, sed quia vnificantur in vna anima, quæ ad plura distracta infirmatur. Quod si duæ potentiæ patiuntur deliquium, altera ex actibus alterius; multò magis eadem ex actibus suis solis distracta, vt notat Diuus Bonauentura *in 2. dist. 24. art. 2. quæst. 1. fundamento penultimo*, & *lib. 2. Compend. Theol. cap. 41. in calce.*

Obiicit denique: Multi sunt Proni ad iram, non ad cupiditatem, vel è contrà; Sic multa Animalia auidè concupiscunt, & modicè irascuntur, vt Oues, & Columbæ.

Respondetur, hoc esse, quia ad has virtutes exercendas variis egent instrumentis, temperie diuersis; non quod subiecto differant; nam vtraque in Corde residet, vt docent Conimbr. *loc. cit. art. 2. quæst. 2.* referentes multos antiquos, quos refert etiam Tannerus *loc. cit. num. 7.* Valentia, *loc. cit.* Azorius, *lib. 1. cap. 2. quæsito 2.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm Appetitus Sensitiuus *differat à Potentia cognoscitiua.*

§ Scotus in 3. dist. 17. q. 1.

Prima opinio est Scoti apud Fauentinum, *Theor. 101.* has vnam esse facultatem, quæ dicitur Phantasia.

12 Secunda sententia est, esse duas facultates distinctas. Ita D. Thom. *p. p. quæst. 78. art. 2. & 3.* Zabarella, *lib. de facultate Animæ, cap. 12.* Diuus Bonauent. *lib. 2. Compend. Theol. cap. 41. & 3. part. Centil. sec. 20.* vbi Appetitum *Sensualitatem*. Apprehensiuam autem *Sensum* vocat. Idem habet, *sectione 22. & 23. & in 2. dist. 24. art. 2. quæst. 1.* vbi agit de distinctione Intellectus, & Appetitus. ibi verò hoc etiam intermiscet, licèt *dist. 24. part. 2. dub. 3.* sensualitatem dicat includere affectiuam, & cognoscitiuam, secundùm Scripturas. Ipsum ibi vide, & *in quæstionibus sequentibus.*

Assero cum hac Sententia, potentiam cognoscitiuam & Appetitiuam esse distinctas.

Probatur primò à Diuo Bonauent. *lib. 2. Compend. Theol. cap. 34. & 3. part. Centil. sec. 20.* ex communi Philosophorum consensu, post Aristotelem *2. de Anima, text. 27.* Vbi quinque potentias distinguit: Vegetatiuam, Appetitiuam, Sensitiuam, Motiuam secundùm locum, & Intellectiuam.

Respondet Fauentinus, ibi Aristotelem per appetitum intelligere Phantasiam. Vnde *text. 20.* dixerat in Entomis, seu insectis, esse Phantasiam, & Desiderium.

Hinc arguo: Membra Diuisionis debent esse distincta; & vnum non est alterum, vt sæpè repetit Fauentinus præcipuè *in primo, disputatione nona, cap. 7.* Sed potentiæ diuiduntur in Sensitiuam, Appetitiuam, &c. Ergo: Vrgeo, quia secundùm allegata à Fabro, Desiderium, & Phantasia differunt.

Probatur secundò à D. Bonau. ibi, *cap. 41. libri secundi Compendij*; & *sec. 20. Centiloq.* Nam ratio opposita tendendi in obiectum diuersificat potentias; sed ratio tendendi in obiecta Apprehensiuæ, & Appetitiuæ, sunt oppositæ: Ergo. Minor probatur: Nam appetitus mouetur extra ad prosecutionem obiecti; Apprehensio verò obiecta accipit intus per speciem. Confirmatur; nam experimur modos diuersos tendendi in obiecta, dum ad instrumenta diuersa in prosecutione recurrimus.

Respondet Fauentinus, illam diuersitatem non conuincere diuersas potentias; quia ille tractus potentiæ appetitus ad obiectum, est propter determinationem, consequentem cognitionem. Vnde est potiùs propensio cognoscentis, quam alia potentia diuersa. Contrà; nam propensio, cuiusque potentiæ est ad percipiendum sua ratione obiectum. 13

Igitur Cognoscitiua inclinat ad obiectum suo modo, vt illud cognoscat; atque adeò, vt illud vniat sibi in ratione obiecti cogniti; non autem exit, vt in obiecto delectetur, illud possidendo. Confirmatur à Diuo Bonauentura ex Diuo Augustino à simili de Intellectu, & Voluntate, quæ sunt potentiæ distinctæ, & proportionaliter in eis est ratio.

Probatur tertiò à Diuo Bonauentura *in 2. dist. 24. loc. cit.* Quia memoria cum intellectu non sunt vnum omninò, licet negotientur circa idem obiectum: Ergo multò magis differt appetitus ab apprehensione, cùm circa idem obiectum non negotientur: Explicatur à Diuo Bonauentura: Nam memoria versatur in conseruando id, quod intellectus percepit; at appetitus non versatur in conseruando obiecto apprehenso, sed hinc incipit tendere in eius possessionem, in quo fallacia elucescit Fauentini, dum tendentiam appetitus vnificat cum cognitione, quasi illa tendentia sit inclinatio potentiæ cognitiuæ; Est enim tendentia appetitus ex cognitione obiecti, quæ iam compleuit suum actum; vnde non est idem; nam actus adæquatus Cognoscitiuæ potentiæ, est cognitio; vnde extra illam non egreditur ad vsurpandum actum appetitus, qui est appetere, vt notat D. Bonauent. *in 2. dist. 24. loc. cit. fundamento 4.*

Probatur quartò à D. Bonau. *fundam. penult.* 14 A natura creaturæ est, vt cùm vigoratur actus vnius potentiæ, minoretur, seu debilitetur actus alterius, ob finitatem naturæ, à qua procedunt ambæ potentiæ, quibus singulis, non potest natura incumbere: Ergo multò magis actus vnius potentiæ intensus remittit alterum actum eiusdem potentiæ. Si ergo cognoscitiua, & appetitiua sunt vna potentia, quantò perfectiùs Animal apprehenderet, tantò imperfectiùs appeteret, quod est contra experientiam, atque à simili probatur; nam quantò clarior est cognitio Intellectiua, tantò perfectior est amor. Ideò Beati videntes Deum clarè, necessariò ipsum perfectè amant.

Obiicit Fauentinus 3. *de Anima*, ex Aristot. *text.* 29. vbi ait; *Et non aliud, est appetitiuum, & aliud fugitiuum, neque à se inuicem, neque à sensitiuo.*

Respondetur, ex D. Bonau. *locis adductis*, Aristotelem solùm velle, Appetitum esse potentiam animæ sentientis, nec in alio genere, vel alia origine; vel non esse diuersas res, vt notat Titelmanus *lib.* 8. *cap.* 5.

Faventinvs adducit pro sua opinione etiam Auerroëm 12. *Metaph. ad text.* 39. vbi dicit etiam de mente Alexandri, quod voluptas consequitur comprehensionem, sicut vmbra corpus.

Respondetvr, hæc verba non esse pro eo; nam hic comprehensio, non accipitur pro cognitione, sed pro assecutione, sicut dicit Apostolus: *sic currite, vt comprehendatis*; Sensus igitur est, voluptatem sequi ad comprehensionem, idest, assecutionem boni concupiti. Vide D. Bonau. *in* 3. *dist.* 14. *art.* 1. *quæstione* 2. præcipuè *ad vltimum*. Comprehensio enim est effectus appetitûs prosecutionis; At cognitio est principium, vt notat S. Doct. *in Diæta salutis, appendice pro Dom. Septuag.* ad ea verbà, 1. Corinth. 9. *Sic currite, vt comprehendatis* suprà allegata.

Addvcit etiam Piccolomineum, *lib. de sensibus internis, cap. vlt.* vbi ait, Appetitum, ratione fundamenti, esse vnum; quia fundamentum principale est vnum, scilicet Phantasia; At propriâ ratione, & ex iure obiectorum, esse tot Appetitus, quot facultates cognoscentes.

Enim verò seipsum lædit; nam si ratione solius fundamenti est vnus appetitus, quia nititur Phantasiâ, tanquam fundamento, quatenus scilicet ipsa repræsentat obiectum conueniens, vt docet S. Bonauentura, *libro* 2. *Compend. capite* 39. ergo non est ipsa tendens, nec ipse appetitus. Vnde Piccolom. est pro nobis, sicut etiam omnes Philosophi; & pro Scoto nullus stat.

Fateor sane, appetitum impropriè, qualis est omnium potentiarum ad suum obiectum, *verb. grat.* oculi ad videndum, esse ipsam potentiam, quæ inclinat ad suum obiectum: Sic omnis homo naturaliter sanè appetit, ex Aristotele: initio Metaph. vt notat D. Bonauent. *in* 2. *distinctione* 26. *dub.* 3. attamen verus appetitus est diuersus; ideò organum habet diuersum, nempè in Corde. vt dicam *quæst.* 5. At cognitiua in Capite, vt arguit Fulienſ. *lib.* 3. *cap.* 6. *art.* 2.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Appetitvs Sensitivvs *sit tantùm boni.*

15 De Appetitu rationali erit sanè magna quæstio *in disputatione* 9. At de Sensitiuo nulla ferè.

Assero, Appetitum sensitiuum esse tantùm boni: Ita D. Bonauentura *in* 4. *distinctione* 49. *articulo* 1. *quæstione* 2. quem sequuntur omnes, vt ait Suarez *lib.* 5. *de Anima, cap.* 2. *numero* 3. *argumento* 2.

16 Probatvr à Suarez, argumento ducto ex D. Bonauentura *in fundamentis*; nam appetitus, qui est à natura, semper tendit ad perfectionem suppositi, proportionatam quidem, & conuenientem; alioqui esset appetitus malus à natura: ergo semper in bonum fertur, & cùm instinctus naturalis sit perpetuus, & necessarius; sequitur, semper, & necessariò animalia appetere bonum.

Addo, hoc bonum debere esse aliquo modo cognitum: Ideò enim, nec plantæ, nec frenetici nescientes cognoscere, sciunt appetere. Hæc autem cognitio præuia est ab Æstimatiua, vt notat Diuus Bonauentura, *libro* 2. *Compend. Theol. cap.* 38. Vnde non solùm est potentia cognitiua, sed etiam motiua, non quidem elicitè, sed inductiuè, quatenus ostendit motiuum conuenientis, vel noxij: Est enim primò cognitio sensata oculi videntis cibum, *verbi gratiâ*, deinde insensata in Æstimatiua, quæ percipit, illum esse conuenientem, vltimò appetitus tendens.

Qværes primò: An Appetitus Sensitiuus sit boni etiam vtilis. 17

Respondetvr ex D. Bonauentura, *libro* 2. *Compend. Theol. cap.* 38. affirmatiuè; nam Ouis fugit Lupum sibi perniciosum: Ergo sequitur, è contra, vtilia. Aduertit tamen S. Doct. animalia non percipere rationem vtilis formalem. Cum D. Bonau. est Caiet. & Suar. *lib.* 5. *cap.* 4.

Qværes secundò: An Appetitus sit etiam mediorum: Solutio è præcedenti sequitur; nam vtile est medium.

Respondetvr ex S. Bonau. *in* 2. *distinct.* 2. *dubio* 4. affirmatiuè: Probatur à S. Doct. ibi, Quia etiam ipsa, vt conducunt ad finem, bona sunt. Aduertit verò, quædam appeti propter bonum consequens, etiamsi sint media noxia, & odibilia, vt, qui appetit Martyrium ob beatitudinem. Quædam etiam appeti ad maius malum euitandum; vt, qui se ex alto præcipitat, ne incidat in manus crudelium: & hæc non dicuntur appeti, sed suscipi; & ad hæc confugere homo dicitur, potiùs quàm tendere. Vide Sanctum Doctorem, *loco citato*, & Suarez *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 6. eius asseclam.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Appetitvs Sensitivvs *sit liber, & capax peccati.*

Hæc quæstio in homine solo versatur, in quo sunt gemini appetitus, scilicet, Sensitiuus, & Rationalis: & ita subordinati sunt, vt ille huic subditus iaceat, atque obediat, tanquam Domino.

Qvoniam verò duplex est dominium; aliud Despoticum, quod sibi adeò subditum subiicit, vt in nulla re valeat reclamare; sicut ergastulus subditus est Domino: Aliud Ciuile, quod non est adeò seuerum, quin possit subditus reclamare, seque excusare, vt Ciues subduntur Principi: Communiter asseritur Appetitus Sensitiuus subdi Rationali politicè; non despoticè: Ita Aristoteles 1. *Polit. cap.* 3. & D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 24. *part.* 2. *art.* 3. passim, & D. Th. *prima secunda*, *q.* 17. *art.* 7. 18

Movetvr igitur Appetitus à voluntate, mediâ ratione; neque hoc fit, quia ratio repræsentat obiectum aliquod sensualitati; nam sensus sola obiecta proportionata, idest sensibilia, percipere valet, neq; potest voluntas per se immediatè mouere, quia non est cognoscitiua; mouet ergo mediâ ratione, & hæc non immediatè, ob rationem allatam, sed medio sensu interno. Licet enim ordo cognitionis sit à

à Sensu, ad Intellectum; attamen, quia Intellectus est summa potentia inter cognitiuas, altiùs penetrat res cognitas, quàm reliquæ inferiores, ob idque eorum directiua dicitur: Vnde fit, vt illustrare possit Phantasiam, & Æstimatiuam, manifestando maiorem rationem boni, vel mali, quam eò vsque perceperint.

Hæc igitur Intellectus persuasio efficit, vt æstimatiua aliter iudicet de obiecto, & quia, obiecto apprehenso, appetitus se ipsum mouet, ideò ratio Æstimatiuæ persuadens mediatè illa, dicitur Appetitum dirigere; mouet igitur, quasi consilium præbendo politicè, non despoticè: Ita Suarez *libro* 5. *cap.* 6. *numero* 2. post D. Bonauent. *loco citato*, differt tamen, quia putat rationem dirigere appetitum, mediante cognitiuâ, quam sensum internum ipse credit, hic, & *libro* 3. *cap.* 30. *num.* 7. Enim verò cognoscitiua propriè est pars rationis; discernit enim, & distinguit comparando, &c. vt notat Diuus Bonauentura *libro secundo, Compendij, capite* 39.

19 Ex hac igitur politica subiectione appetitus sensui, aliqui deduxerunt in eo libertatem, nam politica obedientia in libertate fundatur: Ita Caiet. *parte* 2. *quæstione* 74. *articulo* 4. vbi concedit appetitui sensitiuo propriam libertatem, & hoc deducere nititur ex D. Thom. ibi, vbi docet in Appetitu sensitiuo posse esse veniale peccatum, atque apertè loquitur de appetitu secundùm se; nam si de eo loquatur, vt à Voluntate regitur, non negabit, in eo esse posse etiam peccatum mortale. Confirmatur, quia Appetitus sensitiuus ob coniunctionem cum rationali est capax virtutis, atque vitij.

Hæc tamen sententia est contra D. Thom. *p.* 2. *quæstione* 24. *art.* 1. *ad* 3. & *quæstione* 34. *art.* 1. D. Bonau. *in* 2. *distinctione* 24. *loco citato*, & contra Theologorum, ac Peripateticorum consensum. Addit S. Bonau. etiam *in* 3. *distinctione* 25. *part.* 1. *quæstione vltima, ad primum*; Appetitum sensitiuum participare libertatem, quatenus subest imperio voluntatis, sicut dicitur participare rationem, quatenus imperio rationis subest: Sequitur Scotus 2. *distinctione* 14. *quæstione* 3. *ad* 2. & *quodlibeto* 18. Canellus *disp.* 2. *sect.* 5. Mastrius, & Bellutus *disput.* 7. *num.* 8.

20 Assero cum hac sententia, Nullam libertatem in Appetitu Sensitiuo reperiri.

Probatvr à D. Bonauentura, *in* 2. *distinctione* 24. *articulo* 2. *quæstione* 1. *in corpore*, è communi consensu Doctorum asserentium, in sensu non posse præcisè esse peccatum, sed solùm, vt dirigitur à voluntate, in qua sola est peccatum: Ita asserunt Sancti Patres. Augustinus *lib.* 5. *de ciuitate Dei, cap.* 9. 12. *de Trinitate, cap.* 12. & *lib.* 1. *retract. cap.* 9. & 14. & *lib.* 3. *de libero arbitr. capite* 18. & *lib. de duabus animabus*, contra Manichæos, *cap.* 10. & *de vera, & falsa Relig. cap.* 14. & *serm.* 43. *de verbis Domini.* Chrysost. *homil.* 2. *Imperf.* & *homil.* 13. *ad Rom.* Basilius *in Instruct. ad vnam perfectam.* Anselmus in illud Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Origines *homil.* 29. *in Numer.* & alij Patres relati à Suarez, *libro* 5. *cap.* 6. *num.* 5. post D. Bonau. qui plurimos refert *lib.* 2. *Pharetræ, à cap.* 2. per plurima capita, & *libro toto tertio Compend. Theologicæ veritatis*, & passim *in* 2. *dist.* 25. Nituntur Scripturis, quæ soli voluntati concedunt libertatem, Eccl. 25. *Si voluerit mandata seruare.* Prima Corinth. 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.*

Probatvr secundò à D. Bonau. *in* 2. *distinctione* 24. *articulo* 3. *quæstione* 1. *fundamento* 1. quo vtitur Suarez, *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 5. & est D. Augustini 5. *de ciuit. Dei, cap.* 9. Causa, quæ agit necessariò, sequens aliud determinatum, non est libera; sed talis est Appetitus Sensitiuus, qui sequitur necessariò apprehensionem; Ergo. Minor probatur à D. Bon. *in corpore*: nam bruta, & phrenetici, quibus non est vsus voluntatis liberæ, nec sequuntur cognitionem intellectiuam; sed solam sensitiuam, nullo modo liberi sunt; ideò nequeunt peccare, vel mereri. In hac parte nos communicamus cum brutis, ex D. August. 12. *de Trinitate, cap.* 12. vt notat Diuus Bonauentura, ibi, & *fundamento* 2. & 3. 21

Probatvr tertiò à D. Bonauentura, *quæst. sequenti*, quia in eo solo (pro statu viæ) est libertas, in quo potest esse auersio à Deo, & ad eum conuersio; sed hæc est in sola voluntate: Ergo.

Minor probatur à Diuo Bonau. quia in sola voluntate potest esse consensus: Ergo etiam peccatum: Similiter in potentia rationali, sola potest esse gratia: Ergo etiam peccatum. Dicitur igitur Appetitus obedire politicè, non quia liberè subiiciatur; sed quia potest ex aliena repræsentatione, sibi factâ, bonum renuere, aliud appetendo.

QVÆSTIO V.

De Organo Appetitvs.

Qvi distinguunt Irascibilem à Concupiscibili, ponunt illam in Corde: hanc in Hepate: Ita Fernelius *lib.* 5. *cap.* 5. post Galenum, & *lib.* 6. *cap.* 12. adducit Platonem. Idem habet D. Nemesius *lib.* 4. *Philosophiæ, cap.* 8. D. Basilius, *lib. de Virginitate, ad finem.* Tanner. *part.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 1. *num.* 7.

Attamen D. Bonau. docet, Cor esse sedem vtriusque: Et quidem irascibilem in Corde ponit, 1. *parte Centil. sect.* 10. & *in Opusculo declaratorio terminorum Theologiæ*, vbi definit Iram, accensionem sanguinis circa Cor, ex euaporatione fellis, & *in Diata salutis*; *tit.* 1. *cap.* 5. & *de pugna spirituali, cap.* 41. & *lib.* 3. *Compend. Theologiæ, capite* 27. & alibi: Irascibilem verò; & Concupiscibilem in Corde ponit 3. *part. Centil. sect.* 22. & *lib.* 3. *Compend. cap.* 41. vbi primam radicem in Corde statuit: Concupiscibilem, & Irascibilem esse in Corde, ex Hippocrate, Zenone, Possidonio, Chrysippo, Aristotele, Theophrasto, & aliis Peripateticis, docent, Vessalius, Conimbr. *Eth. disp.* 6. *quæst.* 2. *art.* 2. Valentia *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 1. Tolet. 3. *de Anima*, Azor. *lib.* 3. *cap.* 2. *quæsito.* 2. D. Thom. *p.p. quæst.* 20. *art.* 1. *ad* 1. & *parte* 2. *quæstione* 10. *articulo* 3. & *quæstione* 22. *articulo* 2. Auersa *quæstione* 56. 22

Probatvr à Diuo Bonauentura, *locis adductis.* Cùm enim irascimur, Cor incalescit: Similiter ex passionibus concupiscibilis Cor dilatatur, vel comprimitur; Cordi namque tribuitur Amor, Desiderium, Gaudium, vt sæpè refricat D. Bonauent. *in stimulo Diuini amoris*, & *in Incendio amoris*, & *in omnibus operibus*; quem sequitur communiter multitudo, vt notat Suarez *libro* 5. *cap.* 4. *num.* 8.

Est autem circa passionem Tristitiæ, quæ circa malum præsens versatur, considerandum, eam cum dolore 23

dolore sæpè coniungi, neque tamen est ipse dolor. Tristitia sanè est in appetitu refugiente, seu horrente malum præsens; hæc verò absque dolore sæpè est: Dolor igitur additus ex contactu mali disconuenientis, à quibusdam censetur esse in membro sentiente: Ita D. Thom. *in 3. dist. 15. quæst. 3.* Scotus *dist. 15. quæst. 7.* Durand. *quæst. 3.* Gabr. *quæst. 2.* Palud. *quæst. 1. & 2.*

Alii tamen volunt, solidioribus nixi fundamentis, sedem doloris esse in Corde, nam est de malo vt sic; malum autem ad appetitum spectat: Ergo actus illius est: Ergo in Corde excitatur, vbi est appetitus: Ita D. Thom. *p. 2. quæstione 38. art. 2.* vbi Conradus, Caiet. & Simon. Portius, *libro de Dolore, cap. 10.*

Valesius *Controu. 4. cap. 4.* vtramque tuetur sententiam dicens, dolorem non esse actum appetitus, sed ipsas rei noxiæ sensationes.

Alii volunt, Appetitum Sensitiuum esse per totum corpus sparsum, sicut & Tactum, atque adeò, posse dolorem esse actum appetitus; & à membro, in quo sentitur, non distare: Ita August. *in Moral. cap. 1.* Ocham *in 2. quæst. 24.*

Alii volunt, Appetitum sensitiuum esse in Cerebro: ita Hurtad. *disp. 15. sect. vlt.* Canellus *disputatione 2. sectione 7.* Mastrius, *disputatione 5. num. 318.*

24 Alii volunt, perfectam vim huiusmodi potentiarum in parte corporis determinata residere; communicari verò aliquo modo toti corpori: Ita Richardus, *in 3. distinctione 15. articulo 4. quæstione 1.*

Svarez *libro 5. de Anima, capite 5. numero 7.* dicit, In dolore duo considerari, idest cognitionem sensitiuam obiecti disconuenientis, & displicentiam, seu amaritudinem quandam de tali obiecto; Cognitionem ergo in membro existere, quod patitur, sentitque dolorem, hunc verò perfici in appetitu; vnde, propriè loquendo, causa doloris, ac cognitio talis causæ est in exteriori membro; dolor verò in appetitu residet.

25 D. Bonau. supponit, dolorem esse de malo præsenti, realitèr certo, non secundùm coniecturam: Ita *in 4. distinctione 16. part. 1. quæstione 1. ad 6.* & *argumento 3.* docet, dolorem esse dissensum ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt ex Diuo Augustino *14. de Ciuitate, cap. 15.* Igitur oriri infert ex coniunctione disconuenientis.

Deinde *quæst. 2.* Dupliciter sumi dolorem, ait. Primò pro dissensu Voluntatis, seu Appetitus Sensitiui.

Secundò, vt dicit passionem redundantem in sensum, ex obiecto disconuenienti, & dolorifero. Addit verò *articulo 3. quæstione 2. ad 2.* Dolorem illatum esse ex præsentia disconuenientis, putà Sectionis carnis, &c. Ad dolorem verò assumptum sufficere, si obiectum sit præsens in aspectu, seu apprehensione: Sic docere possunt de peccato etiam remisso.

In *quarto* autem, *dist. 44. quæst. vltima, ad sextum,* refert definitionem doloris ex Aristot. *7. Eth. & 2. de Anima,* & 6. Topicorum, capite 3. *Dolor est diuisio partium,* vbi notat, hic solùm describi dolorem animæ ex carne, & hanc descriptionem esse causalem, propriam verò esse, quam habet D. August. *loco citato,* & *lib. 6. Musica, cap. 5. tom. 1.* Concludit igitur, Dolorem potius venire ex impedimento illato animæ, quàm è sectione, vt patet in paralyticis, in quibus est partium sectio, sine afflictione; quia anima in illis non habet operationem, quæ ibi impeditur; & quia potentiæ animæ, quæ sunt eius partes, quodammodo possunt in suis operationibus inquietari, & impediri occasione acceptâ. Hinc est, quòd Spiritus dolere potest, & affligi.

Libro 2. *Compend. Theolog. cap. 4.* Ponit dolorem loco Tristitiæ in appetitu. 26

Vult ergo S. Doct. Dolorem, vt dicit malum, esse in appetitu: Ratio eius est, quia malum spectat ad obiectum appetitus: Habes modò, Dolorem in sola scissione non consistere: Probatur ab eo; quia sæpè est scissio absque dolore: Neque vult dolorem causari ab intemperie, vt voluit Auerroës, *ad cap. 5. de Anima, text. 21.* Conciliator *differentia 72.* Galenus *12. Method. cap. 7.* & *lib. de inæquali temperie,* referens Hippocratem: Valesius 4. *Controuers. cap. 5.* nam deberet sentiri singularis excessus, intemperiesque qualitatum, & tamen sæpè dolor sentitur; non autem intemperies.

Probabile est, Dolorem proximè causari à qualitate dolorifera, quæ ex tactu resultat, calefactione, vel scissione continui. Attamen S. Doct. *locis* suprà *adductis* vult, Dolorem ex carne prouenientem, esse sensum scissionis, dissolutionis; &c. Probatur ab ipso ex definitione doloris, lata ab Aristotele, *6. Topic. cap. 3.* suprà relata. Idem sentit Galenus *lib. de Inæqualitate, & Intemperie,* & *lib. 4. de simplicium medicamentorum facultate, cap. 2.* & *lib. 2. de locis patientibus, cap. 10.* Portius *lib. de dolore, cap. 3. & 4.* Argenterius *lib. de causis symptomatum, cap. 15. & 16.* Idem probabile censent Suarez *lib. 5. de Anima, cap. 5. num. 10.* Talis enim dolor semper è scissione, vel compressione, vel immodica tractione, seu curatione membrorum causatur.

Obiicit verò Auerroës *lib. 2. collectan. capite 21.* Causa doloris debet tactu percipi; diuisio autem continui sola non sentitur tactu, cùm sit Sensibile commune, quod solitarium absque sensibili proprio non sentitur; non ergo scissio dolorem causat, nisi forsan remotè. Confirmatur, quia dolor sæpè est absque diuisione. 27

Respondetur, Sensibile commune emittere propriam speciem, vt ostendi *disp. 4. cap. 1. disputationis, quæst. 1.*

Respondetur secundò ex D. Bonau. *locis citatis.* Tactum sentire non solùm qualitates primas, sed etiam consequentia ad hæc, atque adeò temperies, & intemperies, operationes, motiones hinc prouenientes, atque impedimenta sibi obuenientia ex dissolutione compositi; vnde nequit operationes suas exercere, ideò dolet: Sic etiam oculus in tenebris sentit, se impeditum à sua sensione, & dolet.

Ex dolore tandem Luctus; & è Delectatione, seu Gaudio, risus prouenit: Quæritur autem horum causa. 28

Risus quidem ex hilaritate, & commotione lætificati cordis prouenit, quâ dilatantur musculi Thoracis, & septum transuersum. Ita D. Bonau. *in 2. dist. 8. part. 1. quæst. vltima in corpore,* & *ad 2. Ecclesiast.* ad ea verba: *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, &c.* & *ad cap. 3.* ad ea verba *Tempus ridendi.*

Videtur autem S. Bonau. ibi velle non è sola rei delectantis præsentia oriri risum, sed ex phanatica quadam, seu extranea apparentia, atque adeò ex admiratione; vnde pueri, & leuiores rident facilè, non verò sapientes. Hæc eadem est sententia Fracastorij *lib. de Sympathia, cap. 20.* Valesij, *lib. 5. Controuerf. cap. 9.* Suarez *lib. 5. cap. 5. num. 11.*

qui

qui ex partium sympathia, legitimam originem risus venatur, quia scilicet partes illæ vitales sentientes è sympathia partis rationalis gaudium, dilatantur. Vide ipsum.

29 Qvoad Fletum, latè discurrit S. Bonau. *in Dieta salutis, tit. 7. cap. 3. & ad caput tertium Ecclesiast.* ad ea verba: *Tempus plangendi*, vbi luctum in lacrymarum effusione; planctum in eiulatu ponit. Et *toto sermone Dominica nona post Pentecost.* Hunc ergo vbique risui opponit, & ex causa opposita, nempè, Tristitia, oriri docet: nam sicuti Delectatione Cor dilatatur, & cum eo Thorax, & Oris musculi; ita Tristitia constringitur Cor, & partes oculis vicinæ; ex quo motu; & calore aliquo similiter excitato, humor aliquis soluitur in lacrymas. Hinc pueri, & fœminæ faciliùs soluuntur in lacrymas, quia, & humidiores sunt, & passionibus faciliùs concutiuntur.

Est autem lacrymarum materia, humor quidam sanguinis, velut serum, vt docet Aristot. *sectione 31. problem.* ex eo inditio, quòd salsus sit, exciteturque calore; qua de causa ex vento, & ex fumo, & vehementi risu, lacrymæ funduntur.

Notat verò S. Bonau. *in secundo, dist. 14. quæstione vltima*, Passiones plurimùm pendere è complexione corporis, & copia aliqua humoris, quem excitat, & à quo etiam excitatur: Sic melancholia congenea est Tristitiæ, Timori, & Desperationi; Sanguis, qui Melancholiæ opponitur, Audaciam, Gaudium, & Spem parit: Flaua bilis iram excitat, Pituita potius ad pigritiam, & torporem, ac timorem declinat: Idem habet Suarez *libro 5. capite 5. num. 18.*



DISPVTATIO VIII.

DE POTENTIA LOCO MOTIVA ANIMALIS.



Ne frustrà esset Appetitus, in obiecta longinqua, & distantia semper propensus, superaddidit natura cuique animali vim motiuam, quâ quod cognitione sibi conueniens apprehenderat, & appetitu sibi bonum concupiuerat, motrice tandem facultate attingat & placida sibi vnione adiungat. Peractis igitur disputationibus de potentia Cognoscitiua & appetitiua: Hanc de Motiua paucis expediemus, vt ociùs ad potiorem animæ portionem, Rationalem scilicet, progrediamur.



QVÆSTIO I.

A quo sit Motvs *Animalium.*

1 Sanctvs Bonauentura *lib. 2. Compendij, capite 41.* distinguit Potentias sensitiuas, in cognoscitiuas, & motiuas: has verò in motiuas intentionaliter secundùm appetitum, Et motiuas localiter, distribuit: Idem præstat *3. part. Centiloq. sectione 22.*

Agimvs iam de Potentia Motiua sensitiua localiter.

Notat verò Sanctus Doctor *ibi*, & *3. parte Centil. sect. 20. & sect. 21.* Motiuam esse localiter mouentem; non appetitiuam. Definitur verò à S. Doct. in Declaratione terminorum Theologiæ: *Est vis sensitiua, qua Anima singula mouet membra corporis*; Vel actus corporis organici ab anima sensitiua per vim motiuam, excitatâ apprehensione obiecti.

Motivam igitur animalis, diuidit in Vitalem, & Animalem.

Motvs vitalis localis, qui naturalis etiam dicitur, consistit in continuo motu Cordis, quòd sanè eo modo dilatatur, ac comprimitur, ac si vasculum è viminibus in figuram Cordis contexeres, & in fundo filum appensum superiori è parte traheres, & dimitteres. Huc spectat etiam motus Pulmonum, & aëris per eos ad Cor refrigerandum. De hoc in Anatome *Tractatu 8. disputatione 4. quæstione 27.*

Similiter huc spectat Arteriarum pulsus; hi enim motus naturales dicuntur, quia in nostra potestate non sunt; esto valeant aliquantulum detineri, quoad congressum liberum aëris, vel exitum eius. Vide *loco citato, Tract. 8.* Propriè verò hic motus vitalis est, quia in eo vita posita est, ac constituta.

Motvs verò animalis dicitur progressiuus, qui dicitur animalium proprius.

Et sanè quoad priorem motum, certum est, collocare suam originem in Corde, & est motus à sensitiuo distinctus, qui ab appetitu cietur. Probatur à Suarez *lib. 5. cap. 10.* ratione D. Bonau. *locis adductis*, quia independenter ab appetitu cietur, vt patet experimento: Atque etiam ille, qui est in Hepate, motore sanguinis, & aliorum humorum, secundùm Galenum, dicitur naturalis, vt notat D. Bonau. *loc. cit. Compendij.* 2

Qvoad motum Animalem, in Cerebro, qui est fons neruorum, ponitur: Nerui autem musculis componendis infarciuntur, per quos fit motus: Ita Aristot. etiam *5. de Gener. animalium, capite 6. & lib. de communi animalium motu*: Et D. Thom. *Opusc. 43.* cum D. Bonau. *locis adductis.* Addunt verò, ad hunc motum concurrere etiam Appetitum, qui sedem habet in Corde: Appetitus verò à cognitione dirigitur ad quærenda sibi conuenientia, vel noxia vitanda: ergo ex appetitu venit.

Qvæstio igitur nunc oritur, à quibus actiuè eliciatur hic motus.

Prima opinio est, totam actiuitatem motûs localis in appetitu esse: membra verò passiuè tantùm se habere: Ita Caiet. *3. de Anima, cap. 6.* Ferrar. *3. contra Gentes, cap. 82.* secutus ibi D. Thom. qui id videtur asserere, quod asserit & *p. p. quæst. 75. art. 3. ad 3.* Capreol. *in 2. dist. 1. quæst. 2. ad argument. Aureoli.*

Secvnda opinio est, Motum progressiuum actiuè à Potentia, in membris existente, euenire, licèt remotè ab appetitu: Ita S. Caiet. Thien. *3. de Anima, text. 54.* Gotfredus *quodl. 1. quæst. 4.* Henriq. *quodl. 1. quæst. 6.* Idem vult S. Thom. *Opusc. 43. cap. 5. & p. p. quæst. 78. art. 1. ad 4.* Suarez *libro 5. de Anima, cap. 10. num. 8.* Ruuius *3. de Anima, cap. 13. Tract. de Voluntate, & Potentia motiua, quæst. 2.* post D. Bonau. *lib. 2. Compend. Theol.*

Theol. cap. 41. & 3. *part. Centil. sect.* 21. & *in* 3. *distinctione* 13. *art.* 2. *quæst.* 3. *in corpore*, & *ad* 1. & *in* 2. *dist.* 15. *dub.* 1. Ideò cum *in* 4. *dist.* 50. *part.*1. *quæst.*1. *in corpore* ait: *In corpore esse potentiam passiuam*; *actiuam verò in Anima*; vult dicere, ita esse, considerato Organo inanimato. 3

ASSERO cum hac sententia, motum progressiuum prouenire a potentia in membro actiuè existente.

PROBATVR primò à Suarez *num.* 5. ratione, quâ nititur D. Bonauent. *locis adductis*; Omnis potentia distincta vitalis habet intrinsecè suum actum; sed potentia motiua est huiusmodi: Ergo. Sic arguit & Fuliens. 3. *Physicorum*; *capite* 6. *articulo* 3.

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *locis citatis*: Nam Appetitus imperat motum localem: Ergo ab alia potentia actiuè adimpletur. Hæc est ratio etiam Diui Thom. quam adhibet Suarez. Ex quibus eruit S. Doct. *allatis locis*, Virtutem motiuam primò esse in Corde, vbi est principium vitæ, & appetitus; executiuè autem in neruis è Cerebro deriuatis tum immediatè, tum per medullam dorsalem, Nerui verò musculis infarciuntur, & in his proximè est potentia motiua. Quare & à Corde est. Hinc fit virtutem motiuam esse in toto animali: Ita D. Bonau. *p.* 2. *Breuiloq. cap.* 11. & *in* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *quæstione vltima.* Idem habet *in* 4. *distinctione* 50. *part.* 2. *quæstione* 1. *in corpore*, licèt ibi videatur solam passionem corpori adscribere; & animæ soli totam actionem; attamen attentè legenti solùm infert, actionem esse in parte animæ, quia actus vitales soli corpori non competunt; attamen etiam corpus, vt animatum, habere actionem, & non esse mutum instrumentum, sicut Serra; nam appetitus mouet sanguinem; sanguis mouet venas, &c. Sensus quidem mouet ostendendo obiectum, qui modus est potius moralis. Appetitus verò mouet, excitato amore, & desiderio: Ideò neuter efficit motum physicè, vt arguit Fuliens. *loc. cit.* Eustach. 3. *parte*, *tract.* 3. *disput.* 4. *quæst.* 1.

QVÆSTIO II.

Vtrùm MOTIVA VIRTVS *sit in omnibus Animalibus.*

4 ASSERO affirmatiuè: Ea enim nascitur ex Sensitiua, & ideò quò perfectior est Sensitiua, eò perfectior est etiam vis motiua. Hinc fit, vt quædam volatu cieantur; alia gressu; alia natatione; alia dilatatione moueantur. Sanè multa imperfecta habent motum imperfectum dilatationis tantùm.

EORVM diuersas rationes se mouendi affert S. Bonauentura *in* 2. *distinctione* 15. *dub.* 1. *litterali*, ad ea verba: *Producant aquæ reptile animæ viuentis.* Vbi mouet dubium, quare reptilia, & natatilia, cùm sint diuersi generis, & producta ex aquis cùm sint natantia, qua de causa debent dici reptilia? Secundò, cùm reptilia sunt terrestria; & natatilia sint aquatica, quare natantia dicuntur repere?

RESPONDET, in animalibus differre motum rependi, à motu gradiendi, quæ enim reptant, trahunt se, protendentia aliquam partem anteriorem, & ex hac trahunt reliquum corpus, vt patet in vermibus: Motus verò graditandi est per impulsionem. Igitur ea, quæ natant, se trahunt, & protendunt anteriùs, & extendendo anteriùs, quasi tenendo se ad soliditatem, vel grossitiem aquæ, trahunt totum corpus suum, vt patet in natantibus. Hinc omnia natantia dicuntur reptilia; etsi contingat, ea aliquando gradi, vt in Crocodillis, & quibusdam aliis, quæ versantur in aquis, & in terra, denominantur tamen à motu, qui est eis magis naturalis, idest, qui competit eis secundùm habitationem in aquis: Volatilia autem non dicuntur reptilia, quamuis videantur ferri per aëra, sicut pisces per vndas; Ea enim per impulsum magis mouentur, quàm per tractum. Dum enim auis volat, clauditur aër sub concauitate alarum, & dum alæ applicantur ad corpus violenter, aër perpellitur ex parte alarum posteriori tractu, & ex illo impulsu, corpus auis procedit anterius, & ideò volatilia sub reptilium nomine non colliguntur, nec sub genere gressibilium; quia non mouentur virtute pedum, sed alarum. Vnde sic potest sumi diuisio animalium, quantum ad motum: Quia animal, aut mouet se anterius trahendo; & sic est reptile, siue sit in terris; siue in aquis: aut impellendo, & hoc dupliciter; aut pedibus; & sic est gressibile: aut alis, & est volatile. Hinc patet, quomodo pisces dicantur reptilia. Ad id, quod obiicitur, Reptilia esse ad ornatum terræ. Respondetur, Reptile dici quatuor modis; Primò quòd se trahit vi oris, vt vermes, qui caput protendunt, & solo adhærentes ore, trahunt corpus. Secundò, quod se trahit vi costarum, vt serpentes. Tertiò vi pennularum, vt pisces. Quartò dicitur reptile, lato modo, quod in mouendo se, magnam partem corporis applicat terræ, quamuis habeat pedes, sicut Lacertæ; & sic pro diuersitate reptandi, alia sunt aquarum reptilia; alia terræ: Scias verò, omnia moueri, aliqua parte quiescente; sic quieto crure, pes mouetur, &c. ob id dati sunt articuli, totque iuncturæ: Ita verò, vt & quæ tardiùs mouetur, censeatur quiescens. Hic autem motus à dextra incipit, vnde initio firmant sinistram, vt dextra, quæ robustior, incipiat moueri, ea enim à corde magis roboratur. Hinc claudi, impediti cernuntur magis crure dextro. Vide *Tract.* 8. *disp.* 4. *de Corde.* 5

QVÆRES primò: An Voluntas possit localiter mouere, absque Appetitu sensitiuo; vel Appetitus Sensitiuus absque Voluntate.

RESPONDETVR primò, Appetitum Sensitiuum, seclusis impedimentis, mouere non posse, renuente Voluntate: est enim in nobis motus localis liber, excepto motu vitali, vt suprà dixi, *quæstione* 1.

RESPONDETVR secundò, Appetitum Sensitiuum sufficere ad mouendum localiter; si voluntas non contradicat.

DICO tertiò; Voluntatem posse mouere, etiam renuente Appetitu sensitiuo.

PROBATVR: Quia libera est.


QVÆRES secundò: Vtrùm anima ad motum animalem se habeat, vt natura.

RESPONDETVR, se habere, partim vt naturam; partim vt efficientem: Vt naturam quidem, quia est forma: Efficienter verò, quia mediâ suâ potentiâ motiuâ, mouet animalia. Hinc motus animalium non est violentus, nisi quatenus repugnat naturæ elementari grauis, & leuis: Sic enim motus auis per aërem est violentus, elementis grauibus prædominantibus suo corpori, ideò mortuus decidit.

QVÆRES

QVÆRES tertiò: Quomodo anima exhibeat corpori hunc motum.

RESPONDETVR, Animam excitatam à suo appetitu ex præsentia obiecti conuenientis, aut noxij, putà Ouem ex præsentia Lupi, applicare membra motui, agente Corde primo, ac Cerebro exequente, mediis neruis, inter musculos, &c. De his egi *Tract.* 8. *disp.* 4. *quæst.* 3. vbi de Neruis, *& quæstione* 6. vbi de musculis, *& quæst. vlt.*




DISPVTATIO IX.

DE ANIMA RATIONALI.



NATVRÆ vestigiis insistentes, ab Anima vegetatiua, quippè imperfectiori, sumus exorsi. posteà Sensitiuam, vlteriorẽ, nempè & eleuatiorem actũ, cum suis potentiis perlustrauimus: Nunc verò vltimam & nobiliorem Animæ portionem, Rationalem scilicet, aggredimur. Hæc est Nobilis illa terræ incola, rerum supernarum infima, inferiorum suprema, in vtriusq; veluti confinio posita, vtrumque iungit; & licèt Terræ sit immersa pro conditione huius vitæ, immensa tamen ambit gaudia, veritatis amans, bonitatis appetens ad vnionem, nedum ad vnitatem aspirans; quare triplici dotatur facultate, tanquam stigmatizata Creatoris sui imagine; ergastulam nec despicit materiam, dum liberatricem suscipit gratiam; sursum atq; deorsũ variis Naturæ fertur instinctibus, ordinatè tamen; Sed prius non consequitur, nec perfectè appetit absq; gratia; nec posterius diu possidet absque peccato. Verùm cùm hæc moralis sint considerationis, sequenti tomo ea pertractabimus. Hìc autem Animæ Rationalis physicam entitatem; sicut & naturales potentiarum functiones per plura capita percurremus.



CAPVT I.



AD obstruendum Os loquentium iniqua in ipso limine præclariora, quæ tradi solent de natura Animæ rationalis, tradidimus. Cùm enim ab huius immortalitate tota pendeat, vt ita dicam, *Lex & Propheta*. Operæ pretium duxi solidum illud omnis vitæ & virtutis fundamentum præiactum relinquere, quo faciliùs cæteras veritates Orthodoxas, quæ passim inter naturalium rerum speculationes occurrunt, elucidarem. Agam itaque hìc breuiter de his, quæ nec iam tacta sunt, animæ tamen quidditatem propiùs respiciunt.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ANIMA RATIONALIS *ex se subsistat.*

D. Bonau. in 2. d. 5. art. 2. q. 1.

PRIMÒ quidem negantes animæ immortalitatem, negant etiam subsistentiam omnem. Deinde Caiet. 3. *part. q.* 6. *art.* 3. vult, animam, dum est in corpore, non subsistere; in separatione verò, acquirere Esse subsistens, quod tamen *Semipersonale* appellat, quia adhuc est pars, non Natura completa. Hoc autem reprehendunt Colleg. 2. *de Anim. c.* 1. *quæst.* 2. Auerl. *quæst.* 59. Cauell. *disp.* 4. *de Anima.* 1

MAGISTER *in* 3. *dist.* 5. & Hugo de S. Vict. apud D. Bonau. censuère, animam rationalem separatam, esse Personam.

VERA tamen Sententia est, Animam, & in corpore, & extra corpus habere subsistentiam quandam partialem; ita vt in corpore simul cum subsistentia corporis contineat personam hominis; extrà verò solitaria imperfectam subsistentiam obtineat. Ita S. Doct. hìc, & *dist.* 22. *q.* 21. & *in* 2. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *in corpore,* & *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 3. & alibi.

Hoc sensu D. Macarius *Homil.* 20. *tom.* 2. *Bibliot.* vocat hypostasim animæ. Idem censent communiter cum D. Th. 3. *p. q.* 6. *art.* 3. Suarez *d.* 34. *Metaph. sect.* 5. *à num.* 27. Valent. *tom.* 1. *d.* 6. *quæstione* 1. *punct.* 1. *col.* 985.

ASSERO primò, Animam Rationalem solitariam non esse personam, contra Origenem *lib.* 1. *Periarch. cap.* 8.

PROBATVR primò à D. Bonau, Id, quod venit ad compositionem substantialem, non est persona. Anima est huiusmodi: Ergo. Maior probatur à D. Bonau. quia persona dicitur per se vna. Minor probatur è Scripturis, & Patribus, asserentibus, animam esse partem hominis, sicut, & corpus, Sap. 9. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam.* 2 Matth. 10: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Prima Thessal. 5. *Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Idem habetur in symbolo D. Athanasij, in Concilio Later. sub Innocentio III. *cap. Firmiter*, & sexta Synodo Generali, *act.* 11. Idem habent Sancti Patres passim. Hoc argumento vtitur etiam Valent. *loc. cit.* Suar. *n.* 5. Confirmatur etiam ratione S. Bon. *fund.* 2. Persona dicit completissimam substantiam, non ordinatam ad vlteriorem perfectionem in eodem genere: Sed Anima rationalis ordinatur ad constituendum hominem: ergo.

PROBATVR à S. Doct. *fund.* 3. Si enim extra corpus seorsim fieret persona, perficeretur per separationem, nobiliorem modum essendi adipiscens: ergo appeteret naturaliter separationem; nec vnquam cuperet vnionem ad corpus.

PROBATVR sequela, quia natura appetit quod melius est: Sequeretur ergo, vitam esse in animæ præiudicium; mortem verò in præmium, vel donum; non autem in pœnam.

PROBATVR quartò à Seraph. quia sequeretur, animam hypostaticè assumere corpus, cùm ei vnitur in resurrectione: Similiter Christum assumpsisse personam; quæ omnia falsissima sunt.

O PROBA-

Probatvr quintò à D. Bonau. *in corpore*: Ad rationem personæ pertinet incommunicabilitas: Ergo non potest anima assumi in hypostasim à Verbo, si est Persona.

5 Probatvr sextò *in corpore*. De ratione personæ est incommunicabilitas; sed anima extra corpus est iterum communicabilis corpori ad constituendum hominem: Ergo.

Assero secundò, Animam seiunctam, esse subsistentem.

Probatvr à D. Bonau. *in argumentis secundo loco*, & *in corpore*. Quia est substantia rationalis, non in aliquo; ergo in se. Deinde independenter ab organo operatur, adit, alloquitur alios. &c. Ipsum vide, quem sequuntur Suarez *locis citatis*. Valent. *loco citato*, & omnes ferè alij. Vti Faurent, *Theor.* 68.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Anima Separata *sit in loco, & localiter moueatur.*

Hvc reuoca, quæ dixi *Tract. de Angelis, disp.* 9. & 10. de Loco; & Motu Angelorum; est enim in hoc par ratio vtriusque, vt sæpè ibi habes ex D. Bonauentura.

Assero primò, animam esse in loco definitè. Probatur ibi à S. Doct. ex finitate substantiæ. Vide ipsum.

4 Assero secundò, animam moueri localiter, idest, mutando Vbi. Est de fide.

Probatvr à D. Bonau. *in* 3. *dist.* 22. *quæst.* 4. Anima enim Christi descendit verè ad inferos, vt habetur Actorum 2. *Quem Deus suscitauit à mortuis, solutis inferni doloribus*, & in symbolo: *Descendit ad inferos*, quo nil expressiùs dici potest; vt notat D. Bonau. *ibi, fundamento* 1.

Idem probatur à S. Doct. ibi, ex Patribus. Ipsum vide. eisdem vtitur mediis Suarez *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 7. & *sequentibus*.

QVÆSTIO III.

Vtrùm sit animæ nostræ magis naturalis status in corpore, quàm extra.

Primò quidem Plato *in Timæo, Phædro, & Phædone* ait, Animas nostras inuitas alligari corporibus, indeque egredi optare: Similiter Auicenna putat, naturale esse quidem animæ, veluti in statu imperfectæ infantulæ, vniri corpori; attamen iam perfectæ naturalem esse separationem. Ita 9. *Metaph. cap.* 1. Idem ferè Scotus *in* 4. *dist.* 46. *quæst.* 1.

5 Alii dixère, statum separationis esse animæ violentum. D. Th. *p. p. quæst.* 18. *art.* 3. & 4. *contra Gent. cap.* 49. Ferrar. 1. *contra Gent. cap.* 83. & 94. Morisan. *disp. vltima, de Anima*, Onuphrius *Tract. de Anima, disp.* 2. *part.* 3. *quæst.* 1.

Alii dicunt, animæ statum in corpore mortali esse connaturalem; statum tamen separationis, magis connaturalem; coniunctionis verò cum corpore immortali, maximè connaturalem: Ita Mastrius *disputat.* 8. *num.* 6. cum suo Collega Belluto eruditissimo.

Alii verò dixère, statum separationis, nec naturalem, nec violentum esse, sed præter naturam, sicut motus circularis igni circa sphœram: Ita Henric. *quodl.* 7. *quæst.* 13. Caiet. *p. p. quæst.* 89. Colleg. 3. *de Anima, tract. de anima separata, disp.* 2. *quæstione* 2. *art.* 2. & alij Recentiores, vt Faber 12. *Metaph. disp.* 32.

Rvvivs, *tract. de anima separata, quæst.* 6. dicit primò, statum separationis esse animæ naturalem, non quidem ex inclinatione animæ ad illum, sicuti est informatio, quam anima appetit; sed naturali consecutione ex appetitu informandi corpus, sequi; quia enim appetit informare corpus corruptibile, sequitur naturaliter cessare ab informatione: Ita etiam Canellus *disp.* 4. *de Anima separata, sect.* 1.

Svarez *lib.* 6. *cap.* 9. dicit primò, Animam naturaliter vniri corpori, & hanc esse naturalem eius conditionem: Secundò, Animam ex vnione cum corpore non reddi imperfectiorem in substantia sua, quin potius explicare perfectionem, perficiendo aliud; ideò in corpore, licèt non perficiatur, habere tamen modum essendi magis conformem ipsi substantiæ. Addit tertiò, quoad modum operandi, melius ei esse à corpore, quo grauatur, separari, licèt in eo ad plures operationes extendatur.

Sententia D. Bonau. est primò, statum informationis esse simpliciter animæ naturalem: Ita *in* 3. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 3. & *dist.* 22. *quæst.* 1. & *in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 5.

Deinde, *in corpore* simpliciter habere perfectius esse, quia est in quiete sui appetitus; separationem verò esse pœnam; esto per accidens à corpore grauetur, quoad perfectionem operationum, cùm plures exerceat, nempè Sensitiuas, & Vegetatiuas. Ita *in* 3. *dist.* 5. *loco cit.* maximè *fund.* 3. & *in corpore*, ex quo ruit ratio Scoti dicentis, animam non appetere vnionem ad corpus, quia nihil perfectionis adipiscitur: Sequitur Fuliens. *lib.* 3. *cap.* 9. Eustach. ferè 3. *part. tract.* 4. *disp.* 3. *quæst.* 2. nam separationis statum præter naturam vocat. 6

Assero primò, statum animæ in corpore, esse maximè naturalem animæ.

Probatvr à Suarez *num.* 2. Ruuio *num.* 85. Valentia *disp.* 6. *quæst.* 1. *col.* 985. *argum.* Diui Bonauenturæ *in* 3. *distinct.* 5. *loc. cit.* Id alicui est maximè naturale, ad quod habet essentialem appetitum; Sed anima habet essentialem appetitum ad informandum corpus: Ergo. Maior patet: Naturale enim propriissimè dictum est, ad quod res naturaliter intrinsecè inclinatur, cui opponitur violentum. Minor probatur, nam ille appetitus est Animæ essentialis, qui includitur in eius definitione; sed in definitione animæ includitur appetitus ad corpus; definitur enim Actus corporis organici: Ergo. Confirmatur ex dictis *disputatione* 1. *quæstione* 9. & 11.

Assero secundò, statum separationis per se esse violentum animæ aliquo modo. 7

Probatvr à D. Bonauent. *loco citato*. Id, quod est pœna, atque contra appetitum animæ essentialem, illud est violentum: Sed mors homini est pœna, & contra appetitum animæ essentialem: Ergò. Maior est Aristotelis in Physicis, quam astruit Ruuius hic *numero* 76. Minor est ipsius *numero* 85. Quare non video, quomodò statum separationis naturalem sustineat *num.* 81. & probatur Minor de fide *Genes.* 3. & alibi.

Respondet Suarez, *numero quinto*; primò, negans hinc sequi violentiam: est enim Anima subsistens, immortalis, habilis ad separationem, &c.

Con

CONTRA: nam adhuc retinet appetitum naturalem ad corpus.

RESPONDET secundò, animam naturâ suâ vindicare sibi vnionem cum corpore corruptibili, ex quo naturaliter sequitur, separandam ab illo.

ENIM verò fragile est effugium: Nam essentia animæ est esse actum corporis, & hoc est illi essentiale, ergo semper inest; ergo præscindit ab esse corruptibili corporis; hoc enim esse corporis, est sibi per accidens; appetitus verò per se essentialis.

ITAQVE anima appetit vnionem cum corpore perpetuam; ergo semper appetit. Antecedens est Suarez *num.6.* Consequentia probatur, quia appetitus talis est naturalis, intrinsecus, essentialis: ergo semper idem. Confirmatur ex eodem Suarez *capite 10. num. 2.* vbi hoc f tetur.

8 DICES: Si animæ extra corpora stant violenter: ergo non sunt beatæ.

RESPONDET S. Doct. *3. dist. 5. art. 2. quæst. 3. ad vlt.* satiari à summo Bono, quo fruuntur: An verò appetitus ille retardet animas, dicam *3. part.* vbi de resurrectione cum D. Bonau. *in 4. dist. 40. p. 2. art. 1. quæst. 1.* & *prima secundæ, tract. 1. disp. 1. q. 2.*

ASSERO tertiò, non ob id resurrectionem esse naturalem, si anima habeat appetitum ad resurrectionem, vt docet D. August. *12. super Genes. ad lit. cap. 35. tom. 3.*

PROBATVR à D. Bonau. *ad vltimum.* Primò quidem ostendit, non omnia, quæ sunt in appetitu naturæ; esse ideò naturaliter in eius potestate: Nam etiam ad beatitudinem habemus naturaliter appetitum, neque tamen eam naturaliter consequi valemus, vt ostendam *tract. 1. d. 2. q. 22. prima secunda.*

9 SECVNDÒ, quia non est appetitus ex parte puluerum, quæ non habent ordinationem naturalem, sed solùm ex Diuinâ prouidentiâ, quæ disponit illud corpus reformare ad remunerationem. Vnde illæ partes elementorum sunt eiusdem rationis cum elementis, licèt ex Diuina Prouidentia ordinentur ad corpus humanum; Anima verò magis ad eas particulas elementorum, quàm ad alias ordinatur, ex contracta iam cum materialibus illis partibus affinitate. Vide S. D. egregiè de hoc discurrentem.

Ex his ruit argumentum Henrici, Caiet. Conimbr. Eustach. & Ruuij *num. 80* inferentium, si status separationis esset violentus, sequi, fore naturalem resurrectionem.

ALIVD etiam argumentum obiiciunt præfati Authores, quod efficax acclamat Ruuius *num. 81.* De ratione violenti est, quod fit à principio extrinseco, agente contrario: At mors potest esse absque dolore, & absque contrario per solam consumptionem humidi.

RESPONDETVR facilè, eam consumptionem humidi esse à contrario, & sanè extrinseco ipsi temperiei, licèt pugna fit inter ipsa componentia. Igitur elementum, seu qualitas corrumpens, putà calor, extrinseca est quoad excessum corrumpentem: Erit autem talis qualitas etiam extrinseca, licèt calor additus sit febrilis. Definitur etiam febris: *Calor extraneus accensus in Corde*; vel erit excessus in interno, actione contrarij introductus in corpus: Dolor verò extrinsecus admodum, & per accidens est violento: Adde, semper in separatione animam affligi, tametsi in quibusdam temperatur spe beatitudinis, quâ etiam appetitus animæ compensatur in summo bono, ne aliquid patiatur diminuens fœlicitatem. Tandem adde, hunc appetitum animæ aliqualiter detinere accidentaliter animam, vt docet D. Bonau. ex D. Augustino *loco relato.*

Ex his deducitur, quàm falsò Scotus, vbi suprà, neget in anima appetitum ad reunionem cum corpore, eò quòd resurrectio non est naturaliter possibilis. Neque enim ex hoc benè infertur; & quidem, si de appetitu naturali, qui in aptitudine quadam positus est, sit sermo, hic non sequitur cognitionem, estque essentialis animæ: Si verò de elicito, potest appetere, non considerato modo, vt, quia se naturaliter nouit esse formam corporis, potest illud desiderare, non attentâ impossibilitate regressus de priuatione ad habitum. Quare nimis scrupulosè Suarez *libro 6. cap. 10. num. 3.* dicit animam, solâ ad summum velleitate, posse appetere vnionem ad corpus; Hoc sanè concederem, si præintelligeret impossibilitatem, quia ad impossibilia non est electio, vt dixi *Tractatu de Angelis, disp. 7. de peccato eorum, q. 3.* vbi Scotus oppositum docet. 10

QVÆSTIO IV.

Quænam POTENTIÆ *Actûs, & Habitûs maneant in Anima separata.*

ASSERO primò, Potentias omnes formaliter, quoad esse potentiæ, manere in anima seiuncta. Probatur, quia sunt ipsa animæ substantia, vt dixi *disp. 2. quæstione 1.* Ita D. Bonau. ibi adductus, & *in 4. distinctione vltima; parte 2. quæst. 1.* & *in 2. dist. 31. quæst. 2.* & *lib. 2. Compend. Theol. cap. 43.* Vnde non rectè Suarez, *libro 6. capite 3.* solùm Gregorium huius sententiæ astruit, eamque falsam dicit: Ratio verò, à Gregorio adducta, eò quòd potentiæ sunt in eadem anima radicatæ, & idem realiter, est D. Bonau. *in 4. loco citato, in corpore,* estque optima, & *loco citato* roborata. 11

ASSERO secundò, manere in anima, quoad exercitium, solas potentias spirituales, Memoriam, Intellectum, & Voluntatem, ac Motiuam: Sensitiuam autem, & Vegetatiuam, non habere exercitium suorum actuum.

PROBATVR à S. Doct. *locis adductis,* præcipuè ex professo *in 4. sent. loc. cit.* Primò, quia, si anima sensitiua haberet virtutes exercitas actuum sensitiuorum in statu separationis, iam frustrà in vnione haberet organa, tanquam necessaria ad sensationes: Similiter deficientibus sensibus, adhuc sentiremus, & ita cæcus videbit colores, &c. contra experientiâ.

ADDIT verò, hoc habere animam separatam virtute solius Intellectus, vt cognoscat, etiam materialia.

PROBATVR secundò à S. Doct. *in corpore,* authoritate Sanctorum, qui dicunt, animam separatam intelligere materialia, & primò Cassiodorus *lib. de Anim.* ait, Eam separatam videre, audire, &c. Sed non potest esse hæc vera sensatio; ergo est intellectio coloris, soni, &c.

DEINDE D. Aug. *lib. de Spiritu, & anim. cap. 10.* & *12. supra Genes. ad litt.* docet, animam habere imagines rerum corporalium, & ideò per illas imaginari; At non imaginatur per imaginatiuam retinentem species materiales, quæ, pereunte organo, perierunt: ergo de nouo accipiendo. Idem habent multi PP. ad ea verba Lucæ *16. Eleuans autem oculos, cùm esset in tormentis* (supple mortui anima) *vidit Lazarum.* Vide D. Bon. ad eum locum D. Luc. 12

PROBATVR tertiò à D. Bon. ratione, quâ vtitur Scot. *in 4. d. 45. & 46. quæst. 2.* sumpta ex perfectione

ne animæ: Anima enim extra corpus est expeditior, quia: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam,* Sap. 9. vt ritè aduertit D. Bon. ad eum locum, & concedit Suar. *lib. 6. cap.* 8. Vnde falsò Bellarm. *lib. 6. de amissione gratia, cap.* 2. ait, animas separatas naturaliter valdè imperfectè intelligere. Adducit verò D. T. *p. p. q.* 89. *art.* 1. sed falsò, nam D. Th. solùm ait, animam in corpore intelligere modo sibi connaturali per conuersionem ad phantasmata; extrà verò, modo præternaturali sibi, vt est forma; non vt intelligens.

IAM verò probatur assertio à D. Bon. quia potentia in statu expeditiori potest id, quod ipsa poterat impedita; sed anima separata, in corpore aggrauante poterat intellectu agente abstrahere species à phantasmatibus materialibus: Ergo & separata poterit eas abstrahere ab obiectis. Confirmatur, alioquin anima separata esset imperfectissima, si non posset percipere res materiales, & expectare deberet species supernaturaliter infundi ab extrinseco, vt arguit Poncius *disp.* 6. *num.* 38.

13 RESPONDET Suarez *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 2. hæc procedere ex falso fundamento; nam intellectus agens, non est productiuus specierum, nisi ab aliquo determinetur; Dum autem vnitur corpori, determinatur quidem à phantasmate; separatus verò determinari nequit, quia determinatio per hoc perficitur, quod vtrunque in eadem anima radicetur, sicque anima operante per phantasiam, versantem circa hoc obiectum, trahitur intellectus ipse ad efficiendum speciem illius; atque hoc est ad phantasmata conuerti: nihil autem horum, locum habet in anima separata, quæ phantasiâ caret; neque potest fingi modus, quo ab obiectis externis determinetur, etenim anima non conuertitur ad res, nisi cognoscendo, & amando illas hæc autem conuersio supponit species in intellectu; non ergo per talem conuersionem determinatur intellectus ad producendas species.

HÆC verò friuola sunt; nam cùm phantasma habeat rationem obiecti, eo modo determinat potentiam intellectiuam; sicut species sensus communis determinat phantasiam; & species sensus externi determinat sensum communem, & obiectum determinat sensum externum. Itaque, sicuti non est necesse, vt obiectum determinet potentiam oculi, *v. grat.* quod species iam præsit in oculo, ed sufficit, vt de nouo immittatur; ita intellectui sufficit præsentia obiecti, à quo abstrhat speciem; conuersio enim animæ ad res, in cognoscendo, non supponit speciem, sed applicat se, vt ipsam recipiat, nisi fortè liberè velit hoc materiale cognoscere, & tunc ex
14 libertate potest conuerti ad illud, vt ait S. Doct. supposità alia cognitione, saltem quoad aliud: ergo, vt intellectus se applicet ad cognoscendum, non debet esse determinatus ad obiectum per speciem, sed debet se ex libertate determinare, conuertendo se ad obiecta materialia, quæ in mundo esse nouit, sine etiam per alias species in hoc, vel illo loco nouit; sed hoc, cùm de intellectus agentis operationibus disputabimus, discutietur meliùs *c.* 2. *q.* 4. & quidem Suar *lib.* 6. *de anim c.* 6. in anima separata supponit intellectum agentem, sanè non otiosum cum Scoto *in* 4. *dist.* 45. & Schola apud Ponc. *disp.* 6. *q.* 4. Conimbr. *tract. de anim. separata,* post D. Bon supra.

OBIICIES. Anima Epulonis in inferno videtur locuta, postulans linguæ refrigerium, vt dicitur, *Luca* 16.

RESPONDET D. Bon. Illa fuisse facta ab intellectu, ex memoria præcedentium imaginum.

ASSERO ergo tertiò: Anima separata secum defert species intelligibiles; & habitus spiritualium potentiarum.

PROBATVR à D. Bonau. *loc. cit.* quia hæc sunt independentia à corpore, & subiectantur in ipsis potentiis. Hoc argumento vtitur etiam Suarez *libro* 6. *cap.* 3. *num.* 2.

NOTA verò, hæc vera esse, quantum ex natura animæ; nam ratione status, supernaturaliter in damnatis delentur habitus, similiter & species: In beatis verò species, & habitus imperfecti. Sic *prima Corinth.* 13. dicitur: *Scientia destruetur,* idest, donum scientiæ, quæ comitatur fidem: de his enim donis ibi loquitur, ideò subdit: *Lingua cessabunt*, vt inferat, mansuram charitatem, quæ perfecta est. Habitus enim scientiæ manebunt, vt ostendit S. Doctor *in* 3. *dist.* 31. *art.* 2. *quæst.* 3. ex professo.

ASSERO quartò, Animam secum non deferre 15
species, & habitus partis sensibilis.

PROBATVR, quia destructis nobis, destruuntur ea, quæ in nobis sunt, ex Arist. Sed separatà animà, destruitur organum, quod est subiectum specierum sensitiuarum: Ergo, &c.

ASSERO quintò, animam separatam posse intelligere, & amare.

PROBATVR à D. Bon. *fund.* 1. ex illo Lucæ 16. *Pater Abraham,* vbi diues alloquitur Abrahamum.

PROBATVR à D. Bonau. etiam *ad Sap.* 5. vbi damnatorum animæ inducuntur venire in cognitionem, pœnitentiam agere, &c. Ipsum vide ibi Quem sequitur Suarez *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 4.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in corp. & argumentis*, quia manet intellectus cum speciebus: Ergo poterit anima intelligere, atque adeò etiam amare res cognitas.

DICES Ecclesiast. 9. dicitur: *Mortui vero nihil nouerunt*; Et infra: *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.*

RESPONDET D. Hieron. ibi, prosopopæam esse 16
in persona hominis suadentis alium, vt se tradat voluptatibus: Vnde subdit: *Vade ergo, & comede in lætitiâ panem tuum.* Hunc Epicureum induci, ait etiam S. Bonau. hic in expositione.

ALII respondent, sapientem loqui ironicè, quasi referendo, & irridendo ea, quæ mali arbitrantur.

ALII exponunt, quod nihil nouerunt mortui eorum, quæ in hac vita geruntur, quod verum esse de non glorificatis, habetur *in additionib. S. Thomæ, q.* 72. *art.* 1. *ad* 1. *&* 2. & ex D. August. de cura pro mortuis agenda: De quo nos *quæst. sequenti*; Ita refert etiam D. Bonau. ad hunc locum Ecclesiast.

ALII exponunt, mortuos nil nouisse eorum, quæ prodessent eis ad salutem; Vnde nec est ratio, vt suam salutem quærant. Ideò cùm subditur: *Vade ergo, &c.* non significatur: trade te voluptatibus, sed, comede cum lætitia, idest, cum testimonio bonæ conscientiæ; & ideò subditur *quia Deo placent opera tua.* Ita Nicolaus de Lyra ibi, & Suarez *lib.* 6. *c.* 3. *n.* 5. ex D. Bonau. *in* 4. *dist.* 50. *p.* 1. *q.* 2. *in corpore.*

S. Bonauentura exponit, ibi fieri comparationem inter statum mortuorum, & viuorum. Vnde dicitur: *melior est Canis viuus, Leone mortuo: Viuentes enim sciunt se esse morituros; mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eorum.* Igitur loquitur de mortuis, vt mortui sunt, quia ãplius cognitionib. omnibus vitæ non sunt apti; neque enim possunt ampliùs videre, audire, &c. per quas sensationes res huius mundi percipiuntur: Ideò viuentes mortuis, non habentibus motum, vel sensum, præferuntur.

tur. Subdit: *Nec habent vltra mercedem*, ſcilicet operationum,ideſt,bonam famam in memoria aliorum. Subdit: *Vade ergo,comede, &c.* Cùm enim di-
17 xiſſet; *Neſcit homo, vtrùm amore,an odio dignus ſit*; hortatur,vt ſibi, dum viuit, prouideat, ne expectet mortem,poſt quam non poterit operari ad ſalutem. Hortatur etiam, vt teſtimonio bonæ conſcientiæ, quâ,non ſibi conſcius criminis, poteſt ſperare bonum, gaudeat, lætetur, bonum faciens, ſperans Deo placere, ſeruiatque Domino in lætitia. Ideò ſubdit: *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia,nec opus, nec ratio,&c. erunt apud inferos*,ideſt, ad ſe exercendum in pietate, iuxta illud Ioan. 9. *Me oportet operari, donec dies eſt*, Et Galat.6. *Dum tempus habemus,operemur bonum.* Non eſt ratio ad inquirendum,quid ſit proficuum, quidue noxium ad ſalutem. Ideò Iob.12.dicitur: *Palpabunt, quaſi in tenebris.* Et Iſa. 19. *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis.* Non eſt ſapientia,& ſcientia,ſcilicet,ad contemplandum Deum in operibus ſuis, nec ſapientia ad illum contemplandum in ſe. Cæterùm, animam præcisè in ſtatu ſeparationis naturalis expeditiorem eſſe ad cognitionem,aſſerit S. Bonau. ibi, & cum eo plurimi.

QVÆSTIO V.

An ANIMA SEPARATA *cognoſcat ea, quæ hîc aguntur.*

{D. Bonau.in 4. d. 50. p.2. quæſt.2.

18 ASSERO primò, naturaliter non cognoſcere animas,in locis deputatis collocatas,ea,quæ in mundo aguntur.

PROBATVR à D.Bonau.ad illud *Eccleſiaſt.* ſuprà allegato.

PROBATVR ſecundò à S. Doct.hîc, ex finitate Intellectûs, & improportione obiectorum.

ASSERO ſecundò, Diuinâ reuelatione poſſe eas hæc noſcere. Vide D.Bon.ibi,vbi id probat ex D. Auguſt. *lib. de Cura pro mortuis, cap.* 5. ex D. Gregor. *lib.* 4. *dial. cap.* 33.

ADDIT aureum illud D. Greg. effatum, lib.2. mortal.cap.2. *Quid eſt,quod non vident,qui videntem omnia vident*; explicat autem,ea omnia videre,quæ ſunt eorum ſaluti neceſſaria,nempè reuelari in Verbo,quæ nobis ad ſalutem requiruntur,vt orent pro nobis, & ea impetrent: Ita Eccleſia triumphans, bona militantis ſoror,eam adiuuat.



De MEMORIA INTELLECTIVA.

CAPVT II. DISPVTATIONIS.

19 MEMORIA eſt præteritorum repoſitorium, per eam Anima redit retrorſum in res ſenſibiles, quas tamquam præſentes intuetur; & vt eas tenaciùs retineat,in occipite,vnde Nerui ſicciores,& fortiores expullulant, collocatur. Et hæc quidem Senſitiua eſt, quare non ſolius hominis propria: Verùm alia Intellectiua concedenda eſt;quâ homo etiam ſpiritualium reminiſcatur;& puriores ſpecierum intentiones fideliùs in futuras recordationes reſeruet. Ab hac animæ potentia incipiam, de cæteris etiam per capita diſputaturus.



QVÆSTIO I.

An detur MEMORIA INTELLECTIVA *à Senſitiua diſtincta.*

MEMORIA eſt theſaurus ſpecierum, vt notat D.Bonau.*lib.*2.*Compend.Theol,cap.*40.& poſt eum Ruuius 3. *de Anima, Tract.de Intellectu poſſibili, quæſt.*5.

PRIMÒ quidem Auicen.6. *naturalium, p.*5.*c.*6. negat Memoriam Intellectiuam; arbitratur enim, nullas ſpecies intellectiuas conſeruari poſſe.

NEGARVNT Memoriam intellectiuam etiam Zabarel. *lib. de ſpeciebus intelligibilibus, cap.*8. Piccolom. *lib.de Senſibus internis, cap.*15. & *lib.* 3. *de humana mente, cap.*7.

ALII verò negant,dari memoriam propriè intellectiuam.Ita videtur D.Th.2.*cont.Gent.c.*4.Ferrar. *ibid.* idipſum aſtruit. Videtur opinio etiam Alberti *in Sum.de homine,tract.de memoria*, Scoti *in* 4.*d.*45. 5.*de ſecundo*.Attamen *in* 1.*diſt.*3. poſt *q.*6.*in extra*, & *in* 4.*d.*45.*q.*3.concedit apertè Memoriam Intellectiuam,vt latè proſequitur Fauent.*Theor.*80.Vulpes *Tom.*1.*p.*1.*d.*19. *art. vlt.* Regentes Pariſiorum, *de Memoria, & Reminiſcentia.* Cauellus *diſt.* 3. *de Anima,ſect.*2. Maſtrius *diſp.*6.*num.*77. & alij.

VERA igitur ſententia eſt, dari Memoriam Intellectiuam,diſtinctam à Senſitiua: Ita Magiſter *in* 2. *diſt.*3. Et ibi Scholaſtici, D.Bon. *part.*2. *art.*1. & *in* 2.*d.*7.*part.*2.*art.*1.*q.*2. & *in* 3.*d.* 28. *dub.*2. *lit.* & *in* 4.*diſt.*50.*p.*2.*q.*1.*ad* 1. & alibi.D.Th.*p.p. q.*79.*art.*6.& 2.*cont.Gent.c.*74. Caiet.& alij Thomiſtæ ad ea loca D.Th. Scotus cum ſuis,*locis adductis*.PP.Ieſuitæ,præcipuè Valent. *tom.*1.*diſp* 6.*q.*5. 20
*p.*3.qui tamen,*col.*1151.Memoriam Intellectiuam impropriè vocat memoriam,Suarez *lib.*4.*de anima, cap.*10. Ruuius 3. *de Anim.tract.de intell.*poſt.*q.*5. Iuuet.*cap.*17.Fulienſ.*lib.*3.*cap.*1.*art.*4. & alij.

ASSERO, dari Memoriam Intellectiuam.

PROBATVR primò à D. Bon. *ad* 4. *Sap.* ad ea verba:*Venient in cogitatione peccatorum ſuorum, &c. Et traducent illos ex aduerſo iniquitates eorum.* Affert etiam illud Hierem. 2. *Arguet te malitia.* Et Rom.2. Vbi peccata in recordatione animarum ſeparatarum,poſt hanc vitam accuſantia, aſtruuntur, ad quos affert & Gloſſas.

PROBATVR ſecundò à D. Bon. *ad cap.*5. *Sap.* vbi inducuntur ſceleſtiorum in inferno animæ,memorantes præterita bona,actus voluntatis, intellectus,deplorantesque.Ad quod affert etiam pœnitentiam epulonis,Lucæ 16. *Pater Abraham, miſerere mei,mitte Lazarum*,nempè,quem recordabatur, ſe contempſiſſe in vita.Ibi loquuntur impiorum animæ, Sap.5. *Hi ſunt,quos aliquando habuimus in deriſum. Laſſati ſumus in via iniquitatis,& perditionis,deambulauimus vias difficiles.Tranſierunt omnia,&c.*vt notat D.B.talia dixiſſe eos,qui in inferno ſunt;atque adeò hanc locutionē eſſe intellectus,cùm ſit ab animabus

mabus separatis, ex conscientiæ remorsu, & hoc impulsum diuitem, Lucæ 16. *cum eleuans oculos, &c.* Huc etiam reducuntur alia loca Scripturæ, quæ vermem conscientiæ, id est remorsum, astruunt, quæ latè prosequitur S. Doct. *in 4. duab. vlt. quæstionibus.* ex quibus Memoriam Intellectiuam elicit: Sic loquitur *Isaias 66.* Marcus *cap. 9. Vermis eorum non morietur.* His authoritatibus nititur Valentia *loco citato, col.* 1051. Suarez *num.* 2. & alij, præcipuè Scotus, *quæst. citata, in 4.*

21 PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *in 1. distinctione 2. part. 2. art. 1. & 3.* ex D. Augustino passim 10. *de Trinitate, cap. 11. & 12.* & *lib. 4. cap. 10. & 11.* & *libro 15. cap. 10.* & alibi, ponente in anima rationali, vt rationalis est, Memoriam, Intellectum, & Voluntatem. Hâc authoritate nituntur Valentia *col.* 1051. Suarez *loco citato* Ruuius *num.* 319. Confirmatur à D. Bonau. *quæst. 1. ad tertium*, ex Aristotele qui, *lib. de memoria, & reminiscentia, cap. 1.* solam memoriam sensibilem concedit in animalibus, & in homine, respectu sensibilium: ergo datur alia memoria, respectu vniuersalium, & aliorum intelligibilium, quam *eodem lib. cap. 2.* fatetur, vt notat etiam Suarez, *numero 2.*

PROBATVR quartò à Diuo Bonauentura, *loco citato* ratione D. Augustini, Anima est ad imaginem Dei: ergo vna in essentia, & in potentiis trina, nempè, Memoriâ, Intellectu, & Voluntate: Id habet S. Augustinus, præcipuè 13. *de Trinitate, cap.* 20. & *lib.* 22. *cap.* 4. vt ostendit Sanctus Bonau. *in primo sent. quæstione 2. in corpore: distinctione 3. citata.*

PROBATVR quintò à Diuo Bonauentura, *in 1. distinct. 3. quæst. 1. & 2.* vbi ex reflexione animæ supra se, & supra Deum cognitum colligit, illum habere speciem præteritæ cognitionis in memoria, atque adeò memoriam seruantem præterita. Hanc autem reflexionem ostendit Sanctus Doctor, ad ea loca sapientiæ, ex discursu animarum damnatarum, quem Sapiens, Spiritu Sancto afflatus, agnouit. Idem ostendit *in Commentariis ad Lucam*, ad ea verba Abrahæ, ad Epulonis animam, in inferno iacentem: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala*, qua authoritate ni-
22 titur Scotus *loco citato*, Hoc argumentum habet Sanctus Doctor, *lib. 2. Compend. cap.* 53. Id verò ex reflexione deducit S. Doct. *in 4. dist. 50. part. 2. quæst. 1. ad 1.* reflexionem verò ex illa historia, *Lucæ 16.*

HINC eruitur argumentum D. Bonau. à Scoto *loco citato*, Fabro *cap. 3.* Suarez *num.* 2. Valentia *col.* 1051. Ruuio *num. 319. & 332.* Homo potest conuerti super suos actus præteritos, & recordari, quantùm temporis intercesserit inter vnum actum & alium, similiter potest reflecti, detestando præterita peccata, ea narrando; similiter potest seriem suorum dierum, & operationem recensere, vt faciebant animæ damnatorum. *Sap. 4. & 8.* sed hæc non possunt fieri, nisi animæ habeant species intellectiuas earum rerum: Ergo. Maior est de fide, vt suprà ostensum est. Minor probatur; quia phantasmata, non in nuda anima stant, sed in organo animato; neque possunt repræsentare aliud, quam singulare sensatum; At verò, quòd res sit ex tot annis præterita; nullo modo habet à sensibus: Ergo. Confirmatur; nam fit ab animabus illis damnatis computatio temporis, ex quo sunt in inferno; hoc verò nullo modo per phantasmata percipere potuerunt, sed ab anima rationali: Similiter recordamur vniuersalium; vnde Aristoteles, *lib. de Memoria*, ait, posse nos recordari, *triangulum habere tres angulos, æquales duobus rectis*: Similiter alia Geometrica, vt notat Diuus Bonauentura *in 3. distinctione 31. art. 2. quæst. 3. in corpore.* Sanè damnati illi propositiones vniuersales recordati sunt circa præcepta, promissa Dei, & similia.

PROBATVR igitur tandem à Scoto, Fabro, & aliis suprà; quia in anima dantur habitus scientifici, idest, de vniuersalibus, ad quos potest intellectus separatus conuerti, vt recordetur demonstrationum præteritarum; sed hæc non habentur à phantasmate: Ergo debent dari species vniuersalium in portione intellectiua conseruatæ. Est argumentum D. Bonau. *in 3. dist. 31. art. 2. quæst. 3.* Maior probatur à S. Doct. *fundamento 2.* scientia non destruitur, nisi ex corruptione scibilis, aut medij; aut obliuione; adde, vel subiecti, ex Aristot. *1. Post. capite 6.* & *secundo Top. cap. 3.* vt habet D. Bonauent. *in 1. distinctione 5. art. 2. quæst. 1.* & *dist. 37. part. 2. art. 1. quæst. 2.* sed nullum horum hic corrumpitur: Ergo.

CONFIRMATVR denique à Seraphico *in 1. distinctione 3. part. 2. quæstione 1. ad vltimum.* Voluntatis actus supponunt intellectum, si sint deliberati: Sed ex his, quæ præterita sunt, anima elicit actus Voluntatis: ergo ex cognitione per memoriam intellectualem proportionatam subministratâ. 23

RATIO suprà allata penultima supponit species intelligibiles esse natura sua incorruptibiles, vel quæ rarò corrumpuntur, cùm sint accidentia simplicia, non habentia contrarium, vt tenent etiam Sapientiores; quos sequitur Ruuius *numero* 320. quam incorruptibilitatem specierum negat Toletus, quia (ait) non sunt accidentia connaturalia animæ; sed extrà aduenientia.

RESPONDETVR tamen cum Ruuio *numero* 321. esse accidentia connaturalia animæ, vt est forma, cui connaturale est haurire species ab obiectis, eas verò conseruari, docet etiam Aristoteles *3. de Anima, text. 6. & 8.*

OBIICIES primò ex Aristotele *libro de Memoria, & reminiscentia, capite primo, circa finem*, vbi Memoriam per se in sensitiua parte ponit.

RESPONDET Ruuius *numero* 328. ex D. Bonauent. *in primo, distinctione 3. parte 2. quæst. 1. ad 3.* Memoriam tres habere conditiones. Prima est, vt sit de obiecto sensato, vel etiam intellecto. Secunda, vt versetur circa obiectum præteritum, vt habet Sanctus Doctor etiam *in Opusc. declaratorio, Terminorum Theologiæ*; & ideò solis animalibus, aliquo modo tempus percipientibus, concedit memoriam Arist. *loc. cit.* Tertia est, vt sit conseruatiua specierum. Ita etiam D. Bonau. *in 2. dist. 7. art. 1. quæst. 2.* vt docet Arist. *3. de Anima, cap. 4.* & alibi. Hæc autem conditio se dilatat ad conseruationem non solùm specierum sensibilium, sed etiam intelligibilium. Vt autem est conseruatiua intelligibilium, soli Memoriæ Intellectiuæ conuenit; nam Sensitiua cùm sit Organica, non est subiectum aptum speciebus spiritualibus; & hæc Intellectiua, vtpotè incorporea, est etiam perennis, & aptior ad conseruanda deposita. Præterea hæc conseruat Actus Intellectûs, & Voluntatis, vnde potest reflecti super illos: At memoria sensitiua non seruat proprium actum: Ideò non potest Sensus in illum, vel in obiectum reflecti; vt iam cognitum: Esto præteritum,

ritum materialiter cognoscat; non formaliter; vt est numerus motus secundùm prius & posterius, quod à solo Intellectu percipitur. Cæterum, cùm memoria intellectiua pro hoc statu suas species deponat dependenter à sensitiua; ideò ibi dicit Aristoteles, memoriæ rationem, ordine scilicet naturæ, primò conuenire Sensitiuæ; attamen ordine dignitatis, & perfectionis, primò conuenit Intellectiuæ, cui sensitiua famulatur. Hinc intellectiuæ adscribit Sanctus Doctor esse Ærarium specierum quarundam, etiam inuatarum, quæ sine differentia temporum seruantur. Hinc Diuus Augustinus docet, memoriam esse etiam præsentium: Ex hoc loco igitur non rectè Valentia, *col.* 1051. ait, Memoriam Intellectiuam, non esse propriè memoriam, vt deducit Suarez, *lib.*4. *cap.* 10. *n.*3. Nam, licèt sensitiua sit præteritorum, multò magis intellectiua, & licèt sit intellectus etiam præsentium; hoc est, quia differt à memoria.

OBIICIES secundò: Obiectum intellectus est vniuersale, quod abstrahit à *fuisse*, & *fore*: Ergo non datur memoria intellectiua, quæ sit recordatiua; sed tantùm sensitiua.

RESPONDET Scotus, verum esse antecedens, quò ad cognitionem scientificam tantùm, qualis est abstractiua; nam etiam singulare cognoscitur à nobis pro statu isto; neque ibi Aristoteles negat memoriam intellectiuam; ait enim; quorundam intelligibilium, nos memorari, vt quòd triangulus habeat tres angulos;& hoc quia id fuimus speculati, ac didicimus. Et meritò, quia potentiæ superiori non est neganda perfectio, concessa inferiori; nempè sensitiuæ; vt suprà dixi cum Seraphico Doctore.

QVÆSTIO II.

An MEMORIA INTELLECTIVA *differat ab Intellectu.*

PRIMA opinio est, Memoriam intellectiuam esse formaliter ipsum intellectum. Ità D.Thom. *p. p. quæst.*79. *art.*7. & *de veritate, quæst.*10. *art.*3. quem sectantur Thomistæ ibi. Valentia *disputat.*6. *quæst.*5. *punct.*3. *col.*1050. Suar. *lib.*4. *cap.*10.*n.*3. Ruuius 3. *de Anima, cap.*4. *tract. de Intellectu possibili, quæst.*5. *disp.*3. quam Sententiam communem iam in Schola, & veram acclamat Fuliensis, 3. *Phys. cap.*8. Iunet. *cap.*17. *de Anima.*

SECVNDA opinio est, Memoriam intellectiuam differre ab intellectu. Ita Magister *primo, dist.* 3. *part.* 2. & ferè Rich. 2 *dist.* 24. *quæst.* 2. Scotus, *primo, dist.* 3. *quæst.* 9. *& dist.* 27. *quæst.* 1. *& in* 3. *dist.* 26. *quæstione vnica.* Faber *Theor.* 80. Poncius, *disp.*6.*de Anima, quæst. vlt.* Mastrius, & Bellutus, *disp.*6. *num.*80.

EST D. Bonauent. *locis adductis, dist.*2. *quæst.*2. & *quæst. præced.* & *lib.*1. *Phar. cap.*7. Differre autem formaliter astruunt Diuus Bonauentura, & Scotus cum Schola.

25 ASSERO cum hac Sententia, Memoriam intellectiuam tantùm formaliter differre ab Intellectu.

PROBATVR à D. Bonauent. in *primo, dist.* 3. *part.* 2. *art.*1. *quæst.*3. *ad* 1. ex Diuo Augustino 10. *de Trinitate, cap.*11. vbi ait. *Hæc tria: Memoria, Intelligentia, & Voluntas sunt vna mens, &c. vna essentia, vna substantia,* (id est idem realiter cum essentia) Neque ibi loquitur de Intelligentia, & Memoria, vt sunt accidentia separabilia ab Anima; de facto separantur. Prætereà ibi S. Augustinus actus harum potentiarum seorsim ponit.

Ex quo ruit responsio D. Thom. *loc. cit. ad primum,* & Ruuij *num.* 337. Diuum Augustinum ibi accipere intelligentiam, & memoriam pro actibus secundis.

CONFIRMATVR; Nam Sanctus Augustinus sic ait: *Hæc igitur tria, Memoria, Intelligentia, Voluntas; quoniam non sunt tres vitæ, sed vna vita: Nec tres mentes, sed vna mens: Consequenter vtique nec tres substantiæ sunt, sed vna substantia.*

PROBATVR secundò à Diuo Bonauent. quæstionibus adductis *primo, dist.* 3. *in fundamentis,* ratione ducta à Diuo Augustino ex dictis verbis; Ea, quæ repræsentant aliquid distinctum, debent esse distincta, maximè si sint imagines; sed essentia animæ,& tres potentiæ repræsentant Diuinam Trinitatem; Ergo debent esse potentiæ distinctæ. Idem argumentum confirmat Diuus Bonauentura *in* 2. *dist.*24. *part.*1. *art.*2. *quæst.* 1. *ad* 1. ex Diuo Augustino 15. *de Trinitate, cap.*7. vbi, hoc pacto; astruit imaginem Trinitatis. Idem habet S. Augustinus *lib.* 9. *cap.* 11. vt notat Diuus Bonauentura *quæstione mox adducta, fundamento primo,* & *fundamento* 3. id roborat ex Diuo Augustino 9. *de Trinitate, cap.*4. vbi ait: Has potentias nominari substantialiter, siue essentialiter; non autem sicut qualitates.

RESPONDET D. Thom. *p.p. quæst.*93. *artic.*7. Durand. *in primo, dist.*3. *part.*2. *quæst.*3. Ruuius, *loc. cit. num.* 337. & alij, rationem, imaginis in actibus consistere. Addit Mastrius, distinctionem sumi à potentiis, in ordine ad connotata. 26

PRO euersione huius responsionis, notandum; Imaginem Dei in homine, non esse accidens aliquod; sed substantiam: Sicut enim dicitur 2. Genes. *Creauit Deus hominem ad imaginem suam.* Ità etiam Genes. 4. *Adam genuit filium ad imaginem suam,* vt notat Bellar. *lib.* 5. *de amissione gratiæ; cap.*3.*col.*26. Hinc Sancti Patres, præcipuè Diuus Augustinus 10. *de Trinitate, cap.*1.& alibi, astruunt in eo imaginem Trinitatis positam, quòd Memoria, Intellectus, & Voluntas sint tres potentiæ, & vna substantia. Hos Patres refert Valentia *tomo primo; disp.*7. *quæst.*3. *punct.*1. cum Diuo Bonauentura *libro primo Pharetræ, cap.* 7.

HINC delirasse ostenditur Illyricus *in suis disputationibus, de peccato originali,* vbi imaginem Dei amitti per peccatum blasphemat. 27

HINC etiò refutationem responsionis D. Thomæ. Id, quod naturæ ipsi intrinsecè conuenit indelebiliter, non consistit in accidentibus separabilibus. Talis est imago Trinitatis in anima: Ergo.

CONFIRMATVR; Nam Imago Dei adscribitur ipsi Operi simpliciter, vt à Deo venit: *Faciamus hominem ad imaginem, &c.* vbi ideò dicitur *nostram;* vt Sanctissima Personarum Trinitas sibi constituisse Imaginem ostendatur, vt notat Diuus Augustinus *lib.*9. *de Trinitate, cap.*5. & *lib.* 14. *cap.*7. & *lib.* 10. *cap.*1. & *lib. de Genes. imperfecto, cap. vlt.* & post eum D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 16. *dub.*1. *litt.* & *quæst.*1. *fundamento primo, & sequentibus.*

CONFIRMATVR, nam quicumque habet essentiam hominis, habet imaginem Dei; sed pueri, & frenetici sunt essentialiter homines: Ergo habent imaginem Dei; sed hi non habent actus intelligendi, memorandi, amandi; ergo in his non consistere imago Dei. Confirmatur à Diuo Bonauent. *loco* mox *adducto, quæst.*1. *in corpore,* ex Diuo Augustino

gustino 7. *de Trinitate*, *cap*.6. quia ideò imaginem ponit in essentia, & potentiarum Trinitate, & natura intrinseca. Hæc sunt argumenta Diui Bonauenturæ 2. *dist*. 16. *à quæst*. 2. vbi ex professò hoc probat per totam distinctionem. Quomodo autem Imago hæc includat habitudinem ad actus, dicam *tract*. 10. *disp*. 1.

Obiiciunt Ruuius *num*. 335. Suar. *num*. 3. Valentia, *col*. 1051. Intellectus possibilis est receptiuus specierum; vndè ideò dicitur possibilis, & hic retinet species, vt docet Aristotel. 3. *de Anima*, *text*.6. & 8. Ergo frustrà ponitur memoria conseruatiua specierum.

Respondetur, intellectus possibilis essentiam non versari in recipiendis speciebus; sed in cognoscendo, seu intelligendo; recipere verò species impressas ab intellectu agente: At species expressas deponere in thesauro memoriæ, quæ non est potentia cognitiua, sed mera Arca specierum. Vnde ratio essentialis eius, diuersa est ab intellectu.

28 Quæres primò: An reminiscentia sit Memoria Intellectiua.

Respondet D. Bonauent. *lib*. 2. *Compendij Theol. cap*.40. Reminiscentiam esse vim inuestigatricem oblitorum, per saltus; cùm enim memoria oblita est alicuius rei ex parte, & ad eam conuersus intellectus, aliquam partem rei inuenit; tunc seruantur vestigia rei; Et decurrens de vno, in aliud, iterum memoria reuocat totum factum; *verbi gratiâ*, aliquis seruus habuit aliquod mandatum talis rei executioni mandandæ cum pecunia, cuius oblitus ex parte, recordatur solùm, se accepisse à Domino talem pecuniam, nec recordatur quorsum: Reminiscentia retrocedens, quærit, vbinam? quibus circumstantiis? quo tempore acceperit pecuniam? Itaque his vestigiis retrocedens reminiscitur totam pecuniam acceptam ad tale opus, à Domino iniunctum. Quod ergo præstat intellectus discursu, ad cognoscendum, id reminiscentia ad memorandum. Igitur illa inuestigatio, non est opus memoriæ, quæ non discurrit, nec scrutatur; sed est opus intellectus possibilis, qui in suo thesauro scrutatur species. Hoc sensu posse dici intellectum, & reminiscentiam, vnam facultatem; & duas vires, aiunt Colleg. 3. *de Anima*, *cap*. 3. *quæst*. 1. *art*. 3. Suar. 3. *de Anima*, *cap*. 30. sicut vnus intellectus intelligit, & discurrit, licèt duabus viribus, ex quibus discursiua, dicitur ratio, vt ratiocinatione quadam, vnum ex alio, per discursum intelligit, vt docet Diuus Bonauentura, *lib*. 2. *Comdendy*, *cap*. 48. & post eum Valentia, *disputatione sexta*, *quæstione* 5. *puncto* 5. *col*. 1052. Hinc Diuus Augustinus 3. *super Genes. ad litt. cap*. 3. ad eandem animæ facultatem refert nomen intelligentiæ, & rationis.

29 Quæres secundò: Cur aliquando non recordamur eorum, quorum species habemus in Memoria.

Respondetur, id oriri ex vehementiori impressione aliorum obiectorum; & hæc vehementia oritur ex frequenti conuersione ad species.



DE EXPERIENTIA

CAPVT III.

DISPVTATIONIS.

Ex Memoria oriri Experientiam, docet Aristoteles *in Metaphys*. quatenùs ex pluribus euentibus, seruatis in memoria, habetur experimentum, ità rem euenire. Hac verò acquiri cognitiones plurimas etiam principiorum, docet Aristot. *primo Poster. text*.73. & 105. & cum eo Diuus Bonauentura, *distinct*.39. *art*.1. *quæstione* 2. *in corpore*. Ideò hìc de ea agendum.

Dari verò Experientiam, euidens est. Est enim cognitio per vsum hausta, & recepta; vndè dicitur, quasi *Experitia*, seu ex vsu. Vide Diuum Bonauentur. *in Itineribus Æternitatis*, *Itinere* 6. eam distinguit à fide, quæ est probatio per authoritatem; & à Scientia, quæ est per rationes certas; & ab Opinione, quæ est ex probabilibus.



QVÆSTIO I.

An Experientia *sit aliqua notitia*.

Indicavimvs, Experientiam esse notitiam quandam: Huius igitur quæritur resolutio, de qua Sanctus Bonauentura: *lib. de Itineribus Æternitatis*, *Itinere* 6. *dist*. 1. 30

Probatur primò à Diuo Bonauentura *in* 2. *dist*. 39. *quæst*. 2. *in corpore*, ex Aristotele, *locis* mox *adductis*, vbi id ostendit Philosophus.

Ratio verò indicatur à Sancto Doctore, *loco citato*, & *in Itinerario adducto*, quia per eam euidenter percipiuntur sensim effectus, qui neque scientiâ cum tantâ euidentiâ percipiebantur: Ex quibus effectibus venimus in cognitionem multarum causarum, imò etiam percipimus multa principia, demonstrationibus *propter quid* inseruientibus, vt notat etiam Scotus, *quæst*. 7. *quodl*. & Fauentinus *Theor*. 11. initio. Ideò Sanctus Bonauentura *loc. cit*. Itinerarij, *dist*. 15. definit experientiam: *Est notitia, & actus præsentialis obiecti cuiusque potentiæ cognoscitiuæ*.

Probatvr secundò à Sancto Bonauentura, *Itinere* 6. *dist*.1. quia actus experimentalis, est actus vitalis potentiæ: Ergo recipit aliquid ab obiecto, elicitque actum; sed nihil aliud quàm notitiam: Ergo. Minor probatur: Nam omnes homines dicant mihi hoc esse dulce, addetque illud probent rationibus; addant etiam authoritates reuelatas; attamen si ego gustem illud, nouam cognitionem accipio, hæc autem experimentalis est: Ergo, &c. 31

Similiter

SIMILITER: Si ego audiam: *Gustate, & videte; quoniam suauis est Dominus*, credam quidem, sed si ego ipse gustem, additur cognitio noua, quâ dicam: *Fructus eius est dulcis gutturi meo*, Cant. 2. de quo gustu ait Petrus 1. cap. 2. *Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus.* Additque expositionem Sancti Bernardi super hoc, vbi ait: *Quidquid de occultis tuis scimus, ô Domine IESV, aut Scriptura docente, aut te reuelante, &c. gustando didicimus.*

QVÆSTIO II.

An EXPERIENTIA *sit notitia Sensitiua: An Intellectiua.*

D. Bon. l. c. dist. 2.

32 ASSERO primò, sumptâ Experientiâ pro actuali sui obiecti perceptione, etiam in voluntate esse experientiam.

PROBATVR à Diuo Bonauentura ibi; nam tali pacto vsu discimus, quasi sensibiliter, etiam res Diuinas, dum iis fruimur, iuxta illud Psal. 33. *Gustate, & videte; quoniam suauis est Dominus.* Similiter aliis sensibus spiritualibus experimur.

ASSERO secundò, notitiam, quæ per conclusiones deducitur, esse in intellectu.

PROBATVR; nam hæc discursum includit. Hoc tali modo euenit; illud alio modo: Ergo diuerso modo eueniunt.

ASSERO tertiò, Sensum etiam percipere experimento.

PROBATVR: Nam Canis, *verbi gratiâ*, percussus hîc, agnoscit locum, &c. & vsu didicit, se malè tractari ibi, atque adeò ab eo loco aufugit.

QVÆSTIO III.

An EXPERIENTIA *sit notitia Iudicatiua, an Apprehensiua.*

33 ASSERO primò, Experientiam nudè sumptam, esse notitiam apprehensiuam.

PROBATVR, nam conuenit etiam Brutis, in quibus non est propriè iudicium, vt dixi, *disp.* 4. *cap. vlt. quæst.* 16. Eadem autem est experientia sensuum, & intellectus in genere.

ASSERO secundò: Sumptâ experientiâ pro aggregato ex experientia, & notitia deducta, est Iudicatiua.

PROBATVR à Suar. *disp.* 1. *Metaph. sect.* 6. ex Aristotele; qui experientiam Brutorum vocat imperfectam, eò quòd non habeat iudicium.

PROBATVR ratione: dum enim sensus percipit, *verb. grat.* hunc ignem vrere, & illum vrere, deducit: Ergo omnes vrunt, cùm sint eiusdem rationis, vt expertus sum.

QVÆSTIO IV.

An EXPERIENTIA *sit notitia Actualis: An Habitualis.*

NOTANDVM aliud esse, Experientiam esse habitum; aliud causare habitum; Et quidem ex ea habitus acquiri, docet Aristoteles *in Metaph.* Vide Diuum Thomam *part.* 2. *quæst.* 40.. *artic.* 5. D. Bonauent. *loco adducto, dist.* 3. & Suar. *disp.* 1. *Metaph. sec.* 6. 34

ASSERO primò, experientiam, sumptam pro actu, quo potentia percipit suum obiectum, esse actum. Probatur ex ipsis terminis.

ASSERO secundò, experientiam sumptam pro practico vsu, quem quis ex actibus acquirit, esse habitum.

PROBATVR; quia omnis habitus est ad facilitandas potentias ad actus; sed experientia reddit faciliorem potentiam ad actus proprij obiecti: Ergo. Vide Aristotelem, *primo Metaph. cap.* 1.

QVÆRES: An vnus sit habitus acquisitus per scientiam, & per experientiam.

RESPONDETVR negatiuè; nam alter alterum perficit, *verb. grat.* habitus experimentalis Medicinæ perficit scientificum.

QVÆSTIO V.

An EXPERIENTIA *sit notitia Quidditatum.*

ASSERO, Experientiam non esse cognitionem quidditatum, sed solùm quod res ita existit. 35

PROBATVR primò ex Aristotele *primo, Metaph. cap.* 1. vbi ait, scientiam minùs inesse experientiæ, quàm arti; quia ars reddit rationem, non sic experientia: Sic enim experientiâ cognosco ignem esse calidum; non autem, quare calidus: Sic de reliquis.

PROBATVR à Suarez *loc. cit.* quia experientia est singularium; hoc, & hoc aliter euenire; ergo non est scientifica.

EST verò experientia magistra verax, vt ait D. Bonauent. *loc. cit.* Ideò Fauentinus, licet eam air, æquari cognitioni per causam; Ideòque auget confidentiam, & spem. Hinc experimento edoctus Medicus securiùs operatur. Vide Diuum Thomam *loc. cit.* De his latè agit P. Galitius.

DE INTELLECTV
CAPVT IV.
DISPVTATIONIS.

SICVT Colores, quantumvis oculis obuij, & vicini, non perspiciuntur, quin lumine priùs perlustrentur. Ità species quantumcumque è memoria

memoria obiiciantur, non priùs percipiuntur, quàm Intellectus agens suâ irradiatione in latebris eas delitescentes illustret, & illustratas extrahat, extractásque tandem in possibili Intellectu deponat: Illud potissimum est huius potentiæ munus, vnde dicitur Agens, quia continuâ actione excudit, & exuit species suis conditionibus particularibus, eásque reddit vniuersales; eodem penè modo, quo lux abstrahit similitudines à colorato, vt notat Seraphicus *in Compendio Theol. Verit. lib. 2. cap. 46.* eásque ponit in Aëre, non quidem entitatiuè, sed intentionaliter: Quare ibidem vocatur à Sancto Doctore *Lux Animæ*, Facem quippè proferens Voluntati, quæ est suprema, & potior animæ potentia, vt infrà probabo. Dicitur etiam intellectus possibilis, quia potest recipere dictas species, quibus cùm informatur, vocatur *Intellectus Adeptus*, vti animaduertit Diuus Bonauent. vbi suprà; De hac duplici Intellectûs acceptione hic præcipuè agendum.

QVÆSTIO I.

An detur Intellectvs *agens.*

36 TRita est admodùm in Scholis diuisio Intellectus, in Agentem, & possibilem.

Sed quidem Intellectum agentem, productiuum specierum intelligibilium, negat Durandus *in primo dist. 3. part. 2. quæstione 5.* post Platonem, & alios relatos ab Alberto *in Summa, de homine, quæstione de Intellectu agente.* Idem sensit Isaac Narbonensis, vt testatur Picus Mirand. in suis Conclusionibus.

Secvnda Sententia est Aristotelis *3. de Anima, cap. 5.* quem sequuntur D. Bonau. *in 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 4.* & *in primo, dist. 7. part. 2. art. 1. quæst. 3. ad argumenta in fine,* & *3. part. Centil. sec. 22.* & *lib. 2. Compend. Theol. cap. 46.* & aliis locis, D. Thom. *p. p. quæst. 54. art. 4. quæst. 71. art. 3. & 2. Cont. Gent. cap. 76. de veritate, quæst. 10. art. 6.* & *quæst. de Anima, art. 4.* cum Thomistis: Scotus, *in primo, dist. 3. quæst. 8. ad 1:* & omnes eius Sectatores, inter quos Faucnt. *Theor. 81.* & alibi: quinimò Scholastici omnes *in primo, dist. 3.* & omnes Interpretes Aristotelis; quos referunt Ruuius *3. de Anima, cap. 4. & 5. quæst. 1. de Intellectu agente*, Valentia, *tom. 1. disp. 6. quæst. 5. puncto 2.* Suar. *lib. 4. de Anima, cap. 2. & 8.* Tolet. *3. de Anima, cap. 5. quæst. 13.* & alij confitentes, Intellectum agentem esse potentiam Animæ, distentam in efformandis speciebus intelligibilibus, iisque in intellectu possibili sculpendis.

37 Assero cum hac sententia, dari Intellectum agentem.

Probatvr primò à Diuo Bonauentura *in 2. dist. 24. part. 1. art. 2. quæst. 4.* initio quæstionis, ex communi consensu Doctorum, quo argumento nititur Tolet. *loc. cit.* Fuliens. *3. Phys. cap. 8.*

Probatvr secundò, ex dictis *disp 4. cap. 1. quæst. 8.* cum D. Bonauentura.

Svppono primò ex dictis ibi ex Diuo Bonauentura *in 2. dist. 3. part. 3. art. 2. quæst. 1. in corpore*, quem sequitur Ruuius, *loc. cit. num. 22.* Intellectum creatum speciebus indigere ad percipienda quæcumque alia obiecta, quod & de Angelis etiam probatum est *tract. de Angelis, disp. 2.* Ratio Sancti Doctoris à priori est, quia quælibet substantia creata habet limitatam essentiam, perfectionem, & virtutem, non continentem alia à se, quare non potest intellectus creatus in se, nec per propriam essentiam res alias à se intelligere: Ergo indiget speciebus earum, per quas sibi repræsententur, & præsentes fiant in esse intelligibili actu: Solus autem Deus infinitus per seipsum omnia nouit.

Svppono secundò ex Diuo Bonauentura *loco citato, in 2. dist. 39. art. 1. quæst. 2. ad argumenta,* 38
Animam nostram à creatione esse velut tabulam rasam, & in potentia ad intelligibilia, vt docet Aristoteles *3. de Anima, text. 14.* nihilque in ea scriptum, exceptis quibusdam principiis vniuersalibus; de quibus *prima secundæ, tract. de Conscientia.* Ratio à priori est; quia Anima è natura sua substantia est incompleta, apta consequi vltimum suæ perfectionis modum in corpore, cuius est forma, in quo creata est; sequitur etiam, cognitionem rerum per sensum acquirere debere: Angelus verò non sic; Nam cum sit substantia completa, non respiciens corpus; ideò nec perficiendus est in suo esse à corpore; quare, nec per illud acquirit species, sed eas à creatione obtinuit.

Ex his principiis efficax deducitur argumentum à Diuo Bonauentura ad probandum intellectum agentem. Ad quamlibet cognitionem requiritur, vt obiectum sit præsens potentiæ in ratione sensibilis, vel intelligibilis proportionaliter, vt sic ei vnita eliciat operationem, per quam illud cognoscat: Sed obiecta etiam sensata in Phantasmatibus sunt extra Intellectum, & improportionata in ratione intelligibilis: Ergo requiritur, vt fiant proportionata intellectui spirituali; Sed hoc non valent à seipsis: Ergo requiritur virtus spiritualis agens, 39
productiua specierum intelligibilium; hanc autem nequit præstare obiectum corporeum, vel phantasmata. Hæc sanè virtus dicitur Intellectus agens.

Argvmenta Durandi exigunt, quo munere fungatur intellectus agens; de quo, *quæstione 4.* agam.

Hinc habes, quid dicendum illi quæstioni: An phantasma simul cum intellectu agente effectiuè concurrat ad efformandas species intelligibiles.

Opinio assertiua est communis. Sic D. Thom. *de veritate, quæst. 10. artic. 6.* & *2. contra Gent. cap. 27.* Caiet. *p. p. quæst. 55. art. 2. & 3. de Anima, cap. 2.* Capreol. *in 2. dist. 3. quæst. 2. artic. 3.* Ferrar. *3. de Anima, quæst. 23.* Ægidius, *quodl. 5. quæst. 21.* Soncinas *7. Metaph. quæst. 12.* Colleg. *3. de Anima, cap. 3. quæst. 6.* Apoll. *quæst. 6.* Tyenæus, *cap. 5.* Auersa, *quæst. 56. sect. 6.* & alij apud Mastrium, & Bellutum *disp. 6. de Anima, quæst. 4.* qui *num 98.* subscribunt.

Vera tamen Sententia est, phantasmata solùm materialiter ad modum exemplaris deseruire intellectui agenti ad species spirituales eliciendas. Ita D. Bonauentura *locis adductis, dist. 4. quæst. 10.* quos sequuntur ibi allegati: Adde Onuphrium *tract. 2. disp. 1. quæst. 3.* Scotum *quæst. 17. de Anima*, & ibi Cauellum; Fuliensem *3. Phys. cap. 8. art. 1.* Eustachium, *3. part. Phys. tract. 4. disp. 2. quæst. 7.*

Assero igitur, phantasmata non habere efficientiam 40

cientiam ad productionem specierum spiritualium: Est D. Bonauent. *locis adductis, dist 4. quæst.* 10.

Qvod non sint causa totalis, Probatur argumento D. Bonauent. *in 2. dist. 24. part. 1. quæstione vltima ad* 2. quo vtitur Scotus. Quandocunque effectus est ordinis superioris, non potest produci à causa ordinis inferioris: & quandocunque aliquod agens producere præsumit effectum, debet esse proportionatum passo; sed species intelligibilis, producenda è phantasmate, est ordinis superioris, nempe, ordinis spiritualis; At phantasma est corporeum ordinis longè inferioris: Ergo non potest effectiuè producere speciem spiritualem; sed requiritur potētia spiritualis productiua abstrahens speciem, & in ordine spirituali eam constituens: Est argumentum Diui Augustini 12. *super Genes. ad litt. cap.* 16. Hoc modo vtitur Scotus 4. *dist.* 44. *quæst.* 2. cum Diuo Bonauentura *quæst. vlt. ibi*, ad probandum, ignem inferni non posse torquere spiritus, modo physico: Hac ratione Scotica, ait Mastrius, vti alios, ad probandam necessitatem intellectus agentis: Est verò frequens in D. Bonauent.

Qvod verò neque, vt causa partialis, valeant phantasmata producere species intelligibiles, probatur ad hominem, contra Scotum, qui *in primo, dist. 3. quæst.* 8. & *quodl.* 15. *litt. K.* & 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. §. *Ad quæstionem*: Cum omnibus ferè Scotistis apud Mastrium, & Bellutum, docet Phantasma, vt causam efficientem partialem, concurrere ad species intellectiuas producendas: Arguo autem sic: Omnis causa, vt agat, debet esse constituta in ordine proportionato cum passo, & cum effectu, etiamsi sit causa instrumentalis; sed phantasma, per vos, est improportionatum speciebus intelligibilibus, & ordinis inferioris: Ergo. Maior probatur; nam etiam instrumentum, vt agat, debet habere contactum Physicum, vel eleuari super ordinem suum ad ordinem superiorem, vbi est passum: At verò agens naturale nequit eleuare alia agentia extra ordines naturæ: hæc enim solius Dei est, & interim Phantasma est corporeum; atque adeò spirituali enti improportionatum, nec vllius Physici contactus cum eo capax: Ergo nequit in intellectu spirituali producere speciem intelligibilem. Vis huius argumenti habetur in Diuo Bonauentura, *loco mox adducto*.

41 Vrgeo; nam Scotistæ præfati asserunt, Phantasma non concurrere, vt instrumentum, sed vt principale agens, cui proinde respondere debet formalitas effectus, quam propria virtute attingat: Iam verò, supposità ratione Scotica, negari concursum totalem Phantasmati, eò quòd sit ordinis corporei inferioris; profectò negandus erit etiam partialis, quia ratione improportionis excluditur omninò, nedum causa totalis: Quare Mastrius, & Bellutus cautè hoc argumentum dissimulant, & ad obiectiones, quæ non premunt, altè confugiunt.

Qvod enim aiunt, speciem esse similem obiecto in repræsentando, non facit, quin ab obiecto producatur inferioris ordinis; sic etiam Cœlum, in quadro pictum, est simile Cœlo, nec tamen potuit tale Cœlum, arte carens, pingere. Vide Sanctum Doctorem *in 2. distinct.* 18. *artic.* 2. *quæstione prima ad quintum.*

42 Obicies primò contra intellectus agentis necessitatem: Ob id præcipuè ponitur, vt faciat intelligibilia actu; & res ipsæ à parte rei sunt ex se intelligibiles, cùm sint obiectum intellectus, habens propriam entitatem, & veritatem.

Respondetvr ex Diuo Bonauent. *loco mox citato*, & *in 2. sent. dist.* 24. *part.* 1. *quæst. vlt.* res esse obiectum intellectus, modo proportionato per assimilitudinem; ad hoc autem debet abstrahi similitudo, vt cognoscatur.

Obicies secundò. Non datur sensus agens: Ergo nec intellectus agens. Probatur Consequentia: Sic se habet intellectus ad intelligibilia; sicut sensus ad sensibilia.

Respondet Sanctus Doctor *loco citato ad* 2. & *lib.* 2. *Compendij Theol. cap.* 46. disparem esse rationem: Nam species sensitiuæ sunt eiusdem ordinis cum Phantasmatibus, atque adeò sensui materiali proportionatæ, & actu sensibiles: Obiectum etiam habet virtutem eas emittendi, quia sunt in eodem ordine materiali, corporeo, vt docet Sanctus Doctor *Serm.* 11. *Hexaemer.* Ideò non est necessarius abstrahens; at verò Phantasmata, vt sint actu intelligibilia, debent ad ordinem altiorem spiritualem euchi; Ideò requiritur spiritus abstrahens, & eleuans.

Obicies tertiò. Sequeretur, etiam Angelos egere intellectu agente.

Respondetvr, id concedendo, vt dixi *tract. de Angelis, disp.* 2. *quæst.* 3.

Obicies quartò. Etsi materialitas obiecti impediat, quia est ordinis inferioris; tamen superat ex alio capite, quia est substantia; & species est accidens: Obiectum ergo potest producere speciem intellectiuam.

Respondetvr, impedire, quia toto genere inferius est in ratione spiritus, imò & in ratione obiectiua; nam quod mouet sensum, est accidens, putà Color, Sonus, Odor, &c. Neque materialis perfectio in actione ponderatur. 43

Obicies quintò. Dato, quòd ad productionem speciei exigatur agens spirituale; iam ipsa animæ substantia cum Phantasmate sufficit, aut solus intellectus possibilis.

Respondet Sanctus Bonauentura, animam agere mediis potentiis, ideò requiri potentiam abstractiuam, quæ debet esse intellectus agens.

Obicies sextò: Si datur intellectus agens, ideò datur, ne idem agat simul, & patiatur; At hoc in actionibus, & passionibus æquiuocis, non est inconueniens.

Respondet S. Bonauent. rationem, qua datur, esse productionem specierum intelligibilium.

Obicies septimò: Non inuenitur quid agat intellectus iste, agens in Phantasmata.

Respondet Sanctus Bonauentura, nihil imprimere, sed tantùm abstrahere ab eo, tanquam ex obiecto, speciem.

Instant Mastrius & Bellutus: Quid est hoc materiale phantasmatis, ex quo educitur species.

Respondetvr, esse subiectum *ex quo*, tanquam ex repræsentante obiectum, & etiam circa quod imitandum laborat intellectus.

QVÆSTIO II.

An detur Intellectvs *possibilis.*

Omnes quidem, vt video, intellectum possibilem concedunt, quamvis in eius essentia assignanda aliqui aberrent. 44

Assero, dari intellectum possibilem.

Probatvr primò à Diuo Bonauentura *in 2. dist. 24. prima parte, art. 2. quæstione 4. in corpore* ex

ex Aristotele 3. *de Anima*, *textu* 8. 18. & 19. vbi ait; *Intellectum possibilem esse, quo est omnia fieri.*

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura *fundamento primo*: In omni actione interuenit Subiectum recipiens, Agens, & Forma distincta ex Aristotele 2. *Phys. text.* 70. Sed intellectio est actio: Ergo interuenit agens intellectus, possibilis recipiens, & forma, id est, species informans intellectum possibilem.

PROBATVR tertiò *fundamento* 2. Potentiæ actiuæ respondet passiua distincta, *ex* 9. *Metaph.* sed datur intellectus agens, qui est potentia actiua: Ergo.

PROBATVR quartò *fundamento* 3. Actui respondere debet potentia: Sed intellectus agens est, quo anima est actu: Ergo respondet ei intellectiua potentia, id est possibilis intellectus.

QVÆSTIO III.

Quid sit INTELLECTVS *agens, & possibilis.*

D Bon. in 2. d. 24. p. 1. art. 2. q. 4. D. Th. q. 79. art. 4.

IN auia abiere Antiqui Intellectus Scrutatores: plures refert D. Bonauentura sententias, è quibus etiam distinctionem vtriusque Intellectus venatur.

45 PRIMÒ quidem aliqui dixêre, Intellectum agentem, & possibilem, esse duas substantias. Et ex his aliqui voluére, Intellectum agentem, esse Intelligentiam separatam: sic Arabes, quos refert Albert. 3. *de Anima*, *tract.* 2. *cap.* 4. Auer. 3. *de Anima*, *text.* 5. & 20. & 12. *Metaph. cap.* 11. Auicen. 9. *Metaph. cap.* 4. & 6. naturalium, *part.* 5. *cap.* 5. & 6. ponit primam Intelligentiam agentem: Hi volunt, Intelligentiam segregatam agere in animam, infundendo ei, siue species, siue intellectiones.

GRÆCI verò Intellectum agentem simul, atque possibilem esse, substantias segregatas astruunt homini, vt solùm ei concedant cogitatiuam, quam Intellectum passiuum vocant.

Ità Themistius 3. *de Anima*, Theophastus, & alij, vt refert Philopon. 3. *de Anima, cap.* 4. Auerroës, 3. *de Anima*, *com.* 5.

QVIDAM verò dixêre, Intellectum agentem esse Deum, Possibilem verò esse Animam nostram. Ità Aphrodis. 2. *de Anima, cap. de Intellectu agente*. Zabarella *de hum. ment. cap.* 10. Cremoninus apud P. Linium Rabesanum, *lib.* 3. *de Anima*, *disp.* 1. *quæst.* 1. sequuti Platonem *in Menone*: Tametsi Cottunius *disp.* 9. *de triplici statu animæ rationalis*, *sec.* 7. contendat, nullum è Philosophis Græcis constituisse Intellectum extrinsecum.

CERTE, inter Latinos constat, Intellectum agentem esse potentiam intrinsecam animæ, vt tuentur, cum Diuo Bonauent. Cottunius, *loc. cit.* Raguzæus *dist.* 22. Contaren. iunior, *tit.* 3. *disput. de intellectu agente*, Fortunius Licetus *opusc. de intellectu agente*, *toto lib.* 2. & alij Thomistæ, & Scotistæ, nemine excepto, vt notat Mastrius, & Bellutus *disp.* 6. *art.* 2. Estque Sententia Aristotelis: nam initio *lib.* 3. *de Anima*, vocat Intellectum agentem, & possibilem partem animæ. Et *tit.* 17. *capite* 5. Intrinsecas differentias animæ nostræ. Quod verò *tex.* 19. affertur, locutum de intellectu agente, & dixisse: *Est substantia actio existens*: monet Augustinus Oregius Cardinalis, *quæst. de immortalitate Animæ*, legendum, *ens, substantia actioni*. Itaque non dicitur in recto: *ens, substantia, actio*: Sed in obliquo, quod, vt ait Mastrius, sonat Italicè *L'intelletto agente, sostanza, ente all'oporare*, cui non dissimilem affert Ferchius *vestig.* 6. *lib.* 2. *cap.* 4.

QVOAD Intellectum possibilem, aliqui voluêre, esse puram potentiam. Ità Alex. *primo de Anima*, *cap.* 24. Aureolus apud Capreolum 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. Auers. quem sequitur Zimar. *Theor.* 41. & 12. *Metaphys. tit.* 17. apud Fabrum, *Theor.* 61. *cap.* 3. 46

Quæ verò inter hos Intellectus distinctio sit, variæ sunt opiniones.

PRIMA opinio est eos distingui realiter. Ità D. Thom. *p. p. quæst.* 7. *art.* 7. & 10. & 3. *de Anima, lect.* 10. & *in* 2. *dist.* 17. *quæst.* 2. & Thomistæ, Ioan. de S. Thoma, *quæst.* 10. *art.* 1. Complut. *disp.* 20. *quæst.* 1. Caiet. & Bannes, *p. p. quæst.* 79. *art.* 3. *disp.* 1. asserens, esse communem Thomistarum, Cottun. *cit. disp.* 7. *sect.* 8. Fuliens. *lib.* 3. *cap.* 8. *sec.* 8. Zabarella *de mente agente*, *cap.* 10. Auersa, *quæst.* 58. *sec.* 6. Ruuius *tract. de intellectu agente*, *quæst.* 4. Ferrar. 2. *cont. Gent. cap.* 77. & 78. citant etiam, sed malè, Scotum *in primo*, *dist.* 3. *quæst.* 8. *ad primum*, Albert. *tract. de Intellectu agente*, *quæst.* 6. Toletum, *quæst.* 14. *tertij de Anima*, Colleg. *cap.* 1. *quæst.* 3. *art.* 2. Valentia, *tom.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 5. *puncto* 2.

SECVNDA opinio est, Intellectum agentem, & possibilem, esse eandem potentiam; distingui verò ratione: Quatenùs enim est spoliatus formis, & in potentia ad recipiendas species, siue intellectiones, & patitur, siue excitatur à phantasmate, dicitur potentia, siue intellectus possibilis: Quatenùs verò abstrahit, ratiocinatur, & componit, dicitur agens. Ità Picolom. *lib. de humana mente, cap.* 12. Mercen. *in dilucid.* Suar. *tom.* 1. *in* 3. *part. disp.* 30. *sec.* 2. Macin. *in* 2. *disp.* 16. *quæst. vnica*, Tostat. *ad cap.* 27. *Exodi*, *quæst.* 70. Nyphus, *lib. de intellectu*, *tract.* 4. *cap.* 2. Licetus, *lib.* 5. *de Intellectu agente*, *cap.* 20. Eustach. 3. *part. tit.* 4. *disp.* 5.

TERTIA opinio est, hos intellectus distingui formaliter. Ità Scotus *quodl.* 15. & *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 11. Faber, *Theor.* 81. *cap.* 4. Cauellus, *quæst.* 13. *de Anima.*, Onuphrius, *tract.* 2. *quæst.* 1. *disp.* 6. Rabesan. *disp.* 1. *quæst.* 1. Raguzæus, *disp.* 22. *cap.* 9. Contar *quæst. de Intellectu agente*, *cap.* 4. & omnes Formalistæ; & Mairo *primo*, *dist.* 36. *quæstione* 2. Poncius *disp.* 6. *quæst.* 4.

HÆC est sententia Diui Bonauenturæ, *quæstione citata in margine*. Licet enim *cap.* 46. *lib.* 2. *Compend. Theol.* videatur realem distinctionem admittere, tamen formali distinctione satis exponitur eò securiùs, quò in *hac quæstione*, vbi ex professo eam discutit, solam formalem concedit. Ibi verò docens, eos differre, vt Perficiens, & Perfectibile, Lux, & Illuminatum, vult, id solùm exemplo explicare, vt aliquam à parte rei distinctionem inferat, vt dicam infrà. 47

ASSERO primò, Intellectum agentem non esse Deum.

PROBATVR ex dictis *disp.* 1. *quæst.* 11. vbi etiam portionem rationalem ostendimus esse formam.

PROBATVR verò à D. Bonauent. hîc *in corpore*

pore ex Aristot. 3. *de Anima*, *text*. 17. vbi intellectum agentem, & possibilem, vocat duas differentias animæ nostræ. Hoc testimonio nituntur Picolom. *lib. de mente*, *cap.* 10. Fauent. *loc. cit. secundo* prope initium, & reliqui.

Respondet Zabarella, *lib. de mente agente*, *cap.* 16. Aristot. *loc. cit.* non dicere, Intellectum agentem, & possibilem esse duas differentias, scilicet, Agentis, & Patientis: Sed in anima nostra esse has duas differentias; hoc est, dari in ea agens, & patiens. Verum est autem, Deum esse Agens in animam nostram.

Contra arguit Fauent. ex D. Bonauent. *in corpore*, Nam Aristot. *text*. 18. dicit, Intellectum agentem esse eum, *quo est omnia facere*; possibilem verò, *quo est omnia fieri*; atque adeò, non de differentia actus secundi, sed de differentia in actu primo loquitur. Vult ergo, intellectum agentem esse differentiam in anima, eúmque, qui deducat possibilem ad actum agendo; similiter possibilem esse potentiam receptiuam actus secundi. Quæ cùm ita sint, si Deus est actus, seu differentia agens in anima; Ergo erit actus primus substantialis animæ; hoc autem est absurdum maximum, quod substantia Dei sit differentia animæ nostræ, etiam vt assistens. Confirmatur; nam *text. alleg.* 17. asserit, potentiam passiuam, & actiuam esse eiusdem generis in anima. Confirmatur secundò à D. Bonau. *fundamento primo* ex eodem Arist. qui Intellectum agentem dicit se habere ad possibilem, sicut agens particulare ad materiam.

48 Probatur secundò à S. Doctore. Illud naturæ complementum, quod Deus concessit imperfectioribus creaturis, non negauit perfectissimis; Sed Deus concessit creaturis imperfectissimis virtutem actiuam ad operandum modo connaturali: Ergo multò magis concessit animæ nostræ nobilissimæ virtutem agendi modo connaturali; sed modus connaturalis est vitalis, & liber: Ergo At si intellectus agens esset Deus; iam operatio non esset vitalis, nec libera, & in nostra potestate. Ergo, &c. Probatur sequela. Illa actio est in nostra potestate, quæ pendet à principio nostro formali; quæ verò pendet à principio extrinseco, in potestate nostra esse non potest, sicut nec illud principium est in nostra potestate, sed vel semper intelligeremus, vel solùm quando Deus vellet. Hoc argumento nititur Mastr. *n.* 108. Fauent. *loc. cit.* Suar. *lib.* 4. *c.* 8. *n.* 4. & est ratio Arist. 7. *de Anima, cap.* 5. vt notat Suar. Ad Deum autem refugere non oportet, vbi naturales sunt causæ, ait Iauet. *c.* 16.

Respondet Zabarel. negando sequelam, nam Deus semper præsto est suo lumine, nec vnquam suum recusat dare concursum; ex parte verò nostra prouenit defectus, quia vel non habemus habitum; vel organum phantasiæ est indispositum.

Contra: Nam hinc infertur, quando homo habet habitum, & organum, & est dispositus, necessariò semper intelligere, & quæ semel intellexit, semper intelligere; sed hoc est falsum: Nam sæpè non vult intelligere. Probatur sequela: Deus enim, de mente Aristotelis, est agens necessarium, vt plurimi tenent.

Tertiò Fauentinus arguit (ait ipse, suo marte) argumento insolubili, quod sanè tamen est D. Bonau. hic, & *in* 2. *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, & *dist.* 7. *part.* 2. *quæst.* 3. *ad* 3. Si Deus esset intellectus agens; sequeretur, hominem esse actum purum per essentiam intelligentem: Sed hoc est falsum: Ergo. Maior probatur, quia intellectui agēti vt puro actui, omnis cognitio adest actu, nec aliquid entis deest: Ergo habet totum esse entitatis: Ergo est per essentiam, & substantialis, imò infinitus: Ergo est Deus.

Minor verò probatur; quia intellectus hominis est limitatus ad aliqua, atque imperfectus, & deductus successiuè, per accidentia sibi succedentia, in actum.

Assero secundò, Intellectum agentem nostrum, non esse Intelligentiam aliquam assistentem.

Probatur à D. Bonau. *in secundo, distinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 4. ad quam se remittit, *dist.* 24. *loc. cit.* Primò quia, si assistens intelligentia esset intellectus agens; sequeretur, cogitationes nostras, & intellectiones, non esse nobis liberas, & consequenter nec bonas, nec malas; Sed hoc est falsum: Ergo. Maior probatur; nam id, quod est à principio extrinseco, non est à principio intrinseco libero in voluntate, ex qua oritur libertas, vt docet Christus, Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes, &c. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem*, Et Matth. 9. dicitur: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* 49

Probatur secundò à D. Bonau. ibi. Intellectus agens est veluti lumen formans, ex Aristot. 3. *de Anima, cap.* 5. *text.* 18. Sed nulla creatura potest illuminare, aut informare animam nostram: Ergo. Minor probatur à D. Bonau. ex D. August. *lib.* 4. *de Trinit. cap. vlt. tom.* 3. *lib.* 83. *quæstionum, quæst.* 51. *tom.* 4. *lib. de Ciuitate Dei, cap.* 11. & *lib.* 11. *cap.* 2. *tom.* 5. & *sermon.* 18. *in Psal.* 118. & *lib.* 3. *de libero arb. cap.* 16. & *lib. de spiritu, & anima, cap.* 10. Quæ loca, partim hîc, partim *dist.* 8. *citata, refert.*

Probatur tertiò a D. Bonau. ibi, quia posset Angelus illabi animæ, quod non conceditur à Patribus, vt dixi, *tract. de Angelis, disp.* 11. *quæst.* 15.

Probatur quartò à D. Bonau. hic, ratione Aristot. 3. *de Anima*, *cap.* 5. quam habet etiam D. Thom. *p. p. quæst.* 79. *artic.* 4. quamque latè prosequitur Suar. *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 4. Nam, cùm Anima nostra ab intrinseco sit intellectiua, debet habere ab intrinseco necessaria ad exercendas intellectiones; Natura enim non deficit in necessariis, neque ordinat rem ad actionem, pro qua exercenda, non conferat requisita; vnum autem ex requisitis ad intellectus opera, est virtus productiua specierum intelligibilium; cùm sine eis intellectio non fiat: Ergo hac virtute prædita est. 50

Respondebis, hoc argumento tantùm probari, prouisam esse à natura virtutem agentem ad species producendas; At potuit huic necessitati suppleri aliquo extrinseco, sicuti in aliis præstat; nam sensui necessaria est mouens virtus; At hæc non est intrinseca, sed ab obiecto; Cœlum quoque eget mouente; & ecce, exhibetur Intelligentia.

Respondetur optimè argumentum concludere; Notum enim est in Philosophia, quod Natura perfecta ab intrinseco habet cuncta necessaria ad suas operationes: Sic habet ab intrinseco principium motus, sibi proportionati, & debiti. Vnde natura definitur *principium motus, & quietis primum, per se, non secundum accidens*. Quod verò affertur de Cœlo, non est ad rem; nam Cœlum non eget motu circulari illo ad suam operationem, & perfectionem, sed ob bonum vniuersi; Quod si eo motu egeret, argumentum sanè concluderet, motum illius à virtute intrinseca proficisci.

Itidem & sensus externus, cùm habeat obiectum proportionatum, non eget vi formatiua specierum intrinseca, sed connaturali virtute obiecti: At intellectus inuenit obiectum improportionatum, ideò eget virtute formatrice specierum.

Ex dictis colligit Sanctus Bonauentura, hunc modum dicendi esse erroneum, maximè ob rationes primas, ex quibus infertur libertati præiudicium. 51

cium. Vnde non rectè Suarez *loco adducto*, negat, fieri vllum præiudicium fidei, si dicatur, Angelum, aut Deum ipsum esse intellectum agentem.

ASSERO tertiò contra Græcos, multò minùs intellectum possibilem, esse Intelligentiam separatam extrinsecam.

PROBATVR ex dictis *disputat.* 1. *quæst.* 11. vbi portionem intellectiuam ostendi è fide, & Philosophia, esse intrinsecam formam. Ideò oppositum dicere, est error in fide, vt etiam Mastrius, & Suarez *loc. cit.* aduertunt.

ASSERO quartò, Intellectum possibilem non esse propriè materiam; neque agentem esse formam.

PROBATVR primò à Sancto Bonauent. in corpore; primò q ia si intellectus possibilis esset materia, vel talis, ratione materiæ; sequeretur vbicumque est materia, esse etiam Intellectum possibilem.

PROBATVR secundò ibi. Si intellectus possibilis esset purè materia, sic se haberet, sicut oculus nudus, vel aliud sensorium nudum absque anima: Sed nullum sensorium nudum absque anima dicitur sentire; *verb. grat.* oculus videre; sed visus: Ergo &c. Ratio est, quia est actus vitalis ab intrinseca potentia veniens.

PROBATVR tertiò ibi; Nam potentia actiua non est merè materia; sed intellectus possibilis est potentia actiua, iudicans speciem, & eliciens actum vitalem intellectionis: Ergo. Hæc ratio supponit, actum intellectionis non esse meram passionem, de quo infrà, *sec.* 4. *quæst.* 3.

PROBATVR quartò ibi, quoad intellectum agentem, neque enim ipse est omninò in actu: non enim potest intelligere aliud à se, nisi adiuuetur specie, quæ abstracta à phantasmate, intellectui habet vniri.

PROBATVR quintò à Sancto Doctore ex Aristotele *text.* 17. *tertij de Anima*, vbi ait, intellectum agentem, & possibilem, esse duas differentias intellectus: Ergo non sunt duæ res, id est materia, & forma.

52 ASSERO quintò, Intellectum agentem, & possibilem differre plùs quàm ratione.

PROBATVR à D. Bonauentura in *fundamento primo.* Materialis causa nunquam coincidit cum aliis, ex Aristotele 2. *Phys. text.* 70. tunc sic: Sicut se habet materia ad formam, & agens; ità proportionaliter intellectus possibilis ad agentem; sed materia differt à forma, & agente, plusquam ratione: Ergo etiam hi duo Intellectus. Maior probatur; nam Aristot. 1. *de Anima, text.* 5. ait: Quod *nullam naturam habet intellectus possibilis, nisi quod est potentia, & nihil est actu eorum, quæ sunt ante intelligere*; de intellectu verò agente ait *text.* 19. quod *est substantia actus.*

NON tamen benè hinc inferunt aduersarij distinctionem realem, vt notat D. Bonau. in corpore; non enim in omnibus est par ratio, vt sint duæ partes compositi, sicut materia, & forma, vt dixi; in hoc enim tantùm est similitudo, quod intellectus agens appropriatur formæ, quia magis in actione consistit; possibilis verò materiæ, quia in recipiendo magis elaborat.

53 PROBATVR secundò, quia diuisio potentiæ est in Actiuam, & Passiuam ex Aristot. 9. *Metaph.* Sed in intellectu est agens, & patiens, veluti in aliis naturæ rebus ex Aristot. 3. *de Anima, text.* 17. 18. & 19. Ergo, &c.

NON tamen hinc benè infert Zabarella apud Fabrum *c.* 4. *ad* 2. & Auerroïs Sectatores apud eundem *cap.* 3. *ratione septima*, distinctionem realem, vt notat Faber post D. Bonau. *in corpore*, circa secundum modum dicendi; non enim similitudo in omnibus incedit, aut incedere tenetur; sed solùm in quadam proportione, vt dixi suprà; quod sicut in generando corpus, requiritur aliquod agens, & aliqua materia, ità in intellectione aliquid se habens ad modum agentis, & aliquid passi.

PROBATVR tertiò. Idem non potest secundùm idem, esse in actu, & in potentia; sed intellectus agens est in actu; possibilis in potentia: ergo.

HAC tamen ratione, non satis D. Thom. *loc. cit.* ostendit distinctionem realem; quia nec intellectus agens est merus actus; nec possibilis mera potentia, vt vidit etiam Suar. *cap.* 8. *num.* 12. cum Diuo Bonau. hìc *in corpore* circa modum secundum.

PROBATVR quartò. Ità se habet intellectus agens ad possibilem, sicut lumen ad Diaphanum, proportione quadam actionis, & passionis; non distinctionis realis, vt dicam: At lumen differt à Diaphano; Ergo. Maior est Aristotel. 3. *de Anima, cap.* 5. *text.* 18. *& seq.* probatur. Sicut ad abstractionem specierum sensibilium duo in medio intelligimus, id est, lumen per quod abstrahat, & Diaphanum, per quod deferat species, &c. Ità, &c. Id vult S. Doctor *loc. cit. Compend.*

ASSERO sextò, Intellectum agentem non esse habitum principiorum, per quem cognoscimus prima principia, qui intellectus principiorum vocatur ab Aristot. 6. *Eth. cap.* 6. & 11. & 3. *de Anima, cap.* 5. Habitus, vel Ars. 54

PROBATVR à Ruuio, *quæst.* 4. *num.* 63. argumento S. Bonau. *in corpore* (circa tertium modum, qui est iste:) Nam intellectus ex Aristot. 3. *de Anima, text.* 14. est veluti tabula rasa, in qua nihil est depictum. Igitur non habet cognitionem habituum sibi innatam; sed quærit, mediante sensu, & experientia, eam assequi.

MODIFICATVM autem hunc modum dicendi admittit S. Bonau. *loc. cit.* Si dicatur intellectus agens differre à possibili, sicut habitus à potentia; non quia agens sit purè habitus, sed quia est potentia habitualis. Hoc autem modo probatur à S. Bonau. primò ex D. Dionys. *de cœlesti Hier. cap.* 3. vbi docet, substantias intellectuales, eo ipso, quod intellectuales, esse Lumina: Ergo perfectio & complementum substantiæ intellectualis, est lux spiritualis: Ergo illa potentia, quæ consequitur animam ex parte intellectus, est quoddam lumen in ipsa; de quo lumine potest intelligi id Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. ex Aristot. 3. *de Anima, text.* 18. vbi docet, intellectum, qui est *omnia facere*, esse veluti habitum quendam, vt lumen: *Quodam enim modo, lumen colores potentia, facit actu colores.* Huius simile est in oculo Æluri, qui non modò habet potentiam suscipiendi speciem per medium perspicuum, sicut alij, sed & potentiam faciendi in se speciem per naturam inditi sibi luminis. Quo exemplo ostendit lumen, & perspicuum, nempe intellectum agentem, & possibilem in anima ordinis superioris, quàm sit Ælurus, minus distingui, vt dicam *argum.* 1. D. Bonau. & *indicat. in* 4.

ASSERO septimò, Hos duos intellectus non differre realiter contra Auerroëm, D. Thom. & alios. 55

PROBATVR primò à quibusdam; quia in perpetuis idem est *esse*, & *posse*, ex Aristotele 3. *Phys. textu* 32. Ergo & actus, & potentia: Ergo multò magis erit idem potentia actiua, & passiua; sed Anima est perpetua: Similiter & eius intellectus:

lectus: Ergo non est differentia potentiæ, possibilis, & agentis.

Sanctus Bonaventura ad primum respondet, hoc argumentum non esse ad rem; nam Maior illa Aristotelica intelligitur de esse substantiali,& de distantia, secundùm tempus, non secundùm naturam; quia in eis materia non præcedit actum, & ideò nihil facit ad propositum; quia intellectus possibilis non dicitur possibilis, respectu esse primi, sed respectu actus secundi.

Probatur secundò ab aliis. Quæ sunt vnita in inferioribus, non sunt sparsa in superioribus; imò magis vniuntur; sed in imaginatione, quæ est potentia inferior intellectu, non sunt duæ potentiæ; altera possibilis, siue passiua; altera agens: Ergo multò minùs in intellectu, qui est potentior, quàm sensus, erit intellectus agens, & intellectus possibilis distinctus.

Divus Bonaventura ad 2. respondet, hoc Argumentum nihil concludere, primò, quia alio modo in sensu datur actiuum, & passiuum magis distinctum, nempe organum recipiens, quod est loco potentiæ passiuæ, & vis animæ imaginatiua, loco actiuæ.

56 Deinde respondet, negandam paritatem; quia, cùm species defertur à sensu externo, vsque ad imaginationem, non exuit genus abstractionis, quæ fuit in sensu particulari: Sed cùm species peruenit ad intellectum, nouum genus abstractionis ibi erigitur, & aliud genus luminis; ideò indiget magis potentiâ actiuâ, distincta à possibili, ipse intellectus; quàm imaginatio, aut sensus exterior.

Probatur ergo primò à Diuo Bonauentura, *argumento 3. addita solutione*. Frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora: Sed per vnam rem distinctam solùm secundùm diuersas rationes dispositionis, vel formalitatis, potest intellectus exercere omnes actus intellectus agentis, & possibilis: Ergo. Minor probatur; Id, quod vnitum inuenitur in inferiori, non est sparsum in superiori: sed in oculo Æluri, qui est Animal longè inferius homine, colligitur in vno organo virtus suscipiendi species, & eas noctu elicendi, Ergo sicut in Æluro est vnum organum, habens vim receptiuam, & factiuam per diuersas dispositiones perspicuitatis, per quam recipiat; & luminositatis, per quam agat; multò magis idem intellectus erit lumine agens, & perspicuitate recipiens. Hoc argumento vtitur Fauent. *cap. 3. argumento tertio.*

57 Probatur secundò. Non est ponenda maior distinctio in causis, quàm in effectibus, imò ab vna causa, plures effectus fluunt: Sed actus intellectionis est vnus realis actus. Ergo non oritur ex pluribus causis realiter distinctis; nempe sibi non subordinatis.

Probatur tertiò. Intellectus possibilis, aut intelligit, aut non. Si non: Ergo non debet dici intellectus, nec potentia intellectiua. Si intelligit: Ergo aliquo modo est potentia actiua. Ergo non est alia potentia realiter distincta ab organo.

Similiter intellectus agens, aut intelligit, aut non. Si non: Ergo non debet dici intellectus, aut potentia intellectiua. Si sic: cùm intellectus non possit intelligere aliud à se, nisi speciem illius habeat in se, vel penes se; & cum omne illud, quod est susceptibile speciei, sit aliquo modo possibile: Ergo non diuiditur à possibili realiter.

Respondent communiter, intellectum agentem non intelligere, vt aduertit Runius, *lib. 3. de Anima, cap. 5. tract. de intellectu agente, quæst. 2.* vbi refert, communem esse omnium ferè Interpretum Aristotelis sententiam, *cap. 5. tertij de Anima.* D. Thom. *in 3. distinct. 13. quæst. 1. artic. 1.* Henrici, *quodl. 8. quæst. 12.* & videtur Aristotelis *loc. cit.* Probatur, quia pro vno actu formaliter eliciendo, vna tantùm facultas ponenda est, & plures erunt superfluæ: Sed intellectus possibilis formaliter intelligit; Ergo agens non intelligit formaliter; Quare singularem, & falsam proclamat sententiam Ianduni *cap. 5. tertij de Anima; quæst. 23.* dicentis, etiam intellectum agentem intelligere. Idem cum Runio supponit Suarez, *lib. 4. capite 8. num. 10.*

Hæc tamen nihil torquent Diuum Bonauenturam; Nam, vt ipse aduertit in declaratione allatorum argumentorum *in fine quæstionis*. Intellectus agens, & possibilis concurrunt ad vnum actum integralem intelligendo; ita vt agens, & possibilis, sint vnus intellectus, non duo, & duabus formalitatibus concurrat ad totalitatem actus intellectionis, ad quem requiritur etiam productio speciei, & illuminatio, ac informatio intellectus; ex qua informatione, est in actu ad intelligendum obiectum, actione sua vitali: Itaque in vnam operationem completam conueniunt; atque adeò vnus est intellectus realiter, licet duabus facultatibus præditus; alioquin, quomodo intellectus agens erit intellectus, si ad intellectionem non interuenit? vt arguit Sanctus Bonauentura. 58

Tandem probatur argumentis Diui Bonauenturæ, *dist. 24. part. 1. artic. 2. quæst. 1.* quibus probat potentias animæ solùm formaliter inter se distingui, magis autem distinguitur voluntas ab intellectu, quàm intellectus agens à possibili. Vide quæ dixi *disput. 2. quæst. 1. & 2.* Hoc argumento nititur Fauentinus, *cap. 4.*

Obiicies primò cum Alexandro. Causa prima vniuersalis rerum est agens in omnia. Sed Deus est talis: Ergo. Subsumo: In id influit prima causa, maximè, quod est capax Diuini influxus: Sed talis est intellectus: Ergo. 59

Respondet Fauentinus *cap. 2. ad 2.* negando, intellectum agentem, & possibilem esse diuersas substantias realiter distinctas; sed non retundit argumentum.

Respondet igitur Sanctus Bonauentura *in corpore*: Verum quidem esse, Deum esse lucem, quæ nos illuminat: Magistrum, qui nos instruit: Veritatem, quæ nos dirigit, vt sæpè docet Diuus Augustinus locis adductis pro secunda assertione, ideò dicitur Ioan. primo. *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem*; attamen hæc nihil ad propositum conducere, quia Deus ità gubernat mundum, vt res ipsas proprios motus agere sinat, vt docet idem Diuus Augustinus, passim recensitus à Diuo Bonauentura.

Obiicies secundò cum eodem, & cum Zabarella. In omni genere, in quo est aliquid per se, & prius tale, & aliqua secundariò talia, hæc debent esse talia ab illo primo, quod est per se, & primò tale; Sed res sunt secundariò intelligibiles: Ergo debent reddi tales ab eo, qui est per se primò intelligibilis per essentiam. Talis est Deus: Ergo. Hoc argumentum clamat Zabarella insolubile.

Respondet D. Bonau. argumentum non esse ad

ad propositum, licet enim Deus efficienter communicarit esse, atque adeò cognoscibilitatem rebus; tamen dedit eis propriam entitatem, quæ est formaliter cognoscibilis, & dedit potentiæ intellectiuæ vim cognoscendi formalem; ità vt licet per participationem entitatis res sint, sintque cognoscibiles virtute accepta à Deo efficiente; attamen formaliter sunt obiectum per se intellectus; & intellectus est formaliter intelligens. Hac responsione vtitur Fauentinus, *cap.2.*

Obiicies tertiò: Vis cognoscens, quò est præstantior, eò eget lumine aliquo præstantiori; Sic oculus corporeus eget lumine Solis. At mens est cognoscitiua præstantior, quia est incorporea: Ergo eget lumine perfectissimo Dei: Ergo Deus est intellectus agens.

Respondet Fauentinus ex Diuo Bonauentura, Potentiam præstantiorem, egere lumine præstantiori intrinseco, proportionato suæ operationis nobilitati. Hoc autem, sicut Deus concessit aliis causis, multò magis nobilissimæ causæ, id est, animæ. Reliqua Zabarellæ argumenta soluta iacent, *disp. 1. quæst. 11.*

61 Obiicies primò cum Auerroïstis, & Thomistis ex Aristotele *3. de Anima, text.* 17. Intellectus agens, & possibilis sunt duæ differentiæ animæ: Ergo sunt duæ partes realiter distinctæ. Similiter *text.* 18. ait, Intellectum agentem esse, *quo est omnia facere*: possibilem verò, *quo est omnia fieri.*

Respondet Fauentinus, *cap. 4.* ex Diuo Bonauentura, *in corpore*, circa secundum modum, Aristotelem vocare potentias animæ ad modum partium, quia sunt realitates formaliter distinctæ, quarum altera se habet ad modum actus: altera ad modum potentiæ. Vnde eas vocat differentias, quia formaliter distinctæ sunt.

Obiicies secundò. Quod causatur ex duobus, quorum alterum est purus actus: alterum pura potentia est compositum ex illis, tanquam partibus, realiter distinctis. Talis est intellectus ex agente, & possibili, vt docet Aristoteles *3. de Anima, text.* 5. vbi de Intellectu possibili: Et *text.* 19. vbi de Intellectu agente. Confirmatur; nam intellectus possibilis fit in actu ab agente, vt patet ex actibus intellectus agentis: Ex actibus autem cognoscuntur potentiæ. Confirmatur secundò; nam Aristoteles vult in intellectu esse Agens & Patiens, sicut in omni natura; sed in omni natura, Agens, & Patiens sunt res distinctæ; quia nihil agit in seipsum.

Respondet Sanctus Doctor, Actum, & Potentiam; necnon esse, & posse, diuersè accipi, diuersèque distingui. Actus enim, & Potentia, quoad existentiam entis, differunt realiter; nihil enim potest existere, & non existere. Pari passu incedunt res quoad essentiam; nam, quæ non habent essentiam, non sunt; est enim essentia idem realiter cum existentia. Similiter, quæ sunt actu quoad operari, & quæ sunt in potentia ad operandum, secum ferunt duo accidentia realiter distincta, vel potentiam substantialem, & actum accidentalem. Enim verò non est laborandum in æquiuocis. Si sit potentia substantialis actu, ex essentia fluens ordinata ad agendum, & recipiendum, erit vna res; sed diuersæ formalitates. Et his distinctionibus loquitur

62 Aristoteles suprà. Iam verò Intellectus distinguitur in Agentem, & possibilem, hoc vltimo sensu; atque adeò non exigit distinctionem rei, & rei; sed satis est formalis. Neque terreat, comparare Intellectum agentem formæ; & possibilem materiæ, re diuersis apud Aristotelem; Similiter agentem arti effectrici; possibilem materiæ artis: Rursus, Intellectum agentem lumini illustranti; Possibilem illustrato colori, vt refert etiam Sanctus Doctor hîc, *& in Compend. loco citato.* Respondeo enim cum sancto Doctore, similitudinem non esse in omnibus; sed in hoc solo, quod sicut in artificiali composito exigitur ars operans, & materia, putà Fabro æs; Et in illuminatione color, & lumen faciens visibilem in actu colorem; ita in intellectione; non quod autem eo modo differant intellectus agens, qui lumini, & artifici comparetur; atque possibilis materiæ, & colori assimilatus; eò minùs, quò sunt potentiæ, seu entitates superiores, in quibus vniuntur ea, quæ in inferioribus sunt re dispersa.

Adde etiam, neque possibilem esse merè passiuum ad intellectionem; neque agentem merè actiuum, vt infrà ostendam. Quare non eam exigunt seueram distinctionem, quæ inter actiuum, & passiuum reperitur, vt plurimum; tantò minùs, quantò intellectus, & voluntas nobiles supra se reflectuntur, & diuersis solis formalitatibus agunt, & patiuntur.

Qvod verò fiat in actu ab intellectu agente, arguit solam distinctionem formalem virium. Neque verò putandæ sunt istæ facultates duæ res; altera agens; altera patiens; sed duæ virtutes, altera magis actiua; ità tamen, vt hæc actum aliquem; illa passionem non excludat. His ferè responsionibus vtitur Fauentinus, *cap. vltimo*, quibus adde, quæ suprà dixi.

Reliqva argumenta patent, ex argumentis suprà allatis è Diuo Bonauentura, & modificatis.

QVÆSTIO IV.

Quo munere fungatur Intellectvs *agens, & possibilis.*

Qvoad Intellectum agentem, supponunt primò communiter, eum non intelligere, vt dixi *quæst. 3. assert. vlt.* dicunt ergo, hunc habere officium solummodò præuium intellectioni. Hoc verò in assignando varij sunt. Vniuersaliter sanè admittunt, Intellectum agentem esse lumen ex Aristotele *3. de Anima, text.* 18. atque ad intelligibilia se habere, sicut se habet lumen ad colores, quos, ex visibilibus potentiâ, reddit actu visibiles. In explicando autem hoc munere, in varia disperduntur. 63

Primò enim aliqui dicunt, Intellectum agentem effundere lumen quoddam suum in phantasmata per actionem realem, eis imprimendo qualitatem luminositatis, quâ reddantur idonea ad agendum in intellectum possibilem, & in eum imprimendam speciem intelligibilem obiectorum, ab eis repræsentatum. Ita Diuus Thomas *2. contra Gentes, capite* 77. eámque probabilem censet Toletus *3. de Anima, quæstione* 13. Hanc sententiam Picolom. adscribit Alexandro, *lib. de humana mente, capite 6.* nec longè aberrat Zabarella apud Fabrum, *loc. cit. quæstione præcedenti, cap. 4.*

Sed

Sed hæc fictitia clamat Eustach. 3. *part. tract.* 4. *disp.* 2. *quæst.* 7.

Secunda opinio est, Intellectum agentem illustrare Phantasmata, non quidem aliquam eis formam imprimendo, sed obiectiuè tantùm extrinsecè per solam assistentiam, absque aliqua actione in illa, sicut etiam lumen in aere existens, dicitur illuminare colores in pariete depictos. Ità videtur Henrici *quodl.* 6. *quæst.* 12. & 13. expresse autem Caietani *p.p. quæst.* 85. *artic.* 1. Baccon. *primo sent. prologo*, *quæst.* 2. *art.* 2. & 3.

64 Tertia opinio ait, eatenùs solùm dici, intellectum agentem illuminare phantasmata, quatenùs phantasia hominis per coniunctionem cum intellectu habet perfectiora phantasmata, & ideò efficaciora, & quæ simul cum intellectu agente valent imprimere speciem obiectorum, quæ repræsentant, in intellectum possibilem. Ità Ferrar. 2. *lib. de Anima*, *cap.* 4. Capreol. *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 2. *artic.* 3.

Qvartò alij dicunt, intellectum agentem vnicam habere actionem, & hanc præuiam intellectioni, non circa Phantasmata; sed circa Intellectum possibilem, producendo in eo speciem intelligibilem, per quam ponitur in actu primo intellectionis; & per eandem actionem, circa intellectum possibilem exercitam, illustrari phantasmata. Ità Fonseca 5. *Metaph. cap.* 28. *quæst.* 8. Conimbr. 3. *de Anima*, *cap.* 5. *quæst.* 2. *artic.* 1. Auersa, *parte* 38. *sect.* 2. Ruuius, *tract. de Intellectu agente*, *quæstione* 2. *num.* 37. & *sequentibus*, Cottunius, *disp.* 5. *sect.* 8. & ex parte Tolet. *loco citato*.

Alii verò dicunt, actionem intellectus agentis esse etiam in phantasmata, educendo ex eis speciem intelligibilem; sed hoc videtur idem cum præcedenti sententia: Actio enim est impropria eductio, scilicet speciei ex Phantasmate. Ideò Ruuius in fine quæstionis concedit aliqualem actionem etiam in phantasmata. In hanc conatur Faventinus *Theor.* 78. *cap.* 3. trahere Scotum. Hæc est Sententia Diui Thomæ, *p. p. quæst.* 79. *articulo* 3. & 4. & *in quæstionibus de spiritualibus creaturis*, *art.* 16. Idem sentiunt omnes Thomistæ, vt videre est apud Iauellum 3. *de Anima*, *tract. de Intellectu agente*: Caietan. *prima prima*, *quæst.* 79. *artic.* 3. Complutenses, *disp.* 20. *cap.* 2. Differunt verò Thomistæ à Scotistis, primò, quia Thomistæ volunt, speciem esse actum intellectus possibilis. Secundò negant, Intellectum agentem præcedere intellectionem, vt refert Fauentinus, *cap.* 4. §. *Tertium caput opinionum.* Tertiò, quia Thomistæ volunt, phantasma solùm instrumentaliter concurrere cum intellectu agente: Scotistæ verò etiam principaliter. Ità Mastrius *disp.* 6. *num.* 129.

65 Qvintò, Mercenarius *in suis dilucidationibus de intellectu agente*: Picolom. *libro primo de humana mente*, *cap.* 8. & alij ponentes vnum Intellectum agentem, & possibilem formaliter, dicunt, eundem esse, qui agit in phantasmata, actione immanente, scilicet, iudicando ea, vt apprehendendo quidditatem, in iis inuolutam, derelictis conditionibus materialibus; atque adeò intellectum agentem formaliter etiam intelligere.

Sententia Diui Bonauenturæ à singulis istis in aliquo discrepat. Primò quidem *in* 2. *dist.* 24. *prima prima*, *artic.* 2. præcipuè *ad vltimum*: Sentit, vnum esse Intellectum realiter agentem, & possibilem, duabus præditum viribus agendi, & recipiendi; ex quibus vnus actus producitur intellectionis. Itaque non admittit intellectum agentem seorsim merè actiuum; & possibilem merè passiuum; sed intellectum virtute agente, primò agere in phantasmata, illustrando illa, non quidem per immissionem radij alicuius aut alterius qualitatis, vel per solam assistentiam, vel alio modo ex primis enumeratis; hoc enim repugnat eius doctrinæ, vt dicam *in fundamentis*, sed respiciendo lumine suo naturali, atque penetrando: Est enim substantia spiritualis lumen, vt notat in corpore circa tertium modum. Inde verò abstrahit formam spiritualem, quæ est species intelligibilis, repræsentans non modò id, quod in phantasmate includitur, sed etiam aliquid vniuersalitatis. Hanc igitur producit in facultate possibili, quæ est idem realiter, & est idem, ac dicere in se; quâ receptâ elicit actum intellectionis ipsemet intellectus agens, possibili adiutus. Hæc consonant dictis cum Diuo Bonauentura, *disputatione* 4. *quæst.* 1. vbi per abstractionem, speciem è phantasmate fieri docet vniuersalem. Intellectus igitur agens, primò speciem è phantasmate in potentia possibili format; atque adeò informata acie intellectus possibilis, ipse agens elicit actum intellectionis, quem ipse recipit, cùm sit actus immanens; siue etiam concedamus, recipi in ipso possibili, non exit à realitate sui principij, & adhuc est immanens. Consentiunt Valent. *disputatione* 6. *quæst.* 5. *parte* 2. Fuliens. *lib.* 3. *cap.* 8. Eustachius, *loco citato*, Iunct. *capite* 16. 66

Fvndamentvm primum ex Diuo Bonauentura *in* 2. *dist.* 17. *parte* 2. *artic.* 2. *quæst.* 2. Agens creatum spirituale, cùm sit finitum, & limitatæ potentiæ, finitam habet virtutem, suo generi proportionatam; nempè, ad effectus spirituales accidentarios, quia scilicet operatur per intellectum, & voluntatem creatam, quarum effectus sunt accidentia. Quoad effectus verò materiales solùm arte potest operari. Quoniam verò ex tribus agentibus ordinatis, qui sunt *Deus*, *Natura*, & *Intelligentia*, datur hic ordo; vt primò sit *Deus*, operans ex nihilo: Secundò *Natura* ex materia, scilicet ente in potentia. Tertiò operatur *Intelligentia* per modum artis; ideò non valet Intelligentia operatura naturæ antecedere; sed operatur in corporeis solùm artificialiter, applicando actiua passiuis; sicuti Hortulanus inserendo hoc in illo, &c. Ratio autem est ex Diuo Bonauentura, *fundamento quarto*; quia dans alteri actum, debet esse, respectu illius, ens actu, vt habet Aristoteles, *septimo Metaph.* Nihil enim dat, quod non habet: Angelus autem nec genere, nec specie conuenit cum corporeis, ideò non habet actum eorum: Materia enim est vis insita rebus, similia ex similibus procreans, vt notat Sanctus Bonauentura, *fundamento quinto*, 67
Ideò, si Angelus ad modum naturæ operari posset, producendo substantias; iam faceret Angelos. Igitur agens spirituale creatum nequit qualitatem, vel formam realem imprimere corporibus, vt communis Sententia totius Scholæ fert, id negans Angelis; vt vidimus *Tractatu de Angelis*, *disputatione vndecima*, *quæstione* 1. & 2. atque adeò Intellectus agens, qui est spiritualis, non potest qualitatem realem infundere in phantasmatibus, quæ sunt corporea. Nam, vel talis qualitas est corporea, vel spiritualis: Si corporea, non potest spiritualizare phantasmata, vt mox dicam *fundamento secundo*; quia non potest agens inferioris ordinis, nempe,

nempè corporei agere ad effectum spiritualem. Sic spiritualis non potest recipi in phantasmate corporeo improportionato, vt argutè arguit Vigerius Scotista, *primo, dist. 3. quæst.* 4. Licetus, *lib. de intellectu agente.*

Neque satisfacit Toletus dicens, etiam animam rationalem spiritualem recipi in corpore per informationem; sunt enim rationes diuersæ, quia accidens (quale est lumen spirituale) non potest recipi in corporea substantia, nisi media quantitate:
68 Lumen autem Intellectus agentis, non potest extendi in subiecto per quantitatem: Ergo nec in eo recipi. Hoc fundamento Seraphici nituntur etiam Ruuius *loc. cit. de Intellectu agente, quæst. 2. num. 32.* Faber. *cap.* 4. Mercen. *loc. cit.*

Fundamentum secundum ex Diuo Bonauentura *in* 4. *distinct.* 44. *parte* 2. *artic.* 3. *quæst.* 2. Actio est per contactum ex proportione, ex Aristotele 7. *Phys. text.* 8. & *primo de Gener. text.* 43. *&* 9. *Metaph. text.* 10. Phantasma autem corporeum est, atque adeò non potest in intellectum immediatè agere. Hinc enim etiam ignis inferni non potest torquere naturali actione animas, vel dæmones; atque adeò premuntur Scholastici difficultatibus, in comprehendendo, quomodò ignis inferni torqueat dæmones, & Animas, vt dixi *tract. de Angelis, disp.* 8. *quæst.* 14. & notat cum Diuo Bonauentura Antonius Ruuius *tract. de Intellectu agente, quæst. 3. num.* 49.

Fundamentum tertium ex Diuo Bonauentura *in* 2. *dist.* 24. *p. p. art.* 2. *quæst.* 4. *in corpore.* Intellectio est actio propria animæ intellectiuæ, quæ absque operatione non fit, nec operatio sine debita virtute; ideò autem animæ prouisus est intellectus agens, vt actione ex virtute sua innata operetur in phantasmata, abstrahendo ex eis speciem intelligibilem: Ex quo sequitur, lumen Intellectus agentis sola assistentia, vel innata nobilitate, absque aliqua actione, facere intelligibilia in potentia, actu intelligibilia, quod est munus intellectus agentis, & eius luminis, vt docet Aristoteles *tertio de Anima, text.* 18. vt notat Diuus Bonauentura.

69 Assero primò, Intellectum agentem, non illuminare phantasmata, infundendo in eis qualitatem aliquam realem.

Probatvr ex primo fundamento; quia agens spirituale non potest in subiecto corporeo formas producere naturales; quia non est proportio.

Assero secundò: Neque sola assistentia hoc præstat Intellectus agens; nec ex sola nobilitate phantasiæ hoc resultat absque actione.

Probatvr; nam inintelligibile est, vt docet Mercenarius, *loc. cit.* Fauentinus, *cap.* 4. Ruuius *num.* 34. aliquem effectum produci nouum, & aliquid reduci de potentia ad actum absque vlla actione, à nullo agente. Itaque neque potest verè dici Intellectus agens, qui nihil agit.

Assero tertiò, Intellectum agentem non benè explicari, dicendo, illum secernere rerum quidditatem à conditionibus materialibus.

Probatvr: Nam adhuc est quæstio; quo pacto id fiat.

70 Assero quartò, Actionem intellectus agentis esse abstractionem speciei à Phantasmate, & receptionem in facultate possibili. Est Diui Bonauenturæ.

Probatvr; quia nulla alia actio potest inueniri; non enim agit propriè in phantasmatibus, eis aliquid imprimendo: neque exercet suum munus absque actione: Ergo agit producendo speciem, quam necessariam ostendi, *disputatione* 4. *quæst.* 7.

Quæ cùm ita sint: Metaphora Aristotelica, *cap.* 5. quâ intellectum agentem comparat lumini illustranti colores, est ita accipienda, vt lumen verè immittatur in phantasmata, atque adeò manentia phantasmata virtute huius luminis superfusi, videantur ab intellectu; sicut colores, qui in tenebris non videbantur, elucescente lumine, fiunt visibiles; sed illuminari phantasmata obiectiuè, quatenùs species illa repræsentans reddit intelligibilia actu, sicut dicitur Interpres illuminare sermonem extranei, cuius lingua non percipitur, vt notat etiam Ruuius.

Iam verò controuersa manet altera operatio, quâ obiectum actu intelligibile, fit actu intellectum, & producitur intellectio. 71

Multi enim asserunt, hoc præstare Intellectum possibilem, quàm sententiam, vt communiorem, & certiorem amplectuntur Conimbricenses 3. *de Anima, cap.* 5. *quæst.* 4. Onuphrius, *tractatu* 2. *disputatione prima, quæst.* 1. *disputatione* 4. Cottunius *disp.* 9. *sec.* 18. Vulpes, *prima primæ, tit.* 1. *disputatione* 20. *artic.* 4. Scotum trahens, *loco citando*, Bannes *prima primæ, quæstione* 79. *artic.* 3. *disputatione* 1. Tartaretus 3. *de Anima, quæst.* 1. Bargius, *primo, disput.* 3. *quæst.* 7. Fortunius, Licetus, *lib.* 3. *cap.* 11.

E regione alij volunt, hoc esse munus intellectus agentis. Ità sentire videntur Alexander, Themist. & Iandunus 3. *de Anima*, & plurimi Scotistæ, Mayro *primo, dist.* 3. *quæst.* 6. Regentes Parisienses 3. *de Anima, quæstione* 1. *ad nonum*, 2. *collater.* Bassolis *secundo, dist.* 3. *quæstione* 4. *artic.* 3. Fauentinus, *Theoremate* 78. *cap.* 2. Rocchus 3. *de Anima, quæst.* 13. Idipsum tenent Picolom. *lib. de humana mente, cap.* 7. *&* 8. Mercenarius, *in suis dilucidationibus.* Contarenus, *quæstione de Intellectu agente, cap. vlt.* & videtur Scoti, *quodlibet* 13. §. *si verò.*

Hæc Lis, (ait Mastrius, *disputatione* 6. *num.* 134.) est de lana caprina, apud eos, qui non arbitrantur, hos Intellectus realiter distingui, quia sunt duæ facultates eiusdem intellectus, quibus indifferenter actum intelligendi adscribit Aristoteles 3. *de Anima, textu primo*, vt monent etiam Conimbricenses suprà; concludit tamen Mastrius cum suo Belluto, productionem intellectionis conuenire intellectui, vt agenti, vel actioni; quia producere actum vitalem, est agere: Si verò sit quæstio, cui conueniat functio intelligendi, ait, hanc non conuenire intellectui, vel, vt possibili; sed vt operatiuo; quia intelligere, nec est agere, nec pati formaliter; sed operari intentionaliter circa obiectum. Adnotat tamen, quocumque modo dicas, non esse confundendam actionem intelligendi, cum illustratione phantasmatum, vt fecêre Picolominus, & Mercenarius.

Assero igitur quintò, elicere actum intellectionis, esse Intellectus agentis. 72

Probatvr à D. Bonauentura *ad vltimum* ratione, quâ vtuntur alij: Intellectus enim agens adæquatur possibili, vt sicut iste est *omnia fieri*; ita ille *omnia facere*, ex Aristotele 3. *de Anima, textu* 18. & addit ibi, esse sicut lumen, quod est principium actiuum. Certum est autem, intelligere non esse

esse merè pati, sed in ratione consistere; Intellectus autem agens abstrahit speciem, & de ea iudicat, quod est intellectionem efficere, & intelligere.

Dices *Intelligere* ex Aristotele est *pati*; Intellectus autem passibilis est ille, qui intelligit. Ita 3. *de Anima, text. 2. & seq.*

Respondet S. Bonauentura *ad vltimum*, has diuisiones non esse ita accipiendas, vt sonant, quasi sint duo Intellectus: Alter intelligens: Alter non; vt ineptè Fuliens. ait; hæc enim implicantia sunt, esse Intellectum, & non intelligere; sed debere nos accipere vnicum intellectum, qui duplici virtute perficit multos actus necessarios ad vnum integrum actum intellectionis: Itaque sæpè apud Philosophos dicitur, *intelligere*, esse *pati*, quia interuenit etiam receptio speciei, quæ est ab Intellectu possibili, quia virtus agens, non eliceret actum, nisi possibilis acies specie actuaretur. Quo fundamento nituntur etiam allegati Doctores, post D. Bonauenturam. Idem habet S. Doctor *in 3. dist. 14. art. 2. quæst. 2. ad secundum.*


Hinc habes, Intellectum dici vitalem potentiam, quia elicit actum intellectionis: non præcisè, quia recipit.

Dices. Actio immanens debet recipi in potentia eliciente; at intellectio recipitur in Intellectu possibili: Ergo.

Respondet S. Bonauentura, hos esse vnum intellectum, & ideò non elici ab vno distincto, & recipi in alio, realiter diuerso; hæc enim dicere vanum est.

Respondetvr secundò, solum intellectum agentem recipere intellectionem immanenter; possibilem verò recipere speciem.

73 Assero vltimò, Intellectum agentem non se habere, vt causam partialem cum phantasmate ad speciem producendam. Patet ex dictis *disputat. 4. quæst. 10.*




SECTIO II.

DE INTELLECTV ADEPTO, SEV ACQVISITO.

Postqvam egimus de Intellectu, vt tabula rasa; agendum de eodem, prout adipiscitur species, habitus, &c. Hoc autem soli Intellectui Humano competit, non Angelico, qui ab initio dotatus est Speciebus; vt docet Sanctus Bonau. *in 2. dist. 3. parte 2. art. 2. quæst. 1.* Neque de Intellectu id asserendum Christi, qui multò sapientior Angelis ab initio extiterat, vt latè probat S. Bonauentura *in 3. distinctione 14.* ferè tota: Multò minùs id licet dici de Intellectu Diuino, vt docet D. Bonau. *locis adductis.* Et latè ostendit *in primo, distinctione 39.*

In nobis verò, intellectum acquisitum esse, patet ex dictis; nam ab initio est, vt Tabula rasa, ex Aristotele 3. *de Anima, text. 14.* & ostendit Sanctus Bonauentura, *in 2. distinctione 39. art. 1. quæst. 2.* exceptâ aliquâ initiali cognitione; de qua *sect. 4.* Hic igitur est, qui acquiritur, scientiis operam nauando; vt notat Diuus Bonauentura *in 2. distinctione 18. art. 2. quæst. 1.* & *distinctione 24. p. p. art. 2. quæst. 3.* & *libro 2. Compend. Theol. cap. 45. & sequentibus,* vbi totam hanc doctrinam tradit.



QVÆSTIO I.

An Intellectvs Adeptvs *constituatur ex Habitibus.*

Assero primò, Intellectum consideratum ad vltimum finem, non esse adeptum, & perfectum per habitus.

Probatvr: nam vltimus finis, qui est summum animæ Bonum, consistit in actibus contemplationis, vt habent Theologi *in primo, distinct. 1.* & *in 4. distinctione 49.* Sed habitus non sunt summum Bonum animæ: Ergo. Probatur Minor. Quando duo ita se habent, vt vnum sit propter aliud, tanquam ob finem; melius est, quod habet rationem finis, quàm, quod habet rationem medij; sed habitus sunt propter actus: Ergo.

Assero secundò, Intellectum adeptum non consistere in solo actu. Ita D. Bonau. *in 4. distinctione 49. part. 1. quæst. 1.* sumpto intellectu, prout ordinatur ad vltimum finem.


Probatvr à Diuo Bonauentura; Quia adeptio mentis consistit in continuo contemplationis actu: Et actus continuus supponit potentiam, facilem, promptam, & habituatam.

Assero tertiò, Intellectum dici aliquo modo adeptum, respectu actuum sequentium habitus.

Probatvr, quia actuatur ab hac intellectione, quam anteà non habebat: Actus enim sunt perfectio potentiæ.

Assero vltimò, propriè dici intellectum adeptum, ratione habituum.

Probabtvr, quia ab his perficitur.



QVÆSTIO II.

An Intellectvs *adeptus dicatur respectu intelligibilium.*

Assero primò, Intellectum dici perfectè adeptum respectu intelligibilium, & quidem etiam quoad Deum. 74

Probatvr: Illa est potentia adepta perfectè, quæ iam quietatur, & satiatur; sed intellectus satiatur in intelligibilibus, & præcipuè in Deo, sine quo non satiatur: Ergo.

Assero secundò, dici adeptum, naturali adeptione, respectu materialium obiectorum.

Probatvr, quia ad hæc primò se habet, vt tabula rasa, & ab his intelligibilibus transfertur de potentia ad actum.

humana bona sunt, & est media inter Sapientiam, & Artem. Intelligentia est in ascendendo à prudentiam, ad sapientiam, & est cognitio principiorum, & regularum certarum. Sapientia verò est perfectio ex omnibus his habitibus. Addit S. Bonau. dari inter hæc ordinationem, & transitum: Sic per scientiam ad artem descenditur. Chirurgus enim, nisi habeat regulas medicinæ, interficit hominem. Vide Seraphicum egregia de his dicentem.

Aristoteles 6. *Eth.* addit his habitibus etiam suspicionem, & Opinionem.

Aliqua ponitur dubitatio: An intellectus, Scientia, & Sapientia, sint habitus propriè distincti.

Respondetur assertiuè ex Diuo Bonauent. 3. *distinctione* 34. & 35. D. Thom. *parte* 2. *quæstione* 57.

Probatur: Scientia includit etiam Intellectum; Sapientia verò omnes alios habitus; potest tamen dici imperfectè Sapientia eius, qui habet vnum habitum excellenter, vt ait Aristoteles 5. *Eth.* sic dicitur sapiens Architectus. Quoad dona verò, Vide D. Bonauent. latè, & egregiè in Opusculo, *de septem donis Spiritus Sancti*, & *in* 3. *distinctione* 34. & 35. vbi alij Scholastici, & D. Thom. *prima* 2. *quæst.* 57.

QVÆSTIO II.

An Habitus *Intellectûs sint sola species.*

Prima opinio est, Habitum non esse aliud, quàm species impressas dispositas. Citatur D. Thom. 1. 2. *quæst.* 1. *articulo* 3. *ad* 3. & *art.* 6. & *quæstione* 5. *articulo* 5. & *quæstione* 51. *artic.* 1. & *quæstione* 54. *art.* 1. & 3. *parte*, *quæst.* 11. *art.* 6. Similiter & Caietanus, & alij Thomistæ.

79 Secunda opinio est, Habitum esse perfectionem distinctam à speciebus. Citatur à P. Galitio, *libro* 3. *de Anima*, D.Bonau. *quæst.* 3. *Prolog.* & *in primo*, *distinctione* 3. *parte* 3. *articulo* 2. *quæst.* 1. Id verò habet *in* 2. *distinctione* 3. *parte* 2. *artic.* 2. *quæstione* 1. eum sequitur Scotus *in* 2. *dist.* 3. *quæstione* 10. & *in* 4. *distinctione* 45. *quæstione* 1. & communiter Patres Iesuitæ. Eam verò supponit Ruuius *in Tract. de habitu principiorum*, *quæst.* 1. Vasquez *part.* 1. *disp.* 78. *cap.* 2.

Assero cum hac sententia, Habitum distingui à speciebus.

Probatur primò, ratione deducta è D. Bonauentura, *in* 4. *distinct.* 4. *part.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 2. Ea, quæ sunt separabilia, distinguuntur; sed species, & habitus sunt tales: ergo. Minor probatur, nam Deus infundit habitum fidei, sine speciebus, vt patet in puero baptizato, qui non habet species articulorum, & potest esse, vt posteà species articulorum acquisitæ pereant, manente habitu fidei: Sic & in intellectu sunt Ars, & Prudentia, quas non habent omnes, qui habent species earundem rerum, vt notat etiam Vasquez.

Probatur secundò ex D. Bonauentura *in* 2. *distinctione* 3. *loco citato*. Causa, & effectus distinguuntur: Sed species sunt causæ habituum: Ergo. Minor probatur à Diuo Bonauentura, *fundamento primo*, *Ezech.* 28. dicitur Regi Tyri, & diabolo: *Tu plenus Sapientiâ*. Plenitudo autem dicit seriem specierum, ex quibus sapientiæ habitus producitur. Ideò ait *fundamento* 3. dici in libro de causis, propositione 10. *Omnis intelligentia est plena formis*; idest speciebus.

Probatur tertiò ex Doctrina D. Bonauent. Quia species se tenent ex parte obiecti, cuius sunt Idolum, vt dixi *disput.* 4. *quæst.* 7. 8. & 9. cum D. Bonauentura; Habitus verò se tenent ex parte subiecti, vt docet D. Bonauentura *locis adductis*, *quæstione præcedenti*: Ergo differunt. Hâc ratione ita nititur Ruuius, vt hâc solâ, hanc veritatem supponat; Benè tamen sine speciebus non potest habitus operari; vnde ad exercitium necessariæ sunt, vt docet Sanctus Bonauentura, *in quarto*, *distinct.* 4. *loco citato*. 80

Obicies primò. Intellectus est potentia operans necessariò: Ergo non eget habitu, sed solâ præsentiâ obiecti, seu speciei.

Respondetur, poni habitum, vt eliciatur actus facilè, non enim intellectus operatur, vt ignis, semper vno modo; esto agat necessariò, quod negare possumus: potest enim suspendere actum, maximè iudicij.

Obicies secundò, D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 39. *art.* 1. *quæstione* 2. videtur inferre, habitus esse species.

Respondetur, S. Doct. concedere simul habitum, & species incedere modo naturali ordinario; non tamen sequitur eum esse cum illis vnum, sicuti ex eo quòd substantia est cum accidentibus; non sequitur vtrumque, esse vnum.

QVÆSTIO III.

An detur aliquis Habitus, *intellectui innatus.*

Quæstio hæc est de Habitu primorum principiorum, quem negauit Durandus *in* 3. *distinctione* 3. *quæst.* 1. *ad finem.* Soto *lib.* 1. *de Iustitia*, & *Iure*, *quæst.* 4. *articulo* 2. qui dicunt, ad assentiendum principiis, sufficere lumen naturale, & ita habitum primorum principiorum esse solam potentiam intellectiuam, vt benè disponit ad assensum eorum: Ita Gregorius de Valentia, *disput.* 4. *quæstione* 3. *art.* 1. 81

Attamen hunc concedit Aristoteles 6. *libro Eth. cap.* 3. vbi inter habitus intellectuales nominat Intellectum, qui est habitus principiorum, vt notat D. Bonau. *serm.* 5. *Hexaëmer.* ad medium, & post eum Ruuius, *Tract. de habitu principiorum*, *quæstione* 1. *numero* 6. Idem sentit S.Bonauentura, *in* 2. *dist.* 3. *articulo* 1. *quæstione* 2. & cum eo D. Thom. *prima* 2. *quæst.* 94. *articulo* 1. Caiet. 1. 2. *quæst.* 51. *articulo* 1. & ibidem Ferrat. 1. *cont. Gent. cap.* 94. Medina *prima secunda*, *quæstione* 49. *articulo* 2. & Moderni omnes.

Ex his verò, qui hunc habitum concedunt aliqui dicunt, eum esse acquisitum: Ita Vasquez *p. p. disputatione* 79. *cap.* 5. Ferrar. 2. *contra Gentes*, *capite* 78.

Alii verò dicunt, esse innatum: Ita Conradus *prima* 2. *quæstione* 94. *articulo* 1. Bannes *p. p. quæstione* 1. *artic.* 6. post D.Thom. *prima* 2. *quæstione* 49. *art.* 1. *ad* 3. & *in* 2. *dist.* 24. *quæst.* 2. *artic.* 3. *ad* 3. Viguerius *Instit. cap.* 3. §. 8. Medina 1. 2. *quæst.* 51. *art.* 1. *conclus. vlt.*

Tertia

TERTIA opinio est Caietani 1. 2. *quaest.* 51. *art.* 1. *dub.* 1. Habitum principiorum, hoc pacto esse naturalem animae, vt non ab ortu se conferat, sed acquisitis speciebus primorum principiorum per abstractionem intellectus agentis, statim fluat habitus principiorum. Idem habet Ferrar. 2. *contra Gentes, cap.* 78.

QVARTA sententia est, habitum primorum principiorum naturalem esse, ratione luminis naturalis; at ratione specierum, esse acquisitum. Eodem sensu loquitur Diuus Thomas, vt notat Ruuius, qui hanc sequitur opinionem, quasi suis distinctionibus selectam, cum ad litteram habeatur in D.Bonauent. *loco citato*: Idem habet S. Doctor *in primo, distinctione* 3. *p.* 1. *art.* 2. *quaest.* 1. sequitur Henricus *quodlibet.* 5. *quaestione* 18. Buridan. 6. *Eth. quaest.* 11. Almainus 1. *moralium, capite* 17. Fonseca 9. *Metaph. cap.* 5. *quaest.* 2. Molina *p. p. quaest.* 58. *art.* 1. Zumel. ibidem, *disput.* 1. Suarez *tom.* 2. *Metaph. disputatione* 44. *sectione* 13. Vasquez *p.* 2. *disp.* 79. *capite* 3. Azorius *libro* 3. *capite* 2. *quaesito* 1. Rubin *tract. de habitu, quaestione* 2. Tannerus *p.* 2. *disp.* 3. *quaestione* 1. *dub.* 2. *num.* 22. cum D. Thoma, 2. *contra Gentes, capite* 78. & 1. 2. *quaestione* 53. *articulo* 1. Mastrius *disp.* 3. *num.* 21.

82 ASSERO primò, dari habitum innatum primorum principiorum quoad lumen.

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *loco citato*, Rom. 2. *Cum gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*: Sic exponitur à Glossa: Ergo habemus habitum conscientiae naturaliter inscriptum, quo sciamus bonum in genere prosequi; & malum auersari.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, ex Diuo Augustino, *libro* 3. *de libero arbitrio*, vbi ait: *Ante omne meritum boni operis non est parum accepisse naturale iudicatorium, quo sapientiam quis praeponat errori, & quietem difficultati.*

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura, ex D. Isidoro *libro* 5. *Ethymol. capite* 4. vbi ait: *Ius naturale est, quod natura docuit omnia animalia*: Si ergo natura docuit omnia animalia; multò magis hominem docuit cognoscere ea, quae sunt iuris naturae; sed cognitio iuris naturalis est Scientia: Ergo.

PROBATVR quartò, naturaliter habemus instinctum ad appetendam beatitudinem, honorandos parentes, &c. Sed hoc non potest esse sine aliqua praecognitione: Ergo, &c.

PROBATVR quintò à Diuo Bonauentura. Lex naturalis cognoscitur ab homine aliquo modo; aut ergo per acquisitionem, aut per naturam: Si per acquisitionem ergo non debet dici naturalis: Si verò per naturam: Ergò, &c.

PROBABTVR sextò à D. Bonauentura. Ius naturale ligat voluntatem: sed ligationem voluntatis necessariò praecedit actus cognitionis; affectum enim praecedit intellectus: Ergo. Si voluntas naturaliter ad illud ius ligatur, videtur, quòd illud ius naturaliter ab anima cognoscatur.

PRO quo, scias, habitum primorum principiorum practicorum differre à speculatiuo: Ita D. Bonauentura, *quaestione* 1. & 2. cum Diuo Thoma, *in* 2. *distinctione* 24. *quaestione* 2. *articulo* 3. Probatur: Nam haec principia latissimè patent, & toto genere inter se differunt: Ergo & habitus. Hoc est fundamentum D. Bonau. quo nititur Tannerus, *num.* 27.

ASSERO secundò, Habitum principiorum acquiri a nobis, quoad species, quia enim ad cognitionem obiecti requiritur praesentia eius, & lumen; vt patet in obiecto Visûs; non sufficit naturale lumen inditum ad cognoscendum parentes, eosque honorandos, proximum amandum, nisi eos noscamus. 83

PROBATVR ergo à D. Bonauentura primò, ex Aristotele 3. *de Anima, text.* 14. vbi ait, Animam esse ab ortu, velut tabulam rasam; in qua nihil depictum est, idest; nulla forma, seu species abstracta ad modum Scripturae non est scripta in anima. Tunc sic arguit Sanctus Doctor *in corpore*: Ad cognoscendum obiectum, requiritur potentia eius, & lumen; sed lumen habemus à natura, vt suprà ostendit: Ergo requiruntur etiam principia obiecti per speciem abstractam; Idem habet Aristoteles 2. *Poster. cap. vlt.* vbi docet, hunc habitum esse acquisitum, non per demonstrationem, sed per inductionem è singularibus: Similia habet *primo Metaph. cap.* 1. & 6. *Eth. cap.* 3. & 8.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, *argum.* 3. *ad opposit.* Non habetur cognitio de Complexo, nisi habeatur de Incomplexo: Vnde non cognoscit principium, qui non cognoscit terminos. Ideò Aristoteles 1. *Poster. capite* 3. docet, Quòd principia cognoscimus, quatenus terminos cognoscimus: Sed terminos non habemus descriptos a natiuitate: Ergo.

Ex his colligit S. Bonau. primò, falsam opinionem Platonis, qui dixit animae innatos esse habitus scientiarum, sed ob molem corporis illorum obliuisci, quam opinionem reprehendit D. Augustinus *primo retract.* vt notat D. Bonauent. *argument.* 2. *ad oppositum.*

COLLIGIT secundò, falsum esse etiam, hos habitus esse innatos intellectui agenti, sed acquiri ab intellectu possibili. Tum quia est contra Aristotelem 3. *de Anima, text.* 14. vbi ait, Animam esse ab exordio, velut tabulam rasam: Tum quia, si Intellectus agens à principio haberet hos habitus, non posset forsan nunc eos communicare possibili absque ministerio sensuum. Praetereà iam Anima esset ab exordio sciens, contra Aristotelem, & D. Augustinum *loco citato.* Tandem non videtur verum dicere, has species esse in Intellectu agente, cum potiùs in Possibili debeant esse, qui est ille, quo est *omnia fieri*, & Agens, qui est *omnia facere.* 84

COLLIGE tertiò, haec vera esse, etiam de principiis practicis: Ita D. Bonauentura *loco citato*, D. Thom *p. p. quaestione* 78. *articulo* 12. Notat verò Vasquez *loco citato, cap.* 3. & 4. Almainus *loco citato*, cum D. Bonauentura, dari duplicis generis principia. Alia notissima ex terminis; alia difficiliora, quae nonnisi per inductionem cognoscuntur; & ad prima non dari habitum, cùm satis ex prima notitia facile assruantur, vt euenit in principiis Mathematicis; non sic in aliis, vt sunt Physici: quidquid dicat Tannerus *num.* 26. asserens, in vtrisque eandem ferè difficultatem, quod est contra Aristotelem 6. *Eth. cap.* 8. vbi primi generis principia faciliora ait: Et *primo, Poster. capite* 14. & *secundo Poster. capite vltimo*, & 1. *Metaph. capite* 1. Secundi generis principia asserit difficilia, qualia (ait) sunt Physica.

COLLIGE quartò, falsum esse, habitus istos esse innatos, quoad cognitionem vniuersalem, sed acquiri

acquiri, quoad cognitionem particularem, seu esse innatos, quoad cognitionem principiorum, acquiri verò, quoad cognitionem vniuersaliorum.

CONTRA enim est Aristoteles *primo Poster. text.* 73. & 105. vbi ostendit, habitus principiorum non esse nobis innatos, sed acquiri via sensuum, & experientia. Quo argumento vtitur etiam Ruuius, *num.* 13.

IDEM docet D. Augustinus 12. *de Trinitate, capite* 15. vbi affert de quodam puero exemplum, qui respondebat de omnibus principiis Geometricis.

85 TANNERVS *numero* 28. cum D. Thoma, *quæstione* 50. *articulo* 2. Valentia *quæstione* 3. *punct.* 1. docet, non dari habitum in voluntate ad bonum, sicut datur in intellectu ad verum. Ratio diuersitatis assignatur; quia voluntas est appetitus boni, & ideò includit inclinationem determinatam ad illud; At intellectus non est propensio ad verum; vnde voluntas non experitur difficultatem, sicut intellectus. Hæc tamen sunt falsa; nam voluntas ad bonum habet difficultatem, & ideò virtutum habitus requiruntur; & intellectus ad verum anhelat non minùs, quam ad beatitudinem inquirendam, quæ est gaudium de veritate. Quod si intellectus magis laborat, quàm voluntas, inde oritur, quia huic ille thesaurizat.

ADDO tandem cum D. Bonauent. 4. *dist.* 49. *parte* 1. *quæstione* 2. *ad argument.* probabile esse, dari in nobis habitum innatum primorum præcipuorum principiorum, etiam quoad species ingenitas, vt dixi *disp.* 4. *quæst.* 15. *in calce.* Probatur è Scriptura, Patribus, & Aristotele, id innuentibus, vt omnes ferè aduertunt, tametsi id explicent quoad Lumen.

PROBATVR ratione. Omnis cognitio est per assimilationem. Hæc verò ex obiecto, vel eius imagine habetur. Illorum autem non habemus obiectum præsens: Ergo species. Ad Aristotelem respondet Sanctus Doctor; nos esse tabulam rasam, quoad ea, quæ sensibus hauriuntur.

QVÆSTIO IV.

Quo pacto producantur HABITVS.

86 PRIMA opinio est, Potentiam immediatè in se ipsa causare habitum, actu tamen disponente: Ita Durand. 3. *dist.* 33. *quæst.* 2. Rubion. *quæst.* 2. Burid. 2. *Eth. cap.* 3. *quæst.* 1. *disp.* 2. & probabilem censet Coninch. *de fide, disp.* 7. *dub.* 1.

SECVNDA opinio est Hurtad. *disp.* 16. *de anim. sect.* 6. tam potentiam conuenire, quàm actum, vt causas partiales per se, & immediatè ad habituum productionem. In his actum esse instrumentum potentiæ, docent Conrad. *p.* 2. *quæst.* 51. Valentia, *quæst.* 5. *de Habit.*

TERTIA opinio est, Habitus ab actibus causari totaliter: Ita D. Thom. *p.* 2. *quæst.* 51. *art.* 3. Auersa *quæst.* 49. *sect.* 4. cum Thomistis: Scotus *primo*, *dist.* 12. *quæst.* 1. & *dist.* 17. *quæst.* 2. & Scotistæ, Vulpes 2. *p. tom.* 3. *disp.* 104. *articulo* 6. Mastrius, & Bellutus *disputatione* 3. *de Anima*, *numero* 22. Ponc. *disp.* 8. *quæst.* 2. Suarez *disputat.* 44. *metaph. sect.* 8. Vasquez *p.* 2. *disp.* 79. & communiter Moderni.

ID probant varij diuersimodè; Et primò quidem probatur ab Auersa, quia habitus est actus perfectior: Ergo valet habitum producere. Hoc argumentum refellitur, quia non colligitur ex eo, quòd aliquid est perfectius, posse illud producere: vnde homo non potest producere equum, vel asinum, vt monet S. Bonau. *in* 2. *dist.* 7. 1. 2. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad primum.*

PROBATVR à Vulpe, quia omnis potentia vitalis est productiua sui actus, receptiua eiusdem, & per eandem operatiua; omnis etiam actio potentiæ vitalis, si est de genere qualitatis, est ipsamet operatio; si verò sit de genere actionis, terminatur ad actum vitalem: ergo nullo modo potentia respicit habitum, vt causa effectiua. Sed hæc ratio floccida est.

PROBATVR à Mastrio *numero* 23. argumento Scoti *de habitibus voluntatis*: Si voluntas esset productiua habituum, posset eos non producere, etiamsi eliceret actus, & tamen falsum est; nam si frequentet actus iustitiæ, intendens non sequi habitum iustitiæ, adhuc tamen habitus producetur; idem infert de aliis potentiis necessariis, quia eodem modo se habent: Hoc argumentum vnicum acclamat Mastrius; sed nullius ponderis est: Nam 87 cùm ad habitus requirantur actus, & potentia ipsa, vt actibus operans, eo ipso, quod actus frequentat, influit tota concausalitate necessariâ; & ridiculum est, velle non gigni habitum, sicuti si aliquis iaceret sagittam ad signum, & intenderet eam eò non peruenire, quò naturaliter peruenit: habitus enim naturaliter sequuntur, suppositis actibus, vt ait Poncius. Quare multò minùs valet in aliis habitibus, qui à potentiis necessariò agentibus producuntur: Et eo perfectior erit habitus, quò intensiùs potentia operabitur, vt notat Coninchius, quod signum est, etiam potentiam conuenire: Itaque hæc ratio non habet intentum.

SINGVLI autem actus aliquid de habitu inducunt, si sint apti: Sunt enim actus eiusdem rationis, & vt suppono talis rationis, quales sunt illi, ad quos habitus inclinant.

ASSERO, Habitus per actus produci: Est apud Sapientes proloquium.

PATET verò ex dictis.

QVÆSTIO V.

An per ACTVS *remissiores intendi queant* HABITVS.

PRIMA opinio est assertiua: Ita Scotus *primo*, *dist.* 17. *quæst.* 5. Durandus *ibi*, *quæst.* 8. Gabriel 3. *distinctione* 23. *quæstione* 1. *articulo* 3. *dubio* 4. Vasquez *p.* 2. *disp.* 80. Salas *p.* 2. *tract.* 10. *disput.* 4. *sect.* 2. & alij. 88

NEGATIVAM sententiam tuentur D. Thomas *p.* 2. *quæst.* 52. *art.* 3. Suarez, *disp.* 44. *Metaph. sectione* 10. Morisan. *in prædicamentis, quodlibeto* 10. Auersa *quæst.* 49. *sect.* 6. Faber. *de Pœnit. disp.* 42. *cap.* 3. adducens Scotum, *primo*, *dist.* 17. quem etiam Vasquez citat 4. *disp.* 21. *quæst.* 7. & *disp.* 22. *quæst. vnica, art.* 2.

RATIO est; quia non potest effectus excedere virtutem suæ causæ; nemo enim dat, quod non habet: nec simile agit in simile.

DICES, contrà est experientia; nam habitus acquiruntur actibus sæpè remissis.

RESPONDETVR, actus illos semper causare aliquid habitus, eò quòd per actus, non causarunt habitum

habitum sibi æqualem; vnde actus remissior erit adhuc intensior habitu, licèt respectu primi actus dicatur remissior: Ita Suarez, & Auersa. Sed de his agam 1. 2. *Tractatu* 2. *disputatione* 1. *quæstione* 7. & 2. 2. *Tract. de virtutibus Theologicis.*

QVÆSTIO VI.

Quomodo HABITVS *concurrit ad actus nouos eliciendos.*

PRIMA Opinio censet Habitum, solùm informando potentiam, eamque inclinando, concurrere, non effectiuè: Ita Durand. *in* 3. *distinct.* 23. *quæst.* 4. Palud. *quæstione* 2. Rubio *quæst.* 21. *art.* 3. Camerar. *quæstione* 18. Logicæ, Auersa, *quæst.* 49. *sect.* 8. & alij.

89 SECVNDA opinio fert, habitum concurrere effectiuè partialiter. Est Medinæ 1. 2. *quæstione* 4. Valentiæ *quæstione* 1. *de Habit.* Salas *tractatu* 10. Suar. *disp.* 44. *sect.* 5.

TERTIA Sententia vtramque probabilem censet Scot. 1. *dist.* 17. *quæst.* 4. Accedit Poncius *disputatione* 8. *quæstione tertia*, Arriaga *disputat.* 9. *sect.* 3.

QVARTA Sententia est Vasq. *p.* 2. *disput.* 83. Habitum non concurrere efficienter ad substantiam actus, sed ad modum illius.

SERAPHICVS supponit *in* 2. *distinctione* 25. *part.* 1. *quæstione* 5. Habitus dari potentiis ad actus eliciendos, siue quoad substantiam, vt superni; siue quoad modum, reddendo potentiam habilem, saltem ad tales actus determinatos faciliùs, ad minimum, eliciendos: Iam *in* 4. *distinctione* 6. *part.* 1. *art.* 1. *quæstione* 1. *ad argum.* ait, habitus habilitare ad actus, & *Habitum esse per quem aliquis agit*, è Diuo Augustino *lib.* 6. *de bono coniug. cap.* 31. In 2. *distinct.* 28. *dub.* 1. asserit, habituum supernorum efficientiam ad actus: acquisitorum autem vim habilitandi potentiam, non dando nouam potentiam, sicuti dant superni. In 1. *distinctione* 27. *part.* 1. *quæstione* 2. ait, Actus ex habitibus elici, vt opus meritorium ex gratia.

ASSERO primò, habitus acquisitos solùm dispositiuè habilitare ad actus.


PROBATVR à Poncio, *num.* 26. ratione D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 28. *dub.* 1. quia isti non dant nouam potentiam, sed eam supponunt, quippè ea primos actus elicuerit per se, & ex his habitum confecerit. Fateor tamen reddere potentiam expeditiorem; experimur enim, nos faciliùs operari, habitu addito.

INFERVNT authores secundæ sententiæ: Ergo effectiuè concurrunt.

Hoc è capite non inficior, etsi Poncius in hoc reprobando frustrà laboret.

ASSERO secundò, habitus supernos effectiuè concurrere ad actus.

PROBATVR, à Diuo Bonauentura *loco citato*, quia dant potentiam, eleuando illam ad actus, quos à se nequit elicere, seu producere.



SECTIO IV.


DE ACTV INTELLECTIONIS.



VIA Habitus sunt ad roborandum Intellectum in ordine ad actus, cuius proprium munus est *intelligere*; ideò de hoc agendum. 90

VARII sunt actus intelligendi. Alius est enim Incomplexus è simplici apprehensione: Alius Complexus cum affirmatione: Alius est Intuitiuus: Alius Abstractiuus: Alius est Directus: Alius Reflexus: Alius Rectus: Alius Obliquus ex D. Dionysio *capite* 4. *de Diuinis Nominibus*, de quo Diuus Bonauentura *Serm.* 18. *Hexaëmer.* Directus est, cùm ex vna, vel pluribus intellectionibus erigor viâ rectâ ad aliam rem percipiendam. Obliquus, cùm obliquè venio in cognitionem. Datur etiam Circularis, qui est ab effectu ad causam; & à causa ad effectum.

ALIVS est Speculatiuus: Alius Practicus; alius Apprehensiuus: Alius Comprehensiuus: Alius est per inuentionem, cùm ex excogitatis à se, procedit ad alia percipienda: Alius per disciplinam, cùm ab alio informatur. De horum præcipuis agendum.



QVÆSTIO I.

Quæ sit Cognitio INTVITIVA, *&* *quæ* ABSTRACTIVA.

PRIMÒ quidem Gabriël *in primo*, *quæst. Prologi*, *art.* 2. *not.* 2. vult, Cognitionem abstractiuam esse eam, quæ abstrahit ab esse, & existentia; sicut cùm aliquis cognoscit rosam non existentem propriâ specie, & conceptu: Eam verò esse Intuitiuam, quæ non solùm est propria rei, sed fertur in rem, vt existentem. Vasq. *p. p. disp.* 34. *cap.* 1. refert id alio modo explicari à Scot. *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. quæ incipit. *Secundo quæro*, §. *&* *ad quem igitur*: Notitiam nempè abstractiuam esse illam, quæ non tantùm fertur in rem abstractam ab esse; sed etiam à præsentia. Itaque, licèt intellectus proprio conceptu intelligat rem, etiam vt existentem; si tamen non feratur in illam, vt præsentem, non dicitur illam intueri; sicut Astrologus, qui cognoscit euidenter eclipsim in opposito Hemisphœrio, dicitur habere solùm abstractiuam notitiam: Contra verò; qui non solùm cognouit rem existentem, sed etiam præsentem, dicitur intuitiuam illius habere notitiam. Addit Vasquez, tametsi hæc quæstio videatur de nomine, sibi tamen magis placere sententiam Gabriëlis,

Gabriělis, vt Intuitiua notitia dicatur illa, quæ fertur in rem cum sua existentia, in propria differentia temporis: Et ita, scientiam futurorum, cùm habetur per propriam speciem, esse intuitiuam; quia fertur proprio conceptu in rem, cùm eius existentia, pro sua differentia temporis, hoc enim exigit cognitio intuitiua, vt feratur in res, prout ipsæ sunt, & non aliter.

91 In fine verò *capitis tertij* ait: Quare ego non dubitarem, illam appellare intuitiuam, quæ est propria, & quidditatiua rei, etiamsi non sit existentis, aut præsentis, tametsi dissensio vocum, potiùs quàm rerum sit.

Differt igitur Gabriel à Scoto, quia hic non eam solam vocat abstractiuam, quæ abstrahit ab existentia, sed etiam eam, quæ rei existentiam considerat; sed eam præsentem non habet facialiter, vt cum Scotistis loquar, quos retuli *Tractatu primo, disput. 1. à num. 24.* & *Tractatu 4. disput. 2. quæst. 9.*

Ex his habes, in quo diuersi etiam sint quoad intuitiuam: nam Scotus, eam esse docet, quæ non modo est rei, vt existentis; sed est etiam rei præsentis, & facialis: Variis tamen modis Scoti sensus distrahitur.

Vasquez, ait Cognitionem intuitiuam eam esse de mente Scoti, quâ cognoscitur res præsens in sua existentia, siue illam existentiam habeat in se; siue in alio obiecto eam èminenter continente. Imperfectam verò intuitiuam haberi per speciem repræsentatiuam obiecti, asserit Vtinensis *Tract. 2. quæst. 6. art. 3. & 4.*

92 Addit Faber *Theor.* 84. tunc solùm esse intuitiuam, quando Species repræsentant rem cum conditionibus existentiæ, quantitatis, &c. quando autem solam essentiam repræsentant; esse abstractiuam: Sequuntur multi alij Scotistæ apud Mastrium, & Bellutum *disput. 6. de Anima, num.* 318. Rursus tamen Faber *in 2. distinctione 27 cap. 7.* docet, intuitiuam esse rei præsentis, vt præsens est in se ipsa, non per speciem, aliter verò fore abstractiuam: Consentit Trigosius noster *quæstione 2. articulo 2. dubio 3. concl. 4.* Suarez *lib. 3. de attribut. Dei positiuis*; & *3. de Anima, cap. 6.* Colleg. 2. *de Anima, capite quarto, quæstione 3.* parum declinat ab his Ferrar. 2. *contra Gentes, capite 96.* dicens, Notitiam intuitiuam esse illam, quæ est de re existenti, vt existens est, siue de re particulari, vt particularis est: Abstractiuam verò, quæ est de quidditate rei absolutè, vt abstrahit ab existentia, & singularitate.

Hanc redarguit Mastrius, & Bellutus *disputatione 6. numero* 318. primò, quia etiam singularia possunt abstractiuè intelligi cum omnibus conditionibus indiuiduantibus: ergo intuitiua non distinguitur ab abstractiua in hoc, quod singularia cognoscit.

Deinde; quia, licet Intuitiua semper terminari debeat ad rem, vt præsentem; & Abstractiua abstrahat ab existentia, & præsentia rei: Attamen hoc non est de ratione notitiæ abstractiuæ, vt sic; nam abstractiua quoque potest terminare ad existentiam rei, & præsentiam, vt docet etiam Vulpes *p. p. Tract. 1. disputat. 19. articulo 3.* Smisingh. *de Deo, Tract. 2. disputatione 6. quæstione 1.* cum Scoto, *quodl. 7. §. Secunda conclusio*, & *quodlibeto 13. art. 2. §. Circa secundum*, & *in secundo, dist. 3. quæst. 11. §. respondeo*, & *in 4. distinct. 45. quæstione 3.* & *in 2. dist. 3. quæst. 9.* vbi docet, Angelos in via habuisse speciem quidditatiuam Dei; ex quo deduxi acriter contra Scot. *tract. 1. disp. 11. q. 2.* debuisse videre Deum; quia de ratione intrinseca Dei, est existentia, & præsentia, atque adeò in specie quidditatiua debuit repræsentari; At Scotistæ fugiunt dicentes, fuisse notitiam abstractiuam; quia non repræsentabatur Deus facialiter.

Alii igitur Scotistæ videntes, ex parte obiecti terminatiui confundi in sua Schola Intuitiuam, & Abstractiuam, sumunt differentiam ex parte principij productiui; quia intuitiua postulat produci ab obiecto in propria existentia immediatè; abstractiua verò ab obiecto in specie, vel ab ipsâ specie. Fauet Scotus *quodlibeto 13. articulo 2. §. Circa secundum*, & *in 4. distinctione 49. quæstione 12. §. Respondeo.* Sic Poncius *disputatione 6. quæst. 11.* 93

Vulpes *loco citato, artic. 1. & 3.* etiam ex parte obiecti terminatiui, sumit differentiam, quatenus abstractiua attingit existentiam, vt rem cognitam tantùm, seu materialiter, vt partem obiecti: Intuitiua verò vt rationem cognoscendi, quo sensu abstractiua abstrahit à præsentia rei.

Bargius *primo, distinctione tertia, quæstione prima*, ex parte termini, non ex parte principij, semper à Scoto has notitias distingui, clamat 1. *distinctione 2. quæstione 1.* & *in 2. distinctione 3. quæstione nona*, & *in 3. distinctione 14.* & *in 4. distinctione decima*, & *quodlibet. quæstione 6. & 13.* & *in quarto, distinctione quadragesima quinta, quæstione secunda*, & aduertit, Scotum, dum definit notitiam intuitiuam, semper dixisse, quod notitia intuitiua est de obiecto præsenti, vt præsens est in propria existentia, & nunquam dixisse requiri, vt moueat, & *in tertio, distinctione decima quinta*, ait, *Ad primum principale*; quod respectus ad obiectum, in ratione mouentis, est accidentalis: & in ratione terminantis, est essentialis. Cùm ergo istæ notitiæ sint differentes specie essentiali, non vtique ex diuersis rationibus motiuis, sed præcisè ex terminatiuis hoc discrimen erit attendendum. Tum quia, si Deus suppleret totam actiuitatem obiecti, & tamen faceret notitiam terminari ad obiectum in se præsens, esset intuitiua: Enim verò contrà arguunt Mastrius, & Bellutus, quia ad notitiam intuitiuam potest concurrere species, vt constat in visione corporea: Ergo non ex parte principij, sed ex parte termini, hæ notitiæ sunt distinguendæ.

Alii Notitias has distinguunt solùm ex parte termini; quia vna terminatur ad Obiectum per se præsens, & in propria existentia: Altera verò solùm ad Obiectum vt præsens in specie tantùm; nullatenus autem eas distinguunt ex parte principij, quia opinantur, speciem esse vtriusque principium, imò sunt, qui velint, eandem omninò speciem posse, modò intuitiuæ, modò abstractiuæ deseruire, vt Conimbricenses *tertio, de Anima, capite quinto, quæstione 5. art. 2.* Hæc fertur communis opinio Thomistarum, & Recentiorum. 94

Hunc Modum refellunt Mastrius, & Bellutus, *numero trecentesimo, vigesimo secundo*: Nam etiam ex parte principij debet assignari differentia; quamuis enim species obiecti sensibilis externi, putà coloris, semper repræsentet colorem præsentem, hoc euenit, quia non potest absque obiecto cōseruari; at in potentia Sensitiua interna, & multò magis in Intellectiua, quia in his species absque obiecto conseruari valent; ideò in sua repræsentatione

tatione abstrahunt à præsentia, vel absentia obiecti: Ideò Scotus ait, has non posse esse principium intuitiuæ notitiæ.

Alii, vt has difficultates declinarent, sic distinguunt has notitias; quòd Intuitiua necessariò repræsentat omnes formalitates in obiecto repertas, & cum eo identificatas; secus verò Abstractiua: Sic Vasquez *Tomo primo, prima part. disputat.* 10. *numero* 12.

Hunc refellunt Bellutus, & Mastrius, quia confundit notitiam Intuitiuam cum Comprehensiua: Enim verò hæc exigit notitiam etiam eorum, quæ in virtute continentur: Deinde perfectissimam intuitiuam concedent, esse Comprehensiuam.

95 Hi igitur Collegæ tandem distinguunt has geminas notitias è Scoti vestigiis, tam ex parte principij, quam termini; præcipuam tamen rationem differentiæ aiunt ex parte terminorum petendam. Distinguunt igitur ex parte principij; quia principium abstractiuæ est species impressa obiecti: Intuitiua verò causari postulat ab obiecto in propria existentia immediatè (quod addunt ob sensationes externas, quæ immediatè causantur à speciebus.) Distinguunt etiam ex parte termini; quia intuitiua terminatur immediatè ad rem in propria natura existentem, & præsentem, non in specie; sed abstractiua terminatur ad obiectum in specie relucens, siue ex parte rei existat, siue non.

Caietanus *p. p. quæst.* 57. *artic.* 2. docet, Præsentiam, vel Absentiam non facere distinctionem notitiarum istarum: Itaque, si Deus auferret obiectum putà, montem, & conseruaret in oculo speciem montis, adhuc illa esset visio montis, & notitia intuitiua: Distinguit igitur per imperfectum, & perfectum; itavt si perfecta sit species, repræsentans secundum conditiones rei absolutæ, & secundùm cognitionem existentiæ, & præsentiæ, cognitio intuitiua futura sit; si secus, fore abstractiuam.

Parum declinat Valentia *Tomo* 1. *disputat.* 4. *quæst.* 7. *punct.* 3. Cognitionem (dicens) intuitiuam, Theologi rectè sentientes, appellant eam, quæ est clara, & certa rei, non solùm secundùm aliquam eius rationem vniuersalem, sed sicut actu existit in particulari, & quoad omnia, quæ ei competunt, ita nimirum, vt non clariùs, & certiùs per vllam aliam notitiam cognoscatur, sicut intelligi potest ex Durandi Prologo, *primo sent. quæst.* 3. Quod si species superaddita obstaret, quo minùs notitia esset intuitiua, tunc nec visio rei præsentis esset intuitiua, cùm fiat per speciem impressam in potentia visiua.

96 Hæc videtur sententia D. Bonauent quia vbique notitiam abstractiuam ab intuitiua distinguit, ratione perfectionis repræsentatiuæ.

Sciendum primò, has notitias non distingui specie, vt putat Scotus 2. *Metaph. quæst.* 3. & 7. & suprà *citatis locis*, cum omnibus Scotistis, ac Nominalibus, Conimbr. 3. *de Anim, cap.* 5. *quæstione* 5. cum aliis Recentioribus: Sic enim, si quis intuitiuè contempletur obiectum, putà colorem, potest, eo remoto, eandem specie saltem, notitiam perseuerantem veluti continuare: Sic sentiunt Arriaga *disputatione* 6. *de Anima, sect.* 8. Ioan. de S. Thoma suprà. Morisan. *disputatione* 3. *quæstione* 9. Potest tamen ex aliquo extrinseco differre specie, sic differt cognitio viæ abstractiua Dei à visione Beata; eò quòd hæc reddit Beatos: illa non.

Hinc de eodem obiecto habemus notitiam intuitiuam, & abstractiuam, vt de anima Christi constat: Et 3. *part. Tractatu* 1. *disputatione* 14. ostenditur, & aduertit Hurtad. *disputatione decima, de Anima, sectione* 2. & Mastrius cum Belluto, *numero* 326. quia differunt solùm, vt Perfectus, & Imperfectus, vt isti concedunt; quo fit, vt inferam, rectè eas non distingui specie; quia magis, & minùs non variant speciem; nisi habeat aliquam conditionem repugnantem è diametro, sicut est fides, & Visio, quarum hæc est clara: illa obscura essentialiter.

Sciendum secundò, posse Deum absolutâ potentiâ seruare intuitiuam notitiam etiam absente obiecto, vt docet Bassol. *quæst.* 1. *Prologi.* Smisingh. suprà, Canellus *disp.* 3. *de Anima, sect.* 11. Vasquez *p. p. disp.* 38. *capite* 2. Molina *p. p. quæst.* 5. *art.* 2. Colleg. 2. *de Anima, capite* 6. *quæst.* 5. Esto dicant cum Rubione, tunc percipi obiectum, non vt præsens, sed absens; vt docet etiam Ruuius 2. *de Anima, cap.* 6. *quæst.* 13. vbi appellat hanc opinionem inter Recentes communem: Sic & Hurtad. *disput.* 10. *sect.* 2. Vnde, quando dicitur, notitiam intuitiuam causari ab obiecto præsente, & mouente, in propria, & reali existentia, & per hoc ab abstractiua distingui, id intelligendum est modo ordinario, & connaturaliter, quod tamen non impedit, quin oppositum per Dei potentiam contingere queat: Imò Ocham *quæst. prima Prolog.* & Aureol. *quæstione* 2. *art.* 2. aiunt, Id fieri naturaliter, sicuti contingit, dum titionem in gyrum voluimus; seruatur enim in toto segmento circuli, à quo recessit titio, adhuc species eius, & præsentia in oculo. Idem experimur in sono; sic enim audiens sonum, factum in loco remoto, percipit sonum distantem, nec tamen sonus ipse auditus semper permanet, dum exeritur auditio; imò ipso concepto, adhuc perdurat auditio, vt patet in Echo, qui pluribus vicibus sæpè reflectit aërem; itavt in Elide septies reflectatur apud Plinium *libro trigesimo-sexto, capite decimo-quinto*, Et Dandinus refert 2. *de Anima, digress.* 44. in quadam Villa propè Mediolanum vsque ad vigesies reflecti. Vide Ruuium *Tract. de Auditu, quæst.* 5. Colleg. *in Prol. sect.* 2. & 3. 97

Hinc igitur sequitur, posse seruari essentiam notitiæ intuitiuæ absque obiecto, atque adeò, hanc non esse differentiam essentialem à cognitione abstractiua, vt sit obiectum in se præsens. Hoc ampliùs probatur in cognitione intuitiua Dei, qua videt Creaturas futuras, quæ sanè non sunt realiter præsentes, vt latè ostendi *Tractat.* 1. *disp.* 13.

Quare si nostra intuitiua à præsentia obiecti sumitur; hoc est, quia ex illo habetur clarior notitia, quàm absente obiecto, loquendo connaturali modo.

Sciendum tertiò, Intuitum, à quo notitia sumitur intuitiua, esse idem, ac visionem, quæ primò dicitur de oculo corporeo; deinde etiam de acie mentis: Dicitur autem Oculus videre obiectum, quando aspectum dirigit super illud; dirigere autem aspectum super obiectum, est dupliciter, ex Diuo Bonauentura *in* 3. *distinct.* 14. *art.* 2. *quæst.* 1. Primò immediatè, vt in visione Beata; intellectus enim Beati dirigit aspectum in Deum immediatè. Secundò mediate, sicuti euenit in notitia, quàm in eo habent Beati de creaturis, in quo non sunt creaturæ formaliter; sed solùm eminenter, & effectiuè. 98

Sciendvm

99 Sciendvm quartò, Cognoscere mediatè, esse dupliciter. Primò, itavt medium non terminet visionem, sed sit veluti deducens ad obiectum, & dicitur cognoscere per medium. Secundò cognoscere in medio; itavt medium gerat vicem obiecti, vt Imago: Ita D. Bonauent. *in* 1. *distinct.* 3. *parte* 1. *quæst.* 3.

Igitvr S. Bonauent. *in primo*, *distinct.* 27. *quæst.* 3. *prima partis in corpore*, vult, abstractionem esse duplicem: Altera est, quæ habet totum a natura rei, & talis est abstractio vniuersalis à particulari, & formæ à materia, quoniam vtrobique est compositio, & diuersitas rei *Qua*, & rei a *Qua* abstrahitur.

Alia est abstractio, quæ totum habet ab intellectu nostro: Intellectus enim noster cùm intelligit aliquid completum, sub duplici ratione diuidit, scilicet, *quod est*, & *quo est*. Et sic componit, & hoc modo composito, Intellectus intelligit pro nunc etiam Deum.

Opponit igitur huic cognitioni, cognitionem perfectissimam, quæ est intuitiua, quæ simplici ictu, non composito, fertur in obiectum, & per hoc distinguitur ab abstractiua, quæ imperfecto modo percipit, nec totam rem, sed id, quod solum abstrahit: Deinde cùm intuitiua sit perfectissima, differt genere ab apprehensiua, quæ est species imperfecta: Ex quo etiam sequitur, cognitionem non ideò esse abstractiuam, eò quòd abstrahatur species ab obiecto; nam etiam oculus, per speciem ab obiecto receptam, intuitiuè videt murum.

Neqve notitia abstractiua sumenda est ex obiecto, quatenus est absens; nam de obiecto præsenti potest haberi cognitio abstractiua; nam possum de re præsenti discurrere, imperfectè tamen eam intelligere.

Neqve sumitur penes abstractionem speciei vniuersalis à singularibus; hæc enim non opponitur intuitiuæ, nec omnem complectitur abstractionem, vt docet D. Bonauent. *in primo*, *dist.* 27. *parte* 1. *quæst.* 3. *in corpore.*

Svmitvr ergo, vt dixi, ex modo imperfecto, quo intellectus tendit in rem, nempè composito abstractionis vnius ab alia, quo non percipitur tota ratio obiecti; Intuitiua verò ex perfectione, quâ cognoscitur obiectum nullo discursu, clarè, quantum cognoscibile est loquendo de obiectis proportionatis animæ, cognoscit.

100 Asserendvm igitur primò, non sumi cognitionem intuitiuam à præsentia, nec abstractiuam ab absentia obiecti.

Probatvr: Quia rationes diuidentes opposita, non coincidunt in vtrumque membrum; Sed datur cognitio intuitiua rei absentis, & abstractiua præsentis: Ergo absentia, vel præsentia non diuidunt has notitias. Minor probatur: nam de homine præsente possum discurrere, abstrahendo naturam hominis, animalis, &c. quæ est cognitio abstractiua; & de obiecto, puta, monte a Deo destructo, cuius speciem seruet Deus in meo oculo; quis vetat, esse cognitionem intuitiuam, si ea esset perfectissima repræsentans mihi omnia montis prædicata? Sic etiam Deus habet cognitionem intuitiuam futurorum, vt arguit P. Galitius *lib.* 2. *Dialecticæ*, *Tract.* 2. *cap.* 4.

In hanc opinionem cum D. Bonau. incidunt Authores primæ, & secundæ sententiæ, & tandem ipse Vasquez *loc. cit. cap.* 3.

Assero secundò, Cognitionem intuitiuam esse perfectissimam, etiamsi rei absentis, & simplicem; abstractiuam verò imperfectam: Sic ait Valentia, sentire Sapientiores Theologos. Probatur, quia intuitio dicit simplicem visionem, & eam, cui nihil claritatis addi potest: Fateor verò eam eximiam esse, quæ immediatè fertur in obiectum. 101

Obiicit Fauentinus, *numero* 33. quia cognitio per speciem est imperfecta, ex peccato derelicta, non à natura data, ex Diuo Augustino 15. *de Trinitate*, *capite vltimo*: Ergo perfectior est per obiecti præsentiam realem.

Respondetvr, negando Antecedentem; nam ante peccatum, Eua vidit Lignum Scientiæ boni, & mali, quod erat pulchrum visu, & ad vescendum suaue: hoc autem dubio procul per speciem vidit; non enim Lignum immediatè erat obiectum proportionatum potentiæ visiuæ. Neque de hac cognitione loquitur S. Augusti. sed de obscura.

Præterea Adam in statu innocentiæ non cognoscebat Deum intuitiuè, sed per speciem; alioqui si vidisset Deum, non peccasset; nec fuisset viator, vt latè prosequitur S. Bonauent. *in* 2. *distinctione* 23. *artic.* 2. *quæstione* 3. *in fundamentis*, *& corpore.*

Obiicit secundò *numero* 34. Obiectum nunquam cognosci potest, quantum cognoscibile est, per speciem tantùm: Ergo vt cognoscatur perfectè, requiritur præsentia obiecti: Antecedens probatur. Species non potest adæquatè repræsentare obiectum, nisi fiat idem omninò cum obiecto, vel illud contineat eminenter; Sed species non potest alterutrum fieri: Ergo. Non primum, alioqui non esset ampliùs species, sed obiectum ipsum. Non secundum, quia sola essentia Diuina continet eminenter omnia.

Respondetvr, negando Antecedens. Ad probationem respondetur, neutrum necessarium esse, sed posse esse adeò perfectam in esse representatiuo, absque eo, quòd contineat eminenter obiectum: Itaque sicuti è concessis ab aduersario, species, manens species diminuta in esse, repræsentat aliquid obiecti, licèt illud non contineat eminenter, nec sit illa portio obiecti; cur non possit etiam reliqua exprimere, saltem per Dei potentiam? quod si per Dei potentiam potest species omnia prædicata obiecti exprimere, atque adeò obiectum ipsum, quantum cognoscibile est, licèt sit absens, & hanc concedis esse notitiam intuitiuam; sequitur, intuitiuam visionem non requirere intrinsecè obiecti præsentiam; quæ enim intrinsecè necessaria, & essentialia sunt, non possunt à Deo ipso suppleri, manente essentiâ eadem. 102

Scio quidem, præsentiam obiecti plurimum facere ad cognitionem perfectissimam, quæ est intuitiua.

E superiori argumento habes, Cognitionem intuitiuam de mente Fauentini, eam solam esse, quæ est rei existentis, vt existens est in se ipsa, vel existentis in alio eminentiori modo, quâ ratione creaturæ in Deo videntur: Ita habet *in secundo*, *distinctione secunda*, *numero decimo*, allegans Scotum, in primo, distinctione secunda, quæst. illa: *An cum vnitate essentiæ stet pluralitas personarum*, & *in distinctione trigesima-nona*, *quæstione quinta*, §. *ad Argumenta, pro secunda opinione.* Ex quo deduci potest, Verbum produci ex cogni

cognitione etiam Spiritus Sancti, & sui ipsius in Patre; quia Esse Spiritus Sancti, Esseque Verbi, est eminenter in Patre, atque adeò cognitione intuitiua potest esse obiectum Patris pro eo signo; quia tunc est præsens vno ex modis, qui sufficit ad cognitionem intuitiuam. Hâc inductione tactus Faber *disp.* 1. *num.* 9. vellet, eam solam esse cognitionem quæ est rei existentis in se ipsa. Vide *Tractat.* 2. *disput.* 9. *sect.* 2. *quæst.* 9.

103 SVAREZ *p. p. tract.* 3. *libro* 9. *cap.* 4. & 5. volens sustinere, Patrem genuisse Filium ex cognitione, etiam ipsius Filij, & Spiritus Sancti, perfectè intuitiua, quod impugnat Scotus *in secundo, dist.* 1. *quæst.* 1. quia Verbum in signo illo, quo gignitur, non est: Ergo non potest cognitione intuitiua sui ipsius generari: multò minùs è Spiritus Sancti cognitione, qui est posterior origine. Respondet apud Fauentinum *loco citato, num.* 9. Visionem intuitiuam non semper supponere actualem existentiam obiecti pro omni Signo rationis, sed posse esse prius existentiam visionis intuitiuæ; quàm existentiam rei visæ. Potest ergo esse prior existentia visionis intuitiuæ, personæ Diuinæ, quàm persona Diuina ipsa existat; quod probat: Quia si Deus potest intueri creaturas futuras, prius duratione, quam ipsæ existant; cur non poterit Deus vt sic, videre personas prius ratione, vel origine, quàm producantur?

Ex quo efficax argumentum habemus ad trahendum Suarez in nostram sententiam, eamque roborandam: Et est Diui Bonauenturæ, *in primo, distinctione* 39. *quæstione* 1. *ad tertium.* Deus ab Æterno cognouit res futuras, secundùm earum esse formale; sed secundùm illud non sunt adhuc in se, vt patet, nec in Deo, in quo sunt tantùm eminenter, idest, secundùm perfectiones; non secundùm imperfectiones creatarum quidditatum, quæ esse formale creaturarum constituunt: Ergo sunt præsentes solùm in Deo vt causa: Sunt autem cognitæ cognitione intuitiua à Deo, in quo abstractiua ob imperfectionem non admittitur, vt ostendit Diuus Bonauentura *in primo, dist.* 33. *art.* 1. *quæstione* 1. & ex professo *dist.* 23. *part.* 1. *quæst.* 3. & vrget Fauentinus *loco citato*: Ergo datur cognitio intuitiua de re, quæ non est præsens in se, nec in alio.

104 Ex quo ruit Fabri responsio *loco citato*; Ideò creaturas intuitiuè cognosci à Deo, etiamsi futuræ sint in se, quia sunt eminenter in Deo.

EMINENTIA enim non sufficit, cùm non contineat imperfectiones earum necessariò cognoscendas: Igitur etiam cognitio rei in causa, est sufficiens ad notitiam intuitiuam.

DE Scientia, seu notitia speculatiua, & practica dixi satis, *Tract.* 1. *disp.* 1. *proœmiali, quæst.* 5. Præcipuè Praxim sumi ab obiecto, vt habet rationem finis: Similiter & Speculatiuam: Sic Aristoteles à fine speculationem sumit, 3. *de Anima, textu* 49. Quòd verò referatur ad obiectum, patet; nam Scientia refertur ad scibile, vt loquitur Aristot. De notitia comprehensiua, provt distinguitur ab Apprehensiua, dixi *Tract.* 1. *disputatione* 11. *quæstione* 26. De reliquis actum est in Logica.

QVÆSTIO II.

An INTELLIGERE *sit* MOTVS.

ASSERO, requiri aliquem motum ad intellectionem. 105

PROBATVR: Quia debet intellectus vniri obiecto; sed hoc non est sine aliquo motu: Hic autem motus dicitur volubilis mutatio, à D. Bonau. *in* 3. *dist.* 14. *artic.* 2. *quæst.* 2. *ad primum*, vnde non est in Deo.

ASSERO secundò, Intelligere esse formaliter Motum: Ita Aristoteles, 3. *de Anima, text.* 28. Vult autem non esse Motum imperfectum; ideò *primo de Anima, text.* 46. ait, Non esse Motum, qualis est Physicus.

PROBATVR. Intelligere est actus, perficiens intelligentem potentiam, redigendo eam de potentia ad actum: Ergo Intelligere est Motus, sit autem hic motus in instanti, cùm est intuitiua Notitia: At fit in tempore, quando est discursus.

QVÆSTIO III.

An INTELLIGERE *sit formaliter* PATI.

QVAMVIS de sola Intellectione sit titulus quæstionis; attamen de omnibus actibus cognoscitiuis etiam sensuum currit: De quibus egi Laconicè *disputatione* 4. *capite vltimo, quæstione* 17. 106

PRIMA opinio est, intelligere esse meram passionem, ex his aliqui dicunt esse receptionem speciei: Ita Godfred *quodl.* 4. Ægid. *quodl.* 3. *quæst.* 12. Suessan. *lib.* 5. *de intel. cap.* 9. Venet. 1. *de Anim. ad text.* 60. & *in sum. de Anim. lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. Nyphus *lib. de sensu agente*, Capr. 4. *dist.* 14. *quæstione* 2. adducens Ioannem Ripam. Adducuntur etiam vterque Caietanus, & Toletus.

SCOTVS verò *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 6. 7. & 8. Sic opinatur. Primò quidem Intellectus agens conuertitur ad phantasma, ex quo deducit, seu exprimit speciem intelligibilem, emanantem è phantasmate, propter quam emanationem, phantasma dicitur actione metaphorica coagere ad productionem speciei: Sicuti è contra, actio intellectus dicitur propria, quia obiectum transmutat de vno ordine in aliam effectiuè, speciali motu. Deinde Intellectus agens contemplatur illam speciem; & sic producit notitiam eius, emanantem ex illa; quare dicitur species cooperari metaphoricè: His duabus actionibus intellectus agentis respondent duæ passiones in possibili. Prior est receptio speciei intelligibilis: Altera est receptio intellectionis; & in hac consistere, ait, ipsum intelligere, nempè in recipienda hac qualitate: Enim verò alia via hoc exponit. Primò intellectus agens producit speciem intelligibilem: Intellectus verò possibilis recipit illam speciem; deinde producit intellectionem, quæ est qualitas. Tertiò, hanc recipit: magis tamen probatur Scoto prima via, vt notat Faber *Theor.* 78. *cap.* 2. cum comitantur sui condiscipuli: præsertim Mastr. *lib.* 6. *de Anima*, Ponc. *quæst.* 7. qui in ea etiam qualitate eam præcipuè ponit.

NON

Non longè abeunt dicentes, Intellectionem esse actum, non elicitum ab intellectu possibili, sed ab agente, aut phantasmate, & receptum in possibili, Almain. 3. *distinct.* 3. *quæst.* 1. *art.* 2. Durand. 4. *distinct.* 49. *quæst.* 2. Ocham *in p. quæst.* 2. & *in* 4. *quæst.* 13. Gabr. 1. *dist.* 1. *quæst.* 2. vbi iterum Aliacus. Alij volunt, eam consistere in actione, passione, & actu vitali, & qualitate producta: Ita Hurtad. *distinct.* 6. *quæstione* 1. male verò adducit Suarium, & alios.

107 Commvnis tamen sententia est, Intellectionem non consistere in mera passione, sed in actu vitali, elicito à potentia: Ita Philosophus 2. *de Anima, text.* 121. Alex. 1. *de Anima, cap.* 12. & *cap. de intellectu practico, & speculatiuo*, Auerroës 1. *de Anima, com.* 149. Galenus *lib.* 7. *de placitis, cap.* 4. Gregor. Nyssen. *de virib. animæ, cap.* 1. & 4. Nemesius *lib. de natura hominis, cap.* 4. D. Thom. *p. p. quæstione* 27. *art.* 1. vbi Caietanus, Canariensis, & Bannes. Zumellus verò *p. p. quæst.* 73. *art.* 1. *dub.* 4. Capreolus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 4. Ferrar. 3. *cont. Gent. cap.* 53. Ruuius *lib.* 3. *de Anima, Tract. de intellectu possibili, quæst.* 2. *num.* 249. vbi ait esse omnium Recentiorum, nemine excepto: Ita Valentia *tomo* 1. *disp.* 6. *quæst.* 5. *puncto* 1. Suarez *lib.* 4. *de Anima, cap.* 8. *num.* 11. Tolet. 2. *de Anima, quæstione* 12. Colleg. *lib.* 3. *cap.* 8. *quæst.* 3. *art.* 3. Morizan. *disp.* 3. *quæst.* 6. Gonzales *p. p. quæst.* 2. *disp.* 25. *sect.* 4. Montesinus *p.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 5. Fonseca 5. *Metaph. capite* 15. *quæstione* 10. *sect.* 2. Complut. *disp.* 20. *quæstione* 1. Ioannes de Sancto Thoma, *quæstione* 2. *art.* 1. Fuliens. *lib.* 3. *cap.* 8. *art.* 2. Eustach. 3. *part. tract.* 4. *disp.* 2. *quæst.* 8.

Hic aduerte, D. Thomam à Scoto, Zimara, Zabarella, & Fabro *Theor.* 77. *cap.* 3. adduci, *p. p. quæstione* 85. *art.* 2. atque *lib.* 3. *de Anima, text.* 8. contra hanc vltimam sententiam, quasi dicat, totam rationem actiuam intellectionis esse à specie, per quam intellectus reducitur de potentia ad actum; intellectum verò se habere solùm tanquam materiale, informatum illa specie: Sed Diuus Thomas solùm vult, esse id, quo intellectus intelligit, tanquam instrumento, vel ad summum concausa; Neque vnquam negauit intellectus actiuitatem, vt luce clarius ostendunt verba illius, *quæstione* 27. *artic.* 1. *in corpore.* Id ostendit etiam Caiet. *p. p. ad artic.* 2. *quæst.* 79. Idem habet D. Thom. *p. p. quæstione* 70. *articulo* 1. vt agnouit Scotus *in* 4. *distinctione* 43. *quæstione* 2. & Fauentinuus *Theor.* 67. *cap.* 2.

108 Seraphicvs Doctor noster, dubio procul, huius se declarat sententiæ Patronum *in* 2. *dist.* 24. *parte* 1. *articulo* 2. *quæstione* 4. *ad* 5. & 6. & *in* 4. *distinctione* 14. *art.* 1. *quæst. vlt. ad vltimum*, & *articulo* 2. *quæstione* 3. *ad vltimum*, & 3. *part. Centil. sect.* 21. vbi rationem innuit: Idem habet in sequentibus, præcipuè *n.* 23. clariùs 3. *dist.* 14. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 6.

Hinc percipies, quid sentiat S. Bonauent. *loco citato, in* 2. *ad* 4. ante vltimam responsionem, suprà allatam, vbi ait: *Ad illud, quod obiicitur, quòd intelligere, est actus vnus, & simplex, dicendum, quod etiamsi intelligere possit quodam genere simplicitatis dici actus simplex; nihilominus tamen ad nostrum intelligere, concurrit recipere, & indicare, siue abstrahere, & suscipere; & hi sunt plures actus ad inuicem a liuncti, ex quibus resultat vnus actus perfectus.*

Hinc enim per particulam *Siue*, non ponit idem esse recipere, & iudicare, cum abstrahere, & suscipere; sic enim iudicare speciem, quod est percipere eam, esset recipere merum: Sed hic tantùm vult diuersos actus concurrere, & ideò ly *siue*, ponitur ad exprimendos actus multiplices concurrentes: Sic enim non rarò significat, non ad eiusdem repetitionem, aliis verbis: Quòd verò ea sit actio, ostenditur verbis sequentibus, dum ait: *Sic, & in potentiis intelligendum est se habere, quod, etiamsi sint diuersæ differentiæ intellectus, attamen in suis actionibus ad inuicem ordinatæ sunt, & coniunctæ ad actum intelligentiæ perficiendum, sicut materiale, & formale principium ad vnum esse compositi constituendum.*

In 2. autem *distinct.* 3. *part.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 1. 109 eandem penitùs doctrinam habet cum Diuo Thoma, *p. p. quæstione* 79. *citato art.* quod scilicet *intelligere* sit *pati*, quatenus reducitur intellectus de potentia ad actum, eò quòd non est omnia, vt intellectus Diuinus; neque est formatus speciebus ab initio, & ideò non actuatur ad imitationem diuini, sicut Angelicus; sed est velut tabula rasa. Per hoc tamen non negant Sancti Doctores, aliquam actionem vitalem intellectionis.

Asserendvm cum hac sententia, Intelligere esse verum actum intellectûs: Probata est autem *Tractatu* 1. *disputatione* 11. ratione, quâ nititur Colleg. sumpta ex assimilatione obiecti cum potentia cognoscitiua; quæ ad munus propriæ actionis spectat.

Probatvr primò à Diuo Bonauentura *in* 2. *distinctione* 24. *parte* 1. *articulo* 2. *quæstione* 4. *citata in corpore*, & ad vltima argumenta. Quod natura concessit inferioribus, non est censenda negasse superioribus creaturis, in eo, quod spectat ad perfectionem propriam naturalem: Natura enim nil frustrà facit, nec deficit in necessariis; vt docet Diuus Bonauentura, *in* 3. *distinctione* 29. *articulo* 1. *quæstione* 2. *ad argumenta*, ex Aristotele, 3. *de Anima, textu* 45. sed cunctis naturis concessit virtutes proportionatas ad operationes conuenientes: Ergo multò magis id concessit animæ nobilissimæ; sed actus proprius animæ rationalis, est actus vitalis procedens ab intrinseco vitæ: Ergo intelligere, est actus intellectus: Probatur Subsumptum subsyllogismi (nam Syllogismus primus est euidens) è principiis Aristotelis 2. *de Anima*, quia in duobus distinguit animata ab inanimatis. Primò per vitam: Secundò per vitales operationes, quarum principium effectiuum intrinsecum, est Anima. Secundo, quia diuersi sunt gradus vitæ, Vegetatiuus, Sensitiuus, & Rationalis; quemlibet autem gradum vitæ sequitur vitalis Potentia, per quam Anima vitali operatur modo. Tandem, quia omnia viuentia se mouent: Quæ principia sæpè repetit Seraphicus Doctor, *locis adductis*, & vbicunque de animasticis operationibus agit; præcipuè *in quarto, distinctione* 50. *parte tertia, articulo primo, quæstione* 1. *in corpore.*

Hoc Argumento nititur Ruuius *numero ducentesimo quinquagesimo primo.* Confirmatur ex *loco citato. Centiloquij*: Nam Vegetatiua habet actum: ergo & Intellectiua.

Probatvr secundò, argumento ad hominem: 110 Euidens est, & ab aduersariis concessum, quòd non quælibet receptio speciei est sensio, vel intellectio; sed vitalis, hoc est, cum attentione, aut conatu eiusdem intellectûs; sed conatus, seu attentio potentiæ ad intelligendum semper est cum aliqua actiuitate

nitate, & efficientia: Ergo. Maior probatur à D. Bonauentura *in 3. distinct.* 17. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. ex Diuo Augustino *libro* 1. *de Trinitate*, per totum. Et *libro* 11. *cap.* 12. *& sequentibus*, & *libro* 2. *capite* 12. vocat enim eam attentionem in sensibus, *sensualitatem*. Minor probatur à D. Bonau. omnibus ferè allegatis locis, vbi notat, Intellectum recipientem species, eas recipere vitali modo intellectiuas, sanè intellectiuè; & ideò de eis, ad eas conuerti, easque iudicare; alioqui tolleretur vltimum perfectionis intellectiuæ, quòd est iudicare, distinguere, & concludere. Hoc argumento nititur Ruuius, *num. citato*.

Obiiciunt primò, præcipuè Fauent. *loc. cit.* & *Theor.* 78. *circa finem*, Aristot. 3. *de Anima, textu* 2. apertè docet, *Intelligere*, esse *pati*. Et addit, pati passione perfectiua, non corruptiua. Præterea *text.* 3 4. *&* 6. docet, Intellectum possibilem, esse eum qui intelligit, non agentem. Confirmatur; quia Aristoteles ait, *Intelligere*, esse, sicut sentire; sentire autem, est *pati*.

111 Respondent Valentia, & alij, *Intelligere*, esse pati concomitanter, quia interuenit etiam passio. Verum etiam est causatione, quia intellectum præcedit quædam passio in anima; nempè receptio speciei, quâ actuatus intellectus elicit, suâ vitali virtute, intellectionem.

Obiiciunt secundò. Tunc intellectus intelligit, quando assimilatur obiecto; sed hæc assimilatio fit in receptione speciei, vel intellectionis: Ergo.

Respondetur, tunc quidem fieri assimilationem, quando recipitur species, vt docet etiam Diuus Bonauentura, & nos cum eo *disput.* 4. *cap. vltimo, quæst.* 7. attamen hæc assimilatio, non est adæquata ratio intellectionis; sed intellectio in actu vitali ponitur.

Obiiciunt tertiò: Si intellectus in actione staret; sequeretur, causam naturalem coincidere cum efficiente, eundemque intellectum, simul exercere vtramque causalitatem, respectu eiusdem intellectionis, contra Aristotelem, 2. *Physicorum, textu* 70.

Respondet D. Bonau. *in* 3. *dist.* 24. *parte* 1. *art.* 2. *quæstione* 4. *in corpore*, non esse eandem formaliter virtutem intellectus actiuam, & receptiuam; & hoc sufficere, ne coincidant illæ duæ causæ.

QVÆSTIO IV.

An Intellectio, *& quæuis alia cognitio sit propria* Actio.

Cum ostenderim, intellectionem non in sola passione consistere, sed esse actum: Quæritur: an sit propria actio, habens terminum, qui per eam producatur: Et quæstio est etiam de omni cognitione sensitiua.

Prima opinio est, Intellectionem esse veram actionem realem, immanentem in eadem potentia, à qua elicitur; nullum tamen terminum per eam produci, sed per se terminari ad obiectum. Refertur Aureolus apud Capreolum *in* 1. *dist.* 3. sed malè adducitur.

112 Secvnda opinio est, notitiam intuitiuam, non producere terminum; abstractiuam verò producere. Ita Caietanus *p. p. quæst.* 27. *art.* 1. Conan. ibi, *disput.* 3. *&* 5. *ad* 3. & *quæst.* 37. *art.* 1. *dubio*: An Beati forment Verbum, *ad* 3. Ferrar. 1. *contra Gent. cap.* 53. Capreol. *in* 1. *dist.* 27. Ratio est, quia obiectum præsens supplet omnem indigentiam speciei impressæ: ideò neque expressa producitur, tanquam superflua: Itaque hæc productio conceditur intellectui abstrahenti, & sensibus internis abstrahentibus; non externis, quorum cognitio semper est intuitiua, cum hoc discrimine, quod terminum intellectionis vocant *Verbum*. Hæc opinio insinuatur etiam à Diuo Thoma, *p. p. quæst.* 34. *art.* 1. *ad* 2. & *de potentia. quæst.* 8. *art.* 1. & *quæstione* 9. *art.* 5. & *de veritate*, *quæstione* 4. *artic.* 1. *ad* 3.

Tertia Sententia est, intellectionem non esse veram actionem, nec præsupponere veram actionem, quia verbum in intellectu fluit sine actione aliqua; sicut actiones ipsæ fluunt à potentiis, non per alias actiones: Ipsam verò intellectionem esse actionem tantummodò Grammaticalem; quia per nomen, significans actionem, exprimitur: Ita Scotus 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. *dist.* 3. *quæst.* 6. & *dist.* 27. *quæst.* 1. & omnes ferè eius Interpretes apud Mastrium, *disp.* 6. *quæst.* 3.

Idem nonnulli Recentiores asserunt, allegantes etiam eos, qui dicunt, actionem immanentem non esse veram actionem prædicamentalem; sed qualitatem, vt D. Thom. *Opusc.* 48. *cap.* 1. Caiet. 2. *de Anima*, *cit.* Ferrar. 3. *cont. Gent. cap.* 9. Soncinas 5. *Metaph. quæst.* 36. Iauellus 9. *Metaph. quæst.* 7. & videtur D. Augustini, 9. *de Trinitate, cap.* 7. & aliis locis, vbi asserit, cognitionem esse imaginem rei cognitæ, quam constat esse Verbum. Damasceni 1. *de fide*, *cap.* 18. Anselmi *in Monolog. cap.* 38.

Qvarta opinio est, In qualibet cognitione interuenire actionem veram, & realem; atque terminum produci; qui in intellectione dicitur Verbum; & in sensatione Species expressa formaliter; Cognitionem verò non consistere in vera, & reali actione, sed in qualitate; hoc est in specie expressa, aut verbo, actu informante intellectum. Adducitur à Ruuio *lib.* 3. *de Anima*, *tract. de intellect. possib. quæstione* 3. *num.* 267. Scotus *in* 1. *dist.* 2. *quæstione vlt.* & *dist.* 7. *quæst. vnica*, & *distinct.* 27. *part.* 3. Durandus *dist.* 27. *quæst.* 7. *numero* 26. Gabriel *eadem dist.* Gregorius *in* 2. *distinctione* 7. *quæstione* 3. *articulo* 1. Palud. *ibidem*, *quæstione* 3. Sotus *in* 4. *distinct.* 49. *quæst.* 3. & *libro Physic. quæst.* 2. *concl.* 5. Bannes *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 5. Molina *p. p. quæstione* 27. *art.* 1. *dub.* 8. eamque sequitur Ruuius; videtur expressa D. Thom. *p. p. quæstione* 34. *articulo* 1. *ad* 3. vt exponunt Thomistæ, Capreolus *in* 2. *distinct.* 1. *quæst.* 2. Caietanus, *p. p. quæstione* 79. *articulo* 2. Ferrar. *contra Gentes*, *capite* 9. Ita sentiunt cum Scoto Faber *Theor.* 98. Vtinensis *Tractatu de Deo vno*, *quæstione* 4. Patres Iesuitæ plurimi. Valentia *tom.* 1. *disputatione* 6. *quæstione* 5. *punct.* 1. Suarez *in Metaph. disp.* 48. *sectione* 2. & *in p. p. lib.* 2. *de attribut. Dei negat. cap.* 10. & *tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 24. *sectione* 2. *&* 3. *de Anima*, *cap.* 5. Vasquez *p. p. disp.* 38. *cap.* 2. & alij innumeri. 113

Qvinta Opinio præcedenti opponitur, intellectionem asserens non esse formaliter qualitatem, sed actionem: Ita Diuus Bonauentura, *in* 3. *distinctione* 14. *articulo primo*, *quæstione vltima*, & *plurimis aliis locis*, infrà *adducendis*. 115

Richardvs

RICHARDVS *in 2. dist. 2. & 4. art. 3. quæst. 2.* Tolet. 3. *de Anima*, *quæst.* 22. & ex parte Hurtadus, *dist.* 10. *sec.* 3. asserens cateruatim Thomistas eam sequi: Et Conimbr. 3. *de Anima, cap.* 8. *quæst.* 3. *art.* 3. Fuliens. 3. *Phys. cap.* 8. *art.* 2. Eustach. 3. *part. tract.* 4. *disp.* 2. *quæst.* 8. Iuuet. *cap.* 16.

SVPPONENDA sunt quæ dixi *tractatu primò, disp.* 11. *quæst.* 4. vbi ostendi, Verbum esse terminum productum per intellectionem etiam à Beatis. Et *tract.* 2. *disp.* 9. *sec.* 1. *quæst.* 2. vbi ostendi, Verbum produci per intellectionem. Et *quæstione* 3. vbi ostendi, ipsum differre realiter ab ea.

114 ASSERO igitur, *Intelligere*, esse formaliter *Agere.*

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *in 2. dist.* 24. *p. p. art.* 2. *quæst.* 4. *ad vltima argumenta.* Omnis actus, proueniens ab aliqua forma, est actio; talis est intellectio: Ergo. Maior probatur; Nam omnis actus est à forma, vel formaliter, si sit intrinsecus; vel efficienter, si extrinsecus. Minor probatur, quia intellectio est ab anima, vt est actus essentialis, accidentaliter actuata specie intelligibili.

RESPONDET Mastrius cum Scoto, esse actionem, per quam exercetur potentia vitalis intentionaliter, non Physicè; scilicet operando, non autem producendo: Sed hæc sunt mera effugia, quæ mox præcludam.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura *ibi.* Omnis denominatio distinctiua est ab aliquo actu; & consequitur actus talis, qualis est denominatio; ne denominatio sit falsa; sed intellectio denominat intellectum intelligentem, quod signat actionem, quæ exprimitur per verbum *Intelligere*: Ergo non est actio mere Grammaticalis, sed vera.

CONFIRMATVR à Diuo Bonauent. quia non intelligere, dicit negationem exercitij potentiæ intrinsecæ datæ animæ; sicut data est potentia, & virtus cæteris creaturis ad agendum: Est enim actio propria animæ. Ità *in corpore, loco citato.*

115 RESPONDET Mastrius è Scoto Intellectionem denominare intelligificantem, non intelligentem. Sed ex omnium sensu hæc responsio est ridicula.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent *in 1. dist.* 1. 3. & 35. ad quas remittit *in 3. dist.* 14. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. ratione, qua abutitur Ruuius, *num.* 271. Id, quo efficienter aliquid ex dissimili assimilatur, est vera actio, ex Aristotele, qui sæpè *in libris de Anima*, cognitionem quamlibet fieri autumat per assimilationem potentiæ cum obiecto: Nam potentia est dissimilis obiecto; assimilatur verò agente cognitione per expressionem ipsius obiecti: Ergo cognitio est actio. Non enim cognitio est formaliter similitudo; atque adeò nec qualitas, vt inducit Aduersariorum caterua; sed hoc est verum tantùm causaliter, quatenùs producit speciem, quæ est formaliter similitudo obiecti; & ideò potentia, quæ accidentaliter facit vnum cum specie, dicitur similis obiecto; sicut paries per suam albedinem similis est niui: Sic & Conimbric.

RESPONDET Ponc. ipsam intellectionem esse similitudinem. At hoc refelli *tract.* 2. *disp.* 9. *sect.* 1. & hìc, *quæst.* 7. & *sec.* 5.

PROBATVR quartò à Diuo Bonauentura *in* 4. *dist.* 49. *part.* 1. *quæst.* 1. *argumento vltimo*, Ea, ex quibus producuntur habitus, sunt actus; Sed habitus scientiarum producuntur ex actibus cognitionum: Ergo intellectio est formaliter actio.

RESPONDET Fauentinus, *cap.* 2. Actus immanentes esse habitus in fieri.

CONTRA, quia habitus, & actus sunt generis diuersi; Intellectio est actus: Ergo.

CONTRA secundò; quia intelligere est id, quod efficienter producitur facilitas ad operandum: Sic enim paulatim eiectis oppositis dispositionibus inducit habitum. Ex quo ruit responsio Mastrij, & Scoti, negantium, produci habitus ex actibus efficienter.

PROBATVR quintò. Id quod habet pro contrario pati, & recipere, est actio: Sed intelligere, quod est actus intellectus proprius, habet pro contrario pati, & recipere: Ergo. Maior probatur ex D. Bonau. *in 2. dist.* 24. *parte* 1. *art.* 2. *quæst.* 4. Actus, qui sunt à potentiis primò contrariis, & earum proprij, sunt contrarij; sed agere, & pati sunt à potentiis, quæ primò oppositæ sunt, ex Aristot. 9. *Metaph:* adducto a D. Bonau. *fundamento* 2. Ergo. Minor probatur; Nam ideò pro vtroque ponuntur Potentiæ, actiua, & passiua; Intellectus agens, & possibilis, vt dixi, *sec.* 1. Ergo. Confirmatur; nam intelligere, est agere, vt opponitur patiendo, vt dixi *quæstione præcedenti*: Non enim est ibi quæstio: *An intelligere sit pati*, id est, passio, vel passibilis qualitas. Sed: *An sit pati*, provt pati opponitur agere, & probaui, esse tantum agere. 116

DICERE, esse actionem Grammaticaliter, solo nomine tenùs, vt egregiè distinguit Scotus apud Ruuium *num.* 280. & Fabrum *loc. cit.* & alios, est merum effugium. Grammatica enim inuenta est, ad nomina realiter imponenda, iuxta naturas rerum, & quæ ficta sunt, talia notantur. Secundò, nunc Philosophicè loquimur: At Philosophi omnes exprimunt intellectionem, verbo actionis veræ.

PROBATVR sextò. Si intellectio est qualitas; maximè est similitudo, & verbum; Sed verbum fit per intellectionem: Ergo non est intellectio: Ergo intellectio est actio. Probatur vltima consequentia. Sicut enim actus requirit terminum, ità etiam terminus actionem. Sic vrget & Petrus Iuuet. *loc. cit.*

RESPONDENT Suarez, Ruuius, & alij, esse intellectionem in facto esse, id est, actum; actionem verò, seu operationem in fieri.

CONTRA. Id, quod formaliter est vnius prædicamenti, dum fit; non mutat essentiam, cùm est factum. Sic qui, dum fit, est homo; non est Asinus, in facto esse; At per nos in fieri est actio: Ergo in facto esse, non est qualitas.

PROBATVR septimò. Illa est actio realis, quæ habet terminum productum realem, realiter distinctum; sed intellectio gignit verbum, quod est terminus realis realiter distinctus: Ergo. Maior est certa. Minor probatur, tum ex dictis *in quæstionibus citatis* initio; tum infrà *sect.* 5. vbi de Verbo agam, *quæst.* 2. Confirmatur ex dictis *tract.* 2. *disp.* 9. *sect.* 2. vbi per intellectionem ostendi, produci Verbum æternum.

OBIICIES primò cum Scoto, Fabro, & Poncio. Nulla actio est vltima perfectio operationis; sed intellectio est vltima perfectio Potentiæ intellectiuæ; Est enim actio immanens: Ergo. 117

RESPONDETVR primò, negando maiorem: Nam Potentia agit, vt agat, & ità in actu perficitur. In hoc autem differt Potentia operatiua à transmutatiua, quod hæc agit propter aliud: Operatiua verò propter se; ratio disparitatis est, quia transmutatiua ordinatur ad conseruationem speciei; vnde egreditur ad finem extra; Operatiua verò perfecta, qualis est animæ, ordinatur ad se; vnde finem habet in sua actione.

Respondetur secundò, negando Minorem; Nam potentia intellectiua vltimo perficitur termino, producto per intellectionem, qui est verbum, quod est tanquam forma expressa, obiectum repræsentans, & intellectionem.

Obiicies secundò. Omnis actio habet terminum; sed intellectio in Filio, & Spiritu Sancto, non habet terminum: Ergo non est actio.

Respondetur negando, omnem motum habere terminum à se distinctum, patet in motu locali Cœlorum, qui est ob indigentiam aliorum, maximè in motu intellectiuo, quia ad se est intellectio; Ergo est simplex vsus potentiæ intelligentis. Deinde non est necesse, vt ad veritatem actionis Physicæ, etiam in Filio, & Spiritu Sancto habeat terminum, quia alia ratio Diuina obest; quia enim, ex generatione Verbi infinita, tota absorbetur ratio fœcunditatis generatiuæ in Patre; Ideò non relinquitur aliis Personis: At in nobis verba sunt finita, quibus potest addi, vt notat Diuus Bonauentura *in primo, distinct.28. part. 2. quæst. 1. ad quartum.*

118 Obiicies tertiò. Actio productiua albedinis, non facit album: Ergo nec actio, qua producitur intellectio, facit intelligentem.

Respondetur, argumentum supponere, quod negatur; nempe, intellectionem produci per actionem, cùm sit ipsa actio; sic petit perbellè principium.

Obiicies quartò. Nulla actio propriè versatur circa vniuersalia; & non existentia, vt versatur Intellectus.

Respondetur negando assumptum, non enim verum est de actionibus spiritualibus.

Obiicies quintò. Omnis actio vera, est cum motu, *ex 3. Physicæ.*

Respondetur, verum esse de successiuis actionibus, non de momentaneis.

Obiicies sextò. Intellectio est productiua habituum: Ergo est qualitas, non actio.

Respondetur, secundariò tantùm producere habitus, vt relinquit ex actu aliquam facilitatem ad actus nouos: Actus quidem producunt habitum efficienter.

Obiicies septimò. Superfluum est ponere intellectionem, & terminum ab ea distinctum; ad nihil enim seruit.

Respondetur inseruire, vt habeat suum terminum. Secundò, vt habeatur species expressa obiecti, in qua agnoscatur obiectum, & intellectio ipsa, quod per speciem impressam non fit; neque per ipsam intellectionem formaliter. Vnde ruunt instantiæ Mastrij.

Dices. Actio est vnica simplex; at intellectio ex pluribus etiam aliis actionibus resultat.

Respondetur, esse vnam actionem; quia vnus est conceptus formalis, & vltimus, reliqui verò disponunt; est autem vnus actus vitalis, magisque vitalis dicendus, quàm volitio; Nam Intellectus, intelligendo, se roborat, vt viuat. Voluntas verò amando exit, & languet.

Vrget Poncius. Actio est modus per vos: Ergo non producit. Dico esse id, quo producitur, non quod producit: Modus autem, licet nequeat esse id, *quod*, potest tamen esse id *quo.*

QVÆSTIO V.

An potest Intellectio *esse in nobis à Deo solo, Intellectu nostro non concurrente.*

Prima opinio id affirmat, sed Authores variis viis in id conueniunt. Primò enim huc tendunt, qui dicunt, operationem intellectus, clarè videntis Deum, fieri à Deo solo, sine concursu affectiuo eiusdem intellectus; vt ita defendant, Creaturam à solo Deo beari efficienter, & non à se. Ità Ocham *in primo, dist. 1. quæst. 2. concl. 2. & in 2. quæst. 19.* Gabriel *in primo, dist. 1. quæst. 2. artic. 2. concl. 4. & in supplem. in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 3. dub. 2.* Palud. *in 4. dist. 49. quæst. 1. in confirmatione 3. conclus. & art. 3. in resp. ad tertiam instantiam.* Richard. *in 4. dist. 49. art. 2. quæst. 10. 3. part. dubio primo*, quam Sententiam probabilem censet Maior *in 3. dist. 14. quæst. 9.* Aliacensis *in primo, quæst. 2. art. 1.* 119

Alii vniuersaliter affirmant id, vt Scotus *in primo, distinct. 13. §. ad tertiam quæstionem.* Vega, *lib. 6. in Concil. Trid. cap. 8.* & Scotistæ apud Rabesannm *3. de Anima, disp. 1. quæstione 5.* & Mastrium *disp. 2. quæst. 3.* Suar. *disp. 4. Metaph. sec. 2.* Hurtad. *disp. 12. sec. 3.* Molina, *p. p. disp. 12. art. 2. dub. 1.* Colleg. *primo de Gener. cap. 4. quæst. 10. artic. 22.* Arriaga *disp. 6. sec. 2. subsec. 4.*

Alii verò sentiunt, fieri à Deo qualitatem illam, in qua formaliter consistit intellectio; sed à solo Deo factam, non habere rationem formalem intellectionis, sed esse qualitatem quandam materialem, quasi mortuam, per quam nec intelliget homo, nec intelligere denominabitur. Ita Sotus *in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 4.* Angles *in Moralibus, cap. 14. fol. 40.* Maior, *in 4. dist. 12. quæst. 1. ad 5. & dist. 49. quæst. 9. in fine.* Capreolus *ibidem, quæst. 4. art. 3. ad 4. ex dubiis, quarto loco adductis.* Ferrar. *3. contra Gentes, cap. 54. §. Ad primum dicitur.*

Alii negant, posse intellectionem, & volitionem produci à Deo solo in iisdem potentiis, absque concursu earum effectiuo. Posse tamen extra subiectum produci, etiam secundùm rationem formalem productionis. Ita Recentiores nonnulli.

E regione tamen alij negant, vllo modo id fieri posse. Ita D. Thom. *p. p. quæst. 34. art. 1. de intellectione, & de amore, 2. 2. quæst. 23. art. 1.* & alij, quos sequitur Ruuius *3. de Anima, tractatu de actu intellectionis possibilis, quæstione 4. num. 299.* Videtur D. Bonauent. *in 2. distinct. 24. part. 1. art. 2. quæst. 4.* Miror tamen eos, qui suprà *quæst. 3.* in sola passione collocant intellectionem, negare id à Deo fieri posse.

Assero cum hac sententia, intellectionem non posse fieri in nobis à solo Deo. 120

Probatur à Ruuio *loc. cit. & num. 808.* Intellectio in nobis habet terminum necessariò, qui est conceptus mentis, & verbum: Sed non potest esse conceptus mentis, nisi à mente producatur: Ergo. Sic & volitio intrinsecè est libera è Scoto *primo, dist. 5. quæst. 4. ad 3. & in 2. dist. 5. quæst. 2. §. Tertio igitur.*

Probatur secundò à Diuo Bonauentura *in 2. dist. 24. parte 1. art. 2. quæst. 4. in corpore, & ad vltimum.* Id quod à natura intrinsecè dependens, formaliter

formaliter venit, non potest suppleri à Deo; sed talis est actus intellectionis: Ergo. Maior probatur in omnibus naturis, in quibus intrinseca dependentia à natura reperitur. Minor probatur; nam intellectio denominat exercitium intellectiuæ potentiæ, & facit intelligentem in actu. Si autem intellectio solùm immitteretur à Deo, non esset intellectus in actu intelligens; vel esset intelligens, & non intelligens.

Confirmatur à Sancto Doctore *ibi*, & omnibus ferè locis, vbi de intellectione citatus est suprà: Nam intelligere requirit iudicium de specie, quæ percipiatur vnita potentiæ.

Probatur tertiò ex Diuo Bonauent. *in 3. dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 5. relato suprà, *quæst.* 3. *art.* 2. Non potest esse intellectio sine attentione potentiæ, & conatu eius, ex Diuo Augustino ibi adducto; Sed hic conatus includit intrinsecè actum potentiæ: Ergo.

121 Respondet Ruuius, *num.* 303. & 304. rationem hanc futilem esse; quia attentio vel dicit conuersionem actualem potentiæ, & ideò realem actionem. Et hoc non; quia intellectio in passione consistit formaliter: Vel dicit actionem tantùm Grammaticalem, id est, informationem speciei expressæ, significatam per modum actionis: At hoc non probat repugnantiam vllam ex parte Dei, cùm possit se solo producere speciem in potentia informantem.

Dico tamen, rationem esse validissimam: Nam intellectio formaliter consistit in actione vera, vt ostendi *quæst.* 3. & 4. Et hæc est vitalis, atque adeò ab intrinseco vitæ principio.

Probatur quartò: Nam ad intellectionem requiritur vnio, vt ostendit D. Bonauentura *in* 2. *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad penultimum*, D. Thom. *p. p. quæst.* 12. Suar. *lib.* 3. *de Anima*, *cap.* 1. Sicut reperitur inter alia agentia, & passa. Igitur potentia debet attingere obiectum, quod indicat contactu vitali intrinseco. Quo sensu Aristoteles 3. *de Anima*, *text.* 18. & 37. docet, animam fieri omnia, vt exponit Diuus Bonauentura, *in* 2. *dist.* 7. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 4. Informatur sanè, tum specie impressa, tum etiam expressa; & ex hoc capite non video, cur Deus nequeat imprimere vtramque in intellectu; sed exigitur, ex parte intellectus, concursus vitalis intellectiuus, actum intrinsecum dicens; alioqui amittet vitalis rationem propriam intellectiuam, quæ dicit intelligere; Nam vitalis inferior potest suppleri; sic potest conuertere cibum in sanguinem; tunc tamen non vegetabit animal, sed vegetabitur.

122 Obiicies primò. Deus potest supplere actionem quamcunque creaturæ. Et hoc negare erroneum est, ex D. Thom. *p. p. quæst.* 105. *art.* 2.

Respondetur ex Seraphico, *in* 2. *dist.* 25. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 5. *in corpore*, aliqua esse talis naturæ, vt necessariò, & intrinsecè dependeant à suo principio; tales sunt actus animæ; ideò non potest immittere actum, *verb. grat.* voluntatis, illâ non cooperante, vel renuente; quia, vt velit, debet seipsam mouere ad volendum. Talis est etiam intelligentia. Eadem responsione vtitur Ruuius, *num.* 78. Igitur D. Thom. de his non intelligitur: Vrgent Mastrius, & Bellutus, *num.* 313. cum Poncio *disp.* 6. posse id fieri, quia Deus potest supplere omnem actionem creaturæ. Quod verò fieri queat, vt vitalis actio est; probant; quia vitalitas essentialis non est. Sed hoc petit principium; nam debet probare ex natura vitalitatis id fieri posse; Nos enim negamus ex hoc capite, quia vitale est à principio vitæ essentialiter. Vita enim est ab Anima; hæc verò causalitas dicit intimam imperfectionem, Deo repugnantem.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm Intellectvs *possit vno actu plura per modum plurium intelligere.*

In *Tractatu de Angelis*, *disp.* 2. *quæstione* 22. diximus ex mente Diui Bonauenturæ, posse, confuso modo, non distincto, Angelos id præstare.

Qvò igitur ad animum videtur eadem ratio. 123 Aliqua tamen subiiciam.

Prima igitur opinio absolutè id affirmat. Ità Valentia *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 9. *puncto* 3. qui adducit Durandum, Sotum, &c. Idem sentiunt Hurtad. *disp.* 5. *de Anima*, *sect.* 7. Conimbr. 3. *de Anima*, *cap.* 8. *quæst.* 6. *art.* 2.

Secvnda Sententia est negatiua. Ità D. Thom. *p. p. quæst.* 82. *art.* 2. & *quæst.* 85. *art.* 4. & Thomistæ. Scotus *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. Videtur D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 4. *quæst. penult.* & *dist.* 14. *art.* 2. *quæst.* 2. & *dist.* 24. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 3. & *dist.* 18. *quæst.* 1. *ad* 3.

Svppono, posse Intellectum plura vno actu percipere, per modum vnius, seu in aliqua vna ratione conuenientia. Ità Sanctus Doctor *in* 3. *distinct.* 26. *art.* 1. *quæst.* 5. D. Thom. *p. p. quæst.* 85. *art.* 4. Est tritum Aristotelis effatum: *Intellectus intelligit vniuersale*: Hoc verò est vnum in multis.

Svppono secundò, posse Intellectum vnico actu percipere plura, vt plura sunt, quatenùs in vno obiecto omnia eminenter continentur. Probatur; nam Beati plures creaturas vident in Deo, vno actu simul. Ita Diuus Bonauent. *in* 3. *dist.* 24. *art.* 1. *quæst.* 3. & *in* 4. *dist.* 43. *quæst. vlt.* cum cæteris Theologis.

Nota tamen, aliter plura videri in speculo creato: & aliter in Verbo à Beatis; Nam speculum creatum repræsentat plura, non habentia ad inuicem connexionem, quia per species omninò diuersas repræsentantur: At verò in illo Diuino Speculo repræsentantur plura vnita; non enim ibi est pluralitas specierum; & sic Beati vno actu vident Deum, & ea quæ sunt in Deo; sic etiam videndo Patrem, vident etiam Filium.

Svppono tertiò, Intellectum vno actu composito, putà affirmatione, vel negatione, aut discursu, posse plura intelligere, provt ordinantur in vnum. 124

Assero, non posse distinctè. Sic & Scot. Faber 2. *disp.* 41. Cauell. *ad quæst.* 1. *de Anima*, Cathar. *lib.* 3. *quæst.* 1. *artic.* 8. Mastrius, *disput.* 6. *quæst.* 9. Rabesan. *disp.* 2. *quæst.* 5.

Probatur à Diuo Bonauentura *in* 3. *dist.* 14. *art.* 1. *quæst.* 2. è primo Topic. cap. 4. *Plura scire possumus, sed vnum intelligere.*

Probatur secundò. Vnius actionis perfectæ, vnus est terminus formalis per se; Intelligere est vna actio: Ergo. Sed terminus actionis est Verbum: Ergo vnum perfectè exprimens. Maior probatur à S. Doctore *in* 4. *dist.* 43. *artic.* 1. *quæst.* 4. *argumentis*, *sed contra.*

Probatur tertiò; quia non habent speciem communem; subordinata verò in Scala habent confusam.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VII.

Vtrùm Intelligere *sit idem ac* Dicere.

QVÆSTIONEM hanc discussi, *tract. de Trinitate, disp.* 9. *sect.* 1. Aliqua tamen addam pro creaturis.

PRIMA opinio est, omne Intelligere creatum, esse Dicere. Ita Colleg. 3. *de Anima, cap.* 8. *quæst.* 3. Hurtad. *disp.* 6. *de Anima, sec.* 1. §. 12. Vasquez, *tom.* 2. *p.p. disp.* 112. *num.* 7. Bannes *p.p. quæst.* 27. *art.* 1. *dub.* 2. *concl.* 2. & alij Thomistæ communiter cum Caietano *loc. cit.* ponunt tamen ea distingui ratione, ita vt *Dicere* includat in se *Intelligere*; sed addat supra *intelligere* relationem ad notitiam genitam. Eos refert Fauent. *in primo, disp.* 21. *cap.* 2. *num.* 26. & 27.

125 ALII verò dicunt, *Intelligere*, esse vnum materiale cum *Dicere*; formaliter verò differre. Ita Torres apud Fauentinum, *loc. cit.*

SECVNDA Sententia est Scoti *in primo, dist.* 2. *quæst.* 7. quem sequitur Fauentinus *disp.* 21. Vtinensis *de Deo, tract.* 8. *quæst.* 4. *art.* 1. & *tract.* 10. *artic.* 1. *sec.* 3. Mastrius, *disp.* 6. *quæst.* 3. Dicere, esse actionem, per quam producitur intellectio, quæ est Verbum; atque adeò Intelligere, & Dicere, à parte rei esse diuersa. Quid sentiat Diuus Bonauentura, dicam infrà.

OBSERVAT D. Bonauent. *in primo, dist.* 27. *part.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, Dicere, esse loqui: Loqui autem est dupliciter, vel ad se, seu apud se, vt in Soliloquiis: Vel ad alterum, vt ad Deum. Loqui ad se, est mente aliquid concipere, exprimendo conceptum: Loqui verò ad alterum, est sermonem conceptum alicui exponere; & hoc dicere, fit sermonis prolatione ad alterum, etiam externum, si cæteris loquimur, non Deo.

OBSERVAT secundò; *argumento quarto*, addita solutione ex D. Anselmo *in Monol. cap.* 60. & Diuo Augustino 15. *de Trinitate, cap.* 10. idem esse, dicere intra se, & cogitare. Quod probat Sanctus Augustinus ex illo Sap. 2. *Dixerunt apud se, cogitantes.* Et Matth. 9. *Dixerunt intra se: Hic blasphemat.* quibus verbis respondit Christus: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et Lucæ 5. vbi idem habetur, & obseruat Sanctus Doctor ad eum locum, quem sequitur Vasquez *p. p. disput.* 112. *num.* 7.

NOTA verò, sæpè, Cogitare, & Dicere, sumi latè pro quodam discursu intellectus ad inuestigandum; vnde est quasi motus distinctus ab intelligere: Post enim hunc cursum præuium, sequitur intellectio, & quies, vt patet cogitanti de re aliqua facienda. Hoc autem discrimen ponit Tostatus *ad* 19. *Matth. quæst.* 176. inter cogitare, & intelligere. Et videtur D. Augustini 15. *de Trinitate, cap.* 11. relati à Diuo Bonauentura *in primo, dist.* 6. *quæst.* 2. *ad* 4. *argumentum.* Aliquando verò, *dicere*, sumitur strictè, & sic addit supra *cogitare*; Vnde non ait Anselmus, cogitare, esse dicere; sed cogitando, &c.

ADVERTE adhuc, *Dicere*, aliquando sumi etiam pro firmiter deliberare in corde, Psal. 31. *Dixi, confitebor.* Et Psalm. 118. *Dixi, custodiam legem tuam.* Aliquando, significat disponere, vt notat Diuus Bonauentura *in primo, dist.* 37. *quæst.* 2. vbi cum Diuo Augustino ait; Patrem Verbo dicere, quæcumque dicit æternaliter. Tertiò sumitur pro creatione: *ipse dixit, & facta sunt, &c.* Sed hic propriè sumitur pro loqui interius, vt dixi suprà.

ASSERO primò, Dicere interius, non esse idem cum Intelligere. 126

PROBATVR à Diuo Bonauentura *in primo, distinct.* 26. *part.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. Nam Filius, & Spiritus Sanctus sunt propria intellectione beati, nec tamen dicunt, cùm non producant Verbum.

HINC notat, Diuum Anselmum velle, *loco citato*, significare, *Dicere*, esse cogitando intueri, vbi intuitus non est sine conceptu, *verbi gratiâ*, in nobis, & in Patre; non sic in Filio, & Spiritu Sancto, qui licèt se intelligant, non tamen concipiunt prolem; quia non est in eis fœcunditas ad generandum: Si autem quæras rationem eius, Augustinus te docet 15. *de Trinitate*; quia nos non intelligimus, nisi per intelligentiam, & illa semper est genita. In illa autem Trinitate Beata aliter est, quam in Imagine, quia quælibet persona intelligit, & ideò intelligere non dicit ibi rationem concipiendi, ac per hoc non complectitur totam rationem dicendi, vel Verbi in Deo, vt in nobis. Hac ratione communiter vtuntur alij.

HINC etiam, ex aliis effatis illius quæstionis Sanct. Bonau. colligitur ratio. Ea, quorum vnum dicit respectum intrinsecum ad aliquem terminum; alterum non, hæc non sunt omninò idem: Sed Dicere, dicit respectum ad terminum, id est, ad Verbum intrinsecè; Intelligere verò nequaquam: Ergo, &c. Hac ratione motus Aristoteles, hæc duo distinguit 3. *de Anima, text.* 26. & 28.

ASSERO secundò: Intelligere se habere, vt includens ipsum dicere. Patet ex dictis. Alio sensu dici potest, ipsum *Intelligere* includi in *Dicere*, quod est intelligere fœcundum. 127

PROBATVR, iuxta Vtinensem, & alios, non differre formaliter, sed secundùm eos induci distinctionem realem. Nam quæ sunt diuersorum prædicamentorum (excipe actionem, & passionem) sunt res distinctæ; sed per vos *intelligere* est de prædicamento qualitatis; *Dicere* verò est actio: Ergo.

PROBATVR contra Suarez, *lib.* 3. *de Anima, cap.* 5. *num.* 11. & aliis locis adductis, *quæst.* 4. & Ruuium ibi adductum dicentes, intellectionem esse terminum, dictione productum. Terminus, & motus habent inuicem necessariam dependentiam, sed Dicere; & Intelligere non ità dependent: Ergo. Minor probatur. Si necessariò penderent, non potest dari dictio, quin produceret intellectionis actum (quod est Verbum, secundùm eos) sed datur in Filio, & Spiritu Sancto: Ergo.

Ex his deducit Sanctus Bonauentura *loco citato*, *Dicere*, importare respectiuum, & absolutum, & ideò in Diuinis se tenere notionaliter: *Intelligere* autem se tenere absolutè. Hinc D. Thomas, *p. p. quæst.* 34. *art.* 1. *ad* 3. ait, *Intelligere* importare habitudinem solam intelligentis ad rem intellectam; Sed *Dicere*, importare habitudinem ad Verbum, conceptum, & Verbo mediante, ad rem intellectam.

PROBATVR tertiò ex dictis, *loco* initio *adducto de Trinitate*, vbi ostendi, Verbum gigni per actum intellectionis, eámque esse veram actionem. Quod verò intellectio sit actio, probatur ex Aristotele 9. *Metaph.* & alibi, vbi eam asserit actionem immanentem; Et 10. *Eth. cap.* 3. ait, operationes non esse qualitates: & loquitur de operationibus viuificis. 128

PROBATVR

Probatvr quartò à Sancto Doctore *loco adducto*. Et D. Thom. *p. p. quæst.* 27. *art.* 1. quia intelligens agnoscit ex intellectione aliquid procedere intra, id est, conceptum: Ergo Dicere, est Intelligere. Hoc egregiè probat Sanctus Bonauentura *in primo*, *distinctione* 27. *quæstione* 3. & ex Patribus.

Responsiones autem Fauentini, *disput.* 21. *cap.* 2. Faciles sunt; confundit enim *Intelligere* cum *Dicere*, apud Aristotelem, & alios, vt ostendi *loc. cit. de Trinitate*, vbi etiam rationes Scotistarum euerti.

Vnvm tantùm addendum puto, quod Diuus Augustinus quendam habet modum dicendi, qui videtur sonare, intellectionem esse similitudinem rei intellectæ: Sed hoc intelligendum est causaliter, quia per intellectionem producitur Verbum, quod est formalis similitudo, sicut etiam Verbum in Diuinis; Non enim generatio, sed Verbum genitum formaliter repræsentat Patrem.

Aliqvando verò Sanctus Doctor dicit: Intelligentia est similitudo; quod tamen causaliter intellige. Accipias illud (*Intelligentia*) in ablatiuo casu, & significat: *Intelligentiâ agente, est similitudo formalis*. Hæc declaratio est D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 27. *quæst.* 2. 3. & 4.

QVÆSTIO VIII.

De Apprehensione Intellectus.

119 Tres communiter actus, seu operationes intellectus sunt: Apprehensio, Iudicium, & Discursus, de quibus agendum. Aduerte, etiam sensum apprehendere suum obiectum. Hoc est, quod primum occurrit post receptionem speciei, quæ non est cognitio, vt notat Suar. 3. *de Anima*, *cap.* 6. post Diuum Bonauenturam *in* 3. *distinct.* 14. *art.* 2. *quæst.* 3. *argumento vltimo*. Dicitur primò apprehensio, quasi *prehensio*.

Apprehensio intellectiua sic definitur: *Est actus intellectus rem repræsentatam prima prehensione percipientis*.

Assero primò, Apprehensionem non esse idem cum Diuisione; sicut iudicium cum definitione: Discursus cum Argumentatione. Tribus modis fit diuisio. Primò, distinguendo aliqua prædicata, quæ sunt vnum, vt animal ab homine, per intellectum. Hæc non est Apprehensio; est enim tantùm ex parte intellectus, non ex parte rerum. Secundò, dicitur Diuisio, negatio alicuius de aliquo subiecto, vt, Homo non est Leo, & est actus compositus, ad secundam operationem intellectus pertinens. Tertiò, Diuisio fit, concipiendo vnum sine alio, vt essentiam sine existentia; neque hæc est formaliter Apprehensio, quia vnum seorsim prædicatum respicit; At verò Apprehensio omnia respicit.

130 Apprehensio ergo dicitur Diuisio, quia semper est coniuncta cum notitia aliqua præcisa.

Assero secundò, Apprehensionem posse esse de re complexa. Possum enim apprehendere, animal, hominem, &c. esse corporea.

Assero tertiò: Apprehensio potest esse scientia. Potest enim simul res, & causa percipi, absque compositione.

Assero quartò, in Apprehensione non esse falsitatem. Non enim in ipsa aliquid assentitur, vel negatur. Loquor de nuda apprehensione nostra prima ordinaria.

Posse tamen esse aliquam deceptionem, quia iudicium, & discursus errant; Multi asserunt: Sed de hoc *sect.* 6. *quæst.* 3.

Assero quintò, licèt possit intellectus diuertere ab obiecto; neque necesse sit, recepta specie sequi intellectionem; cùm obiectum necessariò semper speciem exhibeat, atque emittat, & tamen sæpè non fiat apprehensio; attamen positâ emissione speciei, & potentiæ applicatione, necessariò sequitur apprehensio.

QVÆSTIO IX.

De Ivdicio Intellectus.

Secvnda operatio est Iudicium; & est operatio intellectus asserentis iustum, id est, rectum, 131
(vt ait S. Bonauentura, *in* 2. *dist.* 21. *dubio primo*, *litt.*) secundùm regulas veritatis, éstque idem, ac vsus rationis, quo pueri carent. Definiturque. *Est actus intellectus determinantis, rem ità esse, vel non esse*. Ita Sanctus Bonauent. *in primo dist.* 3. *quæstione prima ad quartum*.

De differentia iudicij ab apprehensione, Vide Diuum Bonauenturam *in primo*, *dist.* 41. *quæstione vltima in corpore*, & *tract. nostrum primum, disp.* 13. *quæstione vltima*.

Assero primò, Definitionem, prout dicit diuisionem, esse idem cum iudicio.

Dicitvr enim aliquis, diuidere rem quamcunque: Definitio autem solùm est quoad essentialia. Imò definitio supponit noticiam, & exprimit eam.

Assero secundò, Iudicium propriè non esse scientiam, quia non est cognitio per causam.

Assero tertiò, posse Iudicium esse etiam de re simplici, ob imperfectionem intellectus; sic iudicat etiam de Deo, quod sit Iustus, Potens, &c.

Assero quartò, esse actum compositum. Ità Suarez 3. *de Anima*, *cap.* 6. fit tamen à Deo simpliciter.

Assero quintò, iudicium esse actum directum includentem apprehensionem. Ità D. Bonauentura *in primo*, *distinct.* 3. & *in* 3. *distinct.* 14. suprà *citata*. Vide etiam Suar. *libro tertio*, *de Anima*, *textu* 6.

QVÆSTIO X.

De Discvrsv.

De Discursu Artificiali egi *in Logicis*; nunc de Naturali. Definitur autem: *Cursus intellectus, de re nota, ad ignotam*. Discursus quidem 132
artificialis videtur Argumentatio, quia positis quibusdam artificiosè, aliud sequitur; Notitia tamen discursiua, differt ab argumentatione, quia argumentatio est instrumentum notitiæ.

Hinc habes, in discursu posse interuenire deceptionem, vel quia non sequitur regulas argumentationis; vel quia nititur naturaliter falso fundamento, & hinc artificiosè discurrere putat.

Assero primò, discursum esse necessarium. Si enim intellectus attendat ad præmissas rectè dispositas,

sitas, necessariò infert. Hinc Aristoteles definit, Discursum esse, in quo quibusdam positis, necessariò aliud sequitur. Non coactè autem sequitur consensus; sed modo connaturali, inclinante ad veritatem. Ità Diuus Bonauentura, *in primo, dist.* 8. *part.* 1. *artic.* 1. *quæstione* 2. Diuus Thomas, 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 6.

Assero secundò, Discursum esse vnum actum; Est enim vnus motus ab apprehensione, quæ est terminus *à Quo*, ad conclusionem, quæ est terminus *ad Quem*.

Assero tertiò, esse vnum actum compositum.

Probatvr. Si enim esset simplex vnus, iam semper totus esset, aut verus, aut falsus; sed sæpè pars est vera, *verb. grat.* deductio, non autem iudicium: Ergo.

Qværes: An detur alia operatio intellectus.

Respondetvr, dari etiam Ens rationis chimæricum. Ità Diuus Bonauentura *in primo, distinctione* 37.

Hic verò actus est realis ex parte potentiæ; licèt chimæricus ex parte Obiecti, & Finis.



SECTIO V.

DE VERBO.

133 Verbvm non Grammaticale percurro, quod est pars orationis coniugabilis per tempora, & modos; Sed Verbum mentis quod sonat, *Verum dico*; atque adeò primò significat verbum mentis, quo primò dicitur verum; hoc autem exprimitur per verbum externum, quod significat verberare aërem, quo exprimitur veritas, mente concepta. Fuit autem Verbi nomen translatum ab interno ad externum; Nam antequam aliquis extrà loqueretur, erat Verbum in Diuinis, vt dicitur *Ioan. primo*, & notat D. Bonauent. ad eum locum. Hinc etiam Diuus Augustinus 15. *de Trinitate*, *cap.* 11. ait: *Verbum, quod foris sonat, est signum verbi, quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen. Nam illud, quod profert carnis ore, vox verbi est.*

Hinc perperam ait Erasmus, Verbum Dei esse simile verbo extrinseco; & ideò vocandum esse magis Sermonem. Dicitur enim *Verbum* à Diuo Ioanne, & assimilatur verbo nostræ mentis, vt Patres loquuntur. Et Sanctus Doctor ostendit *primo, dist.* 27. *part.* 2. *quæst.* 4. Ethymologiam verbi, & differentias verbi externi, & interni habes, *tract.* 2. *disp.* 9. *sect.* 1. *quæst.* 1.

Dari Verbum, *loco citato* prælibaui, illudque esse conceptum mentis: Attamen latiùs examinanda est hæc quæstio hîc.

QVÆSTIO I.

Quid sit Verbvm.

Prima opinio est Scoti *in primo, dist.* 2. *quæst.* 7. & *dist.* 27. in solutione primæ quæstionis, & aliis locis apud Mastrium *disp.* 6. *quæst.* 3. quem sequitur Faber *in primo, disp.* 21. Rada *contr.* 7. Poncius *disp.* 6. *quæst.* 10. Vtinens. *tract.* 10. *quæst.* 2. *artic.* 1. *sect.* 3. Suar. *de Trinitate, lib.* 1. *cap.* 6. & 7. & *lib.* 3. *de Anima, cap.* 5. & aliis *locis adductis, quæst.* 4. *sect. præcedentis.* Ruuius, *lib.* 3. *de Anima, tract. de Actu intellectus possibilis, quæst.* 31. & 4. Vasq. *p.p. disp.* 141. *num.* 26. & *disput.* 112. *num.* 13. & *tom.* 1. *disp.* 38. & alij. Hi dicunt, Verbum esse ipsam intellectionem productam, non quamcunque, sed expressiuam, & declaratiuam Obiecti.

Secvnda Sententia est, Verbum esse conceptum, & similitudinem rei intellectæ, productum per actum intellectionis. Ità D. Thomas *prima primæ, quæst.* 27. *art.* 1. & *quæst.* 34. *art.* 1. *ad* 2. quem sequuntur Thomistæ. Hi igitur volunt, Verbum, esse terminum intellectionis, quam actionem esse sustinent. Vide ibi Caietanum, Bannem, Molinam, & Capreolum *in primo, dist.* 27. *quæstione* 2. *conclus.* 5. Accinunt Iuuet. *cap.* 16. *de Anima*, & alij allati *loco citando*, Complutens. *dist.* 21. *quæst.* 3.

Hæc est aperta scientia Seraphici Doctoris *in primo, dist.* 27. *part.* 2. *quæst.* 2. 3. & 4. quem sequitur Forestus *de Trinitate, disputatione* 5. *de Verbo, cap.* 2. 134

Assero primò, Verbum esse prolem mentis, productam per actum immanentem, qui est Intellectio; non autem esse formaliter ipsam intellectionem.

Probatvr primò ex dictis, *tract. de Trinitate, disp.* 2. *quæst.* 4. & *disp.* 9. *sec.* 1. vbi ostendi Verbum produci per actum intellectionis, quæ est actio; vbi etiam redargutiones Fauentini, Radæ, & aliorum elusi.

Probatvr secundò. Id, quo Anima repræsentat Verbum Diuinum, debet esse terminus productus per intellectionem; Sed tale est verbum mentis nostræ: Ergo. Maior probata est ibi, vbi ostendi, Verbum Diuinum per actum intellectionis esse genitum. Minor probatur à Seraphico, *in primo, dist.* 3. *part.* 2. in illis quæstionibus ex multis locis Sanctorum Patrum, præcipuè Diui Augustini. Idem probat *distinctione* 27. *parte* 2. per multas quæstiones.

Probatvr tertiò. Deus Pater est intelligens, & non per Filium: Similiter & Filius, & Spiritus Sanctus: Ergo. Verbum non est intelligere. Antecedens apud Theologos est certissimum. Probatur: Si Pater esset sine Filio, esset sine Verbo: Ergo Pater sine Filio, non esset intelligens, Similiter Filius, & Spiritus Sanctus, qui sunt sine Verbo non intelligerent, quæ sunt absona Hoc est argumentum D. Bonau. *in primo, dist.* 9. *dub.* 4. Quod verò sint absona, patet, & probatur à Diuo Bonauentura ibi ex Diuo Augustino 6. *de Trinitate, cap.* 1. & *lib.* 7. *cap.* 1. & *lib.* 15. *cap.* 7. Idem colligitur ex Seraphico, *primo, dist.* 32. *in dubiis litt.* & *eadem distinct. artic.* 2. *quæst.* 1.

Probatvr quartò, argumento deducto ex quinto *ad oppositum* D. Bonau. *loc. cit. Dicere Patris,*

tris, est *Intelligere*, cum addito respectu ad personam, ex D. Anselm. *in Monolog. cap.* 28. Verbum Patris per actum dicendi manat: Ergo per actum intelligendi. Quod si Verbum est ipsa intellectio: Ergo ipse est dictio Patris, nec vllus terminus producitur per dictionem; atque adeò generatio Verbi est finita. Deinde sequitur, si Verbum est intellectio Patris formaliter, quod ante signum, quo fuit Verbum, Pater fuit ignorans, non intelligens; & ideò sapiens formaliter Sapientiâ genitâ, contra D. August. adductum à D. Bonau. *loc. cit.* Hoc Argumentum ferè sumpsit Caiet. *p. p. quæst.* 27 *art.* 1. licet degeneret.

135 PROBATVR quintò. Imago non est formaliter id, cuius est imago; sed Verbum, seu species expressa est imago, intellectionem exprimens: Ergo non est ipsa intellectio, sed aliquid productum per eam. Probatur hæc vltima illatio; Nam vna ex conditionibus Imaginis, est origo ab eo, cuius est imago, vt dixi *tract.* 2. *disp.* 9. *sect.* 3. Maior est certa. Minor probatur à Sancto Doctore, *loc. cit. arg.* 4. ex Diuo Augustino 15. *de Trinitate*, *cap.* 14. vbi ait: *Nouit Deus Pater omnia in seipso, nouit etiam in Filio*: Ergo & suam intellectionem. Confirmatur à D. Bonau. *arg.* 5. ex D. August. 11. *Confess. cap.* 7. vbi ait ad Patrem: *Verbo tibi coæterno dicis, quæcumque dicis*. Sed dicit, seu exprimit intellectionem: Ergo Verbo: Ergo Verbum est imago intellectionis, non igitur est ipsa intellectio formaliter.

SI dicant, Verbum esse intellectionem *in facto*, esse verò exprimentem intellectionem *in fieri*.

CONTRA: Nam, si Verbum exprimit intellectionem *in fieri*, cùm secundùm eos sit essentialiter ipsa intellectio, quam negant esse actionem, sed dicunt qualitatem; non ipsa (dicam) qualitas, seu intellectio illo modo, alioqui *in fieri*, erit vna res; Et alia *in facto esse*, quod est inaudibile.

DICES, hoc argumento ostenderetur, Verbum differre à seipso, quia repræsentat etiam seipsum.

RESPONDETVR, repræsentare seipsum, id est, exponere seipsum obiectiuè Patri, vt notat D. Bonau. *ad* 4. *adductum*; non tamen est imago sui, quia à se non originatur; sed est imago Patris, tanquam principij *Quod*, & intellectionis, tanquam principij *Quo*. Quòd autem procedat ex intellectione, patet; Nam, alioqui non esset Sapientia genita, contra D. August. *locis omnibus hic adductis*, & contra Scripturam, vt dixi, *tract.* 2. *disp.* 2. *quæst. cit. cap.* 4.

136 PROBATVR sextò à Seraphico, *dist.* 31. *artic.* 2. *quæst.* 2. *in fundamentis* ex D. August. 6. *de Trinitate*, & 7. *cap.* 2. Solus Filius est imago Patris, & eò expressiùs Filius, quò Imago, & Verbum: Ergo Verbum est formaliter similitudo, & eò expressior, quò est Verbum: Ergo non cognitio, sed terminus cognitionis est; quia cognitio ex dictis est actus vitalis, vt suprà ostensum est; Quidquid dicat Fauent. *cap.* 2. *n.* 28. Confirmatur à S. Doctore *in* 1. *dist.* 28. *part.* 2. *quæst.* 1 *in corpore* ex D. Anselmo, *in Monolog. cap.* 31.

VRGEO septimò Argumentum tertium ad hominem contra Scot. *loc. cit.* Fauent. *num.* 17. & Radam, *loc. cit.* Si Verbum esset formaliter intellectio; sequeretur, Patrem non esse ex se formaliter perfectum, atque beatum, contra Symbolum, vbi singulæ personæ *Perfectus Deus* definiuntur; non esset autem perfectus ex se, nisi esset ex se beatus. Vnde, si per impossibile, in Diuinis esset vna persona tantùm, illa esset beata. Probatur sequela, quia beatitudo in intellectione consistit; & intellectio Patris, cùm sit infinitè perfecta, est beatifica: Ergo si non produceret, non esset perfectè beatus. Hoc medium vrgent alibi Scotistæ.

RESPONDENT Scotistæ, vt Faber, *num.* 28. Patrem habere suum Intelligere essentiale, formaliter distinctum priùs ipso Dicere, & ità independens, vt, si per impossibile auferretur vnum; non tolleretur alterum, atque adeò in eo primo esse beatum à se.

CONTRA arguo primò, quia beatitudo perfecta Dei requirit intellectionem infinitam simpliciter. Tunc sic: Vel intellectio essentialis, quæ per se, est formaliter distincta à notionali, est infinita simpliciter; vel non. Si non: Ergo imperfecta. Si infinita simpliciter: Ergo includit omnem extrinsecam perfectionem possibilem in intellectione; at intellectio etiam notionalis, & ipsum Dicere, est infinitum simpliciter per se, *in* 2. *disputat.* 3. Passim: Ergo & hæc necessaria est ad beatitudinem; sed notionalis per se, est Verbum: Ergo Pater per Verbum est perfectè beatus. 137

CONTRA arguo secundò. Si ablato *Intelligere*, non auferretur *Dicere*, vt concedis, iam *Dicere*, careret perfectione, quæ in *Intelligere* includitur, per quam Pater ipse beatus esset; Ergo iam *Dicere*, non esset formaliter infinitum simpliciter: Ergo finitum.

CONTRA arguo tertiò, argumento Caietani, *loco citato*, desumpto ex Diuo Bonauent. suprà adducto, *argumento* 5. & 4. Quando aliqua causa habet duos effectus, sibi subordinatos, ità quòd alter non sit causa alterius, essentialiter est comparatio effectus independentis ab alio effectu ad causam, quàm ad alterum effectum, itavt, si alter effectus tolleretur; non tolleretur, quin hic adhuc referretur ad causam: Sed intellectus in actu primo est causa habens hos duos effectus, scilicèt *Intelligere*, & *Dicere*, ordinatos inter se, itavt neuter sit causa alterius: Ergo, si per impossibile subtraheretur *Intelligere*, non ob id tolleretur *Dicere*; Et sic ista conditionalis implicat manifestam contradictionem; quomodo enim potest producere aliquam notitiam, si nihil consideret? Propositiones assumptæ sunt Scoti: Maior, *in* 3. *sent. dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 3. Minor est euidens *in primo*, *dist.* 7. *quæst.* 7. vbi suprà.

RESPONSIO Fauentini est futilis, ex dictis confutata: Respondet enim concedendo, quod *Intelligere*, & *Dicere* sunt actus, ità formaliter distincti; vt si tolleretur *Intelligere* Patris, adhuc diceret; Hinc tamen non sequi: quod in eo casu non consideraret, quia adhuc producit Notitiam genitam, ideò non sequitur, quod *Dicere*, non sit *Considerare*, sed solùm, quod non sit formaliter *Intelligere*. 138

CONTRA primò: Nam petit principium; debet enim soluere Argumentum inducens hanc sequelam: Sequeretur intellectum, in eo casu, non considerare; & tamen gigneret notitiam. Quomodo enim considerat, si Notitia non est, nisi effectus productus: Debet autem formaliter ostendere, quomodo consideret gignendo. Certum est autem, considerare, etiam secundùm Scotum, & Fabrum *in* 2. *distinct.* 2. saltem essentiam suam. Hoc verò prius est; nam est principium notitiæ, vt ipsi *loco citato* inferunt dicentes, quod si Verbum ex notitia Verbi gigneretur, produceretur à seipso: Ergo esset, antequam sit. Deinde hæc responsio confutabitur in fine ex Diuo Augustino. Neque saluabitur Faber dicens, tunc Patrem consideraturum; quæ consideratio, non esset formaliter *Intelligere*, quia intellectio in receptione intellectionis consistit: Nam, vt dixi, *tractatu* 2. *disp.* 2. *quæstione* 4. Considerare, est Intelligere. Deinde tota intellectio Dei, est purissimus actus; alioquin poneret in Deo potentiam imperfectam, nempè, perfectibilem per receptionem: Ideò

ipse ibi hanc responsionem excludit, extra chorum saltans.

139 QVOAD nostrum *Intelligere*, Dicit, non posse esse sine *Dicere*, vel è contra; non quia sint vnum, sed quia *Dicere* est actus, qui naturaliter terminatur ad *Intelligere*, siue ad intellectionem, tanquam ad effectum proprium, & per ipsum productum; & sic impossibile est, intellectum dicere, & non intelligere, quia impossibile est, aliquid producere, & illud non esse productum; Sunt tamen actus diuersi; nam producere intellectionem pertinet ad intellectum agentem: Et intelligere formaliter, quod est pati, spectat ad possibilem, & in hoc, scilicet in recipienda intellectione, stat formalitas intellectionis.

HIC aduerte, Fabrum, maiorem connexionem, & vnitatem ponere inter Dicere, & Intelligere creatum, quàm inter Diuinum; atque adeò maiorem simplicitatem. Doctrina verò eius de formalitate intellectionis reiecta est, *sect.* 4. *quæst.* 3.

OBIICIT Scot. *loco* suprà *adducto*, & Fauentin. *cap.* 1. initio, & Rada, *loc. cit.* Verbum est actus intelligentiæ ex S. August. *de Trinitate, cap. vlt.* & *lib.* 10. *cap.* 11. appellat Verbum *Notitiam*, & notitiam vocat *Intelligentiam*. & 15. *de Trinit. cap.* 10. & 14. & 2. ait: *De memoria nasci verbum*, appellat autem Memoriam *Scientiam*.

RESPONDETVR, Verbum esse notitiam, id est, id quo noscitur intellectio; vnde D. August. vocat illud, Notitiam formatam, 15. *de Trinit. cap.* 16. reliqua soluta sunt, *tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 4. & *disp.* 9. *sec.* 1. *quæst.* 2.

PONIT Faber, *loc. cit.* definitionem Verbi: *Verbum est actus intelligentiæ, productus à memoria perfecta, non habens esse sine actuali cogitatione, repræsentans Verbum Diuinum.*

VBI notat ex D. August. 15. *de Trinit. cap.* 15. habere illam particulam: *Verbum non sine actuali cogitatione gigni*; Et hanc interuenire etiam in generatione Verbi Æterni docet, *loc. cit. num.* 28. vt soluat argumentum Caietani, seu D. Bonau. suprà.

140 SISTO hic, examinans, quæ dicit D. August. ibi Scil. 15. *de Trinit. cap.* 15. Primò igitur ait, *Verbum verum non esse, nisi gignatur de re, quæ scitur.* Vnde deducit, *Verbum esse falsum, cùm fallimur. Cùm autem dubitamus, de ipsa dubitatione verbum est, non de re, de qua dubitamus; & cùm mentimur scientes, falsum verbum habemus, vbi verum est mentiri nos, hoc enim scimus.*

ADDIT, *Verbum Diuinum non posse falsum esse, quia à Patre est, quia Pater ipsum loquitur. Et hoc esse verum Verbum; imò nec verbum dicendum esse, quod verum non est.* Subdit: *Cùm Verbum nostrum est verum, non posse dici essentiam de essentia, sicut Verbum Diuinum. Ratio est, quia non est nobis idem esse, ac nosse; Et multa obliuiscimur, licet multa adhuc viuant in memoria.*

EA *verò, quæ semper quidem sciuntur, tamen quia non semper cogitantur, quomodo de his dicatur Verbum sempiternum, cùm verbum nostrum nostra cogitatione dicatur, inuenire difficile est.* Addit: *Quomodo est verbum, quod nondum in cogitationis visione formatum est?*

CAPITE verò 19. ait; *Verbum non esse cogitare, quia simplicissimum est: Cogitatio quippè nostra perueniens ad id, quod scimus, atque inde formata, verbum nostrum verum est.* Hoc testimonio contra nos vtitur Suar. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 7. Et Fauent. *loc. cit.* At S. Augustinus *ibi* vult tantùm, Verbum esse formam cognitionis; non ipsam cognitionem.

141 HINC igitur primò habemus, ad Verbum perfectum gignendum requiri scientiam actualem, non cogitantem, sed intuentem. Hoc autem absque intellectione, quis audet dicere fieri valere? Falsò igitur ait Fauentinus suprà, Verbum Diuinum dici cogitando, non intelligendo: Nam vult concipi cognitione, & intellectione. Deinde excludit cogitationem, quæ imperfecta intellectio est, vt in nobis ostendit Sanctus Augustinus.

DEINDE habetur, verbum etiam in nobis non esse, quod nondum in cogitationis visione formatum est: Ergo requiritur intellectio; non enim, ait, in cogitatione visionis stat Verbum. Sed è contra.

CONSEQVENTER habetur tertiò, cogitationem nostram non esse Verbum; sed quod debet peruenire ad scientiam actualem, & inde verbo formatâ illâ nostra actione, scientia nostra habet verbum verum productum.

FALSISSIMVM igitur dicit Fauent. suprà, *n.* 28. ad argumentum Caietani, Verbum in Diuinis esse cogitare; non intelligere; imò etiam in nobis, quia cogitatio non peruenit ad producendum Verbum, nisi dum actu scit, & intelligit: Igitur remoto à Deo Patre intelligere, falsum est eum adhuc dicturum.

ASSERO secundò, Verbum esse qualitatem in creaturis. Probatur ex dictis: Non enim est substantia, nec aliud potest inueniri, sed species producta. 142

PROBATVR. Similitudo ad qualitatem spectat; Sed Verbum est formaliter similitudo ex August. 9. *de Trinit. à cap.* 7. vsque *ad* 10. & *lib.* 15. *à cap.* 10. vsque *ad* 13. Ita D. Bonau. *in* 1. *dist.* 27. *part.* 2. passim; & *dist.* 32. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad argumenta*, vbi dicit, Verbum esse id, in quo primo intelligens cognoscit, tanquam in exemplari, & obiecto: Negat tamen esse id, *quo* in Diuinis, sed tantùm in creatis id conceditur. Ità etiam D. Thom. *quæst.* 4. *de veritate, art.* 2. *ad* 3. & *de potentia, quæst.* 9. *art.* 1. & suprà, *Ioan. cap.* 1.

HINC colliges, in quo Verbum differat à Specie impressa, ab Imagine, Idea, & Intellectione.

SPECIES enim hæc non est quid conceptum ab intellectu. Secundò est prior intellectione repræsentatiua obiecti; Verbum verò est terminus intellectionis, ad quam exprimendam, ne dum obiectum ipsum concipitur.

AB Imagine verò differt; Hæc enim immediatè exprimit id, cuius est imago: Verbum autem non exprimit id, cuius est Verbum; non enim exprimit intellectum; sed intellectionem, & rem intellectam. 143

QVOD si in Diuinis Verbum exprimit Patrem, hoc non est ex vi Verbi; sed quia est eiusdem essentiæ cum Patre, eique per omnia æquale. Ideo qui videt Verbum, videt etiam Patrem gignentem. Eadem ratione Verbum Diuinum exprimit obiecta, ex quorum intellectione gignitur; Nam omnia videntur in Verbo, non vt Verbum formaliter, sed quatenus Verbum Diuinum; etiam vt Deus est, in cuius essentia omnes similitudines licet intueri.

DIFFERT ab Idea, quia Idea se tenet ex parte causæ efficientis dirigendo; Verbum autem habet rationem effectus.

DIFFERT ab Intellectione; sicut terminus à sua actione reali, vt dixi *tract.* 2. *disp.* 9. *sec.* 2. *quæst.* 3. Ex his habes, non esse superfluum, vt dicunt Scotistæ, Verbum esse ab intellectione distinctum.

QVÆSTIO II.

An VERBVM *producatur per actum intelligendi.*

PRIMA opinio est, Verbum esse ipsam intellectionem, procedentem per alium actum, qui est *Dicere*. Ità Scot. & Fauent. suprà *citato cap.* 9. & idem 144

idem Scot. *quodl.* 8. Mastr. *disp.* 6. *quæst.* 3. Durand. & Gabriel, *dist.* 27. vbi etiam Scotus.

Qvod si Patres dicunt aliquando, intellectum producere Verbum, volunt dicere (aiunt isti) producere intellectionem.

Commvnis tamen sententia est, Verbum produci per actum intellectionis. Ità D. Bonau. *in primo, dist.* 27. *part.* 2. passim, & *dist.* 32. *art.* 2. Et sæpè D. Thom. quos sequuntur communiter Theologi, Suarez 3. *de Anima, cap.* 5. *num.* 11. & alij. Vasq. *p. p. locis adductis* à nobis, *tract.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 4. vbi alios retulimus. Adde Petr. Iunet. *cap.* 16. *de Anima.*

Assero primò, Verbum non produci sine intellectione; imò per intellectionem produci.

Probatvr primò. Id, quod producitur per se, producitur per actionẽ propriam potentiæ, sed actio propria potentiæ intellectiuæ est intellectio. Ergo.

Confirmatvr. Si enim intellectio solùm materialiter, & veluti per accidens gigneret Verbum; sequeretur, Patrem intelligendo, suam essentiam, quasi per accidens, generare Verbum. Confirmatur secundò. Verbum est Proles nobilissima, & Sapientia Intellectus: Ergo debet actione intellectus nobilissima gigni. Talis est intellectio: Ergo.

145 Assero secundò; Verbum non produci per actum dicendi Scoticum, qui non sit intellectio.

Probatvr. Vel illa actio, quà producitur Verbum, est productiua Verbi, vt actio est; vel vt talis actio.

Respondent Scotistæ, producere Verbum, vt est talis actio, quæ est dictio, qua producitur Verbum, qui est intellectio.

Qværo: Vndenam habet, vt sit talis actio, id est, Dictio intellectus? Sanè, non aliundè quàm quia concipit: Ergo vt intelligit; quid enim est dicere Verbum, nisi cogitando intueri, vt dixit S. Augustinus 15. *de Trinitate cap.* 15.

Probatvr verò. Omnis actus potentiæ est actus formaliter talis potentiæ, vt patet discurrendo, omnis actus visiuæ est visio; auditiuæ auditio; sed Dicere est actus potentiæ intellectiuæ: Ergo est intellectio formaliter, non autem solùm causaliter, quatenùs sit causa intellectionis, vt sæpè confingit Fauent. *in* 1. *disp.* 21. & Mastr. *loc. cit.* negans, omnem actum potentiæ visiuæ, esse visionem formaliter.

146 Assero tertiò, Verbum produci per actum intellectus, qui est *Dicere*, Patet ex dictis, *tract.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 4. & *disp.* 9.

Probatvr: Illius actus est producere Verbum, qui est loqui, ex D. Augustino adducto à D. Bonau. *in primo, dist.* 27. *part.* 2. per multas quæstiones. At loqui est actus intellectus dicentis: Ergo.

Hinc habes, verum esse quod ait Bellarm. *tomo primo Controu. lib.* 1. *cap.* 6. *de Christo*, productionem Verbi assimilari generationi; nam Mens habetur loco Patris; Obiectum loco Matris; species quasi materia generationis; Verbum loco Prolis; & ità ex complexu mentis, & obiecti, mediante specie, hic partus, id est, Verbum, nascitur. Idem habent Sancti Patres, & Theologi, *locis citatis.*

Assero vltimò, non per omne intelligere produci Verbum.

Probatvr: Nam Deus, vt vnus; Similiter Filius, & Spiritus Sanctus intelligunt, nec tamen gignunt Verbum. Adde Verbum non produci ex necessitate, seu indigentia obiecti, sed ex fœcunditate; alioquin nec Pater gigneret Filium, nec forsan Beati producerent Verbum in beatifica visione, quod est falsum, vt vidimus *tract.* 1. *disp.* 11. *quæst.* 4.

147 Argvmenta Scotistarum soluta sunt, *tract.* 2. *disp.* 2. *quæstione* 4. & *disputat.* 9. *sec.* 1. *quæst.* 2.

Nota primò, per Verbum manifestari ab intellectu, actus intellectus, adde, & voluntatis, sed diuerso modo: Nam actus intellectus notificantur in ipsa naturali intellectione, *v. g.* eo ipso, quod intelligo hominem, & intelligendo concipio, manifesto ipsam intellectionem: At verò actus voluntatis non potest exprimi ab ipsa, cui non conuenit dicere, cùm sit proprium intellectus intus, & linguæ extrà; Tunc igitur intellectus famulatur voluntati ad declarandos eius effectus; quo pacto, loquentes soli Deo, affectus nostros explicamus.

Nota secundò, ex vi naturæ intellectus, posse eum omnibus suis actibus Dicere: Attamen potest per aliud euenire impedimentum, qua ratione Filius, & Spiritus Sanctus intelligunt, nec dicere valent, quia ad Dictionem in Diuinis, requiritur fœcunditas, quæ primitatem exigit, vt docent Thomistæ cum Diuo Bonauent. *in primo, dist.* 27. *part.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. & sæpè dixi.

Nota tertiò, non per omnem actum imperfectum intellectionis gigni Verbum: Est enim Verbum expressiuum conceptus; expressio autem importat aliquam affirmationem in nobis expressione veritatis; vt docet D. August. *de Trinitate, cap.* 15. hanc verò non semper intellectus elicit.

Igitvr solo actu perfecto concipitur. Ità D. Bonau. *in primo, dist.* 27. *quæst.* [illegible]*tima*: Ipsum vide.

Hinc malè Scot. & Fab[illegible]cere conantur, 148
non produci Verbum per exp[illegible]onem intellectiuam, quia omnis intellectio est expressiua; Hoc enim falsum est.

Qværes: An Verbum producatur effectiuè ab obiecto. Respondetur ex dictis *disput.* 4. *cap. vltim. quæst.* 10. negatiuè. Ità D. Bonau. *in* 2. *dist.* 23. *art.* 2. *quæst.* 1.

Probatvr. Quod facit intellectionem, producit etiam Verbum; Sed obiectum non facit intellectionem: Ergo. Minor probatur. Intellectio enim est actus vitalis proprius intellectus, si autem obiectum efficeret intellectionem, iam intelligeret. Vide quæ dixi *loco citato*, vbi responsiones Fauentini, & aliorum euulsi.

QVÆSTIO III.

Propter quid sit Verbvm.

Assero primò, non propter indigentiam obiecti produci Verbum, sed ex naturali fœcunditate, ad exprimendum primò intellectionem; Secundò obiectum. Prior pars probatur; alioqui nunquam produceretur Verbum, præsente obiecto, sic nec Pater gigneret Filium, vt de fide gignit; neque Beati formarent Verbum in visione beatifica, quod ostendimus, *tract.* 1. *disput.* 11. *quæst.* 4. & sequitur Suar. ibi, & hìc, *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 23.

Posterior pars probatur primò, quia Ver- 149
bum gignitur in intellectione obiecti, vt latè prosequitur Lessius *de Summo bono, cap.* 16. Sed verbum oris exprimit oris conceptiones: Ergo.

Hinc patet ad argumentum Caietani, qui sic arguit: Species impressa non sufficit ad constituendum obiectum in præsentia: Ergo.

Respondetvr, falsum esse; Nam nihil repræsentatur intellectui, quin per sensum transierit: Ergo signum est fieri præsens per speciem impressam.

Obiicies secundò ex Aristotele 2. *de Anima, text.* 60.

text. 60. In hoc distinguitur sensus ab intellectu, quod sensus habet obiectum exterius; intellectus verò interius; hoc autem non est ratione speciei impressæ; nam etiam sensus eam habet: Ergo euenit ratione expressæ.

RESPONDETVR sensum versari circa obiectum exterius, quia circa singulare: Verbum verò circa interius, quia respicit vniuersale, quod habet esse solùm in Anima.

QVÆRES: An cognitio terminetur priùs ad obiectum, quàm ad verbum.

RESPONDETVR, Verbum difficile cognosci; est autem terminus, à cognitione ad eam exprimendam efformatus.



SECTIO IV.

DE VERITATE INTELLECTIVA.

QVANTVMVIS inclinetur forma in Materiam, & hæc illam vicissim appetat, non priùs tamen vniuntur, quàm alterius aliquid in altera, quo sibi mutuò conformentur, & veluti subarrhentur, recipiatur. Appetit sanè possibilis Intellectus rerum omnium cognitione dotari? sed vt hoc Naturæ suæ desiderium assequatur, exigit, vt entitatulis quibusdam intentionalibus, tanquam Veritatis Arrhis, informetur, in quarum expressione suam depromit veritatem; De hac veritate, vt est commensuratio quædam rationis intelligentis cum re intellecta, hîc disputamus.

QVÆSTIO I.

An detur, & quod modis consideretur. VERITAS.

150 DARI Veritatem, non est qui neget: Luce enim clariùs hæc Veritas in omnium oculis emicat. Nam qui Veritatem negaret existere, seipsum, in eo quod assereret, verè mendacem conuinceret. Et ità Veritatem ipso etiam mendacio fateretur.

QVONIAM autem nomen Veritatis est analogum attributionis, primò quidem significans aliquid, cui per se conuenit; Deinde cætera per attributionem, eo ferè modo, quo Sanum primò dicitur de Animali; secundò autem de vrina; cibo, &c. per attributionem, vt docet D.Thom. *p.p.quæst.* 16. *art.* 1. & post eum Greg. de Valent. *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 16. *punct.* 1. Primò autem Veritas intellectus stat in actu intellectus, prout conformis est rei intellectæ, ex quo veritas ipsa definitur *Conformitas intellectus ad rem intellectam*: Veritas autem rei transcendentalis consistit in eius conformitate ad Exemplar, quod est Idea Diuini intellectus, vt ait D.Bonau. *in* 1. *dist.* 3. *p.p. dub.* 3. Vnde illud est verum aurum, quod est conforme Ideæ auri, in mente Diuina existenti, & ità in omnibus rebus. Itaque alio conceptu, res est vera; alio, intellectus est verus; alio, propositio est vera, quia hæc eatenùs est vera, quatenùs refertur ad veritatem, quæ est in intellectu, & illi consono, eiusque signum est: Res autem dicuntur veræ, quatenùs conformantur intellectui Diuino, à quo pendent in esse, vt docet D.Thom. *loc. cit. art.* 1. & 6. Ideò de veritate agit D.Thom. *p.p.* post quæstionem de scientia, & Ideis Diuinis, quem sequuntur communiter Thomistæ. Nos autem incipimus agere de Veritate, cùm de Intellectu creato agimus *in Libris de Anima*; Hinc ad diuinam veritatem contemplandam ascendamus. Quia tamen veritas, prout est passio entis, est in rebus ipsis, seu entibus prædicatum conuertibile; sicut vnum, & bonum. Ideò de Veritate, hoc sensu agit Metaphysicus. Enim verò, quia Veritas principaliùs est in intellectu; in rebus verò secundariò, in quibus in ordine ad intellectum à quo dependet, consideratur; Ideò de ea principaliter pertractatio ad Animasticum spectat.

QVÆSTIO II.

Quid sit VERITAS *Intellectionis.*

COMMVNITER definitur hæc Veritas: *Conformitas, seu adæquatio intellectus cum re intellecta*. Ita D.Bonau. *in* 1. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad argum.* & *dist.* 46. *art.* 1. *quæst.* 4. & *in* 2. *dist.* 36. *quæst. vlt.* D.Thom. *de veritate, quæst.* 1. *art.* 1. & *primo cont. Gent. cap.* 59. & *p.p. quæst.* 16. *art.* 1. & 2. & ferè omnes Philosophi, ac Theologi; ex quo patet, rei veritatem; & veritatem intellectus, non dici vniuocè; valdè enim diuersæ sunt ambarum definitiones; Nam veritas rei est *conformitas eius ad exemplar, in mente Diuina existens*, vt suprà cum D. Bonau. notaui. Hæc verò, *conformitas intellectus ad rem*, vt ait Fuliens. 2. *Metaph. cap.* 3. *art.* 3. Iuuet. *cap.* 2. 151

IAM verò hæc conformitas non est aliqua similitudo fundata in qualitate, existente in vtroque, vt fundamentum relationis æquiparantiæ. Si enim aliqua esset causa, esset species, vel expressa, vel impressa. Neutra autem potest esse, vt notat Molina ad locum citatum D.Thomæ. Primò, quia veritas in actu intelligendi posita est, ac constituta, & in conformitate cognitionis; species autem non est cognitio. Deinde verò, datur veritas in aliqua cognitione, quæ fit absque specie aliqua, qualis est cognitio Dei essentialis: Similiter cognitio Filij, & Spiritus Sancti, quæ est summa veritas, sine aliqua specie impressa; & sine verbi productione.

EST igitur hæc conformitas proportio, vel conuenientia intellectus ad rem intellectam, quatenus intellectus se habet ad rem ipsam in eius cognitione; sicut ipsa se habet ad seipsam in sua entitate, vt notat D.Bonau. *in* 1. *dist.* 3. *part.* 1. *argum.* 1. *ad oppositum*, & *dist.* 30. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. Vnde *dist.* 38. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4. air, Veritatem venire ex concordia intellectus ad rem intellectam, quatenus intellectus debet se per omnia in sua assertione attemperare ipsi rei, non quod fiat ipsa res entitatiuè, sed repræsentatiuè, & hoc sonat Aristotelis dogma: *Sicut res se habet ad esse*; *ità & ad agnosci*; & intellectum omnia fieri, non modo ratione speciei; sed quia omnibus se attemperat, vt nihil rei tribuat, quod ipsa non habeat, nec aliquid arripiat à re, quod ipsa habeat. Perbellè Aristoteles ipse, *decimo Metaph. text.* 5. comparat hanc 152

conformi

conformitatem, mensuræ, quæ se accomodat rei mensuratæ; sic enim intellectus se accommodat rei cognoscibili, commensurando prædicata, &c.

Hinc igitur habes, hanc commensurationem, non esse secundùm entitatem, sed secundùm conformitatem, & hoc etiam Deo necessarium est: Deus enim intelligit res complexas, vt complexas; & itá se conformat rebus; tametsi non fiat complexus, nec modo complexo intelligat, nec à rebus ipsis dependeat in cognitione.

Hæc autem conformitas in ea cognitione, quæ per speciem fit, à specie inchoatur; quia enim species est similitudo obiecti, illudque repræsentat, est in causa, vt intellectus veram eliciat obiecti cognitionem. Itá D. Bonau. *serm. 2. de luminaribus*. Similiter in cognitione productiua Verbi, adest non solùm in cognitione, sed etiam in verbo conformitas. Itá D. Bonau. *serm. 3. Hexaëmer.* Ideò etiam Verbum dicitur verum, & quidem Diuinum perfectissimè, creatum verò similitudinariè; nam veritas creata, ad Diuinam comparata, potiùs similitudo veritatis, quàm veritas est asserenda.

Qvæ autem sit dependentia intellectus à re intellecta, vt verus sit, paucis dicam.

Primò quidem scias, veritatem reperiri in intellectu creato, & in increato, hoc discrimine: Intellectus increatus non pendet a rebus scitis, eo modo, quo pendet creatus, vt docet D. Bonauent. *in primo, dist. 39. art. 2. quæst. 1.* licèt enim intellectus Diuinus in hoc pendeat, vt requirat obiectum cognoscibile, & eo modo cognoscat obiectum, quo est, attamen ab obiecto non pendet; tum quia obiectum à Deo est; tum maximè, quia non ab aliquo creato accipit cognitionem, sed a seipso, & in seipso omnia nouit; itá, vt ipse sibimet sit ratio cognoscendi, & cognoscens, ac suo modo res cognoscibilis: E contra, intellectus creatus accipit cognitionem ab obiecto, & itá differunt cognoscens, cognitum, & ratio cognoscendi, nisi forte, dum intellectus seipsum cognoscit, tunc etenim idem est cognoscens, & cognitum.

Fateor verò, etiam Deum in intelligendo seipsum, pendere à seipso: Prius enim est, esse in se Deum, quàm intelligi à seipso.

Ratio autem, cur Dei cognitio non pendet à rebus, est, quia in seipso habet omnia eminenter, & ipse modo artificis est causa omnium; ideò in seipso videt quæcunque facturus est, & facere potest, tanquam in causa exemplari, & efficiente. Ideò enim res vera est, quia conformatur exemplari suo existenti in mente Dei, *v.g.* verus ignis, vera terra, &c.

153 Addam, aliquando in cognitione practica veritatem notitiæ deriuari ab intellectu in rem, vt euenit in his, quæ ab intellectu ad libitum confinguntur, *verb. grat.* verum ornamentum Corinthium templi, sunt columnæ, fornices, & alia ab intellectu adinuenta: At verò in his, quæ talia debent fieri necessitate finis, veritas intellectus venit à re. Sic illa est vera securis, quæ habet talem aciem ad scindendum, & ideò talis debet ab intellectu ideari, & exponi potentiæ artificis. Cogitur ergo intellectus se conformare necessitati rei.

Veritas autem notitiæ in intellectu creato speculatiuo, pendet à rebus, tanquam ab obiecto, & termino, quatenùs ab ipsis est veritas inchoatiuè, quæ consummatur in actu intellectus. S. Bonauent. *in primo, dist. 46. quæst. 4.*

Probatvr; quia ab eo, quod res est; vel non est, fit, vt notitia sit vera, vel falsa. Verùm hoc est per accidens; nam si intellectus priùs esset, quàm res, veritas inchoatiuè, & completiuè esset in intellectu, vt euenit in Deo. Hoc etiam accidit in nobis, dum cognoscimus entia rationis, quæ sunt post intellectum; sunt enim facta ab eo. Tunc autem res exigetur solùm vt terminus, ad quem relatio conformitatis ordinatur; nam sicut in veritate creata, non veritas est causa, vt res sit; sed potiùs res videtur causa, vt veritas sit ex Arist. *in post prædicamentis, cap. de priori.* Itá è contra, in veritate increata, non res est causa veritatis; sed veritas est causa rei; causa inquam non productiua, sed directiua, & exemplaris. Quòd, vt percipias, nota, veritatem esse relationem conformitatis formaliter, cuius termini sunt res, & intellectus; relatio autem consurgit aliquando, factâ mutatione in vno solo extremo, vt, cùm paries est iam albus; si alius dealbetur, incipit consurgere relatio, facta mutatione, non quidem in priori pariete, qui iam albus erat; sed in hoc nouiter albato. Aliquando verò consurgit realiter, facta mutatione in vtroque extremo, vt, cùm duo parietes dealbantur, incipiunt inuicem se respicere relatione æquiparantiæ. Itá euenit in casu nostro in intellectione creata, fundamentum veritatis est ipse intellectus Diuinus, & ideò consurgit realiter, adueniente re, quæ intellectui conformatur Diuino; In veritate verò creata fundamentum relationis est in ipsis rebus; consurgit autem relatio, adueniente actu intellectus, semper tamen veritas formaliter est in intellectu, & ab intellectu. Hinc collige, veritatem formaliter non esse rem adæquatam intellectui, sed adæquationem ad intellectum in Deo; At in nobis esse adæquationem intellectus ad rem. Ita Diuus Bonauentura *serm. 3. Hexaëmer.*

QVÆSTIO III.

An Veritas *sit ipsa* Notitia; *an verò aliquid addat, & quid illud sit.*

Assero primò veritatem, & notitiam esse idem formaliter. Itá D. Bonau. apud Trigosium *quæst. 2. art. 1.* in expositione textus: *Notando quarto*, D. Thom. apud Capreolum, *in primo, dist. 19. quæst. 3.* 154

Probatvr. Quorum eadem est definitio, eadem est essentia: Sed veritatis, & notitiæ eadem est definitio: Ergo. Minor probatur; nam notitia definitur, esse iudicium conforme potentiæ cognoscentis ad rem cognitam; non enim est notitia, si sit deformis; sed est error: At hoc modo definitur etiam veritas: Ergo. Confirmatur, quia notitia completur in vnione potentiæ cum obiecto, quatenùs potentia secundùm actum fit quodammodo ipsum obiectum per conformationem, & attemperationem ad illud. Ita D. Bonau. *in primo, dist. 3. quæst. 1.*

Assero secundò; veritatem addere supra notitiam, solam extrinsecam rationis denominationem, quatenus intellectus apprehendit, veritatem modificare ipsam notitiam, & rem.

Probatvr, quia licet notitia non sit, quando res est falsa; attamen intellectus addit notitiæ, quod sit vera notitia.

Assero tertiò: Veritatem, prout idem est formaliter, cum actu notitiæ, & scientiæ, esse aliquid absolutum, & respectiuum simul. Quod sit aliquid absolutum patet, quia est de genere actionis, vel qualitatis. Quod verò habeat etiam quid relatiui, patet, quia notitia, & scientia refertur ad 155 scibile,

scibile, relatione reali, vt ait S. Bonauent. *in primo, dist. 30. quæstione vltima ad 3.* licèt scibile non referatur ad scientiam: Ideò dicimus, veritatem esse proportionem intellectus ad rem; non rei ad intellectum; quia res non refertur ad intellectum relatione reali, sed rationis, ad summum.

Obiicies primò cum Durando. Veritas non est in rebus extra intellectum existentibus: Ergo est merum ens rationis.

Respondetvr, negari consequentiam; nam illud solùm est merum ens rationis; quod est confictum ab intellectu; veritas autem est actus intellectus cognoscentis, & huius actus terminus est realis, realitate obiectiua, non formali.

Obiicies secundò D. Bonauent. *in primo, distinct. 46. quæst. 4. ad 3.* veritatem vocat qualitatem respectiuam.

Respondetvr, eum loqui de veritate orationis, quæ ad modum qualitatis afficit orationem; & refertur tota ad rem signatam, vt in tantum sit vera oratio; quatenus refert rem significatam, id est conceptum.

Dices S. Bonauent. *in primo, dist. 33. quæst. vlt.* dicit, veritatem, non dicere relationem.

Respondetvr, loqui de veritate rei, quæ absoluta est, & cum ente conuertitur.

Qværes, quodnam sit fundamentum relationis veritatis.

Respondetvr, fundamentum remotum, esse intellectum: Proximum autem esse talem actum intellectus. Ità S. Bonauent. *citata dist. 46. quæst. 4. ad 3.* nam in ipso actu inuenitur proportio, & conuenientia:

QVÆSTIO IV.

An Veritas *reperiatur in simplici Apprehensione.*

156 Dvbio procul intellectualis Veritas formaliter in actibus intellectus reperitur; sicuti transcendentalis in omnibus rebus est: Et quidem in iudicio, quo prædicata componentes, aliquid asserimus, vel negamus de aliquo, certum est, veritatem inueniri, vt docet Aristoteles *primo Perhierm. cap. 1.* & *3. de Anima, text. 21. & 26.* & *primo Poster. text. 33.* & *9. Metaph. text. 22.* & *secundo Reth.* ad Theodectem, *cap. 21.* & quod iudicium in speculatione secum fert; idem in practicis conuenit sententiæ, vt habetur *loc. cit. Rhet.* & *3. Nicom. cap. 3.* & *lib. 6. cap. 9.*

Est igitur controuersia; An etiam in simplici apprehensione sit reperire veritatem; atque adeò, & falsitatem.

Prima opinio est negatiua, quæ ideò videtur Aristotelis *locis adductis*, præcipuè *3. de Anima, text. 21. & 22.* Ità Caiet. *p. p. quæst. 17. artic. 2.* D. Thom. qui eiusdem sententiæ asseritur, quem sequitur *ibi* Vigner. & videtur Suar. *3. de Anima, cap. 6. num. 5.* Vasquez *loc. cit. D. Thoma.*

Secvnda opinio est affirmatiua; citatur malè D. Bonau. à Trigosio *quæst. 14.* in expositione textus *in primo, dist. 3. part. 1. quæst. 1. ad 4.* & *dist. 41. duabus postremis quæstionibus.* Scotus *6. Metaph. quæst. 3.* & alij Thomistæ, Iesuitæ, ac Fuliens. *2. Metaph. cap. 3. art. 3.*

Tertia opinio, media, concedit apprehensioni veritatem; sed negat falsitatem: Sic multi Aristotelis Interpretes apud Mastrium, & Bellutum, *disp. 6. quæst. 10. num. 283.* Fabrum *de pœnit. disputatione 9. num. 43.* Hurtad. *disp. 9. sec. 2.* Arriagam, *disp. 14. Logicæ, sect. 3.* Cauell. *disp. 3. de Anima, sect. 7.* Smisingh. *tract. 3. de Deo vno, disp. 1.* Vulp. *tom. 2. p. p. disp. 32. art. 2.*

Observa ex D. Bonau. *in 1. dist. 41. art. 2. q. 1.* apprehensionem Dei, non esse meram apprehensionem absque indicio: Cùm enim Deus vnico actu simplicissimo omnia perfectissimè comprehendat, sapientissimè iudicet, atque concludat, non autem per discursum more creaturarum rationalium, fit vt in qualibet eius apprehensione sit semper Veritas. Vnde non benè aliqui in hoc deducunt, idem in apprehensione nostra: quæ est sine iudicio, & operatio distincta. Quare sicuti in prima nostra operatione non est deceptio, vt aliqui moderniores primæ sententiæ docent; ità non video, quo pacto in ea ponant falsitatem; atque adeò & veritatem. Repugnat ergo apprehensioni creatæ demonstratio veritatis ex imperfectione eius, non ex præcisa notitia apprehensionis, & per hoc argumentum aduersariorum præcipuum ruit.

Assero, in prima operatione nostri intellectus, 157
non esse veritatem; vel falsitatem.

Probatvr primò à Diuo Bonauent. *in primo, dist. 38. art. 2. quæst. 1. ad vlt.* Veritas est adæquatio intellectus ad rem intellectam, quatenus id, quod est, affirmatur esse, & negatur id, quod non est; Sed hoc est iudicium, quod est secunda operatio intellectus: Ergo. Confirmatur ex Aristotele *6. Metaph. cap. 8.* vbi ait, Veritatem propriè esse in solo intellectu componente, & diuidente. Hoc argumento nituntur omnes ferè Recentiores secundæ sententiæ.

Respondet Gregorius de Valentia *disput. 1. quæst. 16. punct. 2.* Aristotelem intelligendum de veritate intellectus, vt cognita, ità vt sensus sit, veritatem, quæ consistit in conformitate intellectus ad rem, quæ est propriè veritas, non esse tanquam obiectum cognitum in intellectu apprehendente simpliciter, sed in componente.

Contra verò; quia si definitio veritatis, non competit simplici apprehensioni: ergo nec definitum. Quod verò ait, veritatem, vt cognitam, esse eam, de qua loquitur Aristoteles, falsum est; nam dum cognosco, iudicóque, rem ità esse, intellectus est verus, si res ità se habet; sic enim conformis est rei, etiamsi non reflectam super meam cognitionem percipiendo, intellectum percipere verum. Confirmatur ex Aristotele *9. Metaph. cap. 12. & 3. de Anima, text. 21.* vbi ait, In actu simplici non reperiri falsitatem.

Probatvr secundò à Vasquez *disp. 75. cap. 3.* 158
primæ partis, argumento ducto ex Diuo Bonauentura, *in primo, dist. 41. artic. 2. quæst. 1. argum. 2.* & clariùs *disp. 46. quæst. 6. in fundamentis.* Intellectus est similis voci, ex *primo Perhierm.* Tunc sic: Vox simplex, in qua non est affirmatio, vel negatio, non est vera, vel falsa: Ergo neque in simplici apprehensione.

Probatvr consequentia; Nam voci simplici respondet conceptus simplex; est enim vox interpres conceptus: Sed vox ea sola est vera, quæ componit, &c.

Respondet Mastrius *num. 297* pluribus vocibus nos egere ad conceptum significandum; neque esse destinatas voces primò ad exprimendum conceptus; sed potiùs res.

Contra, quia vox est *mentis Mercurius*, vt aiunt antiqui.

Respondent

Respondent alij, negando paritatem, nam apprehensio dicit notitiam aliquam veram, & ideò dicit conuenientiam ad rem; vox enim simplex non sufficit ad explicandum simplicem totum conceptum.

Contra: nam, cùm apprehendo ens, & dico ens; quæro, quid ampliùs sit in illo conceptu, quàm sit in voce, quæ est eius Interpres?

Respondent alij, in voce simplici esse veritatem, licèt non ita clarè appareat: sic Beati verum explicant dicendo: Devs.

Hæc responsio non minùs labilis est; quæ enim veritas de Deo inuenitur in nomine, Devs, prolata? Quod verò Beati ita loquentes verum dicunt; hoc est, quia cognoscunt perfecto iudicio Deum ipsum, esto visione, non per discursus; At nos loquimur de nostra apprehensione.

Obiicies: Cui conuenit definitio, conuenit & definitum; Sed Apprehensioni competit definitio veritatis, vt sit conformis rei, vt in se stat: Ergo, &c.

Respondetvr, negando Minorem; simplex enim apprehensio conformatur rei tantùm materialiter, ratione speciei; & actus incohariuè in ordine ad commensurationem in rei statu: Sic omnia aduersa corruunt. Ex dictis habes, neque falsitatem reperiri. Probatur, quia contraria sunt in eodem subiecto; Sed in apprehensione non est veritas: Ergo neque falsitas. Quare tertia opinio est absque fundamento.

QVÆSTIO V.

Vnde oriatur difficultas cognoscendi Veritates.

160 Aliqvi volunt, hanc oriri ex pusillitate ingenij: Ita videtur Aristot. 2. *Metaph. capite* 1. vbi ait, intellectum nostrum se habere ad manifestissima naturæ, sicut oculum Noctuæ ad lumen Solis: Ita Scotus, & alij relati à Suarez *disput.* 9. *Metaph. sect.* 3. cui videtur fauere D. Bonauent. *in primo, distinctione* 3. *part.* 1. *quæstione* 1. & *distinct.* 1. *dub.* 5. *litt.* & *in* 3. *dist.* 14. *art.* 1. *quæstione* 2. D. Thom. *p. p. quæstione* 12. *art.* 1.

Alii in rerum apprehendendarum arduitatem, culpam refundunt, vt videtur Eccles. 1. asseri: *Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone*: Ita Durandus.

Tertiò alij dicunt id ex vtroque capite nasci. Ita D. Bonau. *in* 1. *distinctione* 8. *artic.* 1. *quæst.* 2. Suarez *loco citato*, qui affert exemplum de potentia visiua: Sint duæ luces: Altera nimis intensa: Altera nimis remissa, quòd prior videri nequeat, imputatur imperfectioni potentiæ; quòd verò secunda, imperfectioni lucis adscribe: Ita etiam D. Bonau. *in* 2. *dist.* 27. *art.* 1. *quæst.* 3.

Svppono primò, magnum esse discrimen inter potentias sensitiuas, & intellectiuam, in ordine ad suum obiectum; nam obiectum sensibile excellens perturbat sensum; At obiectum intellectus quantò est excellentius, tantò confortat potentiam. Vide D. Bonau. *in* 1. *dist.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 2. Hinc habet nullum esse obiectum excellens, quod non sit cognoscibile à potentia intellectiua.

Svppono secundò, aliqua esse in hac vita transcendentia nostram naturalem capacitatem: Ita D. Bonauentura, *in* 2. *dist.* 3. *art.* 2. *quæst.* 2. Bellarminus *tom.* 3. *Controuersiarum, libro* 3. *de Sacram. Eucharistiæ*, &c. Vide D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 42. *art.* 1. *quæst.* 3. Ideò ex obiecti præcellentia habetur aliqua difficultas.

Assero, aliquam difficultatem oriri etiam ex tenuitate luminis: Ita Aristoteles primò adductus. 161
Vnde etiam Christus ait: *Adhuc modicum lumen in vobis est.* Addo hanc difficultatem oriri, maximè ex Adæ peccato. Vide D. Gregorium *Homil.* 2. *in Euang.* & Scholasticos *in* 2. *dist.* 23. D. Thom. *p. p. quæst.* 94.

Qværes: An possit veritas repudiari.

Respondetvr, negatiuè; Nam intellectus, cognitâ veritate, necessariò assentitur; neque potest repudiari veritas, nisi vt repræsentans aliquid displicens; tunc autem non repudiatur, vt est formaliter Veritas.



SECTIO VII.

DE FALSITATE.

Si Aristoteli credamus, de falso non est facilè differendum; sicut enim voluntas refugit malum, quia priuat Bono: Ita mens ægrè falsum apprehendit; quia destruit Verum: Vti tamen voluntas non omninò ita deserit malum, quin ipsum persequatur odio; sic ratio ita falsum dissensu insequitur, vt ipsam veritatem tandem agnoscere compellat.

QVÆSTIO I.

Quid sit Falsitas.

Qvia oppositorum eadem est ratio; ideò cognita veritatis natura, cognoscetur natura falsitatis; sicut ergo veritas alia est rei: alia intellectus: alia vocis: Ita etiam Falsitas. Sicut autem veritas rei, quæ dicitur transcendentalis, est consonantia rei ad Diuinum Exemplar; ita etiam Falsitas eius, est dissonantia à Diuino Exemplari, quo sensu, homo potiùs est falsus: Itidem, sicut Veritas intellectûs est conformatio eius ad rem: Ita Falsitas est dissonatio actûs à re ipsa. Tandem, sicut Veritas vocis est, quæ habet cum conceptu conformitatem; ita etiam Falsitas, quæ habet dissonantiam: Ita D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 37. *articulo* 2. *quæstione* 3. *argumento secundo, addito responso.* 162

QVÆSTIO II.

An, & quomodo FALSITAS *veritati opponatur.*

163 ASSERO primò, veritatem, & falsitatem intellectus opponi, non quidem positiuè.

PROBATVR quòd opponantur à D. Thoma, *p.p. quæst.* 15 *articulo* 4. quia adæquatio, & inadæquatio sunt contraria: Quod verò opponantur priuatiuè, probatur à Diuo Bonauentura, *in* 2. *distinct.* 37. *art.* 1. *part.* 3. Si falsitas opponeretur positiuè veritati, esset à Deo formaliter, & ita Deus esset Falsus. Probatur sequela; nam omne ens est à Deo: Sic arguit S. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 1. *parte* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad argumenta*, & *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 3.

PROBATVR secundò: Sicut se habet malitia ad bonitatem; ita falsitas ad veritatem; sed malitia non opponitur positiuè, cùm sit nihil: Ergo. Confirmatur, nam falsitas dicit formaliter priuationem conformitatis intellectus ad rem: & ita, cùm intellectus decipitur, deficit: Ita arguit Diuus Bonauentura, *in* 2. *loco citato*, *fundamento secundo*.

ASSERO secundò, neque ratione fundamenti opponi positiuè, contra Caietanum, *ad loc. citat. D. Thom.* Suarez *disp.* 9. *Metaph. sect.* 1.

PROBATVR, quia fundamentum aut nullo modo opponitur, aut opponitur eadem oppositione, quà & ipsa opposita, in eo fundata. Probatur, nam oppositio, inter fundamenta, tota est ab his, quæ in fundamentis subsistunt: Sic duæ substantiæ effectæ qualitatibus positiuis contrariis, contrariæ positiuè sunt. Duæ potentiæ, in quarum altera sit habitus; in altera priuatio illius habitus, opponuntur priuatiuè:

QVÆSTIO III.

Vtrùm FALSITAS *sit Actus Intellectus.*

164 ASSERO primò, Falsitatem formaliter, non esse actum; sed defectum intellectûs.

PROBATVR, quia omnis actus est aliquid positiuum; At Falsitas formaliter non est positiua: Ergo.

ASSERO secundò, totum id, quod dicitur falsum, esse actum intellectûs; sicut enim actus voluntatis malus, quo malum vult, est actus, ita etiam actus, in quo assentitur falsò, ad Intellectum spectat.

HINC habes, hunc actum, non esse notitiam; sed defectum notitiæ. Hunc defectum magis propriè vocabis defectum actus cum D. Bonau. passim, vt dicam *quæst.* 6.

QVÆSTIO IV.

An in omni Actu Intellectus possit esse FALSITAS.

OPINIONES retuli *sectione præcedenti*, *quæstione* 3. 165

SVPPONO, in secunda, & tertia operatione intellectus reperiri falsitatem; in his enim est inadæquatio intellectus ad rem.

ASSERO, in prima operatione falsitatem non inueniri.

PROBATVR ex dictis *sect. præcedenti*, *quæst.* 3. Opposita sunt circa idem; sed veritas, opposita falsitati, non est in prima operatione: Ergo.

DICES. Reperitur Falsitas in actu composito: Ergo & in simplici apprehensione, à qua compositio habet veritatem, vel falsitatem.

RESPONDETVR, negando Consequentiam, nam compositio solùm materialiter inchoatiuè habet esse à simplici apprehensione; falsitas enim oritur ex praua compositione terminorum.

QVÆSTIO V.

Quid sit CAVSA *Falsitatis.*

ASSERO primò, ignorantiam puræ negationis, esse ex defectu studij. 166

PROBATVR, quod sua præsentia est causa vnius rei; absentiâ suâ est causa oppositi; Sed studium est causa Scientiæ: ergo defectus studij est causa ignorantiæ in nobis, qui nascimur, tanquam tabula rasa.

ASSERO secundò, varias esse causas deceptionis, voluntatem scilicet liberè credentem aliquid homini, vel ex malo affectu, vel leuitate, &c. Vide Suarez *in Metaph. disput.* 9. *sect.* 2. *numero* 5. Diuus Bonauentura, *in primo*, *distinct.* 38. *artic.* 2. *quæst.* 1. *ad argumenta.*

QVÆSTIO VI.

Vtrùm FALSITAS; *& deceptio possint esse à Deo.*

D. Bonau. in 2. d. 37. art. 2. quæst. 3.

ADVERTE primò ex D. Bonauent. Falsitatem esse defectum veritatis in re, quæ nata est verificari; sicut malitia dicit bonitatis priuationem circa actionem aptam rectificari: & ideò, sicut actio mala, in quantum est actio, est à Deo; quatenus verò mala à Deo non est: Sic enunciatio falsa, vt enunciatio est, à Deo est; At verò vt est deficiens à veritate; atque adeò falsa, à Deo non est. Vnde quemadmodum in actione duplex consideratur bonitas: Altera naturæ: Altera moris; & prior est essentialis, posterior accidentalis, & ideò eâ priuatur: Sic in omni enunciatione duplex est veritas

est veritas: altera essentialis, & hæc est veritas, quâ propositio repræsentat illud, ad quod repræsentandum instituta est; & hac nunquam priuatur enunciatio: Omnis enim enunciatio significat illud, ad quod significandum est instituta, siue sit vera; siue sit falsa: Alia verò est veritas accidentalis, quæ attenditur in proportione in hoc, quod repræsentat rem, secundùm quod est; tunc enim dicitur adæquari signum signato; & veritas enunciationis non est aliud, quàm quædam adæquatio, & hæc veritas priuatur per falsitatem. Tunc enim propositio est falsa, quando non signat rem, sicuti est: Vnde Aristoteles ait: *Ab eo, quod res est, vel non est, dicitur omninò vera, vel falsa: idest, ab eo quod res est, vt repræsentatur, dicitur omninò vera: ab eo quod res non est, sicuti repræsentatur, dicitur falsa.* Sicut igitur malitia est priuatio rectitudinis; ita falsitas priuatio veritatis; & ideò, sicut Deo non potest attribui iniustitia actionis; sic nec debet ei attribui falsitas orationis; vtroque enim modo defectus est; & nullus defectus est à Deo, maximè (fateor) defectus rectitudinis, qui longius à Diuina perfectione aberrat, quia reddit vituperabilem.

167 ASSERO primò, propositionem falsam, vt est Ens, à Deo esse.

PROBATVR à Diuo Bonauentura, quia omne Ens à Deo est; nam omne Ens est bonum: ergo à Deo, qui per essentiam bonus est. Probatur consequentia; quia omne Ens per participationem est ab Ente per se.

ASSERO secundò, defectum veritatis in propositione non esse a Deo.

PROBATVR primò, à D. Bonauentura, quia omne, quod potest Deus facere, habet exemplar in Deo; Sed enunciatio falsa, vt talis, non habet exemplar in Deo: Ergo. Minor probatur, quia ratio exemplificandi est veritas.

PROBATVR secundò. Sicut se habet bonitas ad malitiam; ita veritas ad falsitatem; sed à summa bonitate non potest esse malitia: Ergo à summa veritate non potest esse falsitas.

PROBATVR tertiò. Ens, & verum conuertuntur; sed non potest à Deo esse, quod non est ens, si enim purè nihil esset à Deo; esset, & non esset: Ergo.

PROBATVR quartò. Omne, quod potest Deus facere, potest etiam dicere; Sed non potest falsum dicere: Ergo.

Ex his habes, Actum intellectûs falsum, non posse mutari in verum; ita vt idem sit actus verus, posteà falsus. Impossibile enim est, idem esse formaliter oppositum, putà Bonum, & Malum; Ens, & non Ens.



SECTIO VIII.

DE CERTITVDINE.

168 ADEÒ certum est, dari Certitudinem in Intellectu; sicuti certissimum est, dari Scientiam, & Fidem.

DVPLEX est autem Certitudo: Altera Intellectûs: Altera Voluntatis, ex Diuo Bonauentura, *in 2. distinct. 4. art. 2. quæstione 1.* Certitudo Intellectûs dicit ordinem infallibilem Intellectûs ad rem cognitam. Hæc subdiuiditur in certitudinem Fidei, & Scientiæ: Atq; possunt esse certitudines vel in ipso credente, etiam, dato quòd res esset falsa; vel potest esse in ipsa Fide, & Scientia. Certitudo ex parte Voluntatis, dicit ordinem Voluntatis ad rem volitam.



QVÆSTIO I.

Quid sit CERTITVDO.

ASSERO, Certitudinem esse modum adiacentem notitiæ, & veritati, qui omnem ab ea excludit formidinem. Hinc habes, certitudinem non esse in re, vt docet Vasquez *prima primæ, quæst. 1. ad art. 5. Suarez*, quia res potius dicuntur necessariæ, quàm certæ. Vide D. Bonau. *in 3. dist. 26. artic. 1. quæst. 5.* 169



QVÆSTIO II.

Vtrùm CERTITVDO *addat aliquid super veritatem.*

LOQVOR de Certitudine formali, quæ est in Intellectu; non de certitudine rei, quæ potius necessitatis dicitur, aut consequentiæ.


ASSERO primò, Certitudinem, & Veritatem formaliter idem esse.

PROBATVR. Certitudo non est aliud, quàm modus sic suum efficiens connotatum, vt aliter esse non possit: Talis est omnis veritas: Ergo.

ASSERO secundò, Certitudinem, relatiuè considératam, addere supra notitiam modum aliquem.

PROBATVR, quia eadem res primò à nobis intelligitur; deinde fit intellectus certus: primò ergo habet veritatem, sed non certam: Ergo certitudo addit.

HINC habes, bonam esse diuisionem D. Th. *p. p. quæst. 1. art. 5.* certitudinis in certitudinem absolutam, & relatam, quæ superaddit, vt intellectus sibi sit certus de certitudine veritatis.



QVÆSTIO III.

Vnde oriatur CERTITVDO.

ASSERO, causam Certitudinis in intellectu, esse euidentiam. S. Bonau. *Serm. 9. Hexaëmer. & in primo, distinctione 8. parte 1. articulo 1. quæst. 2.* 170

PROBATVR. Quæcunque notitia ineuidens est; & obscura est, & formidolosa: ergo ineuidentia est

est causa incertitudinis: ergo euidentia est causa certitudinis; quia oppositæ causæ, oppositos habent effectus.

DICES. creduntur articuli fidei obscuri.

RESPONDETUR, illos esse nobis certos in authoritate, in qua euidenter credibiles ostensi sunt.

QUÆRES: An ad assensum certum requiratur formalis reflexio.

RESPONDETUR, negatiuè. Probatur, quia scientia est certitudo, & tamen non habetur per reflexionem super certitudinem: Itidem etiam euidentia causat certitudinem, nec tamen est cum formali reflexione.

ADDO, requiri sæpè virtualem reflexionem, talis est ea, qua Beati videntes Deum clarè, agnoscunt, se videre, vt ait Suarez *p. p. libro 2. de Attribut. negatiuis, cap. 18.* referens Seraphicum *in 3. distinct. 14. art. 1. quæst. vlt.*

QVÆSTIO IV.

An de contingentibus detur CERTITVDO.

171 ASSERO primò, in intellectu hominis, futura contingentia non esse certa.

PROBATVR primò *ex primo Perhierm. capite vltimo.*

PROBATVR secundò: Veritas propositionis contingentis est mutabilis in falsam ex Aristotele, *9. Metaphysicorum, capite vltimo*, quod autem est mutabile, non est certum.

ASSERO secundò, intellectui nostro non ad esse certitudinem de contingentibus: Ita Aristoteles.

172 ADDIT Pater Galitius *Tractatu 11. tertij de Anima, quæstione 6.* futurum contingens esse determinatæ veritatis, habitâ ratione ad effectum; indeterminatæ verò, habitâ ratione ad causam; causa enim est ad vtrumlibet: Quia tamen tandem vnitatem effectus debet producere, se determinando, ideò dicitur effectus determinatus, *verbi gratiâ*, licèt voluntas posset amplecti hoc, vel illud bonum, quia tamen vnum tandem amplectetur, ideò effectus est determinatus

HOC tamen displicet, quia, sicuti effectus in vltimo est determinatus, ita etiam causa erit determinata; imò hæc multò magis; nam ex determinatione causæ ad hunc effectum, hic eueniet: Sed de his egi fusiùs *Tractatu 1. disputatione 13. à numero 232.*



SECTIO IX.

DE EVIDENTIA.



DARI Euidentiam notum est, quæ alia est iuris, Alia facti; Alia præsumptionis apud Iuristas: apud Philosophos verò, est solius rationis, & demonstrationis, quæ rem, quam afficit, ita clarè obiicit Intellectui, vt ei dissentiri non valeat, vt Oculus apertus illustrante lumine nequit colores non aspicere sibi obuios.

QVÆSTIO I.

Quid sit EVIDENTIA.

DEFINITVR Euidentia: *Modus adiacens notitia, & veritati; omnem excludens obscuritatem, & perfectam ingerens intellectui claritatem.* 172
Dicta est enim euidentia ab *ex*, & *video*. Hinc habes, Euidentiam supra certitudinem addere modum, idest, claritatem.

QVÆSTIO II.

An omnis EVIDENTIA *sit à rebus: an verò dentur aliqua nota nobis: alia nota Natura.*

OBSERVANDVM primò, aliquos decipi, putantes idem esse, Notum, ac Cognitum: Hi sunt Gandauens. *in Summa, art. 2. quæst. 2.* Vtinensis *tract. 2. de Deo vno, & Trino, quæst. 1.* quos refert P. Galitius *lib. 1. Dialect. tract. 5. cap. 8.* Notum igitur hic accipitur perindè atque euidens, vt habes ex D. Bonauent *in 2. distinct. 39. quæst. 2.* Propositio ergo per se nota apud D. Thomam *p. p. quæstione 2. art. 1.* Ea est, cuius prædicatum includitur in ratione subiecti, vt: Homo est animal. Diuidit verò propositionem per se notam, in eam, quæ secundùm naturam est euidens, nobis tamen obscura; & in eam, quæ & naturâ suâ, & nobis est euidens. Propositionem naturâ suâ notam, non quoad nos, eam vocat, cuius prædicatum verè est intrinsecum subiecto, sed nos id ignoramus; talis erit propositio, in qua definitio nobis ignota prædicatur de suo definito: Per se nota verò ex natura sua, etiam quoad nos, est illa, cuius prædicatum verè est subiecto intrinsecum, & nobis notum, vt: Homo est animal rationale: Subdiuidit propositionem notam per se, & nobis, in eam, cuius termini omnibus patent. Tales sunt propositiones vniuersalissimæ, quæ dicuntur principia, vt: Quodlibet est, vel non est; & in eam, cuius termini solis Sapientibus sunt noti, vt Spiritualia non sunt in loco circumscriptiuè. Hanc definitionem propositionis per se notæ, amplectuntur ferè omnes, præcipuè Richard. *in 1. distinct. 3. art. 1. quæstione 2.* Durand. ibidem, *quæst. 3.* Ferrar. *1. contra Gent. cap. 10.* Capreol. *in 1. dist. 2. art. 1. & 2.* Caiet. *loco cit. D. Thomæ*, & *primo Post. cap. 2.* Sotus *1. Post. cap. 1. quæst. 2. ad 9.* & plures alij, quos sequitur Ruuius *1. Poster. cap. 2. quæst. 2.* Valentia *Tom. 1. dist. 1. quæst. 2. puncto 1.*

SCOTVS verò *in primo, distinct. 2. quæst. 2.* quem sequitur Fauent. *Theor. 7.* & *in primo, disputatione 14.* Vtinens. *loco citato.* Propositionem, per se notam, definit, eam esse, quæ ex terminis propriis, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius, innotescit; hoc est, vt sic concepti, & non propter aliquid aliud, quod sit extra terminos proprios, habet euidentem

euidentem veritatem; eam verò sic facili ratione tradit Faber.

173 PROPOSITIO, per se nota, est, quæ ex terminis confusè cognitis, & notis, quoad quid nominis, est euidens, adeò vt ad euidentiam eius complexionis non sit opus inquirere conceptum distinctum illorum terminorum, vt explicantur per definitionem, sed sufficiat illa cognitio terminorum sic confusa; vt explicatur per nomen, vt: *Omne totum est maius sua parte*, complexio huius propositionis est euidens, statim ac cognitionem confusam habuero de his terminis: Totum, Maius, Parte.

VIDETVR Aristotelis *primo Poster. textext.21.* vbi ait: Principia prima cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus: Ita, vt propositio, per se nota, excludat omnem cognitionem, quæ sit extra conceptum terminorum suorum: Deinde verò Scotus, & Fauentinus negant, illam diuisionem propositionis per se notæ, traditam à D. Th. Cum Scoto incedunt Aureol. & Gregor. quos refert Capreolus *in primo, dist. 2. quæst. 2. art. 2.*

QVOAD Seraphicum. Is *in primo, distinct. 8. p.p. quæst. 2. in corpore.* propositionem per se notam, eam asserit, quæ ex cognitione propriorum terminorum euidens est, & adducit Aristotelem, *primo Poster. textu* 21. Hinc Scotus suam libauit doctrinam.

ADDIT verò explicationem, in qua Scotus aberrat *in primo, distinctione 2. quæst. 2.* apud Zanardum, *post 1. cap. 3. lib. 12.* nempè propositionem per se notam, quippè contradictoriè oppositam propositioni notæ per aliud, non debere esse notam per aliquid extrinsecum ipsis terminis; enim verò cognitionem, quæ habetur ex definitione terminorum ipsorum, non esse aliquid extrinsecum ipsis, nam est essentia ipsorum; esto concedamus alium terminum esse definiti, putà homo: alium definitionis, putà animal rationale, in quo totum fere enixum, & fundamentum suæ falsæ deductionis ponunt Scotus, & Faber: Sunt ergo idem re, licèt conceptu sint diuersi, vt rectè ostendit Caiet. *loco citato.*

174 DICES: propositio per se nota est, in quantum terminos cognoscimus.

RESPONDETVR, idem significare definitionem, & definitum, secundùm se, licet conceptus in nobis varientur: Est ergo cognitio per terminos distinctè notos per definitionem. Vult ergo dicere, nos non cognoscere principium, nisi terminos cognoscamus illius distinctè: Ita Diuus Bonauentura, *in 2. dist. 39. art. 11. quæst. 2. in argument. secundo loco, argumento 3.*

SIMILITER non est necesse, vt ratio cognoscendi terminos, sit aliquid intrinsecum ipsis, putà definitio; sed sufficit, esse intrinsecum, ordine proximæ causalitatis in recto, aut in obliquo secundum se, aut secundùm ordinem vnius ad alterum, vt benè notat post eum Ruuius *loco citato, numero* 18. vbi tamen aberrat putans, eandem esse propositionem per se notam, & demonstratiuam, hancque non posse à priori demonstrari, vt: Homo est animal. Sanè potest hæc à priori demonstrari per sensitiuum, quod tamen est aliquid animalis. Vnde non per aliud demonstratur. Per hæc ruit præcipuum Scoti fundamentum, dum nititur probare, aliquam esse propositionem per se notam, cuius prædicatum non sit intrinsecum subiecto, vt: *Totum est maius sua parte*, & *A quolibet puncto, ad quodlibet punctum potest duci linea: Motus est: Nix est alba: Coruus est niger.* Circa has autem propositiones accidentales respondere possumus ex Diuo Bonauentura, esse euidentes, quia causa intrinseca albedinis in Niue, & nigredinis in Coruo necessariò includitur in subiectis ipsis, Niue, scilicet & Coruo. Eandem doctrinam habet, S. Bonauentura, *in 2. distinctione trigesima nona; quæstione 2. in corpore.*

IN his locis admittit etiam vtramque diuisionem, traditam à D. Thom. nempè propositionem per se notam, Aliam esse notam per se, idest, in se euidentem, non nobis: Aliam verò euidentem, & in se, & etiam nobis: Ideò vtraque probanda. 175

DARI autem aliqua nota in se; alia nobis. Probatur primò ex Aristotele, sæpè dicente: *Non esse eadem nota nobis, & natura.* Ita *Physic. primo, text. 1.* & *primo Poster. text. 5.* & aliis locis, adductis à Ruuio, *primo Physic. capite 1. quæstione 4.* & *A notioribus nobis, ad notiora naturâ procedendum, & Intellectum nostrum ad manifestissima naturæ se habere, vt oculus noctua ad lumen solis.*

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, *in primo, distinctione 8. loco citato*, Valentia, Ruuio, & aliis suprà. Sumo propositionem hanc: DEVS EST: Sanè, cùm sit summa entitas, & Esse sit Deo intrinsecum, debet esse maximè cognoscibilis; Attamen multis ignotus fuit, vt dicitur Psal. 13. *Dixit insipiens, non est Deus*: Referunt, aliquos Deum negasse, Cicero *libro 1. de Natura Deorum*, Diuus Augustinus *libro 3. contra litt. Petil. cap 21.* inter quos refert Diageram, quem Atheum vocat. Idem testatur Lactantius *lib. 1. de curandis affect. Græc.* Ratio est, quia, licèt notum sit, DEVM significare summam entitatem. Attamen; an prædicatum existentiæ conueniat huic subiecto, DEVS, ignotum est, & rationibus nitendum, & creaturæ respiciendæ; vt ex his inuisibilia Dei cognoscantur, sempiterna quoque eius Virtus, & Diuinitas.

Hoc tamen argumentum tantùm probat, hanc propositionem esse notam per aliud, vt ostendi *p.p. Tractatu 1. disp. 1. de existentia Dei, quæst. 3.* nam per creaturas habemus de Deo notitiam extrinsecam.

PROBATVR tertiò à Valentia *loco citato*, argumento deducto è D. Bonau. *locis adductis.* Quædam sunt propositiones, quibus necessariò assentimur, sine aliquo priori assensu, quem quidem ipsa complexio terminorum prærequirat; non autem sine priori assensu, quem nostra ignorantia, seu intellectus nostri dispositio exigat. Quædam rursus sunt propositiones, quibus necessariò assentimur, sine priori assensu, quem vel ipsa complexio propositionum, vel dispositio nostri Intellectûs requirat: Sed hoc est dicere, aliquas propositiones esse per se notas, non nobis; aliquas verò vtroque modo: Ergo. Maior probatur quoad primam partem: In omnibus propositionibus, in quibus prædicatum est intrinsecum subiecto: Altera verò pars probatur. Aliquæ enim sunt propositiones ita notæ; tales sunt illæ: *Totum est maius sua parte. Quodlibet est, vel non est*; & illæ experimentales *Sol lucet, &c.* Alias verò ignotas esse patet ex dictis in prima ratione. 176

EX his habemus cum D. Bonauent. & D. Th. optimè subdiuidi ea, quæ sunt nota nobis in ea, quæ omnibus innotuere, & in ea, quæ solis sapientibus euidentia sunt. De quibus loquitur Aristot. *2. Metaph.* initio, non de omnibus, vt putat Fauentinus: Neque verò hinc inferunt rectè aduersarij, nos, per propositionem notam, intelligere cognitam, vel cognoscibilem; sumimus enim euidentem: Sunt autem aliquæ enunciationes euidentes

in

in se, non quoad nos, quia ignoramus connexionem terminorum: Aliquæ verò, etiam quoad nos; & aliquæ ex his euidentiores sunt, vt patet in ordine ad nostrum intellectum, imperfectè cognoscentem.


Hic finem impono, ne longiùs abeam ad disputandum in hac quæstione, quæ potiùs est alteratio de nomine, vt ipse Faber confitetur *cap.* 2. De hoc satis actum *Tract.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 4. vbi quæsiui: An hæc propositio: Devs est, sit per se nota.



SECTIO X.

DE OBIECTO INTELLECTVS.

Ea est Vniuersi Conditio, vt potiores Creaturæ communioribus vitali quadam possessione possint potiri: Hinc illis donatæ sunt facultates Cognoscitiuæ, per quas intra se, quicquid extrinsecus existit, graciliori stylo valeant describere: De his hucvsque, & præcipuè de Intellectiua egimus: Nunc verò de huius Potentiæ obiecto agendum, cuius ea est latitudo, vt infrà dicam, quòd nec Intellectum superet, nec ab eo excedatur, sed concordi quadam proportione cum ipso incedit, vtpote transcendentali ei relatione coniunctum & cognitum: Atque hoc quidem verum est, si de omni intellectu loquamur; verùm cùm de humano noster sit sermo, qui pro præsenti statu nequit altiores veritates plenè aut planè attingere, quid de eius obiecto sentiendum, sequentibus quæstionibus aperiam.



QVÆSTIO I.

Quodnam sit Obiectum adæquatum Intellectvs.

177 Prima opinio est, quidditatem rei materialis esse obiectum adæquatum Intellectus nostri, ex natura ipsius potentiæ, non autem solùm ratione status in corpore. Adducitur D. Thom. *p. p. quæstione* 12. *art.* 4. à Fauentino, *Theor.* 85. *& in* 4. *disp.* 43. *cap.* 2. à Suarez *libro* 4. *de Anima, cap.* 1. *num.* 2. licèt *num.* 5. statim fateatur, loqui D. Th. de intellectu, ratione status in corpore, vt etiam notat Lauellus 3. *de Anima, quæst. de obiecto Intellectus.* Videtur tamen in hanc lapsus Caiet. *ad p. p. D. Thomæ, quæst.* 12. *art.* 4. vt notat Fauentinus, *Theor. citato.*

Secvnda igitur sententia est, ex natura potentiæ, intellectum in totum Ens ferri, tanquam in obiectum adæquatum: Ita Diuus Bonauentura, *in primo, distinct.* 3. *p. p. quæst.* 1. *&* 2. & de Dono intellectus, *cap.* 2. *in opusculis.* D. Thom. *loco citato*, Scotus, *quæstione* 14. *quodlibet.* 22. *principali*, & *in primo, distinct.* 3. *quæst.* 3. Faber *loco citato.* Poncius *disp.* 6. *de Anima, quæstione* 1. Liuius *libro* 3. *disp.* 2. *quæst.* 1. Mastrius *disp.* 6. *quæst.* 5. Cauel. *ad quæst.* 19. cum tota Schola. Valentia *tract.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 3. Suarez suprà cit. Runius 3. *de Anima, cap.* 4. *post quæst.* 7. *in dub.* Petrus Iuuet. *capite* 16. Complutenses *disp.* 16. *quæstione* 1. Ioan. à Sancto Thoma, *quæst.* 10. *art.* 3. Eustachius 3. *p. Physic. tract.* 4. *disp.* 2.

Assero primò, obiectum adæquatum intellectus esse omne Ens; & non solùm ens naturale.

Probatvr primò à D. Bonauentura *in primo, distinctione* 1. *artic.* 3. *quæst.* 1. *ad primum*, & *in* 2. *dist.* 22. *dub.* 3. *litt.* & *in* 4. *distinct.* 49. *p. p. artic. vnic. quæst.* 2. *in fundamentis, & corpore*, argumento, quo vtitur Scotus, Faber, & alij, *locis adductis*; Nullum desiderium naturale est ad impossibile; At intellectui hominis naturale est desiderium cognoscendi omnem veritatem, etiam entium immaterialium, etiam Dei: Ergo. Maior probatur à D. Bonauentura ibi, *& in* 2. *distinct.* 7. *p. p. art.* 1. *quæstione* 2. *ad vltimum*, quia appetitus naturalis est rei vnibilis; est enim à natura, quæ nihil frustra facit. Minor probatur à Sancto Doctore *dub. litt.* adducto ex Aristotele 1. *Metaph.* initio; Omnis Homo naturâ scire desiderat, etiam Metaphysicalia, & quantumuis abstracta.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 10. *quæst.* 1. *in vltimis fundamentis*: Nulla potentia fertur extra suum obiectum, sibi adæquatum, vt patet; alioquin non erit adæquatum potentiæ. Obiectum ergo, in quod fertur, debet esse proportionatum potentiæ, & intra eius sphæram; sed anima rationalis intelligit omne verum, quod cum ente conuertitur: Ergo. Hoc argumento vtitur Scotus apud Fabrum *loco citato*, Suarez *num.* 2. & alij ferè omnes, suprà adducti in secunda sententia.

Probatvr tertiò à D. Bonau. *loco citato, in vltimo fundamento.* Potentia illa, quæ non læditur ab excellentia aliqua obiecti, etsi nobilissimi entis, & illud percipit, habet illud pro obiecto; Sed intellectus noster percipiens ens nobilissimum, Deum, & alia immaterialia, non læditur, sed perficitur: Ergo.

Assero secundò, obiectum intellectus motiuum extrà pro hoc statu in corpore, esse Ens sensibile, seu quidditatem rei sensibilis. 178

Probatvr primò à Diuo Bonauentura, *in* 2. *distinctione* 39. *artic.* 1. *quæstione* 2. pro quo supponit primò ex Aristotele 3. *de Anima, text.* 14. animam esse veluti tabulam rasam, in qua nihil sit depictum; Quod ex Diuo Augustino *libro* 1. *Retract.* roborat. Deinde ex Aristotele 1. *Poster. capite* 3. cognitionem complexorum ex cognitione terminorum pendere, ideò non cognosci complexa, nisi quatenus incomplexa, idest, terminos, nouimus: Cognitionem autem incomplexorum non habemus, nisi mediantibus sensibus; nemo enim nouit colorem, nisi per visum. Ideò Aristot. 1. *Poster. cap. de Ignorantia* ait: *Amittens vnum sensum, necesse est amittat vnam scientiam.*

Probatvr secundò à Diuo Bonau. *loco adducto*, quia intellectus, & sensus sunt potentiæ subordinatæ, versantes circa idem obiectum; Species enim intelligibilis, necessaria ad obiecta externa percipienda, hauritur à phantasmatibus; phantasmata à speciebus sensuum externorum: Ergo nihil

hil potest mouere intellectum, quod sensum non mouerit, Hac ratione vtitur Fauent. *loc. cit.* eamque sæpè, ac sæpius habet S. Bonauentura.

179 Assero tertiò, Intellectum percipere pro hoc statu aliqua absque abstractione à sensibus. Hæc assertio postulat quæstionem multiplicem. Quo pacto anima cognoscat seipsam, Angelos, Deum, &c. De quibus infrà erit latior disputatio.

Obiicies primò. Omne obiectum debet proportionati potentiæ in modo essendi; sed spiritualia entia non sunt proportionata potentiæ intellectiuæ nostræ: Ergo. Maior probatur; quia quidquid recipitur in potentia, recipitur secundùm modum ipsius potentiæ recipientis: Minor probatur, quia Intellectus, sicuti tota anima, est forma corporis, & talis secundùm naturam potentiæ.

Respondet D. Bonau. *in* 1. *dist.* 3. *p.p. art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. & *dist.* 19. *dub. litt.* & *dist.* 39. *citando loco, ad* 2. quem sequitur Fauent. *capite* 3. non requiri ad cognitionem propositionem in natura; sed per assimilationem secundùm speciem, quâ intellectus assimilatur obiecto; vnde dicitur intellectus, intelligendo lapidem, fieri lapis, non secundùm naturam, etiam genericam substantialem; non enim fit lapis secundum rationem lapidis, vt patet: Si enim necessaria esset generica conuenientia, non posset anima intelligere accidentia: Multò minus valeret percipere substantias, quæ summo genere distant: Potest ob id anima percipere etiam Deum, licèt in ratione entis infinitè distet: est enim ens intelligibile; esto nequeat à creato intellectu comprehendi; ad hoc enim necessaria esset æqualitas perfectionis, idest, infinita virtus: Quòd verò res sit in aliquo per modum recipientis, & ita etiam obiectum. Respondetur cum Diuo Bonauentura *in primo, distinctione trigesima-nona, articulo secundo, quæstione* 2. *fundam.* 4. verum esse secundùm modum sciendi.

180 Obiicies secundò cum Alphonso Toletano, 3. *de Anim. quæst.* 1. Id, quod excedit improportionaliter capacitatem intellectûs nostri, non est eius obiectum adæquatum: tale est ens in tota sua latitudine. Minor est euidens, quia ens in tota sua latitudine est obiectum adæquatum intellectûs Diuini: Ergo excedit capacitatem intellectus creati. Consequentia patet; quia intellectus Diuinus excedit in infinitum capacitatem intellectus creati.

Respondet D. Bonau. *in primo, quæst. citata,* quem sequitur Scotus *in* 1. *dist.* 1. *ad* 3. *principale,* Faber *loco citato, cap.* 4. *ad* 1. Suarez *lib.* 4. *de Anima, cap.* 6. Ens in tota sua latitudine continens finitum, & infinitum, esse obiectum naturalis capacitatis comprehensiuæ, respectu intellectus Diuini; At verò respectu intellectus creati, esse obiectum naturalis attingentiæ; alioqui non posset vllo modo apprehendere Deum, quippe extra totam rationem obiecti; sicuti oculus non potest percipere saporem: Ens igitur diuersa admodum ratione est obiectum intellectus creati, & increati: Neque est necessaria proportio in ratione entis; sed in ratione obiecti; vt docet etiam D. Thom. *p.p. quæstione* 12. *art.* 1. *ad quartum.*

Obiicies secundò. Si ens in tota sua latitudine esset obiectum intellectus creati; sequeretur, intellectum nostrum posse cognoscere Diuinam essentiam, quæ est infinita, sub ratione infiniti. Consequens est falsum: Ergo. Probatur sequela; quia infinitum continetur sub ente in communi: falsitas consequentiæ est euidens; quia sequeretur, intellectum humanum esse infinitum.

Respondet S. Bonau. *loc. cit.* quem sequitur Faber *loc. cit. ad* 2. negando sequelam; quia ad comprehendendum essentiam Diuinam infinitam, requiritur virtus infinita actiua; intellectus autem creatus est vtcunque finitus.

Obiicies tertiò. Si ens sub ratione entis esset obiectum adæquatum intellectus creati; sequeretur, quod ens infinitum non adæquaret potentiam intellectiuam, sed excederetur ab ea, quæ præter ens infinitum, respicit etiam ens finitum. Consequens est falsum: Ergo.

Respondet Faber, negari sequelam; nam ens finitum non est extra ens infinitum, sed est veluti pars entis infiniti; vnde non sequitur, potentiam, quæ habet pro obiecto ens infinitum, excedere obiectum, quia respicit etiam ens finitum.

Respondetur secundò ex D. Bonau. *lib.* 1. *ad* 2. obiectum infinitum non excedi à potentia, quia illud respicit apprehensiuè. Deum verò comprehendere in infinito etiam finitum, quod in eo continetur. 181

Ex his collige primò, varium statum potentiæ, non variare obiectum, sed solum ponere obstaculum, vel auxilium ad aliquid obiecti; ita verò, vt debeat dari aliquis status, in quo potentia respiciat totum obiectum, maximè in sententia eorum, qui distinguunt potentias per actus, & obiecta.

Hinc etiam habes, quomodo potentia intellectiua nequeat naturaliter videre aliqua mysteria, putà SS. Trinitatis; præsentiæ Christi in SS. Sacramento: Hæc enim sunt entia quidè, sed supernaturalia, quæ in potentia aliquod auxilium requirunt, cùm non detur in eis naturale fundamentum cognoscibilitatis, nisi quia sunt in genere entis: At in se habent diuersum modum supernaturalem, & non tantùm ex parte agentis. De hoc *in* 3. *p. Tract. de Augustissima Eucharist. disp.* 5. *quæst.* 20. cum D. Bonau. *in* 4. *dist.* 10. *art.* 2. *quæst.* 1. & 2. Richard. *eadem dist. art.* 5. D. Thom. 3. *p. quæst.* 76. *art.* 7. Caietano *ibid.* Capr. & Scoto *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. *art.* 7. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 53. *sect.* 5. & aliis contra Scotum *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 6. Fabrum ibi, *disputat.* 43. & alios Scotistas.

QVÆSTIO II.

An Verum *sit obiectum formale Intellectus.*

Prima opinio est, Verum non esse obiectum formale adæquatum Intellectûs, percipit enim etiam ens, vt Vnum, Bonum, vt voluntas cæca dirigatur: Ita Scotus 4. *distinctione* 14. *quæstione* 1. vbi Faber *disputatione* 19. & *Theor.* 85. Mastr. *disputatione* 6. *quæstione* 6. *numero* 145. Poncius *disp.* 6. *quæst.* 1. Vasq. *p.p. disp.* 76. Eustach. 3. *p. disp.* 6. *tract.* 5. *quæst.* 1. 182

Secunda opinio communis docet, Verum, esse obiectum formale Intellectûs.

Assero cum hac sententia, obiectum formale Intellectus esse Verum.

Probatur primò à Diuo Bonauentura, *in* 1. *distinctione tertia, parte prima, quæstione prima, fundamento penultimo*: Sicut se habet voluntas ad Bonum, ita intellectus ad Verum; sed voluntas fertur in Ens, sub ratione formali boni per se: Ergo & intellectus in Ens, sub ratione Veri.

PROBATVR secundò ratione, ex præcedenti deducta. Distinctæ potentiæ habent distincta obiecta, saltem formalia; sed intellectus, & voluntas sunt potentiæ distinctæ: Ergo habent pro obiecto Ens tantùm materialiter ad summum: Ergo sicut voluntas respicit ens, vt bonum, ita etiam intellectus, vt verum. Hoc argumentum habet implicitè S.Bonauent. *in* 1. *dist.* 1. *quæst. vlt.* & *in* 2. *dist.* 2. *part.* 2. *quæst.* 3. *fundam. vlt.*

RESPONDET Scotus, Maiorem veram esse de potentiis disparatis, non de subordinatis; hæ enim versantur circa idem.

CONTRA primò; quia licèt in obiecto materiali conueniant, tamen in formali differunt: Sic Musica subalternata Arithmeticæ, considerat numeros, sed vt sonoros, ad differentiam Arithmeticæ. Idem in potentiis: Sicut enim oculus respicit colorem, indiuiduum, & materialem; ita intellectus, vt abstractum per speciem intelligibilem, etiam naturam vniuersalem.

CONTRA secundò; nam Scotus, & Fauentinus volunt, Sensum, & Intellectum esse potentias subordinatas, & tamen sensum esse circa singularia, non vt singularia, sed sub ratione specifica: Intellectum verò circa singularia, vt singularia, & etiam circa vniuersalia, vt habetur in Fauen. *Theor.* 84. & 87. Vide, quæ dixi *disp.* 4. *quæst.* 1. & 15. & quæ dicam *quæst. sequenti*, vbi ostendam, potentias subordinatas, licet versentur circa idem, tamen nobiliorem potentiam aliquid ampliùs percipere.

183 PROBATVR tertiò à D.Bonau. *loc. cit.* Illud est obiectum potentiarum, in quo ipsæ potentiæ quietantur; sed voluntas quietatur in ente, vt bono; & intellectus, vt in ente vero: Ergo. Minor probatur quoad voluntatem à D Bonau. *in* 1. *dist.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 1. & 2. quia bonum habet rationem finis, in quo est beatitudo, quo fruimur, &c. Vide S. Bonauenturam: Sed de hoc 1. 2. *Tract. de Beatitudine*, *quæst.* 1. Quoad intellectum probatur à Diuo Bonau. *dist.* 39. *quæst.* 1. ex Aristotele 12. *Metaph. text.* 52. Intelligibile est perfectio intellectus, in quantùm complet appetitum eius de veritate; Ad hoc autem, vt aliquid perfectè cognoscatur, debet verè cognosci, vt notat D.Bonau. *in* 1. *dist.* 39. *artic.* 2. *quæst.* 2. *argumento* 2. & 3. *ad oppositum, additis solutionibus*; Sic & Petrus Iuuet. *capite* 16. *de Anima.*

PROBATVR quartò: Ea ratione aliquid est obiectum potentiæ, sub qua mouet potentiam, vt notat D.Bonau. *in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 1. *ad* 1. sed ens sub ratione veri mouet intellectum: Ergo. Minor probatur ex D. Anselmo de veritate, *cap.* 10. Multa respondent Scotus, & Fauent. sed non soluunt. Argumenta aduersariorum solùm probant, Ens esse obiectum materiale intellectus.

OBIICIES cum Vasquez: Etiam falsum intelligitur: ergo verum non est ratio formalis obiecti intellectus.

RESPONDET D.Bonau. *in* 2. *dist.* 37. *quæst vltima, ad argum.* falsum cognosci, vt priuationem veri; sicuti silentium auditur ab aure, vt priuatio Soni.

DICES cum Mastrio: Ens intelligitur etiam sub ratione vnius boni, &c.

RESPONDETVR, hæc spectare ad materiale; nam & bonum intelligitur, vt verè bonum; in quo fallitur etiam P. Rabesanus.

QVÆSTIO III.

An SINGVLARE *sit Obiectum intellectus, & quomodo.*

DISPVTATIONE *quarta*, *quæstione* 1. conclusimus, Singulare esse obiectum Sensus: Iam videamus; an sit obiectum etiam Intellectus. Et quæstio est præcipuè de singulari materiali, & de Cognitione tam intuitiua, quàm abstractiua, de quibus actum est, *sect.* 4.

QVOAD intuitiuam, aliqui negant, posse hoc singulare attingi à quouis intellectu, siue Angelico, siue Humano: Ita Vulpes *tomo prima part. disputatione decima nona, articulo* 4. & *disputat.* 11. *de Angelis, art.* 7.

ALII sustinent, etiam ab intellectu Humano, corpori coniuncto, huiusmodi singulare attingi: Ita Rada 4. *part. Contr.* 16. *art.* 3. Cauellus *disp.* 3. *de Anima*, *sectione* 11. Smisingh. *prima primæ*, *Tractatu* 2. *disputatione* 6. *quæstione* 1. Tartaret. *primo Physicorum*, *quæstione prima*, Faber *Theor.* 84. & 86. Iannes Canon. *primo Physicorum*, *quæst.* 2. *art.* 1.

QVOAD cognitionem abstractiuam, est grandis controuersia inter Scholasticos, Diui Thomæ, & Scoti Sectatores. Thomistæ enim docent, obiectum nostri Intellectus inter res materiales esse vniuersalia à singularibus abstracta: Singularia verò cognosci per sensum internum; ab intellectu verò nonnisi indirectè, ac per quandam reflexionem attingi: Ita significat D. Thom. *prima primæ, quæstione* 86. *articulo* 1. *quodl.* 12. *quæstione* 8. *secundo contra Gentes*, *capite* 100. *quæst.* 9. *disputat. de Anima*, *artic.* 20. & omnes discipuli: Idem seueriùs docuerant quidam Peripatetici Philosophi, & Alexand. 3. *de Anima*, *textu* 16. Themist. *capite* 20. Auerroës *comm.* 19. negantes, omninò cognosci singulare. Hos secuti sunt alij apud Toletum 3. *de Anima*, *capite* 4. *quæstione* 12. Cum Thomistis verò sunt Fonseca 2. *Metaphysicorum*, *cap.* 2. *quæst.* 3. *sectione* 5. Conimbr. 1. *Physicorum*, *cap.* 2. *quæst.* 4. *art.* 3. 184

E regione docent, Singularia per proprias species ab intellectu nostro percipi: Ita Scotus *de Anima*, *quæst.* 22. *septimo Metaph. quæst.* 15. & *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 11. & *dist.* 9. *quæst.* 2. & *in* 4. *dist.* 45. *quæstione* 3. & *quodlibet.* 13. *articulo* 2. & alibi passim. Secuti sunt Scotistæ omnes, Faber *Theor. citato*, Anton. Andreas 7. *Metaph*, *quæstione* 13. Trombetta ibi, *quæst.* 7. Zerbius *quæst.* 13. Tartaret. *primo, Physic. quæst.* 1. *artic.* 2. Ferchius *vestig.* 10. *cap.* 5. Rabesan. *lib.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 2. Regent. Parisiorum *primo Physic. quæst.* 2. *ad* 3. *quæst. collat.* Canon. 1. *Phys. loc. cit.* Ruuius 3. *de anim. quæst.* 8. Cauell. *ad quæst. cit. de Anima*, Vulpes *cit. art.* 9. ac cæteri Recentiores, Zabarella *libro de Ord. cognos.* Picol. *libro primo, de mente humana*, Raguseus *disputatione Peripat.* 23. Contarenus *quæstione de primo cognito*, *cap.* 5. & *quæstione de speciebus intelligibilibus*, *cap.* 8. Suarez *lib.* 4. *de Anim. capite* 4. Toletus *tertio*, *de Anima*, *quæstione decima-tertia*, Ruuius ibidem, *Tractatu de Intellectu possibili.* Auersa, *quæstione quinquagesima-octaua*, *sectione quarta*, Pererius *libro tertio*, *capite decimo septimo*, Onuphrius *tractatu secundo*, *disputatione* 1. *quæstione* 2. *dub.* 1.

dubio 1. Valentia *tom.*7. *disput.* 6. *quæst.* 7. *parte* 6. Mastrius,& Bellutus *disp.*6.*quæst.*7. qui alios adducunt,præcipuè Richard.2.*distinct.*24. Greg. 1. *distinct.*3.*quæst.*1.*articulo* 2. Ocham *quæst.*7. Marsil. & Thien. *primo Physicorum*, Tolet. *loco citato*, Eustach. 3. *part. Physicæ*, *tract.* 4. *disput.* 2. *quæstione* 2. Fuliens. 3. *Physic. cap.* 8. *articulo* 3. Iuuet. *cap.* 16.

QVOAD Seraphicum, video, illum in solis quibusdam responsionibus ad argumenta, sententiam suam depromere; vbi meo sanè iudicio videtur problematicus; variè autem S.Doctor pro solutionum opportunitate de hoc scripsit: Et quidem *in primo Sent. dist.*39. *quæst.* 2. *ad* 2. videtur expresè cum D. Thom. *In secundo* autem, *dist.*3.*p.p. art.*2. *quæst.*2. *ad penultimum*, videtur secundæ sententiæ arridere; magis autem *distinct.* 8. *p.p. quæst. vlt. ad* 4. sicuti in argumentis apparebit. Trigosius *quæstione* 9. *artic.* 3. *dub.* 1. *ad* 3. explicat Seraphicum pro sententia D. Thomæ; nempè, indirectè intellectum cognoscere singularia; & ideò aliquando eum negasse cognosci, nempè directè.

185 ASSERO primò, Singulare percipi ab intellectu.

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *in* 2. *loco citato*, ratione, quam Toletus in prima conclusione efficacissimam vocat. Quandocunque aliqua potentia discernit distinctionem inter duo indiuidua, signum est, eam ipsa etiam indiuidua percipere; sed intellectus percipit distinctionem inter Petrum, & Paulum, &c. Ergo. Hoc argumentum adhibitum est etiam à Scoto, vt vidimus *disputatione quarta*, *quæstione prima*, Maior est euidens; nam, cùm eadem sint principia constitutiua, & distinctiua, quicunque distinctionem nouit; nouit distincta,& constituta: Minor probatur.Illa distinctio vel cognoscitur Sensu, vel Intellectu, vel vtroque simul; Non hoc tertium, quod patet ex Aristotele 2. *de Anima*, *textu* 148. vbi propter hoc argumentum colligit, esse alium sensum communem, præter Visum, & Gustum; quia percipit differentiam inter saporem, & colorem, quàm neuter simul percipere potest; nec sensus per se, quia non percipit principia intrinsecè constitutiua Petri, & Pauli: Ergo erit intellectus: Ergo nonit vtrumque extremum, vt discernere queat formales vtriusque differentias:Ita & alij. Vnde eruunt aliqui,Seraphicum negare tantùm de singulari, vt corporeo, quandiù est tale, vt omnes fatentur.

PROBATVR Secundò à Toleto, & Scotistis. Ea Potentia, quæ aliam corrigit circa eius obiectum, illud noscit; At intellectus corrigit sensum aberrantem circa obiectum proprium ex aliqua deficiente conditione,putà proportionis,distantiæ:&c. Ergo. Minor probatur; quia Visus talis naturæ est, vt accipiat obiectum per angulos pyramidales: itavt quantò distantius est obiectum, tantò acutior apex pyramidis elongatæ perueniat ad oculos, atque adeò res gracilior appareat: Itaque Solem cubito maiorem, non accipit, cùm tamen 166. vices terram superet: Iam verò à Iudicio intellectûs corrigitur iste error: Ergo signum est, intellectum percipere hoc iudicium, quod sensus format de Sole cum hac quantitate; alioquin quomodo corrigeret potentiam, nisi cognosceret errorem? Hoc argumentum deductum est ex Diuo Bonauentura, *in secundo*, *distinctione* 23. *articulo secundo*, *quæstione secunda*, *argumento penultimo*, *ad oppositum*, additâ solutione.

PROBATVR tertiò à Fabro ex Scoto *in* 4. *distinctione quadragesima quinta*, *quæstione tertia*, *litt.* Toleto *ratione quarta*, pro prima conclusione. Ruuio *numero* 112 ratione deducta è Diuo Bonauentura *in* 2. *distinctione* 3. *p. p. articulo secundo*, *argumento penultimo*, *ad oppositum*, addita solutione. Quod potest potentia inferior, potest etiam superior subordinata; Sed sensus, qui est potentia inferior, percipit singulare: Ergo & superior, idest intellectus: Idem habet *in primo,distinctione* 49. *quæstione secunda, argumento quinto*, vbi probatur Maior: Quantò aliqua substantia est simplicior, tantò est plurium cognoscitiua.

ASSERO secundò: Probabile est, Intellectum percipere singularia directè per proprias eorum species. 186

PROBATVR à Scotistis, Zabarella; *libro de Ordine cognoscendi*. Picolom. *libro* 1. *de mente humana*, Toleto *conclusione* 2. Ruuio *numero* 110. argumento deducto ex Diuo Bonauentura, *in* 2. *distinctione* 39. *quæstione* 2. *ad* 2. Si aliquid obstaret; hoc esset, vel singularitas rei,vel materialitas; vel vtraque simul; Sed nulla harum obstat: Ergo. Minor probatur, quia Singulare materiale cognoscitur ab Angelo per propriam speciem; similiter & ab anima separata: Neque impedit materialitas; quia vniuersale materiale corporeum percipitur per se ab intellectu: Ergo. Confirmatur; quia est Ens.

HOC argumentum vocatur à Toleto, & Antonio Andrea *in hoc quæsito*, & Fabro *in hoc Theoremate*, validissimum, ex Scoto *in* 2. *distinctione* 3. *quæstione vndecima*, in solutione primi argumenti, pro Henrico. Ruuius autem, *numero centesimo decimo-tertio*, addit, vix huic rationi posse satisfieri.

ENIM verò illud Sanctus Bonauentura non adeò demonstratiuum acclamat, sed respondet, *loco citato*, impedimentum esse ex materialitate animæ, ratione alligationis ad corpus; & ex immaterialitate eiusdem animæ in se: Anima enim in corpore eget sensibus ad obiecta recipienda; & quia eatenus intellectus intelligit,quatenus abstrahit à materia speciem intelligibilem; quæ ergo adhuc complicata remanent in materia sensibili, non possunt adhuc esse intelligibilia actu; ideò Aristoteles 3. *de Anima*, *textu* 3. *&* 16. ait: *Omne actu intelligibile, est sine materia*; materiale verò sensibile non esse adhuc intelligibile actu; sed potentiâ.

RESPONDET Faber, notitiâ quidem abstractiuâ intellectum non percipere singulare, sed tamen notitia intuitiua intelligere: Fatetur verò ingenuè Aristotelem, dum ait, actu intelligibile esse sine materia, velle, vt sit vniuersale; hoc enim est sine materia indiuiduali, & conditionibus eam sequentibus, & hoc est actu intelligibile; singulare autem, quia est cum conditionibus indiuidualibus, non est actu intelligibile, sed potentiâ; Et quod hic sit sensus illius loci, probatur; quia Si intelligeret ibi de materia, quæ est pars compositi, nulla quidditas materialis esset intelligibilis; & sic de rebus naturalibus nulla esset Scientia: Insuper species sensibilis esset per se intelligibilis, vt hæc species albedinis, quia est sine materia;quod tamen non intendit ibi Arist. tamen addit,hoc argumentum non concludere;quia ibi Arist. loquitur de cognitione abstractiua, non de intuitiua:Nam pro hoc statu,quem solùm nouit 188 Aristoteles, intellectus noster non cognoscit singularia

gularia, cognitione abstractiuâ sub proprio conceptu, sed solùm sub conceptu vniuersalis: Et
187 quia cognitio abstractiua est propria, & vera cognitio intellectûs, ex qua scientiam conficit; hinc sæpè ait Aristoteles, quòd intellectus non cognoscit singularia; non tamen negat, quin ea cognoscat, cognitione intuitiua.

Rvvivs *numero* 123. negat, intellectum agentem, abstrahendo speciem à phantasmate, eam formare repræsentantem solùm naturam vniuersalem; sed potiùs id exprimere, quod in phantasmate vidit expressum, modo tamen spiritualiori, & defæcatiori; & in hoc consistere abstractionem, non in præcisione à singulari, vt vult Sanctus Thomas, & Sanctus Bonauentura: Idem respondet Toletus *ad* 2. Hæc doctrina sumpta est ex Diuo Bonauentura, hîc, & *in* 4. *distinctione* 12. *parte prima, articulo secundo, quæstione tertia, argumentis primo loco*: Enim verò contra eos est Aristoteles, suprà allegatus, & in eo sensu concessus à Fabro, cuius solutio non est minùs improbabilis; nam cognitio intuitiua intellectûs requirit abstractionem, & depurationem; abstractio autem facit de singulari vniuersale, in via Aristotelis: Ideò infert Sanctus Bonauentura *loco citato*, non posse intellectum (nisi sit separatus, vel diuinus) cognoscere singularia directè: Attamen Seraphicus Doctor *in* 2. *dist.* 3. *art.* 2. *quæstione* 2. *ad penultimum*, pace Aristotelis, & saluâ reuerentiâ S. Thom. coætaneo suo familiarissimo, quocum sæpius disserebat de his sententiis, alibi passim fatetur ingenuè, intellectum, vtpotè excellentiorem, & simpliciorem potentiam, posse percipere, non modò ea, quæ sensus percipit, nempe singularia cum conditionibus singularibus per propriam speciem, sed etiam alia, nempe principia intrinsecè indiuiduantia, & essentialiter constituentia; atque Aristotelem 2. *Poster. capite vltimo, primo Physicorum, text.* 49. & 2. *de Anima, textu* 60. & alibi, dum ponit differentiam inter sensum, & intellectum per hoc, quod Intellectus est vniuersalium, Sensus verò singularium, non loqui cum præcisione; itavt Sensus sit singularium: Intellectus verò vniuersalium tantùm; sed sensum esse solùm singularium: Intellectum verò nobiliorem, non modò singularium esse, sed etiam vniuersalium, quod probat Sanctus Bonau. quia intellectus, imò solus cognoscit principia indiuiduantia intrinseca. Hac responsione vtuntur Fauent. *ad* 9. Toletus *ad primum*, & alij.

188 Assero tertiò, probabilem esse etiam sententiam D. Thomæ.

Probatvr à Diuo Bonauentura, *locis citatis*, authoritatibus Aristotelis, & rationibus adductis pro eneruanda ratione, pro secunda sententia. Alias rationes adducit Fauentinus *ad nonum*, & Ruuius *à numero* 103. quæ in Sancto Bonauentura reperiuntur implicitè: Sumuntur autem ferè omnes ex immaterialitate animæ, quæ non percipit nisi immaterialia, & abstracta à materialitate singularitatis, vt dixi; & ex materialitate, ratione coniunctionis cum corpore, ob quam suas intellectiones exsugit è sensibilibus obiectis, quæ depurari debent, &c.

Enim verò solubiles sunt illæ rationes, vt vidimus. Ad locum D. Bonauent. *distinctione* 39. iam respondi, *Tractatu* 1. *disputatione* 13. *quæstione quarta, ad secundum*, sufficere ibi S. Doctori negare id, quod inferebat aduersarius; nempè, ex immaterialitate euenire, vt intellectus non cognoscat singularia; sed si non cognoscuntur, euenire potiùs ex immaterialitate, quia accipimus species à sensibus, oportetque, eas exui conditionibus singularium.

QVÆSTIO IV.

An primò Cognitvm *sit vniuersale.*

Loqvimvr nunc de prima cognitione, quæ 189
est confusa, & simplex actualis, qua Totum actuale cognoscitur; vt *verbi gratiâ*, species composita ex genere, & differentia; vel etiam potentialis, qua cognoscitur genus, in cuius potentia sunt species.

Prima opinio est, primò Cognitum confusè, esse singulare, si comparetur cum vniuersali; inter vniuersalia verò, magis vniuersale esse primò Cognitum: Hanc sequitur Ruuius 1. *Physic. capite* 1. *quæst.* 3. *parte* 2. *quæstionis, numero* 51. vbi ait, hanc esse etiam in Scholis communem: Eandem amplectitur *in* 3. *de anima, capite* 4. *&* 5. vbi eos pro se adducit, qui censent, singulare materiale directè cognosci ab intellectu; eos enim infert asserere, singulare prius cognosci: Eandem sequitur Suarez *lib.* 4. *de Anima, cap.* 3. *dub.* 2. Zabarella, *lib. de ordine intelligendi, cap.* 5. Gregorius *in* 1. *distinct.* 3. *quæst.* 3. *art.* 2. Picolom. *lib.* 1. *de humana mente, cap.* 15. Ocham, Durand. Perer. apud Fabrum, Fulienf. 3. *Physic. cap.* 8. *art.* 3. *parte*, Eustach. 3. *p. Physic. tract.* 4. *disp.* 1. *quæst.* 6. Iuuet. *cap.* 16. *sua Philosophia.*

Secvnda opinio, primò Cognitum, astruit speciem esse atomam: Ita Scot. 1. *Metaph. quæst.* 10. & *p. dist.* 3. *quæst.* 2. vbi Mayro, Lich. Barg. Antonius etiam Andr. *loc. cit. Metaph.* Addit Poncius *disp.* 6. *quæst.* 2. intelligi de notitia confusa; At distinctâ priùs nosci vniuersalius, quod est pars speciei, *verb. grat.* Animal priùs quàm homo, Faber *Tract.* 38. Quoad primum stat Eustach. *loc. cit.* si minus vniuersale cum vniuersaliori comparetur. Aquilin. *lib.* 1. *suæ Physica*, Fracastor. 1. *lib. de intellect.* & plurimi Moderni.

Tertia opinio est, vniuersale entis corporei esse primum Cognitum absolutè: Ita Alensis *in Comment. primo.* & 5. *Metaphysicorum*, Diuus Bonauentura, *in* 2. *distinctione* 18. *quæstione* 3. D. Thom. *in Prooemio Physicorum*, & *Opusc. de Ente, & Essentia, capite* 7. & *p. p. quæstione* 85. *art.* 3. quos omnes Thomistæ sequuntur, & Capreolus *in primo, distinctione* 35. *quæstione* 2. *ad septimum*, Iauellus *primo Physicorum, capite* 1. Soncinas 6. *Metaphysicorum, quæstione* 12. Caietanus *Opusc. de Ente, & Essentia*, initio. Ægidius 7. *Metaph. quæstione* 1. Ferrar. *p. cont. Gentes, capite* 48. Nazarius *ad loc. cit. summæ D. Thomæ.* Richard. *in* 2. *dist.* 24. *articulo* 3. *quæstione* 4. Thien. *primo Physicorum, quæstione* 5. Vicomercatus *proœmio Phys. capite* 1. Idem sensère Auerroës *ad primum Phys.* Auicenna *Metaph. capite* 1. Simplicius 1. *Physicorum, capite primo*, Themistius *ad primum, Physic. cap.* 1. Simplicius *primo Physicorum, cap.* 1. Themistius *ad primum Physic. capite* 4. & multi Auerroistæ, ac Græci omnes, vt refert Fauentinus, *capite* 7. & Ruuius, *num.* 46.

Assero cum istis.

Probatvr primò à Diuo Bonauent. *loco cit. in* 190
corpore

corpore, ex Aristotele, 1. *Physicorum, cap.* 1. vbi docet, in cognitione ab vniuersalibus prædicatis incipi, & ad singularia procedi, quod probat exemplo puerorum, qui primò omnes vocant Patres, deinde eos à quibus geniti sunt; & de toto, quod prius cognoscitur, quam partes, & è cognitione circuli ad eius definitionem; hi verò de cognitione confusa loquuntur; licèt enim ibi Aristoteles agat de cognitione distincta, quam tradit ibi in illis libris, attamen ad hoc probandum assumit in genere, vniuersalia esse notiora, etiam cognitione confusa, vt patet per allata exempla. Hac authoritate vtuntur multi.

RESPONDET Fauentinus *ad quintum Zabarella*, concedendo, ibi Aristotelem loqui de cognitione confusa: Attamen dupliciter sumi Vniuersale, vel vt est pars rei minùs vniuersalis; *verbi gratiâ*, vt Animal est pars Hominis; vel vt est Totum, quatenus potentiâ inferiora continet, & hoc sensu habere aliquam similitudinem cum singulari, & esse notius nobis, quam singulare; quia vniuersale habet rationem totius, & confusi; at minùs vniuersale, & singulare habet rationem partis; hoc verò sensu sumptum vniuersale accidentaliter consideratur, vnde nihil in conuenit, etiamsi ab Aristotele notius dicatur: Enim verò vniuersale, sumptum in propria ratione, vt est pars rei minùs vniuersalis, quæ est propria eius consideratio, est notius nobis, cognitione distincta; ad eam enim habendam prius debemus cognoscere partes; deinde totum distinctè cognoscimus.

191 ENIM verò, cùm Aristoteles ibi dicat, ad Scientiam capescendam procedendum ab vniuersalioribus; ille debet esse ordo naturæ, & per se: Quod enim sit accidentaria acceptio vniuersalis, vt est totum; per se verò, vt est pars, falsum est: Nam vniuersale præcipuè est solum in intellectu formaliter, non à parte rei; vt habet Sanctus Bonauentura, *in corpore*; Et dixi in Physicis *Tractatu quinto, disputatione quinta, quæstione quinta*; Et primò quidem debet intelligi, vt totum complectens potentiâ partes, antequam sit actu pars minùs vniuersalis; hic est enim effectus illius: Ergo prius etiam cognosci debet, vt est totum potentiale respectu minus vniuersalis; quia ordo est à potentia ad actum; prius autem est id, quod est per se, quam, quod per accidens, cùm & omne per accidens, ad per se reducatur.

PRÆTEREA sumo Vniuersale, vt est pars rei minùs vniuersalis, notius est cognitione confusa; nam, vt ibi habet Aristoteles, est secundùm sensum notius; non enim sensus percipit, *verbi gratiâ*, Animal, vt continet, putà, differentias rationalis, & irrationalis; sed vt in toto illo, *verbi gratia*, Homine viso totum quoddam materiale sensibile: Cùm igitur illud sit primò intelligibile, quod est primò sensibile, quia intellectus noster pendet à sensibus; sequitur vniuersalius esse magis intelligibile. Hoc patet exemplo; cùm video hominem à longè, prius noui, esse corpus; deinde Animal, posteà Hominem; vltimò Petrum: Neque hoc venit solùm ex impedimento distantiæ, vt putant Scotistæ, præcipuè Faber *ad septimum*; nam etiam quando video propè Petrum, & eum percipio, prius saltem naturâ cognosco, esse corpus animatum, Animal, Hominem: quomodo enim concipio Petrum, nisi concipiam viuens? Huius optimum est argumentum, quòd si viderem Statuam Petri, etiam Philico scalpro exsculptam, vel cadauer Petri; non dicam, esse Petrum: Distantia igitur facit solùm, vt cognitio vniuersalioris sit prior tempore; Et interpositâ duratione, perueniam ad cognoscendum indiuiduum: At Ordo naturæ hic est, qui in qualibet vicinitate supponitur, vt rectè notat Ruuius; *numero quadragesimo septimo*, post Diuum Bonauenturam, *in corpore*, & in hoc valdè decepti sunt aduersarij putantes, ideò primò Cognitum esse minùs vniuersale, vel singulare, quia vniuersalius sub minùs vniuersali, & singulari, veluti contentum obiicitur.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, *in corpore*, argumento, quod desumpsere Caietanus, *loco citato de Ente, & Essentia, quæstione prima*; Illud est prius cognitum, quod est prius origine, sed vniuersaliora sunt prius origine: Ergo. Maior conceditur à Fauentino *capite primo*, & aliis locis. Minor probatur. Conceptus confusus imperfectissimus, est prior origine: Sed conceptus vniuersalis est huiusmodi: Ergo. Maior est Aristotelis 9. *Metaphysicorum*, vbi ait: *Imperfectiora sunt priora viâ generationis; & perfectiora sunt posteriora origine.* Minor probatur, quia omnis conceptus, minùs vniuersalis, semper addit aliquid.

CONFIRMATVR à Diuo Bonauentura, *in corpore*, Minor principalis argumenti, primò; quia prius est Ens in potentia, quam Ens in actu; sed vniuersale, respectu minus vniuersalis, se habet, vt Ens in potentia, ad Ens in actu; nam ab eo perficitur nouis differentiis, &c. & speciebus, atque adeò actibus: Ergo.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, *ibi*. Progressus nostræ cognitionis assimilatur progressui naturæ in sua operatione; sed innata est via naturæ ab vniuersalibus ad minùs vniuersalia: Ergo consimiliter erit in cognitione: Minor probatur; nam primò producitur corpus; deinde viuens vitâ plantæ; posteà vitâ animalis; vltimò vitâ hominis, vt docet Aristoteles, 2. *de Gener. Animalium, cap.* 3.

RESPONDET Fauentinus, *capite octauo*, negando conceptum imperfectissimum esse primum in cognitione, via generationis. Ad Aristotelem respondet primò, verum esse, quando causæ sunt impeditæ; & quia causæ naturales requirunt ordinariè multas dispositiones, quas statim habere non valent, hinc est, quòd non statim effectum perfectum, sed ignobiliorem producunt; At hoc non est verum de causis, quæ concurrunt ad intellectionem, quia illæ ponuntur non impeditæ, sed optimè dispositæ.

RESPONDET secundò, verum esse de productione perfecta; & ideò in proposito valet de cognitionis distinctæ productione, in quo casu producuntur prius imperfectiora; & hoc modo concedo, quia non est contra nos, sed pro nobis; hæc est enim productio imperfecta.

ENIM verò iam ostensum est, naturam ita procedere etiam non impeditam ob varias dispositiones præuias necessarias; Maximè autem hoc cogimur fateri in operationibus sublimioribus. Cùm 192
ergo cognitio perfecta sit actio nobilissima, debet præueniri, non modò sensationibus, sed etiam actionibus imperfectis: non modò ex parte cognitionis, sed etiam ex parte obiecti; quia enim species specialissima est perfectissima, & indiuiduum adeò perfectum; vt prima substantia ab Aristotele dicatur, *capite de Substantia*, debet prius

prius cognosci id, quod est imperfectius, idest, vniuersalius. His mediis vtitur etiam Ruuius *numero* 46. ad probandum, vniuersaliora minùs vniuersalibus esse prius cognita: Sed hoc valet etiam, respectu singularium, quod probo ad hominem, contra Ruuium, ex Diuo Bonauentura *loco citato*, Sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci; Sed quælibet res primò habet esse vniuersale, *verb. grat.* corpus quàm Petrum; Ergo: Et hic est sensus Aristotelis 1. *Physica*, *text.* 4. etiam discendo seruari hunc ordinem, etiamsi intellectio non impedita, sed expedita sit; Nam quantò aliquid simplicius est, tantò est prius: Sed forma quantò vniuersalior, tantò est simplicior: ergo tantò prior; sed in processu ordinato per id, quod prius est, deuenitur ad id, quod posterius: ergo. Hoc est secundum argumentum S. Bonauenturæ hîc.

Confirmatur ab eo, *argumento tertio*. Intellectus, vt sit verus, debet intelligere res, sicut sunt: Sed differentiæ extrahuntur de potentia generis: Ergo genus est prius in esse, & etiam in cognitione.

Adde cum Diuo Bonauentura *in corpore*, ex *primo Physica*, *text.* 3. Confusa sunt magis nobis notiora; At confusiora sunt magis vniuersalia, quæ continent in potentia, non in actu; sicuti singularia faciunt.

Respondet Scotus, Aristotelem ibi per confusa intelligere, non vniuersalia, sed singularia.

Contra: Ergo primò Cognitum, non est species specialissima, sed singulare, contra Scotum. Nec valet effugium Fauentini; singulare non cognosci sub proprio conceptu, sed sub conceptu speciei specialissimæ, & hunc esse primum, qui offertur intellectui: oppositum enim demonstraui *disp.* 4. *quæst.* 1.

Contra secundò: Nam Aristoteles statim subdit: *Quapropter ab vniuersalibus ad singularia procedere oportet*, & afferam exemplum de pueris, initiò vocantibus omnes homines, Patrem, & Matrem; deinde verò solùm *hunc*, & *hanc*, qui sunt veri parentes.

124 Obiicies primò cum prima sententia. Vniuersale cognoscitur ab intellectu, per abstractionem à singularibus, & abstractio ipsa est operatio Intellectûs, per quam cognoscit rationem communem in eisdem singularibus existentem: Ergo prius cognoscit singularia. Hoc argumentum à nonnullis adducitur è D. Bonauentura, *in* 1. *dist.* 19. *parte* 2. *quæst.* 2. Sed non adeò clarè.

Respondeo primò in opinione dicentium, singulare solùm indirectè intelligi, (de qua egi *quæstione* 2.) speciem primò abstrahi vniuersalem, repræsentantem materialiter, & confusè vniuersaliorem naturam mediâ abstractione: Neque id formaliter esse sumptum; sed materiali modo sensato.

Respondetur secundò, in opinione dicentium, singulare per propriam speciem exprimi; eo modo repræsentari, quo à phantasmate hauritur species: hæc autem hauritur, hæc numerò, repræsentans obiectum sensatum, ordine tamen naturæ, vt primò corpus: deinde viuens, vltimò Leo, *verbi gratiâ*, & hic Leo repræsentetur; erit ideò primò Cognitum vniuersale in hoc: Itaque vniuersale est primum in sensu, & per hoc ad cætera patet, quæ vrgent Authores primæ sententiæ, & referuntur à Fauentino, *cap.* 5.

Colliges secundò ex Aristotele, *primo de Anima*. Vniuersale, aut nihil est, aut posterius: Ergo est posterius cognitum: ergo singulare est prius cognitum.

Respondet S. Bonauentura, Vniuersale formaliter, & perfectum, esse fabrefactum post cognitionem singularium; At vniuersale materialiter, seu negatiue, quatenus dicit naturam fundamentaliter, tanquam basim vniuersalis; & est à parte rei; *verb. grat.* ibi est corpus, viuens, Animal, Homo; quæ tamen non sunt ratio aliqua vniuersalis, vt putant Scotistæ; sed hoc corpus, hoc viuens, &c. vt dixi *Tract.* 5. *disp.* 5. *num.* 17. 25. *& seq.* 51. *& sequent.*

Obiicit tertiò Faber argumentum, à Philosophis contra Scotum eiaculantem validè retortum, quod permunire satagit, vt retundentes feriat. Causæ naturales, non impeditæ, producunt effectum in suo ordine perfectiorem, quantùm valent; Sed causæ producentes intellectionem naturales sunt, nec impeditæ: Ergo producunt primò perfectissimam in suo ordine intellectionem; At hæc est speciei specialissimæ: Ergo.

Respondeo primò, hoc concludere pro me: 125
modus enim cognitionis imitatur modum generationis, ex ipso Scoto apud Fabrum ibi: Ordo autem naturalis generationis est, vt prius producantur partes, quam totum, priùs sanè tempore, si exigatur dispositio per motum; vel saltem naturâ, si omnia sint disposita. Cùm autem ad intellectionem primæ substantiæ perfectissimam, requiratur cognitio perfectissima partium; Sequitur, eas primò intelligi: Itaque, vt intelligat perfectissimè illum hominem comparentem, debet præintelligere, esse corporeum, viuens, &c. Quo enim pacto cognoscit perfectissimè illum hominem, si non præintelligat prædicata constituentia illum? Demus Fabro, & Scoto, primo aspectu percipi, eum esse hominem, & hæc sit propositio per se nota perfectissimè; Profectò ex alia notitia supposita id fiet, quæ ostendit, illum, corpus esse viuum, sentiens; ac proinde primò Cognitum erit vniuersalius, vt perfectissima sit speciei atomæ notitia, quam Scotus supponit: Sunt enim prædicata generica, veluti partes constitutiuæ speciei atomæ. Hæc sanè cognitio prima in homine, cuius intellectus in corpore à multis sensationibus præuiis pendet, multisque imperfectionibus est obnoxius, erit prior tempore: At esto, demus totum, quod auet Faber in Syllogismo; adhuc subsumptum contra ipsum retorquetur eum conclusione, sic: Sed hæc cognitio prima est vniuersaliorum, vt ostendi: Ergo. Quod si perfectissima cognitio ab exquisitiori, & atoma constitutione est sumenda; profectò erit cognitio indiuidui: Est enim addens distinctiorem notitiam, & ipsum per propriam Hæcceitatis speciem percipitur, apud Scotum, vt dixi *quæst.* 3.

Respondeo secundò, dimittendo ad multas aliorum responsiones, à Fabro relatas, nec satis reiectas.

Obiicies quartò cum Scoto. Metaphysica est vltima, ordine doctrinæ: ideò multæ scientiæ ipsam præcedunt, & maximè Philosophia naturalis: Ergo principia harum scientiarum, & termini illorum principiorum cognoscuntur, priusquam principia Metaphysicæ: At illi termini præcedentes metaphysicalia, sunt minùs vniuersales: Ergo.

Respondetur ex dictis cum D. Bonauent. primum Cognitum, non esse terminos Metaphysicos, sed significatum entis concreti sensibilis.

Contra arguit Lichetus, & Faber. Vel ille conceptus est abstractus, & tunc est Metaphysicus;

cus; vel est concretus: Ergo singularis: Ergo primò Cognitum est singulare.

RESPONDETVR, esse concretum, non tamen est singulare, vt sic; sed ens commune in hoc singulari. Miror Scotistas, tenentes etiam ens reale à parte rei vniuersale in concreto, non inferre pro se: Ergo vniuersale concretum est primò Cognitum.

196 RESPONDEO secundò, malè Scotum, & Fabrum deducere primò, Cognitum cognitione confusa, esse minus vniuersale, eò quòd Aristoteles primò ponit Scientias minùs vniuersales, id est naturales, & vltimò Mataphysicam, quæ de ente vniuersalissimo agit. Arguo autem sic: Ordo scientiarum sumitur à faciliori notitia distincta, vt fatetur Faber, non à confusa: Cùm ergò minùs vniuersale sit primò cognitum, cognitione confusa, vt dicitis, & magis vniuersale sæpè cognitione distinctâ, & sæpè etiam confusâ, vt Faber Zabarellæ concedit: Ergo malè asserit cum Scoto, minùs vniuersale semper esse primò Cognitum, cùm magis vniuersalia sæpè faciliùs agnoscantur, quod ostendo ex ipso Fabro. Nam Aristoteles, priùs agit de Principiis in genere rerum naturalium in libris Physicorum; Mox de Cœlis, Animalibus; Plantis, & Compositis. Quòd verò Metaphysica vltimo loco ponatur, nihil ad rem; quia ea tractat vniuersalia, non concreta, de quibus agimus hîc; sed summè abstracta.

OBIICIES quintò cum Scoto: Si priùs cognoscerentur vniuersaliora; sequeretur quòd intellectus, præsentato sibi singulari rationali; vix, post multum tempus, illud cognosceret; quia primò deberet cognoscere esse ens, substantiam, corpus viuens, animal, homo; sed hoc experimento falsum est: Ergo. Hoc argumentum est vltimum D. Bonauent. *loco citato, addito corpore quæstionis*; vbi affert exemplum de vidente albedinem; Quia sicut res se habet in generatione, ità & ad cognosci; atque adeò priùs deberet cognoscere eam esse accidens, esse qualitatem, corporalem, sensibilem, colorem, &c.

RESPONDET Zabarella ex Sancto Bonauent. *ad Argumenta*. Illud vniuersale primò Cognitum, non esse vniuersale abstractum, sed vestitum singularitate; In hoc ideò cognosci confusè hoc esse corpus, viuens, Animal, Hominem, Petrum, vt docet D. Bonauent. etiam *in 4. dist. 12. part. 1. artic. 2. quæst. 3. argum. 3.* Verum autem esset argumentum, si abstractionibus procederetur, quod in cognitione confusa non fit, sed cognoscuntur concreta; *verb. grat.* Corpus, viuens, hoc, &c. Et per hoc patet *ad vltimum* Scoti; Non enim verum est, illud, cognitione confusâ, priùs nosci, quod est facilioris abstractionis. Addo, negando, minùs vniuersale faciliùs abstrahi. Vide Caietanum, & Zabarellam.

QVÆSTIO V.

An SVBSTANTIA *materialis, & Accidentia eius non per se Sensibilia cognoscantur ab intellectu nostro pro hoc statu per speciem propriam; atque adeò directè, ac per se.*

197 PRIMA opinio ait, dari speciem propriam substantiæ, &c. ac omnium accidentium eius. Ità Soncinas, 7. *Metaph. quæst.* 14. Iauellus, *quæst.* 3. Fonseca, 2. *Metaph. cap.* 1. *quæst.* 2. *sect.* 6. & 5. *Metaph. cap.* 28. *quæst.* 4. *sect.* 4. Collegium, 3. *de Anima, cap.* 5. *quæst.* 5. *art.* 1. Et referunt D. Thom. *de veritate, quæst.* 10. *art.* 5. 2. *Poster. text.* 27. & *opusc.* 29. Auerr. 2. *de Anima, com.* 63. Ferrar. *l. b.* 3. *quæst.* 3. Apollin. *quæst.* 12. Abulens. *suprà, cap.* 25. *Matth. quæst.* 608. Caiet. 3. *part. quæst.* 76. *art.* 7. & communiter sequuntur Thomistæ. Cæsar Cremoninus apud Ragusium *dist.* 15. *part.* 3. *cap.* 36. Eustach. 3. *part. Phys. tract.* 4. *disp.* 2. *quæst.* 3.

SECVNDA opinio est, speciem repræsentare totum compositum ex substantia, & accidente. Ità Tolet. 3. *de Anima, quæst.* 6.

TERTIA opinio est negans speciem propriam substantiæ. Ità Diuus Bonauentura, *in* 4. *dist.* 12. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *fundamento secundo.* Sequuntur Scotus, *in primo, dist.* 3. *quæst.* 3. *litt.* K. & *dist.* 22. *quæst.* 1. *in corpore*, quem referunt, & sequuntur Fauentinus, *Theor.* 88. Mastrius, *disp.* 4. *quæst.* 3. *num.* 31. Suar. *lib.* 4. *de potentia intellectiua, cap.* 4. Ruuius 3. *de Anima, cap.* 4. & 5. *quæst.* 4. *num.* 137. Idem asserunt Richard. *in* 2. *distinct.* 24. *quæst.* 3. *art.* 3. Herueus, *quodl.* 3. *quæst.* 17. Tignosius, *primo de Anima, ad textum* 11. Iandunus, *ibi, quæst.* 10. Valeſ. *in libro de Sana Philosophia, cap.* 74. *pagina* 478. Et iam in Scholis omnium plausum obtinet concordem: Subscribit Fuliens. 3. *Phys. cap.* 8. *art.* 3.

ASSERO igitur, Substantiam non repræsentari immediatè. 198

PROBATVR à Ruuio, *num.* 138. Suar. *num.* 2. *loc. cit.* ex D. Bonauent. *loc cit.* & *in quæstione tota.* Illud extra immediatè, & per se cognoscitur ab intellectu, quod immediatè mouet sensum; sed substantia non mouet immediatè sensum: Ergo. Maior probatur à Diuo Bonauent. *in* 2. *dist.* 39. *quæst.* 2. ex Aristotele, *primo Poster. cap. de ignorantia pura negationis, & de Sensu, & Sensibili*, vbi habet; *Nihil in intellectu, quod prius non fuerit in Sensu*, & ideò addit: *Amittentes vnum sensum, vnam scientiam amittere.*

IDEM habet Sanctus Bonauentura, *in* 4. *dist.* 10. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *in argumentis.* Dixi ea, quæ extrà adueniunt, quia aliqua cognoscuntur intus, absque abstractione, vt ibi Sanctus Doctor ostendit. Minor probatur ex Aristotele 2. *de Anima, cap.* 6. vbi docet substantiam esse sensibilem per accidens. Id autem est tale, quod per accidens coniungitur ei, quod sentitur per se. Hæc ratio est euidens, vt ait Faber: Neque Æstimatiua elicit species substantiæ, vt fingit Eustachius.

PROBATVR secundò à Fabro ex Diuo Bonauentura, *in* 4. *loco citato.* Id, quod immediatè immutat intellectum, potest (si absit) cognosci ab intellectu, quando non immutatur: Exemplum est, *secundo de Anima, text.* 113. vbi dicitur, quod visus est tenebræ perceptiuus, quando, scilicet lux non est præsens: Ergo si intellectus naturaliter immutaretur à substantia immediatè; Sequeretur, quod quando substantia est absens, posset naturaliter aduerti ab intellectu; & ità posset intellectus naturaliter cognoscere in Hostia Sacrosancta absentiam substantiæ panis; quod est error in fide. Idem argumentum elicitur ex Diuo Bonauentura, *in* 4. *dist.* 10. *loc. cit.* maximè, *fundamento primo, & secundo.*

PROBATVR tertiò à Diuo Bonauentura, *in* 2. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. *argum.* 2. *ad oppositum, addito responso.* Omne obiectum sensus per se ponitur

 ab

ab Aristotele in tertia specie qualitatis; sed substantia non est de specie qualitatis: Ergo.

199 Obiicies primò ex Aristotele 7. *Metaphys. textu* 4. Substantia est prior cognitione accidentibus.

Respondetur ex D.Bonauent.allegato,*sec.9. quæst.* 2. Substantia in se, quia est magis ens, habere magis de cognoscibilitate, quia, cùm ens sit obiectum intellectus, tantò aliquid intellectui est proprium obiectum, quantò magis habet de entitate. Iam substantia est ens: Accidentia autem sunt entis entia, vt habet Aristoteles, *initio Metaph.* Et vnumquodque, sicut se habet ad esse, ità & ad cognosci, vt habet Aristoteles 2. *Metaph. text.*4. Et notat D. Bonauent. *in primo,dist.*36. *art.*2.*quæst.*2. *fundamento* 3. At verò per accidens, substantia est posterior, quia nostra cognitio pro hoc statu pendet à Sensibus, qui sola sensibilia accidentia percipiunt. Ità respondet Ruuius, *num.* 145. Fuliensis, & alij.

Obiicies secundò. Æstimatiua è speciebus sensatis, elicit speciem non sensatorum obiectorum accidentium: Ergo fortiùs habet virtutem eliciendi speciem substantiæ.

Respondetur ex dictis *disputat.*4. *quæst.* 15. Species illas sensatas habere virtualiter in se repræsentare ea obiecta. Ita ait etiam Ruuius, *numero* 146. At accidens virtualiter non continet Substantiam.

Ex his solutæ sunt rationes etiam Toleti; non enim, aut phantasmata, aut species intellectus agentis repræsentant coniunctum; sed tantùm accidens: Coniunctum verò per discursum à nobis deducitur, eo modo, quo Substantia cognoscitur; nam cognitis accidentibus, cognoscimus ea non esse per se, ideò Substantia deducitur; & posteà Coniunctum.

QVÆSTIO VI.

Quomodo cognoscantur ab Intellectu pro hoc statu Svbstantiæ Separatæ.

S.Bonau. in 1. dist. 3.
art. 1. per 4. quæst.
D.Th. p.1. q.88. art.1.

200 Iam *tractatu primo*, *disput.* 11. *quæst.* 28. & 29. vidimus per creaturas cognosci Creatorem, quod etiam Aristoteles fatetur, *libro primo*, *de partibus Animalium*, *cap.*5. non longè à principio. Iam videndum est, quomodo habeatur hæc cognitio; num per species proprias; an per Idola, &c.

Prima opinio censet, nullam dari speciem propriam, vel proprium conceptum rei spiritualis in nostro intellectu; sed idolum tantum rei materialis, quod à nobis eius loco substituitur, ad cuius similitudinem intellectus excogitat,ferè se gerere vt Angelum in spiritualibus. Ità Recentiores aliqui.

Secvnda opinio est, per proprias species, productas ab intellectu agente; res spirituales percipi.

Tertia opinio est præcedenti opposita, neque per Idola, neque per proprias tantùm species earum, res spirituales hic percipi. Ità D.Thom. 3. *contra Gentes*, *cap.*45. vbi Ferrar. & *p.p. quæst.*88. *art.*1. & 2. vbi Caietanus, Bannes, ac cæteri eius Interpretes. Scot.*in primo,dist.* 3.*quæst.*2. §. *Quintò dico*, quod ista, quæ cognoscuntur de Deo, cognoscuntur per speciem creaturarum. Eos sequuntur omnes ferè Recentiores, quos sequitur Ruuius 3. *de Anima*, *cap.* 5. *quæst.* 5. Suarez, 4. *de Anima*, *cap.*6.

In hoc tamen differunt Scotistæ à Thomistis, quod illi volunt res spirituales quidditatiuè cognosci: Thomistæ verò negant, hanc esse cognitionem quidditatiuam,concedunt tamen, esse quidditatis, quæ differentia videtur potiùs in nomine, vt notat Suar. *num.* 7.

Cæteris exactior D. Bonauent. *in primo, dist.* 3. *part.* 1. *art.* 1. tradit modum, quo Deus à nobis percipitur in hoc statu. Et primo quidem *in prima quæstione*, maximè *ad vltimum*, pro tertia Sententia se declarat, negans, Deum cognosci per propriam speciem; Attamen non admittit idolum, sed speciem, seu notitiam aliquam abstractam; hanc verò à creaturis haberi docet, *quæst.*2. vel per positionem, vel per negationem, vt mox explicabo; maximè verò id docet *in corpore*, & *ad primum Argumentum.* Et *quæst.*4. *fundamento secundo.* In *tertia verò quæstione* explicat, quomodò per creaturas in via cognoscatur Deus; nempè, vt per vestigia, & Imagines. Idem docet, *quæst.* 4. In secundo autem, *dist.* 39. *quæst.*2.docet, cognitionem de Deo non esse omninò haustam à speciebus, sed inditam esse nobis, quoad aliqua prima principia.

Advertit igitur S. Bonauent. *quæstione prima*, & *quarta*, *adductis locis*, duabus viis posse intellectum pro hoc statu ex rebus creatis corporeis Deum, & alia inuisibilia cognoscere. Prior vocatur negationis, quam ponit etiam D. Thom. *p.p. quæst.*88. *art.*2. *ad* 2. remouendo, & negando de re spirituali imperfectiones rerum corporearum, vt si videat Cœlum, & cognoscat esse corpus compactum ex materia, & forma, esse inanime, non intelligens; intellectus deducit,hanc perpulchram,ac perfectam substantiam esse à primo Principio, quod tamen non habeat imperfectionem compositionis, corporeitatis, priuationem cognitionis, &c.

Altera via est positionis, seu attributionis, 201
quam desumpsit Scotus; *loc. cit.* in qua procedit intellectus, attribuendo substantiæ spirituali quidquid perfectionis cognoscit in rebus corporeis, sed sine imperfectione; imò cum maiori perfectione; itavt ex pluribus positiuis, atque perfectis, eliciat conceptum perfectiorem absque imperfectione; & hi sunt conceptus proprij, quos intellectus format de Deo, & Angelis, non quidem formati per propriam eorum speciem, nec repræsentantes immediatè per se eorum substantiam; & ideò nec quidditatiuè, quamvis sunt conceptus Prædicatorum, pertinentium ad quidditates eorum, vt cum eis conuertibiles, quia eis solis conueniunt: Quare meritò vocantur proprij, licèt per species alienas formati. Et in hoc decepti sunt Authores primæ sententiæ, qui putant, intellectum formare de eis solùm conceptus alienos, putà concipiendo Angelum in similitudinem pulcherrimi adolescentis. In hoc decepti sunt etiam Authores secundæ Sententiæ concedentes intellectui quidditatiuum conceptum rerum, per speciem propriam earum formatum.

Vide Sanctum Doctorem, *in serm. Hexaëmer. Itinerario mentis. Et de septem Itineribus.*

Hanc doctrinam sequuntur Ruuius à *n.* 158. Suarez, *à num.* 8. vbi addit D. Dionysium, *cap.* 7. *de Diuinis nominibus.*

Tertiam

Tertiam viam per effectus, ex Aristotele, 8. *Physyc.* & Apostolo, Rom. primo, *Inuisibilia Dei, &c.*

Qvartam per intellectum nostrum, in quo, cum substantiis illis spiritualibus conuenimus, ex D. Augustino 8. *de Ciuitate Dei, cap. 5. & 6.*

Qvintam, ex perfectione vniuersi, quæ omnes viæ sunt ex Diuo Bonauentura excerptæ, quibus addit præcipuè imaginem Dei, quæ in nobis resplendet.

Hanc tamen cognitionem aliquarum sanè rerum quidditatiuam confitemur, non tamen quidditatiuam adæquatè, multò minùs comprehensiuam, vt sæpè repetit S. Bonauent. *locis adductis*, quem sequitur Suar. *num. 1.*

201 Assero primò, nullam substantiam spiritualem, posse à nobis, pro hoc statu mortali, cognosci, provt in se est, seu per propriam eius speciem.

Probatvr à Suar. *num. 2.* & Ruuio, *num. 161.* Intellectus noster acquirit species intelligibiles, mediis sensibilibus obiectis, offerentibus phantasmata, à quibus modificantur species intelligibiles; Sed per phantasmata non repræsentantur directè spiritualia obiecta, sed sola corporea, cùm sint species sensibiles: Ergo non potest ab intellectu nostro viatore produci species, spiritualia repræsentans, sed rem dumtaxat sensibilem.

Hoc argumentum sumptum est ex Diuo Bonauentura, *in 2. dist. 39. loc. cit. ad argumenta*, vbi tamen addit ex D. Damasceno, *libro primo de fide, cap. 1. & 3.* & D. August. *lib. de Ciuitate Dei*, insitum esse nobis desuper lumen quoddam seu iudicatorium, vt facilè quid sit Lucis cognoscatur in *libro Lucis*, qui Veritas est. Vnde infert axioma illud Aristotelis: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Et quod Anima est velut tabula rasa, intelligi, quoad ea, quæ extra sunt; Nam intus habemus lumen aliquod inditum, de quo Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hæc tamen cognitio non est expressa, & completa, sed ex creaturis completa colligitur, vt docet idem S. Doctor *in 1. dist. 3. loc. cit.* Innatum, *verb. grat.* (ait D. Bonau. *in 2. dist. 39. loc. cit.*) nobis est, honorem Parentibus exhibere; At egemus speciebus repræsentantibus, qui sint Parentes nostri.

Idem argumentum habet S. Bonauent. *in primo, dist. 3. quæst. 1. in corpore*, dum prælibat, Deum esse in se maximè cognoscibilem, cùm sit *Lux* praeclarissima; Attamen ex pluribus impedimentis nostris, non elucere nobis: Hæc autem impedimenta, docet *quæst. 3.* esse; tum quia Anima corpore concluditur, & à sensibus pendet; tum quia post lapsum originarium, cœcitatem nacti sumus. Propter quod in via *videmus per speculum in ænigmate*, vt habetur *primo, Corinth.* 13. Per speculum quidem in statu innocentiæ; nunc verò obscurius in ænigmate, vt exponunt S. Augustinus 15. *de Trinitate, cap.* 8. Damascenus, & alij Patres ad hunc locum Apostoli, quem adducit Sanctus Doctor, *quæst. 3. in corpore.*

203 Assero secundò, Angelos per proprias species non cognosci.

Probatvr à Diuo Bonauent. *in 2. dist. 39. loc. cit.* Quidquid extra cognoscitur, ediscitur per sensum; sed sensus non potest accipere speciem spiritualis naturæ: Ergo. Hac ratione vtitur Ruuius, *num. 161.*

Assero tertiò, posse tamen haberi eorum cognitionem.

Probatvr à Diuo Bonauent. *in 2. distinct. 1. part. 2. quæst. 2.* vt vidimus, *tract. 4. disput. 1.* & *tract. 3. disp. 2. quæst. 4.* Præcipuum argumentum est D. Bonauent. *locis adductis*, quo vtitur etiam Suar. *num. 4.* quia nos euidenter cognoscimus, animas nostras esse spirituales, incompletas tamen substantias: Deum verò esse substantiam spiritualem perfectissimam: Ergo hinc deducimus, dari substantiam mediam spiritualem inter Deum, & animam, & hanc esse substantiam spiritualem, creatam, completam, id est Angelum. Confirmatur, quia neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ inuenimus contradictionem; imò per hanc effulgere potentiam, sapientiam, bonitatem Dei. Has etiam ex motibus Cœlorum, &c. colligimus cum Aristotele 7. & 8. *Phys.* & *in Metaphysica.*

Modos cognoscendi Deum per creaturas, diuinitus tradit S. Doctor *in opusc.* passim.

QVÆSTIO VII.

An, & quomodo Anima *in hoc statu seipsam cognoscat.*

D. Thom. p. p. quæst. 87. art. 1.

Prima opinio est, Animam cognoscere seipsam, non immediatè per propriam speciem, sed deductiuè è speciebus materialium, & ex propriis actibus. Adducitur D. Thom. *quæst. 10. de veritate, art.* 8. & *p. p. quæst.* 87. *art.* 1. Ibi Caietanus, & Bannes, *quæst. 6. num.* 174. vbi ait, esse communem inter recentiores, præcipuè Thomistas.

Secvnda opinio ait, Animam seipsam intelligere per propriam substantiam, quæ ei, loco speciei, deseruit. Ità D. Bonauent. *in 2. dist. 39. quæst. 2.* quem sequuntur Henric. *quodl. 4. quæst. 7.* Gregor. *in primo, dist. 3. quæst. 2.* Valentia, *tom. 1. disp. 6. quæst. 7. puncto 2.*

Assero cum hac sententia, Animam sibi loco speciei inseruire, vt seipsam cognoscat. 204

Probatvr primò à D. Bonauent. *in 2. dist. 3. part. 2. art. 2. quæst. 2. fundamento 2.* ex D. Augustino, qui expresse id docet, *nono, de Trinitate, cap. 3.* vbi ait: *Mens ergo ipsa, sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit; sic incorporearum rerum per semetipsam. Ergo & semetipsam per seipsam nouit, quoniam est incorporea.*

Respondet D. Thom. *p. p. quæst.* 8. *citata ad primum*, Ruuius, *num.* 182. sensum Diui Augustini esse, animam cognoscere seipsam, per seipsam, id est, per proprium actum; non per accidens, sicut haurit per sensus notitiam rerum corporearum.

Contra arguit Valentia ex Diuo Bonauent. quia Diuus Augustinus ideò quoque animam ait, se per seipsam cognoscere, quia non è sensibilibus colligit speciem, & notitiam sui; vt patet ex Antithesi, quam facit ibi Diuus Augustinus inter modum, quo Anima cognoscit res corporeas, & incorporeas.

Idem vult Sanctus Bonauentura dicens: S. Augustinus eam vnicam rationem assignat, ob quam anima non nouit seipsam per species; quia scilicet species rerum incorporearum non potest fieri in sensu, vel species acquiritur, mediante sensu.

Sanè

Sanè & Scotus Diuum Augustinum patronum nostrum confitetur.

205 Probatvr secundò à Valentia, argumento S. Bonauent. *in 2. dist. 3. part. 2. art. 2. quaest. 2. argumento 3.* Quæ sunt essentialiter, & præsentialiter in potentia cognoscente, cognoscuntur per sui præsentiam, & essentiam; sed anima, & ea, quæ sunt in ipsa, sunt intima essentialiter, & præsentialiter ipsi animæ: Ergo. Maior patet; nam species ideò ponitur, vt obiectum fiat intimè præsens ipsi potentiæ, & modo proportionato, quando obiectum est præsens, sed adhuc materiale. Hoc est argumentum Diui Augustini *9. de Trinitate, cap. 3. & 12. super Genes. cap. 25.* vt notat D. Bonauent. Minor probatur; nam anima realiter est idem cum suis potentiis; similiter actus, & habitus sunt in eadem anima, & sæpè formaliter in intellectu. Hæc autem vnio est maior, quam ea, quâ obiectum vnitur potentiæ per speciem intellectualem.

Confirmatvr à Valentia ex Diuo Bonauentura, *loc. cit.* Nam Angelus seipsum intelligit per suam substantiam; non per speciem, ideò, quia est intimè præsens, & vnitus ipsi intellectui, vt ostendi, *tract. 4. disp. 2. quaest. 7.*

Respondet D.Thom. hîc, Ruuius, *num. 184.* Discrimen esse inter Animam, & Angelum, quòd anima, pro hoc statu, est tantùm potentiâ intelligibilis, non actu; quia spectat ad ordinem rerum corporearum; ideò, sicuti res aliæ corporeæ, est improportionata intellectui.

Hoc mihi futile videtur; quia per separationem non acquirit nouam notitiam, nec perdit aliam, sed tantùm amittit organa, quibus res extra haurit, & acquirit nouum modum extra essentiam, & accidentarium: Quare cum in corpore habeat intellectum, & obiectum proportionatum præsens, id est, eandem essentiam animæ, & cætera ad substantiam pertinentia, potest seipsam intelligere: Nam quoad essentialia etiam in statu separationis est essentialiter forma ordinata ad corpus; quare eodem modo non potest seipsam intelligere. Igitur in corpore solùm eget cognoscere, per species sensibiles, corpus actu informatum, & nihil ampliùs, vt rectè colligitur ex D. Bonauent. *locis adductis.* Per hæc corruunt prolixa Ruuij fundamenta.

Neqve aliquis dixerit, inde sequi animam in perpetua, ac incessabili sui cognitione detineri, quia per propriam substantiam seipsam concipit; non enim per propriam substantiam ex parte potentiæ, sicuti Deus; sed per potentiam distinctam formaliter, & actum realiter distinctum accidentalem, qui sæpè abest; cognoscit seipsam; ex parte verò obiecti non eget medio, sed ipsa per se substantia satis peruia est; non tamen per essentiam dicenda est intelligere. Ità D. Bonauent. *in 2. dist. 3. part. 2. art. 1. quaest. 3.*

206 Hinc etiam habes actus, & habitus ipsos animæ percipi ab ea, sine medio. Ità Diuus Bonauentura *in 2. dist. 3. part. 2. articulo secundo, argumento tertio.*

Obicies, Aristoteles *3. de Anima, text. 14.* docet, animam initio esse veluti tabulam rasam, in qua nihil est depictum. Et *primo Poster.* & *lib. de sensu, & sensibili* docet, omnem nostram cognitionem à sensibus hauriri, & nihil esse in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu.

Respondet Diuus Bonauentura, *in 2. dist. 39. loc. cit. ad argumenta*, Aristotelem loqui de his rebus, quæ per abstractionem cognoscuntur; seu quæ extra sunt; sic ait etiam Valent. *in calce puncti.*


Ex dictis habes, non esse vniuersaliter verum, intelligentem semper speculari Phantasmata; hoc falsum est primò in cognitione, quam habet anima de seipsa. Secundò in discursiua, & deductiua, ad quam sequitur deliberatio. Ideò sine respectu ad Phantasiam, potest voluntas ex cognitis in intellectu, deliberare de peccato, de virtute, &c. vt ait Sanctus Bonauentura *in secundo, dist. 5. articulo 3. quaest. 1. ad secundum.* Dependentia verò ita alligata, ex peccato ortum habet, vt docet sæpè Diuus Bonauentura, præcipue *in secundo, distinct. 3. part. 2. quaest. 3.* & alibi: Estque sententia Diui Augustini, *de Trinitate, cap. vltimo*; licet Scotus *in secundo, dist. 3. quaest. 8. ad primum principale*, oppositum docens, audeat effutire: *Quidquid dicat Augustinus.*



DE VOLVNTATE.

CAPVT V.

DISPVTATIONIS.



HÆc est Nobilis illa rationalis animæ facultas, suo motu cæteras vires, aut mouens, aut cohibens; rationis sequitur ductum, cuius tamen dicto plus imperat, quàm obtemperet, cuius lumen pro libito, modò hâc, modò illâc deflectit, tanquam Domina imperans Famulo præ se eunti, vt Facem hac, aut illa via vertat: Postquam igitur egimus de Intellectu; Iam recto ordine de Voluntate agendum, provt potentiam, non provt actum significat, quo tamen sensu sumitur apud Diuum Augustinum, lib. 83. quæst. 40. *Non itaque putandum est, diuersas esse Naturas animarum, quia diuersæ sunt voluntates, cùm etiam vnius animæ voluntas pro temporum diuersitate varietur.* Cùm enim velle dependeat à videre, pro diuersitate Intellectus visionum; diuersæ quoque erunt voluntates, vt ait ibidem Sanctus Augustinus: *Ex diuersis Visis, diuersus appetitus animarum est: Ex diuerso Appetitu, diuersus adipiscendi successus: Ex diuerso Successu, diuersa consuetudo: Ex diuersa Consuetudine, diuersa est voluntas.* Huius facultatis excellentiam, & nobilitatem perquiremus; posteà de innata ipsius libertate breuiter etiam acturi.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quanam, & qualis Potentia sit VOLVNTAS.

D. Thom. p. p. quæst. 82.

VOLVNTAS, vt sæpè diximus, est Potentia, eáque ab intellectu distincta, vt ostendi *disputatione 2. quæstione 2.*

SVMITVR tamen Voluntas non rarò, & nominatur ipsa potentia aliquando, pro Affectu voluntatis; aliquando pro Vsu per actum, vt notaui suprà è D. August. & docet D. Anselm. *de lib. arbr.* adductus à Diuo Bonauent. *in 2. distinct. 25. part. 1. quæst. 4. in corp.* & *dist. 26. dub. 1.* Agendum est hîc autem de Voluntate Potentia: Nam de affectionibus, & de vsu ipsius, tum *Prima secunda*; tum etiam *Secunda secunda*, agam.

207 VOLVNTAS igitur humana est appetitus, quo ferimur actu elicito in bonum, ab intellectu apprehensum; sicut appetitu sensitiuo ferimur in bonum, à sensu apprehensum. Quod indicatur à Philosopho *3. de Anima, text. 42.* dum ait, voluntatem esse in ratione; quia ratio per modum disponentis, & consulentis regit voluntatem, non tamen imperando: Hinc est, vt æquè latè pateat obiectum Voluntatis, ac Intellectus: Nam in omne ens ferri potest, quod ab intellectu sit apprehensum sub ratione boni: Ex quo rursum sequitur, non distingui Voluntatem in duplicem appetitum, videlicet in Concupiscibilem, & Irascibilem, sicut distinguitur Appetitus sensitiuus; bonum enim absolutè consideratum, quod est obiectum Concupiscibilis, & bonum, vt arduum, quod est obiectum Irascibilis, materialiter comprehenditur sub formali obiecto voluntatis, nempè sub bono in communi. Quo fit, vt vna, & eadem potentia voluntatis in vtrumque tendat, quatenùs vtrique conuenit communis ratio boni: Attamen, vt tendit in bonum, vt sic, potest vocari Concupiscibilis: Vt autem tendit in bonum arduum, potest vocari Irascibilis. Ita docet Valentia, *tom. 1. disp. 6. quæst. 6. punct. 1.* post Diuum Thom. *p. p. quæst. cit. art. 5.* & D. Bonauent. *in 2. dist. 25. p. p. quæst. 6. ad argumenta.*

QVÆSTIO II.

An VOLVNTAS *sit* INTELLECTV *Nobilior.*

D.Th. p.p. q.83. art.3. & p.2. quæst.3. art.4. D. Bonau. in 4. d.49. passim, & in 2. d. 25. part. 1. quæst. 6.

PRIMA opinio est, Intellectum Voluntati præcellere. Ita D. Thom. hîc, vbi Thomistæ omnes, Caiet. Medina, Complut. *disput. vltima, de Anima, cap. 13. quæst. 7.* Idem S. Thomas, *quæst. 12. art. 5.* Capreol. *p. p. quæst. 2.* & *dist. 3. quæst. 3. art. 2.* Henriq. *quodl. 8. quæst. 8.* Palud. *4. dist. 49. quæst. 3.* Durand. *quæst. 4.* Venat. *3. de Anima, text. 18.* Colleg. *3. de Anima, cap. 13. quæst. 2.* Ruuius, *ibidem*, Abulens. *ad cap. 5. Matth. quæst. 30.* Suar. *lib. 5. de Anima, cap. 9.* Vasq. *prim. 2. disp. 11. cap. 8.* & *disp. 49.* Inclinat Valentia, *tom. 1. disput. 6. quæst. 6. puncto 2.*

E regione stat Diuus Bonauentura, *dist. 49. cit.* eum sequuntur Scotus ibi *quæst. 4.* & omnes Scotistæ Interpretes. Faber, *disput. 9. de Pænit. cap. 4.* Cauell. *disput. 3. de Anima*, Bellut. & Mastrius, *disp. 7. de Anima, quæst. 8.* Henric. *quodl. 1. quæst. 14.* Ocham, *in primo, dist. 1. quæst. 2.* Ægid. *quodl. 3. quæst. 19.* Argent. Gabriel, Aureol. *4. dist. 49.* Consenserant Albert. *primo, dist. 1. quæst. 14.* Alens. *3. part. quæst. 80. membr. 1.* Subscribit Eustach. *3. part. tract. 4. disp. 2. quæst. 11.* Item Poncius, sed tepidè, *dist. 7. quæst. 9.*

ASSERO cum hac Sententia, Voluntatem esse potentiam præstantiorem, & nobiliorem intellectu. 208

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura, *in 3. dist. 31. art. 3. quæst. 1. in corpore.* Actus, & habitus perfectiores, indicant maiorem potentiæ dignitatem, & capacitatem; Sed perfectissimus habitus, & actus perfectissimi sunt charitatis: Ergo. Maior probatur secundùm Thomistas, qui distinguunt potentias per actus. Minor probatur à Diuo Bonauentura, quòd actus perfectissimi sint charitatis, & habitus perfectissimus sit Charitas: Nam ait Apostolus, prima Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit, siue Prophetia euacuabuntur, &c. Scientia destruetur, &c.* Et concludit: *Maior autem horum est Charitas.* Confirmatur à Diuo Bonauentura ex Diuo Bernardo; *de amore Dei* dicente: *Vbi deficit intellectus, ibi proficit affectus.* Et D. August. 5. de Trinitate, cap. 19. *In domo Dei nullum est maius charitate, nec æquale.* Et D. Dionys. cap. 7. de diu. nom. *Multò altius ascendit virtus nostra affectiua, quàm cognitiua*: Hæc sunt verba D. Dionysij: *Oportet cognoscere, intellectum nostrum quandam habere potentiam ad intelligendum, per quam videt intelligibilia, vnitionem verò excedentem intellectus naturam, per quam coniungitur ad ea, quæ sunt vltra se: Et quoniam altius eleuatur ipsa vis vnitiua in homine, ideò habet quandam præcipuam excellentiam dignitatis: Et habitus, ipsam perficiens, est aliis habitibus maior, & excellentior; ac per hoc statui gloriæ conformior.* Ecce ratio hæc est D. Dionysij: Hac vtuntur Scot. *loc. cit.* Fauentin. *num. 401.*

RESPONDENT communiter Aduersarij, actus voluntatis in ordine ad obiectum supernum, esse pro hoc statu, actibus Intellectus præstantiores; quia intellectus imperfecto modo percipit in hoc mundo: At verò Charitas perfecto modo fertur in Deum: At in statu patriæ, actus intellectus præcellunt, quia ibi Deus videtur, sicuti est.

CONTRA primò: Nam, vt ait Diuus Bonauentura, *loc. cit. ad 2.* Visio est dispositio ad charitatem, & quantò est visio clarior, tantò etiam est charitas perfectior; vnde etiam in patria perfecta erit charitas, imò perfectior, quàm in via ad mensuram charitatis cognitionis; Neque in via voluntas perfectiùs diligit, quàm intellectus cognoscat; cùm voluntas solùm in cognitum feratur; Quod etiam Suar. *num. 5.* ingenuè fatetur. Præterea Diuus Dionysius ponit maiorem excellentiam in voluntate, quia perfectius vnit Deo in gloria, cuius statui est conformior.

CONTRA secundò: Nam & Diuus Augustinus, 15. *de Trinitate, cap. 19.* absolutè docet, habitum charitatis cæteris præstare, vt concedit Valentia, 209

lentia, *loc. cit.* & D. Dionysius *cap.* 7. *de Cœlest. Hierar.* ponit in supremo loco Seraphinos ob excellentiam amoris: infrà verò Cherubines, in scientia præcellentes.

Respondet Suarez, Seraphinos etiam in scientia præcellere, etsi ardentius ament; neque igitur à charitate denominantur, sed ab incendendo nos.

Hæc in D. Dionysio sunt extorta: Nam à munere, & à charitate, quam ipsi habent, eos in supremis collocat.

Probatur secundò à Diuo Bonauentura *in* 2. *dist.* 25. *quæst. cit.* præcipuè ad *argumenta.* Quandocumque sunt aliqua duo, quorum alterum se habet vt finis terminans, & imperans, hoc erit nobilius; sed intellectus ordinatur ad voluntatem, vt ad finem terminantem, quietantem, & imperantem: Ergo. Maior est euidens, & patet in aliis formis; ideò enim forma mixti est nobilior formis Elementorum, quia hæ ad illam ordinantur: Similiter Rationalis est nobilior, quàm Sensitiua; & hæc quàm Vegetatiua; & Vegetatiua, quàm Mixta, ob eandem rationem. Minor probatur, quoad priorem partem. Sicut se habet sensus ad memoriam, & memoria ad intellectum; ità intellectus ad voluntatem: Sed sensus sunt propter memoriam, vt ait Philosophus *in Prol. Metaph.* quia ex pluribus sensibus fit vna memoria; & memoria propter intellectum. Ergo.

Instant Aduersarij, Voluntatem sequi ad intellectionem, tanquam suum principium. At hoc falsissimum est; sed sicut forma vlterior ad anteriorem, quæ respectu sui habet rationem materiæ. Probatur secunda pars Minoris, quia intellectio est ad deliberandum circa bonum, in quo est finis, & quies; maximè verò summa intellectio gloriæ, quæ est mensura aliarum, ordinata ad voluntatem, vt in ea perficiatur Beatitudo, vt dicitur Psal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Et Lucæ 22. *Vt edatis, & bibatis, &c.* Ioan. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Apocal. 2. *Vincenti dabo Manna, &c.* Hæc verò ad voluntatem spectant. Tertia pars probatur ex Diuo Anselmo *de Conceptu Virg. cap.* 4. vbi voluntas, vt Regina, mouet cæteras potentias, & sola potest dicere: *Sic volo, sic iubeo*: Et D. Bern. *lib. de libero arbitrio*, vocat Rationem, Voluntatis pedissequam. Hac ratione vtitur Scotus *loc. cit.* Faber, *num.* 408. & alij.

210 Vtraque verò pars minoris probatur ex Diuo Anselmo, lib. Cur Deus homo: *Ordo peruersus esset, velle amare, vt intelligeret.* & D. Augustin. ait, *conditum esse hominem, vt Deum intelligendo amaret; amando possideret.* Et 19. de Ciuitate Dei, cap. 14. *Homini rationalis Anima inest, vt mente aliquid contempletur: & secundum hoc aliquid agat.* Et infrà: *Et secundùm eam cognitionem, vitam, moresque componat*, nempè ad liberæ, ac Reginæ voluntatis nutum. Confirmatur ex Aristotele 9. *Metaph. text.* 15. vbi ait: *Posteriora generatione, sunt priora perfectione*: Sed actus voluntatis est posterior generatione: Ergo prior perfectione.

Instant tamen Aduersarij. Intellectum quidem à voluntate superari in libertate; at verò præcellere voluntati in rationalitate, à qua libertas oritur; & in imperio: Nam intellectus regit voluntatem; Licet enim applicatio ad operandum sit à voluntate; Attamen rectitudo operandi ab intellectu ostenditur voluntati; vnde illa plus debet intellectui; actus enim voluntatis debet dictamini intellectus esse conformis, vt sit bonus, vt docet Aristot. 2. *Æth. cap.* 6. & D. August. *lib.* 1. *de libero arbitrio, cap.* 8.

His tamen respondet D. Bonauent. *loc. cit.* rationalitatem ordinari ad voluntatem, vt dicunt Sancti Patres adducti, neque imperio voluntas regitur ab intellectu, sed tantùm veluti à Consiliario ei bonum proponitur. Quod verò per modum imperantis dirigat, hoc non præstat, nisi mediante voluntate, quæ ipsi dat authoritatem; At per se solùm suadet voluntati, quæ potest etiam renuere. Quamuis autem actus bonus sit dispositiuè à ratione; est tamen bonus moraliter formaliter per voluntatem, quæ cùm possit abnuere; tamen sequitur sponte dictamen rationis.

Per hoc patet ad fundamentum vnicum Thomistarum.

Obiiciunt adhuc. Illa est nobilior potentia, quæ habet obiectum simplicius, & abstractius; Intellectus habet pro obiecto formali Verum, quod est abstractius bono, quod est obiectum voluntatis: Ergo.

Respondetur primò, negando Maiorem; Nam Mathematica habet pro obiecto quantitatem abstractam à materia, & tamen in obiecto est ignobilior Physicis, quæ respiciunt obiectum corporeum: Similiter elementa sunt simpliciora mixtis; & tamen hæc sunt nobiliora.

Respondetur secundò, negando Minorem; Nam ratio Veri, & Boni sunt eiusdem rationis in abstractione, neque bonum magis ad existendum coarctatur, quàm verum, vt fatetur Valentia *loco citato*, habet verò maiorem excellentiam, quia habet rationem finis, vt dixi; nam Veritas quæritur in Ente, vt ametur Bonitas.

Reliqua ruunt ex dictis, præsertim si addas, Voluntatem pendêre ab intellectu, vt Reginam à pedissequa portante lucernam; vel sicuti hominem à porrigente lumen è fenestra; non enim dependentia ab alio semper denotat in eo minorem perfectionem; nam etiam intellectus pendet à sensibus, & tamen non est eis imperfectior: Similiter, licèt appetitus tendat in aliud, idest, bonum, tendit tamen in illud, vt in eo quiescat: At intellectus fertur in verum, vt ad opus ordinet. Voluntas igitur respicit bonum oblatum ab intellectu, vt ministro, & ita, licèt respiciat bonum, vt in alio, non est ignobilior intellectu ministrante, & ita ruit etiam argumentum D. Thomæ, qui ex hoc ignobilitatem voluntatis autumat.

QVÆSTIO III.

An Volvntas *sit libera.*

Dispvtationem grauissimam de libero hominis arbitrio aggredimur. 211

Primò quidem, libertatem omnem ad quaslibet actiones, siue morales, siue etiam ciuiles è medio tulere Simon Magus, teste D. Clemente, *libro tertio recognitionum.* Marcion, & Hermogenes, teste Tertulliano, *libro de Anima, capite* 10. Barsedanes, teste Diuo Augustino, *libro de hæres. capite* 35. Manichæi, testibus, eodem Sancto Augustino ibidem, *capite* 46. & Diuo Hieronymo *in præfatione libri contra Pelagianos*, Vuiclessus, vt patet è *Sess.* 8. *Concil. Constantiæ, articulo* 27. Lutherus

therus, *articulo* 36. Bucerus, *lib. de concord. art. de libero arbitrio.* Caluinus, *libro primo Institutionum*, *cap.* 16. §. 8. & *lib.* 2. *cap.* 4. §. 6. ita vt *lib.* 2. *cap.* 2. §. 4. etiam nomen liberi arbitrij exulare oportet ab Orbe Melanchton infrà, *citando loco.*

Secundò, alij nobis liberum arbitrium ad actiones ciuiles concedunt; negant autem ad solas morales. Ità Lutherus, *de visitatione saxonica, artic. de libero arbitrio.* Philippus Melancthon, *de locis communibus*, vbi retractat primam opinionem *in Apolog. Confessionis Augustanæ, artic.* 16. Kemnitius, *in Exam. sess. 6. Concil. Trident. cap.* 5. Et alij Sectariorum Asseclæ. Vbi aduerte, omnes concedere libertatem à coactione; non verò à necessitate, vt notat Bellarminus, *lib.* 3. *cap.* 4. Suarez, *parte* 2. *tractatu* 2. *disputatione* 1. *sect.* 2. & alij, qui authoritatibus, & rationibus è Diuo Bonauentura excerptis vtuntur. Opera Ciuilia sunt, quæ ad bonum Ciuitatis conducunt, vt militaris defensio, Mercatorum negotiatio, &c. vt notat Diuus Bonauentura contra Gulielmum, *art.* 1. *quæst.* 2. *fol.* 406. *col.* 2.

212 Catholica Sententia sustinet, perpetuo consensu, hominis libertatem ad actiones tum ciuiles; tum etiam morales. Eam verò Scripturis, Patribus, & rationibus solidabo. Scripturas autem ad aliquot reducam classes.

Prima classis est Locorum, quibus in potestate hominis asseruntur humanæ actiones.

Præmittam loca, quæ Caluinus contemnit, tanquam friuola, vt indè aliorum vis eniteat. Genes. 4. *Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonnè, si benè egeris, recipies; sin autem malè; statim in foribus peccatum aderit? Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Hæc sunt verba Dei ad Caïn, qui erat in statu naturæ lapsæ, imò in peccato mortali, quibus libertas arbitrij vrgetur, vt notat Diuus Bonauentura, *in* 2. *distinct.* 28. *quæstione* 2. *ad* 1. Et post eum Bellarminus, *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 22.

Respondet primò Caluinus, sensum esse: Sub te erit appetitus eius, id est, Abelis, & tu illi dominaberis.

Enim verò, cùm non de Abele, sed de peccato solùm sit mentio, debemus relatiua (*eius*,) & (*illius*) accipere secundùm id, quod supponitur, vt aduertit Sanctus Bonauent. *loc. cit.* & post eum Bellarminus.

Deinde Patres vnanimi consensu sic accipiunt, SS. Ambrosius *lib.* 2. *de Caïn*, *cap.* 7. Hieron. *in quæstionibus Hebraicis.* Augustinus, *lib.* 15. *de Ciuitate Dei*, *cap.* 7. vbi absonam putat responsionem Caluini. Prosper, *libro secundo, de vocatione gentium*, *cap.* 19. Gregor. *lib.* 4. *Moral. cap.* 22. Eucherius, Beda, Rupert. Abul. Lyra, Caiet. & Glossæ.

Respondet secundò Caluinus: Si de peccato agitur, vel ibi Deus iubet, vel promittit: Si iubet; non colligitur hinc liberum arbitrium, quia præceptum est impossibile: Si promittit, cur non est factum, quod Deus promisit?

Respondetur ex Diuo Bonauentura, *loc. cit.* quem sequitur Bellarm. ibi nec promitti, nec iuberi, sed exprimi Caïno, eum superaturum appetitus rabiem, si voluisset: Promitti etiam sub conditione, si voluerit certare. Quænam hinc contradictio? Sic enim ait etiam Apostolus 2. Timoth. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*, vt notat Diuus Bonauentura *in* 2. *distinct.* 23. *dubio primo*, *litt.* Et post eum Bellarmin. hîc.

Secundus locus est Ecclesiast. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua: Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hunc locum vrget Sanctus Doctor, *in Opusculis, & ad cap.* 15. *Ioan.* Quæ verba tractans Diuus Augustinus, *lib. de gratia, & libero arbitrio, cap.* 12. ait: *Ecce apertissimè videmus expressum nostræ libertatis arbitrium*; vt notat etiam Suar. *loc. cit.* 213

Respondet Caluinus primò, Librum Ecclesiastici esse dubiæ fidei: Secundò, ibi loqui de statu innocentiæ.

Contra primum est Concil. Carthaginense III. *can.* 47. quod Concilium Oecumenicum à Caluino acclamatur, vbi de Imaginibus agitur. Adest Sanctus Augustinus, *lib.* 7. *de Doctrina Christiana*, *cap.* 8. & *lib. de Gratia*, & *libero arbitrio*, *cap.* 2. Qui Canonicum hunc Librum acclamat, vt ostendi *tractatu primo*, *disputatione secunda proœmiali.*

Contra secundum est, quia paulò antè, cùm dixisset: *Non dixeris; per Deum abest: Non dicas; ille me implanauit*, id est, ne referas in Deum causam tui sceleris; statim rationem reddit: *Quoniam Deus, &c.* Quæ ratio esset nulla, si etiam post lapsum Adæ, libertas non remansisset. Deinde verba illa: *Si volueris mandata seruare, &c. Apposuit tibi, &c.* loquuntur ad homines huius status, vt notat Diuus Bonauentura *in Opusculis.*

Tertius locus est Deuteron. 30. *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum; & è contrario*, id est, *mortem, & malum.* Et infrà: *Testes inuoco hodie cœlum, & terram: quod proposuerim vobis vitam, & mortem; benedictionem, & maledictionem: Elige ergo vitam, vt & tu viuas, &c.* Ibi etiam dicitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum*, &c. *Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum:* Hunc locum vrget Sanctus Bonauentura, *in* 2. *distinctione* 28. *quæstione* 3. *ad primum.*

Confirmatur à Diuo Bonauentura ibi, argumento secundo, addità solutione, ex illo Matthæi 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*, vt os Caluino obstruatur, qui mandata Dei intolerabilia proclamat.

Huic loco postremò dupliciter respondet Caluinus, primò mandata non esse supra nostram cognitionem: At est responsio vana, vt ipse fatetur, *lib.* 4. aduersus Pighium.

Respondet secundò, loqui, non de Lege; sed de promissione Christi. Sed contra: nam ipse ait: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie.* Neque saluatur Caluinus dicendo, loqui de Lege, vt ducit ad Christum.

Quartus locus est Iosue 24. *Optio vobis datur, cui seruire potissimum debeatis.* 214

Quintus locus est Ecclesiast. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit: Ideò stabilita sunt bona illius.* Hunc locum vrget Sanctus Bonauentura, *in secundo, distinctione* 23. *dubio secundo, litt.* & *in* 3. *distinct.* 12. *artic.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1.

Hunc locum callidè Caluinus omisit, ignorans quid responderet: Hîc enim de homine in statu

tu lapso est sermo, vt notat D. Bonau. *loco citato.*

SEXTVS locus est primo Corinth. 7. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc indicauit in corde suo, seruare virginem suam, benè facit.* Et infrà: *Quod vult faciat; non peccat, si nubat.* Multa alia habet Apostolus: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, &c.* vt habet Sanctus Bonauent. *in 4. dist. 39. dubio 2.* & *art. 1. quæst. 1. ad argumenta*; Et iterum: *Alligatus es vxori? Noli quærere solutionem, &c.* De quo S. Bonauent. *in 4. dist. 35. quæst. 6. ad argumenta.*

SED neque his quidquam respondet Caluinus, qui mediocribus etiam ingeniis iactat suam hæresim plausibilem. Ad hanc classim reuocantur aliæ Scripturæ, Psal. 94. *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Quem locum vrget S.Bonauent. *in primo, dist. 40. art. 3. quæst. 1. fundamento 4.* & totâ illâ *quæstione*, ac *sequenti*. Secundo Reg. vlt. *Melius est, vt incidam in manus Domini, quàm in manus hominum*, vt notat D. Bonauent. *in 4. dist. 20. part. 2. dub. 5. litt.* Tertio Reg. cap. 3. *Apparuit Dominus Salomoni: Postula quod vis, vt dem tibi.* Et *Quia non postulasti diuitias, &c.* Ità D. Bonau. *in 2. dist. 20. part. 2. quæst. 6. ad argumenta.*

SECVNDA classis est Locorum, in quibus Deus præcipit, vel hortatur hominem, vt Mandata, vel Consilia seruet; quæ essent absona, nisi essent in nostra potestate. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua Mandata.* Ità vrget S. Bonau. *in 3. dist. 30. quæst. 3. argumento primo, secundo loco*; & *dist. 37. quæst. 2. ad 2.* & *in 2. dist. 28. art. 1. quæst. 3. argumentis secundo loco*, vbi affert etiam illud Ioan. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Zachar. 1. *Conuertimini ad me; & ego conuertar ad vos.* Ità D.Bonau. *in 2. dist. 28. art. 2. quæst. 1. ad 1.* Ecclesiast. 5. *Deum time, & mandata eius obserua.* Hunc locum egregiè vrget S. Bonauent. *in sua postilla ad Ecclesiast.* Deuter. 6. *Iustè, quod iustum est, exequeris.* Ità D. Bonauent. *loc. cit. ad 1.* Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester.* Et Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, &c.* Ità S. Bonauent. *in 3. dist. 30. quæst. 3. ad argumenta.* Exodi 20. *Non concupisces.* Ita S. Bonauent. *in 2. distinct. 42. art. 2. quæst. 1.* Multa alia huius ordinis loca passim vrget Sanctus Bonauentura, *in libris Sententiarum*, & in Opusculis. *Non facies tibi sculptile.* Exodi 20. Ità *in 3. dist. 9. quæst. 2. ad argumenta.* Cap. 22. *Maleficos non patieris viuere.* In 3. dist. 37. dub. 5. & *in 4. dist. 37. art. 2. quæst. 1.* Et cap. 23. *Si videris Asinum odientis te, non pertransibis.* In 3. dist. 30. quæst. 5. *Non inibis cum eis fœdus.* Sic habet Seraphicus Doctor, *in 3. dist. 30. quæst. 5.*

215 EX his eruit Sanctus Bonauentura *in 2. dist. 25. quæst. 1. in corpore* argumentum. Præceptum est regula benè viuendi, seruando ius ad regulam primi iuris: Frustrà autem datur regula ei, qui non potest deficere, aut non potest non deficere: Ergo frustrà à Deo dantur Præcepta, si caret homo libero arbitrio; Solum liberum arbitrium est, quod in via morum potest deficere; nihil autem Deus agit frustrà: Ergo homo habet liberum arbitrium. Est argumentum Sancti Augustini, *lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 2.*

RESPONDET Caluinus primò, legem dari non modò, vt sit norma viuendi, sed etiam, vt per eam cognoscatur peccatum, vt habetur *Rom. 3.*

RESPONDET secundò, in Scripturis haberi etiam gratiæ necessitatem, vt intelligamus, legis impletionem non esse ex libero arbitrio; sed ex dono gratiæ, & legem esse impossibilem; vnde probari ait gratiæ necessitatem; non libertatem arbitrij. Addit, datam esse legem, vt superabundet peccatum. *Rom. 5.*

AT Caluinus blasphemans, legem impiam facit, si ad augendum peccatum ordinatur; cùm tamen *lex quidem sit sancta, & mandatum sanctum, & iustum; & bonum, Rom. 7.* vt notat Diuus Bonauentura, *in 3. distinct. 40. quæstione 2. ad argumenta.* Significat igitur ibi Apostolus, legem datam quidem ad peccatum vitandum: At inde homines, qui in vetitum ex corruptione nituntur, occasionem arripuisse transgrediendi. Itaque Apostolus ideò repetit, *occasione acceptâ per legem, &c.* vt notat Sanctus Bonauentura, *in 2. distinct. 30. quæst. 1. ad argumenta*: Et *in. 3. distinctione 37. quæst. 1. ad argumenta*; Et post eum Bellarminus, *lib. 5. cap. 18.* Hoc igitur significat particula *(vt)* euentum scilicet, vel occasionem; non causam, vt dicitur 3. Reg. 17. *Venisti, vt interficeres Filium.*

IAM verò, si ad hunc etiam finem ordinatur lex, vt sit norma viuendi: Ergo debet esse in libera potestate. Quod si est etiam ordinata, vt cognoscatur peccatum; nonnè cognitio peccati ordinatur ad cautelam?

SECVNDA verò responsio extra chorum saltat; Non enim dicimus, solis viribus naturæ totam legem impleri; fatemur enim necessariam gratiam cum Catholicis, inter quos S. Bonauent. *in 2. distinct. 28. quæst. 3.* id optimè edisserit.

TERTIA classis ea continet loca, quibus laudan- 216
tur egregia hominum facta; Et malè facta vituperantur. Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: Ad Cain autem non respexit.* Ità Diuus Bonauent. *in 2. dist. 29. quæst. 2. in corpore.* Ibidem. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* vt refert D. Bonauent. *in 2. dist. 43. dub. 3. litt.* & *art. 3. quæst. 2. ad argumenta.* Genes. 6. *Vir iustus, atque perfectus*, vt notat D. Bonau. *in 3. dist. 30. quæst. 3. in corpore.* Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit, &c.* ex D. Bonauent. *in 4. dist. 44. part. 1. dub. 2. litt.* Eccles. 3. *Dedecus Filij Pater sine honore.* ex S. Bonauent. *in 3. dist. 17. quæst. 1. ad argumenta.* Cap. 49. *Memoria Iosiæ in compositionem odoris.* D. Bonau. *in Prologo 4. sent.* Secunda Corinth. primo. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* ex Diuo Bonauent. *in 2. dist. 39. quæst. 1. ad vltim.* Hebr. 15. *Sancti per fidem vicerunt Regna, &c. operati sunt iustitiam.* Ex eodem, *in 3. dist. 26. quæst. 3. ad argumenta, in fine.* & *in 4. dist. 38. dub. 10. litt.* & *dist. 21. part. 1. art. 3. quæst. 2. ad argumenta.* Iacobi 2. *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Ex Diuo Bonauentura *in 3. dist. 36. quæst. 4. ad argumenta.* Ibidem. *Fides si non habeat opera, mortua est.* Ex D. Bonauent. *in 3. distinct. 23. dub. 2.* & *art. 2. quæst. 1. ad argumenta*, & *dist. 24. art. 2. quæst. 2. ad argumenta.* Hoc est argumentum Sancti Augustini: *lib. de vera Religione, cap. 14.*

HÆC loca non recenset Caluinus; attingit tamen vim eorum *in responsione ad quartum argumentum*, reprehendi reprobos, quia se præcipitauerint in necessitatem illam subiacendi peccatis; bonos verò laudari, vt ad virtutem animentur.

ENIM verò, quis non videt, non esse vituperandum, si non exit de puteo is, qui proprio vitio

vitio se in eum præcipitauerit? Iusti verò, si laudibus ad virtutem animantur, profectò liberè possunt ad eam prodire.

QVARTA classis ea loca continet, quæ remunerationem bonis promittunt; pœnam verò malis, si malum, bonumve fecissent, Genes. 15. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Vt notat Sanctus Bonauentura, *in 3. distinct. 26. artic. 2. quæst. 4. in corpore*, & *dist. 27. artic. 2. quæst. 2. in corpore.*

SECVNDA Corinth. 5. *Omnes enim nos stabimus ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout in corpore suo gessit.* Et Psalm. 61. *Tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* Et Deuter. 25. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus*, vt notat Sanctus Bonauentura, *in 4. distinct. 20. part. 2. quæst. 1. ad argumenta*; & *dist. 44. part. 2. quæst. 1.* vbi refert etiam illud Isa. 24. *Congregabuntur in congregatione vnius fascis; & post multos dies visitabuntur.* Matth. 7. *Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 25. *Ite maledicti in Ignem æternum: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Diuus Bonauentura, *dist. 15. part. 2. dub. 3.* Et de gloriæ remuneratione habetur ibi à Diuo Bonauentura illud 2. *Corinth. 4.* dictum. Itidem 3. Reg. 21. *Nonne vidisti Achab humiliatum? Idcircò non inducam malum, &c.* Isa. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Thren. 3. *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia.* Ecclesiastici 3. *Ignem extinguit aqua, & Eleemosyna resistit peccatis.* Hæc loca vrget Sanctus Doctor, *in 4. dist. 15. part. 1. quæstione vltima, in corpore.* Psalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Ex Diuo Bonauentura, *in 3. dist. 38. art. 1. quæst. 3.* vbi etiam alia loca habet, Matth. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, &c. reddet rationem.* Sanctus Bonauentura, *in 2. dist. 41. quæst. 3. ad argumenta.* Ibi etiam habetur: *Si vis perfectus esse; vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 19. vt habet Sanctus Doctor, *in 3. dist. 30. quæst. 3. in corpore.* Vbi nota, poni sæpè conditionem: *si Vis, si Volueritis.* Quod si etiam non poneretur, adhuc nec pœna deberetur necessariò impulsis ad peccatum; nec præmium necessitate inductis ad bonum.

217 RESPONDET Caluinus, offerri promissa, sub conditionibus impossibilibus; impiis quidem, vt sentiant se diuina indignos benignitate; Iustis autem, vt ad virtutem prouocentur: Multa verò dici ironicè.

AT quis non videt, has solutiones esse desperati Nautæ? Non enim quæritur: An Deus hoc faciat; sed; an sit extra rem promittere bona iis, qui nequeunt ea consequi. Et minari mala sub conditione his, qui non possunt ea vitare: Hæc enim esset iniquitas.

RESPONDET Caluinus, pœnam deberi culpæ; culpam verò à nobis manare, etiam præcisâ libertate.

CONTRA. Sic enim etiam bruta essent à Deo damnanda; nam etiam ipsa sponte appetunt delectationes venereas, furantur, atque occidunt homines, &c.

QVINTA classis est Locorum, quibus Deus testatur, se expectare consensum nostrum, & cooperationem, vt nobis salutem elargiatur. Isa. 1. *Lauamini, mundi estote.* Ita Sanctus Bonauentura, *in 4. distinct. 14. part. 2. dub. 1. litt.* Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris; nec Pater iniquitatem Filij:* Sanctus Doctor, *in 2. distinct. 30. quæst. 2. ad argumenta.* Ezech. ibidem: *Si autem Impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, &c. vita viuet.* Sic Diuus Bonauentura, *in 3. distinct. 31. quæst. 3. ad argumenta.* Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Sanctus Bonauentura, *in 4. dist. 15. in resolut.* Zach. 1. *Conuertimini ad me; & ego conuertar ad vos.* Sanctus Doctor, *in 2. distinct. 28. artic. 2. quæst. 1. ad argumenta*, & *in 4. dist. 17. part. 1. artic. 2. quæst. 3. in corpore.* Matth. 3. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Sanctus Doctor, *in 4. distinct. 16. part. 1. dub. 6. litt.* Rom. 6. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*, Sanctus Bonauentura, *in 2. distinct. 28. art. 2. quæst. 2. ad argumenta*, & *dist. 44. art. 3. quæst. 1. in corpore.*

RESPONDET Caluinus, non frustrà Deum expectare consensum, atque eum expetere, à malis quidem, vt sit ipsis in flagellum; à bonis verò, vt sit incitamentum ad præparandos se ad gratiam.

CONTRA: Nam quorsum aliqui flagellantur, si non possunt conuerti? Alij verò incitantur, cùm non possint deficere? Ergo possunt conuerti; & non conuerti.

SEXTA classis ea loca complectitur, quibus Deus conqueritur de hominis obstinatione. 218
Sapien. 4. *Odio sunt Deo Impius, & Impietas*: Ex Diuo Bonauentura, *in 3. dist. 28. artic. 1. quæst. 3. ad argumenta*, & *lib. 4. dist. 15. part. 1. quæstione 4. ad argumenta.* Ezech. cap. 44. *Sufficiant nobis omnia scelera vestra domus Israel*: Sic Diuus Bonauentura, *in 3. dist. 29. quæst. 6. in fine.* Act. 6. *Anania, cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?* Sanctus Bonauentura, *in 2. dist. 21. artic. 2. quæst. 1. in corpore.* Isa. 5. *Quid potui facere vineæ meæ, & non feci?* Ità Diuus Bonauentura, *in Opusculis.* Matth. 13. *Quoties volui congregare filios tuos?* Ità Sanctus Doctor *Opusc. cit.*

RESPONDET Caluinus, Deum iustè de hominibus conqueri, quia hæreditaria malitia affecti sunt, & vt peccatorum tædio in viam redeant, etiamsi non possint. Sic *Hier. 7.* iubet Deus numerari omnia scelera populi; & tamen prædicit, eum non auditurum.

CONTRA, quia hoc perindè est, ac si Cœcò exprobretur, quod impingat; deinde si, vt redeant, conqueritur; ergo possunt redire. Neque Hieremias dixit, populum non posse; sed, cùm possit redire, tamen Deum non auditurum eos ad salutem.

PLVRIMA alia Scripturarum loca ad hoc confirmandum, in Seraphici opusculis reperies.

HANC veritatem declarauit Concil. Brachar. I. *can. 9.* Concil. Palæst. vt memorat S. Augustinus, *epist. 106.* Aransic. *can. 13.* & Trident. *sess. 16. cap. 5.* & *can. 4. 5. & 6.* Pius V. & Gregor. XIII. contra Baium. Cœlestinus Papa, ad Episcopos Galliæ, *cap. 4. & 11.* His subscribunt omnes Sancti Patres, relati à Valentia, *tom. 1. disp. 6. quæst. 6. puncto 4.* Bellarm. *tom. 3. lib. 4. cap. 9.* & *lib. 5. cap. 25. & 26*, præcipuè Diuus Augustinus relatus à Bellarmino, *cap. 27. & 28.* ad retundendam Hæreticorum temeritatem, qui Sanctum Doctorem pro se stare non verentur asserere. Ex his multi referuntur à Diuo Bonauent. *in 2.* præcipuè *dist. 25.* & aliis locis suprà adductis pro Scripturis: & *in Opusculis*, præcipuè *in Pharetra.* Sanctos verò Patres pro nobis stare fatentur Centuriatores, *cent. 2.*

PROBATVR etiam à D. Bonau. validissimis rationibus, quibus vtitur Bellarm. *lib. 5. à cap. 14.* & ducuntur è Scripturis allatis, & Patribus. 219

Prima ratio S. Bonau. habetur *in 2. dist. 25. p. p. quæst. 1. in corpore, quæst. 2. argumentis secundo loco, & quæst. 3. argument. primo loco*, & alibi sæpe. Omne peccatum est voluntarium, vt omnes fatentur; Ergo non necessarium: Ergo potest vitari: Ergo in voluntate est libertas ad vitandum, & consentiendum. Hoc argumentum sumptum est ex Diuo Augustino, *lib. de vera Religione, cap.* 14.

Respondet Caluinus, esse voluntarium, id est, liberum a coactione, sicuti voluntarium est etiam boui exire ad pascua, id est, spontaneum. At quis non videt insipientiam, stoliditatemque huius bouis, qui nihil inter nos, & pecudes discriminis ponit.

Respondet Bucerus, & Kemnitius, legis præuaricationem semper esse peccatum, siue sit voluntaria, siue necessaria, quia in *prima Ioannis epist. cap.* 3. definitur peccatum *ἀνομία*, id est, *Legis præuaricatio*.

Insulse tamen arguunt; nam in definitione peccati, virtute continetur liberum arbitrium: Lex enim, quæ in ea definitione manifestè ponitur, non datur, nisi iis, qui libero vigent arbitrio: Nihil enim est aliud Lex, nisi regula, dirigens actiones. Frustrà autem datur regula ei, qui non habet in potestate actiones suas. Alioqui reddant Aduersarij causam, cur Bestiis non dentur leges, si ad legis vsum non requiritur libertas. Ità rectè arguit Bellarm. *lib.* 5. *cap.* 14. post Diuum Bonauenturam, *in 2. dist. 25. quæstione citata in corpore*, vbi ex professo agit hanc quæstionem, quam nos infrà tractabimus.

Hac veritate retunditur etiam Caluinus; nam si quod sponte fit, licèt necessariò fiat, potest esse peccatum, cur non verè peccant infantes, furiosi, & pecudes?

Secunda ratio Sancti Bonau. *quæstione mox adducta, fundamento secundo, est*: Nulla operatio, quæ non sit libera, est laudabilis, aut vituperabilis. Aliquæ actiones hominum sunt laudabiles; aliquæ vituperabiles: Ergo liberæ.

Huic rationi solùm respondent Hæretici, laudari gratiam Dei; at vituperari peccata, quia homines sponte in hanc lapsi sunt necessitatem.

Sed hæc responsio, iam ad tertiam classim Scripturarum diluta est.

220 Tertia ratio Diui Bonauenturæ habetur in *eodem argumento secundo*. Nulla operatio est digna pœnis, vel præmiis, quæ non sit libera. Aliquæ actiones hominum sunt dignæ pœnis, vel præmiis, vt dixi in quarta classe Scripturarum: Ergo.

Respondet Caluinus ad hoc argumentum, quod est Diui Augustini, *libro de vera Religione, cap.* 15. ac Chrysostomo, & Hieronymo familiare: Mordet sanè primò, dicens, idem fuisse etiam Pelagianorum. Secundò dicit, pœnam deberi peccatu à nobis quippe emananti, nec refert liberonè, an seruili iudicio emanet, dummodò voluntaria cupiditate peccetur. Tertiò, non coronari merita nostra, sed Dei munera ex Diuo Augustino, & ex Scriptura.

At nos benè vtimur hoc argumento contra Caluinistas; sicuti etiam contra Manichæos eo vtebantur Sancti Patres, arguentes ex præmiis, & pœnis libertatem. At Pelagiani volebant ex solo arbitrio vnumquemque mereri.

Quod verò dicit Caluinus, nihil interesse, &c. Respondetur cum Diuo Bonauentura, *loco citato*, tantùm interesse, quantùm inter hominem, & belluam: Sicuti enim animal est genus ad hominem, & bruta; ità voluntarium, sumptum Caluinicè pro spontaneo, ad liberum, & non liberum. Liberum verò subdiuiditur in liberum ex sui actus dominio, & liberum ad contradictoria, quod viatori debetur, vt dicam *quæstione* 11. *&* 12. Itaque homo peccat, quia spontè, liberéque agit ad contradictoria: Pecudes non peccant, quia spontanee, sed non liberè operantur absque dominio suorum actuum. Beati verò, quia non sunt ad contradictoria. Debetur autem nobis voluntarium tale, vt dicam *quæstione* 11. *&* 12.

Quoad merita verò, illud quidem sequitur, pendere ex prima radice gratiæ Dei, quæ liberum adiuuat arbitrium; at inueniat Caluinus, gratiam solam sine libero arbitrio mereri.

Hæc igitur ratio est solidissima, quæ est etiam Sancti Gaudentij Episcopi Brixiensis, *tractatu 3. in Exodum*. Hunc verò S. Pontificem fuisse æqualem Diuo Ambrosio, notant Bellarminus, & Valentia. Fuit etiam Diui Clementis, Alexand. *libro primo stromatum*, Sancti Cypriani, *libro primo, epist. 3. ad Cornelium*, & aliorum Patrum ad Scripturas, quarta classe adductas.

Quarta ratio habetur 2. *dist. 25. fundamento 3.* Illa potentia, quæ est consultiua plurium, est 221
etiam libera; sed voluntas nostra est huiusmodi: Ergo. Maior probatur; nam talis potentia est electiua vnius, è pluribus. Hæc est ratio Diui Gregorij Nysseni, *lib. 7. de Philosophia, cap.* 7. ad quam nihil noui respondent hæretici.

Quinta ratio est D. Bonauent. *loco citato in corpore*. Illa potentia, quæ non est alligata alicui appetibili, sed habet pro obiecto bonum in vniuersum, debet esse libera; talis est voluntas: Ergo. Est ratio Diui Cyrilli, *lib. 9. in Ioan. cap.* 10. Est autem omnium Philosophantium calculis solidata, vt mox dicam. Id sensêre Peripatetici, vt patet ex Aristotele 3. *Eth. cap.* 1. 2. *&* 3. Academici, vt patet ex Platone *in Gorgia*. Stoïci, vt referunt Diuus Augustinus, *libro quinto, de Ciuitate Dei, cap.* 10. *tom.* 5. Plutarchus, *libro primo de placitis Philosophorum*. Nyssenus, *lib. de Fato, cap.* 1. 2. *&* 3. vbi refert etiam sapientes Ægyptios. Euseb. *libro sexto, de præpar. Euang. cap.* 6. *&* 7. & tandem D. Bonauent. refert, *in 2. dist. 25. p. p. dub. 1. litterali*.

Respondet Mastrius, *disputatione septima de Anima, num.* 6. rationem non vrgere, quia voluntas est libera, etiam vt comparatur ad bonum, vt bonum; sed hæc responsio nihil nobis obest.

Sexta ratio habetur *loco citato in corpore*. Omne rationale est liberum: Homo est rationalis: Ergo. Est ratio Theophylacti *ad cap.* 11. *Lucæ*. Maior patet; nam ratio dictat indifferentiam, quando ostendit, bonum nullum particulare, necessariam habere connexionem cum bono in communi.

Septima ratio habetur *in primo, distinct. 3. part. 2. passim, & loco citato, in 2. dist. 25. quæstione 1. in corpore*. Id, quod repræsentat, sicut 222
Imago, Deum, debet esse liberum: talis est Anima: Ergo. Est ratio Tertulliani, *lib. 2. contra Marcionem*. Et Diui Basilij, *in oratione: Quod Deus non sit author malorum*, & aliorum Patrum, vt dicam, *tract.* 10. *disp.* 1.

Octava ratio est D. Bonauent. *in 2. dist. 25. loc. cit. in corpore*. Illa natura, quæ legum, ac iuris est capax, debet esse libera ad cognitum ius seruandum, vel non seruandum; sed omnium Rerumpublicarum, omnium Conciliorum vnanimi consensu,

consensu, omniumque Gentium plausu, homo est capax legum: Ergo. Maior probatur: Quorsum enim aliter leges, ab omnibus sapientibus approbatæ sunt pro hominibus, non pro pecoribus, ad mores componendos? Cur Numa Romanis, Solon Atheniensibus, Zaleusis Locreusibus, Iudæis Moyses leges tulerunt? Mox verò Cæsares, &c. Gentibus tot Codices, tot Volumina pro moribus componendis imposuêre, quæ euulgata, promulgata, & acceptata sunt? Cur etiam Hæretici leges habent ad præmiandos bonos; & malos puniendos: At verò bestiis nulla Lex, nullus Codex, nulla glossa applicatur? Hæc ratio sanè adeò est euidens, vt eâ solâ bruta animalia non conuincantur. Obsecro igitur Sectarios, ne Brutis simillimos se efficiant. Has, & alias rationes habet S. Bonauent. quibus innituntur Bellarminus, Valentia, Albertus Pighius, & alij controuersiarum Scriptores. Ex quibus constat, falsum esse, quod ait Scotus *quodl.* 16. & Mastrius, *disput.* 7. *num.* 7. non posse à priori probari voluntatem esse liberam, quia voluntas, est voluntas.

Iam soluenda sunt hæreticorum argumenta, è Scripturis, & Patribus petita.

Obiiciunt primò id Lucæ 14. *Compelle intrare.* Et Ecclesia orat: *Nostras ad te rebelles compelle voluntates.*

Respondet Diuus Bonauentura, *Opusc. de profectu Religiosi*, *cap.* 24. compelli dum auferuntur bona mundi, & infliguntur aduersitates, quibus homo coactus relinquere amorem eorum bonorum, & amplecti ea mala ineuitabilia, postea ad Deum mouetur.

Respondet secundò, *serm.* 4. *Dom.* 2. *post Pentecost.* nullum cogi, sed, more Assueri, inuitari bonis gloriæ, ac beatitatis, quibus repletur domus Dei. Beatitatem enim omnes naturaliter appetunt; trahi verò suauitate promissorum, veluti fragrantiâ; & terrore malorum æternorum, ne dum corporis temporalium, Matth. 10. *Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in Gehennam*, deterreri fœtore agnito, dum in peccato emortuos se sentiunt. Ità sono prædicationis, de quo *Psal.* 17. sono venti suaui Spiritus Sancti, de quo *Act.* 2. suauiter compellitur, seu inducitur validis motiuis Dei inuitantis.

223 Obiiciunt secundò ea loca Scripturarum, in quibus Deus testatur, se omnia in nobis operari. Ioan. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite: Sic nec vos, nisi in me manseritis. Sine me nihil potestis facere.* Secunda Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis: Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Isaiæ 26. *Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine.* Hierm. 10. *Scio Domine, quia non est in homine via eius, nec viri, vt dirigat gressus suos.* Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud, sicut diuisiones aquarum, &c.*

Respondet Valentia ad prima loca, ea tantùm astruere necessitatem gratiæ, adiuuantis liberum arbitrium ad opera supernaturalia; omnia enim opera operatur Deus in nobis, sed non sine nobis. Ità antè responderat D. Bonau. *in* 2. *dist.* 28. *quæstione vltima.*

Ad illud Hieremiæ respondet Valentia; esse in homine liberam electionem; posse tamen impediri executionem. Melius respondet Diuus Bonauentura, *in* 2. *distinct.* 28. *articulo* 1. *quæstione* 3. non esse in hominis sola innata potestate, tota via rectè perambulare, vel in viam rectam ex auiis ingredi; & ne transuerso quidem vngue diuertere, sed necessarium esse etiam Dei auxilium.

Ad solidandum tamen Valentiæ responsum obseruat Bellarminus, *libro quarto*, *capite* 11. non esse idem, liberam electionem, ac liberam executionem; hæc enim non exigitur ad liberum arbitrium: Illa verò requiritur, vt monet Diuus Damascenus 2. *de fide*, *cap.* 26. & latè D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 25. *part.* 2. *quæst.* 4.

Ad illud Prouerbiorum respondet Valentia, intelligi de executione, in qua non possunt impediri Reges nisi à Deo. Secundò, intelligi etiam de voluntate, scilicet, posse Deum facilè voluntates etiam Regum permutare, etiamsi potentes sint. Habet enim motiua, quibus scit, voluntatem quamlibet efficaciter allici. Latè id prosequitur Diuus Bonauentura, *in* 2. *distinctione* 25. *parte* 2. *quæstione* 5. vbi ita declarat, Deum sanè nostras non cogere voluntates, sed tamen inducere suasionibus: Præterea inducere affectiones immittendo ea, scilicet obiecta, cum iis motiuis, quibus scit Deus voluntatem liberè consensuram, ad modum, quo agricola immittit, atque deriuat riuulos per agrum, quibus scit irrigatum, fructus editurum; etsi diuerso modo id fiat, quoad naturalem rationem operandi Vnde non comparat rigationem agri, & gratiæ, quatenùs ea est ab aqua; sed vt est in manu agricolæ, liberè irrigantis, neque ex suppositione irrigationis ponit vtrimque paritatem in effectu; sed altiùs assumens riuos aquarum, & gratiæ influentiam, vt manantes à Deo, infert, ità facilè Deo esse voluntatem gratiâ emollire, sicuti riuulis decurrentibus agros fœcundare, cooperante hinc agricola liberè, inde peccatoris arbitrio, ità tamen, vt effectus gratiæ sit totus liber; At rigationis effectus immediatè à causa naturali, aquâ, & agro, prouenit.

Sic enim Hebræus legit לב מלך ביד יהוה פלגי מים Pelagi aquarum cor Regis in manu Domini.

Vult dicere: Sicut facile est, Deo immittente, & agricola deriuante aquas, campum fœcundare; ita eidem Deo mediis riuulis gratiarum, immittendo motiua, affectioneque, facile est disponere cor Regis, etiam peruersum, ad bonum, nempè, quia scit Deus, quid eum mouere efficax sit.

Calvinvs dicit, ex Petro Lombardo, liberum arbitrium esse corruptum, & manere liberum solum à coactione, vt refert Bellarminus, *lib.* 3. *cap.* 4. & 5.

Respondetvr cum Diuo Bonauentura, *in* 2. *distinct.* 25. *dub.* 1. *litt.* Magistrum id solùm asserere, liberum arbitrium ad bonum, aliqua ratione diminutum ex peccato; Nam cùm antea, & à miseria immune, & à culpa esset; nunc iam, est & miseriæ obnoxium, & ad culpas procliue.

Alia Scripturæ obiiciunt testimonia, quæ diuinam præscientiam, prouidentiam, & prædestinationem indicare videntur detrahere libero arbitrio, sed hæ expositæ sunt, *tractatu* 1. *disp.* 13. *quæstione* 10. & *disputatione* 16. *quæstione secunda*, & *disputat.* 21. *quæstione* 20. vbi & loca Patrum, & argumenta ab Aduersariis adducta, soluuntur. Cætera, *in tract. de Gratia*, & *in tract. de Peccato originali* diluentur. 224

Miror autem, ab aduersariis adduci D. Augustinum, qui præclarè pro nobis stat.

Omissis autem locis ante Pelagianæ hæresis ortum contextis, quæ Caluinus paruipendit, aliqua post Pelagianismum edita libabo, *lib. de Gratia, & libero arbitrio*, ait: *Reuelauit Deus per Scripturas suas Sanctas esse in homine liberum voluntatis arbitrium*: Similia habet *epist.* 46. & 47. Et sanè *Epist.* 46. non cedens consuetudini, vt latrat Caluinus, sed grauiter protestatur: *Credite* (ait) *Diuinis eloquiis, quia liberum est hominis arbitrium.* Et *epist.* 47. Idem testatur: Similia habet *cap. adducto de Gratia, & lib. arb. & lib. 4. contra Iulianum, cap.* 8. ait: *Multò minus: ergo dicerem, quod me dixisse mentiris, negari liberum arbitrium, si gratia commendetur.* Alia loca affert Bellarm. *libro* 5. *cap.* 25.

Obiicit Caluinus D. Augustinum *cap.* 30. *Enchir.* vbi ait: *Malè homo vtens libero arbitrio, se perdidit & ipsum.*

Respondet Bellarm. *lib.* 4. *cap.* 13. & *lib.* 5. *cap.* 30. ex D. Bonau. *in 2. dist.* 25. *p.* 1. *quæst.* 4. *fundamento* 1. perditum quoad facilitatem illam ad Bonum, & immunitatem facilem à malo: Ita respondet etiam D. Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum, *cap.* 2. Vide, & D. Bonau. *argumento* 3., ait *Se, & arbitrium perdidit*: At se non destruxit: Ergo nec arbitrium, vt ait Poncius, *disp.* 7. *quæst.* 3.

Ex his habes, Liberum arbitrium non esse in brutis, vt præclarè ostendit D. Bonau. *in 2. dist.* 25. *quæst.* 1. quod infrà latiùs patebit.

Habes, etiam Voluntatem esse liberam, quia non est merè passiua; sed actiua: Sic argumentatur Concilium Trident. *sess.* 6. *capite* 5.

QVÆSTIO IV.

An hæc Potestas libera, rectè vocetur Liberum Arbitrium.

225 Communi Ecclesiæ consensu asserimus, benè Voluntatis potestatem hanc vocari *Liberum Arbitrium*: Hoc infrà ostendam.

QVÆSTIO V.

An Liberum Arbitrium *sit Potentia distincta à Ratione, & Voluntate.*

D. Bonau. in 2. dist. 25. p. 1. quæst. 2. D. Thom. p. p. quæst. 83. art. 4.

Tametsi Liberum arbitrium sub insignibus Voluntatis pertractetur; attamen, vt eius natura clariùs eniteat, etiam hîc quæstio discutitur.

Assero primò, Liberum arbitrium non esse potentiam ab Intellectu, & Voluntate realiter distinctam; Ita D. Bonau. post Damasc. *lib.* 3. *fidei, cap.* 14. & D. August. *lib.* 7. *confess. cap.* 3. & *lib.* 2. *de peccatorum meritis, & remiss. cap.* 18. vt refert Valentia *disp.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 3.

Probatvr à D. Bonau. *argumentis secundo loco.* Primum est: Natura nil facit superfluum, sed ad omnia opera rationalia sufficit Intellectus, Memoria, & Voluntas: Ergo. Minor probatur *argumento* 2. & 3. Præcisa qualibet alia potentia, Memoriâ, & Intellectu cognoscimus quæcunque facienda sunt, ac iudicamus: Voluntate verò deliberamus, &c. Ergo. Munus enim liberi arbitrij est iudicare, & arbitrario modo decernere; Sed ratione iudicamus, & voluntate eligimus: Ergo. Hoc argumento vtitur Bellarminus *Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 8. *Propositione* 4.

Secvndvm argumentum, quod est quartum apud S. Doctorem. Munus liberi arbitrij est mouere; si ergo mouet distinctam voluntatem: Ergo non est libera per se.

Tertivm argumentum est vltimum D. Bonauenturæ: Sicut vna est potentia, quâ intelligo, & noui me intelligere; ita vna est potentia, quâ volo, & volo, me velle; sed potentia, quâ volo, est Voluntas: illa verò, quâ reflexione volo, me velle, est Liberum arbitrium: Ergo sunt vnum.

Probatvr à D. Thoma: Sicut se habent Intellectus, & Ratio, ita Voluntas, & Liberum arbitrium: Sed Intellectus, & Ratio sunt vna Potentia; Ergo. Idem habet Sanctus Doctor, *in corpore*, implicitè.

Assero secundò, Liberum arbitrium ratione differre ab Intellectu, & Voluntate. 226

Probatvr præcipuè; quia id, quod se habet ad modum mouentis, aliquo modo differt à moto; sed Liberum arbitrium se habet ad modum mouentis omnes vires animæ: Ergo. Vide D. Bonauenturam.

QVÆSTIO VI.

An Libervm Arbitrivm *complectatur simul Rationem, & Voluntatem.*

D. Bonau. dist. cit. quæst. 2.

Divvs Thom. *p. p. quæst.* 82. *art.* 3. & *de veritate, quæst.* 24. *art.* 5. vult, Liberum arbitrium esse potentiam tantùm appetitiuam, non autem compositam formaliter ex appetitiua, & cognoscitiua, licèt virtualiter ambas complectatur, vt refert Valentia, suprà adductus. Neque tamen vult, Liberum arbitrium esse merum actum ipsius voluntatis, vt putat Bellarm. *Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 2. Nam in illa responsione *ad* 3. *articuli* 3. *quæst.* 83. concedit, arbitrium denominari quidem ab electione, quæ est conclusio definitiui iudicij; non tamen vult in eo solo Liberum arbitrium positum esse, neque SS. Patres, allati à Bellarmino, id dicunt: Nam si Ambrosius *lib.* 2. *de fide, cap.* 3. solùm dicit, hominem, prout vult, operari, idest, pro libero voluntatis arbitrio. Diuus verò Augustinus *lib. de Gratia, & libero arbitr. cap.* 2. solùm dicit, Liberum voluntatis arbitrium nobis à Deo reuelatum: Idem habet 5. *de Ciuitate, capite* 9. S. Prosper *libro primo, de vocatione Gentium, capite tertio*, ait: *Iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum.* Et Consil. Arausic. *can.* 13. ait: *Arbitrium voluntatis in primo Homine.* Igitur ponunt Arbitrium in Voluntate, non autem in actu eius solo.

Dvvs Bonauentura meliùs vult quidem, etiam iudicium rationis interuenire, quod est D. Bernardo concedendum, *libro de Gratia, & libero arbitrio*, Et sanè dicitur Arbitrium, idest, iudicium absolutum arbitrarium; Arbitri enim 227

non

non tenentur iudicare ex rigore iuris; sicut Iudices: Vnde dicit S. Augustinus lib. de quinque responsionibus: *Liberum arbitrium dicitur ab arbitrando, quia à rationali parte, quid eligat, quidve recuset, nomen accepit: dicitur verò arbitrium liberum, quo voluntatis ipsa libertas exprimitur, seu Dominium*: Duplex autem dominium alicuius, potentiæ datur: Aliud super obiectum suum; aliud super actum suum. Dominium potentiæ in obiectum, consistit in hoc, quòd potentia possit in illud, & in amplius, sicut equus, qui potest ferre decem modios; dominium habet in quinque, quia præualet ad illud, quod facilè portat: Dominium verò potentiæ in actus, consistit in hoc, vt potentia possit exire in actum, & cessare ab exercitio eius secundùm imperium suum: Ad hoc autem dominium requiritur, vt potentia valeat mouêre seipsam; & valeat super actum suum reflecti; si enim non posset se reflectere super actum suum, non posset illum frænare: Si verò non posset se ipsam mouere, non posset in eum actum exire ad libitum: Reflectere autem super se est virtutis cognitiuæ, à materia eleuatæ, quæ quidem virtus est ratio: Mouêre autem se, est virtutis appetitiuæ, rationem consequentis. Ad hoc igitur, vt illud dominium sit in anima, necesse est, vt habeat rationem, & voluntatem; nam si rationem tantùm haberet, posset reflecti supra se; sed non imperare: Si appetitum solum haberet, non rationem; posset in actum exire; sed impotens reflecti supra se, non posset actum dirigere: Sicut igitur ex concursu oculi, & manus, resultat potestas scribendi: sic ex concursu rationis, & voluntatis resultat dominium ad actiones.

Hinc colligit, benè liberum arbitrium definiri à Magistro dist. 24. *Liberum arbitrium est facultas voluntatis, & rationis, qua bonum eligitur, gratiâ assistente; & malum, eadem desistente.* Quæ definitio videtur D. Augustini *in Enchir. cap. 106.* Similiter & à Philosophis: *Liberum arbitrium est liberum de voluntate iudicium.* & à S. Bernardo, lib. de Gratia, & libero arbitrio, *est consensus voluntatis ob inamissibilem libertatem, & rationis indeclinabile indicium.* Has refert etiam Bellarm. *lib. 3. cap. 3. de libero arbitrio, & gratia.*

Observat autem circa primam definitionem D. Bonau. *in corpore*, Liberum arbitrium dici facultatem, quæ non solùm potentiam, sed etiam facilitatem innuit; ex quo infert *quæst. sequenti*, esse habitum, non tamen propriè.

Addit verò *ad argumenta*, Liberum arbitrium non amplecti totam rationem voluntatis, & Intellectùs, sed connexionem tantùm earum potentiarum in ordine ad eligendum, quod est veluti conclusio, & vltimus arbitrij actus, licèt includat actus diuersos, idest, iudicium rationis, & electionem voluntatis: Ita etiam Diuus Augustinus, *libro 3. Hypognostici.*

228 Assero igitur, Liberum arbitrium includere actum intellectus, & voluntatis.

Probatur à Diuo Bonauentura *argumentis primo loco.* Primò ex Diuo Augustino *de quinque responsionibus*, vbi ait: *Cùm de libero arbitrio loquimur, non de parte animæ loquimur; sed de tota.* Secundò ex D. Damasceno *lib. tertio, de fide*, vbi ait: *Anima libera arbitratur, liberè appetit, liberè iudicat, liberè imperat, & facit, liberè disponit, liberè vult, liberè eligit*, sed hæc tangunt actus rationis, & voluntatis: Ergo. Rationis quidem, quia eius est iudicare, arbitrari, & iudicium ferre; Voluntatis verò, cuius est eligere, &c.

Respondet Bellarminus *libro 3. capite 2.* & Valentia *disp. 6. quæst. 6. punct. 3.* nomine iudicij sæpè significari actum potentiæ, quæ supponit actum etiam intellectus, licèt formaliter sit actus solius voluntatis: Supponit autem vsus liberi arbitrij, idest electio libera, definitionem rationis: Ideò Philosophus *3. Eth. cap. 2.* ait; electionem esse desiderium consiliabile: Ergo solùm causaliter interuenit ratio.

Contra arguit S. Bonau. *ibi*, quia D. Damascenus docet, in libero arbitrio coniugatas esse virtutes cognitiuas & vitales: Ergo formaliter stat in consensu ambarum potentiarum. Confirmatur à D. Bonauentura, secundò ex definitione D. Bernardi, allata suprà, etiam à Bellarmino, *cap. 3.*

Probatur tertiò à Diuo Bonauentura, ex definitione Diui Augustini *in Enchir.* allata suprà.

Probatur quartò à D. Bonau. Peccatum est in solo libero arbitrio; Sed aliquod peccatum est in ratione, vt infidelitas; aliquod in voluntate, vt odium: ergo liberum arbitrium vtramque potentiam complectitur.

Probatur quintò ab eo. Gratia, & virtutes sunt in libero arbitrio: Sed virtutes Theologicæ dicuntur esse in Rationali, Concupiscibili, & Irascibili voluntatis: ergo Liberum arbitrium has potentias complectitur.

Obicies. Liberum arbitrium vel comprehendit Intellectum, & Voluntatem, vt partes subiectiuas; vel vt partes integrales. Si primum: Ergo tota ratio liberi arbitrij est in intellectu; & tota in voluntate: Ergo in singulis hominibus sunt duo libera arbitria. Si secundum: Contra; nam ex duabus potentiis subordinatis in actibus secundùm supponens, & suppositum, non integratur vnica: Sed tales sunt Intellectus, & Voluntas; nam Voluntas supponit Intellectum: Ergo.

Respondet D. Bonau. complecti, vt totum potentiale, quod partim habet naturam totius integri, quatenus ratio eius non potest in alterutra saluari; habet etiam rationem vniuersalis, quia ex concursu ambarum vtramlibet denominat. Reliqua ex dictis patent.

QVÆSTIO VII.

An Liberum Arbitrium sit Habitus.

D. Bonau. in 2. d. 25. p. 1. quæst. 4.
D. Thom. p. p. quæst. 83. art. 2.

Prima sententia est, Liberum arbitrium in actu consistere: Ita Heruæus *quodlibeto 1. quæstione 2.* 229

Secunda opinio est Alberti in summa, *p. 2. quæst. 91. membr. 1. & 2. & in 2. dist. 24. artic. 5.* Liberum arbitrium esse potentiam, perfectam per habitum superadditum naturalem.

Tertia sententia est, esse potentiam vniuersalem, continentem sub se potentias omnes intelligentis, & sentientis animæ. Refertur pro hac D. Thomas, *quæst. 24. de veritate, art. 5.*

Quarta opinio est, esse potentiam particularem, distinctam ab Intellectu, & Voluntate. Ita

Alensis *part. 2. quæstione 72. membro primo, articulo 3.*

Qvinta sententia est Durandi *in 2. dist. 24. quæstione 3.* esse ipsas Potentias Intellectûs, & Voluntatis.

Sexta est Henrici, *quodl. 1. quæst. 16.* & Scoti *in 2. dist. 25.* esse potentiam Voluntatis: Idem sentit, quoad hæc S. Thom. *loc. cit. & p. 2. quæst. 13.* Richard. & Capreol. *in 2. dist. 24.* Caietanus, Conradus, & alij Thomistæ. Itidem Valentia, *Tom. 1. disp. 6. quæst. 6. punct. 3.* Bellarm. *Tomo 3. lib. 3. cap. 7. & 8.*

Septima sententia est D. Bonau. Liberum arbitrium esse facultatem quandam Potentiæ Intellectûs, & Voluntatis, compositæ simul; ita vt dicat habitudinem ad actum cum facilitate, & hoc conuenire cum habitu; attamen suprà *quæstione 2.* prælibauit, esse eandem voluntatem, solâ ratione ab ea distinctam. Quare ad id adducit etiam D. Bernardum, qui in hoc sensu admittitur etiam à D. Thom. *ad 2.* & Valentia *loco citato*: Nulla igitur ferè est dissensio D. Bonauent. à secunda sententia, & quinta; licèt in alio discrepent, de quo *sequenti quæstione.*

230 Assero primò, Liberum arbitrium non esse merum actum.

Probatvr à Bellarmino, *cap. 8.* argumento secundo D. Bonau. Id, quod non potest à natura tolli, non est actus; sed aliquid ante actum stabile; At liberum arbitrium non potest tolli à natura: Ergo. Probatur Minor à D. Bonau. ex Diuo Bernardo, lib. de Gratia, & libero arbitr. *Tolle* (ait) *liberum arbitrium: iam non erit quod saluetur.* Idem habent omnes alij SS. Patres. Eodem argumento vtitur Valentia, *loco citato.*

Neqve nos mouere debet, quod Liberum arbitrium signetur per actum, nam commune est multis rebus nomen recipere ab actibus, cùm principia potius actuum sint: Sic enim ab Aristotele, intellectus vocatur aliquando potentia intellectiua; aliquando habitus intelligendi; aliquando actus: Sic ab Anselmo sæpè dicitur instrumentum; sæpè affectus; nonnunquam vsus: Ita D. Bonau. *in corpore*, & per eum Bellarm. *loco citato.*

231 Assero secundò, Liberum arbitrium, non esse potentiam vniuersalem.

Probatvr à Bellarmino *cap. 8.* argumento D. Bonau. *in corpore*; Si esset potentia vniuersalis, sequeretur, actus, non modò voluntatis, sed etiam aliarum potentiarum, esse liberos ex se, non vt imperatos à voluntate, & sic omnes essent talis naturæ specificæ, sub genere liberi arbitrij, vt essent domini suorum actuum: Ergo tot essent libera arbitria, quot potentiæ, quod est inauditum.

Assero tertiò, esse Potentiam. Patet ex dictis *quæstione 5.*

Probatvr primò à D. Bonauentura, authoritate D. Anselmi, *Libro de lib. arbitr.* vbi ait: *Liberum arbitrium est potestas seruandi rectitudinem:* Sed potestas est in genere potentiæ: Ergo, &c. Secundò ex D. Bernardo suprà *Libro de Libero arbitr.* vbi ait: *Tolle Liberum arbitrium: iam non erit quod saluetur*; sed saluari non dicitur, nisi potentia; vel substantia, ratione potentiæ: Ergo liberum arbitrium est nomen substantiæ, vel potentiæ. Non substantiæ: Ergo potentiæ.

Probatvr etiam rationibus; prior est. In nobis est ponere potentiam, quæ semper inclinat ad bonum simpliciter, idest, synderesim; & aliquam, quæ semper inclinat ad bonum, vt nunc, idest, sensualitatem: ergo est ponere potentiam, medio modo se habentem; hanc autem dicimus esse Liberum arbitrium: Ergo.

Secvnda est. Omne, quod est susceptibile habitus, est potentia; sed Liberum arbitrium est susceptibile gratiæ: Ergo. Minor probatur ex D. Augustini, communi illo effato: *Quòd gratia se habet ad liberum arbitrium, vt sessor ad equum*; Hoc argumento vtitur etiam D. Thomas.

Assero quartò cum Diuo Bonauentura, posse liberum arbitrium dici aliquo modo etiam habitum. 232

Probatvr primò à Diuo Bonauentura, ex D. Augustino *in Enchir. cap. 30.* vbi ait, Liberum arbitrium per peccatum factum, esse perditum, idest, deprauatum; At potentia permanet, si est mera potentia: Ergo habet etiam aliquid ante actum ad modum habitûs.

Secvndò ex D. Augustino *in Enchir. cap. 106.* vbi illud vocat facultatem, quæ habitudinem cum facilitate sonat. Quod Sanctus Thomas non negat.

Tertiò ex D. Bernardo, *de Libero arbitrio*, vbi vocat illud *Habitum.*

Qvartò, ex Magistro, & Philosophis adductis *dist. 25. dub. 1. litt.* Liberum arbitrium definitur *Liberum iudicium*; hoc autem est, aut actus; aut habitus: Non actus, vt ostendi: Ergo habitus.

Qvintò: Nulla potentia est alterius potentiæ, vel in alia potentia; Sed liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis: Ergo.

Sextò. Quod patitur augmentum, & decrementum, est habitus potiùs quam potentia: Sed tale est Liberum arbitrium: Ergo. Minor probatur, quia per peccatum Adæ deprauatur, ac diminuitur; augetur verò in gloria: Ergo.

Colliges primò cum D. Thoma, Bellarmin. Valentia, & aliis. Habitus naturalis ad vnum aliquid determinatum inclinat: Sed liberum arbitrium non est tale, sed ad omnia indifferens: Ergo.

Respondetvr; habitus naturales non modò esse tales, vt à natura; sed quia insunt potentiis oppositis voluntati, quo sensu dicuntur naturales, sicut ipsæ potentiæ dicuntur naturâ determinatæ ad vnum; At quia habitus insunt in potentiis ad modum earum, & voluntas est libera; ideò est habitus, & tamen indifferens; inclinat tamen ad bonum. Addo, ex hoc non rectè inferri intentum, nempè Liberum arbitrium non esse habitum, quod est indifferens; Nam etiam ex potentiis naturalibus aliquæ inclinant ad bonum; aliæ ad bonum hic, & nunc; aliæ ad bonum in genere, idest voluntatis, vt notat D. Bonau. *argumento. 3.* Quod si datur aliqua potentia media indifferens, poterit etiam dari habitus ei proportionatus; attamen non dicit S. Doct. esse propriè habitum, additum potentiæ, vt luce clarius ostendam, *quæstione 9.* Interim dicit Sanctus Bonauentura, *quæstione 5. fundam. 1.* Verum hoc esse de habitu, qui addit supra potentiam.

QVÆST.

QVÆSTIO VIII.

An Liberum arbitrium sit principaliùs in VOLVNTATE, *quàm in* INTELLECTV.

D. Bonau. in 2. d. 25. p. 1. q. vlt.
D. Thom. q. 83. art. 1.

233 PRIMA sententia est Durandi *in 2. distinct. 24. quæst. 3.* Liberum arbitrium esse ipsas potentias Intellectûs, & Voluntatis, magis tamen intellectus, quia in eo libertas plus est constituta.

SECVNDA sententia est D.Thom *p.p.quæst.83. art. 1. 2. & 3.* & *1. 2. quæst. 13.* & *in 2. dist. 24. quæst. 1.* & *de veritate, quæst. 24.* Capreoli, Caietani, Bannes, Conradi, & aliorum Thomistarum ad ea loca D. Thom. Richardi *in 2. distinct. 24.* Liberum arbitrium esse quidem potentiam vnam, ipsam scilicet voluntatem; sed radicem libertatis esse in ratione, & voluntate pendereque, ac determinari à iudicio practico rationis. Hanc sequitur etiam Bellarminus *Tomo 3. lib. 3. cap. 7.*

TERTIA sententia est, Liberum arbitrium adeò in sola voluntate reperiri, vt nullo modo determinetur ab intellectu; sed sola sit suorum actuum totalis causa: Ita Scotus *in secundo, dist. 25.* quem sequitur eius Schola. Faber *in 4. dist. 9. cap. 10. numero 227.* P. Liuius Rabesanus *lib. 3. disputat. 3. quæst. 3.* & cæteri, apud Merinerum *disp. 6. quæst. 3. sect. 3.*

SENTENTIA D.Bonau. hîc, & *eadem dist. p. 2. artic. 1. quæst. 5.* est, Liberum arbitrium consistere quidem in Intellectu, & Voluntate; ita tamen, vt in intellectu materialiter tantùm, quatenus obiectum voluntati ostendit, eique iudicium practicum fert per modum suadentis; formaliter verò esse in Voluntate, quæ sola est formaliter libera, adeò, vt dictanti intellectui renuat ad libitum, sæpè enim intellectus iudicat, aliquod esse maius bonum, & illud faciendum; & tamen Voluntas renuit. Affert S. Doct. exemplum de Oculo, & Manu, concurrentibus ad scriptionem, ita tamen, vt manus formaliter scribat; Oculus verò tantùm ostendat manui, quid, & vbi scribendum. In quo videtur cum tertia sententia, quoad hoc; licèt in eo differat, quòd ponit Liberum arbitrium etiam in Intellectu.

234 ASSERO primò. Libertas formaliter non est in ratione; sed in voluntate.

PROBATVR primò à D. Bonau. In eo non potest poni libertas, quod est obnoxium coactioni, & necessitati: Talis est ratio; non autem voluntas: Ergo. Minor probatur, quoad priorem partem, quia sæpè cogitur ad iudicandum, & credendum contra inclinationem totius suppositi: Ita Dæmones credunt, vnum esse Deum, & ideò contremiscunt *Iacobi 2.* & sæpè ægrotus cogitur credere, se breui moriturum, quod omninò refugit, & si fieri posset, nollet credere; At voluntas, quia fertur in totum bonum, ideò non potest velle aliquid contra suam inclinationem, & rursus ipsa est inclinatio totius suppositi, &c. Ergo non potest velle aliquid contra inclinationem totius suppositi.

QVÒD verò etiam à necessitate ratio non sit immunis, quoad specificationem probatur: Ratio enim, si ei proponantur argumenta necessaria, necessariò asserit: Si probabiliora, necessariò opinatur, ideò cum formidine credit. Hinc Aristoteles *secundo, de Anima, text. 153.* ait: *Nos imaginari posse, quod volumus; non autem opinari, nisi id, quod argumenta concludant esse opinandum.* Et 7. Eth. capite 2. ait: *Syllogismum captiosum necessariò inducere dubitationem, cùm ex vna parte vincatur incredibile, quod concluditur; ex altera non possit contemni argumentum, donec solutio appareat:* Confirmatur experientiâ; nemo enim consultat: vtrùm debeat veritati cognitæ assentiri, necnè, sed simpliciter eò accedit, quò vis argumentorum ducit. Confirmatur secundò; nam ideò Fides Catholica requirit pietatis affectum, quia alioqui mens nostra non posset adduci, vt crederet, quæ rationem ipsam superant; sæpè etiam, quæ eidem repugnare videntur.

QVÒD verò non sit immunis à necessitate, quoad exercitium probatur; nam omnis actio fit ex appetitu alicuius boni, vt docet Aristoteles *1. Eth. capite 1.* Appetitus autem boni in Anima, ratione prædita, est voluntas: Ipsa igitur voluntas rationem applicat ad intelligendum; vel etiam ab actu intelligendi reuocat. Hac ratione vtitur etiam Bellarminus *lib. 3. cap. 8.*

PROBATVR secundò à D. Bonauentura, ratione. Liberum arbitrium est, quod in nobis est imperatiuum; sed in nobis voluntas est imperatiua, magis, quam ratio: Ergo. Minor probatur; nam quidquid ratio dictet; attamen semper illud fit, quod voluntas præoptat: Ergo.

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura, argumento validissimo, sumpto ex merito, & demerito. In eo est libertas, in quo est meritum, & demeritum: Sed hæc sunt in voluntate. Minor probatur: Si meritum esset in ratione; sequeretur primò, hominem peccare ante consensum voluntatis, quòd est alienum; nam nullum est peccatum, nisi voluntarium, ex D.Augustino *Lib. de vera Religione, cap. 14.* Sequeretur secundò, bis semper peccare hominem in quolibet casu. Primò, cùm iudicat esse faciendum id, quod non licet. Secundò, cùm eligit; Tertiò sequeretur, ignorantiam, planè inuoluntariam, à peccato non excusare. His vtitur etiam Bellarminus, *loco citato.* Idem argumentum currit de merito.

PROBATVR quartò à D. Bonauentura ex SS. Patribus, qui Voluntati adscribunt, eligere, arbitrari, imperare. Tandem Libertatem vocant Liberum Voluntatis, vel volentis, arbitrium: Ita D. Ambros. *lib. 2. de fide, cap. 3.* D. August. *de Gratia, & lib. arbitr. cap. 2.* & *lib. 5. de ciuitate, cap. 9.* S. Prosper *lib. 1. de vocatione gentium, cap. 3.* Concil. Arausic. *can. 13.* D. Nyssenus *lib. 7. de Philosophia.* D.Damasc. *lib. 2. de fide, cap. 25.* Optatus *lib. 7. cont. Parmenianum.* S. Bernard. *lib. de Gratia, & lib. arbitrio.*

ASSERO secundò, Libertatem non esse radicaliter in rationis iudicio, ita vt voluntas cogatur illud sequi. 235

PROBATVR à Fabro *loco citato, argumento D. Bonau. penultimo in corpore*, & ad argumenta: Si voluntas necessariò sequeretur iudicium rationis; sequeretur, non esse potentiam formaliter liberam ad actus suos elicitos; sed hoc est contra Scripturam, & Patres, qui voluntati adscribunt libertatem: Ergo.

PROBATVR secundò à Fabro, ratione tertia Diui

Diui Bonauenturæ, sumptâ ex merito, suprà allat.

Probatvr tertiò à Fabro, argumento S. Doct. *in corpore*, & *ad argumenta*; Electio est actus liber; hæc autem est actus voluntatis, ex communi sensu Philosophorum, etiamsi intellectus aliter dictauerit. Argumenta Thomistarum ruunt, responsione S. Doct. *ad primum*. Rationem esse rectricem voluntatis, suadendo, proponendo, imò famulando, non imperando: Ipsa enim voluntas optans bonum, imperat intellectui, vt discurrat, vt inueniat; sæpè verò eligit, quod minus bonum ab intellectu proponitur, & hoc ex proprio affectu.

Obiicit primò Bannes. D. Clemen. *Epist.* 2. *ad Iacobum*, hoc medio probat Liberum arbitrium, quia ratio est indifferens ad iudicandum. Idem habet Origenes *lib.* 3. *Periarch. cap.* 1.

Respondetvr, eos sumere rationem, idest, Hominem rationis capacem, in ordine ad electionem practicam.

Obiicit secundò. Electio oritur ex iudicio rationis, ex Aristotele 3. *Eth. cap.* 2. & 3. Item Aristoteles 1. *Metaph. text.* 3. dicit, quòd potentiæ rationales, vt rationales sunt, se habent ad opposita, quòd non conuenit Brutis.

Respondetvr, hoc esse contra ipsum Bannez, nam ex eo, quòd potentiæ rationales possunt eniti in opposita, ne opposita simul appetant, quòd non potest esse, deducit Aristoteles *text.* 10. debere dari potentiam aliquam imperantem suâ authoritate potentiis rationalibus ad hoc, vel illud. Hanc dicit esse Appetitum, seu Præheresim, siue electionem, quæ est voluntas.

236 Obiicies tertiò. Adiectiuum ponit rem suam in substantiuo, vt dulce in lacte, & principalius dicitur aliquid de aliquo, quod dicitur *abstractè*, quàm quod dicitur *concretè*; Sed vocatur Liberum arbitrium, non libertas arbitraria: arbitrium verò se tenet ex parte rationis: Ergo.

Respondet S. Bonauentura, Adiectiuum, respectu substantiui, se habere, vt informans; ideò nomen significans formam, significatur nomine liberi, quod informat arbitrium, & ideò dat illi esse formalè, sicut dulce lacti.

Obiicies quartò ex Aristotele. Ratio nata est regere Irascibilem, & Concupiscibilem; sed voluntas consistit in illis duabus viribus, nempè, Irascibili, & Concupiscibili: Ergo ratio regit voluntatem; At liberum arbitrium se habet, vt regens; non vt rectum: Ergo est in ratione.

Respondet Sanctus Doctor, quòd ratio regit eas potentias disponendo, suadendo, &c. quòd verò regat per modum imperantis, hoc non nisi mediante voluntate, fit. Vide S. Doctorem.

Obiicies quintò. Facto vltimo iudicio rationis, Voluntas semper mouetur secundùm illud: Ergo, &c.

Respondet S. Doct. iudicium proprium rationis esse dictamen, quod voluntas non semper sequitur; At iudicium definitiuum, vt fiat hoc, vel non fiat, non est sine voluntate. Quantumcunque enim ratio deliberet; attamen in eam partem determinat iudicium definitiuum, quàm Voluntas præoptat.

QVÆSTIO IX.

Quid tandem addat Liberum Arbitrium *Intellectui, & Voluntati.*

D. Bonau. in 2. d. 25. p. 1. quæst. 5.

Notat D. Bonauent. *in corpore*, tribus modis habitum ad potentiam comparari, vt habitus dicit facilitatem. Quædam namque potentia est habilis per se ipsam ad actus, [illegible]ens est nata ad meminendum sui. Et tunc talis [illegible]us non reale aliquid addit, sed rationis, ipsi p[illegible]tiæ. Quædam est potentia, quæ est habilis ad actum per aliquod accidens additum, vt potentia citharizandi. Quædam est habilis per se ipsam, non tamen se solam, sed cum alia: Sic potentia rationalis, coniuncta appetitui, facilis est ad electionem; & hæc addit aliquid respectiuum, putà coniunctionem vnius potentiæ cum alia. Tale est Liberum arbitrium.

Assero, nil reale absolutùm addere Liberum arbitrium supra Intellectum, & Voluntatem, sed solùm coniunctionem harum potentiarum. 237

Probatvr primò à D. Bonau. Omnis habitus addens aliquid supra potentiam, determinat potentiam ad aliquem actum: Sed liberum arbitrium potius ampliat potentiam, respectu actuum: Ergo. En ratio, quâ D. Thom. Bellarm. Valent. & alij vtebantur contra Diuum Bonauenturam, *quæstione* 7.

Probatvr secundò. Nullus habitus, addens aliquid, indifferens est ad bonum, & malum: Sed Liberum arbitrium est indifferens ad bonum, & malum morale: Ergo, &c.

Probatvr tertiò. Præciso omni habitu addente, potest adhuc potentia intelligi; sed non potest intelligi Intellectus, & Voluntas absque libero arbitrio: Ergo Liberum arbitrium non addit. Vide alias rationes in S. Bonau. Argumenta in oppositum ruunt ex data distinctione.

QVÆSTIO X.

An Liberum Arbitrium *in omnibus, illud habentibus, æqualiter sit.*

D. Bonau. in 2. d. 25. p. 2. quæst. 1.

Iam *Tractatu* 1. *disp.* 16. *quæst.* 2. 3. & 4. vidimus, Deum habere Liberum arbitrium; Idem ostendi *de Angelis*, *Tract.* 4. *disp.* 3. *quæst.* 4. & *sequentibus*. Iam videamus; an in his, in nobis, & in Deo sit æquali modo.

Advertit primò Bellarm. *loco citando* ex D. Thom. *quæst.* 24. *de veritate, art.* 3. melius ex D. Bonau. *in* 2. *distinct.* 25. *p.* 2. *quæst.* 3. non esse de ratione liberi arbitrij, posse in malum, & bonum tendere: Similiter nec posse nunc velle; nunc non velle; nec velle vnum, & postea nolle, vt notat D. Bonau. *in* 1. *distinctione.* 45. & 46. passim. Posse enim

enim velle etiam malum, est posse deficere, vt notat D. Bonau. *in 2. loc. cit.* Similiter posse mutari circa obiectum, vel in actu ipso, est imperfectio Creaturæ, quæ mutationi obnoxia est. Vide etiam Bellarminum *Tom. 3. lib. 3. cap. 17.* Igitur libertas arbitrij stat essentialiter in priuatione omnis coactionis, & in facultate ad multa, maximè verò ad rectitudinem. Vbi potest esse aliqua præcellentia.

238 Assero primò, Liberum arbitrium, vt dicit immunitatem à coactione, æqualiter est in omnibus.

Probatvr à D. Bonauentura, *argumentis primo loco*, primò ex D. Bernardo, *libro de libero arbitrio.*

Probatvr secundò ex vi ipsius nominis Liberi arbitrij, quod seruitutem, & coactionem excludit.

Assero secundò, quoad excellentiam, Liberum arbitrium præeminere in Creatore.

Probatvr à D. Bonau. ex præcellentia Intellectûs, & Voluntatis, in quibus stat Liberum arbitrium; hæ enim in Deo sunt infinitæ perfectionis. Confirmatur; nam omne arbitrium creatum, est participatio arbitrij Diuini: Ergo hoc longè perfectius. Vide D. Bonau. *in corpore*, vbi & id probat ex D. Anselmo.

Assero tertiò, quoad potestatem seruandæ rectitudinis, inæqualiter esse in creaturis ipsis, & inter se comparatis, & multò magis ad Creatorem.

Probatvr, quia in Deo est potestas indefectibilis ad malum, & inseparabilis à bono: At in Viatore est separabilis; in beatis verò inseparabilis est per additam gratiam; non per naturam, vt in Deo. Vide D. Bonauenturam.

QVÆSTIO XI.

An Volvntas *sit libera ad Actus, & Obiecta præsentia.*

D. Bonau. in 2. d. 25. p. 2. quæst. 2.

Qværitvr: An Liberum arbitrium habeat in potestate. libera actiones non modò futuras, sed etiam præsentes.

Prima opinio est Magistri *in 2. dist. 25.* Gulielmi, Ocham, & Gabrielis *in 1. distinctione 38.* operationes præsentes esse necessarias; & ita non esse in Liberi arbitrij potestate.

Secvnda opinio est Gregorij *in 1. distinct. 39.* inchoationem sanè operis in arbitrij potestate esse; non autem continuationem.

Tertia sententia est D. Bonau. hîc, quem sequuntur Scotus *in 1. distinct. 39.* Capreolus *in 2. distinct. 25.* Heruæus *quodlibet. 1. quæst. 1. dub. 6.* Bellarminus *Tom. 3. lib. 3. cap. 12.* & communiter Scholastici, Liberum arbitrium non modò futuras, sed etiam præsentes rationes; nec modò inchoationem, sed etiam continuationem operum habere in sua potestate.

238 Assero primò, actiones etiam præsentes esse in arbitrij potestate.

Probatvr primò à D. Bonau. ex D. Augustino *in Enchiridio.*

Secvndò, quia Liberum arbitrium est in Deo, & Angelis, & hominibus Beatis, qui tamen necessariò habent actum bonum: Et quidem Deus, cui omnes sunt actus præsentes, iam non esset liber, vt probatum est *Tractatu 1. loco citato initio.*

Probatvr tertiò magis ad rem nostram: Si actus præsentes non essent in liberi arbitrij potestate; sequeretur, neque Christum, neque Angelos in primo instanti creationis potuisse aliquid mereri; Sequeretur, neque aliquem bonis operibus mereri; non enim meremur, quando non agimus, vt patet; neque meremur, quando aliquid agimus, si necessariò agimus: Ergo nunquam. Hæc verò sunt absona. Confirmatur; nam sequitur, qui aliquando voluit, & fecit, vultque se fecisse, non hoc ipso mereri; hoc enim, quod iam factum est, est necessarium; hoc autem velle, per te, est necessarium; Sed hæc sunt absona: Ergo. His argumentis vtitur Bellarminus. Eodem modo sequitur, peccatorem peccando non demereri, quod est omninò extra chorum, & absonum.

Probatvr quartò. Omnis actus semper tenet essentiam suæ speciei: Sed actus præsens arbitrij est specificè liber: Ergo. Confirmatur; Nam omnis potentia tendit suo modo in obiectum: sicut igitur intelelctus cognoscit necessaria necessariò; ita Voluntas vult liberè.

Adverte autem, S. Bonauenturam ex proposito intendere, actus simpliciter immutabiles, vt sunt Dei, & similiter actus immutabiliter circa bonum versantes, vt sunt Beatorum amantium Deum, esse liberos, quia immunes à coactione; non esse tamen liberos, quantùm debetur viatori, deliberanti post consiliationem, & habenti potestatem ad vtrumlibet; nempè, Bonum; & Malum.

Assero secundò, continuationem operis esse in libera nostra potestate. 240

Probatvr *allatis argumentis*, de merito, & demerito: Sic enim continuando opus, non meremur, nec demereremur, quæ sunt absurda.

Obiicies primò. Omne, quod est, dum est, necesse est esse, ex Aristotele 1. *Perhierm.*

Respondet D. Bonau. *in primo, distinct. 38. art. 2. quæstione 1. ad 3.* quem sequitur Bellarminus, loqui Aristotelem de necessitate conditionata ex hypothesi; vel in sensu composito, ex supposito, quod actio illa sit; iam necessariò est, seu transiit in esse; attamen simpliciter fluit contingenter à causa.

Obiicivnt secundò. Liberum arbitrium est eorum, quorum est consultatio; At consultatio non est præsentium; sed futurorum: Ergo.

Respondet Sanctus Bonau. hîc, & *in corpore*, & *ad secundum*, & post eum Bellarminus, eo tempore, & quatenus est deliberans liberum arbitrium, esse de contingenti faciendo; nullus enim deliberat de necessario, aut impossibili; dum igitur deliberatur de obiecto: An hoc faciendum, necnè: actus volendi, & ipsum volitum, est contingens: At verò dum deliberat circa actum: An, *verb grat.* sibi placere debeat, necnè: Opus iam factum contingens, adhuc est in ipso actu, quia potest reprimere suum actum, & exit à voluntate ipsa, vt domina: & hoc alia ratione saluatur etiam in actibus necessariis; vt, dum consultat, num debeat consentire appetitui naturali insito, putà Beatitudinis, vt dixi *Tract. 2. disputatione de Spiritu Sancto, quæst.* An emanet liberè.

Obiicivnt tertiò, Non potest in eodem instanti aliquid fieri, & desinere esse; quia simul esset; & non esset: Neque potest desinere in proximo instanti, quia non datur proximum instans; ideò

ideò necessariò actio est continuanda ad aliquod tempus: Ergo dum continuatur, est necessaria.

Respondetur, posse in eodem instanti actionem incipere,& desinere;quia, quæ desinunt in instanti,in quo fiunt, incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse: Itaque de his rebus non dicitur:Res hæc nunc est,quia incipit esse; & nunc non est,quia desinit esse; Sed dicitur: hæc res nunc est,quia incipit esse,& post hoc non erit, quia desinit esse: Porrò multa esse,quæ non continuantur,sed in eodem instanti pereunt,in quo nascuntur,clarum est ex ipsis instantibus in tempore,& *mutatis esse* motus: Actiones etiam spirituales omnes, & ipsam illuminationem corporalem in instanti fieri, ac per sui primum esse incipere; ac per sui vltimum esse desinere, perspicuum est.

Nota, actum præsentem, circa necessaria, esse liberum libertate, quæ est Dei, & Beatorum; non tamen viatorum.

QVÆSTIO XII.

An Liberum Arbitrium *possit in malum, quatenus liberum: an quatenus tale.*

D. Bonau. d.28. q. 3. & d.38. q.1.

241 Certum est, vt dixi *quæst.* 10. Liberum arbitrium, vt dicitur de Diuino, non posse in malum; nec etiam vt dicitur de Beato. Quæstio ergo est de Humano: An possit in malum: Et sanè Humanum arbitrium posse malum operari, certum est. Quæritur principaliter ergo: An in illud tendat, vt obiectum,idest: An Voluntas humana habeat etiam malum pro obiecto: Aliter verò:An, vt deficiens, tendat in malum.

Assero, Liberum arbitrium,non vt liberum, sed vt deficiens, posse in malum.

Probatur a Dino Bonauentura, *argumentis primo loco.* Primò. Vituperatio oritur ex malo subito ex defectu; Sed homo subit vituperationem ob facinora: Ergo.

Probatur secundò. Electio est actus liberi arbitrij; Sed Voluntas, gratiâ destituta, eligit malum,nec potest sine gratia in Bonum: Ergo ex defectu, liberum arbitrium tendit in malum.Id ostenditur *prima secunda*, cum de necessitate Diuinæ Gratiæ, *disp.* 1. *Tract.*6.

Probatur tertiò. Potentiæ rationales sunt ad opposita ex Aristotele 9. *Metaph. text.*3. Sed liberum arbitrium est potentia rationalis: Ergo. Maior tamen intelligitur de potentiis defectibilibus.

Probatur etiam *argumentis secundo loco.* Vide D. Bonauenturam; præcipuè,quia peccare, est deficere: Ergo posse peccare, dicit defectum voluntatis. An verò Voluntas feratur in malum tanquam in obiectum, prosequendo illud.

Prima opinio est, Voluntatem ferri in Malum, vt obiectum, quatenus Malum est. Citatur Scotus *in* 2. *dist.* 25. *quæst.* 1. *ad* 2. quem sequuntur Ocham *in* 3. *quæst.* 13. *dub.* 3. Maior *in* 2. *distinct.* 28. *quæst.* 1. *ad* 1. Lichet. 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. Bargius 1. *dist.* 39. Faber 1. *disp.* 13. *cap.* 3. & *in* 4. *disp.*9. *cap.* 2. & communiter alij Scotistæ. Alij qui huc trahunt D.Bonau.quia *in* 1. *dist.*45. *art.* 2. *quæst.* 1. ait, In volendo malum, saluari rationem volendi, quia velle malum, est velle: At definit de malo,vt malo, esse actum illum.

Vasquez 1.2. *disp.*31. & alij, dicunt,Scotum in hac re dubium fuisse, scilicet *in* 1. & *in* 2. sed tandem *in quarto*, ab hac prima sententia omninò recessisse: Sanè *in* 3. *dist.* 33. *quæst. vnic.* & *in* 4. *dist.*49. *quæst.* 10. videtur ab ea recessisse, vt monet Poncius *disp.*8. *quæst.* 1.

Faber Fauentinus *in* 1. *disp.*13. *num.* 40. ait, Scotum cæteris meliùs dixisse *in* 1. *dist.*1. *quæst.* 4. *in solutione quarti argumenti*, Voluntatem nostram, quidquid vult, velle sub ratione Boni, amore quidem concupiscentiæ: At verò amore amicitiæ posse velle malum, sub rationi mali.

Secunda igitur sententia est D. Bonau. hîc, & D. Thom. 1. 2. *quæst.* 8. *art.* 1. ac cæterorum Scholasticorum *in* 2. *dist.* 34. quos sequuntur cæteri Theologi; nullo pacto Voluntatem tendere in malum, sub ratione mali: Idem habent Philosophi, vt refert Ruuius 2. *Physic. tract.* 5. *quæst.* 2. estque communis etiam Recentiorum, vt docet Vasquez *loco cit.* Valentia *Tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.*3. *punct.*1. Cauel. *de lib. arbitr.membr.* 13. Rabesan. *lib.*3. *disp.*3. *quæst.* 5.

Assero cum hac sententia, quæ est communis Theologorum, vt notat Bellarm. *Tract.*3. *lib.*3. *cap.*11. 242

Probatur à D. Bonau. *dist.*38. *loc.cit.*primò ex D.Augustino 13. *de Trinit.cap.*3. & *lib.* 2. *Confess.cap.*6. Boëtio 3.*de consol.prosa* 2. & *lib.*4. Omnes appetunt beatitudinem. Et D. Dyon. *de Diu. nom.cap.*4. vbi ait: *Nemo intendens ad malum operatur*, quæ est sententia etiam Arist. 1. *Eth. cap.* 1. & sæpè *in Libris illis* idem repetit,omnem electionem appetere bonum. His, & aliis authoritatibus nituntur Bellarm.Vasquez, & omnes Moderni, & est axioma etiam D.Aug. *lib.*2. *confess.cap.*6. & 8. Gregor.Nyss. *lib.de opifice hominis,cap.*20. Damasceni 2. *de fide*, *cap.*21. & omnium ferè Scholasticorum,vt notat Ruuius 2. *Phys.Tract.*5. *quæst.*2.

Respondet Fauentinus, Voluntatem necessariò concupiscere beatitudinem, quatenus scilicet est sibi bona,atque adeò eam necessariò amore concupiscentiæ prosequi; At verò posse eam, in seipsa apprehensam, odio prosequi;Cùm enim amor amicitiæ sit prior amore concupiscentiæ, & ab hoc distinctus, potest Voluntas in illo priori, in quo adhuc non cogitat de sibi conueniente, odio habere beatitudinem, & Deum ipsum, sicut & optare, ne sint.

Contra:quia Voluntas in primo actu non est excæcata,vt notat ipse Faber *loc.cit.* & *in* 2. *dist.*6. *quæst.*2. Scoti *dist.* 33. amor verò amicitiæ est primus actus: Iam verò, cùm appetitus sequatur aliquod motiuum; Omne enim agens mouetur aliquo obiecto, & fine; nec vllum motiuum appareat in beatitudine, seorsim considerata, vel in Deo; cur, voluntate non adhuc excæcata, possunt optari, ne sint? Confirmatur à S Bonau. ad id Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit Sapientia.*

At sanè, inquit Faber, posse damnatos velle beatitudinem non esse, ex eo quòd vident, illam non esse sibi bonum, sed aliis: Similiter de Deo idem posse velle, euidens est.

Quæro, nonnè hic actus supponit actum alium concupiscentiæ, quo damnati vellent sibi beatitudinem; ille verò, actum amicitiæ, quo se ipsos amant? Ergo primo actu amicitiæ,ante excæcationem,

cationem, volunt se ipsos, & beatitudinem amore concupiscentiæ. Profectò, si id, quod non habet bonitatem, non habeat vnde ametur, multò minùs id, quod est malum. Confirmatur, id enim docent communiter Patres, præter relatos, Clem. Alex. *lib. 1. strom. pag. 61.* Damascenus *lib. 2. de fide, cap. 22.* & alij. Ex Philosophis etiam Seneca *lib. 4. de Benef. cap. 7.* Imò D. August. *in Enchir. cap. 105.* adductus à D. Bonau. *in 2. dist. 25. p. 2. art. 1. quæst. 2.* clamat: *Neque autem volutas non est, aut libera dicenda non est, quâ Beati sic esse volumus, vt esse miseri, non solùm nolimùs, sed nequaquam prorsus velle possimus.*

243 Probatvr secundò à D. Bonau. *loc. cit.* Omnis operans finaliter respicit ad suum obiectum, quod est bonum. Vnde Arist. *loc. cit.* ait: *Bonum, & Finis idem sunt.*

Respondet Faber, negando, obiectum voluntatis adæquatum esse bonum; sed esse ens, vt promittit, se probaturum *tract. de Pœnit. disp. 9. cap. 8.*

Respondet secundò, Voluntatem, vt est potentia naturalis, non ferri, nisi in bonum: At quidem vt potentia libera est, posse in malum.

At verò si obiectum voluntatis est Ens: Ergo est bonum, nam conuertuntur ens, & bonum: Quamuis autem ens multa alia attributa habeat, nullum tamen habet, quod sit malum. Ipse etiam Faber, *in 4. dist. 14. quæst. 1. disp. 9. n. 138.* ait: Bonum sumptum pro illa entitate, super qua fundatur, quod sit conueniens, est obiectum voluntatis adæquatum: Deinde voluntas est libera per electionem; quod autem non habet apparentiam boni, non est eligibile, vt arguit S. Doct. *in 4. dist. 50. quæst. 2. arg. 2. ad opp. addito responso*; nam voluntas est cæca, neque appetit, nisi quod fuerit propositum ab intellectu, vt appetibile; At intellectus non potest proponere malum, vt malum, appetibile. Hinc vrgeo: Voluntas est appetitus inclinans ad id, quod est conueniens naturæ, à qua emanat: Ergo solùm in bonum, non autem in malum; neque in indifferens, vt quidam dicunt.

Præterea. Ens est obiectum etiam Intellectûs: Ergo debet dari aliqua ratio formalis distincta vtriusque: Sicut ergo obiectum formale intellectûs est Verum, ita voluntatis est Bonum, vt dixi *cap. præcedenti, sect. 10. quæst. 1. & 2.*

Obiiciunt primò Ecclesiastici 15. *Ante hominem bonum, & malum, Quod placuerit ei, dabitur illi*: Et Diuus Augustinus, *libro 2. Confess. capite 4.* ait: *Se in furto non amasse, nisi peccatum*, Et Diuus Bernardus *Serm. 35. ex paruis* ait: *Diabolum, & alios quosdam diligere malum, quia est malum.*

Respondet Bellarm. ex D. Bonau. *in 2. dist. 25. arg. 4. secundo loco*, malum posse acceptari, quia habet apparentiam boni; Sic D. August. amabat in furto peccatum, sub ratione boni; idest, delectabilis, quia gaudebat in fallendo vicino. Idem vult D. Bernardus; Diabolus enim diligit malum nostrum, quatenus est sibi delectabile; alios quoque secum perire appetit.

244 Obiiciunt secundò cum Scoto. Pono casum, quo intellectus apprehendat odium Dei, vt malum; aut voluntas, potest illud velle, aut non: Si potest: habeo intentum. Si secundum: Ergo vel absolutè non potest velle odium Dei, quod falsum esse apparet in Diabolo; vel oportet, intellectum priùs esse excæcatum, ostendentem illud odium sub ratione boni; quod est absonum: Nam excæcatio non præcedit affectum prauum.

Respondetvr ex Diuo Bonauentura, *in 4. distinctione 50. quæstione 1. & 3.* & *in Opusculis*, non posse voluntatem in eo casu odisse Deum; concedo verò, odientem esse excæcatum, sub ratione boni sibi, illud odium apprehendentem, vel Deum, malum sibi, pœnarum inflictorem: Ista autem excæcatio est ante alium affectum prauum; idest, ante voluntatem deprauatam in fine viæ, esseque primum effectum istum, vt fatetur Fauentinus, suprà relatus *argumento 1.*

Obiiciunt tertiò: Multi odio habent inimicum; multi sibi inferunt mortem; & damnati cupiunt mori, & annihilari.

Respondet Diuus Bonauentura hîc, *distinctione 35.* relatus *ad primum*, & Bellarminus, *loco citato*, hæc fieri sub ratione boni: Similiter & damnatos velle non esse, vt fugiant æternitatem pœnarum, & sic eligunt minus malum, vt docent D. Bonauentura, *in 4. distinctione 50. quæstione 2.* Vasquez *p. 2. disputatione 29. capi. 2.* Idem habet S. Doctor *ad 1. Sap. cit.*

Obiiciunt quartò: Sic se habet voluntas ad suum obiectum, sicut intellectus ad verum; sed intellectus non tantùm percipit Verum, sed & Falsum: Ergo & Voluntas appetit bonum, & malum. 245

Respondet Sanctus Bonauentura, *distinctione 25. quæstione 3. in corpore*, Voluntatem ferri in bonum, & malum, sed bonum appetendo; malum respuendo: Sicut intellectus amplectitur Verum, & respuit Falsum: Ita respondet etiam Bellarminus, & Ruuius *num. 21.*

QVÆSTIO XIII.

Quâ indifferentiâ sit præditum in actibus suis Liberum Arbitrium.

Adverte primò, ex Diuo Bonauentura, *in 2. distinctione 25. parte 2. quæstione 2.* idem esse indeterminationem, indifferentiam, & contingentiam in arbitrio, quæ determinationi, & necessitati opponuntur; hæ verò circa vtramlibet partem propositionis versantur: Duplex est autem determinatio, & necessitas: Altera coactionis; altera immutabilitatis. Prima excluditur ab omnibus; Secunda verò ipsi Deo conuenit.

Rvrsvs, duplex est indeterminatio: Altera contradictionis, vt velle, & non velle: Altera contrarietatis, vt velle aliquid; & nil velle. Indifferentia contradictionis respicit actus; contrarietatis verò respicit obiecta.

Assero primò. Essentia liberi arbitrij est, posse in actum suum per Imperium: Ita D. Bonau. *loco citato.*

Probatvr, quia Liberum arbitrium sonat potestatem quandam, legum vinculis non alligatam; ideò enim Arbiter dicitur Voluntas; quia sicut Arbiter iudicat inappellabiliter ad proprium voluntatis nutum: Ita & Voluntas decernit secundum proprium motum, non sicut Iudex, cuius est causam secundùm iura terminare: Quoniam igitur liberum arbitrium decernere habet de agendis, iuxta voluntatis nutum, magis quàm iuxta iuris præceptum, hinc magis dicitur liberum arbitrium, quàm iudicium; & ideò sapienter Philosophi; & Sancti PP. sic liberum arbitrium vocarunt: Ita D. Bonau. 2. *dist. 25. part. 1. dub. 1. litt.* & post eum Bellarm. *Tom. 3. cap. 2. in calce.* 246

Assero secundò, ad rationem libertatis non exigi indifferentiam contradictionis in velle, & nolle; Ita D. Augustinus *in Enchir. cap.* 105. adductus à Diuo Bonauentura, vt vidimus *quæst. superiori.* D. Thom. 10. *de Pœnitentia*, *art.* 2. Scotus, *in primo, dist.* 10.

Probatur primò, quia Deus est maximè liber, nec tamen potest habere actus contrarios, vt dixi *Tractatu* 1. *disp.* 16. *à quæstione prima*; Secundò Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum liberè, & tamen necessariò, non verò naturaliter, vt vidimus *Tract.* 2. *disp.* 13. *quæst.* 3.

Assero tertiò. Si arbitrium sumatur pro consultatione propria, sic ei conuenit posse in contradictorios actus.

Patet, quia consultatio versatur circa plures actus, vt ex pluribus aliqua pars eligatur, vt notat D. Bonau. *loco citato*, initio.

Assero quartò. De ratione libertatis non est contrarietas, quæ attenditur in obiectis.

447 Probatur, quia Beati amant Deum, nec possunt non amare, & amant amore libero essentialiter. Potest tamen esse necessitas respectu aliquorum, putà in Beatis ad amorem Dei visi; & tamen indifferentia ad alia, putà ad orandum pro nobis: Attamen etiam in ordine ad Deum actus est liber essentialiter, quia est à principio spontaneo, non autem extrinseco, non conferente vim passo, vt dixi etiam *in Assertione* 1.

Liberum est arbitrium ad contradictoria, & contraria, ex imperfectione sua, & defectibilitate, & hoc Deus illi concessit ad meritum capescendum. Ideò in viatore talis indifferentia est necessaria: Ita Concil. Trident. *Sess.* 6. *&* 14.

Plures autem indifferentiæ numerari possunt. Prima ad velle, & nolle; Secunda ad velle, & non velle: Tertia ad velle, vel non velle, remissè, vel intensè, vel per plura media. Vide D. Bonauent. *dist.* 25.

448 Libertatem verò à necessitate, suprà ostendimus nobis necessariam *quæst.* 3. Vide D. Bonau. *dist.* 25. *p.* 2. *dub.* 1. *litt.* Hæc verò indifferentia est talis, vt possit acceptare, & recusare Diuinam vocationem, vt ait Concil. Trident. *Sess.* 6. & ad hanc actiuè se habere, quæ est sententia D. Bonau. 2. *distinct.* 25. *& sequent.* D. Thom. *p.p. quæst.* 82. *artic.* 4. & *de veritate, quæst.* 22. *art.* 9. Scoti *in* 2. *distinct.* 29. Henrici *quodl.* 10. *quæst.* 9. & *quodl.* 15. *quæst.* 11. Capreoli *in* 2. *dist.* 24. Ferrar. 1. *contra Gent. cap.* 44. Bellarmin. *Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 10.

Probatur à D. Bonau. *in* 2. *dist.* 25. passim ex SS. Patribus, qui dicunt, in Voluntatis potestate esse agere, & non agere; velle, & non velle: Ita D. Augustinus *lib.* 3. *de liber. arbitr. cap.* 2. *&* 3. D. Bernard. *lib. de liber. arb.* D. Damasc. 2. *de fide, cap.* 25. *&* 26. & alij adducti à D. Bonau. & Bellarm. *loco citato.*

Probatur secundò à D. Bonau. *in* 2. *dist.* 26. *quæst. vlt.* Actio voluntatis est actio vitalis, & immanens: Ergo debet produci à principio intrinseco, ab eodemque, in quo remanet; Sed remanet in ipsa voluntate: Ergo.

Confirmatur, alioqui non esset facultas libera, si passiuè tantùm moueretur.

QVÆSTIO XIV.

An, & quomodo defectus Liberi Arbitrii *culpabiles ab ipso solo sint; non à Deo.*

Hæc est celeberrima illa, & grauissima Controuersia cum Sectariis Hæreticis, à tota Orthodoxæ Theologiæ Schola sæpiùs discussa: Eam præ cæteris profusè prosequitur Bellarminus, *Tomo tertio*, *libro secundo*, Valentia, in Analysi Fidei, & *Tomo secundo*, & alij: Eam etiam ego latè tradidi *disputatione decima-sexta*, *quæstione decima tertia*; quare hic pro debito ordine adiiciam solùm ea, quæ Philosophi Animastici sunt muneris; reliqua verò de inuiolabilitate Libertatis, & de cooperatione eius cum gratia ad *primam secundæ*, remitto. 449

Notandum igitur primò, Causas omnes particulares, imò & vniuersales creatas, quantùm ex originario nihilo prodiere, continuo defectibilitatis defluxu in istud principium recurrere; vnde egent incessanti Dei influxu non tantùm vt sint, sed vt operentur, vt notaui *loco* suprà *citato*, è D. Augustino.

Hic autem Dei concursus cuiusque causæ dispositioni adaptatur, liberè liberis, & necessariò necessariis. Verùm cum rerum naturalium productioni plures diuersi ordinis causæ concurrant; ea sibi defectum, ex suâ ipsius impotentiâ prouenientem, accit, quæ etiam effectum ex potentiori operatione sibi vindicaret; & hoc quidem causis liberis cum necessariis est commune. 450

Notandum verò secundò pro causis liberis, omnem Libertatem inde oriri, quòd ratio in omni Obiecto creato, & etiam increato, vt plurimùm pro statu viæ, ob mediorum, & aliarum circumstantiarum difficultatem, Inconuenientiam aliquam cum conuenientia sociatam aduertat, & voluntati vtrumque sub duplici hac consideratione proponat: Hæc verò cùm non sit sua Bonitas, vt ait Diuus Bonauentura, *in primo*, *distinctione quadragesima-quinta*, *quæstione prima*, eâ, quam in Obiecto appetit, satiari desiderat: Sed cùm illa Bonitas sit imperfecta, & impotens ob annexum malum ad satiandum appetitum; hinc est quòd voluntas aliquantulum solet fluctuare dubiâ deliberatione, an bonitatem illam propter se recipiat; An verò propter adiunctum malum respuat: Et tandem pro suo libito in alterutram partem deflectit.

Notandum tertiò, proximam causam omnis defectùs inde prouenire, quod agens interoperandum non attendat ad proximam suæ actionis regulam; sed ad extraneam, aliquo consuetudinis, aut prauæ dispositionis pondere propulsa, declinet; vnde cùm perfectio sequentis effectûs in eo consistat, quòd suæ regulæ commensuretur, quantulumlibet ab ea deuiat, in defectum labitur. His ita elucidatis. 45

Assero, defectus Liberi arbitrij, vt culpabiles ab ipso solo esse; non autem à Deo.

Probatur primò, quia quandocumque ex concursu, & cooperatione plurium causarum oritur defectus, illi soli causæ conuenit, quæ debiliori, & defectibiliori operatione ad actum concurrebat.

rebat: Atque tale est solum Liberum arbitrium: Ergo.

Secundò: Illius solùm est defectus, cuius erat à proxima operandi regula deflectere: tale est Liberum arbitrium; Non Deus: Ergo.

Tertio: Ab ea Causa sola est culpabilis defectus, cuius est meritum laudabilis effectùs; Sed tale meritum est solius liberi arbitrij, absque quo nemo potest mereri: Ergo.

Quartò: illud tantùm deficit, quod potest benè operando proficere: tale est liberum arbitrium: Non verò Deus, qui proficiendi pariter, & deficiendi est incapax; cùm sit actus perfectissimus, omnis potentialitatis expers: Ergo.

Quintò. Cuius indifferentiæ, & vsui relinquitur superioris causæ concursus, ei adscribitur talis concursùs abusus; Sed indifferentiæ, & vsui Liberi arbitrij relinquitur concursus Dei, vt eo ad Bonum, vel ad Malum vtatur iuxta id Ecclesiast. *Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris manum extende:* Ergo.

451 Alias probationes, simul, & obiectionum solutiones habes *Tract. 1. loc. cit.*

Quoad modum verò, quò defectus peccaminosi sint à solo libero arbitrio, eum passim assignat totâ hac distinctione Seraphicus, vt annotaui, vbi suprà: Eumque assumunt omnes Controuersistæ, & Summistæ, vt actum malum à voluntate ostendant deficiente, non à Deo efficiente.

Ait igitur hic Seraphicus Doctor, Causam primam, vtpotè vniuersalem, esse maximæ influentiæ, & efficientiæ; itavt quicquid sit entitatis in aliquo effectu, ipsum perfectissimè attingat; quia tamen effectus non assimilantur causis æquiuocis sed vniuocis; dum enim Sol, & Leo producunt Leonem, Leo productus non assimilatur Soli. Hinc quicquid deficientiæ reperitur in effectu, pertinet ad illam causam, à cuius deficiente virtute minùs attingitur, vt patet exemplo illo Tibiæ Claudicantis, quod pretiosum acclamant plures, quos citaueram *Tractatu*

452 *primo, loco initio adducto*: Nam vis motrix, Cùm sit veluti causa vniuersalis plenissimè attingens totam motùs latitudinem, sibi vindicat, quicquid perfectionis est in tali motu; verùm Tibia, cùm ipsa sola sit prauo aliquo defectu Imbuta, est sola causa claudicationis, quâ motus ille à virtute motrice deficit: Ita Liberum arbitrium, ignorantiæ, malitiæ, aut alterius praui habitûs dispositione imbutum, Producit quidem, simul Deo concurrente, suum actum, mutilum tamen, imperfectum, & vitiosum; verùm vitium hoc, & imperfectio nullo prorsus modo in Deum potest refundi; quia ipse, quod in talis actûs entitate bonum est, & perfectum, operatur: Similia habes exempla in omnibus causis ad vnum, communemque effectum cooperantibus: Sic in disciplinis, cùm præmissæ sint causa conclusionis, huius vitium oritur ex illa præmissa, quæ à regulis Dialecticæ deflectit. In duobus equis trahentibus simul, sed inæqualiter, Rhedam, Robustiori equo adscribitur, quod benè & impigre trahatur, segniori verò quod segniter: Sic obtuso Calamo vel Penicillo Imputatur, quod optimus Scriptor, vel pictor, non benè scripserit, vel pinxerit, quicquid autem concinnius, aut perfectius relucet in Scriptura, vel Pictura, peritiæ Scribentis, vel Pingentis acceptum refertur.

453 Nec obstat quod in eodem effectu, eadem actione à Deo, & libero Arbitrio prodeunte, sit malitia inseparabiliter bonitati connexa, & quodammodo identificata; vnde videntur vtraque pari passu & titulo ab his causis procedere: Nam color producit cognitionem sui, vt coloris in oculo, non tamen causat notitiam sui, vt entis: Idem euenit in operationibus gratiæ: nam vna, & eadem actio, quòd vitalis sit, habet à principio, seu potentia vitali, quòd verò supernaturalis, habet ab huiusmodi principio: Sic actus culpabilis, quod actus sit, debet Deo, à quo est omne ens; quòd verò culpabilis sit, liberi arbitrij liberè deficientis culpa est.



DISPVTATIO X.

De Anima Separata.

D. Bonau. in 3. dist. 5. art. 2. q. 3. & dist. 22. q. 1. & in 4. dist. 50. p. 2. q. 1. & 2.

Eo difficiliùs de statu Animæ separatæ naturali ratione dissëritur, quod nullus eum expertus, denuò rediuiuus, de illo volumina contexerit: Spectatissimi tamen omnium sæculorum Philosophi ex præsenti Animæ conditione, eius separabilitatem, & immortalitatem deduxêre; vt videre est apud Conimbricenses *de Anima separata, disputatione* 1. Fateor, Epicureos mordicùs id negasse; ne carnis illecebræ, quibus porcorum more volutati, & voluptuati sint, ipsis improperarentur: Errorem tamen suum, licèt serò, illi, & qui huius sunt furfuris, in inferno retractarunt, vt habetur toto lib. Sapientiæ, & præcipuè à cap. 2. ad 5. *Nos insensati, &c.* Aristotelem in hac re ancipitem, vel nimis saltem obscurum, dicunt Conimbricenses, licèt in eum aliàs benè affecti: Alij etiam Philosophi illum Animæ cum corpore corruptionis patronum pronunciant: Sed ab hoc errore ipsum è mente Seraphici immunem vindicaui, *disp. 1. de Anima in genere, quæst. 8. numero 150. & sequentibus,* Cæteras etiam quæstiones, hic tractari solitas, passim toto hoc tractatu percurri, vt suis in locis infrà notabo. 1

Et quidem primò dari statum Animæ separatæ probauimus ex ipsius immortalitate, loco nuper adducto: Et sequitur ex ipsius spiritualitate substantiali, beatitudinis supernæ capacitate, entium vniuersalium cognitione, & aliis titulis *ibidem* probatis.

Quod etiam Anima separata sit subsistens, non tamen persona, ostendi è D. Bonauentura, *disputatione 9. quæstione 1. cap. 1.* Quod non sit persona ibi patet, quia aliàs perfectior esset status separationis quàm coniunctionis, quod nullus de forma substantiali dixerit. Cum continuo desiderio propendeat in suam materiam, quod etiam de Anima Beata asserit Diuus Bernardus, Sermone 3. de omnibus Sanctis: *Adeò si quidem vrget in eis* (scilicet animabus Beatis) *desiderium hoc naturale, vt nondum tota eorum affectio liberè pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui*; scilicet Corporis. Quod si anima extra Corpus esset persona, cum intra Corpus non habeat illam perfectionem, nullo reuniri desiderio, sed potiùs perpetuò separari flagitaret; 2

flagitaret; quod tamen Natura in rerum compositione horret. Præterea separatio non esset pœnalis,& vnio esset præternaturalis: Ita Seraph. *distinct. 5. quæst. 4.*

Animam tamen habere subsistentiam probat independentia eius à corpore; Rationalis substantiæ existentia; libera loquendi, mouendi, & operandi facultas, vide Seraphicum locis *quæst. 1.* supra allatis.

Nec contra primum facit, quod Anima sola non sit deterioris conditionis, quàm Sociata in corpore; sed in corpore obtinet rationem personæ, cùm eam det Composito: Ergo videtur potiori iure adipisci hanc rationem in gloria. Præterea Ideò Natura humana in Christo perdit rationem personæ; quia vnitur digniori se: Ergo. Cùm Anima non vnitur digniori se, postquam separatur, aut dum etiam coniungitur, videtur omnimodè ipsi personalitatem conuenire.

Hæc inquam non obstant, quia, vt ait Diuus Bonau. *hic, in corpore*: ratio personalitatis nihil habet cum benè esse, sed tantùm cum esse naturæ Vndelicèt animæ separatæ status sit perfectior in gloria quoad felicius esse, est tamen imperfectior quoad naturalius esse. Deinde Anima in corpore non fungitur ratione personalitatis; non enim anima dicitur persona, sed homo: Anima tamen, sicut & corpus, ob subsistentias partiales, sunt id, *quo* personalitas homini competit.

Altera Ratio obiecta pariter corruit: quia ea tantùm amittunt personalitatem ex vnione ad dignius, vel eam seruant ex non vnione, quæ in se illam obtinent ordinariè, qualis est Natura humana; sed Anima in omni statu habet communicabilitatem, quæ rationem personæ perimit: Ita S. Doctor hic, *ad 3.*

4 De Naturalitate, aut violentia, quas patiatur anima separata, vide *quæstione tertia*, vbi suprà, Ibi cum Seraphico conclusi, ex eo quod status informationis sit animæ maximè naturalis, statum separationis ipsi esse quodammodo violentum; non inde tamen statum resurrectionis futurum naturalem ibidem probaui.

5 Qvoad Animæ separatæ potentias, eas secum omnes, in quantùm sunt formaliter potentiæ, è corpore deferre, demonstraui *quæstione quarta*, è Diuo Bonauentura, *in 4. distinctione vltima*, Cùm enim sint animæ substantia, vt ostendi *disputatione 2. quæstione prima*, ab ea nequeunt separari, Spirituales tamen potentias liberè suo munere fungi; Sensitiuam verò, & Vegetatiuam ab hoc suspendi *dicta quæstione quarta* libaui ea Seraphici ratione, quod hæ ab organis in exercitio pendent, illæ verò sunt expeditæ.

Qvas verò species secum ferat, quasve deserat, ibidem habes; sicut & actus quos exerit, quosque exerere nequit.

6 Vtrvm autem anima separata, ea cognoscat, quæ hîc aguntur, aliquantulum breuius absolui *quæstione quinta*, quare quædam hîc pro huius materiæ elucidatione subiungam.

Notat Itaque Sanctus Doctor *dicta distinctione, quæstione secunda, in corpore*, aliquid cognosci dupliciter, propriâ scilicet consideratione, & alienâ instructione: Quæ sub propriam considerationem cadunt, sunt absentia, vel præsentia; quæ verò quisque addiscit alterius instructione, hæc sciuntur vel Dei reuelatione, vel alterius intimatione: Si res cognoscenda est absens, ab anima separata nequit attingi, quia distantia obiecti repugnat naturali ipsius cognitioni, cum necessaria sit eius coniunctio ad potentiam, vel per se, vel per Vicariam speciem, quæ species nequit hinc ad locum animabus deputatum naturaliter deferri: Potest tamen Anima separata, vti nos facimus, de rebus absentibus per quasdam coniecturationes opinari: Si tamen hæc Anima est Beata; Negat Seraphicus Doctor, eam sic cognoscere, quia huic modo cognoscendi admixtus est error, & dubietas, in Beatitudine non admittenda.

Qvoad reuelationem Dei, Anima separata, si Beata, plura quæ apud nos aguntur, cognoscit. 7
Ita Seraphicus probat è Diuo Augustino, *Libro de Cura pro mortuis, capite decimo-quinto*, vbi habet: *Possunt Spiritus mortuorum aliqua, quæ hîc aguntur, non solùm præsentia, sed etiam præterita, & futura, Spiritu Dei reuelante cognoscere*: Ita etiam Diuus Gregorius, *libro 4. Dialog.* cap. 33. *Fit in electis quoddam mirabile, vt etiam illos, quos hîc nunquam viderunt, vel nouerunt, bonos cognoscant; non tamen omnia cognoscunt, sed quædam per reuelationem*: Si verò Anima damnata sit, potest recipere cognitionem aliquorum, quæ hîc fiunt, vel a dæmonibus, qui hîc cursitare permittuntur, vel ab alia Anima, hinc nuper in eandem sortem egressâ.

Qvod si opponas in Anima separata esse liberiorem, & expeditiorem mentem: Ergo sicut in corpore nouerat, quæ circa nos contingebant; extra corpus videtur eadem vberiùs scire: Hoc quidem verum est, quoad ea quorum iam habet species, quæ, quò à materia abstractiores, eò sunt expeditiores ad repræsentandum: quoad ea verò, quorum species necesse est ab extra mendicare, falsum est, cùm organa ad hoc munus necessaria desint, reliqua suis locis suprà pertractata vide.



DISPVTATIO XI.

De Somno.



Libet hîc, agendo de Anima, quædam de Somno, & Somniis intermiscere cum Arist. *Lib. de paruis naturalibus*, & D. Bon. 2. *dist. 18. art. 1. quæst. 1.* & *dist. 25. quæst. vlt.* Etsi enim videatur Anima in hoc statu quietis, ab omni operatione suspensa, ei tamen D. August. *lib. de quantitate Animæ, cap. 33.* suæ suspensionis per plurimam actionem causam adscribit; Sic enim de illa differit: *Remouet se ab his sensibus certo interuallo temporum, & eorum motus, quasi per quasdam ferias reparans, Imagines rerum, quas per eos hausit, secum cateruatim, & multipliciter versat: Et hoc totum est Somnus, & Somnia*, Prouida enim Natura corporeos Sensus sopit, cùm sint Animæ agentis instrumenta, ne continuo vsu obtusi reddantur, vnde egent reparari, vt denuò actioni inseruiant.

QVÆSTIO I.

Quid sit SOMNVS.

COLLEGIVM Conimbr. *libro de Somno, capite* 1. ita differit; Quia Somnus priuatio quædam est vigiliæ; & omnis priuatio per formam, quam negat, dignoscitur, & definitur; acturi de Somno, priùs quid sit vigilia explicabimus: Est ergo Vigilia omnium externorum sensuum, aut saltem aliquorum solutio, & libertas: Somnus verò est ligatio sensuum externorum, ad animantium quietem, & salutem instituta: At Seraphicus Doctor melius, per positiuum, quod sanè est, priuatiuo prius, Somnum definit: *Somnus, vel sopor est quies animalium virtutum, cum intensione naturalium*: Ita *in* 2. *distinctione decima octaua, articulo primo, quæstione prima*, & *distinctione* 25. *quæstione vltima*: Sumitur autem quies, non vt est carentia motus, sed vt est ad roborandas virtutes. Vide Sanctum Doctorem, *ad cap.* 11. & *collat.* 51 *Ioan. Euang.* latè dicentem eximia.

2 ADVERTIT autem, *loco primo citato, ad Argumenta*, Sensus in suis operationibus egere Nutritiua, quæ Spiritus vitales è Corde ad Cerebrum emittat, à quo attemperati in Animales, demittantur per Neruos, & Arterias ad Sensoria: Quoniam verò hæc Virtus corporea est, eget aliqua quiete, ne lassetur, ideò data est Animæ Virtus colligendi Spiritus animales ad eorum reparationem, & ad quietem, salutemque animantium, vt docent Galenus, *primo, de causa Symptom. capite vltimo*, Auicenna 13. *Tractatu quadragesimo-primo*: Itaque etiam in statu Innnocentiæ fuisset hæc anticipata virium collectio, atque adeò & Somnus; Nam, sensibus destitutis subsidio spirituum, sopirentur potentiæ organicæ, atque adeò & intellectus, qui à speculatione phantasmatum per Sensus haustorum pendet; Ita verò quiescentibus sensibus à Spirituum consumptione vigoratur Vegetatiua, Spiritus renouando. Hæc Spirituum auocatio, quia naturalis est, à sensibus permittitur, qui se spontè colligunt ad quietem: Iuuantur etiam externis, cantus, melodia, tenebris, silentio, à multitudine importuna detrahentium euocante: Ita suauiter collectis viribus siunt, Spiritus auolare, ab Anima reuocatos, vt monet Fuliensis *libro tertio, Physicorum, cap.* 10. *artic.* 1. Poncius *disp.* 3. *quæst.* 2.

3 NOTAT Seraphicus Doctor, *secundo loco, ad lucto in corpore*, aliam causam Somni, nempè obstructionem viæ spiritibus, quæ fit à vaporibus, è cibo in ventriculo ebullienti, euolantibus ad Caminum Cerebri, vbi sparsi obstruunt rimas, & ostia, per quæ Spiritus sparguntur, maximè ad Sensum Communem, qui est veluti centrum, ad quod externæ facultates emittunt imagines rerum; vicissimque ab eo Spiritus excipiunt: Obstruitur autem à vaporibus ibi densatis à frigiditate Cerebri; veluti in secunda regione assolent à Sole eleuati addensari in nubes, aut, qui in Elambicatorio ad summum peruenientes, in pluuiam stillant: Hi per meatus se insinuantes, reddunt Spiritus segniores & impeditos ad cursum, vt ait Aristoteles *Libro. de Somno, capite tertio*, Vbi Somnum, vocat vinculum primi sensorij, & 2. *de part. anim. capite* 7. Fallitur tamen, ponens primum sensorium in Corde: Sanè remedia ad conciliandum Somnum à Peritis validè applicantur Cerebro, non Cordi: Itaque hæc vaporum operatio fit in capite, vt ait Diuus Bonauentura, cum Diuo Gregorio Nyssen. *Libro de Hominis Opificio, capite decimo-tertio*, & cum Peritioribus: Ideò enim & cibi vaporosi somniferi sunt, vt Vinum, Lac, Pauer, Lactuca, Buglossa, Amygdala, dulcia edulia. Hinc & pueri, qui abundant in Cerebri humiditate, somniculosi sunt; Senes verò, & qui temperamento sicco, vigilias patiuntur. Hinc etiam inedia somnum ablegat: Enim verò, quia inediâ defectum spirituum inducit & lassitudinem, cogitur Anima spiritus remanentes colligere, sicut enim vi attractiua etiam Cor attrahit sanguinem ad centrum in subsidium; vnde & vultus remanet pallens, & manus tremulæ; ita, & attrahit anima Spiritus animales innatos, vt renouentur? Quare Somnus non è sola meatuum obstructione oritur, (sic enim aliqua fieret cum violentia,) sed etiam Spirituum suaui abductione, vt docet D. Bonau. *relatis locis*, & Alens. 2. *quæstione* 89. *membro* 3. Fracastorius *lib.* 2. *de Intellect.* Collegium, *cap.* 2. contra Auicen. & Galenum, Soli auocationi spirituum somnum adscribentes.

NOTAT tertiò locis, adductis, multa bona à natura somno obtineri, quæ refert Tertull. *lib. de Anima, cap.* 42. dum enim ad sensuum operationes non profunduntur spiritus; alij in sinistro cordis ventriculo commodè elaborantur; cæteri animales in capite renouantur; facultas naturalis in alimenti decoctionem vnita incumbit, viresque resumit, ac vigoratur, vt ait S. Doct. Ita virtutes instaurantur, & reficiuntur. 5

DEBET tamen somnus esse moderatus; alioqui si nimius, laxat membra, calorem innatum hebetat, grauat caput, Stupidos, Pigros, Socordes reddit; vt ait Hippocr. *lib.* 2. *Aphor.* 3.

MAXIME verò indignum homine dedito sapientiæ studiis, vt docet D Bonau. passim.

ARISTOTELES, apud Laërtium, sopori se daturus, sphæram æneam manu tenebat, & sub ea peluim, vt cadente pila in vas æneum, sonitu eum illicò excitaret. Id refert etiam Collegium *cap.* 3.

ASSERO primò, Somnum non esse meram priuationem contra Collegium. 6

PROBATVR eorum argumento. Somnus est alligatio sensuum per vos: Ergo est quid positiuum.

ASSERO secundò, esse quietem sensuum alligatorum, ad virium, seu virtutum robur.

PROBATVR: Nam alligatis sensibus causatur id, quod omnium sensu est Somnus, nempè quieta cessatio à sensationibus, & naturalis virtutis status ad refocillationem spirituum, ac naturalium virium, & hic est finis somni.

ASSERO tertiò, Somnum causari tum à retractione spirituum ad renouationem; tum à vaporosa obstructione meatuum eorundem spirituum. 7

PRIMVM probatur: Nam sæpè conciliatur somnus lasso, & ieiuno. Confirmatur: Natura enim hanc operationem adeò insignem, vitæ necessariam, non debuit incertis vaporum operationibus fidere, sed alicui etiam determinatæ facultati commendare.

POSTERIVS probatur ex dictis, videmus enim, post cibum acciri somnum, maximè post sumptos cibos soporiferos, quos recensui: Confirmatur: Nam qui humido cerebro, & vaporoso sunt prædditi, somniculosi sunt, vt dixi.

Assero quartò, Somnum omnibus animalibus conuenire: Ita Arist. *de Somno, cap.* 2. & *lib.* 2. *de hist. Animal. cap.* 10. Plin. *lib.* 10. *cap.* 75. Plutarch. *lib. de animal. industr.* qui testantur etiam de Thynnis, Balenis, & Delphinis, id esse compertum: Ita & Poncius *disp.* 10. *quæst.* 2. Infantis autem à torpore quodam vitam inchoantes, toto ferè tempore sopiti stant in vtero.

8 Assero quintò, etiam in statu innocentiæ homines fuisse dormituros: Ita D. Bonau. *loco primò cit.* D. Thom. *in 2. dist.* 19. *quæstione* 1. *art.* 3. & *prima primæ*, *quæst.* 93. *art.* 3. & *quæst.* 94. *articulo* 4.

Probatvr primò à D. Bonau. *loc. cit.* & D. T. suprà, ac Collegio, *cap.* 5. Ex illo Genes. 2. *Immisit Dominus soporem in Adam*, vbi Hebræus legit תרדמה, Tardemah, quod grauem exprimit soporem; non Tardemach, vt malè legunt Conimbricenses, *cap.* 4. Vnde & D. Thom. *p. p. quæstione* 97. *artic.* 2. colligit; Adam dormiisse: At poncius *loco citato*, negat perfectum statum illum dormire permissurum; Eum verò Adæ, ait esse extasim.

9 Probatvr secundò à S. Doct. quia virtus vegetatiua finitæ virtutis est, atque adeò egens roborari, vt opus perpetuet corporeum; quod naturaliter lassatur, nisi præueniatur; ipsa autem producit spiritus sibi necessarios incessanter, nec vnquam quiescit; sed tamen, veluti Materfamilias, distribuit sensibus alimentum, quod si nimium deuoretur, patietur esuriem: Sensus verò magis egent quiete à laboribus, in quibus indigent spiritibus euanescentibus, aliunde emendicatis: Itaque magis egent media quiete, vsque dum concoctos accipiant spiritus; & tunc est somnus, qui & Vegetatiuæ dat tempus præparandi sibi, & sensibus. Quare Somnus etiam Nutritiuæ inseruit, vt vigoretur. Quidquid dicant Conimbricenses, *capite* 9. ex dictis habes lethargiam non esse naturæ somnum: Vide S. Doct. *collat.* 51. *in Ioan.*

QVÆSTIO II.

Quomodo Animal *à Somno expergiscatur.*

10 E Cavsa Somni colliges, vnde naturalis eueniat expergefactio, nempè cum aperiuntur meatus spiritibus, iam in officina præparatis à Vegetatiua. Hi possunt iam esse parati, non adhuc completa tota concoctione, & excitare, vt vtamur iterum sensibus, vt ait Sanctus Doctor 4. *distinct.* 45. *quæst.* 1. *ad* 1.

11 Potest etiam spontè expergisci aliis causis, ex alicuius humoris excitati motu, &c.

Extra verò excitatur vocibus, sonitu, &c. quia non omninò destitutum est Cerebrum spiritibus, vt vehemens sensibile non accipiat, vt docent Buridanus *quæstione* 6. Thomas à Vega *in suis Comment. in tertium Galeni*, *de locis affect.* Vales. *lib.* 4. *Contr. Medic.* Fracastor. *libro* 2. *de intellect.* Colleg. *capite* 6. Poncius *disputatione* 10. *quæstione secunda*.

Lepidvm occurrit dubium: A quo excitetur Gallus ad Cantum nocte. Miratur hic S. Bonau. *Serm.* 2. *de D. Ant. Patauino*, Dei Sapientiam, & clamat cum Iob 38. *Quis posuit in visceribus hominis Sapientiam vel quis dedit Gallo intelligentiam?* Et serm. 5. de prima Dom. Adu. ait cum Eccl. 12. *Consurgent ad vocem volucris*, idest Galli, media nocte, quando faciendum erit vniuersale iudicium; quando clamor fiet.

Gallos excitandis ad opera mortalibus, rumpendoque Somno naturam genuisse, ait Plin. libro 10. natur. histor. capite 21. *Norunt sydera, & cantu ternas interdiu horas distinguunt, cum Sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia ad curas, laboresque reuocant, diem venientem nunciant cantu; ipsum verò cantum plausu laterum*: Eadem refert Diuus Bonauentura *ad* 13. *Ioan.* in ea verba: *Non cantabit Gallus, &c.* Rursum id assumit cum Iob. *Quis dedit Gallo intelligentiam?*

Hoc tamen de interpolato ternis horis cantu fictitium clamant Scaliger *Exerc.* 239. & Conimbricenses, *loc. cit. cap.* 8.

Cavsam verò mediâ nocte excitatricem Galli, à multis esse quæsitam, sed à nullo fortè adhuc inuentam, aiunt Conimbricenses. 12

Dvas insignes afferunt opiniones, omissis aliis, apud Scaligerum, *loco cit.* & Cælium *lib.* 16. *Antiq. lect. cap.* 13.

Prior est Democriti apud Tullium *libro secundo, de Natura Deorum*, tunc excitari Gallum, quia iam distributo per corpus alimento, se sentit recreatum.

Altera Est, Gallum esse auem Solarem, in eumque peculiariter Solem influere, præsertim cùm post noctis medium ad nostrum Orientem festinans accedit.

Contra hanc arguunt Conimbricenses; tum quia confugit ad Cœlorum influxum; tum quia Gallus etiam ante noctis medium cantat.

Contra priorem sententiam aliquid opponunt, nempè etiam alias aues Noctis medio concoctionem complere; nec tamen canere: Sed addunt, Gallum calore præcellentem, perfectius actâ concoctione, spiritus habere ad sensus agiles; & ideò a phantasia iniunctum sibi cantum repetere, & plausu accinere. 13

Hæc tamen ratio tremula est: nam etiam alia sunt calidiora. 14

Optime, Spiritu Sancto afflante, Iob 38. Mirabilis Diuinæ Sapientiæ effectus hic agnoscitur, atque reconditus acclamatur: Et quidem, si aut quia peracta concoctio est, aut quia Solis accessum sentit, excitatur ad cantum, non adeò magnificis verbis exclamaret Dominus: *Quis dedit Gallo Intelligentiam?* Concludit ergo, hoc testimonio, Sanctus Doctor, Gallum singulari cognitione percipere noctis Stationes, Solis accessum per ternas horas, quibus cantat primò validissimè, deinde placidiùs sequenti statione, vsque ad Auroram, alioqui parum habebit exponendum admirationi, parumque, vt sibi soli id Deus, tanquam eximium quid attribuat: *Quis dedit Gallo intelligentiam?*

Concedo igitur, neque ipsos Conimbricenses, causam inuenisse.

Galli cantu excitati percurramus vitæ nostræ cursum: Sine sensu hæc inchoatur: Mox in vtero matris somniculosi nouem menses iacemus: Sæpè dormientes, mortis imaginem exprimimus, vt ait Tertullian. *in libro de Anima.* Somnus enim mors quædam est, vt ait Plato *in Phædone*: Vnde & Cicero, libro de Senect. *Nihil videmus morti tam simile, quam somnum.*

Et.

Et Virg. Æneid. 6.

Tum consanguineus lethi sopor.

Et Seneca in Hercule.

Frater duræ languida mortis.

Et Ouidius.

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

Hæc eleganter prosequitur Sanctus Doctor ad id Ioan. 11. *Lazarus amicus noster dormit.* Cui sanè responderunt: *Si dormit, saluus erit*, quia somnus ægrotantibus per se salubris est, vt ait ibi Sanctus Doctor cum D. Augustino, *tractatu 49. in Ioannem.*

Ibi multas somni affert significationes. Vide Sanctum Doctorem ibi, & *serm. 3. Domin. 20 post Pentecosten.*

15 Adverte, in grauibus morbis sæpè somnum nocere, quia dum se calor interius abdit, humores noxios colligit ad præcordia, qui vitæ fontem inficiunt. Ideò aduertit Sanctus Doctor ad ea verba: *Si dormit saluus erit*; Id solere ita esse, vt plurimum, non semper: Somnus verò sæpè morbo aufertur, sæpè & passionibus, vt ait Sanctus Doctor, *lib. 2. Compend. cap. 47.* turbatur concoctione agitatâ, & Fuliens. *lib. 3. cap. 10. art. 2.*

QVÆSTIO III.

De Somniis.

Somnia affectiones sunt somni; ideò de his agendum hoc loco.

Auctor Libri *de Spiritu, & Anima*, siue is sit Hugo Victorinus; siue D. Augustin. siue alius, *cap. 25.* & cum eo Diuus Bonauentura, *3. part. Centiloquij, sec. 23.* & *Opusculo*, cui titulus: *Declaratio terminorum Theologiæ*; distinguit hæc omnia, quæ dormientibus apparent, in Oraculū, Visionem, Somnium, Insomnium, & Phantasma. Oraculum est, cùm in somnis aliqua grauis persona, siue etiam Deus aliquid euenturum, vel non euenturum; faciendum, vel non faciendum denunciat. Visio est, cùm id quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat euenit. Somnium est figuris tectum, & sine
16 interpretatione intelligi non potest. Insomnium est, quando id, quod vigilantem fatigauerat, se ingerit dormienti; sicut est cibi cura, vel potus, vel aliqua studia, vel artes, vel infirmitates; iuxta infirmitates enim, diuersi diuersa accipiunt somnia. Alia enim vident Sanguinei; alia Cholerici; alia Melancholici; alia Phlegmatici: Illi enim vident rubra, & variata: at isti nigra, & alba. Phantasma est, quando vix dormire cœperit quis, & vigilare se existimat, & videtur aspicere irruentes in se, vel passim vagantes, formas discrepantes, & varias lætas, & turbulentas. In hoc genere est Ephialtes, quem opinantur vulgares, inuadere dormientes, & opprimere quiescentes, quod non est, nisi fumositas conscendens ad Cerebrum à Stomacho, vel à Corde, vim comprimens animalem. Displicet tamen hoc Poncio, *dist. 10. quæst. 3.*

17 Hæc non sunt genera somnij, vt putat Collegium, *lib. de Somniis, cap. 3.* hoc loco diuisa: His enim eadem Somnij definitio competit; mutatur verò in singulis aliquod accidens solùm, vt infrà apparebit.

Pro quo scito primò, Somnium ex Aristotele, *de Somniis, cap. 2.* definiri: *Est visum, quod in somnis apparet*, seu: *Est apparitio exhibita per internum sensum in dormientibus*: Dicitur, *per internum sensum*, vt excludantur notiones intellectus, quas dormientes interdum effingunt, quæ propriè non vocantur somnia, vt docet Aristoteles, *loc. cit.* Additur, *in dormientibus*, ad remouendas sensiones internas, quæ accidunt Amentibus, & Phreneticis.

Scias secundò, quo tempore adhuc præclusi sunt meatus spiritibus ad externos sensus, aperiri eis aditum ad internos, fonti viciniores, & excitari species internas; tumultuariè tamen ab interuolantibus vaporibus, & ostendi res speciebus illis expressas; Et tunc somniamus.

Hoc autem ita describit Aristoteles, *cap. 3.* Et cum eo Sanctus Doctor, *in 2. dist. 25. quæst. vlt. in corpore.* Quemadmodum in aqua permota nulla effigies redditur, quæ appareat; aut redditur quidem, sed tortuosa; quiescente autem, & stagnante aquâ, res natiuo suo colore, propriáque formâ respondent: Ita dormientibus euenit; dum enim vapores in cerebro errabundâ motione addensantur, aut Imagines penitùs obrutæ delitescunt; aut nonnisi turbulenta quædam, & molesta, ac prodigiosa visa exhibent; qualia sæpè accidunt Melancholicis, Furentibus, & Ebriis, aut febri laborantibus. 18

Ex his potes videre diuersas illas accidentaliter apparitiones, initio relatas, non posse diuersa genera somniorum constituere; quod magis constabit, si discutiamus, cuius potentiæ sit hæc somnia repræsentare, & quibus speciebus id præstet.

Plurimorum Sententia est, somnia repræsentari in Sensu Communi, quem Aristoteles Principem sensum vocat, hoc pacto: E Phantasia recurrere species, id est Phantasmata ad Sensum Communem, tanquam ad superstantem thesauro Phantasmatum, & ibi res sensatas repræsentari. Putà hominem, gladio in se irruentem: Res verò non sensatas per sensus internos repræsentari in Cogitatiua per species, è promptuario memoriæ acceptas, putà inimicitiam, solâ Æstimatiuâ apprehensam, quæ sensibus externis non est hausta. Euenit autem sæpè, vt hæc simul, vel distinctè, vel confusè exprimantur; atque ita duæ potentiæ circa eundem euentum occupantur. 19

Species autem ità ab interiori sensu ad Sensum Communem, vel cogitatiuam remeare dicunt aliqui, ad modum, quo Imago à speculo ad oculum reflectitur: Alij dicunt, non repercuti spiritus hoc modo, sed traduci vehiculo spirituum animalium. Et videtur Sententia Aristotelis, *cap. 3. de Somniis*: Alterutro autem modo fieri somnia, ait Collegium, ex communi Philosophantium consensu. 20

Aliam verò proponit, proprio marte excogitatam Sententiam, vt ait, non quidem per reditum Phantasmatum ad Sensum Communem, aut species è memoria ad Cogitatiuam fieri somnia; sed per repræsentationem in ipsa Phantasia, quam actiuam ait, & Sensu Communi perfectiorem, quippe quæ valet species non modò formare; sed componere. Similiter & Memoria non est minùs perfecta, quàm Cogitatiua, & omnia potest, quæ ista valet. Igitur non est, cur mittat species ad cogitatiuam; sed ipsa somnia non sensatarum rerum efformabit. Hic modus adeò est Seraphico tritus, vt eum *locis omnibus allegatis* probet, tanquam certum, ac ferè supponat, vt in argumentis constabit. Ipse tamen Phantasiam, & Sensum Communem vnum ait, etiamsi in Compendio Theologico distinguat, vt dicam *loco mox citando.* 21

Assero primò, Somnia non fieri per reflexionem specierum modis, allatis à prima Sententia. Hoc in Via Diui Bonauenturæ patet, qui vnum sensum ex his ponit Sensum Communem, & Phantasiam, vt dixi *tract. 9. disp. 6.*

Probatur ergo ex Diuo Bonauentura ad hominem *in corp. & ad 6.* Nam Phantasia se ipsâ operatiuâ est ad Phantasmata efformanda è speciebus acceptis à Sensu Communi, nouáque effingit, ac exhibet intellectui: Ergo non eget, contra cursum naturalem, recurrere ad sensum inferiorem.

Neque dicas, eam tunc impeditam: Nam in somnis propriam eius habes operationem, quâ nouas Imagines componit, noua obiecta, qualia vigilantibus nobis nunquam præstitit; sæpe enim extrauagantia offert nunquam meditata, aut apprehensa. Ergo à Phantasia ipsa efficiuntur, & offeruntur, non à Sensu Communi, qui tales compositiones non potest contexere, neque indicat nisi obiectâ, præsentia sensibus externis.

22 Dices, nos sæpè in somnis discurrere; hoc autem à Phantasia, vel alio sensu fieri nequit. Probatur assumptum; Nam id ego sæpè expertus sum, vt non modò discursus factos repeterem; sed nouos efficerem. Ita pluries hoc mihi Somnium contigit: Videbam aliqua Animalia, putà Canes, Simias, facientes aliqua supra naturæ vires, atque arguebam, non posse esse verè Animalia; & adiurabam, vt dicerent quid essent; & respondebant, se esse Dæmones: sicuti ego fueram suspicatus.

Collegium respondet, Sensitiuam Memoriam hominis esse discursiuam, ex Diuo Thoma, *p. p. quæst. 78. art. 4. ad 6.*

Respondet, etiam ignorari; an esset ab intellectu discursus.

23 Contra est argumentum Diui Bonauenturæ, *in corpore*, & *ad vlt.* Quando aufertur ab eo aliquid, primò tollitur id, quod est summum. Ergo cùm vapores in somnis lædunt animam, & tollunt vsum potentiarum, priùs impediunt nobiliores voluntatis, & intellectus facultates, quàm Sensuum.

Dico benè, ablatum non esse vsum sensuum, sed tantùm intellectus, & voluntatis; imò Intellectum per aliqua discurrere, sed non perfectè, quia Phantasia est perturbata: Oportet autem, intelligentem in corpore speculari Phantasmata. Ità discursus illi sunt ab intellectu, vt ait Diuus Bonauentura: Nam vires sensitiuæ hominis non excedunt suum ordinem, vt saliant ad rationale; alioqui discurrent & bruta. Frustra igitur occultas esse causas, cur dormientes non potiantur vsu rationis, ait Poncius, *disput. 6. de Anima, num. 53.* malè etiam opinatur habere vsum rationis, quia discurrunt aptè, &c. Sed quia infertur, peccari in somnis; Respondet motus inordinatos, qui nec in vigilia pendent à voluntate, neque in somnis, esse prauos: At verò actus, qui essent in voluntate, vt odium inimici, vel delectatio de Fœmina, esse prauos, & Confessioni exponendos, eósque à timoratis expon. sub dubio.

24 At hæc in Theologia morali, tanquam noua, & falsa, respuo; Et quidem si non dubitetur: An omninò in somnis hæc acciderint, vel an ex causa, frustrà, & scrupulose ea confiteberis.

Enim verò contra argumentum, suprà allatum à Diuo Bonauentura argues; quia fumositates impediunt vim animalem sensitiuam externam, non internam: Ergo priùs læditur pars inferior, quàm superior. Ant. est D. Bonauent. vt vidimus, *quæst. 1.* de Somno, ligante sensus externos, non internos.

Dico, lædi per se rem priùs in parte delicatiori: Sanè & interni læduntur, ne suas operationes obeant in ordine ad intellectionem, & volitionem ordinatas; etsi tumultuarias excitationes, quæ priores sunt, sæpè totali obligatione non impediant, quod probat Sanctus Doctor ex D. Gregor. 8. *Moral. cap. 18.*

Igitur potest etiam aliquid insensatum offerri in somnis intellectui à speciebus iam in Memoria intellectiua seruatis; vel à speciebus Æstimatiuæ.

Ex his facilè conceditur Aristoteli in Sensu Communi esse somnium in via Diui Bonauenturæ, qui cum vnicum sensum asserit cum Æstimatiua, & Phantasia. 25

Multa genera somniorum recensent Doctores.

D. Gregorius ex causis ea colligit, *lib. 8. Moral. cap. 13.* & *lib. 4. Dial. cap. 48.* Aut enim ex plenitudine, & inanitate corporis somnia existunt: Aut ex antecedentibus diurnis curis; aut ex illusione dæmonis; aut ex cogitatione hominis, simul & Dæmonis illusione; aut ex reuelatione Dei; aut denique ex cogitatione hominis, simul & Dei reuelatione.

Hippocrates, *lib. de Somniis*; distinguit Somnium Diuinum, & Naturale.

Communius diuiduntur Somnia in Diuinum, Dæmoniacum, Naturale, & Animale. Vide Fuliensem, de his Laconicè disserentem, *libro 3. Physic. cap. 10. art. 2.*

Diuina sunt, quæ à Deo immittuntur ad aliquid reuelandum, vt ait Diuus Bonauentura, *ad primum.* Horum plura in Scripturis habes.

Dæmoniaca, quæ à Dæmone immittuntur.

Naturalia, quæ ab hominis temperamento proueniunt. 26

Animalia, quæ versantur circa ea, quæ in die operati sumus. Quoad Diuina, ea vel à Deo immediatè immittuntur, vel nouâ specierum immissione; vel compositione inexistentium, & luminis intellectiui communicatione.

Sæpè Angelorum id præstat ministerio, qui species coaptant ministerio spirituum, vel excitando humores, non peruadendo Animam, vt dixi, *tract. 5. disp. 11.* passim, præsertim *à quæst. 15.* vbi de Dæmonibus, quorum eadem est naturalis potentia.

Obserua primò cum Diuo Bonauentura *ad primum*, nos etiam diuinitus somniantes non posse mereri, quia non adest vsus liberi arbitrij. Quod verò Dominus *3. Regum, cap. 3.* dicat, petitionem Sapientiæ, factam in somnis à Salomone, esse sibi acceptam.

Respondet D. Bonauent. *ad primum*, cum Diuo Augustino *12. super Genes. ad litt. cap. 15.* D. Thoma *1. 2. quæst. 113. art. 3.* & *2. 2. quæstione 154. artic. 5. ad 1.* Alens. *4. part. quæst. 101. membr. 3. art. 3.* Rich. *quodl. 1. quæst. 17.* Illam in somniis postulationem gratam fuisse Deo, quatenus procedebat ex illa facta in Vigilia; sicuti displicent Deo, quæ somniantes agunt, aut dicunt, causata ab actis in vigilia. 27

Respondet secundò Diuus Thomas, illud Somnium non fuisse naturale, sed supernum Propheticum, in quo datur vsus liberi arbitrij. Ità *Numer. 12.* dicitur: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per Somnium, aut in visione loquar ad eum.* 28

Hoc

Hoc idem vult D. Bonauent. dum ait, quod aut fuit gratiæ specialis, nempè dantis in somnis vsum arbitrij liberum, sicuti de Christo legitur in Cant. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, vt monet Sanctus Doctor *ad* 11. *Ioan.* Quare non rectè Conimbricenses, *num.* 12. ponunt Seraphici sensum, à Diui Thomæ sensu in hoc diuersum. Profectò ad meritum intrinsecè requiritur libertas, vt dicam, *tract. de Gratia, disp.* 4. Est autem priuilegium, concedi talem vsum in somnis, vt dixi: Hoc idem ait Richardus, Seraphici discipulus.

Observat etiam Sanctus Doctor *ad* 5. sæpè Deum in somnis, se manifestare noctu amicis, vt olim Abrahamo, Iacob, Ioseph antiquo, & nouo; tum quia animus a tumultibus, tunc separatus, est aptior ad Diuina: Tum quia, noctis silentium rebus diuinis maiorem conciliat reuerentiam: Tum quia Deus nobis viatoribus, *posuit tenebras latibulum suum*; quia eius Lux nimia nostris est viribus impar. Consule Seraphicum, vt suadent etiam Conimbricenses, *cap.* 4.

29 Opinio verò Aristot. *loc. cit.* nulla somnia à Deo esse, hæretica est. Ratio verò eius, quia deberent immitti solis Heroïbus, arguitur inanis: Nam Iusti apud Deum heroes sunt; & sæpè immittuntur impiis, vt iusti Aduocati eniteant. Hæc è Scripturis patent; Sic enim Pharao Iosephum aduocauit interpretem, *Genes.* 41. & Nabuchodonosor, Danielem 3. *Reg.*

Dæmoniaca sunt à dæmone immissa, vel ad corpora saltem polluenda, si animos nequeant, vt ait D. Bonau. suprà cum Diuo Gregorio, *loc. cit.* & D. August. *lib.* 10. *Confess. cap.* 30. & D. Iustino, *quæst.* 21. vel ad homines decipiendos. Horum habes exempla apud Philostratum, Pausaniam, & Strabonem; plura verò apud Tull. *libro primo, de Diuin.* & *primo de nat. Deorum.* Herodotum, *lib.* 1. Valerium Max. *lib.* 1. *cap.* 6. Alexandrum ab Alex. *lib.* 5. *cap.* 25.

Refert verò Sanctus Doctor suprà, aliquando dormientes grauiter conflictari, quasi pondere oppressos incubantis, aut vocem intercludentis. Hoc vocant *Ephialtem.*

30 Hvivs causam dedit S. Bonauent. suprà, & cum eo Conimbr. *cap.* 6. quia enim post affluentem satietatem multus sanguis teter, multæ fumositates ad Cerebrum euolant, ipsum grauant, & terrificam illam mouent Imaginem, putatque is à Dæmone, aut à strige se opprimi, & clamare nititur, nec valet multo halitu vias spiritibus præcludente. Quoniam verò affectio ista è stomachi incoctione, & vaporum oritur colluuie, morborum præcursores sunt Incubi isti.

31 Natvralia somnia, ait Sanctus Doctor suprà, è naturali temperamento, humorum incursione, & similibus, oriuntur. Ideò Melancholia affecti somniant tristia, vt funera, tenebras, tetra; Qui flaua bili, rixas, iurgia: Qui sanguinei, ignes, incendia: Pituitosi verò, aquas, portus, natationes: Qui humorum vi grauati, onera videntur sustinere. E contrà, qui tenui sunt temperamento, videntur sibi veloces, currere, & euolare. Vide Ingenier. *lib.* 5. *cap.* 3.

Hinc Hippocrat. *lib. de Insomn.* & 6. *Epid.* & Galen. *de Præsagio.* Ex Insomniis, docent, somnia hæc obseruanda, vt humorum prædominium diiudicetur.

Hæc verò in Somnio sentiuntur agente humore in aliquem sensum, *verb. grat.* Pituita in gustum. Vel repræsentare similia solent ex ordinariis in vigila operationibus illius humoris, specie in Phantasia iam recepta, humore agente. 32

Animalia Somnia dicuntur, quæ versantur circa eas res, quibus in die intendimus. Ad idem pertinent Somnia rerum, personarumvè, in quas, Odio, Amore, Spe, vel Timore afficimur: Monet verò Aristotel. *primo Eth. cap.* 13. Bonorum somnia esse meliora.

Qværes primò: Cur in somnis tam varia noua extranea appareant?

Respondet Collegium, *cap.* 6. cum Diuo Bonauentura, *in* 2. *dist.* 25. *quæst. vlt. in corpore*, id fieri à vaporibus tumultuarie euolantibus, & Spiritus, in quibus sunt species, confundentibus, sicut in nubibus confusis varia intuemur, vt ait Arist. *cap.* 3. *de Insomn.* Hæc autem in somnis illudunt, quia Anima segnior attendit, non sic vigilans.

Hinc etiam in somnis res maiores apparent, quia sensus obtusus confusione specierum, & euaporationum operatione vehementi apprehendit.

Hinc etiam fit, vt dum humores, & euaporationes maiores sunt; maiora, ac plura somnia patiamur. Hinc primo somni decursu, magis somniamus, quàm sub Aurora, cùm humores sunt attenuati: Statim verò post cibum nequaquam; quia vehemens nimis euaporatio imagines operit. 33

Etiam bruta somniare docet Aristoteles, *lib.* 4. *de hist. Animal. cap.* 10. Quod collegit è vocibus, quas per quietem mittunt, vt notat Fuliens. *lib.* 3. *cap.* 10. *art.* 2. 34

Qværes secundò: An infantes somnient.

Negat Aristot. *loc. cit.* Sed oppositum docent Galen. *lib.* 3. *Aphor.* 23. Plinius, *lib.* 10. *cap.* 75. Tertull. *lib. de Anima, cap.* 49. & Aristot. *lib.* 7. *de hist. Animal. cap vlt.* 35

Probat Tertull. ex vocibus, clamoribus, nutibus, &c. quæ dormientes infantes emittunt.

De Diuinationibus per Somnia, agam, secunda secundæ, *tract. de Relig.* Nunc dicam cum D. Bonauent. *p.p. Centil. sect.* 29. Et Opusculo. *Declaratio terminorum Theol.* plurimas esse diuinationis futurorum contingentium è naturalibus, & has veritas; & inanes, quod Ethnici quoque agnonére, præcipuè Cicero *de diuin.* imò ipse Epicurus.

Ea tantùm Somnia, quæ à Deo immittuntur, vel ab Angelis sanctis, hæc certò prædicunt; Nam illi certò sciunt ea, quæ dicunt; Dæmones verò, & homines nequaquam. De his actum est, *tract.* 4. *disp.* 2. *quæst.* 10. *num.* 25. & *disp.* 11. *quæst.* 15. 16. 17. & *disput.* 12. *quæst.* 3. Reliqua verò, quæ hic tractari solent, cùm sint omnibus obuia, & nullius ferè ponderis, prætermitto. 36

TRACTATVS



TRACTATVS X.

DE

PRIMIS PARENTIBVS.



VALES fuêre primi Parentes, diſſertiſſimè loquitur Poſterorum miſerrimus ſtatus: E ruina enim, quam quiſque horum patitur, ſuſpicere licet, quantam illi perdidère felicitatem: De amœnitate Paradiſi, vnde exularunt, egimus, *tract.* 8. *diſput.* 3. vbi etiam, quicquid ad horum Corpora ſpecialiter attinet, attigimus. *Tractatu* verò 9. *diſput.* 3. vidimus, quâ virtute, quibuſvè potentiis Anima in genere præpolleat, & præcipuè, Animam Rationalem, Vegetatiuæ, & Senſitiuæ ſupereminentem expendimus; Nunc autem, poſtquam ad infimum Animæ ſtatum, ſopore ſcilicet ab omni ferè operatione prohibitum, *diſp.* 11. deuentum ſit; ad primordialem ipſius ſtatum in primis Parentibus recurrendum eſt; vt nihil non dictum de ipſa relinquatur.

QVANTA autem Gratiarum, & Virtutum ſupellectili, primi hominis Anima, tanquam Regia Conditoris Aula, inſtructa fuerit, inde elucet, quod à ſupremo totius entis exemplari, priùs, & propiùs, propriis etiam manibus, nullâ interueniente causâ ſecundâ, ſit exemplata; quòd in ea delicias ſuas poſuerit; quodque eam familiaribus colloquiis dignatus fuerit Vniuerſi Dominus, eámque ſuâ ſigillans imagine, ab ortu immortalitate, ſimul & gratiâ donauit. Nec ſolùm primum hominem mundo ſenſibili præpoſuit Munificentiſſimus Creator, ſed vniuerſa, quæ fecit, in ipſo, Compendioſo quodam tractu ſapientiſſimè contraxit, vt vnde ſe ſibi, tanquam vniuerſam Creaturam, faciliùs ſubditum ſeruaret, inde feliciùs cæteris Animantibus præſideret; & ad ſuæ ſubiectionis menſuram cæterorum accommodaret obſequium.

HINC præclarè Auguſtinus, tract. 8. in Ioan. cap. 4. *Intendite*, inquit, *quod dicam: Deus, Homo, Pecora; Supra te Deus; infra te pecora. Agnoſce eum, qui ſupra te eſt, vt agnoſcant te, quæ infra te ſunt. Si ſuperiorem contemnis, ſubderis inferiori.* Hæc Diuino quodam eloquio, & afflatu tractauit paſſim Noſter SERAPHICVS BONAVENTVRA: Sed vt ipſius mentem ab amoris incendio, quo hæc elucidando flagrat, in lucem, omnium oculis attemperatam, vindicemus; à Priuilegiis primi Hominis exordiemur.

DISPVTA

DISPVTATIO I.

DE PRIVILEGIIS PRIMI HOMINIS.

MAGNVM primi Parentis priuilegium, quod fuerit *Forma futuri*, vt dicitur *Rom.* 5. Et notat D. Augustinus, vbi infrà, vt ad cuius imaginem, & similitudinem in Naturalibus, & Gratuitis iam factus est, ipse etiam foret ad cuius similitudinem suus Factor fieret, cum *Verbum caro factum est*, fierétque quodammodò sui exemplaris Exemplar; Sicut tamen hæc similitudo primi Adam ad Deum, non est secundùm omnimodam æqualitatem, sed secundùm aliqualem totalitatem, quippe vti Deus est omnia, ita Anima rationalis omnia fit, dum in ea nata sunt omnia limpidè scribi, & depingi, vt notat S. Doctor hîc *ad* 5. Ita secundus Adam non omnimodè primo assimilatur, cùm peccatum fuerit factum, non fecerit, dum venerit in similitudinem carnis peccati, vt nos à maledicto redimeret. In eo verò stat primus homo *forma futuri*, quòd quem ante sæcula natum in se expresserat, pro se nascendum in tempore præfigurarit. Sed in eo stat, factus ad Imaginem primi omnium principij, quod eius capax, & particeps esse potuit, vt ait Seraphicus è Diuo Augustino 14. *de Trinitate*, *cap.* 8. Hinc cætera primi Hominis prærogatiua, tanquam ab vberrimo Fonte, fluunt. Hinc ait Diuus Augustinus, tractatu 8. in Ioan. epist. cap. 4. *Homo habet potestatem, ex quo factus est ad Imaginem Dei:* Quare *in tractatu decimo in Ioan. Euangel.* de Adam explicat illud: *Quoniam tu hæreditaberis in omnibus Gentibus*, vbi subdit: *In eius vocabulo*, (scilicet Adam) *quatuor litteris, quatuor Orbis terrarum partes, per Græcas appellationes demonstrantur: Si enim græcè dicantur:* ORIENS, OCCIDENS, AQVILO, MERIDIES, *Sicut eas plerisque locis Sancta Scriptura commemorat: In Capitibus Verborum inuenies Adam:* Verba autem Græca sub inuicem scripta in primis litteris sic Adam referunt.

ἀνατολη,
δυσις,
αρκτος,
μεσημβρια.

AGAM igitur primò, qualiter primus homo ad Dei Imaginem, & similitudinem fuerit creatus, cùm hoc inter Priuilegia, quibus ab initio dotatus sit, præluceat, cætera quoque ipsi indulta ordine discutiam.

QVÆSTIO I.

An fuerit PRIMVS HOMO *creatus ad Imaginem, & Similitudinem* DEI.

D. Bon. in 2. dist. 16. in dub. litt. & quæstionibus.
D. Thom. p. p. q. 93.

FVERE dicentes, hominem non esse creatum ad imaginem Dei, sed creatum ad imaginem, idest, conformem imagini, quæ est in Deo. Ità refert Diuus Augustinus 7. *de Trinitate*, *cap.* 6. & Magister, *in* 2. *dist.* 16. & Diuus Bonauentura, *dub.* 3. *litt.* Videtur autem suaderi hæc opinio, illo Rom. 8. *Quos prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui:* Ergo etiam hîc fieri ad imaginem, est fieri conformem imagini, quæ in Deo est.

ATTAMEN communis Patrum, & Theologorum sensus est, in homine impressam esse Imaginem Dei.

ASSERO primò. Deus creauit hominem non ad imaginem, seu conformem imagini, quæ est in Deo, sed creatam esse in homine Imaginem Diuinæ Maiestatis.

PROBATVR à Diuo Bonauentura ex Scriptura, quæ dicit, Genes. primo. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: Creauit Deus hominem ad imaginem suam:* Rursus: *Ad imaginem Dei creauit illum.* His authoritatibus nititur etiam Suar. *lib.* 3. *de Hominis creatione*, *cap.* 7. Valentia, *disput.* 7. *quæst.* 3. *punncto* 1. Arriaga, *disput.* 35. *sect.* 2.

PROBATVR secundò à Diuo Bonauentura, *in dub.* 3. *litt.* argumento, quo vtitur Suar. *loc. cit. num.* 3. Si intelligitur de Imagine increata; Vel illa est Diuina essentia, vel est persona aliqua, neutrum dici valet: Ergo. Minor probatur: Non essentia; quia essentia non potest esse Imago: Nam de ratione imaginis est, vt sit aliquid productum, teste Diuo Augustino *lib.* 83. *qq. quæst.* 37. Quod Diuus Bonauentura probauit, *in primo, dist.* 31. *quæst.* 1. *ad argumenta*; & Diuus Thom. *p. p. quæstione* 35. *articulo* 1.

QVOD neque per Imaginem ibi intelligatur aliqua persona, probatur; quia si aliqua ibi intelligeretur, hæc maximè erit Secunda, quæ est Imago Patris. Sed hæc non intelligitur in Genesi; nam Filius non est Imago, iuxta sensum verborum; ibi enim loquitur Deus, vel tres personæ; At Filius non est imago Dei, nec trium personarum, vt arguit Sanctus Bonauentura; & post eum Suarez, *num.* 5. Præterea dicitur *ad imaginem*, ita tamen, vt sit imago, vt communiter exponunt Patres, Basilius *homil.* 10. *&* 11. *Hexeam.* Ambr. *lib.* 6. *Hexaëmer. cap.* 6. 7. *&* 8. & *lib. de dignitate conditionis humanæ*, Theodoretus, *quæst.* 20. *in Genes.* Chrysost. Rupert. & alij expositores huius loci, Nyssenus, *lib de hominis opificio*, & *de Historia sex dierum*, Augustinus, *Libris super Genes.* sæpè, & *in Libris*

Libris super Genes. sæpè, & *in Libris de Trinitate*, Bernard. *serm.* 8. *in Cant.* & Scholastici cum Magistro, *in* 2. *disput.* 16. vbi D. Bonauent. *quæst.* 1. & *sequentibus*, & D. Thom. *p. p. quæst.* 93. Ita arguit D. Bonauent. *in dubio isto litt.* contra eos, qui exponebant, factum hominem ad imaginem, id est, Filium; non tamen ideò esse Imaginem.

NEQVE potest dici cum aliis: *Homo factus ad imaginem*, id est, Filium; & *similitudinem*, id est, Spiritum Sanctum; hic etiam modus, vt notat D. Bonauent. non habet fundamentum in Scriptura, cùm neque à Patribus hoc pacto exponatur.

2 ADVERTIT verò S. Bonauent. non improbabiliter posse exponi etiam de imagine increata, id est, Filio, quod probat ex illo Apostoli, initio adducti. Sic intelligunt Ambrof. *lib.* 6. *Hexaëmer. cap.* 7. Gregor. *lib.* 5. *moral. cap.* 25. Rupertus *lib.* 2. *in Genes. cap.* 2. Hominem scilicet, eo sensu, ad imaginem Filij factum, quia, cùm Filius sit naturalis imago Dei, & Personatum, dum homo ad imaginem Dei fit, videtur participare de eo, quod est proprium Filij Dei: Attamen id ad locum Genesis non pertinet, vt notat D. Bonauent. & post eum Suar. *num.* 6.

DICET aliquis, posse dici, Hominem ad imaginem, id est, Diuinam essentiam, quæ est imago, quatenùs continet Ideas, vel quia secundùm essentiam vna persona aliam imitatur. Sed modus iste est valdè improprius: Nam neque omnis Persona, *verb. grat.* Pater est ab alia, nec Diuina Essentia potest dici imago, quia imago refertur ad id, cuius est imago, tanquam distinctum, vt notat Diuus Bonauentura, *in primo, dist.* 31. *quæst.* 1. At Personæ secundùm essentiam non differunt. Neque Exemplar benè dicitur de eo, quod non est factum ad similitudinem alicuius, vt notat Diuus Bonauentura *ibi*. Deindè deberet dici: Faciamus hominem ad imaginem eius, id est, ideam eius, non autem nostram, vt notat Sanctus Bonauentura in illo *dub. litt.* & post eum Suar. *num.* 4.

CONFIRMATVR, quia additur, *& ad similitudinem*; Neque enim datur aliqua similitudo increata, cui homo conformetur, vt aliqui dicebant, esse Spiritum Sanctum; sed quia in homine est aliqua similitudo Dei, vt ait Iacobus, *cap.* 3.

RATIO igitur est illorum verborum, quia Deus voluit exprimere excellentiam cuiusdam naturæ, quam ad complementum huius mundi corporei Dei formam addere volebat, vt notat Diuus Bonauent. *quæst.* 1. & post eum Suar. *num.* 8.

QVÆSTIO II.

An Homo sit IMAGO DEI *secundùm se totum.*

D. Bonau. in 1. dist. 3. part. 2. per multas quæstiones, & in 2. dist. 16. quæstione vltima.

3 HÆRETICI, qui Deum corporeum latrant, dicunt, Hominem secundùm corpus esse imaginem Dei; eos refert Diuus Augustinus *de heresibus, heresi* 76. Epiphan. *lib.* 2. *de heresibus, heresi* 70. & *in Anichorato* ante medium, Theodoretus *lib.* 4. *hist. cap.* 10.

ALIQVI verò expositores Genesis dixêre, Deum assumpsisse humanum corpus ad creandum, & secundùm illam naturam assumptam, dixisse: *Faciamus, &c.* Ità Oleastar, *Genes.* 1. Eugubinus, *in Cosmopœia.* Ideò ipsi ea Verba: *Ad imaginem nostram.* legunt: *In vmbra nostra.*

ALII dixêre, Hominem factum ad imaginem Verbi incarnati. Ità refert Lippomanus *in Catena.*

CATHOLCICA sententia est, Hominem secundùm animam factum ad imaginem Dei. Ità Basilius, Chrysostom. Augustin. & alij Patres, *locis citatis*, Ambrof. *Psal.* 118. *octonar.* 10. Gregor. *lib.* 9. *Moral. cap.* 27. *aliàs* 36. Nyssenus, oratione in ea verba; *Faciamus hominem, &c.* Damascenus 2. *de fide, cap.* 12. Zeno Episcopus Veronensis, *serm.* 2. & 4. D. Bonauent. *in primo, dist.* 3. & *in* 2. *loco citato.*

ASSERO ergo pimò, Imaginem Dei in anima nostra esse.

PROBATVR primò à Diuo Bonauentura *in fundamentis*, ex Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, &c.* Secundùm communem Patrum sensum. Deinde ex illo Ecclesiastici 17. *Deus creauit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum.* Ideò dicitur *faciamus*, quia tres personæ loquuntur, vt notat Diuus Bonauent. *in* 2. *dist.* 16. *dub.* 1. *litt.* & communiter Patres exponunt, vt notat etiàm Suar. *num.* 35. E Concilio Sirmiensi.

PROBATVR secundò, ratione deductâ ex illo Ecclesiastici. Id, quod habet originem ab alio, & ex vi productionis repræsentat illud, est illius imago ex Diuo Augustino, *lib.* 83. *qq. quæstione* 51. & 13. *de Trinitate.* Sed homo habet originem à Deo, & ex vi creationis repræsentat illum expresè, & distinctè: Ergo. Minor probatur *in secundo, & tertio argumento.* Nam creatur à Deo, & exprimit Deum secundùm essentiam in eo gradu nobili, in quo Deus propriè, & formaliter existit, nempè in gradu vitæ intellectualis: Ergo est imago Dei. Probatur consequentia, quia de ratione imaginis est similitudo, vel secundùm speciem, vel secundùm gradum, qui proximè ad speciem accedat, vel secundùm speciem, aut figuram, quæ speciem rei referat, vt sumitur ex Diuo Augustino, *dicta questione* 51. & 13. *de Trinate*, D. Bonauent. hîc, & constat ex ipso vsu, & appellatione imaginis. Animal enim brutum, esto ex homine generetur; attamen quia in gradu specifico, rationali non communicat, ideò non est imago eius. Hinc neque cum Deo habent bruta similitudinem, quia non habent esse intellectuale. At homo communicat in vita intellectiua; (adde) imitatur Vnitatem Diuinam, & Trinitatem suâ essentiâ in tribus potentiis, & ad Deum ordinatur, vt ei vniatur per amorem; vt ait Hugo: Ergo, &c. Hac ratione vtitur etiam Suar. *num.* 14. Quâ colligitur etiam, imaginem in corpore non residere.

ADVERTE autem, quòd D. Epiphanius, *lib.* 2. *heres.* 70. non inueniens adæquatam proportionem hominis ad Deum, quoad animam dicit, non esse perfectam imaginem; cùm verò neque in corpore sit similitudo cum Deo, dubitat, vbi sit imago Dei.

ENIM verò hoc tantùm intendit, quod etiam Diuus Augustinus 15. *de Trinitate*, in homine plus esse dissimilitudinis, quàm similitudinis cum Deo, infinitè perfecto, atque adeò non esse adæquatam imaginem, quæ soli Filio debetur, vt notat Diuus Bonauentura *in corpore, & ad Argumenta.*

ASSERO

4 Assero secundò, Imaginem Dei in essentia animæ, ac tribus potentiis, Memoriâ, Intellectu, & Voluntate, reperiri Ità Diuus Bonauentura, *in primo, distinctione 3. parte 3. quæstione 1. tota.*

Probatvr à Diuo Bonauentura ibi, præcipuè; quia Imago repræsentat rem distinctè cum ordine; sed essentia animæ, in tribus potentiis, repræsentat Deum in tribus Personis; cum ordine ad inuicem: maximè verò in pluralitate actuum, in quibus est distinctio, & ordo, & origo vnius ab altero per modum quendam dispositiuum: Nam retentio speciei in memoria disponit ad intelligendum; & intelligentia ad amandum. Igitur potentiæ tres sunt, Memoria, Intellectus, & Voluntas, referentes Trinitatem in essentia; at quia Trinitas Sanctissima constituitur per emanationes Verbi à Patre dicente, & Amoris ab vtroque; & nostræ potentiæ, vt sic, ab inuicem non emanant, nisi quatenus ad actus ordinatæ, per quos e specie impressa in memoria, actu cogitando exprimitur Verbum expressiuum rei cogitatæ, & cogitationis, seu dictionis: Hinc verò emanat amor obiecti cogitati, qui ab vtraque specie accenditur: Hinc infert Sanctus Doctor, perfectam imaginis rationem esse in potentiis, prout ad actus ordinatis: Sic enim etiam emanationes includunt.

Hinc habes, ad constituendam imaginem intrinsecè, non requiri actus secundos iam elicitos, vt putat Diuus Thomas, *articulo 7.* Nam Imago simul cum animæ infusione facta est, vt dicitur, *Genes. primo*, antequam Adam eliceret aliquem actum, & hæc in infante est, antequam intelligat, vel amet, éstque inseparabilis; Actus verò accidentia sunt, quæ adsunt, & mox absunt: Sic enim & dormiens est ad Dei imaginem; Et si nihil intelligat, nihilque diligat actu. Hoc docet Diuus Augustinus 10. *de Trinitate, cap. 11.* apud Diuum Thomam, *ad 3.* & Diuum Bonauenturam, *ad 6.* Adsunt enim tres Potentiæ in essentia, vt arguit Sanctus Doctor *quæstione 2.* hic *ad 4.* & *artic. 2. quæstione 3. ad 1. fund.* 1. Idem vult Sanctus Augustinus 14. *de Trinitate, cap.* 8. apud Diuum Bonauenturam, *fundamento 2.* quo arguit sic: Eò est mens imago, quò potest esse capax, & particeps Dei; sed Deus non capitur ab anima plenè, nisi ametur; neque amatur, nisi intelligatur; nec intelligitur, nisi præsens apud animam habeatur: Sed primum est per voluntatem; secundum per intelligentiam; tertium per memoriam; ita, vt primum sit Memoria, secundum Intelligentia, tertium Voluntas. Igitur in capacitate stat Imago, vt dicam etiam, *assert.* 3.

5 Obiicit verò contra Memoriam Sanctus Doctor: Imago est animæ essentialis, & secundum gradum rationalem; Memoria autem est etiam in brutis ex Aristotele, *de memoria, & reminiscentia, cap.* 1. Ergo non spectat ad imaginem. Præterea memoria respicit intrinsecè præteritum; at imago non respicit differentias temporis, maximè imago Dei, in æternitate durantis.

Præterea Memoria est posterior intellectione, cuius species accipit, vt eas conseruet: Ergo non repræsentat primam Personam.

Respondet Sanctus Doctor, tribus modis accipi Memoriam: Primò, vt est receptiua, & conseruatiua sensibilium præteritorum in speciebus. Secundò, vt est receptiua, & retentiua etiam specierum intelligibilium. Tertiò, prout præcisè est Thesaurus, seu Ærarium specierum, abstrahendo à præterita notitia, vtpote quæ innatæ esse queant. Primo modo sequitur sensum: Secundo intellectionem: Tertio modo antecedit, & disponit ad intellectionem, & generationem Verbi, & sic appropriatur Patri: Et hoc vult S. August. dicens, Memoriam esse etiam præsentium; sic respondent etiam Albertus, Petrus Tarant. & Dionysius. Carthusianus, *quæstione octaua*: Et ipse Alensis, Seraphici Magister, 2. *parte, quæstione 62. membr. 5. articulo 7.*

Instat adhuc: Imago ex Phrasi Sanctorum Patrum reformatur virtutibus Theologicis; at nulla est reformatiua memoriæ. Ergo hæc ad imaginem non spectat.

Respondet Sanctus Doctor, etiam Memoriam reformari, tum in via, tum in patria. In statu viæ per spem, vt ait D. Augustinus, *lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 22.* exponens illud Matth. *Diliges Dominum Deum tuum, id est intellectu sine errore: Ex tota anima, id est voluntate sine contradictione: Ex tota mente, id est memoriâ sine obliuione.* Sicut igitur deformatur anima, dum obliuiscitur Dei, & promissæ gloriæ, ac beneficiorum, vt Scripturæ sæpè clamant; ità per memorationem eorum bonorum spes reuiuiscens excitat ad eorum consecutionem, sicque assiduè memorando spe excitante ad ea prosequenda reuertitur. Pro statu verò patriæ reformatur quoad tentionem, vt ait Diuus Bernardus: *Deus est futurus intellectui plenitudo lucis, voluntati plenitudo pacis, memoriæ continuatio Æternitatis*: Quod si deformatio incipit ab obliuione rerum diuinarum in memoria, vnde voluntas præceps abit; reformatio est à voluntate, quæ est principalis, per gratiam consummatam, & terminat in memoriam per beatæ fruitionis, æternæque tentionis memorationem; sic dum Faber vult demoliri domum, à tectis incipit, & dum restaurare, à fundamentis: sicut etiam dum vult ædificare: Seu dum Aurifex format monile, incipit ab auro; similiter dum reformat, aurum incipit repurgare; & deformans incipit igne figura aurum liquando delere.

Obiicit verò contra voluntatem, quia imago est in potentia cognoscendi ex Diuo Augustino, *lib. de spir. & anima, cap. 35.* Similitudo verò in potentia diligendi. 6

Respondet cum Alensi, 2. *part. quæstione sexagesima secunda, membr. 5. articulo 4.* Imaginem esse primò in potentia cognitiua, quia in ea exprimitur prima emanatio per naturam Filij, qui est Verbum per intellectionem; Et si sequatur secunda per amorem, quæ rursus in impressione qualitatis, quæ est Charitas, nouam relationem similitudinis causat cum Deo, & hæc Spiritui Sancto appropriatur.

Obiicit adhuc. Imago Sanctissimæ Trinitatis debet esse trium subsistentium coæqualium; At voluntas minor est, quoad actus, quàm Intellectus: Multa enim intelligimus, quæ non sunt volita; tametsi voluntas in incognitum non feratur: Est minor etiam memoratione; quia multa memini, quæ nollem meminisse; oblita verò velle nequeo, sicuti nec incognita.

Respondet Sanctus Doctor, voluntatem actibus suis adæquatis, qui sunt non modò velle, sed etiam nolle, vt ait Diuus Augustinus 10. *de Trinitate, cap. 11.* adæquare intellectiones, & memorationes, quidquid enim intelligimus, & recordamur

recordamur, in voluntatis potentia accipitur ad eligendum, vel respuendum.

INSTAT: Cur solùm velle non comprehendit omnes actus voluntatis; sicut intelligere, omnes actus intellectus; & memorari omnes voluntatis.

RESPONDETVR, obiectum omnium istarum potentiarum esse ens; & actus circa ipsum debet esse entitatiuus: Iam verò, non intelligere, & non memorari, sunt negationes; sicuti & non velle; At nolle, seu respuere est ens circa obiectum à memoria, & intellectu propositum; vnde in hoc habent idem obiectum: At potentia libera habet velle, & recusare; nec tamen excedit alias duas; quia isti ab intellectione, & memoratione suggeruntur; sicuti nec Pater est minor Filio, eò quod non sit Verbum, nec vterque; quia non est Spiritus Sanctus; nec sine his habet Pater socialem beatitatem. Ratio est, quia sunt ab ipso; vnde non habet ab alio complementum; sed à se.

7 ASSERO tertiò, Imaginem præcipuè resplendere in eo, quod conuerti habet in Deum, & cum eò comparari, ab eoque repleri: Ità Sancti Patres præcipuè Nyss. *oratione Catech. cap. 5. & de opif. cap. 5.* & alij infrà.

EXPLICATVR à Sancto Doctore *in corpore*. Imago non solam similitudinem dicit; nam & ouum est ouo simile; nec tamen est eius imago, vt disserui *tract. 2. disput. 9. sect. 3. quæst. 1.* Sed dicit conformitatem cum eo, vnde sumpta est. Anima secundùm tres potentias in vna essentia producta est a Deo, ad illum in Trinitate imitandum; & vt potentiæ, etiam secundùm actus, ei conformentur. Talis autem est conditio potentiarum, vt per eas anima conformetur his, ad quæ conuertitur, siue intelligendo, siue amando; nam intelligentia fit assimilatione; vndè intelligendo Cælum, fit Cælum intentionaliter per speciem. Similiter amor in amatum transformat. Hinc fit, vt quia anima est à Deo, & ad Deum; tunc spiret suam perfectionem; cùm ad Deum conuertitur contemplando, & amando; & ita portio superior, in qua est præcipuè summi entis imago, assimilatur Deo: Nam & Verbum gignitur principaliter è cognitione Sanctissimæ Trinitatis, & Spiritus Sanctus ex amore eiusdem; imò & creaturarum, vt ab eo sunt, vt ostendi, *tract. 2. disp. 9. sect. 2.* Et quia quisquis conformatur Imagini, conformatur & exemplari; hinc anima conuertens se ad se, atque ad proximum, consideratione, & amore, conformansque se imagini, reflectitur in exemplar Deum. Ad eum enim reflectitur amor proximi, cùm propter eum diligatur. Enim verò licet considerans, & amans alias creaturas inferiores, producat Verbum, & Amorem; non tamen conformatur expressæ imagini; sed vestigio; Ideò his actibus non adeò refulget ratio imaginis Dei. Ampliùs autem & potentiæ sensitiuæ cognoscentes, & amantes, aliquo modo Deum imitantur; sed longè à conformitate: Vnde eas à ratione imaginis excludit Diuus Augustinus 11. *de Trinitate, cap. 13. & 59.* Et quærit in his etiam Trinitatem quandam; sed imaginem excludit, vt monet Sanctus Doctor. Ideò *lib. 13. de Trinitate, cap. 20.* & *lib. 12. cap. 4.* ait; *Quamuis in inferiori parte rationis inueniri Trinitas possit; Imago tamen inueniri non potest*: intelligit autem sensitiuam, & ad inferiora rationem; Nam in portione inferiori rationis, vt conuertitur ad se; ad alios homines, & Angelos, concedit, splendêre imaginem, *lib. 9. de Trinitate, cap. 4.* Itidem in potentiis, vt sunt potentiæ ad actus ordinatæ, *lib. 10. de Trinitate, cap. 11.* vt dixi etiam *in primo, & secundo asserto*, pollentiùs autem effulgere docet, vt conuertitur portione superiori in Deum *14. de Trinit. cap. 8. & cap. 4.*

I D. rursus confirmat: Imago enim entis summi Boni esse debet in portione meliori, & in eo, quo non habetur melius. Sed talis est portio superior, vt in Deum conuerti habet: Ergo.

CONFIRMAT: Nàm & reformatur optimè imago virtutibus Theologicis, quæ Deum immediatè respiciunt: Ergo ita etiam formata est.

Ex dictis colligit Sanctus Doctor, *ad 4.* rationem imagini esse etiam in peccatoribus, etsi damnatis; quia in his sunt potentiæ naturâ suâ ordinatæ ad conuersionem; sic enim greßibile dicitur animal, cui pedes sunt truncati.

OBIICIT verò. Ratio imaginis diuinæ spirat æqualitatem dicentis Patris; & Verbi dicti; At anima cognoscens Deum, non illi æquatur. 8

RESPONDET Sanctus Doctor, non esse necesse, fieri æqualitatem in ratione entis, sed in ratione cogniti. Iam verò tantùm est cognitum, quantùm cognoscens; quia intellectus totum obiectum in specie repræsentatum capit; Addit Sanctus Doctor, æqualitatem magis splendere, dum anima cognoscit se; & hoc sensu magis tunc splendêre imaginem; tametsi excellentiùs fulgeat, dum in Deum conuertitur.

AFFERT Sanctus Doctor, *argumento 2. opp.* Dictum D. August. lib. 12. de Trinitate, cap. 4. *Cum in natura mentis humanæ quærimus Trinitatem, in tota quærimus; non separantes actionem rationalem in Temporalibus à contemplatione æternorum, vt tertium aliquid iam quæramus, &c. quo Trinitas impleatur.* Obseruat autem Sanctus Doctor, dixisse Diuum Augustinum, se quærere Trinitatem; non imaginem, in parte inferiori animæ; quia non inuenitur conformitas exemplaris cum exemplato, dum conuertitur ad cognitionem, & amorem sensibilium, seu aliorum inferiorum, vt suprè disserui; neque inueniri in sensibili cognitione, & amore: Addo, illis verbis indicari, rationem imaginis resplendere in contemplatione creaturarum inferiorum, quatenus respicitur causa à qua sunt; sic enim & Verbum è cognitione creaturarum à Patre gignitur, vt dixi *tract. secundo, disp. 9. sect. 3.*

AD rationem Imaginis dixit sæpè, requiri trium potentiarum consubstantialitatem. Ideò *quæstione tertia* ostendit, Potentias non esse accidentia, de quo egi hîc *tractatu 9. disputatione secunda, quæstione 1.* eas verò distinctas ostendi, *quæstione 2.* Non est tamen necessaria æqualitas; quia imago est imperfecta. Iam. *tract. 9. disput. 9. cap. 5. quæst. 2.* Voluntatem Intellectu esse præstantiorem ostendi.

ASSERO quintò, Imaginem Dei resplendere in Mente, Notitia, & Amore: Sic Diuus Augustinus *9. de Trinitate, cap. 4.* & Magister, *distinctione 3. parte 2.* Id explicandum, cum Diuo Bonauentura, *artic. 2. quæstione 1.* Notat Diuus Bonauentura, Mentem denominari à *Mene*, seu *Luna*, seu *Defectu*, & sic dici de tota Animæ substantia, ob eius, quas patitur, transmutationes: Deinde à *metiendo*, & ita sumi pro iudicio à Damasceno, *libro secundo de fide, capite vigesimo-secundo.* Tertiò ab *eminendo*, & ità sumi pro superiori rationis portione à Diuo Augustino, *libro* 9

de

de Spiritu, & Anima, cap. 11. Quartò à *meminisse*, & sumi pro memoria.

Hic nonpotest sumi Mens pro Memoria; quia ponuntur duo actus mentis, *noscere*, & *amare*, qui à memoria non sunt, vt notat Sanctus Doctor ex Diuo Augustino 9. *de Trinitate, cap.* 2. 3. *& seq.*

Neqve sumitur pro tribus potentiis; quia cognoscere, & diligere sunt actus, non potentiæ: Nec pro habitibus; quia mens non est habitus, saltem, vt sumitur hic, vt agens cognoscendo, & amando. Neque potest accipi mens pro potentia, & notitia; atque amor pro habitibus; quia cùm mens ponatur principium duorum generum actuum diuersorum, non potest accipi pro vnica potentia, & si sumitur pro duabus; iam cum notitia, & amore faciet Quaternitatem.

Svmitvr ergo mens à Diuo Augustino pro anima substantialiter, vt noscens, & diligens, & ratione notitiæ, & amoris; Et sic est Trinitas substantiæ, notitiæ & amoris. Addit Sanctus Doctor, non adeò propriam esse hanc Imaginis rationem, sicut elucet in vna essentia, & tribus potentiis, vt dixi *assertione prima, & secunda:* Neque vt accipitur in *tertia assertione*, vt constat, quia hic accipitur, vt conuersa ad se.

Qvoniam verò ad rationem imaginis Diuinarum Personarum requiritur, vt dicat tria coæua; At notitia, & amor, non solum vt actus; sed vt habitus sunt posteriores mente, quippè ab ea producti: Obseruat Sanctus Doctor, notitiam, & amorem sumi tribus modis. Primò, pro habitibus acquisitis ex actibus scientificis, & studiosis mentis intelligentis, & amantis. Secundò, pro innata dispositione ad bonum proprium. Tertiò, pro natura ipsa inclinata ad seipsum. Hæc porrò natura est menti coæna; insitum quippè est menti, vt se appetat nosse, & amare; & hic appetitus est ipsi menti intrinsecus, ac simultaneus (tametsi primo modo sit posteriores, esto etiam secundo:) Et hoc tertio modo sumuntur à Diuo Augustino habitus notitiæ, & amoris, qui cum mente exprimunt Trinitatem à creatione habitam.

Obiicit sibi, debere poni etiam habitum memoriæ, & ita erunt tres habitus, & substantia, facientes Quaternitatem.

Respondet Sanctus Doctor hîc accipi animam, vt cognoscentem, & amantem se: ad quod ideò non eget specie, vel habitu memoriæ, cùm sibi sit immediatè præsens modo apto, vt cognoscatur, & ametur à seipsa.

10 Assero quintò in Mente, Notitia, & Amore esse Ordinem, Æqualitatem, & consubstantialitatem, vt ait Diuus Augustinus 9. *de Trinit. cap.* 12. vt Diuinas Personas imitentur.

Probatvr à Sancto Doctore, ibi esse ordinem; quia mens fœcunda ordinatur ad gignendam speciem expressam, seu Verbum, quasi parens prolem; & ex vtraque producitur amor obiecti; Quare mens ad notitiam gignendam, & vtraque ad amorem intrinsecè ordinatur.

Probatvr adesse æqualitatem; quia mens nouit se tantùm, quantùm habet entitatis, & amor tantus est, quanta cognitio: Cognitio enim comprehensiua adæquat obiectum in ratione potentiæ, & obiecti; & amor est ad mensuram cognitionis; nam voluntas non fertur in incognitum.

Tandem probat Sanctus Doctor, ibi consubstantialitatem ex Diuo Augustino, *loc. cit.* Non enim sumitur notitia, & amor, vt sunt actus; sic enim sunt accidentia, menti non consubstantialia; sed sumuntur pro natura inclinata ad se cognoscendum (vt dixi) & amandum, & hæc est ipsa substantia naturalis animæ, & potentiarum. Ex dictis respondet argumentis.

Obiicit primò. Notitia, & Amor vel accipiuntur pro innatis, vel pro acquisitis: Si pro innatis, nullus est ordo; quia simul sunt cum ipsa anima: si secundum; sic amor præcedit notitiam: Nam ex appetitu sciendi, & amore scientiarum insudamus ad eas addiscendas, vt ait S. Augustin. 9. *de Trinitate, cap.* 12.

Respondet Sanctus Doctor loqui de his, vt innatis ad suos actus, quos ordinatos ostendi.

Obiicit secundò, non esse ibi æqualitatem, quia si notitia, & amor sumantur in ordine ad res inferiores, latiùs patet notitia; multa enim nouimus, quæ non amamus: Si in ordine ad animam; Contra, quia cùm sciamus, animam corpore maiorem, & minorem Deo, illam amamus magis, quàm Deum, & minùs quàm corpus.

Respondet S. Doctor, accipi in ordine ad animam, cuius amor, si rectus, tantus est, quanta cognitio: Et istæ inclinationes sunt naturales simul ortæ, & tanta est habilitas ad se amandum, quanta ad cognoscendum. Imago autem, quippè quæ est à Deo, debet ex recta naturalitate mensurari, non à deprauata per cœcitatem, & libidinem, qualis est relata in argumento.

Obiicit tertiò, quod non sint consubstantiales: Mens enim est substantia; At notitia, & amor sunt accidentia.

Respondet S. Doctor, eas esse inclinationes substantiales, vt se noscat per hoc, quod sibi præsens est, & amet; quia est sibi vnum, vt prænotaui. 11

Assero sextò, Trinitatem hanc creatam Mentis, Notitiæ, & Amoris, deducere in cognitionem Augustissimæ Trinitatis. Ità Sanctus Doctor, *quæstione vltima.*

Probatvr à Sancto Doctore; quia ibi est distinctio Mentis gignentis, Notitiæ genitæ, & Amoris procedentis; atque adeò est distinctio ex origine, & ordo, vt ostendi *assert.* 5; atque etiam relatio. Hæc tamen fide, non rationibus naturalibus, sunt nobis cognita, vt ostendi *tractatu* 2. *disputatione* 1. *quæst.* 1. *&* 2.

Obiicit; quia hæc Trinitas non dicit tres Personas, & distinguit notitiam, & amorem, qui sunt in singulis personis; Et si vna esset persona, adhuc nosset, & amaret se, Tandem Philosophi cognouêre Mentem, Notitiam, & Amorem; nec tamen cognouêre Trinitatem.

Respondet Sanctus Doctor, Imaginem creatam non esse omninò adæquatam; ideò ad imaginem dicitur factus homo: Porrò etsi notitia sit communis: tamen notitia genita est Filius; Sic, licèt amor, vt dicit complacentiam, sit communis; tamen vt amor spiratus, Donum, & nexus, est proprius Spiritus Sancti. Hæc non agnouêre Philosophi, qui solùm sciebant Deum sapientem amantem, nec propria personarum; sed sola appropriata cognouêre.

DVBITATIO VNICA.

An ratio IMAGINIS *sit magis in potentia Cognitiua, quàm Affectiua.*

D.Bon. in 2.dist. 16. quæst. vltim.

12 PRÆDOCET S.Doctor cum D.Thom. *quæst.* 93. *art.*9. Differentias inter imaginem, & similitudinem, vt explicet, in quo subiecto vtraque sit; Si enim essent idem, non distingueret Genesis hominem factum ad imaginem, & similitudinem, vt aduertit D. August. *lib.*83. *qq. quæst.* 51. Docet igitur, imaginem esse conformitatem in quantitate, dicit enim quandam configurationem, quæ est qualitas in quantitate molis, si corporea sit, qualis est imago picta, vel sculpta; vel quandam imitationem, non in figura, sed in specie, atque adeo in essentia, seu quantitate virtutis, vt ait Sanctus Docto *quæst.* 1. *ad* 2. *&* 4. qualis est Filius, qui est imago Genitoris. Similitudo autem dicit conuenientiam duorum in vna qualitate, qualis est inter duos Olores albos; vel duos Coruos nigros: Vnum enim in qualitate similitudinem causat, vt docet Aristot. 5. *Metaph. text.* 20. Potest autem esse, quod qualitas sit talis, vt imitetur aliqua substantialia quidem; sed ad modum qualitatis relucentia, qualia sunt Diuina attributa, Diuinæ perfectiones, quibus nos assimilat gratia sanctificans, ob quam dicimur Deiformes, vel Deo similes. Hinc ortum est, vt SS. Patres dixerint, hominem esse ad Dei similitudinem, quoad gratiam; quia hæc habet rationem qualitatis; etiam ad imaginem, quoad naturam, quia hæc dicit imitationem in natura, quando perfecta imago est cum quadam configuratione, in quantitate virtutis fundata. At si imago non sit adæquata, dicit proportionem naturæ imitatricis cum ordine, & configuratione in quantitate discreta. Cùm igitur natura hominis sit ex anima, & corpore; Anima verò sit spiritus intellectiuus, volitiuus, & memoratiuus, quæ sunt tres potentiæ in vna essentia, ordinatur intrinsecè ad actus, quantum creaturæ licet, imitantes proportione actus substantiales Diuinarum Emanationum, qui non alia via nobis innotescunt, quàm ex actibus intellectionis, & volitionis, producentibus Verbum, etiam Amorem: Hinc dicitur anima secundùm naturam ad imaginem Dei Trini in Personis, vt suprà declaraui. Sic explicant SS. Patres, Ambros. *lib. de dignitate humana natura, cap.*4. August. 10. *de Trinit. cap.*1. & *lib.* 14. 17. & *lib.* 15. alibique *lib.* 5. *de Trin.* & *lib. de quant. animæ, cap.* 2. & *de Eccles. dogm. cap. vltim.* & *aliis locis*, Hilar. 4. *de Trin.* Nyss. *de hominis opif. cap.* 16. & *in oratione Catechet. cap.* 5. & alij Patres adducti à Suar. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 27. & *seq.* & Perer. *lib.* 4. *de creat. homin. cap.* 1. *vers.* 26. præcipuè Orig. *lib.* 3. *Periar. cap.* 6. Basil *homil.* 10. *in Genes.* Eucher. *lib.* 5. *in Genesim*; Victorinus S. Hieron. Præceptor, *disp. contra Arrium*, Theodoret. *quæst.* 20. *in Genes.* Rupert. *lib.* 2. *de Trinit.* & *operib. eius, cap.* 3. *&* 5. Magister *in* 2. *dist.* 16. & Scholastici *ibi*, præcipuè D. Bonauent. *hic*, *&* *dub.* 3. *litt.* ac D. Thom. *p.p. quæst.* 91.

13 HANC tamen expositionem non satis firmam confutari posse, ait Perer. Primò, quia *cap.* 5. Etiam Adam dicitur, genuisse Filium Seth ad imaginem, & similitudinem suam; sicuti hic; & tamen non genuit quoad esse gratiæ. Deinde Paulus 1. *Cor.* 15. & *ad Coloss.* 3. vocem imaginis vsurpat pro similitudine in gratuitis; vt notat etiam D. Bonauentura, *dubio citato*.

TERTIO, Scriptura variat hunc modum dicendi: Aliquando enim solam imaginem dicit, *Genes.* 9. *Ecclis.* 17. Aliquando dicit ad imaginem similitudinis, quæ indicant idem significare imaginem, & similitudinem.

HÆC vidit S. Doctor: Propterea expositionem hanc probabilem ait; sed alias refert. Id verò quod opponit Perer. è *cap.* 5. explicabo, *quæst.* 17. Interim dici potest, Adam genuisse Seth ad imaginem suam, quoad naturalia; & ad similitudinem verò suam in gratia, quam tunc pœnitens habebat, cùm genuit gratiæ capacem.

IGITVR alio etiam modo exponunt alij. Ad imaginem, principaliter ratione cognitiuæ, in qua è tribus potentiis exprimentibus Trinitatem Sanctissimam, sunt duæ potentiæ, Memoria, & Intelligentia, in quibus est primus ordo per modum parentis, & prolis: & inter has est ordo ad voluntatem, & amorem: Vna verò affectiua ad Imaginem constituendam, atque adeò in Imagine minorem partem obtinet; sed in similitudine maiorem; quia in Affectiua, seu voluntate ponuntur præcipuè habitus reformatiui, Spes, Charitas, & Gratia sanctificans; in Cognitiua verò sola fides. Si dicas, debere reformari potentias deformatas. Respondetur, deformationem esse præcipuè in voluntate, in qua est peccatum; Reformationemque dari ad maculas abstergendas peccatorum, & ad vniendum Deo hominem priùs auersum, quod est maximè quoad voluntatem, quæ erat auersa, & maculata, sæpè manente etiam fide in Cognitiua; esto, & Spe in Irascibili.

EX dictis colligit S. Doctor, imaginem non sumi ex Irascibili, & Concupiscibili; quia inter eas non est necessarius ordo; sicuti est inter alias; quia nec actus voluntatis est sine actu cognitionis; neque hæc sine memoria.

ASSERO igitur, Imaginem principaliter in Cognitiua residere. 14

PROBATVR ex Diuo Augustino, & ratione suprà facta.

OBIICIES primò: Reformatio formationi imaginis respondet: sed reformatio est principaliter in affectiua: Ergo.

RESPONDET D. Bonau. Reformationem non esse imaginem; alioqui constituere immortalem: Est ergo potiùs similitudo; ideò in affectiua fit, vt ostendi.

OBIICIES secundò: In eo est maximè imago, in quo ea completur; sed completur in voluntate, vt perfectiori, ad quam aliæ ordinantur: Ergo.

RESPONDET Sanctus Doctor, rationem imaginis sumendam penes origines, ordinem, & relationes. Iam verò Voluntas, esto nobilior in entitate; tamen in struenda imagine consideratur, vt habet ordinem, & relationem ad memoriam, & intellectionem, quas supponit, à quibus recipit obiectum amandum; non vt complet: Sic enim etiam Spiritus Sanctus, etsi complementum sit Trinitatis, accipitur, & distinguitur per ordinem ad Patrem, & Filium, quos supponit, à quibus recipit, & ad quos refertur, etsi coæqualis, coæternus, &c.

OBIICIES tertiò nobilissimum animæ consistit in nobilissimo; Sed Imago Dei est nobilissimum

mum animæ: Ergo consistit in voluntate, quæ est nobilissima.

Respondet S. Doctor in nobilissimo; nempè in portione superiori, præcipuè imaginem Dei esse. Cæterum includi, etiam voluntatem; extensiuè verò in cognitiua magis consistit, quatenùs duæ potentiæ interueniunt, & vna tantùm affectiua, ad Trinitatem imitandam.

Obiicies quartò: Similitudo est genus ad Imaginem, quæ est similitudo perfecta ordinata ad exprimendum suum exemplar: Ergo ibi est imago, vbi similitudo; Sed Imperfecte est in voluntate: Ergo.

Respondet S. Doctor, Similitudinem hic non esse genericam, sed speciem perfectam vnientem cum Deo per gratiam supernaturalem. Vnde non comparatur ad imaginem, vt genus; sed vt disparata. Cæterùm, & ipsa similitudo est in imagine, vt superaddita diuinitus; Imago autem etiam affectiuam includit: sed extensiue magis cognitiuam.

15 Ex dictis habes, cui dirigatur locutio: *Faciamus hominem ad Imaginem nostram.* Non sanè loquitur vnus Deus ad suam potentiam, vt Iudæi dicunt. Quis enim Faber ità secum loquitur facturus opus? Id notat D.Basil. *hom.9.* ac D.Bonauent. *dub.1.* Neque vlla persona erat, cuius solius homo esset imago, quæ ita loqui posset.

Neqve loquitur cum Angelis; vt quidam impiè dixerunt. Imago enim ordinem dicit ad Imaginatum; At homo ad Angelum non ordinatur, vt arguit S.Doctor *dist.16.dub.2.* neque ad creationem admitti valent, vt ostendi *tract.3. disp.1. quæst.6.* Quare id impiè dixit Philo *de opif. sex dierum*, in Platone *in Timæo*, vt arguunt SS. Patres, Aug. *16. de Ciuit. Dei, cap.6.* Cyrill. *lib. 1. aduers. Iulian.* & alij apud Peret. Neque enim est eadem Dei, & Angeli imago, vt rursus cum D. Bonau. arguit Peter. Sanè subditur: *Deus creauit*, non Angelus: Idem habetur, *cap.5. 9. & Sap.2.* vt notat S. Doctor, *ibi, & Eccl. 17.* vt habet S. Doctor, *quæst. 1.* cum D.Ambr. *lib. 6. Hexaëmer. cap.7.*

Loqvitvr ergo Pater ad alias personas Diuinas Trinitatis; nam eius creabatur figura. Hinc verò validum SS. Trinitatis argumentum elucet, vt ostendi, *tract.2. disp.1. quæst.4.*

Ideò, cum alia creans dixisset: *Fiat*; Nunc Hominem, præstantem Trinitatis imaginem, facturus ait: *Faciamus*, vt obseruat S. Doctor, *dub.1. cum* D. Greg. *9.Moral. cap.17.* Rupert, *lib. 2. de Trinitate,* initio, qui ita disserit: *Opus grande ad mundi complementum meditabantur Personæ Diuinæ*; Cùmque hominem periturum viderent, quasi consultantes inducuntur, & deliberant creare, vt inde reparando resplendeat bonitas, vt ait S.Doctor, *in 3. dist.1. art. 2. quæst. 2.* Tunc verò sibi Pater appropriat creationem, Filius assumit redemptionem; Spiritus Sanctus appropriat sanctificationem, vt disserui cum D. Bonau *tract. 2. disp. 11. quæst. 2.* Quare poterat Pererius Seraphico hanc subtilitatem dare, quam soli Ruperto humiliter tribuit.

16 Ex dictis habes; vnde sumatur in homine Imago Dei, quoad pluralitatem personarum: Quoad vnitatem verò multa dicunt SS. Patres, quæ Sanctus Doctor refricat *tota dist.16. secundi.* Factum Adam imaginem Dei; quia omnibus mundi huius creaturis præcellit, atque dominatur, vt ait D. Basil. *hom. 10. in Genes.* cum germano Nyss. *homil. de creat.* & Chrysost. *ad hunc loc.* Ita D.Bonau. *art.2. quæst. 1.* Et quia intellectiuus est, &c. cum D. August. *tract.8. in 1. epist. Ioannis.* Sic *quæst.1. fund.4.* ... arguit, eum esse imaginem Dei, quia is est actus hominis nobilissimus. (Intellige comparatum actibus potentiarum inferiorum, non voluntatis:) Et quia est summi boni capax cum D. Greg. Nyss. *in Hexaëmer.* D.Aug. *14. de Trinit. cap.8.* Ità *quæst.1. & seqq.* sæpè: Et quia est liber, cum Damas. *lib. 2. de fide, cap.12.* Sic *quæstione 1.* quæ suauiter disserit Diuus Bernard. *serm.80. in Cant. medit. cap. primo; serm.1. de Annunc. serm.7. de Adam, lib.2. consid.* apud D. Bonau. *lib. 1. Pharetræ; cap.7.* Et quia ad Deum tendere, vt centrum, inclinamur, cum Chrysost *in cap.18. Matth.* apud D. Bonau. *loc. cit. Pharetræ*: Sic & *quæst.1. & sequenti.*

Concludit Perer. *lib.4. cap.1. vers.26.* duabus suis rationibus, rationem Imaginis: Altera est, quia Homo, supremum naturæ gradum, naturâ suâ attingit, in quo gradu Deus est; habet enim in se naturam rationis, & intelligentiæ compotem super esse Inanimatorum, Plantarum, Brutorum. Hinc verò fit, vt habeat coniunctas dotes simul, quas suprà SS. Patres commemorant. Anima enim nostra est incorporea, immortalis, indiuisibilis. Intellectu, Memoriâ, & Voluntate prædita, libera, capax sapientiæ, virtutis, diuinæ gratiæ, fœlicitatis æternæ, Dei visionis, amoris, ac fruitionis, in dono gratiæ consistentis. Vide D. Bonauenturam *; dist.16.*

Altera ratio minùs principalis Pererij est, 17 quia in homine sunt omnes creaturæ eminenter, sicuti in Deo, non modò naturâ, sed intellectione, quâ fit omnia, vt ait Aristot. *3. de Anima.* Potest omnia quodammodò facere, arte naturam imitando, & imaginatione fingendo, & cogitatione formando. Est finis omnium creaturarum. Est tota in toto corpore, & in quauis parte, absque sui diuisione, diminutioneve, aut inquinatione (nisi ex culpa volita.) Hæc omnia habet etiam S.Doctore, *dist. 16.*

Ex dictis habes etiam, Dei Imaginem non esse in corpore. Enim verò è corpore arguitiuè splendete, eo quod erecto ad sydera vultu, indicet, non esse animal terræ destinatum: Hæc prosequitur Diuus August. *lib.6. de Genes. ad litt. cap.12. & lib.1. de Genes. contr. Manich. cap.17.* D.Bern. *serm.24. in Cant.* Et D.Bonauent. vbique *Opusculorum*: Nulla Phrasis sæpiùs in ore voluitur Seraphici huius, quàm exprobrare homini, qui erectus conditus est, incuruari; & qui Cœlo contemplando destinatus, fimo intendere: Vnde optimè Ouid. *lib.2. Metamorph.*

Pronáque cùm spectent animalia cætera terram;
Os homini sublime dedit, Cœlúmque tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Hinc aliam Phrasim SS.Patrum è loco illo Genes. *Faciamus hominem ad imaginem*: Obseruo. Dicitur autem homo factus ad imaginem, non Imago; quia imperfectè repræsentat Sanctissimam Trinitatem, ad differentiam Filij Dei, qui est Imago Patris adæquata, vt dixi *tract.2. disp.9. sect. 3.* Sic differit D.Ambros. *ad 22. Lucæ.* D.August. *lib.83. qq. quæst. 51.* sed *lib.1. retrac. cap. 26.* retractat id quod dixerat, nusquam hominem dici Imaginem Dei; Hoc enim asseritur prima Corinth. 11. *Vir imago Dei,* Quare *7. de Trinit. cap. vlt.* dicit hominem, ob imitationem, vocari *Dei imaginem*; sed propter distantiam entitatiuam, vocari *factum (ad) imaginem.* Hoc verò dictum à Scholasticis asseritur, & laudatur *in 2. disp.16.* vbi D.Bonau. *dub.3. littera, & in qq. passim.*

Enim verò opponit Peret. *quæst. 6.* dici sæpè *ad imaginem*, aliquem, qui est imago adæquata. Ità Seth. *Genes. 5.* dicitur genuisse Enos ad imaginem, & similitudinem suam; Filius autem est adæquata Patris imago. Concludit ideò dici ad imagi-

nem eum, qui distinctus est naturâ, vel specificè, aut genericè, quo pacto differt homo à Deo; vel indiuiduè, vt Seth ab Enos: Cùm autem Filius Dei sit eiusdem naturæ cum Patre, non dicitur ad *Imaginem*, sed *Imago*. De his, *tract.* 2. *disp.* 9. *sect.* 3. satis actum est, vbi id à Diuo Bonauent. expressum inuenies.

ADHVC S. Doctor *dist.* 16. *quæst.* 1. vocat hominem imaginem, & *quæst.* 2. naturalem, sed non connaturalem, quia non est eiusdem naturæ.

ADVERTIT autem *ibi* non rarò, ad imaginem non exigi identitatem naturæ, (etsi, quæ talis est, exactissima sit) sed sufficere imitationem proportionatam; & ordinem ad Exemplar; Talemque ostendit animam.

17 OB multas causas Imaginem suam Deus hominis in anima cudit, vt refert Perer. *quæstione* 8: Prima, vt Dei bonitas eniteret, qui tantus cùm sit, non renuit alios sibi similes; cùm homo id renuat pati.

SECVNDA, vt creaturæ corporeæ hominem reuererentur. Sic indicat *Genes.* 9.

TERTIA, vt homo, cui mundum donarat, diuini iuris esse agnosceretur.

QVARTA, vt cum eo iniret amicitiam, vt innuitur Prouerb. 8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.*

QVINTA, vt homo, qui in creaturis Deum potest contemplari, multò perfectiùs in seipso ipsum admiraretur.

SEXTA, vt esset infinitatis, & Diuinitatis quodammodò capax, indéque omnia bona ab eo obtinere speraret.

SEPTIMA, sicut Rex, vrbe extructa, imaginem suam in medio erigit, quantùm valet exquisitam, quæ à nullo perficiatur, à nullo offendatur, aut conspurcetur sub læsæ maiestatis reatu; ità Deus, mundo extructo, in medio suam erexit imaginem, quam ipse solus gratiis exornaret, quam nullus conspurcaret: &c.



QVÆSTIO III.

An esse IMAGINEM DEI *sit* HOMINI *naturale inseparabile.*

D. Bon. dist. 16. secundi sent. q. 2.

18 HOMO dicitur creatus ad imaginem, & similitudinem Dei; vbi nomen *Similitudinis* potest significare excellentiam imaginis, vt aliqui volunt, vt docet D. Thom. *quæst.* 93. *art. vltim.* Ideò *Sap. cap.* 2. videtur dixisse: *Creauit hominem ad imaginem similitudinis suæ*, vt notat Suar. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 29. Hunc tamen modum confutat Diuus Augustinus; quia non est imago, quæ non sit similitudo, vt notat D. Bonauent. *dist.* 16. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 4.

COMMVNIS verò sententia est, per imaginem, Naturam; per similitudinem, Gratias intelligi: Ità Diuus Ambros. *lib. de dignitate conditionis humanæ, cap.* 2. *&* 3. & *lib.* 6. *Hexaëmer. cap.* 7. Origenes, *lib.* 3. *Periarch. cap.* 6. Chrysost. *homil.* 9. *in Genes.* Basil. *homil.* 10. Nyss. *homil. de creatione hominis*, Theodoret. *quæst.* 20. *in Genes.* Hieronym. *Ezech.* 28. Irænus, *lib.* 5. *cont. hæres. cap.* 6. & cum his D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 16. *art.* 2. *quæst.* 3. & *dist.* 20. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. quos sequitur Suarez, *lib.* 3. *de creatione hominis, cap.* 8. *num.* 30. licèt priorem etiam laudet sensum, *num.* 31. Bellarminus, *tom.* 3. *col.* 4.

SI hic est sensus verus; sequitur, manere Imaginem, etiamsi gratiæ amittantur. Imò, etiamsi primus stet sensus, qui est maximè litteralis, vt notat Suar. *num.* 31. adhuc inter Catholicos patet.

FVERE tamen dicentes, hominem per peccatum amittere imaginem Dei. Ità Origenes relatus à D. Hieronymo *epist.* 60. vbi eam Sententiam hæreticam proclamat vnà cum D. Epiphanio *in epist. ad Ioannem Episcopum Hierosolymit.* ad quem etiam D. Hieronymus scripsit; & *hæres.* 70. Hunc errorem excitarunt Nouatores hæretici blaterantes, abolitam per peccatum imaginem Dei in nobis. Imò Matthias Illyricus clamat, Hominem in imaginem diaboli transformatam: Eum verò refutant Gregorius de Valent. *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 12. *punct.* 1. quem insanum iure clamat etiam *tom.* 1. *disput.* 7. *quæstione* 3. *punct.* 1. *col.* 1106. Suar. *lib.* 3. *adducto, cap.* 8. *num.* 32. Eadem insaniâ laborat Caluinus, relatus à Bellarmino *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 25. §. 65.

ASSERO tamen cum Catholicis omnibus, Hominem peccando non amisisse, vel amittere Imaginem Dei: Est de Fide. 19

PROBATVR à D. Bonauent. *argumentis primo præcipuè loco.* Quod inest alicui secundùm essentiam, & potentias intrinsecas, est inseparabile. Talis est imago Dei in homine, quæ est ratione essentiæ, & potentiarum, Memoriæ, Intellectus, & Voluntatis: Ergo. Hoc argumento vtitur etiam Suar. *loc. cit.* Maior est certa. Minor probatur ex D. August. 12. *de Ciuitate Dei, cap.* 23. & *tract.* 8. *in primam epist. Ioannis, serm.* 27. *de verbis Apostoli*, & *serm.* 64. *de verbis Domini.* Ex Bernardo, *in lib. Medit. cap.* 1. & latè probatur à D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 3. *part.* 1. per multas quæstiones, & ostendi, *quæstione secunda.*

IDEÒ D. August. *lib.* 2. *retract. cap.* 24. exponit quidquid dixerat 6. *de Genes. ad litt. cap.* 24. 27. *&* 28. scilicet Adam peccando amisisse Dei imaginem, Non sic accipiendum esse, tanquam in eo nulla remanserit, sed quod tantum sit factus deformis, vt reformatione opus haberet. Idem verò D. August. hoc passim reficiat, imaginem Dei per peccatum conspurcatam. Hoc vult *in Psal.* 72. ad ea verba: *Imaginem illorum ad nihilum rediges*, idest, similitudinem secundùm gratuita, vt notat etiam D. Bonau. *in* 1. *dist.* 3. *part.* 2. *dub.* 1. *litt.* exponens hunc locum Psalmi, nempè, amissam quoad decorem: *Quia Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis, & similis factus est illis*, vt tangit etiam D. August. 12. *de Trinitate, cap.* 11. Porrò, si quid alicubi dixit, Imaginis redolens destructionem, retractat *loc. cit.* vt notat Perer. *lib.* 4. *quæst.* 7. *de Creatione.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. id, quod est à natura ex vi substantialis creationis non amittitur, eadem specie manente naturâ: Sed imago Dei est à Deo ex natura productionis substantialis. Ergo. Maior est certa: Quomodo enim natura mutatur secundùm speciem, & manet ipsa natura specificata? Minor conceditur ab Illyrico, relato à Bellar. *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 3. *col.* 265. qui hoc eodem nititur fundamento. Imaginem verò à natura ipsi substantiæ animæ inditam ostendit S. Bonau. *tota quæstione.*

OBIICIT primò: Filius imitatur Patrem, & est eius imago; sed peccatores sunt filij diaboli, Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis.* 20

RESPONDE

Respondetvr ex D.Bonau. *in 3.distinct.10. dub.4. litt.* multis modis inter nos dici aliquem filium: Filius enim est, qui est ab alio similis, vel in vnitate essentiæ; sicuti est solus filius Dei: vel diuersitate; & hoc tripliciter, secundùm triplicem modum conformitatis: Aut enim conformatur quoad rationem imaginis naturalis; & sic est filius creatione: Aut quantum ad rationem imaginis, & similitudinis, quæ attenditur in gratia, & donis gratuitis; & dicitur filius per adoptionem: Aut conformatur in natura imaginis, sed discordat per deordinationem voluntatis, sicut homo peccator; & hic dicitur filius nuncupatione Dei, sicut Abraham dixit ad diuitem: *Recordare fili*, eo igitur sensu potest dici non filius Dei, & dissimilis, quatenus per actus, & malos habitus, voluntas deordinatur, quòd amisit filiationem adoptionis fundatam in gratia: Attamen adhuc ratione naturæ est similis Deo, & filius creatione; atque adeò dicitur filius Diaboli solùm deordinatione voluntatis, & in hoc imago eius: Sic intelligendus locus Ioannis. Vide D. Bonauenturam *ad eum locum*, & ita per conuersionem renouatur homo secundùm imaginem, vt habetur *Collossens.3.* idest, iuxta similitudinem in actibus, & filiationis adoptionis: Itaque renouatur secundùm habitus, & actus; non secundùm naturam, vt notat Diuus Bonauentura *eo dub. litt.* & post eum Bellarm. *Tomo 3. libro 5. capite 3. colum. 266.* Neque ex eo, quod peccator non est filius adoptiuus Dei, colligitur non esse imago; nam, licèt omnis filius sit imago; non tamen omnis imago est filius, vt patet in imagine picta, vel sculpta.

Nota verò ex Diuo Bonauentura *ad argumenta*, Hominem esse naturâ imaginem Dei; Licèt enim Deus non per naturam, sed voluntate liberâ naturam ei dederit; Attamen dedit talem, quæ imitetur naturam Dei, non consubstantialitate, sed proportione.

Ex hac doctrina D. Bonauent. & ex *distinct.16. quæst.1. fundamento 3.* eruitur aliud argumentum. Manente libero arbitrio, manet imago Dei: Sed in homine manet Liberum arbitrium post peccatum: Ergo. Maior probatur ex Patribus Damasceno *libro 2. de fide, capite 12.* Bernardo *lib. de libero arbitrio, & gratia, & Serm. 1. de Annunciatione*, Ambrosio *lib. 6. Hexaëmer. capite 8.* Nysseno *lib. de Hominis opif. cap. 4.* qui in Libero arbitrio ponunt imaginem Dei: Minor probatur ex dictis *disputatione præcedenti, quæstione 2.* Præterea probatur à Diuo Bonauentura *loco citato*, quia homo peccator potest Diuino auxilio ferri in Deum, in quo omnes Patres ponunt imaginem. Vide Valentiam *Tom. 1. disput. 7. quæst. 3. punct. 1. col. 1107.*

QVÆSTIO IV.

An Imago Dei reperiatur etiam in Angelo.

{D. Bonau. d. 16. q. 3.
{D. Th. q. 93. art. 9.

21 Fvit opinio Theodoreti *quæst. 20. in Genes.* Angelos non esse ad Dei imaginem.

Commvniter tamen Scholastici asserunt, etiam Angelum esse ad Dei imaginem.

Probatvr à Diuo Bonauent. *in opusc.* & hic *artic. 2. quæst. 1.* ex illo Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis.* Quo testimonio ad id vsus est D. Gregorius *Homil. 34. in Euang.* & omnes ferè Scholastici.

Probatvr secundò à D. Bonauentura *hic, argumentis secundo loco*, primò ex D. Dionysio *cap. 7. de Diuinis nominibus.* Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis.

Secvndò, quia eò Anima est Imago Dei, quò capax eius, & particeps esse potest, ex D. Gregorio Nysseno, *Oratione Catech. cap. 5.* & D. Augustino *lib. de quantitate animæ; cap. 2. & 14. de Trinit. cap. 8.* Sed hoc reperitur etiam in Angelis: Ergo.

Tertiò. Nobilissima creaturarum conditio debetur nobilissimæ creaturæ; sed esse imaginem Dei, est nobilissima creaturarum conditio: Ergo debeatur Angelo nobilissimo, inter creaturas.

Qvartò. Imago inest animæ secundùm partem superiorem, vt ostendit *in 1. distinctione 3. p. 2. quæstione 2.* sed in illa portione etiam Angelus excellit: Ergo.

Qvintò *in corpore*: Quod imitatur Creatorem Deum, secundùm eius esse proprium, est eius imago; Sed Angelus imitatur Creatorem secundùm esse intellectuale, quod est proprium Dei: Imò excellentius imitatur, quàm homo: Ergo. Maior ostensa est *quæst. 2.* Minor verò *in Tract. de Angelis.* His ferè mediis vtuntur Suarez *Lib. 3. de hominis creatione, cap. 8. num. 19.* Valentia *Tom. 1. disput. 7. quæst. 3. puncto 1. col. 114.* Perer. *lib. 4. de Homine. quæst. 8.* Vide D. Bonauenturam.

12

QVÆSTIO V.

An principaliùs in Angelo, quàm in Homine sit Imago Dei.

{D. Bonau. d. 16. art. 2. quæst. 1.

Assero Angelum exprimere principaliùs, & perfectiùs Dei Imaginem, quàm Hominem. 21

Probatvr à D. Bonau. primò ex illo Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis*, vbi D. Gregorius: *Quantò subtilior est natura, tantò Imago diuinitatis similius insinuatur impressa.*

Secvndò. Sapiens artifex in nobiliori tabula, nobiliores pingit imagines, quæ non solùm lineis sint adumbratæ, sed coloribus perfusæ, ac subtiliter musculos, venas, &c. exprimant: Sed Imago in creatura est velata pictura: Ergo in Angelo, qui est nobilior, est perfectior.

Tertiò. Eò homo est imago Dei, quò capax eius, ex dictis *quæst. præcedenti*: Sed Angelus est capacior: Ergo est imago perfectior.

Qvartò. Imago attenditur in nobilitate naturæ rationalis in tribus potentiis: Sed hæ nobiliores sunt in Angelo, habente intellectum viuaciorem, atque adeò similiorem Deo secundùm id, quod est proprium Dei: Ergo.

Qvintò *in corpore.* Imago in Homine attenditur in Principatu, & Dominio super creaturas ex D. Gregorio Nyss. ad illud: *Faciamus Hominem*, Et D. Basil. *Homil. 10. Hexaëmer.* & conceditur à Theodoreto, *loco citato*, vt notat Suarez *lib. 3. capite*

pite 8. *num.* 18. Sed in hoc Angeli excellunt, vt dicitur Ecclesiastici 17. *In vnaquaque gente præposuit rectores*, Glossa 1. idest, *Angelos*. Ideò Paulus vocat Dominationes, Principatus; *Cellos* 1. *Ephes.* 3. 6. & *Danielis* 10. dicitur Michaël Princeps Hebræorum; alius dicitur Princeps Persarum. His mediis vtitur Suarez, *loco citato*.

Obiicit Theodoretus, in Scriptura non dici, Angelum ad imaginem Dei.

Respondetur, id adducto exprimi illo Ezech. Addit S. Doct. *in Genes.* non exprimi, quia non agit de eo distinctè: Sic *quæst.* 3. *ad* 1.

Addit verò D. Bonau. hominem in aliqua re expressiùs esse Imaginem. Vide ipsum *in corpore*, vbi animam in eo magis similem Deo, ait, quia est finis creaturarum corporearum, & quia est tota in toto paruo mundo; Sicut Deus in magno.

QVÆSTIO VI.

An inter Homines *principaliùs sit* Imago Dei *in Mare, quàm in fæmina.*

{D. Bonau. art. 2. q. 2.
D. Thom. q. 93. art. 4.}

Theodoretus *quæst.* 20. *in Genes.* quem sequitur Anastasius, Nyssenus negat, in fœmina esse imaginem Dei.

23 Assero tamen cum D. Augustino 12. *de Trinitate, capite* 7. Basil. *Homil.* 10. *Hexaëmer.* S. Gregorio *de Opif. hominis*, D. Bonauentura hîc, & D. Thoma.

Probatur à D. Bonauentura ex illo Genes. 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem suam, masculum & fœminam creauit eos*, quæ verba ponderans D. Augustinus ait: *Ad Imaginem Dei naturam ipsam humanam factam dicit, quæ sexum vtrumque complectitur, nec ab intelligenda imagine Dei separat fœmina.* Confirmatur ex similibus verbis, *capite* 3. *Genes.* quibus verbis vtitur Suarez *loco citato*, Valentia *col.* 1105. Arriaga *disp.* 36. *num.* 15.

Confirmatur secundò à Diuo Bonauentura, ex illo Genes. *Faciamus adiutorium simile sibi*: Ergo simile etiam Deo. Probatur Consequentia; nam Masculus est similis Deo.

Probatur à Diuo Bonauentura, ad hominem, omnibus illis mediis, quibus Theodoretus probat de Masculo; nam etiam Fœmina est capax Domini; est Intellectiua. Adde quod habet Liberum arbitrium, conuertitur in Deum, participat de Diuina Bonitate in Beatitudine, &c.

Addit verò Sanctus Bonauentura, Marem esse exquisitiori ratione Dei imaginem, quia est Dominus, & Caput mulieris, quæ ad illam ordinatur: Ipsum vide.

QVÆSTIO VII.

An Primi Homines *creati sint perfectâ naturalium Scientiâ præditi.*

{D. Bonau. d. 23. art. 2. quæst. 1.
D. Th. q. 94. art. 3.}

Caietanus *ad* 2. *Genesis* dixit, Adamum agnouisse quidem animantium naturas; non tamen Elementorum, Cœlorum, & Astrorum. Horum enim Scientiam illi docet esse reseruatam, *qui numerat multitudinem stellarum*. Psal. 146. Ideò ait Adam solis bestiis nomen imposuisse.

Concors est tamen Patrum, ac Theologorum sententia, Adamum creatum, perfectâ fuisse rerum naturalium Scientiâ præditum. Vide Magistrum 2. *dist.* 23. ibique Scholasticos, Hugonem de Sancto Victore, *lib.* 1. *de Sacram. part.* 6. *cap.* 12. ad quem S. Doctor remittit. 24

Probatur primò à S. Doctore *ad* 7. *Eccles.* Ex illo Eccles. 17. *Deus de terra creauit hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum. Creauit ex ipso adiutorium simile sibi. Creauit illis scientiam, &c.*

Probatur secundò à D. Bonauentura, ex illo *Genes.* 2. vbi narratur Deus, adduxisse animantia ad Adam, vt singulis nomina imponeret; & subdit, Hoc esse verum proprium nomen, quod Adam imposuit. Hinc arguit S. Doct. Vt aliquis nomen alicui rei imponat, necesse est, vt rei naturam noscat: Adam omnibus creaturis nomina imposuit, Dei decreto, perpetuò retinenda: Ergo. Hoc argumento, quoad viuentia, adhibent Hugo de Sancto Victore, vt suprà D. Chrysost. *Homil.* 14. *in Genes.* Eusebius *lib.* 11. *de præpar. Euang. cap.* 4. Suar. *lib.* 3. *de hominis creat. cap.* 9. Pererius *lib.* 5. *de statu Innoc. disp. de Scientia Adæ, quæst.* 1. At Sanctus Bonauentura, cæteris eleuatior, addit, hinc colligi etiam Scientiam Elementorum, & mixtorum, quæ in animalibus continentur; imò & Cœlorum, quorum virtute hæc generantur: Non enim esse potest perfecta de sublunaribus scientia sine Astronomia, quæ influxus, & effectus inferiores continet. Imò subtilius progreditur, & infert, Ideò Adamum Viuentibus nomina imposuisse, vt tanquam Rex gubernans ea sibi subiecta ad obediendum aduocaret: Sic enim nos solemus animalibus nostris nomina imponere: Cùm autem, non tantùm animalium, sed elementorum, atque Cœlorum Princeps factus esset; sequitur, omnibus sensibilibus imposuisse nomina, cum, qui erat Pater orbis terrarum constitutus. Hoc elicit S. Doct. ex *cap.* 10. *Sapientiæ*, vbi, cùm Spiritus Sanctus hortatus esset mundi Rectores ad sapientiam acquirendam, describit necessitatem sapientiæ, collatæ Adamo, constituto Patri orbis terrarum, cui demandata est etiam custodia, & conseruatio Paradisi, in quo positus est, vt operaretur, & custodiret illum; imò & Maria, & alia Elementa, & mixta. Quare bonus hic 26
terræ cultor tenebatur scire naturas elementi terræ, ac vegetabilium, necnon plantarum, temporum, aërisque mutationes, Cœlorum constellationes ad serenitatem, ad pluuias, ad accrementa vegetabilium, nutritionesque eorum, atque sensibilium.

Calluit

Calluit nauticam artem, modum expiscandi Vniones, gemmas, ac totam Rempublicam aquatilium, terrestrium, & aereorum: *Hæc* (ait Sapiens) *Hæc* (scilicet Sapientia) *illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, &c. & dedit illi virtutem continendi omnia*; idest dominandi, & gubernandi, vt ait S.Doct. ibi, & hic *ad argum.*

27 HINC tertiò arguit S. Doct. Pater, & Rector omnium debet omnes regere in operando, & instruere, vt colligitur etiam ex Arist. 1. & 2. *Metaph.* Iam verò Adam erat constitutus Pater vniuersi, & Monarcha ab ipso Deo, qui idoneos Ministros facit constitutos à se ad quæcunque officia: Ergo. Vrgeo cum D. Bonau. Adam destinatus est ad omnia continenda in summa tranquilitate iocunditate, & fœlicitate, prouidendo hominibus cibos aptos ad perpetuam corporum sanitatem; suggerendo salutaria monita ad vitam illam naturalem beatam. Imò ad instruendos ad Dei cognitionem, ad gloriæ consecutionem, &c. Quanta igitur Sapientia tali Magistro Gentium, ac Orbis Monarchæ à Diuina Sapientia infusa est. Est argumentum D. Ioannis Chrysostomi *loco citato*, quod refricat S. Bonau. etiam *in Prologo* 2. *Sent.* eoque vtuntur Valentia *disp.* 7. *quæst.* 1. *punct.* 1. *col.* 1093. Suarez *loc. cit. num.* 3. Perer. *à num.* 19. magnam vim facit S.Doctor in eo: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, etiam Lunam, & stellas. Psal. 8. Quare altam de eis, & tritam profectò habuit Sapientiam.

PROBATVR quartò à S. Bonau. Si Adam aliquarum rerum fuisset ignarus, cùm à natura omnis homo scire desideret, vixisset anxius, egensque educi de potentia in actum à rebus vilibus, tanquam ab existentibus, quantum ad illum, in actu; erroribus fuisset obnoxius, quæ sunt pœna condemnati, non homine insonte fœlicissimo digna, vt ait D. Augustinus apud Perer. qui hoc vtuntur argumento: At S. Doct. in fine monet, non vrgere quoad id constituendi in actu, quia obiectum non agit in animam, & solùm est materia, ex qua anima educit species, vt dicam, *quæst.* 10.

28 QVOD verò ait Caietanus, scientiam Astrorum, atque Elementorum Deo reseruatam; redarguendum cum D. Bonau. ad 7. Sap. *Ipse dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, morum mutationes, & diuisiones temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, vim ventorum, &c.* Ponderat S.Bonau. datam Salomoni scientiam omnium, quæ sunt, seu omnium entium, quæ sunt obiectum adæquatum intellectûs; Nam quod non est, non scitur; Ita enumerat elementa, cursus Cœlorum diurnos per Æquinoctialem, annuos Solis per Eclipticam, mutationes temporum per Quadrantes Zodiaci, motus Lunæ menstruos, generales, & singulos influxus in omnia, ætates, Sæcula, &c. quæ S.Doctor eruditè prosequitur.

29 ORITVR verò quæstio: An Sapientia Adæ aliorum Sapientiæ præcelluerit: Non includo DOMINVM IESVM, in quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei.

QVI potest controuerti, est Salomon, cui Deus Sapientiam rerum infudit, vt dixi. Addit ibi vegetabilium Scientiam, differentias virgultorum, virtutes radicum. Ideò *disputauit de omnibus, à cedro Libani vsque ad hyssopum*, vt dicitur 3. *Regum* 4. Et subdit enarrata sua sapientia de omnibus rebus: *Omnium enim artifex, &c.* indicans, se plurimùm de sapientia increata hausisse, vt notat S. Doctor ad hunc locum, qui antonomasticè dicitur LIBER SAPIENTIÆ; seu Sapientia Salomonis, vt notat Sanctus Doctor initio.

CONSIDERAT Sanctus Doctor ad *primum Eccles.* id, quod ait Salomon: *Præcessi omnes Sapientiâ, qui fuerunt ante me in Hierusalem.* Et id 3. Regum 4. *Et præcedebat Sapientia Salomonis Sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus.* Et id Ecclis. 47. *Impletus est, quasi flumen, sapientia.* Hanc autem retinuit post lapsum. Vnde obseruat Sanctus Doctor, *Proœmio in Ecclesiasten*, hunc fuisse eruditissimum pœnitentialem, quo suas deplorat agnitas vanitates; quod asserunt & multi Patres apud Pinedam.

HIS permotus Abulens. *quæstione* 7. *ad cap.* 4. *tertij Regum*, ait, Salomonem Adamo fuisse sapientiorem. 30

CONTRA verò stat Perer. *num.* 30. Et vt reor etiam D. Bonauent. eo *cap.* 1. *Eccl.* & ad *cap.* 10. *Sap.* Adam enim Monarcha fuit, vniuerso orbi sensibili regendo destinatus, non Regno vni, vt Salomon: Quâ ratione vtitur Valentia *disput.* 7. *quæst.* 1. *puncto* 1.

AD loca allata pro Salomone dico, locum 3. *Regum* exponi illo *Eccl.* vt etiam exponit S. Doctor: Comparat igitur Sapientiam Salomonis cum Regum Orientalium sapientia, maximè Palestinæ; non cum sapientia omnium.

QVÆSTIO VIII.

An fuerit ADAM *præditus Sapientiâ supernaturalium.*

MVLTA sunt obiecta supernaturalia entia, quæ Viatoribus reuelantur.

ASSERO primò, Adamum cognouisse Deum in Essentia vnum, in Personis Trinum. Ità Diuus Bonauentura *in* 2. *dist.* 23. *dub.* 4. *litt.* & *artic.* 2. *quæst.* 3. & *dist.* 18. *quæst.* 1. innuens, ità Patres sentire, quos referam, *assert.* 2. 31

PROBATVR à Sancto Doctore primò. Homo perfectè cognoscens suam creationem, nouit etiam creatorem, atque adeò se conditum Imaginem Sanctissimæ Trinitatis: Adam cognouit suum Creatorem, qui dixerat: *Faciamus hominem ad Imaginem &c.* Ergo: Maiorem probat cum Minori, tum ex Hugone de S. Vict. *de sacr.* tum è D.Epiph. *præf. in lib. contra Hæreses.*

PROBATVR secundò à Sancto Doctore: Nobilior est cognitio status innocentiæ, quàm miseriæ: Sed in hoc agnouit Sanctissimam Trinitatem: Ergo. Maior probatur: Nam status innocentiæ est medius inter statum gloriæ, & miseriæ, vt ait Hugo *lib.* 1. *de Sacrament. parte* 6. *cap.* 14. Et innuit D. Augustinus, 11. *de Genesi ad litt. cap.* 33. apud Pererium, *lib.* 5. *de stat. innoc. quæst.* 4. *num.* 38. Et probatur à D. Bonau. *dist.* 23. passim, & Diuo Thoma, *p.p. quæst.* 94. *art.* 1. ex rectitudine status, & perfectione. Minor probatur à S.Doctore, quia credidit articulos fidei ad salutem necessarios: Ità arguunt etiam Suar. *lib.* 2. *de statu innoc. cap.* 18. Perer. *num.* 35.

ASSERO

32 Assero secundò, Adamum cognouisse Filij Dei Incarnationem, quatenùs est desponsatio Christi cum Ecclesia.

Probatvr à Sancto Doctore, *dub. cit.* ex illis verbis post exstasim, Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem, & adhærebit Vxori suæ.* Quæ verba ait Apostolus ad *Ephes.* 5. continere vnionem Christi cum Ecclesia in Incarnatione, nedum Sacramentum Matrimonij: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*: Sic intelligunt D. Thom. 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 3. & 3. *part. quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 5. Catherin. *in Genes. cap.* 2. Perer. *num.* 37. Valentia, *disp.* 7. *quæst.* 2. *punct.* 1. Vasq. 3. *part. disput.* 12. *cap.* 3. Suar. ad eum locum D. Thomæ, vbi plures adducit Patres, qui dicunt, Adamum cognouisse Incarnationem Filij Dei; atque adeò mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Arriaga, *disputat.* 4. *num.* 30. Ideò Prophetam Adamum vocant Chrysostomus *homil.* 16. *in Genes.* Epiph. *hæresi* 48. Aug. 9. *de Gen. ad litt. cap.* 19. Hier. *ad* 5. *Ephes.* Philo Car-
33 pat. Episcop. *ad* 5. *Cant.* Prosper, *cap.* 1. *de Prædest.* & *cap.* 1. *primæ partis, de prædictionibus.* Hic tamen addit, agnouisse Adamum Ecclesiam nascituram è latere mortui Christi; sicuti Eua è latere suo educta erat: Hoc tamen non rectè dictum videtur; quia hinc sequitur, Adamum præuidisse suam ruinam per lapsum, quod negat Sanctus August. 11. *de Genes. ad litt. cap.* 18. & cum eo Sanctus Doctor, *dub. cit.* Neque infertur ex eo, quod Incarnationem præuiderit, vt monet Perer. è Sancto Doctore, qui id exemplo ostendit: Sicut enim Ioseph præuidit suum Principatum; non tamen media, vt venditionem, carcerem, &c. Ità Adam vidit Verbum incarnandum; nec tamen finem, reparationem, ac redemptionem, scilicet per mortem exantlandam: Videns etiam suum casum, fuisset contristatus contra status innocentiæ conditionem: præuidisse tamen Incarnationem, & in ea profectò Sanctissimam Trinitatem, è qua Verbum veniebat, asserunt Patres indicati à D. Bonauent. suprà, &
34 *in* 4. *dist.* 26. *art.* 2. *quæst.* 1. Ambros. & Anselmus *ibi*, Chrysost. *homil.* 20. *in eam epist.* August. *serm. de Nat.* Tertull. *lib.* 5. *contra Marcionem*, *cap.* 18. & *lib.* 3. *cap.* 5. Leo, *epist.* 22. Bernardus, *serm.* 6. *vigil. Nat.* & *serm.* 2. *Septuag.* & D. Hieronym. *ad* 5. *caput epist. ad Ephes.* vbi ideò dixit Adamum fuisse primum Vatem, qui de Christo prophetauit. Idem ait D. August. 9. *de Genes. ad litt. cap.* 19. Nullus tamen mortem Christi tunc præuisam ait; quia alioqui præuidisset suæ ruinæ, ac lapsus Reparatorem. Tametsi Valentia, vt S. Prosperum id asserentem suprà, ad meliorem frugem reuocet, dicat, potuisse Adam præscire mortem Christi ex charitate adeundam, absque eo quod videret, eam securam ex charitate erga lapsos, ob eorum reparationem.

35 Hinc sequitur, Adam agnouisse vltimum finem gloriæ, ob quem erat conditus ad Dei imaginem, & similitudinem, cuius proprium est, esse capacem Dei, vt suprà ostendi: Adde, eum expectasse bonorum operum remunerationem, quam fide tenebat, vt dicitur Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum; quia est: & inquirentibus se remunerator sit*: Ità necessarium erat, vt suam vitam ordinaret: Sicut enim ad scientiam speculatiuam necessaria est cognitio principiorum; ità ad operationem rectam, finis cognitio, vt indicat Sanctus Bonauent. *Opusc. Reductio artium ad Theologiam*, & sæpe *in Breuil. Centiloq.* & alibi.

Hinc ipsum reor, agnouisse etiam Dæmonum ruinam, vt indicat Sanctus Doctor *ad* 10. *Sap.* vbi dicitur sapientia, Primum hominem custodisse, quod Sanctus Doctor postillat *(ab hoste;)* quia reuelauit proculdubio, cum habere inimicum Diabolum, à quo cauere oportebat, & ad quem superandum auxilia obtinebat, vt ad gloriam peruenerit, à qua ille exciderat, & inuidus impedire satagerit. Idem sensit Catharin. ad ea verba Genesis: *Crescite, & multiplicamini.* Ità & Perer. *quæst.* 4. *num.* 35. nec renuit Valentia.

QVÆSTIO IX.

An cognitio Adæ *supernaturalis fuerit per* Fidem.

Solent è Doctoribus aliqui, Seraphico Bonauent. aliqua adscribere, eò quòd ab alio ea audierint, aut legerint; Pauci enim Sanctum Doctorem integrè perlegunt, vt eius eleuatum spiritum percipiant; etsi multi, vt sibi thesaurizent.

Mvlti adscribunt S. Doctori opinionem, ne- 36
gantem Adamo insonti fidem, *in* 2. *dist.* 23. *art.* 2. *quæst.* 2. & ibidem Gabrieli, *art.* 3. *dub.* 2. Alensi, 2. *part. quæst.* 91. *art.* 2. *membr.* 2. §. 1. & 3. *part. quæst.* 64. *membr.* 8.

Prænotavit S. Doctor, *quæst.* 3. vbi hoc agit (non *quæst.* 2. vbi adducitur,) Viatores quoscumque, etiamsi ad altissimam cognitionem eleuatos ad modum, quo Moyses, inter omnes altius etiam Adamo eleuatus est, adhuc ignotè ascendere, vt ait Sanctus Dionys. *lib. de myst. Theol. cap.* 2. Et in hoc communiter Doctores concordare iuxta id 2. Cor. 5. *Quamdiù sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino; & per fidem ambulamus, & non per speciem*: Itaque non videnti Deum, ait Seraphicus, inesse supernaturalium cognitionem per fidem etiam in statu innocentiæ, etiam ipsi Adamo, de quo ex professo loquitur: Enim verò de fide aliqua obseruat: Vnum est, quod plerumque fit ex auditu externo alicuius catechizantis; & hoc non euenisse Adamo, nec esse ad essentiam fidei docet Sanctus Doctor; Potuit enim à Deo audire etiam intellectu mysteria, creditu necessaria: Alterum præcipuum est, fidem esse cognitionem obscuram,
oppositam cognitioni per speciem, vt ait Aposto- 37
lus adductus: Hæc autem obscuritas, dummodò excludat visionem, & etiam experimentum, retinet essentialem fidei ineuidentiam, vt ait Diuus Gregorius, homil. ad Ioannem 21. *Quia vidisti me Thoma, credidisti.* Alia verò obscuritas addita est ex culpa originaria, eò quòd & materiale obiectum fidei habeatur per sensus hebetatos, & percipitur intellectu obscurato; vnde videntur Ænigmata. Hinc ait Apostolus: *Videmus nunc per speculum in Ænigmate*, Cùm in statu innocentiæ videret quidem in speculo; sed non ænigmaticè; sed aliquâ maiori claritate ex contemplatione alta, ex creaturis: *Inuisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Hæc eadem habet D. Thom. *p. p. quæst.* 94. *art.* 1. vt notant Perer. & Hugo de S. Vict. suprà. Quare non audet Pererius asserere S. Doct. illius sententiæ, quæ ei adscribitur defensorem.

Præclare

38 PRÆCLARE verò Sanctus Doctor *in 2.dist.29. quæst.1.* quærens: An absque dono gratiæ esset primus homo Deo acceptus in statu innocentiæ; Concedit quidem generali quadam ratione, sicut & alia, quæ vidit valdè bona, Genes. 1. *Diligit enim omnia quæ fecit*, vt dicitur *Sap.* 11. At verò negat, fuisse acceptum eà acceptatione, quæ ordinat ad beatitudinem. Primum fundamentum Sancti Doctoris est; quia ad gloriam non ordinatur homo, nisi per gratiam sanctificantem, per quam adoptatur in filium, & acceptatur ad spirituale coniugium, & placet Deo; ad gratiam autem prærequiritur fides, sine qua, *impossibile est placere Deo*, vt ait Apostolus *Hebr.* 11. Quid clarius? Quare etiam, atque etiam miror, Suar. *loc. cit.* & alios, his mediis, contra Seraphicum pugnare.

39 HAC porrò *quæstione, dist.* 23. soluit etiam eximium dubium, quod eius aduersarij nequeunt extricare: Concedunt enim Suar. *num.* 16. Arriaga, *disp.*40.*à n.*25.Fidem esse posse cum aliqua euidentia in attestante; Sic enim Prophetæ dicunt: *Vidi Dominum. Loquutus est ad me*, & similia; Propheticum autem dictum non differt essentialiter ab articulis fidei: Iam verò hæc euidentia attestationis videtur destruere fidem? nam si euidens est, Deum esse, qui loquitur; euidens etiam est, id esse verum, quia Deus est prima VERITAS, quæ mentiri non potest.

RESPONDET Arriaga cum Suarez, eam euidentiam non esse supernaturalem immediatè, vt ità cognoscat: Deus mihi hoc astruit; sed mediatè, vt primò audiat: *Ego Dominus loquor tibi.* Ille autem homo iudicat: Aliquis mihi locutus est, dicens, se esse Deum; non autem: *Deus locutus*, cùm non videat eum. Postea discurrens: An alius sit, qui loquebatur; Hinc potest conclusionem hanc inferre naturalem. *Verè Deus est, qui me alloquutus est*; qui actus est euidens, si ex euidentibus deductus est propositionibus per bonam consequentiam: Adhuc verò non est euidentia superna, sed naturalis.

HI Doctores, vt probo, aberrant: Sic autem eos redarguo: Omnis conclusio eatenùs erit euidens attestatione; si sit è propositionibus ex præmissis euidentibus deductas: Sed non est deducta hæc ex euidenti: Ergo, &c. Vtraque præmissa est vestra, Consequentia est bona. Maior adhuc probatur è regula Prioristica: Cùm enim præmissæ causent conclusionem, nequeunt dare supra id, quod habent. Minor probatur, quia fundantur in hac propositione: *Vnus locutus est, qui dicit, se esse Deum; Sed nescio: An sit.*

40 SATIVS esse à Seraphico discere, quàm eum carpere: Optimè autem sic edisserit: Omne ens cognoscitur, quatenùs est potentiæ præsens, vel immediatè per se, vel per aliquid sui, siue id sit similitudo, & species, siue effectus, siue signum, siue alius enarrans, quæ audiuit, aut vidit: His modis cognoscitur & Deus. Primò quidem modo solis beatis est præsens: Quare ostendi, *tract.* 1. *disp.* 11. *quæst.* 18. Deum non esse visum Adamo in via, quod etiam mox probabo. Cæterùm modus cognoscendi Deum ex auditu alicuius, est modus ordinarius, quo vt plurimum discimus Deum fidei obiectum; sed hic modus est Ænigmaticus, & obscurus, tum ex parte obiecti, quod repræsentatur, quasi Ænigma; vt Deum esse vnum, & trinum; tum ex parte docentis, qui obscurè eas res nouit ex auditu alterius, qui habet sensus, & intellectum è peccato hebetes, similiter & discens. Ità materia fidei obscurè traditur: & obscuriùs ediscitur. Tali modo non fuit edoctus Adam, nec fidem his conditionibus affectam habuit; cùm nullus alius, præter Deum, ipsum instrueret; & ipse intellectu præclaro, esset præditus.

ENIM verò hinc, non negat, Adamum habuisse fidem essentialiter; sed astruit, & probatum relinquit ex allato loco Apostoli, 2.*Cor.*5. Duæ enim relatæ conditiones fidei sunt accidentales. Altera quidem, quod ex auditu sit; quia etsi, vt plurimum ita discantur articuli; non tamen semper, vt apparet in multis instructis miraculosè: Altera verò, nempè obscuritas Ænigmatica, ei accidit ex hæreditata per peccatum cæcitate. 41

RESTANT duo alij modi, quibus Deum ediscamus; quibusque Adam insons didicit, nempè ex præsentia Dei in effectibus, putà creato Orbe, eiusque harmonia, & è signis apparitionum; quibus Deus Adamum erudiit de rebus ad salutem necessariis. His modis habuit euidentiam in attestantibus signis, sentiens se, absque phantasmatum, & sensationum ope, ad altam rerum diuinarum contemplationem mirificè euectum: Cognoscens docentem, & si in peregrina imagine, cor sibi præuadere, intima cogitationum, & intentionum cordis penetrare, &c. Habuit in effectibus euidentiam, videns orbis harmoniam, quam nullus, præter Deum, poterat concinnare: Vidit suam, atque Angelorum præstantiam, quam nulla manus, nullaque sapientia, præter diuinam, conderet. Audiens autem loquentem sibi eum, qui medullitus cor penetrabat, &c. dicentem: *Ego sum Deus Conditor orbis*; Et sciens eos effectus a solo Deo esse posse, habuit euidentiam attestantis, non immediatam, sed mediatam, non scientificam, sed prudentem, & credidit adhuc fide, quæ solâ immediatâ præsentiâ euacuatur, vt ait Apostol. *prima Cor.* 13. & D. Gregor. homil. in id Ioan. *Quia vidisti me Thoma, credidisti*, Et habetur in Breuiario in eius Festo. 42

HINC etiam infert Sanctus Doctor, eodem ferè modo nos habere euidentiam in attestante de rebus creditis mediatam, nempè ex miraculis, signis, &c. vt dixi *tract.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 9. Adducit Sanctus Doctor apparitionem Spiritûs Sancti in Columba ad Iordanem, vbi ex voce corda persuadente, & aliis miris, potuerunt habere euidentiam de illo articulo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Adducit alias Patribus exhibitas apparitiones; in quibus habebant euidentiam prudentem de reuelatis. 43

CONCLVDIT igitur S. Doctor; non exclusum fuisse fidei assensu, siue à Patribus, siue ab Adam, quod ex Apostolo, vt vidimus, probatum relinquit. Quare immeritò carpitur S. Doctor.

CONCLVDIT secundò, Adamum in via non vidisse Diuinam essentiam. Id probat Exodi 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam*: Quæ asserta, cùm sint vniuersalia, nec habeant in Adamo exceptionem, de ipso etiam concludunt, vt monent Arriaga *disp.* 40. *num.* 21. Suar. *lib.* 3. *cap.* 18. Et latiùs ostendi, *tractatu* 1. *disp.* 11. *quæst.* 18.

PROBATVR à S. Doctore tertiò, ratione Apostoli 2. *Cor.* 5. Conditio viatoris, & quiescentis in Patria sunt oppositæ; vt alter ambulet Peregrinus per cognitionem obscuram; alter, quiescens in Patria, Deum clarè videat. 44

PROBATVR quartò à S. Doctore. Beatus necessariò Deum amat, nec potest peccare: Adam peccauit: Ergo saltem aliquo tempore Deum non vidit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

An primus HOMO *proficere potuit in scientia.*

D.Bonau.in 2.dist.23. art.2.quæst.1.
D. Thom. quæst.91. art.3.

45 NOTAT S. Doctor triplici modo aliquem in aliqua scientia posse proficere. Primò ex parte scibilium, plura cognoscendo indiuidua distinctè; scientiæ enim habitus continet essentialiter solas species vniuersalium, atque indiuidua, quoad essentiam, puta Physicus naturam humanam: at indiuidua quoad omnes circumstantias non includit, & ità noua videndo, potest proficere. Hoc tamen potest apud D. Bonauent. fieri sine nouarum acquisitione specierum ab eo, qui omnes species rerum habet, vt de Angelis disserui *Tractat.4. disputat.2. quæst.6.*

SECVNDO potest proficere quoad modum sciendi, dum nouis modis agnoscit; vt si habeam scientiam de homine, quod sit sensibilis, rationalis, postea id experiar; vel si intellectui infusum id habeam; mox per sensus hauriam huius rei species.

TERTIO potest proficere ex noua maiori habilitatione, & facilitate; vt, dum habitum de Cœlorum natura habeo, assiduæ Astronomicos discursus frequentando, acquiram promptiorem habitudinem ad discursus de Astris.

46 NOTAT secundò, inter scibilia, aliqua esse naturali cursu necessariò euenientia; alia contingenter. Rursus, hæc vel è causis esse naturalibus, quæ possunt impediri; vel ex liberis. Alia verò sunt ordinis superni, vt reuelata, quæ naturali viâ fieri, aut percipi nequeunt.

HIC suppono ex dictis *quæst.7.* Adamum habuisse omnes habitus scientiarum, atque adeò scibilium naturalium. Ideò supponens etiam, eos à Deo infusos perfectos, non diuisi *in primo Notando* scibilia plurium habituum.

ASSERO primò, potuisse Adamum indiuidua noua percipere, etiamsi habitum scientificum haberet. Vide, quæ dixi *Tract.4. loco citato*, eadem enim est ratio quoad hoc in Homine primo, & in Angelo; quia scilicet vterque habuit species omnium rerum, quæ, ad præsentiam obiectorum excitatæ, repræsentabant etiam conditiones indiuiduales, puta ad præsentiam Petri species hominis, species statutæ tantæ, & talis figuræ, coloris talis, &c. & ità componens species, nouam obtinet cognitionem, non nouas species. Vide *locum citatum.*

47 ASSERO secundò, eum potuisse tamen quoad naturalia proficere, nouis modis discendo, putà experimendo id, quod scientificè nouerat; & accipiendo per sensus ea, quæ intellectui à Deo immediatè erant impressa. Patet; Vidit enim successiuè plurima indiuidua plantarum eiusdem speciei, puta Palmarum, & egebat species excitari, & componi, vt distingueret conditiones accidentales, eas singulas indiuiduantes, sensibus ostendentibus experimento per species sensibiles, talem esse naturam palmæ, huius & illius diuersa accidentia, staturam, ramos, &c. Hæc autem est noua notitia, quam tamen potius vocat S.Doctor modum nouum; quia non accipitur noua cognitio scientifica de vniuersali, seu de essentia, quam S. Doctor ibi vocat nouam de obiectis scibilibus cognitionem.

OBIICIT verò sibi, quia eguisset constitui in actu à rebus sensibilibus etiam vilioribus, quod videtur dede ens Adæ intellectum.

RESPONDET S. Doctor, id non sequi; obiectum enim non agit in animam, nec eam perficit, vt docet D. August. *lib.6. musica, cap.5.* sed ipsa anima ex obiecto, materiâ specierum acceptâ, agit in se, se ipsam perficiendo, vt latè ostendi *Tract.9. disput.4.quæst.10.*

ASSERO tertiò, potuisse Adamum in cognitione naturalium, quoad aquisitionem maioris facilitatis in discursu, & consideratione, proficere. 48

PROBATVR à S. Doctore; quia, licèt haberet habitum perfectum, puta Astronomiæ; tamen ex Vegetatiuæ occupationibus diminuebatur naturaliter Sensitiuæ vigor ad obiecta, & Intellectiuæ ad species contemplandas. Quantò enim intenditur in suis actibus vna potentia, tanto diminuitur de intensione actuum alterius, atque adeò frequentibus actibus facilitas maior aquiritur, esto non intensioribus ipso habitu; quod tamen non necessariò infertur, potest enim anima actus viuaciores elicere, vt videmus etiam, quando omnium consensu intendimus habitum acquisitum, de quo habui quæstionem *sect.3. disput.9. Tractatus 9.* vnde *quæst.5.* cum Suarez negaui habitus intendi per actus remissiores; attamen data etiam æqualitate seu paritate intensionis actuum cum habitu, potest addi aliqua habitui accidentalis perfectio; Nam semper aliquid operantur illi actus, saltem relinquendo potentiam expeditiorem ad tales discursus.

HINC non rectè Suarez *lib.3. cap.9. num.28.* carpit Seraphicum, quasi dicat, per actus, æquè ac habitum intentos, intensurum Adam suos habitus substantialiter. Nam S.Doctor asserit, augeri solam facilitatem accidentalem, dicens: Sic promptior fieret & paratior ad iudicandum de his rebus, quarum habebat habitum innatum. Deinde potuit, vt dixi, habitus esse infusus, quoad essentialia quidem perfectus, sed à Deo, qui se adaptat modis naturæ conuenientibus, vt posset maior facilitas acquiri. Sic etiam infunduntur infanti in Baptismo habitus Fidei, Spei, & Charitatis, vt adultus valeat exercitio actuum talis virtutis maiorem facilitatem acquirere; imò vt posset habitus illos reddere intensiores circa eadem scibilia acquisitione nouæ maioris radicationis scibilium. Cum D.Bonau. sunt Alensis, Ægid. & alij: Quidquid sit; accidentalem profectum nullus negabit. 49

ASSERO quartò potuisse Adamum absolutè proficere in cognitione contingentium naturalium.

PROBATVR ex dictis *tract.4. disp.2. quæst.10.* vbi idem de Angelis dixi. Non est autem in scientia superior Adam Angelis, vt notat, & arguit S.Bonauent. hic. 50

ASSERO quintò, potuisse Adamum absolutè proficere in cognitione contingentium liberorum.

PROBATVR à S. Doctore; quia, si penetrasset omnes arcanas cogitationes, & volitiones aliorum, frustrà fuisset loqui.

PRÆTEREA nec Angeli ea norunt: Ergo neque homines. Ratio est, quia sunt Arcana, Deo reseruatæ, vt ostendi *tractat.4. disput.2. quæstione 12.*

ASSERO sextò, Adamum potuisse proficere absolutè in scientiâ rerum supernaturalium.

PROBA

Probatvr à S. Doctore: Quod Angelis negatur, etiam in gloria, non conceditur homini in via; sed Angelis etiam beatis negatum est, scire a principio gloriæ omnia superna: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur à S. Doctore ex *cap. 3. ad Ephes.* vbi Apostol.ait: *Vt innotescat Principatibus, & potestatibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei.*

Confirmatvr à S.Doctore; quia non agnouit statum futurum naturæ lapsæ; Reparationem per mortem Christi: statum Ecclesiæ nouæ, Sacramenta, Martyria, Tribulationes, &c. Alioqui præuidisset suum casum, quod est falsum, vt ostendi, *quæst.* 8.

QVÆSTIO XI.

An primi Homines *insontes decipi potuissent.*

D.B.in 2.d.23.art.2.q.2.
D.Th.q.94.art.4.& q.18.
de veritate, art.6.

52 Ad perfectionem intellectionis pertinet etiam verum agnoscere, & falsum vitare.

Fvere dicentes, potuisse hominem ante peccatum habere, non quidem iudicium falsum firmum; sed aliquam æstimationem probabilem, quam non vocant iudicium, vt putat Suar.*lib. 3.cap.*10. Hanc sententiam ait S. Doctor probabilem videri; non tamen esse; vt dicit Arriaga.

Attamen opposita sententia vera est, Adamum nullatenùs decipi potuisse. Ità Sancti Doctores hic Duran.*dist.*23.*quæst.* 3.Suar.*loc.cit.* Arriaga, *disp.* 37. Molin.*disp.* 26. Perer.*lib.6.de lapsu hominis, quæst.* 2.

Assero primò, Adamum non fuisse deceptum, nec decipi potuisse in innocentia.

Probatvr primò è D.August. *lib. 3.de lib.arbitr.*cap.18. *Approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, &c. non est natura instituti hominis, se i pœna damnati.* Alia loca D. August. ex *Enchir. cap.* 16. *& seqq.* Affert S.Doctor, ac Suarez, *num.* 3.

Probatvr secundò à S. Doctore: Deceptio est malum pœnæ, & miseriæ, atque adeò dedecens statum innocentiæ, sed lapso danda ad pœnam: Explicatur à D.Bonau.ex D.August. *cap.* 17. Enchir. *Omnis homo scire desiderat*, vt habet Aristot. 1. *Metaph.* initio. Et *beatitudo est gaudium de veritate*. Vnde eruditio inter conditiones beatæ vitæ computatur, apud Aristot. *lib. 1.moral. ad Eudem. cap.* 1. Similiter molestias non pati: At deceptus, his omnibus priuatur bonis; nam fallitur appetitus sciendi; veritate priuatur, atque hæc moleste fert. Hæ autem imperfectiones indignæ erant statu beato, & recto innocentiæ, vt ait S.Aug. *loc.cit.* dicens: *Vsque adeò tamen rationalis creatura refugit falsitatem; & quantum potest, deuitat errorem, vt falli nolit, &c.*

53 Probatvr tertiò à S.Doctore: *Deus fecit hominem rectum*, perfectè, atque adeò & sensus erant rectè ordinati intellectui; sicut Intellectus Voluntati. Itaque quamdiù voluntas non deflecteretur, nec sensus intellectum, neque hic voluntatem decepisset.

Probatvr quartò à S.Doctore: Maior est passio in anima, dum fallitur, quàm in corpore quæuis violentia: Vnde decuit, Christum assumere passionem in corpore, non deceptionem in mente: sed pati in corpore repugnat statui innocentiæ: Ergo.

Probatvr quintò à S.Doctore *in corpore* è D. August. deducto nouo argumento, *loc.cit.in Enchir.* & *de vtilit. credendi.* Deceptio dicit non solam nescientiam, sed iudicij obliquitatem, & intellectus deordinationem; vel ex prauo affectu, vel ex Phantasiæ, aut inferiorum potentiarum subuersione, vel ex luminis carentia, & voluntatis defectu in non impediendo, ne intellectus ineuidentibus præstet consensum. Huic autem periculo prouisum est à Deo tum habitibus, tum lumine, & assistentiâ illi statui debitâ, vt quamdiù homo à Deo non deficeret, nec Deus ab eo recederet, non sinens, vt in periculum caderet errorum, vnde & lapsus, & ruinæ poterant succedere.

Hinc deducit Suarez, Deum non solis habitibus; sed singulari assistentia Adamo præfuisse, ne in aliquem errorem laberetur; non enim in habitibus omnia patent.

Non admittit propterea vel falsam, etsi non firmam, sed opinatiuam æstimationem, quam sine iudicio esse non posse, ait. 54

Hanc tamen opinationem non adeò repugnantem existimat statui innocentiæ S.Doctor. Similem admittit in B. Virgine, cùm censuit, Iesum esse in comitatu ratione nixa probabili; quia solebant pueri cum viris; & puellæ cum mulieribus ire ad Templum: Vnde ait, deceptam; sed hoc singulari de causa factum à Deo, vt Iesus ab ea segregatus in templo maneret. Vide D. Bonau. *ad 2. Lucæ.*

Obiicies primò, *Genes.* 3. ait mulier, adducens causã sui lapsus: *Serpens decepit me*; decepta enim in peccatum ruit. Ergo in statu innocentiæ decepta est.

Respondet S.Doctor cum D.Aug. 11.*de Genes.ad loc.cit.* 30.& *lib.* 14.*de Ciuit.c.*13. Ruperto 3. *de Trin.cap.* 5. D.Thom.suprà, Euam audito Serpentis promisso Deitatis consequendæ, elatam in superbiam, de se præsumpsisse: Ideò malè affecta: *Vidit quod esset bonum*, nempe hallucinata formoso latentis sub pomo Deitatis honore, illud decerpsit.

Omitto multos nec infimæ notæ Doctores dicentes, Euam primis Colubri syllabis infectam: Omitto alios dicentes, eam ante colloquium cum Serpente iam malè affectam, quos referunt Pererius *lib.6. de primo Euæ peccato, quæst.* 1.& latiùs Ioan. de Haye ad hunc locum Genesis, quos tamen refellam *disp.* 2.*quæst.*6. Illud mihi satis, Euam deceptam, eò quòd speciosam è viridantibus pomi foliis coronam expectaret; hanc autem spem adulterinam concepit à Serpente, inflata illis auratis verbulis: *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quacumque hora comederitis ex eo, eritis sicut Dij.* 55

Qvod in quæstione hac negotium facescit; Paulus priori ad Tim. 2. ait: *Adam non est seductus; mulier autem seducta in preuaricatione fuit.* Vbi Euam seductam astruit; Adamum negat; & tamen multi Patres, qui locum hunc Apostoli legerant, apertè dicunt, etiam Adamum seductum: Ità SS. Ignat. *epist.ad Trallianos*, Iren. *lib.* 3.*aduers.hæreses, cap.* 35. Hilar.*can.* 3.*in Matth.* Epiph. *contra hæres.* 38. Aug.*in psal.*68.*&* 14 *de ciuit.cap.*17.& *lib.* 11. *de Genes.ad litt. cap.* 34. Fulgent.*lib.* 2.*de Incarnat. cap.* 22. Leo *serm.de nat.Dom.*& *serm.* 3.*&* 4. Prosper *aduers.Cassian.in fine*, & *lib.* 2.*de vita contempl.c.*19. Cyril.*li.* 2. 3.*adu.Iulian.* Ambr.*lib.de Parad.cap.* 21. & *lib.de Elia, & ieiun.cap.*4. qui & *ad* 10.*Luc.* cum Prosp. *cap.* 19. *&* 21.*aduers.Cassian.* non dubitauit dicere, Adam perdidisse fidem, quia plus Serpenti credidit, quam Deo: eos refert *lib.* 3. *de amiss. grat.* Suar.*cap.*4. Multis modis exponitur locus Apostoli; sed nulla expositio consona videtur, vt dissonantiam Patrum ad concentum valeat reuocare, nisi eam adhibeamus, quam Seraphicus exhibet. 56

Primò aliqui obseruant, Apostolum præmisisse: *Adam primus formatus est; deinde Eua*; subdit: *Adam autem non est seductus; sed Eua:* Sic igitur explicant, Adamum primum creatum, non fuisse primum seductum: Sic D. Epiph. *in hæresi* 57

resi Quentil. Magister, Haymo, Gloss. ord. Oecum; & D. Thom, hic.

At Apostolus Antithesim ponit Adami non seducti cum Eua seducta; nec solùm negat de Adamo; sed hinc sumit medium, vt hortetur fœminas ad virorum gubernationem subeundam; quod esset inualidum; quia possent fœminæ dicere: Etiam vir seductus est; & si non primus; quidni? nec fuit primò tentatus: Porrò verba ad libitum addere in Scripturis est expositio misera, vt aiunt Patres Iesuitæ.

58 Secundò exponunt alij, Adamum non seductum; quia sciens deliquit, ne vxorem contristaret, quæ sibi nimium fuit in deliciis, & amore: Sic D. Hieronymus, *lib. 1. in Iouin.* Chrysostom. & qui censetur Ambrosius ad hunc locum.

Apte; Sed Patres suprà relati deceptum clamant: Vrget Arriaga *disp. 45. sect. 2. subs. 2.* eum minùs aptum ad docendum, qui à se obcæcatus est.

Tertiò alij dicunt, asseri Euam seductam; negari Adamum; quia de illa, non de hoc asseritur à Scriptura: Sic dicitur Melchisedech, *Hebr. 7. Sine patre, sine matre, sine genealogia*: Ità Theophylac. apud Oecumen: Hugo de S. Victore, *quæst. 16. in eam epist.* & indicat Chrysostomus.

At, si Adamum tacuisset, non renuerem; sed negat: Ipse quidem occasionem sibi à muliere narrat exhibitam, sed non negat, se eiùs verbis seductum: Nec est simile de Melchisedech: Nam ibi allegat locum *Genes. 14.* vbi narratur Melchisedech obuiasse Abrahæ, & obtulisse panem; & ibi non indicari cuius filius, &c. Hac de causa; quia Sacerdotium Christi æternum figurabat; at non negat fuisse è stirpe aliqua; hoc enim, cùm sit euidens, quippè erat homo, non poterat è Scriptura elici fuisse falsum: Ideò Syriaca versio habet: *Cuius neque pater, neque mater scribuntur in generationibus; nec initium dierum eius, neque finis*: At hic negat Apostolus, Adam esse seductum: Quod si à muliere fuisset seductus, non à serpente, nihil iuuatet, vt ait S. Doctor *dist. 22. quæst. 2.*

59 Quartò alij dicunt, Etiam dici seductam in ruinam Adæ: Hunc verò non in præuaricationem Euæ. Indicant id Ambr. *lib. de Paradiso, cap. 21.* Chrysost. hic, Hieron. *lib. 1. in Iouin.* Aug. *lib. 11. de Genes. ad litt. cap. vlt.* Sequitur Arriaga *disp. 45.*

Expositionem quidem hanc veneror; Sed tamen dicam, Apostolum ità loqui: *Docere mulieri non permitto, neque dominari in virum; sed esse in silentio: Adam enim primus formatus est; deinde Eua, & Adam non est seductus; mulier autem seducta in*

60 *præuaricatione fuit*: Vbi Syriaca: *Mulier autem est seducta, & transgressa est preceptum.* Sensus igitur est; non esse mulierem aptam ad virum docendum, quia si in primo statu naturæ decepta est Mater nostra, & lapsa est; magis nunc debent fœminæ timere, atque silentio audire virum, qui magis est sensatus: Sic enim, & Adam cecidit sanè; sed non deceptus. Do eum tunc eruditiorem, quàm sint viri status nostri; sed datâ proportione eiusdem status corruptionis, fœminas esse leniores, & ignorantiores viris: Quod si fiat Antithesis, additis verbis, quæ Apostolus non addit, dicent fœminæ: Si deceptus est etiam Adam, non est aptus Doctor vir; Quod si non esse deceptum ad ruinam Euæ dicis, nil iuuat; hoc enim euēnit, quia iam mulier seducta erat à serpente, & erat spoliata dono iustitiæ, & gratiæ; imò ineptior est ad docendum, quia à muliercula seductus; Eua verò à sapientissimo dæmone Lucifero. Porrò Latina, & Græca editio habent *In præuaricatione, idest in sua inobedientia.*

Qvinto alij dicunt, asseri Euam seductam à serpente, quia animo fallendi eam tentauit; Adamum verò non deceptum ab vxore, quia non accessit illa vt falleret; is autem decipit, qui animo ficto loquitur. Id videtur innuere D. Augustinus.

At proposito Apostoli non inseruit, imò nocet. Nam si Adam errauit, credens simplici fœmellæ, non est aptus ad docendam mulierem, quam prudentissimus serpens Auerni Lucifer, naturali scientiâ, qua omnes superabat Angelos, censuit, non ab inferiori se, sed à semetipso vincendam, & decipiendam.

Igitur S. Doctor *in 2. distinct. 22. art. 1. quæst. 1. ad vlt.* Adamum, ait, non credidisse blandis verbulis Euæ, aut promissis diaboli; imò agnouisse, eam à Serpente deceptam; erat enim sapientiâ præditus, qua & diaboli sponsa, & Sponsæ verba falsissima cognouit. Vnde ait Apostolus, non fuisse seductum. Enim verò intuens vxorem sibi æquo nimium charissimam contristatam suis repulsis, audiens mœstissima verba, qualia *Iud. 16.* Dalila fortissimo Sampsoni attestans, se ad mortem lassam, pellectus est, ne delicias suas contristaret. Terrebat sanè diuina comminatio, sed videns eam lapsam, & tamen viuam, adhuc diuinæ seueritatis inexpertus, sperauit, se posse pœnitentiâ amissum redimere, atque non nulla excusatione excipiendum, quod edisset, ne ad mortem torqueret sociam, quam ipse Deus ei coniunxerat. Callebat sola diuinæ signa bonitatis, & gratiæ; & probabili (vti sibi persuasit) ratione ductus, eam putans sententiam pœnitentiâ redimendam, in hac nescientia ineuitabilis ruinæ & irredemibilis mortis, assentitus est. Id ei probabile non immeritò videri potuit, cùm & S. Augustinus *ad fratres in heremo* dicat: *Non fuisset Adam è Paradiso excludendus, si statim magna cum humilitate, & sine excusatione veniam à Deo postulasset.* Quod neque D. Augustinus diceret, nisi prudenter id agnosceret ex tota Genesis historia, è statu, &c. In hoc igitur nescientiam habuit aliquam: At postea lapsus, obcæcatus est vt Sampson; nec debitam subiit pœnitentiæ rationem ad recuperandam amissam fœlicitatem, sed excusauit culpam, cámque coniecit partim in mulierem, quæ fructum blandè mœrens porrexerat, partim in Deum, qui talem sibi mulierem adiunxerat: Restitutum tamen gratiæ sanctificanti ostendam, *disp. 2. q. 15.* Neque est obcæcatus passione, sed videns, & volens. vt ait D. Aug. *11. de Genesi ad litt.* 61

62

En Adam non est seductus, vt ait Apostolus; & tamen deceptus, atque seductus hac deliquit spe, & hoc volunt Patres dum à mulieris amore, & serpentis in ea inflictis vulneribus indicant seductū! Hæc est expositio D. Aug. *lib. 14. de Ciuit. c. 11.* & *lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 31.* quam laudat Perer. *lib. 6. n. 90.* & possunt huic concordare ex relatis aliquæ expositiones. Ità satisfit Arriaga, qui clamat pro allatis Patribus: Si quid remanet, dicam, *disp. 2. quæst. 8.* 63

Hinc habes, Euam seductam in præuaricationem obedientiæ, edendo; non tamen in primam præuaricationem, quia iam peccauerat superbiendo, &c. vt ait S. Doctor hìc *ad primum*, & *dist. 22. art. 2. quæst. 1. in corpore*, & *ad vlt.* Sequitur Arriaga, *n. 11.* monens, non esse veram, aut communem expositionem Cornelij à Lapide, dicente seductam esse primò Euam ad primam suam præuaricationem; nec non ad viri præuaricationem primam.

Colligit etiam S. Doctor, imo Adam deceptum præcedente elatione, & nimio affectu erga mulierem. Ita & D. Thom. *ad 5.* Suar. *num. 11.*

Secundò ait, Iudicium speculatiuum Adæ, & Euæ post peccatum fuisse obliquum; atque practicum fuisse cum voluntate, & hoc fuisse deceptionem eorum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

An in ADAM *fuerint concreata Virtutes.*

CERTVM est, Adamum, & Euam esse conditos innocentes, Eccl. 7. *Deus fecit hominem rectum*, intellectu scilicèt, & affectu, vt exponit S. Doctor ad eum locum, & *Prologo 2. Sent.* cum SS. Patribus apud Suar. *lib. 3. cap. 11.*

65 ASSERO primò, concreatas eis omnes virtutes morales.

PROBATVR à S. Doct. & Suar. *illo* Eccl. 7. Si enim Scientiæ omnes infusæ sunt eis; multò magis virtutes, quæ rectitudini illius status magis conducūt Confirmatur ab eo *disp. 29. dub. 1.* Si intellectus fuit rectus in ordine ad veritatem; multò magis voluntas ad Diuinam bonitatem. Ità etiam Suar. *n. 6.*

TERTIÒ dico, infusos esse Adæ aliquos habitus, qui respiciunt Deum, vt obiectum (*Cui*) puta Religionem. Ita D. Bonau. *loc. cit.* Probatur ab eo; quia sunt necessarij, magis quàm morales.

66 QVARTÒ dico, datam ei esse fidem, & spem: De charitate autem infrà dicam.

PROBATVR à D. Bonau. quia rectitudo voluntatis dicit conuersionem in Deum. De Fide probaui, *disp. 9.* de Spe, *quæst. 8.*

ADDIT ibi S. Bonau. factum esse hominem rectum, id est, conuersum in Deum, amore, non quidem supernaturali; nam charitas gratiam comitatur: Idem habet S. Thom. *prima secunda, quæst. 109. art. 3.* quoad actum amoris naturalis: Imò videtur etiam Habitum talis amoris dedisse. Ità Scot. *in 2. dist. 29.* vt latè prosequitur Herrera *2. disputat. 21. quæst. 3.* & *disp. 22. quæst. 21.* contra Perer. *lib. 5. in Genes. disp. de tertia excellentia status innocentiæ, quæst. 1.* Inclinat Suar. *num. 13.* post Diuum Bonauenturam, *in Prologo citato.*

PROBATVR à D. Bonau. ex illo Cant. 1. *Recti diligunt te*; sed homo conditus est rectus, vt dixi: Ergo, &c. Vide plura in *eo Prologo* præclara.

QVÆSTIO XIII.

An APPETITVS *ità subditus esset rationi, & Voluntati, vt nunquam repugnaret.*

67 DVPLICEM habet homo cognitionem, Sensitiuam, & Intellectiuam; Duplicem etiam proportionatum cognitionibus appetitum: alterum sensitiuum, alterum rationalem: Sicut autem cognitio sensitiua potest immutare intellectiuam sequentem; ità etiam appetitus sensitiuus, priusquàm voluntas operetur, potest excitari: Ex his oritur naturalis rebellio, quam Apostolus deplorat, Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* De hac ergo pugna quæritur: An fuerit in primo parente in statu innocentiæ, vt nullus motus insurgeret contra rationem, vel eam præueniret.

VIDETVR Scot. *in 2. dist. 29. quæst. vnic.* dubitare.

68 ATTAMEN dicimus, hanc gratiam homini datam: Ità Diuus Bonauentura, *in Dialogo secundi sent.* & *in dist. 30.* atque *31. eiusdem Libri, passim.*

PROBATVR primò à D. Bonau. *loc. cit. Prologi*, ex illo Ecclesiast. 70. *Inueni, quòd Deus fecerit hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus:* Quem locum sic interpretatur D. Hieronym. *lib. 1. cont. Iouian.* & alij: De hoc vide D. Bonau. *ad eum locum* Ecclesiaste: Arriaga *disp. 38. num. 9.*

ait, *ro, rectum* id non signare; sed *iustum*: At legat D. Augustini 14. *de Ciuit. Dei, cap. 11. totum.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in 2. quæst. 21* erubescentia de rebellione carnis, est tantum post peccatum, vt dicitur *Genes. 3.* Cùm enim *cap. 2.* dixisset: *Erant autem nudi ambo; & non erubescebant;* Posteà *cap. 3.* post lapsum: *Aperti sunt oculi amborum: cumque cognouissent se esse nudos, &c.* Et infrà: *Timui, eò quod nudus essem.* Respondet ei Deus: *Quis enim indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd de Ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* His authoritatibus vtitur etiam Suar. *lib. 3. cap. 11. num. 4.*

IDEM habetur, illo Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc facio: Sed quod nolo malum, hoc ago;* 69
Vt notat D. Bonau. *in 2. dist. 41. art. 2. quæst. 1. ad 2.* & *in 3. dist. 3. part. 1. art. 2. quæst. 1. ad tertium*, & post eum Suarez, *num. 6.*

IDEM habetur in Concil. Trid. *sess. 5. can. 5.* vbi ait, Manere in baptizatis fomitem, qui ex peccato est, vt notat etiam D. Bonau. *in 3. loc. cit.* Idem habet D. August. *13. de Trinit. cap. 3. & 4.* & *lib. 14. cap. 10. & 19.* & *lib. 15. cap. 7.* & *primo retract. cap. 10.* adductus à D. Bonau. *in 2. dist. 4. 1. loc. cit.* Idem D. Greg. docet *26. Mor. cap. 13.* & alij PP. super Genes. Et communiter Scholast. *in 2. dist. 30. & 31.* & D. Thom. *prima secunda, q. 82. art. 3.* & *quæst. 81. art. 3.*

RATIONES verò sumuntur à D. Bonau. *in Prologo citato*, & *in 2. distinct. 23. quæst. 2.* Ex Diuina Prouidentia, & liberalitate, quæ cùm videret hominem naturâ suâ his impugnationibus, ac rebellionibus obnoxium, & vellet in campum cum Diabolo ad pugnam permittere, debuit armare eum virtute, ne facilè vinceretur, atque omnia peccata facilè vitaret, & fœlix viueret.

Hoc autem donum fuisse habitum, additâ Diuinâ Prouidentiâ, docet Diuus Bonauent. in *Prologo cit.* & *loc. adduct. quæst.* 8. Et quidem soli habitus inditi rationi ad eam roborandam non videntur sufficere; nam inclinatio naturalis contraria, est permanens, perpetua, potens erumpere non modò illo habitu non obstante, sed etiam actu, vt experimento videmus in iustis, etiam in actu charitatis, patientibus rebelliones: Sola verò prouidentia non poterat absque miraculo potentias, naturaliter inclinatas delectabilibus, disponere ad rectè operandum, atque adeò imperfectè se habuisset, vt notat Suar. *n. 17.* Arriaga, *disp. 38. sec. 2.* Molina, *disp. 27.* 70

REQVIREBATVR ergo habitus cum prouidentia; & hoc probat D. Bonau. *in Prologo*, ex illo Ecclis. 17. *Deus creauit hominem de terra, & secundùm imaginem suam fecit illum: Et iterum conuertit illum in ipsam, & secundùm se vestiuit illum virtute.* Et probat à simili; sicut enim ad rectum constituendum intellectum exigebantur habitus scientifici, & singularis prouidentia, ne deciperetur, vt dixi *quæst. 8.* Ità ne inferior portio seditiones excitaret contra voluntatem, & rationem, necessarius fuit habitus, & singularis Dei prouidentia remouendo, impedimenta extrinseca ad excitandam rationem in singulis occasionibus, ne præueniretur seditiosè. Cum D. Bonau. etiam Suarez, *num. 18.* consentit, afferens hanc eandem omninò doctrinam. 71

SICVT autem hæc ordinatio pendebat à multis potentiis, ità illis omnibus proportionati habitus debebantur, vt rectæ permanerent, nec à rectitudine aberrarent, vt ait Sanctus Doctor suprà: Isti autem erant habitus virtutum intellectualium, & moralium: Nam hi perficiunt animam, atque potentias. Ità verò, vt si quando in Phantasia excitaretur

taretur motus in bonum delectabile, prauitate conspurcatum; illicò per consensum, & Sympathiam excitarentur species illius habitus virtutis, cuius honestas inuaditur, & turpitudinem illius delectationis ocyùs exponeret; ad quod propior attendens voluntas, delectationi aditum præcluderet: Adde verò è peccato nouum excitatum fomitem.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm primus HOMO *sit conditus immortalis.*

§ D.Bonau. 2. dist. 19. art. 2. quæst. 1.

73 PELAGIVS voluit, Adamum, etiam non peccantem, moriturum: Ita refert D.Augustinus, *epist.* 106.

ASSERO tamen de fide, Adamum nunquam moriturum, si non peccasset.

PROBATVR à D. Bonauent. primò *hac quæstione* ex Patribus, Isidoro *de Trinitate*, & *in sequentibus quæstionib.* ex D. August. *6. de Genes. ad litt. cap.* 22. & *seqq.* & *lib.* 1. *de vera Religione*: Idem habent S. Prosper, *lib.* 1. *de promiss. & prædest. cap.* 2. & *lib.* 2. *de vita contemplat. cap.* 19. Fulgent. *de fide, cap.* 15. & *de Incarnatione, & gratia, cap.* 6. Cyrill. Alexand. *lib.* 1. *in Ioan. cap.* 15. Chrysost. *homil.* 17. *in Genes.* Et reliqui Patres, & expositores Genesis.

HOC definitum est in Conciliis Mileuit. *cap.* 1. Araul. II. *can.* 1. & 2. Trid. *sess.* 5. *can.* 1.

74 PROBATVR secundò à D.Bonauent. hîc: Id, quod est pœna peccati, non fuisset, absente peccato; sed mors est pœna peccati: Ergo. Maior est clara; remotâ enim causâ, remouetur effectus. Minor probatur ex illo Genes. 2. *In quocunque die comederis, morte morieris*: Hoc autem de morte corporali intelligendum probatur à D. Bonau. ad sapientiam, illo sap. 1. *Deus mortem non fecit*: Et sap. 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem; inuidia autem Diaboli mors introiuit in Orbem terrarum*: Deindè id probat S. Doctor, *in Prolog. tertij sent.* in illo Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors*: Ideò *cap.* 16. ait: *Stipendia peccati, mors.* His authoritatibus nititur etiam Suar. *lib.* 2. *cap.* 14. *à num.* 2. Valentia, *tom.* 1. *disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 1. Arriaga, *disp.* 41.

PROBATVR tertiò à Sancto Doctore: Ad constituendum aptè compositum, debet materia esse formæ proportionata: Corpus est materia, cui vnita est anima, vt forma, & perfectio ad componendum hominem: Ergo debuit esse proportionatum Animæ. At compositum illud à Deo erat supernè ordinatum, vt viuens Deo, viueret in se: Ergo debuit animæ immortali dari corpus, quod non posset corrumpi, nisi præcederet mors animæ, quæ sola per culpam esse potest, quâ Deo moritur.

75 VIDES S. Doctorem solidissimè argumentari, immortalitatem corpori esse debitam non præcisè, vt vnitur animæ immortali; sed vt tali animæ: neque vt constituit præcisè hominem; sed talem hominem pro statu innocentiæ. Quare nihil pungunt oppositiones Pererij *lib.* 5. *de statu innocentiæ, à num.* 158. aut D. Thom. *p.p. quæst.* 79. *art.* 5. Vrgent enim eos solùm, qui hoc argumentum eo medio componunt: Quia anima est natura immortalis, dandum ei fuisse à Deo corpus naturâ incorruptibile: At esto id vellet istud argumentum; adhuc tamen naturam decebat seruari, dum non fuerit rea, sed immortalis.

CONFIRMATVR quartò à Sancto Doctore: Homo condebatur in statu medio inter statum miseriæ, & statum gloriæ; sed statui gloriæ debetur impossibilitas absoluta corruptionis: Statui miseriæ corruptio: Ergo statui medio debebat posse non corrumpi.

PROBATVR quintò à Sancto Doctore: Omnis Passio est ab aliquo repugnante, & prædominante: Sed Adæ insonti omnia concordarent, vel subiacerent: Ergo nihil posset corpori eius aliquam inferre passionem: Ergo non esset passibile, nec dissolubile.

PROBATVR Sextò à S.Doctore: Status rectitudinis hominis dicit, eum subiici Deo; & creaturas inferiores homini: Sed homo in statu innocentiæ, erat in statu rectitudinis: Ergo homine sic stante non poterat corpus ab homine deficere, & animæ arbitrio repugnare: At anima appetit stare cum corpore, cuius est actus, & forma intrinsecè inclinata vnioni: Ergo.

TANDEM *in corpore* refricat: Pœna absque culpa imposita, est iniqua: Mors est pœna ex dictis: Ergo.

OBICIT primò: Omne corruptibile necessariò corrumpitur ex Aristotele *6. Metaph. text.* 7. Corpus Adæ erat naturâ corruptibile ex Diuo Augustino *6. de Genes. cap.* 25. Ergo. 76

RESPONDET, omne corruptibile è sola pendens natura, corrumpi: Sed Adam dono in suo arbitrio à Deo habebat, non corrumpi, dum Iussis obediret.

OBICIT secundò, eius compositum ex Elementis est dissolubile: Tale erat corpus Adæ.

RESPONDET Sanctus Doctor, contraria fuisse in statu innocentiæ impedita, ne inter se inuicem pugnarent.

OBICIT tertiò: Cui composito necessaria est restauratio, præcedit deperditio; & cui deperditio, sequitur consumptio, atque corruptio: Sed Adæ necessaria fuit deperditio humidi primigenij per Lignum Vitæ epastum: Ergo.

RESPONDET eleganter S. Doctor, naturam prouidam in suo statu pati quidem, Elementa corrumpi secundùm aliquam partem; neutiquam verò tota: Sic & natura hominis benè instituti permittebat, partem aliquam humidi resolui; eam tamen prouida ad amussim reparabat cibo illo vitali; atque adeò nunquam erat totum dissolutum. His satisfit Scoto, hinc arguenti, futuram Adæ mortem naturalem, nisi transferretur.

OBICIES quartò: Adam egebat cibo, ne moreretur; at poterat non comedere: Ergo & mori. Si dicas, quod peccaret non edendo; & ideò tenebatur, si volebat se in ea rectitudine conseruare; præceptum enim ei fuerat: *De omni Ligno Paradisi comede*, id est: Præcipio, vt comedas de quocunque velis, excepto, &c.

CONTRA, demus tempus, in quo tenebatur: Vel esuriret, vel non: Si tunc esuriret: ergo pateretur: Si non: Ergo non tenebatur, quia non indigebat. 77

RESPONDET S.Doctor, non potuisse Adam in lege Diuina, & naturali non comedere; debebat autem famem præuenire, & ipse benè sciebat horam, quam præteriens peccaret.

OBICIT quintò: Potuit è filiis Adæ aliquis peccare, & Adamum iugulare.

RESPONDET Sanctus Doctor, Deum permittere

tere in statu lapso iustum occidi; quia adhuc reus est mortis; at innocentem non decebat occidi; Quare Deus ei astitisset.

Obicit sextò: Impassibilitas est dos gloriæ: Ergo in statu innocentiæ potuit mori.

Respondet Sanctus Doctor: Impossibilitatem moriendi esse dotem gloriæ, at pro statu innocentiæ erat Donum, si in innocentia perseuerasset; atque adeò conditionatum.

QVÆSTIO XV.

An Adam *esset immortalis ex gratia, & quâ.*

D.Bonau. dist. 9. art. 3. quæst. 1.
D.Th. q. 97. art. 1.

Fvit error Michaëlis Baij, primum hominem conditum naturâ immortalem, sicut Angelus: Ratio erat, quia iustitiam originalem naturalem existimauit. Idem sensisse aliquos viros doctos, refert Perer. *lib. 5. de statu innocentiæ, c. 2. vers. 20. quæstione 4.*

Hic error inter alios Michaëlis, damnatus est à Pio V. in Bulla *Ex omnibus*; edita anno 1467. confirmata à Gregorio XIII. & Vrbano VIII.

77 Mvlti dixerunt, Adam fuisse mortalem etiam ante peccatum, non tamen moriturum. Ita Scotus Gabriel, & alij *in 2. dist. 19.* Batcepha, *Opusculo de Paradiso, part. 1. cap. 5.* qui in eam sententiam refert Chrysostomum, Athanasium, Cyrillum, & Philaxenum: Vult autem Scotus, Adamum ideo non moriturum; quia transferretur tempore congruo, ne deficeret, & ne etiam merita nimis cumularet. Idem habet Bassolis, & Ruuius.

Refert etiam alios dicentes, Adamum liberè fuisse mortalem, & immortalem; quia Deus illi dabat, vt seruans legem, esset immortalis; eamque frangens, mortem subiret. Ità videtur D. August. 7. *de Genes. ad litt. cap. 25. lib. de natura hominis, cap. 1.* Anastasius Synaita *lib. 11. Hexaëmer.* qui ideò ex Methodio probat, Adam fuisse mortalem.

78 Nota ex D. Bonauentura *in corpore*, duplicem immortalitatem corporibus dari (præter eam, quæ datur Angelis, & animæ rationali.) Altera, quæ excludit actum, & potentiam; vnde dicuntur hi non posse mori: Tales sunt beati. Altera est immortalitas excludens actum solum, non potentiam: Talis erat hominum in statu innocentiæ; vndè dicebantur, posse non mori; quia in eorum liberâ potestate erat viuere semper, seruando Diuinum præceptum: Et eo sensu Patres, & Scholastici allegati volebant dicere, hominem esse mortalem; quia re ipsa componebatur elementis dissolubilibus; attamen Diuino fauore conseruabatur illæsus: Id notat etiam D.Thom. & post eum Suarez, *lib. 3. cap. 14. num. 8.* Valentia, *loco mox citando, punct. 1.* Imò addit ex Diuo Bonauentura, *quæst. 1.* non potuisse hominem mori, suppositâ innocentiâ.

79 Difficvltas ergo est, quale donum sit, quo conseruabatur homo, naturâ alioqui corruptibilis.

Advertit autem D.Bonauent. *in corpore*, & post eum Scotus, *dist. 19.* & Suar. *num. 9.* triplici ex capite mortem homini euenire. Primò ex pugna Elementorum, dissoluentium compositionem. Secundò, per humidi consumptionem. Tertiò, per extrinsecam læsionem, putà per Ignem, Aquam, Gladium, &c. quæ dicitur *Mors violenta*: Ab his ergo immunis erat homo, non peccando: Videndum est autem, quâ ratione.

Et quidem, quoad præseruationem à morte in- 80
trinseca: Molina, *tract. de Operibus sex dierum, disp. 28. concl. 3. & 4.* vult, diffusam à Deo per totum corpus Adæ qualitatem corpoream, quæ elementa contineret, & humidum foueret radicale.

Alii volunt, datam Adæ qualitatem spiritualem, regentem corporis contrarietates, ne illud destruerent; Sic Diuus Thomas *quæst. 97. art. 1.* & *in 2. dist. 10. quæst. 1. art. 4. & quæst. 5. de malo, art. 5.* Ità D.Thomam intellexit Scotus 2. *dist. 19. quæst. 1.* Et Caiet. *art. 1. & 4.* Sequitur Valentia, *tom. 1. disp. 7. quæst. 4. punct. 2.* Hanc qualitatem fuisse gratiam ipsam arbitrantur Thomistæ aliqui; præcipuè Soto, *lib. 1. de Natura, & Gratia, cap. 5.* 81

E regione stant plurimi dicentes, immortalitatem homini non prouenisse ex aliqua intrinseca qualitate, siue spirituali, siue corporea; sed ex Dei extrinseca prouidentia, additâ cibi exquisitâ perfectione, & aliis naturalibus adiumentis. Ità Scotus, *in 2. dist. 19. quæst. vnic.* Quem sequitur Schola, Rada, *2. part. contron. 15.* Vulpes *tom. 1. part. 2. disp. 43. artic. 2.* Aretin. *in Genes. cap. De sententia contra virum lata, quæstione 13.* Poncius, *disp. 17. quæst. 4.* Et antiquiores Scotistæ ad *loc. cit.* quos allegat Mastrius *in 2. disp. 4. quæst. 1.* His arrident Suar. *lib. 3. de Homine, cap. 14.* Arriaga, *Tract. de opere sex dierum, disp. 41. sec. 1.* Lezana, *tract. 7. disp. 3. quæst. 8.* Auersa *quæst. 25. sect. 3.*

Hi validè conclamant, ne animo quidem fingi posse, qualis fuerit ea virtus inditâ animæ, comprimens Elementorum in corpore pugnam: Ideò Perer. *lib. 5. de statu Innocentiæ, disp. de quarta illius status excellentiâ, quæst. 2.* Vt Angelicum saluet, ait, qualitatem illam ab eo assertam, esse rerum scientiam, maximè earum, quæ prodesse poterant, aut nocere; eximiam in his discernendis prudentiam; atque præcauendis diligentiam; quæ cùm à Deo essent Adamo infusæ, vocantur à Diuo Thoma, *Supernæ Virtutes.*

Seraphicvs supponit, quod ex eo ostendi, 82
tract. 8. disp. 3. quæst. 4. Corpus Adæ fuisse optimè ad iustitiam constitutum; additum verò donum, seu gratiam in iustitia originali inclusam, vt docet D.Anselmus, quâ ritè valeret anima corpus regere illi præsidendo, elementa in officio continere, eà moderatè applicando ad modum, quo Angeli applicant actiua passiuis. Quoad reparandum verò humidum calore assumptum, & calorem repassione minutum; datam esse optimam nutritiuam, cibos eximios Paradisi, præsertim verò Ligni Vitæ, quo humidum æqualis perfectionis cum deperdito produceretur, & optimè confortaretur calor repatiens, ac optimâ medicinâ præseruans applicaretur. Ad extrinseca verò, quæ necem inferre valerent, datam Adæ prudentiam, & robur ad ea præcauenda; Astiturum Deum, ne dormiens, & vigilans læderetur, siue ab insensatis, putà lapidibus elabentibus, fulminibus ruentibus, feris incurrentibus, quæ & sub pedibus eius constitutæ non valuissent Diuino imperio repugnare, quo *Omnia sub pedibus eius* erant constituta, Psal. 8.

Addit Sanctus Doctor, *distinct. 20. dub. 7. litt.* 83
cum Diuo Thoma, *p.p. quæst. 97. art. 3.* Magistro, *dist. 19.* Dur. *quæst. 2.* contra Tostat. ad *cap. 13. Genesi quæst. 206. 209.* Valent. *loc. cit. punct. 2.* non potuisse Adamum

Adamum non vesci cibis illis eximiis absque status amissione; nam *Præcepit ei Deus: De omni ligno Paradisi comedes; De ligno autem Scientiæ, &c. ne comedas.* Sic Præceptum erat affirmatiuum, & negatiuum, vt colligo è Diuo Augustino 14. *de Ciuitate Dei, cap.* 15. Quod si Dæmon tentauit in solo negatiuo, parcite; Vidit enim illud aptius; quia natura ad vetitum inclinat, oblato specioso Deitatis priuilegio.

84 Assero primò, immortalitatem Adæ, non ex natura collatam, sed gratiâ.

Probatvr à Sancto Doctore argumentis secundo loco.

Primò ex Diuo Augustino 6. *de Genes. cap.* 25. & *de peccatorum merit. cap.* 3.

Secvndò; Parabola illa vulnerati in via, *Lucæ* 10. quem latrones habitu spoliauerunt: Hunc primum hominem dicunt Glossa, & Patres, spoliatum habitibus gratiarum, & in naturalibus vulneratum. Sanè omninò spoliatus est immortalitate: Ergo erat habitus gratiæ: Sic egregiè id explicat S. Doctor etiam ad eum locum.

Tertiò: Quod à natura intrinsecè est, non tollitur culpis, vt constat in peccantibus; sed immortalitas fuit homini ablata per culpam, vt ostendi, *quæst.* 11. Ergo.

Qvartò arguit S. Doctor, & cum eo Perer. *num.* 159. Duo opposita nequeunt intrinsecè à natura eidem conuenire; Corpus hominis est intrinsecè corruptibile, cùm è quatuor completur Elementis.

Qvintò: Corpus inferioris resistentiæ potest pati, & destrui ab agente validiori. Corpus Adæ erat molle; Ergo poterat à duris sauciari, conteri, & secari.

Tandem corpus humanum, quippè ex Elementis contrariis, potest ab igne comburi; potest ab aqua suffocari, si immergatur, nec valeat respirare.

85 Assero secundò, Adamum fuisse habitu donatum ad fœdus in Elementis seruandum.

Probatvr à Sancto Doctore primò ex Diuo Augustino, *de peccatorum meritis, & remis. cap.* 3. vbi ait: *Neque enim metuendum fuit, ne dum fortè diutiùs in corpore hic viueret, animali senectute grauaretur, & paulatim veterascendo perueniret ad mortem: Si enim Deus Israëlitarum vestimentis, & calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita; Quid mirum, si obedienti homini eiusdem potentiâ præstaretur, vt animale, ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosum? Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali, his, qui sine morte translati sunt, fuisse concessa.*

86 Observa, virtutem hanc vocari habitudinem concessam Adæ à Diuina Prouidentia; non secus ac Iudæis in solitudine Arabiæ, vbi non innumeris miraculosis actionibus impediebat Solem, ne adureret; arenas, ne attereret innumera calceamenta, & vestimenta; sed virtute eis semel collata Solis, Terræ, Aërisque iniuriis restitêre.

Qvare miror, Mastrium *num.* 13. hunc locum pro Scoto afferre.

Probatvr secundò à Sancto Doctore, parabolâ suprà allatâ peregrini, in via expoliati habitu, & vulnerati. Hunc primum hominem dicunt Patres expoliatum gratuitis habitibus, saucium in naturalibus; Sanè immortalitate omni spoliatus est. Erat ergo habitus: Sic Glossa ordinaria vocat *immortalitis indumentum.* Et D. Augustinus, de qq. Euang. ait: *Spoliauerunt hominem immortalitate*; Chrysost. homil. hac: *Adamum ait hunc esse immortalitate nudatum.* Beda hic: *Gloria immortalitatis, & innocentiæ veste priuarunt: Hæc est quâ Protoplasti cognouerunt se esse nudos.* Ericus hic: *Immortalitatis, & innocentiæ veste nudauerunt.* Eadem verba habet Haymo hic, Euseb. Emil. *Tunica immortalitatis, quâ primus homo exutus nudum se intelligens, Domino respondit: Abscondi me, timui, eò quòd nudus essem.*

Probatvr tertiò à Sancto Doctore *in corpore*, argumento, quo vtitur D. Thomas: Cùm enim anima rationalis excedat proportionem corporalis materiæ, & regere debeat corpus, debuit ei dari virtus, quâ agentium ad destructionem interius retunderet vim: Non est enim mos Dei suâ solâ extrinsecâ operatione, diutissimè duratura, à contrariis sarta tecta seruare; sed collatâ virtute. Confirmatur è D. Bonau. nam & Dote incorruptibilitatis beata seruantur corpora. 87

Respondet Mastrius, *num.* 16. statum illum non duraturum: Nam, lapso Adamo cessauit.

At nos agimus de statu illo, stante Adamo, ille autem erat duraturus, eique prouisum.

Respondet secundò, etsi status duraret, non duraturum eâ peregrinâ qualitate incorruptibili, quæ nequit dari; sed satis fore extrinseca, aëris nempè temperiem, ciborum præstantiam, corporis temperamentum, & similia.

At hæc inania sunt; nam pugna intima Elementorum extrinsecis non est domita.

Addit tertiò cum Suarez, quosdam effectus negatiuos non causari à Deo per formam intrinsecam; sed per suam extrinsecam prouidentiam, vt præseruando ab hac, vel illa occasione peccandi. 88

At hi non sunt effectus negatiui, sed positiua conseruatio, contrariorum moderatio, &c.

Ad confirmationem negat cum Scoto, dotem gloriæ esse per habitum. Secundò negat paritatem, sed vtrumque falsum est, vt habet Sanctus Doctor *art.* 3. *quæst.* 2. Nam, licèt Dos gloriæ sit perfectior; est tamen vtraque ex habitu; & per Christum recuperamus immortalitatem amissam in Adam, vt ait Sanctus Augustinus, *lib. de vera Religione, cap.* 16.

Obicies contra prius assertum primò. Quod nobis innascitur, est à natura: Talis est immortalitas: Ergo.

Respondet Sanctus Doctor, & Mastrius, naturale propriè esse, quod est ab intrinseco naturæ: Talis non est immortalitas, Adæ concessa; esto à creatione ei data, & hoc sensu naturalis impropriè: Nam & Gratia fuit initio apud vos data Adæ.

Obicies secundò: Non potuit ab Adam immortalitas amitti sine culpa; hæc autem non inesset, nisi deordinaretur natura. Ergo mors contra ordinem naturæ erat: Ergo immortalitas naturalis.

Respondet Sanctus Doctor, mortem fuisse contra naturam non nudam, sed ornatam gratiâ; Ideò quia è gratia immortalitas erat, ac proindè deordinatâ naturâ per culpam, amissâ rectitudine, amittebatur in pœnam taxatam immortalitas.

Obicit tertiò: Per hoc erat immortalis, quia innocens; sed innocens erat è conditione naturæ, etiam sine gratia: Ergo ex eadem natura immortalis. 89

Respondet Sanctus Doctor, Innocentiam, quæ erat causa immortalitatis, non fuisse meram culpæ

culpæ carentiam; sed vt dicit originalem iustitiam, cuius vi erat in anima virtus totius corporis gubernatrix, ac moderatrix: Innocentia verò erat causa moralis.

INSTAT Mastrius cum Scoto, *disputatione 29. quæstione vnica*, non videtur ad iustitiam pertinere esse immortalem.

RESPONDET Sanctus Doctor, pertinere in ratione effectus ex Dei decreto etiam comitantis; & hoc vult Diuus Augustinus, *in Libro quæstionum noui, & veteris Testamenti*, apud Diuum Thomam; & vt iustitia originalis dicit totum statum, non vt dicit formaliter iustum.

90 OBIICIT quartò: Id, quod inest à naturali intrinseco appetitu, inest ex natura; sed vnio animæ, & corporis est ab appetitu intrinseco: Ergo, & vita inde resultans; sed appetitus est perpetuus: Ergo & vita immortalis.

RESPONDET Sanctus Doctor, non benè ex appetitu naturali inferri consecutionem boni concupiti; sed exigi virtutem, conferentem bonum illud: Sanè appetimus etiam beatitatem, sed ad eam assequendam exigitur lumen gloriæ, nedum gratia, & meritum.

OBIICIT quintò: Idem est principium dans esse, & illud continuans, si sit principium perfectum, & aptum ad continuandum: Tale principium est anima dans esse corpori, cùm sit forma perfectissima immortalis: Ergo. Confirmatur; nam formæ debet esse proportionata materia, vt fiat compositum aptum. Forma est naturâ immortalis: Ergo.

91 RESPONDET Sanctus Doctor, principium dans esse, posse & ad tempus conseruare, prout capax est conseruationis subiectum recipiens esse; At corpus ex contrariis non est aptum recipere conseruationem, nisi quantùm potest à virtute finita vegetare, quæ continuò repatitur, & tandem consumitur: Neque corpus in hoc debet proportionari animæ; sed in recipiendis, & cooperandis actibus vegetatiuæ, & sensitiuæ potentiæ. Cæterùm, quod in his corpus consumatur, naturaliter consequitur: Ideò, vt in immortalitate sibi corpus vnitum conseruaret perpetuò, indiguit gratiâ, vt ait Sanctus Doctor relatus, *quæst. 11. argumento 3.* Sic respondent etiam D. Thom. *p. p. quæst. 79. artic. 5.* & Peter. *num. 162.*

92 OBIICIT sextò: Sicut nutritiua est naturalis; ita & esus cibi; sed Adam naturaliter vescebatur ligno Vitæ, quod naturâ suâ erat aptum, ipsum seruare immortalem: Ergo.

RESPONDET Sanctus Doctor, esum ligni Vitæ non fuisse aptum remouere omnes causas corruptrices; sed solum ad restaurandum humidum, nutritioni optimum, & calorem fouendum. Requirebatur ergo & virtus interna compescens Elementorum pugnam; sicuti & Iudæis necessaria erat talis virtus, vt calceamenta, & vestes eorum seruarentur in solitudine quadraginta annis: Requirebatur etiam extrinsecùs sapientia, prudentia, ac robur Adæ, & Dei prouidentia ad arcenda violenta, quæ poterant necem inferre, vt ait etiam Peter. *n. 158.* & Mastr. *num. 20.* Etsi secundum à me requisitum negent.

RESPONDET secundò, virtutem ligni Vitæ fuisse supernaturalem; atque adeò ex eo etiam capite erat immortalitas supernaturalis, sicut conseruatio vestium Iudæorum supernaturalis.

OBIICIES primò contra secundum assertum. Vt qualitas illa moderaretur elementa, deberet quatuor contrarietatibus elementarium qualitatum opponi; at incredibile est, eam opponi calori, & frigori, &c.

RESPONDET Arriaga, id nos experiri etiam in forma cæli, quæ singulis primis qualitatibus corruptiuis resistit. 93

At Mastrius *num. 9.* ait, non mirum, in Cœlis, qui sunt Quintâ essentiâ, daritalem qualitatem; non verò in mixto è quatuor Elementis, quæ si daretur, deberet esse vna è quatuor Elementaribus, vel secunda, ex his deriuata: Quare falsitatis arguit Molinam dicentem, eam esse qualitatem corpoream.

ENIM verò Mastrius supponit, eam qualitatem naturalis ordinis, quod est falsum: Dico igitur, nihil posse ostendi implicans, talem à Deo produci qualitatem.

Ex alia ergo ratione validiùs refelli sententiam nostram, ait Mastrius; quia talis qualitas non posset omnes causas corporis corruptiuas arcere, putà Gladium, Ignem, & similia.

At S. Doctor iam dixit, *ad vltimum*, eam qualitatem datam esse ad vnam tantùm causam intrinsecam caloris innati moderandam; & tamen cum conseruandum cum humido primigenio: At quis etiam negabit, posse talem à Deo condi, quæ reddat corpus impenetrabile magis, quàm lorica eximia?

VRGET Mastrius: Potuit homo, etsi eâ qualitate armatus, fame se conficere. At satisfecit S. Doctor, *art. 2. quæst. 1. ad 4.* vt dixi, *quæst. 11. ad 4.* Si quid aliud mussitat, ex dictis patet.

QVÆSTIO XVI.

Quæ virtus esset indita LIGNO VITÆ.

D. Bonau. 2. dist. 19. artic. 2. quæst. 2. & artic. 3. quæst. 1. ad 6. & dub. 4. litt.

LIGNVM VITÆ fuisse veram arborem supponit D. Bonauent ex historia Genesis 2. *Produxit Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: Lignum etiam vitæ in medio Paradisi, Lignumque Scientiæ, &c.* Est de fide contra Origenem, qui Metaphoras fingit, exclusâ Historiâ.

CERTVM est etiam, illum fructum non fuisse merum signum incorruptionis, vt putat Eugubin. *in cap. 2. Genes.* Nam ait Dominus: *Ne forte sumat de ligno Vitæ, & viuat in æternum: Et emisit eum Deus de Paradiso.* Id notat D. Bonauent. *argum. 1.* & Suar. *cap. 15.* 94

ASSERO igitur primò, fructum LIGNI VITÆ habuisse virtutem inditam supernaturalem ad nutriendum, & quasi medicinam, seu balsamum ad seruandum. Itá D. Bonauent. *dub. 4.* & ad vltimum citatum. Gabr. *distinct. 19.* Caiet. *quæst. 97. art. 4.* Aretinus de hoc, & alij.

PROBATVR primò ex Beda, & Eucherio ad 2. *Genes.* & D. Aug. *lib. 8. de Genes. ad litt. cap. 5.* Hunc locum vehementer vrget Sanctus Doctor, *dub. cit.* Verba eius infrà referam.

RESPONDET Suar. Diuum Augustinum piè exponendum, id vocasse quasi naturæ miraculum; sicut alia opera naturæ insignia.

Contra; quia dicit, hoc lignum non more aliorum ciborum operatum; sed *inspiratione salubritatis occultâ*: Mox comparat hanc virtutem cum ea, quâ vnus panis quadraginta dies Eliam conseruauit, 3. *Reg.* 17. & ait: *Non dubitandum altiori virtute gratiæ Lignum Vitæ id præstitisse, quàm farina, & oleum, miraculosâ multiplicatione.* Mox opponentes vocat contentiosos, dicens: *Iam hic de genere contentiosorum quisquam existat, & dicat, Deum in terris nostris miracula talia facere debuisse; in Paradiso autem non debuisse: Quasi verò non, vel de puluere hominem, vel de latere viri mulierem, maius ibi miraculum fecerit, quàm, quod hic mortuos suscitauit.* En S. August. apertè vocat virtutem illam, virtutem gratiæ, & miraculum aliis veris miraculis præstantius: Ob id proindè ait, fuisse cibum, & Sacramentum futuræ gratiæ.

Idem asserit D. August. 13. *de Ciuitate Dei, cap.* 20. vbi dicit. Lignum Vitæ mirabili Dei gratiâ præstitisse, vt primi homines conseruarentur perpetua ætate floridi: Idem repetit, *cap.* 23. vt obseruat Mastrius, *disp.* 4. *quæst.* 1. *num.* 23. sarculo sibi pedem fodiens, vt ostendam *assert.* 2.

96 Opponunt tam *Suar. loc. cit.* Arriaga, *disp.* 41. Molina, *de oper. sex dier.* Peren. *lib.* 3. *de Parad. num.* 78. Auersa, *quæst.* 75. Lezana, *tract.* 7. *disp.* 3. & alij. Si virtus illa fuisset supernaturalis, & Sacramentali similis, non durasset postquam Adam indignus est factus; & tamen permansit; ob id Deus iussit eum eiici de Paradiso; *Ne fortè sumat de Ligno Vitæ, & viuat in æternum.* Ergo & Peccatori contulisset immortalitatem: Quod ferè esse de fide clamat Arriaga.

97 Immerito tamen; Nam illud (*in æternum*) sumitur pro diuturno tempore vltra mille annos; sic non rarò loquitur Scriptura, vt ostendi ex D. Bonauent. *tract.* 1. *disp.* 8. *quæst.* 1.

Sic respondet Perer. *lib.* 5. *de statu innoc. cap.* 21. *vers.* 19. *num.* 158. addens, eam virtutem supernaturalem ad perpetuò conseruandum, vt Augustino, Bedæ, Bonauenturæ, & aliis primæ classis Theologis placuisse videtur.

Sic eum locum componit S. Doctor *ad* 1. Fundatur in Hæbraïca lectione, quæ habet לעלם in *Sæculum*, vt legit Lyranus, Pagninus, & alij.

Nec desunt Patres explicantes, id ironicè dictum, sicut & alia præcedentia: Quare sine fundamento loquitur Arriaga, vt ait Mastrius, *num.* 22.

98 Ad id quod aiunt de Sacramentis, respondet S. Doct. ablatam virtutem supernaturalem, & solam naturalem remansisse, quâ diuturnæ vitæ conferret vsuram, puta ad decem millia annorum, vt ait Perer. *num.* 74.

Pererius, *lib.* 3. *de Paradiso, num.* 78. Conatur ad se trahere D. Thom. quia *quæst.* 97. *art. vlt.* probat, non potuisse *Lignum Vitæ* dare vitam infinibilem: quia est virtutis finitæ; atque adeò necesse fuisset, illum cibum plures sumere: Ergo supponit eam virtutem naturalem: Sed fallitur; debuit enim inferre: Ergo supponit esse creatam; nam etiam supernaturales res creatæ finitæ sunt: Idem ferè medium adhibet Scot. *dist.* 19.

Supposita supernaturalitate virtutis Ligni Vitæ, est sanè facilius sustinere in eo vim perpetuandi humidum radicale, si plures sumeretur, vt existimat faciendum D. Bonauent. *disp.* 19. *dub.* 4. *litt.* Suar. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 4. Mastrius, *num.* 25. Non tamen validè id reprobat Scotus, dato etiam quod fuisset naturalis, vt infrà ostendam.

Assero secundò: Fructus Ligni Vitæ perfectè reparabat humidum radicale; atque adeò ex hac parte reddebat hominem immortalem. Ità D. Bonau. *dist.* 17. *disp.* 4. & *locis adductis in margine.* D. Thomas, 2. 2. *quæst.* 164. *art.* 2. *ad* 6. Et multi alij Doctores è supra allegatis, contra Scotum, & Discipulos apud Mastrium, *quæst. cit.* Perer. *quæstione* 3. *num.* 69.

Quoniam verò Mastrius, *num.* 27. clamat, id à nobis semper haberi in ore, & nunquam probari; ostendam, præclare à Seraphico Doctore probatum; & ab ipso laudatum.

Probatur primò a D. Bonau. 2. *distinct.* 17. *dub.* 4. *littera* è D. August. 13. *de Ciuit. Dei, cap.* 20. vbi præclare id astruit: *Corpora primorum Parentum ante peccatum sic erant affecta, vt, licèt senio non veterascerent, vt necessitate perducerentur ad mortem, (qui status eis de Ligno Vitæ, quod in medio Paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili* 100 *Dei gratiâ præstabatur;) tamen & alios sumebant cibos: De Ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis vndecumque subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent, tanquam cætera essent alimento; illud Sacramento.* Infrà, cap. 23. *Adam, non immortalitate illâ absolutâ, & indissolubili; sed Ligno vitæ à mortis necessitate prohibebatur, atque iuuentutis flore retinebatur.*

Similia habet D. Aug. *qq. nouæ, & veteris legis, cap.* 19. & aliis locis, vt exhibet S. Doct. *dist.* 17.

Rursus *dist.* 19. *dub.* 4. *litt.* Adducit ad hoc præclarum D. Augustini testimonium, 8. de Genesi ad litt. cap. 5. *Illud quoque addo, quanquam corporalem cibum; talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnullâ inspiratione salubritatis occultâ. Profectò enim licèt vsitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cuius vna collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio vindicauit. An fortè credere dubitamus, per alicuius arboris cibum cuiusdam altioris significationis gratiam homini Deum præstitisse, ne corpus eius, vel infirmitate, vel ætate in deterius mutaretur, aut in occasum etiam laberetur; qui ipsi cibo humano præstitit tam mirabilem statum, vt in fictilibus vasculis farina, & oleum deficientes reficerent, ne deficerent?*

Beda sic ait: *Lignum vitæ dictum est; quia diuinitùs acceperat, vt qui ex eo manducaret, corpus eius* 101 *stabili sanitate firmaretur, ne vel ætate in deterius, vel tandem in occasum dilaberetur.*

Eadem dicunt Chrysost. *homil.* 13. *in Genes.* Rupert. *lib.* 3. *de Trinitate, cap.* 30.

Hæc sanè probant id, quod volo, nempè Fructum Vitæ adeò exquisitæ fuisse nutritionis, & actionis, vt non sineret in deterius ire corpus, sed semper in florido iuuentutis statu conseruaret.

Mastrius ipse id fatetur, *num.* 23. sed *num.* 32. respondet, Sanctum Augustinum ità loqui, supponendo, virtutem illius fructus supernaturalem.

Hoc magis premit Scotum, confirmando etiam primum nostrum assertum: Istæ enim veritates nituntur magis authoritate, quàm naturali ratione, cùm è reuelationibus pendeant, vt indicat Mastrius, *num.* 11. 102

Hinc ruit etiam opinio Scoti, hominem quidem in deterius abiturum, non obstante cibo Vitæ, sed transferendum à Deo, ne tandem moreretur.

Patres enim dicunt distinctè, hominem virtute Ligni Vitæ nec moriturum, nec deteriorandum; sed in iuuenili flore conseruandum.

Quod

Quod verò addit Scotus, Adamum transferendum, ne B. Virginem longo decursu operum meritis præiret, futile est; non enim tantum capitale gratiæ haberet, aut tanta auxilia. Deus enim his nouit prouidere. At esto; mihi nunc satis est, eum non transferendum ea ratione, ne mortem incurreret.

103 Assero tertio, Lignum vitæ homini lapso non conseruaturum humidum radicale perpetuò. Ità D.Bonau.ex professo *art.2.quæst.1.*

Probatur à S. Doctore quia lapso moriendum fuit ex decreto Dei *Genes.3.* in pœnam lapsus, vt ait etiam Apostolus, Rom.6. *Stipendia peccati, mors*; nulla verò creata virtus poterat hoc decretum irritum reddere.

Confirmat, quia homo per culpam similis factus est iumentis, quibus non profuisset ligni vitæ esus, vt mortem declinarent.

Tandem cùm corpus hominis ex decreto Dei esset morti destinatum, exigebatur eadem virtus, quæ suscitat mortuos, vt immortale redderet. Marginista hoc ipsum confirmatum è D. August. *quæst.9.veter.& noui test. quæst.19.* notat; sed fallitur, tum quia Liber ille non censetur D. Augustini, etsi allegetur à D.Thom. *quæst.97.art.1.* Tum quia ille concedit, Lignum vitæ conseruaturum Adamum immortalem, si eo vesceretur post peccatum. Ita verò elidit Scotum, & Mastrium; supponit enim virtutem illam connaturalem esse, & tamen validam ad perpetuò conseruandum, ex hoc capite, humidi deperditi, quod modò discutiam.

104 Certum est, virtutem illam, esto supernaturalem, fore finitam; & ità vsque ad talem terminum potuisse conferre, quo perueniens, non potuisset vltrà intensiuè, nisi replicatè sumeretur. Quare non solidè arguit Scotus, supposita virtute illa naturali ex finitate, non posse in æternum seruare, vt ait Mastrius; at supposita supernaturali concedit.

Addo, iam ostensam esse à nobis illam virtutem esse supernaturalem, ideò Scoti argumenta iudicio Mastrij *num.25.* nos non feriunt. Et cum veris, ac certis D. Augustini testimoniis astruatur supernaturalis; arguo, Librum illum Quæstionum si oppositum asserit, vt videtur asserere, non esse D. August. Argumenta tamen Scoti soluam.

105 Obiicit Scotus, vt dixi, arguens è finitate; sed quia Mastrius fulcris argumentum tremulum, nobis solidum ostendere nititur; afferam illud eius verbis *num.28.* Quando natura peruenit ad periodum determinatam sui vigoris ad conuertendum in se alimentum, ac deinceps paulatim languescit, ac debilitatur, non potest alimentum conuersum esse nobilius natura conuertente, quia non potest illud conuertere, nisi in substantiam sibi similem, non autem in meliorem: Ergo per illum fructum non reparabitur natura, sicut priùs.

Respondent Suar. Molina, Arriaga, Auersa suprà *quæst.cit.* ex D. Bonauent. *dub.4. dist.19. & in q.ad 6.* Scotum non percipere nostra fundamenta; non enim volumus, fructum vitæ fuisse merum cibum; sed medicinam balsamo pretiosiorem præseruantem. Quare erat quidem virtutis finitæ, vt non transmutaretur in substantiam altiorem; quàm aliti; tamen agebat, præseruans etiam vt medicina Cœlestis à Deo composita, qui Aphorismos dedit Hippocrati, atque adeò confortabat calorem à repassione, humidumque, ne deteriorem subiret conditionem, & ipse in substantiam non inferiorem humido primigenio mutabatur. Quare nunquam deterius fieret corpus ad modum; quo è cibis ordinariis euenit; satis erat autem, ipsum in eo vigore perpetuò conseruari. Vrget Arriaga è D. Bonau. *loco citato.* Si enim balsamum, & alia exquisita medicamina hominem semimortuum, viribus prostratis languentem, ita restaurant, vt ad sanitatem deducant, vt sexcentis videmus experimentis (quod tamen Scoti argumentum negare andet) quantò magis fructus ille, non ab Æsculapio, sed à Deo compositus, potuit humidum radicale perfectissimum ab ipso conditum fouere, & perpetuò conseruare? Hanc autem virtutem, sicut multis Aromatum naturis indidit, cur non potuisset & fructui illi inserere? At dedit supernaturalem; Post peccatum verò ablata virtute vrget argumentum è D. Bonau. à Scoto desumptum. 106

Replicat Mastrius *disput.8.de gener.quæst.9. num.125.& 129.* quòd, licèt per salubrem cibum, & medicamina reparari possit, antequam ipse cibus conuertatur in substantiam aliti aliquâ qualitatum iactura; tamen postquam natura peruenit ad terminum præfixum sui vigoris, nequit perfectè resarciri iactura substantiæ: Et hoc euenit, quia nunquam perfectè conuertitur alimentum in substantiam aliti, sed semper remanet aliquid excrementitium, quod actiones viuentis debilitat, & interdum noxias qualitates inducit; & quamuis valeat animal pharmaco se ad pristinum temperamentum reducere; nunquam tamen perfectè reducitur, aut permanet; quia duriorem producit concoctione substantiam, humidum absumendo. Vnde videmus, pueros initio habere carnem mollem, sed deinceps exsiccari, nec ad pristinam reduci humiditatem, &c.

Hæc disserit Mastrius, quasi fructus ille esset ex pomis, quos pueri apud nos erodunt, & esset cibus ordinarius. Vellem hoc suum argumentum percipere, sumptum ex finitate virtutis, è repassione, & è contrariis. Hæc omnia finita sunt, vt ipse fatetur: cur ergo non dat Deo, indidisse virtutem esto finitam, restauratricem illius deperditi finiti? Et cum illud deperditum esset ordinis naturalis; cur non valuit alia virtute naturali totum illud resarcire? Indidit supernaturalem, vt esset sacramentum, vt ait Diuus Augustinus, & Diuus Bonauentura suprà, signans nostra efficacia diuinæ gratiæ Sacramenta. 107

Pererius *lib.3. quæst.3. num.69.* deductis ad lineam Scoti rationibus, alio à se contexto argumento in eius se sententiam trahi testatur. Audiamus, quale istud sit. 108

Si Arbor vitæ habuisset virtutem, hominem æternum seruandi, ea fuisset frustra, quia Deus nolebat, hominem semper in terris; sed post annos plurimos transferre in Cœlos; Deus autem nil frustrà facit: Ergo.

Respondeo, Pererium non percipere nostrum assertum, aut rationes.

Dicimus enim cum Sanctis Patribus allatis, hominem in statu innocentiæ non infirmandum; aliudve passurum, atque adeò nihil deperditurum de viribus. Ità iuuenilis vigor nunquam defloresceret. Quæ operaretur ex parte esus Ligni vitæ replicatus. Itaque non frustrà virtus data est ei ità conseruandi, vt ad quodcunque tempus homo non deterioraretur; At Scotus dicit, deteriorandum, & moriturum, nisi à Deo transferretur, antequam penitus eroderetur, & consumeretur humidum radicale. Itaque vel non percipit Scoti sententiam, quam sequitur cæcutiens; vel nostram, quam reiicit. 109

Vrget

Vrget aliud argumentum à Scoto: Corpus humanum est natura corruptibile, quia resultat ex materia, ex Elementis, & ex partibus heterogeneis contrariis; & quia calor debilitatur in dies ex impuritate humoris alimentaris, qui est eius pabulum: Quare nequit fieri, quin corrumpatur aliquando. Nec opinor, posse ex vllo cibo, vel medicina fieri humorem natiuum ità purum, sicut initio: Nec multiplicanda sunt miracula.

110 En loquitur iste iam Rabbi Salomon! Iamque satis respondit S. Doctor, Lignum Vitæ non esse totam causam immortalitatis: Ideò *quæstione præcedenti* admisit virtutem inditam ad compescendam contrariorum pugnam: Cæterum scire vellem, quis condidit humidum primigenium? Ille igitur met Deus nonnè potest æqualem inserere in cibo à se præparato? Et cùm sit ordinis naturalis; cur non potuit aliud simile extruere? Dedit supernaturale: Cur autem miracula replicet, ipse à Diuo Augustino, & aliis Patribus à nobis, & à se relatis, *lib. 5. de statu innocentiæ*, potest ediscere.

111 Obiicit sibi Sanctus Doctor contra tertium assertum primò id Genes. *Ne fortè, &c.* suprà solutum: Deindè Richardi dictum, & alia, quæ solùm concludunt, virtutem Ligni Vitæ posse diù conseruare; sed non semper, stante mortis Diuino decreto.

Opponit, quia Henoch, & Elias esu Ligni Vitæ conseruati sunt, & conseruabuntur vsque ad Antichristum, vt dicunt Glossa, & Patres: Et quâ ratione vsque ad id tempus: cur non etiam deinceps? Respondet obstare Dei voluntatem.

Svpponit hìc Sanctus Doctor, adhuc extare Paradisum, ibique degere hos Patres: Id probaui, *tract. 8. disp. 3. quæst. 7.*

Id docet Ecclis. 44. *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum*: Neque dicat Perer. *lib. 3. cap. 2. quæstione 5. & lib. 7. quæstione 7.* non haberi in textu Græco vocabulum Paradisi; Nos enim tenemur Latinam sequi editionem Vulgatam.

Nec obstat *Genes. 7.* Operti sunt omnes montes aquis Diluuij; potest enim altè super altissimum iugum esse Paradisus, sicut de Hortis pensilibus narrant Historiæ.

112 Deinde potest esse exceptio; sicuti enim ibi dicitur, omnes homines aquis Diluuij necatos præter octo, qui erant in Arca: & tamen etiam Henoch saluatus est; ità potuit excipi locus. Quod enim seruatus in Aëre fuerit, vt putant Pererius, & alij, non credo; Caueant illi, qui miracula in locato admittunt; & monent superfluè in loco admitti: Et si Scriptura adest pro loco *Genes. 7.* adest & pro locato *Eclis. 44.* Multi etiam Patres id asserunt, vt ait S. Doctor, & referunt à Sixto Sen. *lib. 5. Biblioth. Annot. 36.* nec aliquis id negat præter Rupert. *lib. 3. de Trinitate, cap. 33.* Alij locum præcisè ignorari dicunt; Est enim Paradisus amplus, & multi Patres id asserunt expresse, Iustin. M. *quæst. 75. & 76.* Irenæus, *lib. 5. aduersus hæreses*: Tertul. *in Apolog.* Isidor. *lib. de vita Patrum*, Magister *2. dist. 17.* cum Theologis. Non insisto diutius; quia Sanctus Doctor solùm refert (vt dicunt) quomodò loquitur etiam D. Thomas, *p. p. quæst. 103. art. 2. Secunda 2. quæst. 64. art. 2. & 3. part. quæst. 49. art. 2.*

Obiicit tertiò: Lignum Scientiæ potens fuit dare mortem; Ergo & alterum dare vitam.

Respondet Sanctus Doctor: Nec fructum Scientiæ dedisse Physicè mortem, sed ratione culpæ; nec fructum Vitæ, suppositâ culpâ, retinuisse virtutem, Deo sic decernente.

QVÆSTIO XVII.

An eadem esset IMMORTALITAS *status Innocentiæ, & gloriæ.*

D. Bonau. dist. 19. art. 3. quæst. 2.

Assero primò: Immortalitatem, prout dicit potentiam non moriendi, quæ essentialis est immortalitati, esse eandem.

Probatvr à S. Doctore primò è D. August. *de vera Religione, cap. 16.* 113

Probatvr secundò: Sicut se habet potentia materiæ ad formas; sic potentia corporis ad vitam. At eadem est potentia materiæ primæ, non adhuc dispositæ, ac dispositæ: Ergo etiam potentia corporis, non determinata per gloriam, immobiliter; sed per innocentiam indifferens ad volendum mori, & non volendum, est eadem, ac determinata per dispositionem gratiæ consummatæ.

Probatvr tertiò: Sic se habet immortalitas ad vitam, sicut arbitrium ad obiecta; sed idem est essentialiter arbitrium ad bonum non immobiliter determinatum, & determinatum: Ergo & corpus ad vitam determinatum immobiliter ex dote gloriæ; & mobiliter per innocentiam.

Probatvr quartò: Oppositorum eadem est ratio; sed eadem est mortalitas status innocentiæ, & status miseriæ: Ergo & immortalitas status innocentiæ, & status gloriæ.

Probatvr quintò: Si homo stetisset, translatus esset ab immortalitate innocentiæ ad immortalitatem gloriæ, nec eam perdidisset: Ergo essentialiter conueniunt. 114

Assero secundò: Immortalitatem innocentiæ, & gloriæ esse diuersas, ratione dispositionis. Declaratur; Immortalitas dicit potentiam ad semper viuendum; hæc autem ex Dei decreto pendet ex potentia, seu prouida animæ gubernatione, quâ corpus continet, & regit: Quia ergo in statu innocentiæ poterat à rectitudine regiminis deficere; poterat etiam naturaliter deficere, & subtrahi corpus; at in gloria, quia necessariò est recta, non potest ei subtrahi; sicuti in statu miseriæ subtrahitur, quia deficit à recto regimine: Hinc patet assertio. Vide D. Bonauent. *in 2. dist. 19. art. 3. quæst. 2.*

Probatvr primò: quorum principia proxima sunt eadem essentialiter, ea sunt essentialiter eadem; & quæ diuersa habent principia, sunt diuersa: sed immortalitas innocentiæ, & gloriæ habent idem principium per se proximum, quod est potentia non amittendi vitam; remota verò, & per aliud est diuersa liberi arbitrij dispositio, à qua ex Dei decreto vtraque pendet: Ergo.

Probatvr secundò: Non est transitus ab vno ad idem; sed transitur à statu innocentiæ ad immortalitatem gloriæ, tanquam ab imperfecto ad perfectum: Ergo.

Probatvr tertiò: Quæ diuersis opponuntur, sunt diuersa: Nam vnum vni opponitur; sed immortalitati innocentiæ non opponebatur mortalitas; quia volens poterat morti destinari; at gloriæ immorta-

immortalitati repugnat, posse mori ex dote, & dispositione status: Ergo.

PROBATVR quartò; quod duos dicit status eiusdem potentiæ, dicit pluralitatem: Sed talis est vtralibet Immortalitas: Ergo. Hæc S.Doctor *additis responsis.*

QVÆSTIO XVIII.

An HOMO *sit Finis omnium sensibilium.*

D.Bonau.in 2. dist.16. art. 2. quæst.1.

115 IAM expedit, vt naturæ humanæ principatum in hoc mundo describam, antequam de statu gratiæ agam.

NOTA è Diuo Bonauentura *in corpore*, duplicem esse finem; alterum Vltimatum; & hic perfectè est finis, & conuenit primo Principio Deo: Alterum non Vltimatum, qui potest vlterius ad alium finem ordinari: Talis est Homo respectu sensibilium: Ideò ait Aristoteles 2. Phys. text. 34.
116 *Sumus finis nos quodammodò omnium.* Huius fundamentum altiùs nobis fodit Scriptura *Genesis* 1.vbi accingitur Deus ad hominis creationem;eum verò ad imaginem, & similitudinem suam condit, atque adeò omnium creaturarum corporearum nobilissimum, intellectiuum,& liberum. Ideò ait illi debitum dari super eas Principatum, & imperium; debent enim in serie ordinatâ præstantiora præcedere, & libera dominari eò magis, quò Imago est summi Monarchæ, ad quem imitandum, & beatè amplectendum ordinatur in deiformitate gloriæ per similitudinem gratiæ: Ideò, sicut ipse est præstantissimus ad Deum vltimum finem ordinatus; oportuit vt cætera per ipsum, tanquam finem eorum immediatum,ordinarentur ad Creatorem; vt sicut ipse; quia est summum bonum, est omnium finis; ita homo, vt creatur inferioribus melior; esset earum finis medius ad Deum: Hinc verò tenebantur ei subiici, vt ità ordinem seruarent. Hæc reso-
117 nant eleganter verba illa:*Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram* (ait Deus): *Et præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestiis, vniuersæque terræ, &c.* vt egregiè disserit S. Doctor *in corpore.*

ASSERO, hominem esse creaturarum sensibilium Principem, & Finem.

118 PROBATVR à S. Doctore ex illo Genesis relato: Et vt ostendat id datum homini ratione imaginis, quam seruauit etiam post lapsum; addit id Genes.9. *Omnes Pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur, & viuit,* vbi vtrobique primo loco subiiciuntur Pisces, quippè cæteris animantibus stolidiores, atque indociliores, ac humanæ consuetudinis refugi: Quod si eis præest homo, multò magis cæteris: Sanè pisces homine accedente ad littus tremuli absconduntur, Delphini mirè in hominem afficiuntur. Vide D.Basilium *homil.9. in Genes.* & Plinium, *lib.*8. *cap.*25. Vbi refert Incolas Tentyris Insulæ Nili, staturæ pusillos, Crocodilis efferatissimis, frænum trabe in os iniectò imponere equitando, ac solâ voce tremoribus eos concutere. Hinc non verè dixit Theodoretus, *quæst.*20. *in Genesim*; marina Monstra vasta, quæ Cetes vocamus,& Balenas,non esse condita propter hominem; nec eius subiecta imperio: Nam *Psalmo* 8. Omnia dicuntur sub pedibus nostris à Deo posita, & inter hæc Pisces maris, inter quos sunt Ceti: Idem testatur *Iacob.* 3. Hæc latè prosequitur D. Basilius, *homil.*10. *in Genes.* Ostendens, etiam Balenas subiici industriæ hominis, qui mirè eas paruo hamo captiuas facit, &c. vt refert Pererius, *lib.*4. ad ea Genesis verba: *Et præsit, &c.*

PROBATVR à S.Doctore etiam ratione: Quæ 119
ità in finem ordinantur, vt aliqua, medio alio, in eum tendant, ea ordinantur ad illum, per quem finem attingunt; sed omnia ad Deum, vt summum bonum ordinantur, vt ait Aristoteles, *primo Eth. cap.* 1. Et D. Dionys. *cap.* 4. *de Diuinis nominibus*; Ità tamen, vt solus homo inter sensibilia immediatè Deum attingat ratione imaginis, & similitudinis in beatitate: Ergo cætera per hominem in Deum feruntur, & ad hominem tanquam finem immediatum, vt dixi.

HINC soluit primum obiectum argumentum, quo solus Deus ostenditur finis vltimus. Vide eundem Sanctum Doctorem, *Proœmio in Sapientiam.*

OBIICIT secundò, Multa animalia vsui, vel 120
vtilitati hominis non deseruire, aliqua, quæ solùm ad cibum; alia ad vestitum, quæ, stante Adamo,non erant necessaria: Et si dicas, ea esse parata, præuiso lapsu. Instat: Ergo in hominis arbitrio erat reddere eorum creationem frustraneam.

VRGET tertiò;Multa esse Animalia homini noxia,& inimica à naturæ instinctu:Ergo non propter hominem facta sunt initio:Si dicas,eo tempore non fore noxia. Contrà: Ergo vel tempore innocentiæ eorum instinctus erat frustra, vel naturam mutarunt ex peccato Adæ.

ADVERTIT S. Doctor, omnia homini deser- 121
uire; sed alio modo in statu innocentiæ; alio post lapsum. In primo enim statu omnia erant rectè ordinata, vt inferiora ad superiora ordinarentur; & per hæc regerentur: Sic elementa erant propter mixta; inanimata propter animata, & hæc propter hominem: Vsus erat Elementorum nutrire plantas, & herbas; hæ verò alebant bestias; & hæ hominem, qui prudentiâ pollens, & scientiâ, debuit regere inferiora, vt dicitur *primo Politic.* & ipse regi sub Dei imperio: Eo aureo sæculo omnia Adæ ita deseruiebant, vt sicut ipse Deo; ita Creaturæ illi sine rebellione se subderent, & sine retardatione parerent quatuor ob causas: ait Sanctus Bonauentura.

PRIMA est ad manifestandum eius imperium, 122
vt videret quantus Rex à Deo esset constitutus: non modo vi suæ sapientiæ, & industriæ, quibus optimè instructus animalium indoles callens, ea verbis alliceret, sicut incantantur serpentes, & blanditiis ac cibis domesticos redderet aptis, quibus mansuescunt ipsimet Aspides: vt narrat Plinius, *lib.* 10. *cap.*74. Et Cornel. à Lapide *in cap.*11. *Isaiæ*, de quadam Aspide ab Ægyptio enutrita, quæ cùm in eius domo peperisset aspidulos; Ex hisque vnus paruulum Ægyptij Filium colludentem, necasset incautum; singula triplici exsibilans, priuilegium ludendi cum aspide, non esse illius temporis; sed fuisse aurei seculi primi, & fore secundi per Christum renouandi, vt ait Isaias: *Et ponet manum in foramine Aspidis, & in cauerna Reguli.* Regressa verò mater Aspis, & viso puero mortuo, linguâ triplici ad quæstionem vocatis catellis, reoque reperto, ore ipsum suffocauit; mox in solitudines profuga, si quando humanas voces audisset, ingemiscebat. Ità videmus ferarum rectores in caueis illas sibi reddere mansuetas,& blandas.

Neque

Neque solo Angelorum ministerio reddebantur obedientes, sicuti ab eis adductæ sunt ad Adam, vt omnibus nomen imponens imperij stemma à Deo, & a singulis subiectis prostratis obsequij tributum reciperet, vt differunt expositores Genesis; Necnon Sancti Patres, atque Theologi, *dist.* 16. sed ipsæ belluæ inditis speciebus à Deo, quibus homo exhibebatur eis magnus, timendus, & amandus, ipsi immediatè agnito parerent; quod & post lapsum miraculis præstitit sanctis Deus, nobisque ex parte in Patriarcha nostro concessit; etsi diminuto imperio, Genes. 9. *Terror vester sit super cuncta animalia, &c.*

123 Ita enim Coruo nuntio vsus est Noë; & quia inter carnes præfocatas diutiùs volitarat, cogitur auis vorax carnes Eliæ deferre, ne tantillum degustatas; auis inimica cadaueribus destinatur cadaueri Martyris Vincentij intacto à Lupis, & à Volantibus rapacibus custodiendo: Sic Vrsis imperauit Elisæus 4 *Reg.* 2. Leonibus *Daniel* 16. & sic deinceps, vt dixerit eximiè Antonius Glielmus *discur.* 46. cum Diuo Bonauentura, ex quo eximios decerpsit sermones. Nonnè Leones, Pardi, Vrsi, Tauri, sanctissimis fratribus, Faustino, & Ionitæ, populo spe-

124 ctante in Theatro Brixiæ obsecuti sunt, & Italicum, Paganosque eius ministros Saturno id adscribere tentantes idolo delato, illud laniarunt? Vnde Afra Italici vxor, & Calocerus Dux, fide suscepta, Martyrium subiêre: Tygridi, & aliis bestiis in horum martyrio loquelam datam refert Faynus: An Lupum truculentum sancti Francisci pedibus tremulum iussa excipientem abstinendi à rapinis, & cædibus non admiramini? Omitto aues omnes ad colles Beuaniæ eius concioni aduolantes; eiusque dictis plaudentes, vt Deo gratias referrent, qui eis coloras plumas infixit, purgatum assignauit Elementum, Musicamque tradidit. Omitto Hirundines garrulas silentium edoctas seruare; ad libitum ad quetulos cantus reuocatas, Falcones è Cœlo; Feras ex antris ad eum accurrentes. Hæc prosequitur D. Bonauent. *in Legenda, cap.* 12. *& seqq.* & *Chron. Minorum*: Sic mare illi erat & Nauta; Ignis placidus, non ardens. Terra inter brumas rosaria variegata germinabat; Aër pluuias ruentes continebat, &c. Quid de D. Antonio Patauino? cui & Muli adorantes Sanctissimam Eucharistiam, & pisces stolidi, Concioni assidentes, facti sunt dociles, vt Hæreticos obstinatos emollirent, & fidei edocerent Sacramenta: Exactè in aureo seculo inanimata quoque, ipsique Cœli Angelis mouentibus parebant: Nam & *Deuter.* 4. testatur Deus, Solem & Astra propter hominem condita, vt differit Perer. ad id 1. Genes. *Præsit, &c.*

125 SECVNDÒ deseruiebat tot animantium varietas Aulæ hominis exornandæ: Ità verò florentia tapetia Vere sternit Deus homini; & elegantiora in Paradiso sternebat, Estate Aristis aurata, fructibus Autumno Polymita, ac Hyeme candicantia, vt differit Sanctus Doctor hic, & latiùs *in Sermonibus, & Opusculis*, eius imitator Glielmus *discursu* 3. & aliis sequentibus.

ITA Maria Piscarias; Aërem Auiarium; solitudines, Ferarum caueas Homini Regi, & campos, iumentorum stabula fecit, vt differit S. Doctor suprà, & Glielm. *serm.* 1.

TERTIO adeò miram rerum varietatem Deus homini, veluti sapientiæ condidit Bibliothecam, vt in ea veram edisceret sapientiam Creatoris; sunt enim ordines creaturarum volumina characteribus diuinis cusa, diuinam nobis Maiestatem exprimentia, vt latè prosequitur Glielmus *discursu* 1. *de gloriis Sanctissimæ Trinitatis* cum D. Bonauent. *in corpore*, & *ad* 5. & latiùs *adductis locis*, vnde Glielmus dicatur.

MARE inter volubilia vndarum folia argenteis squammis, gemmatisque punctis apprimè excusa, Deum prædicat, vt innuit *Eccl.* 24. Nonnè plurimæ Oceani linguæ ad nos ipsos extensæ prædicant *Mirabiles elationes meus?* 126

VIDE secundum Tomum Terræ, inter vndas immobilem; camporum, montium, vallium, & cauernarum folia, floridis, herbosis, gemmatis, frugiferis, fructiferisque syllabis contextis excusa, diuinam exprimentibus sapientiam. Animalium varietates, naturas, formas, indoles, figuras, camantes. *Quam magnificata sunt opera tua Domine!* Mirare Equos hominis itineri, Camelos oneri, Boucs aratro, Canes custodiæ, Catillos blanditiis, Simias oblectamento, Oues altaribus, Æluros venationi domesticæ destinatos.

VIDE Aëris volumen, nubibus conscriptum, Iridibus, aliisque coloratis ornatum, auibus repletum canoris, admirabili concentu Dei sapientiam acclamantibus.

VIDE Librum cæruleum, sapphirinis foliis immensis mirificè contextum; firmamentum aureis characteribus stellatis, adeòque vastis, egregiè conscriptum, vt crassiori sit mineruâ crassior, qui oculatus ea nesciat perlegere.

CONTEMPLARE hominem Microcosmon, quem *tract.* 8. *&* 9. descripsi, & excedes.

QVARTO mundum tam præclarum condidit, harmonicis notis adeò contentum, vt videns homo creaturas rectâ adeò ad Deum ordinatas, ipse suos Diuino obsequio mores componeret, nec à Diuinis legibus transuerso vngue declinaret. Videbat Cœlos, veluti horologium absque errore, tempora suis rotis ostendentes; Aërem harmonicè ventos flantem: Mare caput ad arenam confringens, imperante Domino: *Huc vsque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Suspicere libeat lachrymas vnionum, chorallinum sanguinem spargentem; Terram, super nihilo nixam, Dei solius dicta trementem, &c. 127

ALIIS verò modis ordinata sunt ad hominem Sensibilia post lapsum (ait S. Doctor:) Vt sanè videns eorum Deo exhibitam obedientiam, atque inter se ad opera concordiam, erubesceret suam à rectitudine declinationem; Muscas, & culices homo vidit, generosas in acies stipatas, Pharaonis, Regis Ægypti, vrbes expugnantes, Saporis Persarum Regis exercitus profligantes: Coruos ieiunium prædicantes, Balenas deuoratum Ionam non consumentes, Asinas prædicantes obstinatis: Vide Glielmum *discursu* 34. Ità Ignis Babylone non vrit, *Dan.* 2. Sol stat, *Iosue* 10. Reuertitur 4. *Reg.* 20. Scinditur Mare, & viam aperit, *Exodi* 14. Tacent Venti Christo minitante, Marci 4. *Respicit terram, & facit eam tremere*, Psal. 103. Homo verò arbitrio dimissus, heu quàm Deo suo rebellis, nec iussis stat, nec minis mouetur. 128

VIDET & Creaturarum obsequia homo erga se, nec ad proximi amorem accenditur: Videt equum superbum, Animal patientem morsus ferreos, calcaria, virgas; & in fœtido stabulo capistrum; vt eum portet: Intuetur Bouem castratum, collo iugum graue ferentem, Bubalum naribus circulum ferreum circumducentem: Canem perpetuas ducentem in liminari inter varias temporum iniurias impransum, & incænatum, vigilias; Asinum, Camelum, & Mulum, sarcinas sustinentes: Volucres 129

eres carcerem perpetuum subeuntes, vt ei inseruiant, cantibus amissam, ac desperatam libertatem deplorantes.

130 Videt plurima ex his ad recreationes, ad venationes fideliter insudantia: Falcones prædantes, & prædam Coturnicum intactam deportantes: Canes Leporibus captis, metu nec dentem infigentes, Gallinas oua quotidie spontè donare, & pullos quotannis excutere: Columbas singulis mensibus filios ad esum hominis nutrire: Pauones suas pompas exuere ad ornamentum galeri: Anseres, Anatesque se, suamque stirpem Lanienæ tradere: Oues lanas non modò ad vestes, sed lac, & filios concedere iugulandos: Omnia denique sibi inseruientia, Terram, Mare, Aërem, Ignem, Cœlos, & Astra; necipse, Eheu monstrum! Supremo Domino, vltimo Fini; vel proximo propter Deum, obsequi vult, aut parcere.

Ipsa quoque noxia quadruplici ratione homini
131 inseruiunt, vt ait D. Augustin. *3. de Genes. ad litt. cap.* 17. aut enim ad pœnam, sicuti Serpentes in deserto Iudæis *Numer.* 21. Leones 4. *Reg.* 17. aut ad salutem exercent, vt Leones Sampsonem. *Iudic.* 14. Leones, & Vrsi, Danidem, vt habes 1. *Reg.* 17. aut vtiliter probant, sicut rapaces volantes, Abrahamum *Genes.* 15. aut ignoranter docent, vt belluæ, Nabuchodonosorem, *Daniel.* 4. Vide S. Doctorem.

Admonet autem S. Doctor, & cum eo Perer. non esse immutatam post peccatum naturam Ferarum, aut nouam eis datam potentiam: Neque earum feritatem futuram frustrà fuisse in statu innocentiæ; quia deseruisset, vt dixi, multis modis.

Hinc infert, belluas morte suâ, aut aliarum
132 ferarum, non fœdaturas hominis habitationem: Nam & nouæ Feræ, succedentes demortuis, essent ordinatum, ac nouum succedens ornamentum; & cadauera non fœdassent, imò à Deo fuissent amota, ne fœtorem emitterent: Et Feræ alias occidentes inimicas, (vt verè occidissent, vt ait D. Aug. *3. de Genes. ad litt. c.* 16. Fuerant enim & volantes rapaces conditi) ad hominis eruditionem profuissent.

QVÆSTIO XIX.

An ordine, ad Hominis *dignitatem conducente,* Devs *Creaturas condiderit.*

D. Bon. in 2. dist. 16. art. 2. quæst. 2.

133 Prælibat S. Doctor ordinem, quo Deus sensibilia condidit: Primò quidem creauit Cœlum Empyreum, & in eo Angelos, ac Materiam primam: Prima verò die Lucem expandit: Secunda die Firmamentum Cœlorum: Tertia die Elementa, ac primò Terram, hominis sedem, ornauit vegetabilibus: Quarta die ornauit Cœlos Astris: Quinta die Elementa perspicua, Aquam, & Aërem, animalibus, ex eadem materia aquosa; & primò imperfectiora condidit, nempè natatilia, mox volatilia; quia ordo naturæ est ab imperfecto ad perfectum: Sexta die repleuit terram bestiis è terrea materia; mox perfectissimum Animal rationale condidit.

Assero, Hominem vltimò rationabiliter conditum ad dignitatem.

134 Probatvr à S. Doctore primò; quia id, quod è pluribus præcedentibus componi debet, necessariò vltimo loco conditur; sed hominis corpus est organizatum è pluribus, & exquisitioribus mixtis & Elementis: Ergo omnia perfecta corpora ex natura necessariò; & liberè ex decreto Creatoris debuerunt priùs esse condita.

Probatvr secundò: id, quod è pluribus, naturâ distantibus, conditur, congruè distantiam creationis partium exigit: Sed homo constat è corpore, & spiritu: Ergo ritè distantes hæ partes condebantur: Ritè ergo primò materia corporea, & ex ea mox Elementa, ac vltimò debuit organizari corpus, eique spiritus infundi.

Probatvr tertiò à S. Doctore ex hominis 135
perfectione; quia perfectiora, ordine generationis sunt posteriora: Homo autem erat perfectissimus in mundo sensibili, & Microcosmos in Macrocosmo, continens totum mundum eminenter, conditusque est Princeps; ideò priùs aula ipsi erat condenda. Is erat medium quoddam per participationem inter spirituales creaturas, & Angelos: Ideò priùs creata extrema: Has, & alias rationes prosequuntur Theologi, & Genesis expositores cum D. Ambr. *epist.* 38. cum D. Bonau. hîc, & in *Compend. Theol. ver. cap.* 29. *& seq.* maximè 60. *&* 61. & 2. *part. Breuil. cap.* 11. *&* 12. vbi etiam ait, Mundum veluti librum conditum, aureis amoris characteribus cusum, vt homo, vltimò conditus, in eo legeret Dei amorem: Eadem prosequitur *3. part. Centil. à sec.* 19. & alibi sæpè in suis Opusculis aureis.

Obiicit: Aliqua Elementa vna die sunt distincta: Ergo vna die ornari debuêre.

Respondet S. Doctor, negando paritatem; nam distinctio vnius est respectu alterius; Ideò si distincta sunt, debuêre distingui omnia; at ornatus vnius non est ornatus alterius.

Obiicit secundò: Ornata sunt tria Elementa: Ergo simul vel tribus diebus; Deinde etiam ignis debuit ornari.

Respondet, Aërem, & Aquam facere vnum subiectum; vnde sunt aues, & pisces; Ignem verò animalia non nutrire: Alia opponit facilia.

QVÆSTIO XX.

An ad dignitatem hominis Devs *eo condito quieuerit.*

Notat S. Doct. Agens, quod mouendo mouetur, & fatigatur, quiescere à labore; at Deum, 136
qui non fatigatur, quiescere, ab opere cessando.

Notat secundò, duplicem mundi perfectionem: Altera est stabilis permanens, & hæc consistit in coexistentia omnium specierum ad mundi complementum, & existentia principiorum ad cætera successiuè indiuidua producendo: Aduertit autem, ad specierum omnium existentiam eas sufficere, quæ, secundùm ordinem rectum naturæ, intentæ sunt; non autem quæ è putri producuntur: Ea enim supponunt subiectum degenerans, putà corpus humanum, quod à propria forma degenerans producit per putrefactionem: Tales etiam sunt species degeneres, putà Mulorum: Horum autem sat est existere seminaria principia: Hæc ad complementum vniuersi satis sunt: Ideò his conditis Deus quieuit. Altera est perfectio decurrens indiuiduorum, & hæc satis complent ordinem, & successiuam mundi harmoniam; & quoad hæc ait Christus, Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.*

Notat tertiò ea, quæ successiuè à Deo producuntur, alia producta esse initio in simili, non in ratione seminali, vt animæ rationales, quæ creantur

creantur quotidie: Quædam producta in ratione seminali initio condita; nec tamen in simili tunc condita sunt; vt quæ ex putri, & quæ per diuersarum specierum copulam producuntur, vt Muli: Alia producta esse initio, & in ratione seminali, & in simili, vt cætera: Ideò Deus nihil nouum producit; quia omnia aliquo modo condita sunt, & omnes species extiterunt, in quibus mundi essentia consistit; & ideò rectè requieuit: His argumenta etiam soluit.

ASSERO, ad hominis dignitatem elucere Dei quietem septimâ die.

137 PROBATVR à S. Doctore: Quies est, habito fine; sed Deus hominem finem vniuersi corporei condiderat: Ergo eo condito ritè quieuit.

NOTAT autem, septimam diem non dici habuisse vesperam; quia in ea non est factum opus habens finem.

NOTAT etiam *in resp. ad tertium*, Deum requieuisse die septimo ab omni opere, non quia die septima aliquid condiderit, & requieuerit; sed inclusiuè mundum compleuit die sexto: Nam sex diebus, omnia perfecit, vt dicitur *Exodi* 20. *&* 31. Et hic condito Adamo, eductaque Eua requieuisse dicitur: Ideò LXX. legunt: *Compleuit Deus die sexto*, inclusiuè: At die septima exclusiuè: Neque suaueolet id, quod ait Catharinus, septimâ die conditam Euam; nam in fine *capitis primi*, sexta die ait creatum hominem, & subdit: *Masculum, & Fœminam creauit eos*, vt notat Pererius post Diuum Bonauenturam.

138 INDICAT porrò S. Doctor, *fund.* 3. quæstionem illam: An præceptum Sabbathi ex primo Sabbatho obligare inceperit, quasi Deus quiescens, quietem indixerit: Id sanè astruit Catharinus.

SED negant Tertullianus, & Cyprianus *contra Iudæos*, Iustinus *contra Triph.* Euseb. *lib.* 1. *hist. Eccl. cap.* 4. Beda *in Hexaëmer.* Tostatus, & Pererius hic.

SERAPHICVS *in* 3. *dist.* 37. *quæst.* 3. *in corpore* ait: Ad præcepta, quæ ordinatur ad Deum, explicitè obligabatur homo in statu naturæ institutæ, vbi idoneus erat, & dispositus ad colendum Deum integrè, & perfectè: Vbi solùm Dei cultum astruit obligasse, non autem tempus Sabbathi.

CLARIVS *dub.* 3. *eiusdem dist.* ait; in præcepto Sabbathi esse cæremoniale, & morale; & quoad morale manere etiam nunc diei Dominicæ obseruantiam: Ergo ex D.Bonauent. dies Sabbathi est sola Legis Scriptæ cæremonia, quatenùs est tali die determinata cessatio ab opere seruili.

139 PRÆCLARE *serm.* 4. *de decem præceptis* docet, cessationem Dei, septimâ die fecisse figuram quietis; & præceptum Legis Scriptæ de Sabbatho, vt est dies septima, fecisse cæremoniale: Eadem habet 2. *part. Breuil. cap.* 2. Eam diem septimam fuisse figuralem septimæ ætatis in quiete æterna.

140 DICO igitur, eo tempore non fuisse datum Sabbathi præceptum.

PROBATVR: Tum quia in statu innocentiæ non erat labor, nec ad seruilia distractio: Tum quia fuisset obseruatum à Patribus Legis Naturæ, quod est inauditum: Tum quia apud Patres, & Theologos vnicum agnoscitur Adæ latum præceptum de non edendo pomo: Et antiquos salutem esse consecutos solâ Legis Naturæ obseruantiâ, cum lumine aliquo fidei supernaturalis: Dicitur verò creasse, *vt faceret*, ordinando creationem ad fines cuique creaturæ præstitutos.

QVÆSTIO XXI.

An Hominis DOMINIVM, *& gubernatio sit à primo statu innocentiæ, vel à lapsus initio.*

D.B. in 2. d. 44. art. 2. q. 2.
D.Thom. in 2. dist. 44. quæst. 1. art. 3.

DOMINIVM, seu Imperium super irrationabilia à creatione homini concessum ostendi, & quale esset, descripsi, *quæst.* 15. vbi post lapsum probaui imminutum: Ea probat S.Doctor, etiam *ad cap.* 10. *Sap. ex Psal.* 8. *Eccli*s. 17.

TRIBVS modis est dominium, potestasque præsidendi: Primò, respectu cuiusque rei, quâ homo potest ad libitum rebus suis vti: Hoc modo est homo dominus suorum bonorum externorum mobilium, & immobilium: Secundò respectu alterius rationalis; & hoc dicit excellentiam potestatis directiuam: Tertiò, vt dicit potestatem coactiuam; & coërcentem; & hæc dicit in subdito seruitutem, & in dominante potestatem Ciuilem, vel Despoticam: Ciuilis quidem est in Principe respectu subditorum, quæ non est ad omnia, sed ad vitam ciuilem; Despotica verò est dominorum in ergastulos ad omnia (sine præiudicio legis Diuinæ non occidendi, &c.) De prima potestate actum est, *quæst.* 15. 141

ASSERO primò, potestatem præcellentiæ imperatiuam, directiuam fuisse in homine primo innocente, nec illi statui repugnare. 142

PROBATVR à S.Doctore; quia, cùm in eo statu essent homines multiplicandi, cumque simul essent conuicturi; quia homo est animal sociabile, forentque alij aliis prudentiores, & sapientiores, putà viri, respectu vxorum; quia Vir est Caput mulieris, vt dicitur 1. *Corinth.* 11. Igitur, ne in multitudine esset confusio, oportuit, aliquos aliis Rectores præsidere.

PROBATVR secundò: Nam & inter Angelos ad ministerium alij aliis imperant, *Danielis* 8. *Zachariæ* 2. Ideò alij sunt Angeli; alij Archangeli, seu maiores Ministri: Sunt enim nomina hæc ministerij, vt dicitur *primo ad Hebræos.*

PROBATVR tertiò à S.Doctore; quia hæc est dignitas suauis, non molesta, sed vtilis, & periocunda regendis; atque adeò statui viæ, etiam in innocentiæ gratia, conuenit; non tamen manebit in gloria, vbi omnes, Deo soli subordinati, ab eo immediatè pendebunt, in quem erunt absorpti.

ASSERO secundò, modum tertium dominandi esse solius naturæ lapsæ.

PROBATVR à S. Doctore Primò authoritate Sanctorum Patrum, exponentium id Genes. 9. *Chanaan, seruus seruorum erit*, vbi in pœnam peccati impietatis imposita est seruitus; *& Genes.* 3. dicitur mulieri: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Quamuis enim ante lapsum esset mulier viro subdita ad directionem, tanquam Capiti; non tamen ille dicitur Dominus, sed socius; vnde non è pedibus Adæ est educta, quasi serua, sicuti neque ex capite, vt domina; sed è latere, vt *Adiutorium simile*: Potuit autem esse subiectio directiua suauis; At post peccatum molesta, ex imperfecto modo conuictus, ex mulieris leuitate corrigēda, &c. Sicut enim in prima perfecta rectitudine status, 143

&

& vir sanctè imperasset, & mulier, ad bonum directa, libenter obedisset; ità deprauato homine, & vir importunus, asper; & vxor renitens, garrula, &c. reddunt regimen onerosum, & subiectionem amaram.

144 Obiicies primò: Deus *in Genesi* dedit homini imperium super animalia, non super homines, dicens: *Dominamini Piscibus, &c.* Ratio est, quia fundamentum dominij in homine, est imago Diuina: At omnes etiam fœminæ sunt Dei imagines.

Respondet S. Doctor: Ordinem illius status exegisse, ne imago Dei seruitutem subiret, quia seruitus ligat priuando libertate ad multa etiam honesta, & cogens ad molesta, reddit vitam amaram; at non repugnat imagini Dei suauis ad bonum directio: Nam voluntas ad bonum est eò perfectiùs libera, quò rectiùs in bonum tendit; peccatum enim defectum arbitrij dicit: Ideò in statu illo dedit omnibus hominibus imperium super inferiora; quia omnes sunt Dei imagines, non autem dixit: Dominamini hominibus; quia non omnibus conueniebat regere; alioqui foret confusio; sed Patri filios; marito vxorem demandauit dirigendam.

Obiicies secundò: D. Gregorius ait; Deum omnes homines creasse æquales: Et D. August. 19. *De Ciuit. Dei*, *cap.* 15. ait: *Rationalem hominem, factum ad imaginem suam Deus noluit, nisi irrationabilibus dominari: non hominem homini; sed hominem pecori.*

145 Respondet S. Doctor verbis subsequentibus D. Augustini, quibus profitetur, se loqui de dominio relato ad seruitutem; subdit enim: *Inde primi iusti, pastores pecudum, magis quàm Reges hominum constituti sunt; vt etiam sic insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum: Conditio quippè seruitutis iure intelligitur imposita peccatori: Proinde nusquam Scripturarum legimus seruum, antequàm hoc vocabulo Noë iustus peccatum filij vindicaret: Nomen itaque istud culpa meruit, non natura*: Sic refert etiam Ambrosium *de Helia, & ieiun. cap.* 6. dicentem: *Seruitus introducta fuit per peccatum ebrietatis*: Hinc soluit argumentum, opponens, Dominari esse nobilitatis; atque adeò non negandum statui innocentiæ: Respondet autem, etsi dominium tale sit dignitatis in dominante; esse tamen in seruo notam indignitatis.

Obiicies tertiò: Quod est ad conseruationem ordinis naturalis, conuenit etiam statui innocentiæ: Talis est Lex dominij, & seruitutis ex D. August. 19. *de Ciuit. cap.* 15. & 16. *in fine*, vbi ait: *Pœnalis seruitus ea lege ordinatur, qua naturalem ordinem conseruari iubet; & perturbari vetat.*

146 Respondet S. Doctor hic, & *ad* 8. *Eccl.* in ea verba: *Dominatur homo homini*, aliqua esse secundùm ordinem naturæ, secundùm omnem statum, vt honorare parentes; alia conuenire naturæ in naturali conditione non deturpata, vt: Omnia esse communia: Alia conuenire naturæ lapsæ, vt dominium relatum ad seruitutem, vt mali compescantur; & boni defendantur, vt lites scindantur, nec homines perturbentur iniustè, vt ait S. Augustinus loc. cit. *Nisi enim essent huiusmodi dominia coërcentia malos, vnus alterum opprimeret ex natura corruptela, & communiter homines viuere non possent*; non sic in statu innocentiæ; quia homines singuli in statu, & in officio se continerent; Quare S. Augustinus suis se verbis resoluit.

Ex dictis colligit, nullam in statu perfectissimo, in quo videbunt homines Deum, fore necessariam directionem: Angelis verò nunc eam conuenire ob directionem contingentium, quæ inæqualiter videntur, cùm sint extra visionis beatæ essentiam: Colligit etiam, dominium primo modo omni statui conuenire, & sanè perfectius, ac perfectiori modo, prout status est perfectior.

QVÆSTIO XXII.

An primus Homo *ante lapsum fuerit in Gratia.*

D. Bonau. in 2. dist. 29. art. 2. quæst. 1.

Assero, Adamum ante lapsum, fuisse gratiâ sanctificante decoratum. 147

Probatvr à S. Doctore primò quidem è Scripturis id indicantibus: Sunt autem illæ, quæ dicunt, hominem primum amisisse sibi, & nobis salutem, hæreditatem filiorum, & acquisiuisse damnationem: Similiter, quæ conferunt Adamo Christum, & dicunt, hunc esse gratiæ Reparatorem, & Paradisi gloriæ Restitutorem, & aliæ similes, quæ in Epistolis Diui Pauli sunt frequenter iteratæ; Id etiam indicat Parabola expoliati, & vulnerati prope Hierico, vt dixi *quæst.* 12.

Probat secundò è Sanctis Patribus, quos refert Magister *dist.* 29. Gratianus, *de Pœnit. dist.* 2. *cap. Tolle charitatem*: Id apertè confitentur August. *6. de Genes. ad loc. cit.* 24. & 26. & 14. *De Ciuitate Dei*, *cap.* 10. & *lib. de corrept. & gratia*, *cap.* 11. vbi ait: *Quid ergo? Adam non habuit gratiam? Imò verò habuit magnam*: Et 11. *de Genes. ad litt. cap.* 13. & *lib.* 4. *contra Iulian. cap.* 16. Ambros. *lib.* 6. *Hexaëmer. cap.* 7. & *lib.* 4. *Epistolarum*, *Epist.* 30. & *lib. de Paradiso*, *cap.* 13. & *lib. de Noë*, *cap.* 30. Et alibi Cyprian. *lib. de bono patientiæ*, Irenæus, *lib. contra Hæreses*, *cap.* 20. & *cap.* 37. Dionysius, *cap.* 3. *de Cœlesti Hierar.* Basilius, *lib. de Spiritu Sancto*, *cap.* 15. Cyrillus, *libro primo in Ioannem*, *cap.* 15. Anastasius Synaita, *lib.* 10. *in Hexaëmer.* Glossæ, & alij apud Suar. *lib.* 3. *cap.* 17.

Probatvr deinde à S. Doctore argumento 148 D. August. *de corrept. & gratia*, *cap.* 10. & 11. Ex Adæ statu perfectionis; Positus est enim in Paradiso, vt gloriam mereretur; sed non potuit eam sine gratia mereri: Ergo. Hoc vtitur Suar. *num.* 4. cum Diuo Bonauentura, *argum.* 4. & *in corpore.*

Id confirmat è Scriptura, & Patribus, Adamum ingratissimi animi arguentibus, vt referam, *disp.* 2. *quæst.* 7.

Tandem id definitum esse videtur in Concilio 149 *Araul.* 2. *can.* 19. à Tridentino, *sess.* 5. *can.* 1. vbi ait: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim Sanctitatem, & Iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, &c. Anathema sit*: Quare Arrlaga *disp.* 40. ait, id esse de fide: Vbi nota, non dixisse, Adamum esse creatum in gratia; sed constitutum, quod non est idem, vt putat Valentia, *quæst. sequent.* adducendus.

QVÆSTIO XXIII.

An primus HOMO *fuerit creatus in gratia.*

D. Th.p.p.q.95.art.7.
D.Bonau.in 2.dist.29.
art.1.quæst.2.

150 PRIMA opinio est, Adamum conditum esse Diuinâ gratiâ sanctificante vestitum: Itâ D. Thomas *loc. cit.* & omnes Thomistæ: Albertus Magnus *in 2.dist.24.art.1.* & alij ibidem, & *disp.29.* Suar. *lib. 3. de hominis creatione, cap. 17. num. 9.* Gregorius de Valentia, *tom. 1. disput. 7. quæst. 2. punct. 2. col.1099.* qui dicit esse communem sententiam: Vasquez *p.p.disp.228.* Arriaga, *disp.40.* Pererius, *lib.5. de statu innoc. disp.2. quæst. 2.*

ATTAMEN celebris plurimorum insignium Theologorum sententia est negatiua. Itâ Alens. *2.part. quæst.96. membr.1.* D. Bonau. *loc.cit.* Scotus *dist.29. quæst.vnica*, Marsil.*in 2.quæst.16.art.6.* Richard. *dist.21. art.1.quæst.1.* Ægid.*in 2.dist.4. quæst.1. art.4.* & ibi Argent. *quæst.1. art.2.* & alij cum Magistro *in 2. dist. 24.*

151 ASSERO cum hac sententia, Adamum non esse conditum, gratiâ sanctificante præditum. Suppono, quod certum est, Adamum ex dispositione sua fuisse sanctificatum, vt ostendam, *tract. 5. prima secundæ, disp.2. quæst. 6.*

PROBATVR à D Bonau. *argumentis secundo loco, & in corpore.* Primò quia itâ sentiunt Sancti PP. Hoc, & alia validiora argumenta Seraphici tacet Perer. cætera extenuat. D. Aug. *lib. de corrept. & gratia, cap.10.* ait: *Sic ordinasse Deum Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde, quid posset suæ gratiæ beneficium*: Hinc habetur, aliquando primum hominem in sua conditione, & ordinatione caruisse gratiâ, quod ex hoc testimonio suspicatur Suar. *tract. de Angelis, lib.5.cap.3. num. 4.*

RESPONDET verò *ibi, num. 12.* Deum experiri voluisse, quid posset hominis arbitrium, gratiâ instructum; quinam scilicet per libertatem essent rebelles; qui verò gratiæ obedientes.

152 HÆC tamen expositio vim infert D. Augustino; nam Antithesim ponit inter id, quod potest gratiæ beneficium, additum arbitrio, ad operandum; non sanè, vt primò experirentur homines, quid possent nudo suo arbitrio ad vitam æternam consequendam, vt putat Suarez: Quodnam etenim experimentum capere valuit de re impossibili? Sed voluit, vt experiretur sapiens homo, quid, & quousque suis viribus operari valeret. Confirmatur; nam S. Pater priùs dixit, Adam non fuisse vitiatum primò, sicut nunc sumus; atque adeò infert, potuisse bonum aliquod facere, ac in statu innocentiæ, seu iustitiæ originalis aliquo tempore stare: *Quapropter* (infert S. Augustinus) *saluberrimè confitemur, qui creauit omnia bona valdè, & indicauit meliùs etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere; sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, &c. vt priùs, suo nudo arbitrio operando, sentirent suam infirmitatem.*

153 AT, esto loquatur eo sensu D. Augustinus, vt Deus voluerit priùs experiri, quid posset liberum arbitrium cum auxilio actuali gratiæ, an responderet; profectò non includit gratiam habitualem; imò eam excludit, tanquam illam, ad quam Dei auxilium adiuuabat Adamum: Hoc est vltimum D. Bonauenturæ fundamentum.

SECVNDÒ D. Augustinus 13. de Ciuit. cap. 24. adducens illud primo Corinth. 15. *Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem; Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale*; ita exponit & clariùs *lib. 2. de Genes. contra Manichæos*; vbi addit: *Nondum tamen spiritualem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viuentem; sed adhuc animalem: Tunc enim spiritualis effectus est, cùm in Paradiso, hoc est in beata vita constitutus, preceptum etiam perfectionis accepit, vt verbo Dei consummaretur.* His testimoniis habetur, Adamum priùs habuisse Esse naturæ, & posteà gratiæ, & hoc non antequam in Paradiso collocatus sit.

RESPONDET Suarez *num. 17.* ad primum locum D. Augustini, velle solùm per ea verba: *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*; non indicari infusam gratiam. An verò alioqui in eodem instanti receperit gratiam, S. Augustinus, nec affirmat, nec negat; quia de hoc non tractat. 154

AT verò S. Augustinus ibi infert primò, ex eo loco non colligi infusionem gratiæ, quod Græco textu confirmat; at verò id neque omninò fuisse, probat alio testimonio Apostoli 1. Corinth. 15. *Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem: Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spiritale*: Hæc luce clariùs in textu nitent.

AD alterum textum ingemiscit Suarez, volens eum loqui de Adamo constituto in perfecta gratia in Cœlo, qui est Paradisus gloriæ. 155

CONTRA; nam explicat, de quo Paradiso loquatur dicens: *Tunc enim spiritalis effectus est cùm in Paradiso, hoc est, beata vita constitutus, preceptum perfectionis accepit, vt verbo Dei consummaretur. Itaque postquã peccauit recedens à præcepto Dei, & dimissus de Paradiso in hoc remansit, vt animalis esset.*

ECCE loquitur de Paradiso, in quo præceptum habuit, illudque violauit, non de Cœlo: Interim fatetur Suarez, D. Augustinum non asseruisse aduersam sententiam.

ADDO verò hîc, S. August. adducere ea, quæ dixit 13. *de Ciuit. Dei, cap. 24.* vt notat Marginista, allegans eum locum; atque adeò idem hîc, & ibi loquitur.

DEINDE S. Cyprian. *epist.74.* explicat ea verba Genes. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, id est, totum hominem; inspirauit spiraculum vitæ, id est, gratiam Spiritus Sancti exponit: Ex quibus Patribus, & Apostolo, S. Bonau. sumit argumentum, Esse gratiæ supponit Esse naturæ: Ergo priùs debuit homo creari secundùm naturam, quàm secundùm gratiam. Confirmat S. Doctor, *fundamento tertio*: Magis conuenit gratia cum gloria; quàm natura cum gratia; sed in homine gratia præcedit gloriam: Ergo multò magis natura præcedit gratiam. 156

RESPONDET Suarez, *num.16.* sufficere, si antecedat naturâ, non autem egere præcessione moræ. Idem supponit Pererius, *num. 57.*

CONTRA tamen est; quia isti Patres, & Apostolus ponunt successionem, quæ debet esse propria: Imò S. Cyprianus creationem Adæ, cum regeneratione per Baptismum, confert; & Confirmationem, in qua accipitur Spiritus Sanctus, comparat cum infusione gratiæ in Adam, & dicit; quòd sicut Adam priùs creatus est, posteà accepit gratiam 157

tiam Spiritus Sancti; ità nunc priùs tempore regeneramur per Baptismum; & posteà Spiritus Sanctus per confirmationem infunditur.

RESPONDET Suarez, *num.* 16. non facere vim in ordine temporis; sed solùm in præsuppositione aliqua: At verba S. Cypriani nimis clarè, ac strictè comparant vtrumque, ait enim; *Non per manus impositionem quis nascitur, quando accipit Spiritum Sanctum; sed in Baptismo, vt Spiritum iam natus accipiat; sicut in primo homine Adam factum est: Ante enim Deus eum plasmauit, & tunc insufflauit in faciem eius flatum vitæ: Neque enim potest accipi spiritus, nisi priùs fieret, qui accipiat.*

158

PROBATVR tertiò à Diuo Bonauentura, *argumento quarto*: Homo adultus non iustificatur, nisi ex propriis actibus: At non potuit Adam in primo instanti habere omnes actus necessarios ad iustificationem, ob impedimentum corporis animalis: Ergo. Maior probatur à D.Bonauent. quia iustificatio est quædam desponsatio animæ cum Christo, ad quam requiritur consensus vtrinque in capacibus. Minor probatur; nam debuit præcedere cognitio, quæ est per discursum, vt voluntas eligeret, & consentiret: Hoc argumento vtitur Soto, *lib. de natura, & gratia, cap.* 5. Confirmatur; nam acquirere gratiam suâ dispositione, perfectionis est, vt notat Suarez, *lib.* 5. *de Angelis, cap.* 8. *num.* 5. Ergo etiam in creatione Adæ id seruatum est: Ità etiam Diuus Thomas, 3. *part. quæst.* 34. *art.* 3. Id latè ostendi *tract.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 1. & 4.

159 RESPONDET Suarez, *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 7. potuisse Adamum accipere illuminationem fidei, & ei assentiri in eodem instanti absque discursu, ad eum modum ferè, quo primis principiis assentimur; Sicut autem in assensu primorum principiorum; licèt ad præcognoscendos terminos successio aliqua requiratur ex discursu, naturali modo procedendo; at per Diuinam reuelationem possent in momento concipi; ità & in cognitione per fidem, licèt ordinario modo sufficiens propositio obiecti fidei, & credibilitas eius non cognoscatur absque successione, & discursu; attamen per Diuinam reuelationem potest fieri, vt ab homine percipiatur in momento, & in eodem momento sufficiens iudicetur: Ità in Adamo factum est; neque est res miraculosa; sed quædam reuelatio, quasi prophetica.

160 AT omittendo, etiam de Angelis probabile esse, non posse eos in primo instanti operari cum sufficienti deliberatione ad meritum, vt docuit D. Bonauent. Albert. Vldaricus, & alij relati à Carthusiano *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 4. Henrico *quodl.* 8. *quæst.* 10. de primo homine id probo: Si enim in primo instanti habuit hanc potestatem: Ergo in eodem instanti potuit recusare gratiam, & peccare, Tunc sic: Contradictoria non possunt eidem conuenire simul, & semel: Sed esse rectum, & esse peccatorem, seu non rectum, sunt contradictoria: Ergo non poterant eidem conuenire in eodem instanti.

RESPONDET Suarez, *lib.* 5. *de Angelis, cap.* 7. *num.* 7. hoc argumento probari, etiam Angelum in primo instanti non habuisse libertatem, quoad specificationem in actu dilectionis Dei, quæ necessaria est ad potestatem peccandi.

161 At non video, quomodò liberè se disponeret ad gratiam, datâ hac responsione; in homine verò est alia ratio: nam obiectum fidei est obscurum, atque adeò eget cognitione reuelantis, & assensu intellectus humani, qui cùm egeat etiam operatione Phantasmatum acquisitorum, & discursu secundùm modum ordinarium, frustrà inuenitur fuga dicendo, fuisse per speciem quandam Prophetiæ in instanti de omnibus illuminatum Adamum, & præbuisse voluntati consensum: Gratis verò hæc dicit, qui & fidem ænigmaticam Adamo affigit: Alias rationes vide in D. Bonauent.

OBIICIVNT primò *Genes.* 2. dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* vbi Patres per imaginem naturam intellectualem: per similitudinem, sanctificationem per gratiam intelligunt, vt vidimus, *quæstione prima, secunda, & tertia*, & docet S. Bonau. *in* 2. *dist.* 16. *quæst. vlt.* 162

NEQVE potest dici cum D.Bonau. (ait Valent. & Suar.) factum esse ad imaginem *actu*: ad similitudinem verò *potentia*, & aptitudine: Nam Deus eodem modo loquitur de imagine, & similitudine; sed in primo instanti conditus est intellectualis ad imaginem: Ergo & Sanctus ad Similitudinem.

RESPONDET D.Bonau. primò, similitudinem accipi, quoad gratias gratis datas, per quas supra naturam ascendens homo, Deo assimilatur: Hæc quidem responsio sufficit.

RESPONDET tamen secundò, factum ad imaginem actu, & similitudinem; non quod similitudo dicat meram aptitudinem; sed quia eam dicit modo congruo ad imaginem, id est, secundùm naturam, & modo perfectiori per dispositionem, Adæ proportionato; post modum explicat *ad similitudinem*, vt in argumentis ostendit; itavt in primo instanti fuerit aptitudo sola; quia, licet vtrumque simul exponat; attamen vtrumque modo ordinato proponit, & vult; sicuti etiam dicit Christus: *Eamus, vt à somno excitemus*; primum quidem: ite Bethaniam, erat motus naturalis; at suscitare Lazarum, miraculosus: Et sanè similium actuum innumera ferrem exempla: Ridiculum autem est prætendere, nomina, per coniunctiuas in vno verbo copulatas, idem penitùs, eodemque modo sonare: Deinde habemus D. Cyrillum infrà allegandum pro hac expositione: Sic & Arriaga, qui lepidè ait: Masculum, & Fœminam fecit: Ergonè simul? absit. 163

VRGEO: Nam *Gen.* 5. dicitur Adam genuit Seth ad imaginem, & similitudinem. Num actu iustum genuit? Absit; Vide *quæst.* 2.

TERTIÒ, per similitudinem multi Patres significant perfectionem meram imaginis: Et hic est sensus litteralis ingenuus, vt testatur Suarez, *lib.* 3. *de hominis creatione, cap.* 8. *num.* 31.

OBIICIVNT secundò Eccles. 7. *Deus fecit hominem rectum.* Recti autem dicuntur iusti, Cant. 1. *Recti diligunt te*, Psal. 32. *Exultate iusti in Domino; rectos decet collaudatio*: Et D. August. 14. *de Ciuit. cap.* 11. exponit, Deum creasse hominem rectum, id est, bonæ voluntatis: Non est autem apud D.Augustinum bona voluntas, nisi per charitatem. Et D. Hieronymus ad eum locum; & *libro* 1. *cont. Iouian.* exponit *Hominem rectum*, id est, bonum, seu iustum, vt exponit Rupert. *lib.* 2. *in Genes. cap.* 3. & D.Damascen. 2. *de fide, cap.* 12. Creauit itaque Deus hominem innocentem, rectum, probum, omni virtutum genere coornatum; Angelum alterum, spiritum simul, & carnem; spiritum, videlicet ob gratiam.

RESPONDET S. Bonauentura, Deum verè condidisse hominem rectum, & sanctum initio temporis; non ità tamen, vt in eodem instanti 164

quo erat creatus, esset in gratia; sed modo proportionato illi statui, vt propriâ scilicet dispositione ad gratiam perueniret: Perfectior enim est modus iustificandi ex dispositione, sicuti fit adultis, quam sine dispositione, vt fit infantibus; & quia Adam erat adultus, eique conueniebat modus perfectior in eo statu; ideò ex dispositione, quæ moram prærequirit, iustificatus est.

Hac responsione satisfacit S. Doctor, etiam illi loco Ecclesiastici 17. *Deus creauit hominem, & vestiuit illum virtute*; quem satis refutatum confitetur etiam Suar. *num.* 11.

165 Ex dictis patet etiam id, quod obiiciunt Sap. 2. *Deus fecit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ*: Similitudo autem, addita imagini, perfectionem gratiæ significat: Respondit enim S. Bonauent. ordine congruo dedisse etiam similitudinem, quæ est per gratiam sanctificantem; Interim verò similitudinem gratiarum gratis datarum impertitum. Ideò Arriaga fatetur ingenuè, hæc loca nihil obesse.

Obiiciunt tertiò Ephes. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate*: Vbi Apostolus hortatur nos ad induendam sanctitatem, quam Christus nobis attulit; quia per eam reducimur ad eam nouitatem, quam in Adam habuimus, & perdidimus: Hanc verò nouitatem fuisse in Christo, docet Apostolus ad Colos. 3. *Expoliantes vos veterem hominem, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum.*

166 Respondet Diuus Bonauent. *in* 3. *dist.* 29. *quæst.* 5. *ad* 1. Apostolum hoc vnum intendere, vt renouemur in gratiam ad salutem, quam in Christo habemus; itavt deturpatam imaginem renouemus ad Diuinum Exemplar: Hîc enim nihil de Adam loquitur; sed de Deo Christo: Addit Arriaga; esto de Adam sit; nihil de primo instanti dicere Paulum, & sanctificationem, Phrasi Apostoli, dici creationem

Obiiciunt quartò Valentia, & alij, Concilium Tridentinum definiens, *sess.* 5. sub anathemate, sanctitatem, in qua creatus est, ipsum amisisse Enim verò perperam adducit Concilium, quod dicit, amisisse sanctitatem, in qua constitutus, non in qua creatus est, vt dixi *quæst. præced.* ex Diuo Augustino; & notant Suar. *loc. cit.* & Vasquez *p. p. dist.* 128. *cap.* 3.

167 Obiiciunt quintò: Homo creatus est cum bona voluntate ex D. Augustino 14. *de Ciuitate Dei, cap.* 11. sed bona voluntas est per gratiam: Ergo.

Respondet D. Bonauent. factum esse hominem rectæ voluntatis, per dona iustitiæ originalis, quibus rectus erat, & Deo acceptus modo ordinario, vt latè probat S. Doctor, *distinct.* 19. *quæst.* 1.

Obiiciunt præterea Diuus Augustinus *de corrept. & gratia*; *cap.* 10. & 11. Comparat Adamum in creatione cum Angelis; Angeli verò creati sunt in gratia ex Diuo Augustino 12. *de Ciuitate Dei, cap.* 9. vbi ait: *Deus erat in illis condens naturam, & largiens gratiam.*

168 Respondet D Bonauent. *in* 2. *dist.* 4. *quæst.* 3. Deum creasse naturam, & largitam gratiam, modo congruo; gratias verò addi, provt dicunt, quid additum essentiæ, vt subtilitatem intellectus, velocitatem, &c. Similiter provt dicunt, quid additum arbitrio, vt innocentiam, &c. condidisse simul, non tamen gratiam sanctificantem, vt vidimus, *tract. de Angelis, disput.* 5. *quæst.* 1. Ideò argumentum assumitur à D. Bonauent. pro seipso in ea quæstione confirmatur ex Diuo Augustino, *cap.* 11. vbi dicit primò, gratiam, datam Adæ, fuisse auxilium actuale, quo posset ad sanctitatem ire: Hinc habes, malè Marginistam reprehendere Diuum Bonauenturam, quòd perperam adducat Diuum Augustinum; qui tamen dicit, Adam habuisse gratiam sanctificantem solùm; quam primùm creatus est, non in ipso instanti creationis.

Addunt ex *Enchir. cap.* 104. quod Deus primum hominem in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisset.

Respondetur, eum loqui de statu innocentiæ, immortalitate, fœlicitate, &c.

Obiiciunt etiam Damascenum 2. *de Fide, cap.* 11. Basilium, *Psal.* 48. Nazianzenum *oratione* 42. qui tamen solùm volunt, cum gratiis, & virtutibus conditum, id est, ab initio constitutum; nemo tamen dicit in primo instanti.

Obiiciunt D. Cyrill. *lib.* 1. *de Adam in spiritu*, vbi ait: *Postea quam propriæ naturæ rationibus hoc animal*, scilicet homo, *absolutum fuit opifice Deo, statim illius similitudine præditus est: Impressa enim in illo est Diuina imago naturæ, inspirato Spiritu Sancto.* 169

Respondetur, hoc esse omninò id quod D. Bonauent. docet, primò conditum in natura, postmodum gratiâ præditum; atque adeò in creatione habuisse gratiam solùm in potentia proxima, & hoc velle ea verba, *ad imaginem, & similitudinem*, vt dixi: Quare pro nobis est; vt vidit Arriaga, qui addit, nullum Patrum nobis obstare.

Obiiciunt etiam Chrysostomum, *homil.* 9. *in Genes.* vbi ait; hominem ad similitudinem Dei factum; quia virtutibus Deo similis effectus est.

Respondet Diuus Bonauent. effectum ad similitudinem in primo instanti per gratias gratis datas; at posteà per gratiam sanctificantem. 170

Obiiciunt etiam Diuum Prosperum *ad octauam obiectionem Gallorum* circa finem: *Neque hæc dona* (scilicet gratiæ) *ità ex Deo esse opinemur, vt quia ipse naturæ nostræ auctor est per conditionem, iam hæc contulisse videatur: Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem; sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccauimus.*

Respondetur, hunc Patrem nobiscum stare: Negat enim in creatione datam gratiam, etsi initio data fuerit.

Obiiciunt tandem alios Patres, dicentes, naturam humanam fuisse creatam iustam.

Respondet Sanctus Doctor, creatam fuisse iustam, iustitiâ originariâ, non gratiâ sanctificante.

Pererius quatuor iacet fundamenta, vt cubo solidiorem suam extruat opinionem. Primum est: Deus condidit hominem, corpore, & animâ omnibus numeris absolutum. Secundum est: Actus voluntaris sunt indiuisibiles, atque adeò fiunt in instanti. Tertium est: Adam creatus est rectus. Quartum est: Excellentiori modo sanctificatus est ex sua dispositione, non vt infantes; sic enim omnes adulti sanctificantur. 171

Hinc arguit, Adam conditum esse perfectum; etiam gratiâ, seu rectitudine supernâ; hoc autem ex dispositione quidem, quæ potest esse in eodem instanti cum gratia, vt patet, cùm aliquis conteritur, eodemque momento infunditur gratia.

Respondet

Respondit S. Doctor, Adam conditum esse rectum rectitudine iustitiæ originariæ, quæ non includit formaliter gratiam sanctificantem, quam sane indidit Deus modo conuenienti, nempè dispositione præcedente, quam Deus exigit in omni adulto, vt suprà ostendi: Dispositiones autem ad gratiam necessariæ, nequeunt fieri in instanti; quia, licet actus voluntatis in instanti fiat; hic tamen supponit multos,& varios intellectus actus, quibus voluntati ostendatur Deus,amandus ex toto corde, & alia,quæ requirunt discursum in tempore: Et in hoc fallitur Pererius cum Valentia; Neque ad modos extraordinarios recurrere licèt cum Suarez, vt sæpe ipsemet iniungit: Neque est similis actus contritionis, qui actum supponit intellectûs.

QVÆSTIO XXIV.

An primus Homo *creatus fuerit* Ivstitia *ornatus.*

172 Tria in primo illo aureo statu insignia inuenit S. Doctor, vt dixi, & dicam *quæstionibus sequentibus*: Primum, fœlicitas corporis, & animæ: Secundum, perfecta obedientia sensus, exhibita rationi, & rationis Deo: Tertium,immortalitas, seu potestas non moriendi.

Foelicitatem indicauit Scriptura, describens Paradisi perpetuò vernantes delicias, vim arboris Vitæ, corporum incolarum indolentiam; etsi nudi essent, Dei fœlicitatem imitantium, ad cuius similitudinem dicuntur constituti, Orbis habentes paratum dominium.

Obedientiam inferioris portionis, præstitam superiori, exprimit narrans,eos tametsi nudos non erubuisse; è contra post lapsum nimio pudore suffusi latebras quæsierunt, ne corporis insolentiam, & obcænam turpitudinem exponerent. Hanc sensus rebellionem deplorat Apostolus Roman. 7. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*: Et corruptionem, & mortem per lapsum Protoplasti nobis aduenisse. Et *Sap.* 2. dicitur: *Deus creauit hominem inexterminabilem*, seu ex Græco; *In integritate, & incorruptione, potentem non mori, & ad imaginem similitudinis suæ: Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem*: Hinc etiam hominis immortalitatem habes.

173 Præclare hæc ostendit locus Ecclesiast. 7. *Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum*: Certè post lapsum dixit Deus, Genes. 9. *Sensus, & cogitatio hominis prona sunt in malum ab adolescentia.*

Hvnc locum S.Doctor, *in Prœmio* 2. *sent.* & *in Commentario*, & sæpe in *quæstionibus de Originali iustitia*, cum Sanctis Patribus interpretatur, etsi Caietanus *in Comment.* sensum detorqueat,vt notat Perer. *lib.* 5. *de statu Innocentiæ*, *num.* 137. contra sensum ferè vniuersalem Patrum,& Theologorum.

Sane non iam ampliùs concipitur homo rectus, sed in iniquitate, vt plorat Dauid, *Psal.* 50. & filius iræ, vt ait Apostolus.

174 Id sanè planxit patientissimus Iob, Arabum Rex, *cap.* 3. cùm maledixit diei suæ, clamans: *Pereat dies in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: conceptus est homo: Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eam Deus desuper, & non illustretur lumine: Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Pagninus: *Noctem illam tollat caligo.* LXX. *Nox illa.*

QVÆSTIO XXV.

Quid sit Ivstitia Originalis, *quâ primus Homo præditus est.*

Prima sententia est, Iustitiam originalem fuisse habitum specialem, à gratia distinctum, voluntati inhærentem, quo voluntas suauissimè adhærebat Deo, vt naturali fini: Ità Scotus *in* 2. *dist.* 29. *quæstione vnica*: Hanc ità explicat Herrera, *in* 2. *disp.* 21. *quæst.* 3. Addit Scotus, inclusisse etiam habitus duos in appetitu sensitiuo, putà Irascibili, & Concupiscibili. 175

Secvnda sententia est Henrici, *quodl.* 6. *quæst.* 11. Iustitiam originalem, præter rectitudinem gratiæ, & virtutum infusarum, si qua fuit, addidisse quandam rectitudinem naturalem, separabilem à voluntate: Hæc rectitudo reddebat voluntatem pronam, & promptam ad dominandum appetitui; & huic opponi pronitatem ad culpam: Hanc insectatur Scotus.

Tertia sententia est, fuisse ipsam gratiam sanctificantem: Ita Soto *lib.* 1. *de natura, & gratia, cap.* 5. cui addit, saltem fuisse à gratia inseparabilem, quam inseparabilitatem videtur sic explicare, vt gratiâ solâ omnes iustitiæ effectus contulerit: Et hoc sequitur Zumel. *p.p. quæst.* 95. *art.* 1. *quæst.* 2. *dub.* 1. Valentia, *tom.* 1. *disput.* 17. *quæst.* 2. *punct.* 2. §. *Quoad secundam*, qui adducunt pro hac D. Thom. *p. p. quæst.* 95. *art.* 1. & aliis locis.

Qvarta sententia est, Iustitiam fuisse donum, distinctum à gratia gratum faciente; in illa tamen fundatum. Ita Durand. *in* 2. *dist.* 20. *quæst.* 5. *art.* 1. putàtque esse sententiam D. Thom. ibi, & *quæst.* 100. *art.* 1. *ad* 2. & *part.* 2. *quæst.* 119. 176

Qvinta sententia est, Iustitiam esse aggregatum plurium donorum, & includere gratiam sanctificantem: Ita Suarez, *lib.* 3. *de hominis creatione, cap.* 20. *num.* 9. Molina, *disp.* 28. *conclusione* 6. Pererius, *lib.* 5. *num.* 97. *de statu Innocentiæ.*

Sexta sententia est Roderici de Arriaga, *tractatu de opere sex dierum. disp.* 41. *sect.* 3. *subsec.* 2. solam gratiam sanctificantem cum suis supernaturalibus donis non dici iustitiam originalem, ea tamen includere; atque in gratia inniti sanctificante, vt conditione: Includere verò etiam habitus corporis.

Septima sententia est, Iustitiam esse donum, distinctum à gratia sanctificante, neque in ea radicari: Adducitur à Suarez, *num.* 8. Alensis, 2. *part. quæst.* 91. *membr.* 1. & 2. S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 29. *art.* 2. *quæst.* 2. Marsil. *in* 2. *quæst.* 16. *art.* 6.

Oportet adnotare cum Diuo Bonauentura, *in* 2. *dist.* 24. *part.* 2. *quæst. vlt. ad* 3. quem sequitur Arriaga, *loc. cit. num.* 30. sumi à Doctoribus aliquando iustitiam originalem pro sola rectitudine, eamque dici iustitiam; aliquando pro aggregato omnium bonorum: Et quidem rectitudo (subdit D. Bonauent.) est in sola ratione, & culpæ opponitur Physicè: Secundo modo est etiam in 177

 viribus

viribus inferioribus, & non solùm per culpam aufertur, sed etiam per pœnam; ità opponitur culpæ moraliter,& pœnis physicè. Hinc verò exurgit ferè quæstio de nomine, vt fatetur Suarez *numero* 11. & Arriaga *numero* 26.

178 Observandvm secundò, Iustitiam hanc dici originalem, quia ab origine data est primo homini, & in nos deriuanda erat, quia data est Adæ, vt singulari personæ,& vt Stipiti. Ità D.Bonauent. *in 2. distinct.19. & 20. & dub.30. & sequentibus passim.*

Sententiam D.Bonauenturæ pluribus assertionibus exponam.

179 Assero primò, Iustitiam originalem non fuisse gratiam sanctificantem, nec eam inclusisse. Ità D.Bonauent. *locis adductis* & *distinct.29.art.2. quæst.vltima.*

Probatvr à D. Bonauent. ibi; quia Adam conditus est cum rectitudine originali, vt habetur *Ecclesiastici* 7. Deus fecit hominem rectum; sed tunc non habuit gratiam, vt ipse probat,& nos cum eo *quæst.22.* ostendimus: ergo:ex quo ruit responsio Suarez *loco citato numero* 40. dicentis se ostendisse Adam creatum in gratia, & gratiam eam fundamentum iustitiæ originalis existere.

Hanc adhuc responsionem impugno: Quæ possunt separata iacere, non sunt idem, nec intrinsecè connexa; sed gratia sanctificans stat sine iustitia originali, vt patet in nostra sanctificatione, in qua datur gratia; non iustitia originalis, vt definit Concil. Trid. *sess.6.* Ergo. Hæc est ratio D. Bonauent. *in 2.distinct.30.art.2.quæst.1.& dist.32. quæst.cit.argum.1. ad oppositum,* addita explicatione *in corpore,& ad primum,& quæst.2.in corpore,& ad argumenta.*

Respondet Suarez *numero* 40. solùm probari, quòd iustitia originalis adderet aliquid, vltra gratiam.

180 At hoc rectè etiam concludit,alteram ab altera non pendere.

Aliqvi confirmant; nam Æua ante esum pomi grauiter peccauit, nec tamen erubuit, nisi postquam etiam Adam peccauit,Citatur D.Bonau. *in 2. dist.32. quæst.* 1. sed ibi non reperitur, & nos ostendemus *disput. 2. quæst. 12. in fine*, causam aliam.

Probatvr secundò ex Concilio Trident. *sess.5. can.1.* vbi definit, Adamum in principio amisisse Iustitiam, & sanctitatem, vbi iustitiam distinguit à sanctitate, quæ est per gratiam habitualem: Ergo per iustitiam intelligit solam rectitudinem naturalem: Dicere enim, Concilium ponere hæc, vt synonima in fidei definitionibus, est absonum.

Respondet Suarez *numero* 12.ea distinguere, vt explicet modum,& effectum illius sanctitatis. Vnde infrà *sess.6. cap.7.* ait, Iustificationem esse sanctificationem per gratiæ susceptionem, & in fine *capitis* ait, christianam iustitiam & sanctitatem esse,quia & gratis datur,& hominem iustum, & sanctum reddit. Vnde est illud prima Corinth.1. *Qui factus est nobis iustitia,& sanctificatio, & redemptio.*

181 At verò iste author confundit modum sanctificationis nostræ pro hoc statu, & pro illo iustitiæ originalis, qui admodum diuersus est, vt ritè aduertit D. Bonauent. adductus in prima ratione; nunc enim datur sola gratia, non autem iustitia originalis, vt patet,nam remanent in nobis fomes,& aliæ imperfectiones rebellionis, passibilitatis, &c. quæ per iustitiam originalem excludebantur. Præterea ipse Suarez *lib.5. de statu filiorum Adæ in innocentia, cap.16. numero 9.* hunc locum Concilij Trident. nobiscum, quoad hoc exponit, vt distinguat Iustitiam originalem à gratia sanctificante. Vnde obiter sequitur falsa opinio Soti. Si enim sola gratia constituebat iustitiam originalem, deberet eosdem effectus habere etiam nunc, cuius oppositum experimur in sanctis. Neque aptè dicit Soto, & Valentia, tunc eleuatam fuisse gratiam ad illos effectus; nam cùm sit eiusdem rationis cum nostra, non est cur miracula in ea multiplicent, quod naturaliter fieri non videamus. Quòd verò eiusdem speciei fuerit gratia Adæ, & nostra, probatur ex Concilio Trid. *loco citato*, vbi definitur, Adam amisisse sibi, & nobis sanctitatem. Idem habet
sess.6.cap.7. Adde, per eam deleri peccatum originale: 182
Ergo æque perfecta; est enim peccatum originale priuatio illius gratiæ,quam Adam perdidit, vt prosequitur Suar. *n.16.* est etiam vna Lux pellens tenebras, & illuminans aërem, vt latè prosequitur D.Bonau. *in 2.dist.27.q.1.* qui doctrinam Suarez, & Concilij habet *dist. 32. dub.2. litt. & quæst.1.* Iam verò, vt vnde discessit,eo reuertatur discursus. Iustitia nunc dicit virtutes: Sanctificatio autem dicit habitum gratiæ, vt docet Concil. Trident. *sess.6.cap.7. adducto,* & fatetur Suarez *numero* 12. Neque hic est verbum de iustitia originali, cum eam non redimamus, vt dixi. At esto pro eodem accipiat iustitiam, & sanctificationem, loquitur de iustitia, vt nunc est, quæ est per infusionem gratiæ sanctificantis cum virtutibus Theologicis; nisi præcesserit Fides, & Spes. Ideò ritè ait, Iustificationem esse sanctificationem, idest, nos fieri iustos per gratiam, quam Adam sibi, & nobis perdidit; ea verò non est iustitia originalis, quam sanè non recuperamus,vt dixi. Quod verò ait Apostolus de Christo: *Qui factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio,* explicat eo modo,quo & Concilium, Virtutes, gratiam, & redemptionem à peccato,esse à Christo, seu Christum causaliter hæc nobis contulisse.

183 Assero secundò, consequenter Iustitiam originalem, vt sic,non inclusisse habitus supernaturales, secundum substantiam Theologicos, fidem, scilicet, Spem, & Charitatem.

Qvoad Charitatem probatur, quia de facto in creatione non fuit præditus Adam Gratia, ergo nec charitate.Id ostendi *quæst.22.*estque argumentum S.Bonauenturæ, ibi adducti.

184 Qvoad fidem verò, & Spem probatur à D. Bonauent. *secundo distinct.29. quæst.1.* quia initio ordinatus est ad Deum,tanquam finem naturalem, & hoc modo naturaliter aliquem gratum esse dico, eo modo, quo omnia opera Dei sunt illi grata: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona,* Genes.1.& *Diligis omnia, & nihil odisti eorum,quæ fecisti,* vt habetur loco suprà adducto sapientiæ.Nec reclamat Suarez *numero vndecimo.*

185 An verò possit esse aliquis singulari modo supernaturali absque dono gratiæ Deo acceptus; S. Bonauent. *ad vltimum quæstionis adducta* respondet, creaturam naturaliter non posse esse gratam supernaturaliter Deo absque dono supernaturali, sicuti non est apta ad beatitudinem,seu ad visionem Dei,quia ambo sunt ordinis supernaturalis. Addit tamen, esto id possit fieri, non tamen factum, quia non decet.Non tamen idem concedit possibile de gloria.

Fateor verò,eos qui tenent, Adamum ordinatum

natum ad Deum; tanquam finem supernaturalem, & qui considerant Adamum in tota completa iustitia, & sanctitate, includere debere etiam habitus supernaturales gratiæ, charitatis, &c. Et hoc modo quæstio erit de nomine, vt notant Suarez, *num.* 11. & Arriaga, *num.* 26.

186 HINC verò soluitur id, quod obiicit Suarez *num.* 12. In iustitia debet includi id, quod est primum Anologatum in ratione iustitiæ, & sanctitatis; sed iustitia simpliciter dicit gratiam, & charitatem, vt primum Analogatum: Hæc enim est propriè iustitia ex Apostolo *Rom.* 4. *& prima Corinth.* 13. Ergo.

RESPONDETVR enim, perfectam sanè iustitiam esse ex gratia sanctificante: At verò Adam non fuit creatus in illa gratia, vt vidimus *q.* 22.

187 ASSERO tertiò, In Iustitia originali includi habitus infusos per accidens, vt virtutes morales, & intellectuales, quæ per se valent acquiri, etiam tunc per accidens infusæ sunt Adæ: Similiter habitum moderatorem corporis, aliáque Dei auxilia extrinseca ad impassibilitatem, incorruptibilitatem, &c. Hæc est S. Bonau. omnibus locis adductis à *quæstione* 7. hucvsque.

PROBATVR à D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 29. *art.* 2. *quæst.* 2. quia Iustitia originalis faciebat hominem rectum quoad naturæ integritatem, facilitatem operandi, & euitandi defectus contrarios; sed ad hoc necessarij erant dicti habitus, dicta auxilia, vt suprà *quæst.* 12. & *cæteris*, ostensum est: Ergo. Maior, & minor patent ex allegatis quæstionibus: Consequentia verò patet ex communi omnium Theologorum sensu.

Ex his confutatæ iacent aliæ opiniones: Et quidem Scotus benè in solis habitibus voluntatis, & appetitus sensitiui ponit iustitiam originalem: Nam hi non sufficiebant ad coercendos omnes motus inordinatos: Proinde Scotus motus hos malè admittit in statu illo: Nam ideò nudi non erubescebant; quia nulli motus rebelles insurgere poterant: Requirebantur ergo etiam Dei auxilia, vt ostendit D. Bonauent. *adductis quæstionibus* 13. *& sequentibus*: Vide Suar. latè confutantem *à n.* 33.

QVÆSTIO XXVI.

An IVSTITIA ORIGINALIS *fuerit supernaturalis.*

D. Bonau. 2. dist. 19. art. 3. quæst. 1.

188 EX dictis habes cum D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 29. *quæst.* 1. *& sequentibus*; Iustitiam originalem fuisse naturalem, quatenùs naturam perficiebat ad opera ordinis naturalis; supernaturalem verò, quia addebat dona vltra naturæ requisitum, quæ ex principiis naturæ non oriebantur: Ideò magis propriè ob id supernaturalis dicenda, vt probat Bellarmin. *lib. de Gratia primi hominis, cap.* 5. vbi plures Scholasticos adducit; nec verbum quidem de Sanctæ Ecclesiæ Doctore Bonauentura mussitat: Est assertio contra Hæreticos nostri temporis, quos adducam.

S. DOCTOR, *in* 2. *dist.* 19. *art.* 3. *quæst.* 1. id asserit, & probat ex professo.

PRIMÒ ex D. Augustino super *Genes. ad litt.* adducto à Magistro, dist. 19. *Creatus est homo immortalis, quod erat ei de Ligno Vitæ, non de conditione naturæ: Mortalis erat de conditione corporis animalis: Immortalis beneficio Conditoris*: Immortalitatis autem auxilia sunt tantùm pars Iustitiæ originalis.

IDEM fatetur D. Augustinus 13. *de Ciuitate Dei, cap.* 13. & *lib.* 11. *de Genesi, cap.* 31. *& lib.* 4. *in Iulianum, cap. vlt.* & aliis locis adductis à Diuo Bonauent. *in* 2. vbi de peccato Adæ, & *in Opusculis*: Vide alia argumenta, *quæstione* 14. *&* 15. suprà allata.

OPTIMA est ratio S. Bonauent. *fundamento primo*, post authoritates, quam desumpsit Bellarminus, *loc. cit.* §. *tertia ratio.* Certum est, per peccatum non amitti aliquod principium naturale: Ergo neque per peccatum Adæ aliquid naturæ corruptum est; quia in hoc solùm differt à nostro, quod in naturam, tanquam à Stipite redundauit: Ergo naturalia dona non fuêre per peccatum in Adamo corrupta; atque adeò, si Priuilegia iustitiæ originalis erant naturalia, *verb. grat.* Immortalitas, subiectio sensus rationi, non fuissent deperdita, quod est falsum. 189

IN 2. *dist.* 24. *parte prima, art.* 1. *quæst.* 2. ostendit, Adamum potuisse absque additione nouæ gratiæ, in statu innocentiæ, resistere cuique tentationi, & innuit rationem, quæ est prima à Bellarmino assumpta, quàm è Magistro hausit, *eadem distinctione*: Nam sensus naturaliter appetit sensibilia; sicut è contra, Spiritus appetit spiritualia: Vnde naturaliter inter eos pugna viget; atque adeò rebellio sensus; reddebatur autem Adam immunis (ait cum Magistro, & Diuo Bonauentura) per iustitiam originalem; itavt posset ratio edomare sensus rebelliones, & esse ex priuilegio exempta, seu immunis ab illa pugna: Ergo Iustitia Originalis, quæ hanc præstabat rationi victoriam, erat per gratiam: Idem argumentum habet clariùs, S. Bonauent. *in* 2. *dist.* 30. *quæst.* 1. *ad* 3. vbi id roborat authoritate, quâ nititur Bellarminus, initio, cap. 6. Psalm. 48. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, vbi Hominem, non in nudis naturalibus; sed in honore per dona supernaturalia constitutum acclamat, vt rationaliter viueret obediendo sine rebellione: Honor enim dicit aliquid extrinsecum, additum naturæ; at verò elapsum, id amisisse dicit; atque ideò in nudis naturalibus derelictum cum naturali appetitu sensitiuo vigente, more bruti, vnà cum fomite accenso. 190

LOCO nuper adducto S. Bonauentura latè idem ex proposito assequitur, ac tota quæstione probat, argumento, quo nititur Bellarminus, §. *secunda ratio*: Si corruptio, quæ nunc est in natura humana, non est consequuta è sola remotione doni supernaturalis, & ab ea exemptus fuisset homo in nudis naturalibus; quæro causam eius; aliqua enim causa debet assignari rebellionis carnis contra spiritum. 191

RESPONDENT quidam, causam esse Deum: Contra arguit S. Doctor *in corpore*; quia Scripturæ clamant, hoc ex peccato prouenisse: *Sic Genes.* 2. dicitur: *Mortem inuectam esse à peccato*: Vrget verò; quia hoc repugnat Diuinæ iustitiæ, quæ neminem affligit pœnâ, nisi ex culpa; sed passionum agitatio inuoluntaria est pœna: Ergo. Item quia æquitati Diuinæ repugnat esse causam curuitatis ad malum, qualis est Concupiscentia: Ideò Ioannes, *epistola prima, cap.* 2. ait: Concupiscentiam non esse ex Patre; sed ex mundo: Iacobus,

bus, cap. 1. *Neminem à Deo tentari, sed à concupiscentia sua.* Itidem Lex: *Non concupisces*, est bona, & non insita à Deo, vt prosequitur Apostolus ad *Romanos septimo*: Ergo lex opposita membrorum non est à Deo.

192 Id iam planiùs ostendit *in 2. dist. 21. artic. 2. quæst. 1.* maximè *in corpore*, & hic *ad 3.* afferens illud Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.*

Repugnat Diuinæ sapientiæ, cuius est opera perpulchra facere, vt ait D. Augustinus 6. *de Trinitate*: Ergo non sunt ab eo passiones fœdæ; de quibus ipse homo erubescit rationabiliter: Ergo talis passio non fuit indita initio à Deo.

Itidem Diuina sapientia omnia facit proportionata: Ergo animæ immortali dedit corpus immortale, nunc autem mortale est: Ergo non à Deo redditum est tale.

193 Pariter repugnat bonitati Dei, quæ nihil facit inclinans ad malum; sed *Sensus hominis, & cogitatio, prona sunt ad malum ab adolescentia*, Genes. 8. Ergo non est à summa Bonitate.

Itidem, nihil, procedens à summa bonitate, dignum est maledictione: Sed multæ sunt passiones in nobis dignæ maledictione, ob quas Iob. *cap. 3.* Hieremias, *cap. 2.* maledixit diei natiuitatis suæ: Et *Exodi 23.* & *Deuter. 7.* maledicebatur sterilis: Ergo. Relinquitur ergo (infert S. Bonauent. *ad 3.* & *in corpore*) non esse à Deo, sed ab homine, ob culpam, ex remotione donorum supernaturalium, & casu ab honore illo addito naturæ, in quo conditus est; de quo *Psal. 48. citat.* Et Psal. 8. *Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

194 Geminas alias rationes è suo penu eiaculatur Bellarminus infirmas: Altera est: Si natura humana non potuit absque iustitia originali creari; quia absque ea mala est, & necessariò labitur in peccata; sequitur, non posse hominem mortuum reuocari ad vitam, nisi præditum iustitiâ originali: Idem enim sequitur absonum, siue creetur, siue reparetur à Deo natura mala, & quæ necessariò peccet.

Respondetur, negando paritatem; nam creatio primò fuit à Deo solo; ideò ei adscriberetur malum; at resurrectio ex parte Dei dicit tantùm vnionem animæ ad corpus malum; & hoc non sequitur ex vi actionis Dei formaliter; sed per accidens; Dabo simile: Nunc anima in vnione ad corpus contrahit necessariò peccatum Originale cum fomite, &c. Et tamen non est illud malum Deo adscribendum; quia sequitur ex prima infectione Adæ, quâ & Anima in vnione ad carnem infectam afficitur: Addo & ad creationem ipsam carnis ex infecto stipite concurrere sine culpa Deum: Ità D. Bonauent. *in 2. dist. 44. quæst. 1. & 2.* & *in primo, dist. 46. quæst. 2.* præcipuè *in 2. dist. 37. art. 2. quæst. 3. in resolutione.* Idem currit de actione Physica peccati, ad quam Deus concurrit.

195 Secundum argumentum Bellarmini est: Primi Parentes euecti fuêre ad dignitatem filiorum Dei; sed hoc non fit naturalibus dotibus: Ergo. Minor est D. Augustini, *lib. 3. contra Maximin. cap. 15.* Cyrilli, *lib. 1. in Ioannem, cap. 18.*

Hoc argumentum est D. Bonauent. ex ea parte, quâ aliquid valet: Quo enim filij Dei fuêre; eo fuêre primi parentes accepti Deo filij, vt probat S. Bonauent. *in 2. dist. 21. quæst. 1. & artic. 2. quæst. 1. & 2.* atque filiatio supernaturalis non habetur, nisi per gratiam, vt ibidem confitetur, & probat; At primi homines in creatione non habuêre gratiam adoptionis sanctificantem, vt vidimus *quæst. 22.* cum Diuo Bonauentura, *artic. 2. quæst. 2. citata.*

Tandem Pius V. & Gregorius XIII. damnant articulum illum vigesimum sextum: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio; sed naturalis eius conditio*: Id refert Bellarm. *cap. 1.* Similis est Articulus vigesimus primus; Nam hæretici Pelagiani nihil supernaturale in Adami iustitia cognoscunt, imò gratiam negant habitualem sanctificantem: Ità referuntur à Diuo Augustino, *lib. de hæres. cap. 88.* & *epistola 106.* In neganda verò iustitiæ originalis supernaturalitate omnes conueniunt; Caluinus *primo Instit. cap. 15. §. 8.* Lutherus, *ad cap. 3. Genesis*: Eos cæteri sectarij gregatim sequuntur. 196

Catholici verò multi, tenentes ibi non includi gratiam, & alios habitus substantialiter supernaturales, vocant Iustitiam, *supernaturalem*, quoad modum, vt notat Arriaga, *tract. de operibus sex dierum, sect. 3. subsect. 2. num. 33.*

Obiicies primò: Si iustitia originalis supernaturalis fuisset; sequeretur, concupiscentiam carnis futuram fuisse naturalem, bonamque; atque adeò à Deo; sed hæc non est à Deo, vt ait Ioannes, *epistola prima, cap. 2.* Et Apostolus, *Rom. 7.* dicit, se eam odio habere: Et D. Augustinus, *lib. 6. contra Iulianum, cap. 5.* & alibi, probat, eam esse malam. 197

Respondet Bellarminus, *loc. cit. cap. 7.* futuram tunc naturalem, vt defectum naturæ; atque ideò mala dicitur, odio digna; tum quia non ex intensione Creatoris fuisset in homine perseuerante in paucis naturalibus: Deinde, quia Deus illam sustulerat; & ex hominis culpa locum in nobis habet: Huius responsi quidquid est solidi educitur ex D. Bonauent. *in 2. dist. 30. quæst. 1. in argumentis*, & *ad 3.* dicentis, Hominis naturam ità sanè esse compositam ex sensu, & ratione; quia tali naturæ debebatur talis compositio: Attamen in eo, quod erat periculi exeundi in actus, in quo consistit odibilitas, & mala conditio concupiscentiæ, prouisum esse à Dei bonitate per rectitudinem iustitiæ originalis, vt per eam victor euaderet, neque rebellioni esset obnoxius, nisi volens; atque adeò id impediretur, per quod concupiscentia est odibilis; mala non quidem malo culpæ formaliter, sed ratione inclinationis ad culpam; & per hoc saluatur Dei opus ab improperiis Hæreticorum.

Obiicies secundò: Diuus Augustinus *in Enchir. cap. 11.* scribit, Animorum vitia naturalium esse priuationes bonorum; & vitia quædam animorum sunt vulnera ab Adam deriuata; & hæc secundùm D. Augustin. sunt naturalium priuationes bonorum: Ergo iustitia originalis, cui hæc priuatio opponitur, est naturalis. 198

Respondet D. Bonauent. *in 2. distinct. 35. quæst. 1. in corpore*, explicans hunc locum, *fundamento primo*, adductum, vitium dicere non peccatum, sed habitum in peccato; & per hoc semper tolli rectitudinem naturalem, quæ semper fit deterior, sicuti Linea, quæ magis, & magis curuatur, minùs apta est rectitudini: Hæc verò curuitas quoad radicem est sanè ab Adam, sed non est peccatum; loquitur verò de vitio, quod verus est habitus culpæ, & hic aufert rectitudinem voluntatis, 199

luntatis, quæ in sola natura rationali est; aufert etiam bonos habitus, etiam virtutum, bono vsu voluntatis adeptarum, non tamen potentiam ipsam tollit: Melior est hæc, quàm responsio Bellarmini, *cap.7. ad secundum* dicentis, per naturalia bona intelligi, non formas, sed subiecta; ità vt priuent bonis, id est, quæ in bona natura insunt, eamque contrariis virtutibus priuant: Addit verò responsionem D. Bonauenturæ; Vitia, priuationes esse naturalium bonorum voluntatis, qualis est in se absque iustitia originali; quia per ea curuatur voluntas, quæ ante habitum non est curua formaliter.

Obiicies tertiò. D. Augustinus 12. *De Ciuitate Dei, cap.* 1. sic ait de Angelis: *Cùm vitium naturæ dicitur, quod non adhæreat Deo, hinc declaratur eius naturæ, vt Deo adhæreat, conuenire*: Si ergo naturale est Angelo adhærere Deo; ergo & homini, atque adeò non egebat dono supernaturali.

200 Respondet D.Bonauent. *in 2.dist.3.part.2. art.3. quæst.1. ad 3.* quem sequitur Bellarm. *ad 3.* Angelos, magisque homines in statu innocentiæ potuisse amare Deum, vt finem naturalem, ad quod requirebatur tamen habilitas, & rectitudo respectu boni; quam rectitudinem amisit per peccatum, remanente naturâ (vt ait D. Bernardus, & iam respondit *ad primum*:) At verò diligere Deum, vt finem supernaturalem, requirebat fidem, & auxilia supernaturalia substantialiter, & hoc vult Diuus Augustinus, vt patet etiam *lib.12. cap. 9.* Angelus tamen, sensu non grauatus, habet naturalia expedita.

Obiicies quartò: D. Augustinus, *lib. de corrept. & gratia, cap.11.* & *in Enchir. cap. 116.* ait: *Fœlicitatem illam, per quam homo, neque peccare, neque mori poterit, id est, vitam æternam, nunc esse munus gratiæ, quæ merces meriti futura erat, si primus homo in statu innocentiæ permansisset*: Ergo in statu innocentiæ nullâ gratiâ opus erat ad vitam æternam promerendam.

201 Respondet D. Bonauent. *in 2. distinct. 29. quæst.2.* ex D. Augustino, necessariam fuisse gratiam, etiam tempore naturæ integræ, ad merendum vitam æternam, quod clarè docet D. Augustinus, *lib. de natura, & gratia*, & *de corrept. & gratia, cap. 11.* & *in Enchir. loc. cit.* & *epistola 105.* Attamen quia in eo statu iam præditus erat Adam gratiâ, & solùm requirebatur eius consensus in operibus; neque egebat nouâ gratiâ, solùm meritum deerat; At nunc, quia decidimus à gratia, & rei facti sumus damnationis, egemus subleuari noua Dei misericordia; ideò gratia dicitur vita æterna; quia gratia non solùm operi; sed etiam operanti, noua necessaria erat; cùm Deus non acceptet munera, nisi priùs acceptet personam, vt dicitur Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*; & quia nunc persona est rea; ideò eget nouâ gratiâ, vt habilis reddatur homo ad merendum: Hanc responsionem desumpsit Bellarminus *ad* 4. Idem habet S. Bonauent. *quæst. 1. dist. 29.*

202 Obiicies quintò, D. August. *lib. 3. de libero arbitrio*, cap.18. *Approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente, atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.*

Respondet D. Bonauent. *in 2. distinct. 23. art.2. quæst. 2. ad 1.* quem sequitur satis obscurè Bellarminus *ad 5.* ibi sumi naturam, vt præditam Diuinis auxiliis extrinsecis, & intrinsecis, non naturam nudam, qualis potuisset creari: Vult ergo dicere, decipi, & impugnari intrinsecè, non conuenisse hominis instituti naturæ, à Deo munitæ; sed naturæ lapsæ, denudatæ, & vulneratæ.

Obiicies sextò: S.Leo *serm.13. de passione*, vocat innocentiam primi hominis naturalem.

Respondet D. Bonauent. *in 2. dist. 19. artic. 3. quæst. 1.* Eatenùs priuilegia innocentiæ dici à Patribus naturalia; quia fuêre homini concreata, & innata; propriè tamen non dicenda naturalia; non enim omne, quod inest homini à naturante, est naturale; multa enim bona gratis data concreantur, & dantur cum natura: Ità respondet etiam Bellarminus *ad 6.* 203

Obiicies septimò: Concilium Tridentinum, *sess.5.* docet, propter peccatum originis incurrisse nos potestatem diaboli, totúmque hominem in deterius mutatum: Hoc autem non est solùm priuari dono originalis iustitiæ, & gratiæ; nam homo, in puris naturalibus sine gratia, non esset in potestate diaboli.

Respondet Bellarminus, Maiorem à nobis concedi; at hoc fuit ex priuatione iustitiæ originalis, quæ remouebat rebelliones, &c. vt docet D. Bonauent. *in 2. dist. 30. quæst. 1.* Vnde non dicimus, hominem in puris naturalibus futurum in potestate diaboli; sed futurum, quales ferè sumus, quoad ignorantiam, rebellionem aliquam membrorum, &c. Neque per hoc cogimur dicere, rebellionem congenitam esse à Deo, vel à diabolo: Vide D. Bonauent. *tota illa quæstione*, & *dist.29. art. 2. quæst.1.* vbi ex illo *Lucæ* 10. expoliato, & vulnerato, id est, expoliato *gratuitis*; & vulnerato *in naturalibus*, vt ait Glossa, docet, eum statum fuisse gratiarum. 204

Obiicies octauò: D. August. *lib. de corrept. & gratia, cap. 11.* ait: Carnem nostram magis esse rebellem nunc, quàm fuisset ante peccatum sine gratia: Ideò ait; Adam in bonis naturæ fuisse; non verò in malis: Ergo illius natura, seclusâ omni gratiâ, & iustitiâ, erat sanior, & purior.

Respondet Bellarminus, S. Augustinum, non dicere id, quod assumitur; neque ea verba habere: *Ille in bonis naturæ erat; sed ille in bonis erat, quæ bonitate sui Conditoris acceperat, &c.* id est in bonis gratiæ: Ità authoritates exponendas Sanctorum docet D. Bonauent. *in 2. dist. 29. art.2. quæst.1. in corpore.* 205

At esto dixerit D. August. Adamum fuisse in bonis naturæ; inde habebis, Adamum habuisse naturam præseruatam per iustitiam originalem à morbis scaturientibus è materia; Nos autem habere naturam, dono illo priuatam ex culpa, atque ideò naturalibus infirmitatibus obnoxiam, vt latè docet, & probat D. Bonauent. *in 2. distinctione 30. quæstione 1.*

Per hæc patet responsio *ad nonum* relatum à Bellarmino: Si enim in puris naturalibus homo conditus esset, inclinaret adhuc in vitia aliqua; quia defuisset iustitia originalis præseruans; non tamen, vt nunc accenso è culpa fomite, qui in renatis mitigatur,

Obiicies decimò: Si homo in puris naturalibus præceps inclinaretur in malum, iam Deus esset causa talis mali.

Respondetur ex dictis cum D. Bonauentura *ad primum*, quem sequitur Bellarminus *ad decimum*, 206

decimum, Deum condidisse hominem talis naturæ, sed munitum remediis iustitiæ contra rebelliones; At, esto Deus hominem in puris naturalibus condidisset: attamen rebellio illa non erat Deo imputanda; quia non sequebatur ex vi creationis, aut operis, vt dixi, reiiciendo rationes duas vltimas Bellarmini: Adde, rebellionem illam non esse formaliter peccatum, vt dicam, cùm *de peccato in prima secunda, tract. 3. disp. 2. q. 7. & disp. 4. quæst. 2.* nec necessariò ad peccatum inducere, vt D. Augustinus disputat, *lib. 3. de libero arbitrio*: Et si in puris naturalibus hominem naturâ obnoxium fecisset, in puris naturalibus dedisset etiam adiutorium ad resistendum, vt nunc fecit, quod latè prosequitur Sanctus Doctor *in 2. dist. 30. quæst. 1.*

207 HINC colligit S. Bonauentura ibi, & post eum Bellarminus responsionem ad id, quod obiiciunt Patres, scilicet originariæ culpæ adscribere tantam corruptelam, non autem ipsi naturæ, quasi Nouercæ, vt dixêre Philosophorum aliqui: Vide D. Augustinum *lib. 4. in Iulianum*, & *lib. de peccatorum meritis, cap. 22.* & *lib. 14. cap. 17. De Ciuitate Dei.*

RESPONDETVR enim, rectè Patres asserere, non esse naturam accusandam; sed in originarium lapsum ærumnas nostras referendas: Nam Deus hominem primò fœlicissimum condiderat, donis originalis iustitiæ exornatum, & armatum; at proprio vitio se miserrimum reddidit, & inordinatum, quod non fuisset in primo statu, armato illis donis; at verò in puris naturalibus fuisset rebellio membrorum aliqua, non qualis *nunc*: Et per hoc patet *ad duodecimum* relatum à Bellarmino.

208 OBIICIES vltimò: Æterna beatitudo est finis hominis naturalis: Ergo debuit homo media habere naturalia ad eum finem consequendum; alioqui miserior esset natura hominis omnibus aliis, cùm res omnes fines suos consequantur suis viribus: Ergo media ad eam consequendam, id est, Iustitia originalis, &c. fuerunt naturalia homini.

209 RESPONDETVR ex Diuo Bonauentura *in 4. distinctione 49. parte 1. quæst. 2.* Animam verè appetere beatitudinem naturaliter, non tamen supernaturalem, nisi addito lumine fidei, quod patet; quia multi etiam sapientes, absque lumine fidei aberrarunt in ea inuenienda, vt dicetur *prima secunda, tractatu de fine hominis, disputatione secunda*: Neque nouum est, nos appetere naturaliter ea, quæ consequi non possumus naturaliter; sicuti anima appetit reuniri corpori; & tamen non potest naturaliter, cùm resurrectio sit miraculosa: Neque frustrà est illa potentia, quæ non habet actum in eodem ordine; sed sufficit, vt in aliquo habeat; sic enim & beatitudinem, absque gratia consequi non possumus: Vide Sanctum Doctorem ibi, & *distinct. 43. quæst. 5. ad sextum*, vbi id præclarè exponit: Eum sequi-
210 tur Bellarminus ad *tertium decimum*: Quare omnia ex innominato Seraphico desumere gestiuit.




DISPVTATIO II.

DE LAPSV PRIMORVM PARENTVM.



QVò sublimiùs positi sunt primi Parentes, eò illorum Casus cæteris cessit terribiliùs in ruinam, aut cautelam. Longè præ posteris feliciorem statum breuî amisêre, nec solùm personæ adhæsit patratum Scelus; sed in intima Naturæ serpsit, in qua tota Massa corrupta alios in præuaricationem adduxit: Altiùs autem oportet ordiri eorum lapsum, nempe ab occasione præcepti accepta ab eis: atque adeò primò, de Præcepto eis dato: Secundò de Tentatione: Tertiò de Transgressione: Vltimò de Pœnitentia eorum agemus.



QVÆSTIO I.

Quale Præceptum datum sit ADÆ *in Paradiso.*

GRAVE præceptum datum Adæ testantur verba Genes. 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso, vt operaretur, & custodiret illum: Præcepitque ei dicens: De omni ligno Paradisi comedes: De ligno autem Scientiæ boni, & mali ne comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*: En pœna grauitatem peccati indicat. 1

ET sanè etiam comedere de aliis fructibus sub præcepto dictum, ostendi *disputatione præcedenti, quæst. 14.* Iam verò ad nos modò nihil pertinet; quia non ex transgressione huius affirmatiui; sed ex negatione, ne de ligno Scientiæ ederet, lapsus est, vt patet ex Genesi.

LIGNVM illud fuisse materiale, fructuum productiuum concors in Ecclesia est sensus de Fide: 2
Nam Scriptura clara est: Cuius autem speciei fuerit, incertum est, nec cum fundamento asseritur, sed meliùs tacetur cum Diuo Bonauentura, *in 2. dist. 20. dub. 7. litt.* cum Sancto Anastasio Synaïta *lib. 8. Hexaëmer. initio.*

SVPPONO secundò, Arborem illam, non quia malam, fuisse ideò vetitam: Ità D. Augustinus, *lib. 8. de Genes. ad litt. cap. 6.* ait: *Qui fecerat omnia bona valdè, in Paradiso non instituerat aliquid mali*: Id notat etiam Diuus Bonauentura, *in 2. distinct. 19.*

SVPPONO tertiò, dictum esse *Lignum Scientiæ boni, & mali*; non quia anteà Adam nesciret bonum, & malum; erat enim sapientissimus, vt dixi, *disput. 1. quæst. 2. & 8.* Neque Lignum illud habebat talem virtutem, qualem Serpens dicebat; 3

cebat; Neque deceptus est, vt ait Apostolus, & cum eo D.Bonauent. *in 2.dist.22. art. 2. quæst. ad vltimum*, vbi aliquam tantùm nescientiam pœnæ admittit: Sequitur Suarez *lib. 3. cap. 21. num. 6.* Vide quæstionem vndecimam.

4 SVPPONO quartò, factum esse illud præceptum ad hoc, vt Adam obedientiam præstaret Creatori: Ità D. Chrysostomus *homil. 14. in Genes.* D. Augustinus *lib. 8. de Genes. cap. 6. & 13.* Rupertus, *lib. 2. in Genes. cap. 30.* D. Gaudentius Episcopus Brixiæ *in Opusc.*

QVAMVIS autem posset aliunde Deus experiri Adæ obedientiam, vt notat Abulens. *Genes. 13. quæst. 207.* Attamen, quia in aliis aliqua ratio mali, præter Dei præceptum, reperitur; ideò facta est prohibitio, quæ ex sola transgressione voluntatis Dei mala esset, vt inde ostenderetur inobedientiæ malitia; aliter enim bonum erat Pomum: Hæc est ratio Diui Gaudentij *loc. cit.* & D. Augustini, *cap. 13. adducto.*

5 SVPPONO quintò, Deum tale præceptum Adæ dedisse ad alias etiam virtutes, maximè Temperantiæ, Humilitatis, & Religionis, vt dicam *quæst. 7.* vbi quæram, quas virtutes transgressi sint primi Parentes.

SVPPONO sextò, illud Præceptum fuisse sub mortali, ne ederent. Est de fide: An verò ex paruitate materiæ posset esse venialis transgressio; dico, non potuisse: Tum quia primum peccatum non poterat esse veniale, vt dicam *quæst. 12.* Tum quia commestio Adæ videtur fuisse parua, & tamen mortalis: An verò etiam præceptum esset, ne tangeret illum fructum; sicuti Eua dixit, videtur exaggeratio mulierculæ ad grauamen amplificandum; nec certum aliquid constat.

6 SVPPONO vltimò, præceptum factum fuisse Adamo immediatè: An verò etiam mulieri incertum est, an immediatè; ità tamen, vt etiam Euam ligaret. Ita Suarez *lib. 3. cap. 21.* Arriaga, *tract. de operibus sex dierum, disp. 44.*

QVOD me vrget, est, videre: An, & quomodò Adæ datum sit hoc præceptum, etiam pro posteris: Et quidem; an obligarit etiam posteros ad non comedendum, res dubia est: Suarez affirmat *lib. 3. cap. 21.* At Pererius *lib. 4. quæst. 2.* dixit, esse incertum; Arriaga verò *loc. cit. sect. 4.* dicit, ex vi verborum non colligi; & probabilius locutum Pererium; Mox eodem *num. 14.* Palinodiam canit, & probabilius asserendum dicit.

7 QVÆSTIO est: An datum sit Adæ, vt capiti; ità vt seruans præceptum, seruaret innocentiam, & illud transgrediens, eam etiam filiis perderet omnibus: Et hæc duas includit dubitationes. Prior est: An ità sit. Secunda: An ad hoc necessariò interuenerit pactum speciale, & contractus Dei cum Adamo.

8 ET prior sanè de fide est: Probatur præcipuè illo *Rom. 5.* quo vtitur D.Bonauent. *in tertij Dialogo*, & *in 2. dist. 22. quæst. 1. argumento 2.* secundo loco: *Propterea, sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Et infrà: *per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.*

HINC eruitur argumentum: Peccatum dicit transgressionem præcepti, sibi iniuncti; sed omnes in Adam transgressi sunt: Ergo violantes præceptum, latum Adæ, sibi etiam datum ex origine; Confirmatur: Non enim potest esse actuale; cùm etiam infantes rei sint: Hoc fundamento nituntur omnes Catholici, Bellarminus, *tom. 3. lib. 4. de Amissione gratiæ, cap. 3.* Suarez *lib. 3. de hominis creatione, cap. 21. à num. 19.* Arriagà, *tract. de operibus sex dierum, disp. 44. sec. 4. num. 17.* & cæteri.

RESPONDET Zuinglius, *libro primo de Baptismo*, Peccatum etiam intrasse in mundum per Adamum, quia primus is fuit, qui peccauit. 9

RESPONDET secundò *hic*, Peccatum intrasse, id est, effectus peccati; *verbi gratia*, pronitatem ad peccandum, mortalitatem, ærumnas, &c. Hos enim peccati effectus per Metonymiam, Apostolus vocat peccata.

ERASMVS ad hunc locum, post Pelagianos, explicat, Peccatum transisse, non per propagationem; sed per imitationem.

ENIMVERÒ sunt expositiones adulterinæ: Et prima quidem fœtet; non enim Adam primus fuit, qui peccauit; sed Lucifer; & post eum Eua.

DEINDE ex verbis sequentibus refutatur: *Et per peccatum mors; & ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*: Ex quo refutata iacet etiam expositio secunda; nam dicit, intrasse peccatum, & posteà per peccatum, quasi per causam intrasse mortem, tanquam effectum: Ergo per peccatum non intelligit effectum peccati. 10

TERTIA verò refellitur cum Diuo Augustino *lib. primo de peccatorum remissione, cap. 9.* Et cum Hilario *quæst. 3. epist. 89.* Confutatur autem optimè ex D. Bonauent. *in Prologo tertij sent.* quia intentum Apostoli clarum ibi est, explicare Romanis Mysterium Redemptionis, ad quod manifestandum ipse se profitetur destinatum Apostolum, & Magistrum Gentium; & antithesim ponit inter Christum, & Adamum, & infert, quod sicut per Adamum omnes damnati peccatores facti sunt; Ita per Christum saluati: Illa enim particula; *Sicut per vnum hominem*, requirit respondentem: *Ita per Christum*: Ità igitur (ait) per Christum regeneratione, non solà imitatione intrauit in mundum Iustitia; sicuti per generationem Adæ intrauit peccatum: Illa etiam Particula, *Propterea*, roborat id, quod dixerat suprà, inferens nos reconciliatos per Christum, ac iustificari; sicut per Adamum damnati sumus: Ità exponit etiam D. August. *lib. 6. in Iulianum, cap. 1. in editione Louaniensi*, D. Thom. *ad hunc locum*: Vel cum Origene, & Diuo Augustino in explicatione quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos; Dic, alteram partem comparationis haberi infrà: *Igitur, sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: Sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* 11

IACOBVS Faber ad hunc locum detruncat coniunctionem (*Et*) Sic adulterans textum: *Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors; ità in omnes homines mors pertransiit*: Sic legit etiam Zuingl. *lib. de Baptismo.* 12

ENIMVERÒ omnes Codices Latini, Græci, & Syri, eam ponunt particulam.

PRÆTEREA illa particula (*Sicut per vnum hominem*) significat causalitatem, & non imitationem.

TEMERÈ autem Erasmus legit; *Propter vnum hominem*: Nam in omnibus legitur *Per*: Adde, contra regulas Græci idiomatis, poni, *Propter*: Nam Particula διά, cùm regit genitiuum, significat, *Per*; cùm regit accusatiuum, significat *Propter*: Quas regulas ipse Erasmus obseruare vbique solet, vt patet in expositione Erasmi *ad Rom. 4. & 5.* 13

CONFIRMATVR ex illo addito, *& per peccatum*,

catum mors (non propter peccatum.) Vult igitur, sic peccatum esse causam mortis, sicut Adam est causa peccati, quod in mundum intrauit: Confirmatur per sequentia: *Et ità in omnes homines mors pertransiit*: Hoc verò adulterat Erasmus legens, *Peruasit*; Contra quod est, non modò editio antiquissimi Patris interpretis Ecclesiæ; sed etiam Editio Syriaca, in qua pro Græco verbo διῆλθεν est verbum עבר Aber, quod est Hebræum, & *transire* significat, vnde est etiam מעבר Meabar, *vadus transitus*: Et S. Augustinus ex hoc verbo probat originem peccati *serm. 4. de verbis Apostoli.*

Colligitvr etiam ex verbis illis: *In quo omnes peccauerunt.*, vt notat D. Augustinus *lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 4.*

14 Confirmatvr adhuc ex verbis sequentibus: *Vsque ad legem, &c.* Et per ea verba: *Per inobedientiam, &c.* Quæ luce clariora sunt. Tandem declarant id Concilium Mileuitanum, *cap. 2.* receptum ab vniuersa Ecclesia, vt patet ex epistola Innocentij I. ad Concilium Mileuit. quæ habetur *Tomo primo Conciliorum*: Et inter epistolas S. August. *n. 93.* illudque Concilium relatum est in corpus Iuris Canonici *de consecr. dist. 4. Cap. Placuit*; Et Concilium Tridentinum vniuersale *sess. 5.* Idem decretum renouauit; quicquid latret Erasmus: Probatur etiam à. D. Bonauent. *in opusc.*

15 De hoc latiùs *disputat. 3. de Peccato Originis, quæst. 1. prima secundæ*: An verò intercesserit pactum inter Deum, & Adam de hac obligatione; Aliqui negant, vt Soto *lib. de natura, & gratia, cap. 10.* Vasq. *prima secunda, disp. 133. cap. 1.* tametsi nomen pacti nonnunquam ei excidat.

Alii verò sustinent affirmatiuum: Ità Catherin. *opusc. de peccato orig. cap. 8.* Salmeron, *super cap. 5. ad Rom. disp. 45. in fine*, vbi refert, Soto *in epist. ad Rom.* hoc pactum agnouisse.

16 Alii dicunt, pactum quidem, seu contractum mutuum non intercessisse, neque necessarium fuisse; at verò specialem Dei voluntatem ad posteros etiam ligandos necessariò interuenisse, eamque fuisse implicitam in comminatione: *In quacumque hora comederis, morte morieris*: Ità Arriaga *de operibus sex dierum, disp. 44. sect. 4. num. 16.* Suarez, *lib. 3. de hominis creatione. cap. 21. num. 19.* Hæc mihi videtur sententia D. Bonauent. *in 2. dist. 32. art. 3. quæst. 1.* Vbi probat, peccatum Adæ nocere paruulis, eò quòd careant eo decore, quem Deus in eis requirit ex iustitia; non tamen pactum vllum meminit: Clariùs *quæst. 2.* vbi etiam tale exemplum affert: Si alicui promisissem implere vino omnia quotquot dolia ex tali arbore excideret; & radix illa ità inficeretur, vt omnes tabulas inficeret; & ideò vinum in dolia facta effunderem, illudque vinum inficeretur, non esset mihi culpæ: Sic Deus promisit Adæ animas, veluti vinum generosum, præditas gratiis originalibus in corpora, quotquot ex stipite formarentur, infundere: Cùm igitur radix sit infecta, non est Deo adscribendum.

17 Deinde affert D. Anselmum *lib. de Concept. Virg. cap. 28.* vbi ait: *Si quis vir, & vxor ad magnam dignitatem solâ gratiâ prouecti sunt; si crimen graue committant, & pro eo iustè deiiciuntur, & in seruitutem rediguntur, quis dicet, filios, quos post damnationem genuerunt, eidem non subiacere seruituti, sed potius ad bona, quæ Parentes amiserunt iustè, gratis debere restitui? Tales sunt primi Parentes, & eorum posteri.*

Vvlt igitur inferre, solâ voluntate, singulariter applicatâ ad communicandam iustitiam originalem, etiam filiis Adæ, si ipse persisteret, hoc præceptum etiam filios ligasse; & hoc sensu potest dici pactum ex parte Dei, licèt non mutuò acceptandum fuerit à primo parente: Ex hac igitur peculiari Dei voluntate Adam nobis nocuit, nec suâ pœnitentiâ restituit: Nomine ergo Pacti, Dei ordinatio Adæ intimata, & contestata, promissio expressa concedi debet: Nec quid amplius ostendunt Aduersarij.

Neqve igitur fuit necessaria acceptatio Adæ, 18 sed sufficit Dei voluntas intimans; quippè quæ iustè exigere potuit in Adamo, & filiis illam innocentiam, vt donis suis fruerentur, vt notat D. Bonauent. *loc. adduct.* quem sequitur Suar. *num. 24.*

Addo verò, Adamum habuisse notitiam huius transmissionis à se, tanquam à capite, ad posteros: Ità Suar. *num. 29.* tametsi non fuerit necessariò reuelanda à Deo ipsi Adæ, vt notat Vasquez *loc. cit.* quia, vt ait D. Bonauent. non erat peccatum à parente acceptandum; sed sufficiebat iusta Dei exactio, & prætensio.

Obiicivnt Hæretici: *Lex iusto non est posita*, 19 ex prima Timoth. primo; At primi Parentes erant iusti, similiter, & filij eorum, iusti nascituri erant: Ergo non est datum illis præceptum.

Respondet S. Bonauent. *in 3. dist. 1. dub. 3. litt.* quem sequitur Bellarm. *tom. 3. lib. 3. de amissione gratiæ, cap. 1. in calce.* Arriaga *tract. de operibus sex dierum, disp. 44. sect. 1. num. 4.* Suarez *de Legibus, lib. 1. cap. 19.* cum D. Augustino, *lib. de spiritu, & littera, cap. 10.* Iustos quidem eatenùs sub lege non esse, quatenùs Lex, quæ habet pœnas transgressionibus iniunctas, non premit ceruicem Iustorum, qui libenter eam seruant; & potius in lege sunt, quàm sub onere legis, vt idem Apostolus de se fatetur *1. Corinth. 9.* & *Rom. 6.* ait: *Non estis sub lege, sed sub gratia*; Et Galat. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*: Sic igitur primis Parentibus lex, grauans ceruicem quasi renitentium, grauis non erat; cùm tamen in lege essent: Igitur non sunt sub legis motiuo, id est, pœnarum.

Qvod si valida esset responsio Lutheri ad 20 hunc locum Apostoli, sensum esse, Iustum non esse sub lege; quia hæc lex lata est post peccatum; sequeretur, iustos in hoc sæculo, lege non teneri, vt argutè infert S. Bonau. *loc. cit.* Ratio est, quia lata est solùm pro peccatoribus: Prætereà lex Circumcisionis data est Abrahæ viro iustissimo, vt notat D. Bonau. *in 6. dist. 1. art. 3. quæst. 1. ad 4.* Datur autem etiam iusto ad meritum, vt docet D. Bonauent. *quæst. 2.* & post eum Bellarm. *loc. cit.* Et sic data est etiam Abrahæ inter iustos celeberrimo.

QVÆSTIO II.

An conuenienter Devs *permiserit*, Hominem *tentari circa Præceptum.*

D. Bon. d. 23. q. 2.

Hæretici latrant, tentationem à Deo ho- 21 mini esse immissam, vt peccaret: Eos refert Bellarmin. *tom. 3. libro 3. de Amissione gratiæ, capite 2.* Sed hæc confutata sunt, *tract. 1. disp. 16. quæst. 13.* Imò aliqui impiissimè dixêre, Serpentem fuisse Christum: Eos redarguit S. Augustinus *de*

hæres.

hæres. in 17. & 46. Epiphanius *hæresi* 47. Irenæus *lib.* 1. *cap.* 34. Tertullianus *de præscript. cap.* 47. Aspicite, quæ monstra?

His verò explosis, videtur sententia S. Prosperi *lib.* 2. *de vita contempl. cap.* 19. Primos homines, priusquam tentarentur, peccasse superbiâ; Et ideò permissam eis tentationem in pœnam: Idem videtur dicere S. Aug. *lib.* 11. *de Genes. ad litt. cap.* 30.

At verò S. Augustinus vult, primò tentatam mulierem; hanc verò in præsumptionem fuisse elatam ob verba Serpentis, Deitatem pollicentis; Ex hac verò superbia ortum esse, vt Deus in pœnam permitteret, eam induci in tentationem: Ità aduertit D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 23. *artic.* 2. *quæst.* 2. *ad primum*, & cum eo Bellarmin. *loc. cit.* Clariùs *in* 2. *dist.* 22. *quæst.* 2. *in corpore*; Id habet S. Bonauentura explicans Diuum Augustinum.

22 Assero, non fuisse indecens, Deum permittere hominis tentationem: De tentatione egi, *tract. de Angelis, disp.* 14. *quæst.* 2. & *seq.*

Probatur à D. Bonau. primò ex vtilitate inde homini proueniente: Non enim laude est dignum, benè viuere, nisi esset, qui malè viuere suaderet: Hæc est ratio D. August. 11. *de Genes. ad litt. cap.* 4. Et Magistri, *dist.* 23.

Secunda ratio S. Bonau. est. Homo producebatur ad coronam: Ergo legitimè certare debebat, vt ait Apostolus 2. *Timoth.* 1. Cùm enim virtus laudabilior, & gloriosior eluceat, & proficiat ex impugnatione sui oppositi, decuit Deum permittere, hominem ab Aduersario impugnari; quia tunc, vel saltem postea ex ipsa tentationis impulsione manifestanda erat fortitudo, & eminentia charitatis suæ: Hæc est ratio D. Augustini *loc. cit. cap.* 6.

23 Tertia ratio D. Bonau. est. Decet, Deum sic administrare mundum, vt singulis suos motus agere sinat; sed Deus fecit hominem liberum vertibilem: Ergo debuit sinere, eum liberè operari; & etiam tentari non fuit iniuria: Hæc ratio est Diui Augustini, *lib.* 7. *de Ciuit. cap.* 30. & *lib. de corrept. & gratia, cap.* 10. & *in Enchir. cap.* 11.

Quarta ratio D. Bonau. Quia homo tot auxiliis armatus potius victoriam, quàm mortem referre debebat: Hæc ratio habetur etiam *in responsione ad duo vltima argumenta.*

Quinta ratio S. Bonau. Quia Deus inde arrepturus erat ansam ostendendi in Sanctis, ex eius semine futuris, fortitudinem, & charitatem, quam neque mors, neque vita &c. superare valeat, *Rom.* 8. Hæc est ratio D. August. *lib.* 4. *de Ciuit. cap.* 27.

24 Sexta ratio S Bonau. Quia volebat res ità disponere, vt peccatum hominis, si accideret, non careret remedio; ideò permisit tentationem, vt, si caderet, esset excusabilis; ipse verò remedium ineffabili amore, in sanguine suo præstaret: Hæc est ratio D. Aug. *serm.* 9. *de verbis Apostoli*; Imò Apostoli Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, &c.* Est etiam S. Leonis, *serm.* 12. *de Passione Domini*, & *serm.* 3. *de Pentecost.* Ideò Ecclesia clamat: *O fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.*

Septima ratio S. Bonauent. est; Quia hinc ostensurus erat misericordiam, & iustitiam: Hæc est ratio D. Aug. *lib. de correpi. & gratia, cap.* 10.

Octava ratio S. Doct. est; Quia cadente homine, maiora bona erat inde educturus: Hæc est ratio etiam D. Aug. *lib. de corrept. & gratia, cap.* 10. & *in Enchir. cap.* 11.

Has omnes rationes desumpsit Bellarm. *loc. cit.* Ratio verò altissima soli Deo est cognita, vt ait D. Augustinus 11. *de Genes. ad litt. cap.* 4.

QVÆSTIO III.

Quis fuerit Evæ *Tentator.*

{D. Bonau. in 2. dist. 22. q. 1.

Hallvcinationibus hæreticorum relictis, qui Christum tentatorem Serpentem latrabant, quos suprà retulimus, quid Catholici de hac quæstione senserint, disserendum. 25

Caietanvs *Genes.* 3. nullum serpentem verum corporeum interuenisse, ait; sed solum Dæmonem interius sibilasse, qui sæpenumerò serpens proclamatur, autumat.

Attamen historia nimis clarè narrat, fuisse Serpentem: Ità Sancti Patres omnes; Basil. *homil. de Paradiso*, Ambros. *lib. de Paradiso, cap.* 12. & *lib. de fuga sæculi, cap.* 7. August. 4. *de Ciuitate, cap.* 11. Chrysost. *homil.* 16. *in Genes.* Cyrill. *lib.* 3. *contra Iulianum*, Damascen. 2. *de fide, cap.* 20. Beda *in* 3. *cap. Genesis*; & alij quibus dant manus D. Bonau. *in* 2. *dist.* 21. *dub.* 1. & 2. *litt.* & *quæst.* 2. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 165. *art.* 2. Et omnes Theologi, vt refert Suar. *lib.* 4. *de Amissione status innocentiæ, cap.* 1. Arriaga, *de opere sex dierum, disp.* 44. *sec.* 5. *num.* 20.

Assero primò cum hac sententia, fuisse verum Serpentem.

Probatvr à D. Bonau. primò *quæst.* 2. *adducta, argum.* 1. vbi ex historia iacit fundamentum firmissimum: Est enim historica narratio, quâ mulier locuta est extrà serpēti, & serpens mulieri: Confirmatur; nam serpens allocutor, dicitur callidissimus inter animantia terræ, vt notat D. Bonau. *dub.* 2. *litt. adducto*: At inter Dæmonem, & bruta non fieret talis comparatio congruenter; tametsi S. Aug. 11. *super Genes. cap.* 2. ad Diabolum trahat, esse callidissimum, vt habet Magist. *in* 2. *dist.* 21. *cap.* 2. Attamen solùm vult dicere, callidissimum inter omnia ad nocendum, specialiter in bruto astutissimo ad corporaliter nocendum. Ità D. Bonau. *d.* 21. *dub.* 2. 26

Caietanvs ad metaphoras confugit, quæ si valerent; iam euerteretur tota Genesis historia. Hoc fundamento nituntur Suar. *loc. cit. n.* 4. Arriaga *n.* 20. & 21. Bellarm. *lib.* 3. *de amiss. grat. cap.* 3.

Probatvr secundò ratione D. Bonau. *quæst.* 2. adducta *in corpore*, & *ad primum*, quâ vsus est etiam D. Thom. *loc. cit.* & posteà Suar. *loc. cit. num.* 5. Arriaga *num.* 20. quia Dæmon non poterat tentare Euam pro eo statu, suggestione merè interna; sed tantùm externa; cuius oppositum Caiet. supponit. Probatur assumptum, quia Dæmon non poterat in eo statu alterare phantasiam, quia hoc erat contra perfectionem illius status, & contra rectitudinem iustitiæ originalis, per quam fiebat, vt quandiù Ratio subiiceretur Deo, & portio inferior esset ordinatè subdita portioni superiori, inordinatè aduersus eam moueri non posset; tentatio autem interna fit per immutationē portionis inferioris inordinatam. 27

Dices, hoc argumento probari, non potuisse commoueri concupiscentiam; At verò poterat commoueri phantasia: quòd enim commoueatur phantasia, non est inordinatum: Nam etiam tunc excitabatur obiectis externis, & per suggestionem externam mouebatur sensus exterior immediatè, & eo mediante sensus interior. 28

Attamen, licet non excedat naturales vires Dæmonis immutare phantasiam, vt probat latè D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 8. *part.* 2. *quæst.* 3. Attamen

men status iustitiæ Originalis muniebat aditum animæ, ne penetraret motus inordinatus, Adamo non aperiente: Immutatâ enim sic phantasia, sequitur commotio concupiscentiæ, vt notat D. Bonauent. *loc. cit. ad argumentum primum.* Confirmatur; nam immutatio interna semper est cum aliqua inordinatione: Et ideò D. Gregorius, *homil. 16. in Euang.* arguit, tentationem Christi fuisse solùm externam, eò quòd non fuit cum delectatione, vel consensu: Ità notat Suarez post D. Bonauent. *dist. 21. dub. 3. litt.* Latè id prosequitur Suarez *num. 79.*

Attamen aliqui in altero extremo dicunt, illum serpentem verum fuisse, ac naturaliter locutum, vel Deo mouente, per miraculum: Hanc opinionem refert Tostatus *Genes. 13. quæst. 418. & 429.* In priori sensu asseritur à Iosepho *lib. 1. antiquit. cap. 2.* In posteriori verò à Moyse Barcepha, *lib. de Paradiso, part. 1. cap. 27.* Et adducit S. Ephrem, quasi dicat, Deum concessisse serpenti, ad preces Dæmonis, intellectum ad allocutionem.

Assero secundò: Non fuit serpens allocutor, acceptâ intellectione.

29 Probatur à D. Bonauent. *dist. 21. dub. 1. litt.* ratione, quâ nititur Suarez; quia solus homo habet intellectum; tunc autem Serpens non brutum fuisset; sed homo, contra Scripturam.

Neque credendus est Deus, dedisse miraculo vim intellectiuam, seu directiuam perfectam locutionis Serpenti ad decipiendum; cùm & ipse Dæmon suâ virtute naturali potuerit mouere Serpentem ad locutionem, sicut mouet Energumenos ad loquendum idiomate extraneo; & sicut Angelus mouit os Asinæ Balaam, *Numer. 22.* vt notat D. Bonauent. *dub. 1. litt.* adducto; & post eum Suar. *num. 9.* Hoc tamen vocat S. Doctor *dub. 1.* Miraculum, eo tamen sensu, quo posteà explicuit.

30 Obseruat autem S. Doctor ibi, ad locutionis formationem tria concurrere: Primum, instrumentorum multitudo, & aptitudo: Secundum, virtus motiua: Tertium, Virtus directiua. Hæc tria sunt in homine perfectè: In Brutis etiam quibusdam; sed imperfecto modo: Nam, licèt habeant organa disposita, tamen aliquo modo incompleta sunt, licèt habeant vim motiuam sensibilem: Habeant etiam vim imaginatiuam, vel excogitatiuam, ratione cuius erudiuntur ad aliquas voces pronunciandas; non tamen est in eis complete, sed cùm adest vis rationalis, quæ possit regere, & mouere; tunc illa potentia incompleta ad actum perfectum reducitur; & sic fuit in illa allocutione Serpentis: Nam Diabolus excitabat vim motiuam, & dirigebat, vt posset talem sermonem proferre: Itaque serpenti non est data noua potestas, sed prior assistebat; vnde propriè miraculum non erat, qui rationabiliter admirari posset, cùm esset supra potestatem bruti, ea verba proferre: Sic euenit etiam Asinæ Balaam, quæ non per miraculum locuta est: Nam licèt dicat; aperuit Dominus os Asinæ, non significat, id miraculo factum esse, vt putat Caietanus; sed ab Angelo bono, non à Cacodæmone: Hæc S. Doctor *loc. cit.* & post eum Suarez *num. 9.*

31 Assero ergo tertiò, Dæmonem in ore serpentis locutum, tanquam authorem tentationis illius.

Probatur primò à D. Bonau. in 2. *dist. 21. quæst. 1.* primò ex illo Sap. 2. *Inuidiâ Diaboli mors introiuit in Orbem terrarum*, vbi mors adscribitur Diabolo: & Christus *Ioan. 8.* vocat Diabolum homicidam ab initio, vt notat. S. Bonauent. *fundamento 3.* Et ad eum locum Ioannis, & post eum Suarez, *loc. cit. num. 12.*

Probatur secundò; quia illa locutio discursiua necessariò debebat regi à Creatura intellectuali; cùm serpens id non valeret, vt dixi; neque erat homo præter Adamum; nec ipsi, aut Angelis sanctis poterat adscribi: Ergo Dæmon fuit allocutor.

An verò fuerit Serpens ex aëre formatus; an 32
verò animal: Respondetur cum D. Bonau. *locis adductis*, fuisse verum Animal. Insinuatur à Sanctis Patribus, adductis initio, præcipuè S. August. vt refert S. Doctor: Id autem habet præcipue 14. *De Ciuitate Dei, cap. 11.*

Cur verò potius per serpentem, quàm per alia animalia aptiora ad loquendum Dæmon tentauit: Oportet adnotare cum D. Bonauentura, *quæst. 2. dist. 21. in corpore*, ex D. Augustino 11. *de Genes. ad litt. cap. 3.* nos non debere opinari, quod serpentem sibi, per quem tentaret, Diabolus elegerit; sed cùm esset in eo decipiendi cupiditas, non nisi per illud Animal potuit, per quod decipere permissus est: Sequitur Suarez, *num. 16.*

Congruum autem fuisse, vt Diabolus sub 33
bruti specie tentaret, ostendit S. Bonauent. *loc. cit.* Tum ratione operis; quia homo inclinatur ad bona sensibilia brutalia, decebat à Bruto de ea sollicitare: Tum quia tentatio ordinabatur, vt compararetur brutis insipientibus, & similis illis fieret: Tum quia Deus prouidus ità permittebat tentari occultè à Dæmone, vt omninò non lateret; sed inire, ac merito fraudes timeret.

Congruum etiam fuit (ait S. Bonauent.) vt à serpente tentaretur; tum quia tentatio fit serpendo ad cor, vt ibi virus effundat: Tum quia dirigebatur tentatio, vt homo, qui creatus est staturæ erectæ, vt ad Cœlum aspiret, iam super terram pectore traheretur affectibus: Tum quia inter tentantem, & tentatum debebat inimicitia oriri; inter Animalia autem Serpens, post lapsum, est inimicissimus: Hæc. S. Bonauentura.

Quæres: Cur Eua non horruerit serpentem. 34

Respondet S. Bonauent. *ad 2.* ex Beda, Serpentem illum vultu quodam Puellæ simili apparuisse: An verò ità esset naturâ suâ, non asserit S. Doctor: Quod enim naturâ suâ talem haberet faciem, est incertum, & sine sufficienti fundamento, vt notant Lyra, & Pererius ad eum locum, ac Suarez *loc. cit. num. 18.*

Mirabile est autem, mulierem non hor- 35
ruisse colloqui cum bestia, ab eâque responsa accipere, eique reddere; cùm enim esset sapiens, non video, quomodo potuit cum serpente discursum inire.

Aliqui dicunt, putasse mulierem, accepisse serpentem à Deo loquendi facultatem: Ità Diuus Cyrillus *lib. 3. contra Iulianum*: Magister *in 2. dist. 21. cap. 2.* Abul. *Genes. 13. quæst. 457.*

Hoc tamen magnam in Eua deceptionem ponit, quasi indicarit brutum esse rationale; hoc enim necessarium erat ad hoc, vt rectè dirigeretur collocutio mutua ad rem, vt notat S. Bonauentura, *dub. 1.* & Suarez, *num. 19.*

Alii dicunt, non fuisse deceptionem, sed nescientiam: Ità Pererius, & Istella.

Sed hoc est contra Magistrum, D. Cyrillum, & 36
Abulensem: Deinde non videtur excludi deceptio; quia, Eua locuta est cum Serpente, tanquam cum intellectiuo: Ergo decipiebatur.

Respondere videtur Pererius, non credidisse eam, Serpentem posse loqui; sed dubitasse:

Attamen

Attamen si fuisset dubium, quod dicitur negatiuum, suspendendo iudicium, non potuit dare sufficientem ansam colloquendi, & confitendi arcana cordis: Si autem erat positiuum iudicium formidolosum, dicit Suarez, quod erat deceptio. Sed non rectè, vt notat D. Bonauent. *in 2. dist. 23. art. 2. quæst. 2.* Nam opinari cum formidine non decipit; etiamsi oppositum sit verum; quia asseritur solùm opinatiuè.

Argvit contrà Rupert. *lib. 3. in Genes. cap. 3.* quia fuisset ignorantior, quàm nunc in statu miseriæ, vbi scitur, Serpentem non habere discursum.

37 Vera igitur sententia est, putasse Euam, illum esse spiritum alloquentem ex ore alicuius: Ità D. Bonau. *loc. cit ad 1.* cum Ruperto *loc. cit.* Sequitur Suar. *num. 23.* vbi addit S. Bonauenturam, vel corrigendum, quia dixit, Euam putasse spiritum loquentem esse bonum Angelum; vel sic explicandum Seraphicum, putasse *potentialiter*, id est, posse esse bonum Consiliarium.

38 At verò corrigendus non est S. Bonauentura; quia, si Eua cognoscebat, esse spiritum, & nouerat etiam casum Dæmonum; certè si credidisset, fuisse Dæmonem, aufugisset: Ergo putauit potius esse bonum; neque hoc solùm putauit in incertum, posse esse ità: Nam vt ipse Suarez suprà arguebat, debuit esse talis certitudo, qualis erat necessaria, vt Eua confideret arcana cordis, & discursum iniret, quod abstrahendo non sufficit; Quod si supponit: Ergo firmiter credidit; at D. Bonauentura non ità firmum iudicium astruit; ideò ait, sed potiùs bonum consiliarium credidisse: Hoc verò significat maiorem probabilitatem, cùm initio venenum non effuderit; sed solùm quæreret: *Cur præcepit vobis Deus, &c.* Quod non repugnat, etiam à bono Genio requiri.

39 Deinde, si, vt ait Suarez, Eua inconsideratè processit: Ergo in eo statu potuit esse peccatum ex inconsideratione: Ergo potuit esse peccatum veniale, sermonem instituendo inconsideranter, cùm tamen Suarez neget, peccatum veniale in eo statu possibile, vt notat Arriaga *disput. 44. sect. 5. num. 26.* vbi tamen non bene arguit dicens; sequeretur, quòd si fuisset vetitum loqui cum Dæmone, illa tunc venialiter peccasset ex inaduertentia: Responderet enim Suarez, non futurum peccatum veniale; quia inaduertentia æquiualet, iuxta suam doctrinam, ignorantiæ inuincibili.

40 Confvtat posteà responsum D. Bonauent. quia non erat probabile, Angelum bonum assumere tam vile animal, & multò minùs dicturum aliquid contra Dei præceptum.

At S. Bonauent. iam satisfecit dicendo, Dæmonem obtulisse Colubrum singulari decore, saltem phanatico præclarum, cùm verè ex eis aliqui pulcherrimi sint. Neque verò primò dixit aliquid contra Deum: sed solùm interrogauit: *Cur, &c.* in qua interrogatione, elata mulier præsumpsit, vt mox dicam.

Respondet ipse, vel Euam venialiter peccasse aggrediendo cum Serpente colloquium; vel inconsideratè locutam: ex quo tamen non sequebatur determinatè peccatum: nam loqui cum Dæmone, non est peccatum: Vel dici potest, agnouisse Diabolum, & ideò non fuisse miratam.

41 At primum confutabitur *quæst. 12.* vbi ostendam, non potuisse veniale peccatum esse primum: Secundum verò est friuolum; nam rei nouitas, nempè locutio bruti etiam stolidam quamque excitaret mulierculam pro hoc statu, nec deciperet: Tertium tandem est vanum, Euam de rebus Diuinis, & grauissimis ad salutem cum Diabolo discurrisse confidenter ad praxim, & sine peccato, quod tamen à toto illo colloquio arcet Arriaga cum omnibus *num. 27.* vbi infert, futurum peccatum, si Eua ex ignorantia affectatâ allocuta esset Dæmonem: Multò ergo magis, dum nouerat conferendo cum eo, quid ad salutem necessarium sibi esset.

Ex his responsio patet ad Caietanum contra primum assertum; Nam quod ait, Dæmonem vocari Serpentem; non nego; attamen Scriptura clarè ostendit fuisse verum Serpentem; alibi verò alluditur ad hunc, id est, qui locutus est, ideò dicitur Serpens antiquus. 42

Qvod verò opponit; dici callidiorem cunctis animantibus, quod de Serpente verum non est: Respondet S. Bonauent. *in 2. dist. 21. dub. 2. litt.* vere serpentem esse prudentissimum: Ideò *Matthæi 10.* dicitur: *Estote prudentes, sicut Serpentes:* Id asserunt multi Patres relati à Peterio, *lib. 6. in Genes. quæst. 1.* Et ideò Diabolum, astutissimum ad lædendas animas, ritè assumpsisse animal aptum ad nocendum corporibus callidissimum insidiatorem; Ità respondet etiam Suar. *num. 9.* Arriaga *num. 21.* Quod verò opponit, miraculum futurum necessarium, vt Serpens loqueretur: Iam refutatum est.

QVÆSTIO IV.

Quo motiuo Diabolus Evam *aggressus sit.*

D. Bonau. dist. 21. quæst. 1.

Notat S. Doctor ex D. Augustino *11. de Genes. ad litt.* duobus affectibus Luciferum obscuratum; & ex Angelorum Sole, tenebrosum Diabolum euasisse; Superbiæ scilicet, & inuidiæ, qui ferè sunt germani; Superbus enim suam adamans excellentiam, nullum sustinet parem; & si quem videat esse, aut posse esse sibi æqualem, ei inuidet: Videns igitur hominem in honore constitutum, qui ad gloriam, vnde ipse exciderat, ascendere poterat, eum sibi subiicere superbus molitus est, & ab ea fœlicitate, in qua constitutus ad beatitatem æternam properabat, inuidus deturbare aggressus est. 43

Assero primò: Diabolus è superbia Euam adorsus est.

Probatvr à S. Doctore primò, *Sap. 2.* & ex D. Gregorio *in Moral.*

Deinde Diabolus sic homicida factus est *Ioan. 8.* Ergo ex odio; hoc autem ex inuidia pullulat.

Tandem, quia sine spe proprij commodi gloriam nobis auferre volebat: Hæc autem ex rabida oritur inuidia.

Assero secundò, è superbia Diabolum etiam motum: Patet ex dictis. 44

Obiicies: Inuidia est ad parem; at homo erat eo inferior: Ergo.

Respondet S. Doctor, eum ordinatum ad gloriam, ad quam perueniens euadebat maior.

Obiicies secundò: Inuidia est de bono desiderato; at Diabolus non appetit gloriam.

Respondet, eum appetere omnibus superferri, quod bonum sic impediebatur.

QVÆSTIO V.

An Ordo tentationis fuerit conueniens.

D.Bon.dist.21.quæst.3.
D.Thom.2.dist.21.
quæst.3.art.1.

TENTATIO hæc, ab Eua progressa est ad virum; Diabolo sic moliente, & Deo ad bonum,id permittente.

45 ASSERO primò, callidum tentatorem aptè, ac congruè cœpisse à muliere.

PROBATVR: Videbat enim eam debiliorem ad resistendum, & veluti ignem maximæ actiuitatis ad virum lenociniis vincendum; Est enim mulier hostis domesticus validus, vnde dicitur laqueus Venatorum, *Eccles.*7. Hæc S. Bonauent. & cum eo Perer. ad ea verba: *Deditque viro, &c.*

ASSERO secundò, Deum conuenienter permisisse Diabolo Euam primò inuadere.

46 PROBATVR à S. Doctore; quia decuit sapientiam Dei ad exercitium viri fortis habentis virtutem ad resistendum, non modò serpenti, sed etiam vxori: Ad Euæ inexcusabilitatem: Si enim post viri casum præuisum fuisset tentata, potuisset dicere: Iam cecidit, me fortior, vir.

QVÆSTIO VI.

Quodnam fuerit initium peccati EVÆ, *& qui progressus.*

D.Th. prima secundæ, quæst.163. art. 1.
D.Bonau. distinct. 22. quæst. 1.

47 INITIVM peccandi indicat, tum primum peccatum; tum primum tempus, quo incepit peccare: Vtrumque ergo initium peccandi quæro.

QVOAD tempus: Rupertus *lib.* 3. *in Genes. cap.*5. ait, Euam, antequàm tentaretur à Serpente, iam lapsam: Aliqui verò addunt, tentationem Serpentis fuisse pœnam à Deo illatam ob peccatum præcedens: Rupertum sequitur Ioan. Ferus *in Comment.*

48 ALII volunt, Euam peccasse illicò ad prima Serpentis verba: *Cur præcepit vobis Deus?* Dicunt verò, statim Euam elatam ægrè tulisse, adstringi à Deo præceptis, & appetiisse libertatem: Ita Pererius *lib.6. in Genes. disp.de peccato Euæ, quæst.*1. Et citat Caietanum ad eum locum: Alij verò in primis Euæ syllabis, tria peccata inueniunt: Primum mendacij, dum dixit; *Præcepit Deus ne tangeremus illud*: Secundum infidelitatis: *Ne fortè moriamur*: Tertium mendacij; quia Deus non dixerat: Si comederitis fortè morieris; sed absolutè: *In qua hora comederis, morte morieris*: Et quoad tempus consentit Arriaga *tract. de operibus sex dierum, disp.*45. *subsec. prima, num.*3.

49 TERTIA sententia est D. Bonau. & D.Thom. *locis citatis*, & aliorum Theologorum iisdem locis, quos sequitur Suarez *lib.*4. *de Amiss. gratiæ, cap.* 2. *num.* 7. Bellarm. *lib.* 3. *de amissione gratiæ, cap.* 15. *ad primum*, Euam peccasse post secunda verba.

ASSERO, Euam solùm peccasse ad secunda verba Serpentis.

PROBATVR à Diuo Bonauentura *in corpore*, argumento D. August. 14. *De Ciuit. Dei, cap.*13. Omne peccatum à Superbia initium habuit, vt dicitur *Eccles.* 10. *Tobiæ* 4. Sed inter hominum peccata, primum fuit Euæ: Ergo. Tunc sic: Primum peccatum Superbiæ è suggestione Serpentis fuit: At hoc suggessit illis verbis: *Eritis sicut Dij*, non antè. Ergo. Minor probatur; quia prima verba meram habent interrogationem, neque eis aliquid exhibitum; At in secundis verbis Deitatem spopondit, vt notat etiam Suarez, *num.* 5. 50

RESPONDENT Pererius, & Arriaga, primis verbis Dæmonem improperasse, tantos principes orbis alligari interdictis vel vnius pomi de suo viridario; & mulierem indignabundam appetiisse libertatem Regiam: Affert autem Pererius etiam Diuum Augustinum 14. *de Ciuitate Dei, cap.* 13. extensè.

MIROR, id eum præstitisse, cùm S. Pater ad vnguem nobiscum sit: *Porrò mala (ait) voluntatis initium, quid potuit esse nisi superbia? Initium, enim omnis peccati superbia est, &c. Diabolus hominem non cepisset; nisi ipse iam sibi placere incepisset: Hinc enim & delectauit quod dictum est: Eritis sicut Dij*; Neque verbulum immiscet de superbia, orta è primis verbis. 51

CONFIRMATVR: Nam è mulieris responso nulla expirat superbia; neque toto eo capite id Arriaga inuenit: Certum est autem, vt dixi, Peccatum primum fuisse Superbiam, vt clarè ostendam, *assertione secunda.*

IMò ibi non inuenio aliquod peccatum, quod sanè debuit esse mortale, vt dicam *quæst.* 12. nam, vt aduertit D. Bonauentura *ad Argumenta*, id, in quo videtur infidelitatis arguenda dicens: *Ne forte moriamur*, non continet mendacium, nec dubitationem in rem à Deo dictam: Primum, quia ità loquimur interdum, non propter dubitationem, sed propter continentiam effectus per se spectati, seu ad eius periculum indicandum: Secundò, potuit Eua sine peccato dubitare, non de veritate Dei, sed de sensu verborum eius; an scilicèt intelligenda essent de morte corporali, vel spirituali: Vel, an esset pœna simpliciter statuta, & infallibiliter exequenda, vel tantùm simplex comminatio remissibilis: Responsiones ex Diuo Bonauentura adductas sequitur Suarez *num.*8. 52

INSTAT Arriaga *tract. de opere sex dierum, sectione prima, subsec.* 2. *n.* 13. non modò posse esse hæresim, si credamus, Deum esse mentitum; sed etiam si credamus, Dei verba de fide non esse; vel non esse dicta eo sensu: Sic enim Caluinus hæreticus est, credens sanè verba illa: *Hoc est Corpus meum*, dicta à Christo; at non significare verum, & reale Corpus; sed signum: Ità igitur potuit Eua errare, credendo ea verba dicta à Deo; at cogitando non esse dicta eo sensu; sed esse merè comminatoria; cùm tamen Deus absolutè dixisset, eos morituros, si comederent, absque particula (*fortè.*) 53

HÆC tamen friuola sunt; nam licèt posset hæresi labi, dicens; ea verba, non eo sensu dicta, quo definitè dicta sunt: Sicuti in allato exemplo de verbis Consecrationis liquet; cùm ea verba in 54

eo

eo sensu definita sint de fide; at si verba non eo sensu definita sint, non est hæresis, de sensu eorum dubitare: Talia sunt verba prohibentia esum pomi, quæ licèt absoluta videantur; attamen non definita ex tunc, esse absoluta; cùm Deus sæpè etiam loquatur promittens, condemnans, & tamen sit pura comminatio, vt patet in tota Scriptura; & ità in his verbis non adhuc lapsam asseuerat S. Augustinus *lib. 11. Genes. ad litt. cap. 30.* & *lib. 65. quæst. 1. ad Orosium, quæst. 4.* Et Theologi allegati, dicentes, ab illis verbis auditis cæpisse: *Eritis sicut Dij.*

55 Probatur à D. Bonauentura hîc *argumentis secundo loco*: Quia Genesis infert: *Vidit igitur Mulier, quod bonum esset Lignum*, per quæ verba significantur alia peccatá exteriora Euæ, non solius gulæ; nam Eua non comedit simpliciter ex gula, vt notat D. Bonauent. *in corpore*, & *argumento vltimo, primo loco*, & *ad argumenta*; sed delectationem Pomi ad excellentiam illam similitudinis cum Deo, tanquam ad finem primò volitum dirigebat, sicuti ipse diabolus orditus fuerat inducendo eam ad esum Pomi, spe illius excellentiæ.

Confirmatur à D. Bonauent. *argumento tertio*, quia status Iustitiæ Originalis ita erat ordinatus, vt priùs deordinandus esset intus, quàm extrà in corpore; intus verò debuit deordinari in portione inferiori, incuruando se ad bona interiora, inferiora tamen...

56 Iam verò Eua priùs appetiit propriam excellentiam, & eo animo malo acta expectans, Pomum apprehendit, vt bonum vtile ad finem, in quo progressus peccatorum cernitur: Ità etiam Suarez *num. 9.*

Quoad alteram partem: Quodnam fuerit primum Euæ peccatum.

Primò quidem aliqui dixêre, fuisse primum peccatum Intemperantiæ, circa vsum, atque consummationem præmaturam Matrimonij: Omitto Sanctum Ambrosium, *lib. de Paradiso, cap. 4.* vbi videtur primum peccatum Euæ asserere, quod addiderit aliquid verbis Domini, nempè, vetitum sibi, ne tangerent fructum; & dubitauit de Diuina Sententia dicens: *Ne fortè moriamur:* Omitto Diuum Ioannem Chrysostomum, *homil. 16. in Genesim*, vbi videtur dicere primùm errasse Euam alloquendo Dæmonem: At Patres ibi solùm volunt hinc occasionem peccati incepisse, non peccatum, vt ritè notat Bellarminus, *lib. 3. de amissione gratiæ, cap. 4.* Idem ferè respondit Suarez, quem redarguit Arriaga *subsec. prima, num. 3.* dicens, loqui Chrysostomum absolutè, & historicè, non moraliter; sed non percipit responsionem: Non enim volunt negare historiam, sed filum historiæ; scilicèt ordiendo ex occasione præcepti, arreptâ à Diabolo, Euam nos admonere, ne ansam tentandi exhibeamus Diabolo.

57 Præterea iam suprà vidimus, peccatum Euæ incepisse à secundis verbis diaboli arreptis ab illâ.

Lutherus *in 3. cap. Genes.* & Caluinus, *lib. 2. Inst. cap. 1. §. 4.* primum peccatum Euæ asserunt infidelitatem; quia sicut fides est fundamentum iustitiæ: Ità infidelitas est prima radix peccati: Et confirmatur à Luthero ex Scriptura; quia Serpens nitebatur potissimum suadere Euæ, ipsam non morituram; illa verò non est ausa decerpere Pomum, nisi postquam audiuit: *Nequaquam moriemini.*

Vniuersi autem Theologi tenent, primum peccatum Euæ fuisse superbiam: Ità Sancti Doctores hîc, & cæteri *in 2. dist. 21. & 22.* quos referunt Bellarminus *loco citato*, Suarez *lib. 4. de Amissione gratiæ, cap. 2. num. 14.* Arriaga, *loc. cit. subsec. prima, & secunda*, vbi vult, primum peccatum esse superbiæ; tametsi non fuerit ex secundis verbis Serpentis haustum, ex quibus elata quidem est mulier; sed appetens impossibile, scilicèt Dei similitudinem, atque adeò decepta iam antè debuerat peccasse. 58

Assero primò, Peccatum primum Euæ fuisse Superbiam.

Probatur à D. Bonauent. primo Eccl. 10. *Initium omnis peccati est Superbia*: Idem habetur *Tobiæ 4.* At *Ecclesiast. 15.* dicitur: *A muliere initium omnis peccati*: Ergo. His authoritatibus nituntur Bellarminus, & alij suprà. 59

Probatur secundò à Diuo Bonauentura ex Diuo Augustino *lib. de Virginit.* vbi comparat peccatum Euæ cum peccato Luciferi; & vtrumque dicit Superbiam: Idem *11. Genes. ad litt. cap. 30.* & *14. De Ciuitate Dei, cap. 13.* Cuius authoritate nituntur Theologi.

Probatur tertiò à D. Bonauent. ratione: Non poterat in statu innocentiæ deordinari portio superior, nisi deordinaretur inferior; & hæc non poterat declinare ad inordinatè amandum aliquod bonum exterius, nisi priùs declinaret ad bonum interius, amando inordinatè seipsam amore amicitiæ; hæc verò est superbia. 60

Postea verò, id primum amasse censenda est, quod à Serpente promissum fuit; hoc autem est; illam futuram Deo similem in scientia: Arbitror hoc esse argumentum Diui Bonauenturæ, non illud, quod *fundamento secundo, quæst. prima* refertur, & hunc typis illapsum errorem opinor: Sic accipitur ab Arriaga *subsec. 2. num. 7.* Hoc argumento vtitur Bellarminus *cap. 4. libri tertij*, Suarez *num. 15. capitis adducti.*

Instat Arriaga rogans: In quo consistebat ille nimius amor sui? Non in eo quod fuerit valdè intensus; nam intensio actui bono non dat malitiam, sed auget bonitatem: Non in eo, quod Eua seipsam amarit, quia ipsa est bonum honestum: Ergo debemus venire ad excellentiam volitam, & hæc erat bona: Si dicas, malè amatam; quia volita est sine modo. Contra arguit: Nam vel erat sine mensura, quatenùs iudicium non dictabat, quanta foret; sed hoc non est peccatum: Si verò erat sine modo; quia proposita per actum iudicij valdè intensum; hoc est impertinens ad peccatum: Si dicas, propositam scientiam infinitam, & creditam: Sequitur, ipsam seductam fuisse ante primum peccatum. 61

Secundò arguit ex Diuo Thoma, & aliis Theologis ferè omnibus, qui dicunt, fœminam non appetiisse rem honestam inordinatè; sed appetendo rem sibi repugnantem peccasse, vt ait D. Thomas *loc. cit. art. 1. in corpore*, nempè, præcognoscendi independenter bonum, & malum, vel quid simile: Hoc autem est impossibile homini: Ergo appetiit impossibile: Tunc sic: Non potest esse efficax appetitus alicuius obiecti, nisi præcedat iudicium de illius possibilitate: Ergo Eua, antequam appeteret eam excellentiam, iudicauit possibilem: Ergo deceptio fuit ante peccatum. 62

Respondet S. Doctor *in 2. dist. 23. artic. 2. quæst. 2. ad 1.* Euam auditâ Serpentis promissio- 63

ne præsumpsisse de se tanquam digna, quæ ad altiorem cum Deo æmulationem efferretur super eam, in qua erat à Deo constituta, debitamque suæ amplitudini, & imperio altiorem sapientiam: Ità vno actu nimium sui amans voluit immoderatam excellentiam, vt dixi etiam de Lucifero *disp. 6. quæst. 2.* idem enim vtrobique initium à superbia: En iam præsumptuosa Eua, Dei iniqua æmulatrix; at non adhuc de medio fuerat meditata; iam nunc hallucinatam videbis; mente igitur voluens medium iniunctum edendi pomum, ad altam cum Deo æmulationem, maximè in sapientia, sicuti erat cum marito Monarcha Imperatrix, delectata est morosè in hac obiecti graui, formosa, & dulci cogitatione, ad modum, quo quis delectatione morosa in carnali contactu moratur, non deliberando, nec cogitando; an id valeat obtinere; vt monet etiam Bellarmin. *lib. 3. cap. 5.* Hinc verò cœpit seduci opinata, allocutorem esse bonum Genium, insuper & esu pomi eam posse dignitatem consequi, Deumque non adeò exardescere, vt tam nobilem creaturam, cui mundum condiderat, illicò de medio tolleret, & Regiam stirpem ad internecionem vsque deleret: Meditabatur, eam comminatoriam mortis Sententiam esse Imperantis supremi Hyperbolem; Verè in his fuit error: Non renuo fuisse etiam latè sumptam infidelitatem; non sanè propriam, quippè quæ allocutorem prudentissimum, probabiliter bonum spiritum existimaret: Sed hoc discutiam, *quæst. 9.*

64 Respondet secundò D. Bonauent. *loc. cit.* post secunda verba, Euam illicò habuisse errorem practicum in agendis, quo vel excellentia scientiæ boni & mali, vel maior potestas operandi bonum, & malum proposita fuerit, vt appetibilis, & propriæ naturæ aliquo pacto conueniens; hoc autem iudicium est cum actu liberi arbitrij: & hic error potest esse præsumptionis, vel infidelitatis, vel alterius, & hæc fuit deceptio, quâ mulier primò decepta est, & istâ deceptione non remansit in statu innocentiæ; sed cecidit: Iudicium verò alterum speculatiuum, est post peccatum, nec præcessit necessariò infidelitatem, vel superbiam: Ità ex S. Bonauentura *in 2. dist. 22. quæst. 1.* solui argumentum, ait Suarez *num. 21.* Licet aliquo pacto differat à S. Bonauentura, qui *loc. cit.* à Suarez, etiam argumentum Arriagæ, & responsum ipsi Suarez præbet.

65 Probatur quartò à Diuo Bonauentura. Id, quod habet rationem finis, prius est medijs; sed excellentia scientiæ, & similitudo Dei, fuit finis propositus à Serpente; esus autem pomi fuit medium: Ergo priùs Eua ambiuit excellentiam immoderatè; & posteà esum Pomi: Neque aliud videtur suasum à Serpente, & ab Eua acceptum: Nam quod ait: *Nequaquam moriemini*; arridebat dubio Euæ, non percipientis, an esset damnatio absoluta; num comminatio simplex, vt suprà dixi: Ex quo deducit S. Bonauentura, Euam non esse lapsam infidelitate, nisi lato modo sumptâ: De quo infrà, *quæst. 8.*

QVÆSTIO VII.

Vtrùm initium peccandi in Adam *fuerit Superbia.*

D.B. in 2. dist. 22. q. 2.
D.Th. 2. 2. q. 163. art. 2.

Prima opinio est D. Thomæ *loc. cit.* & plurimorum Theologorum cum Magistro, *in 2. dist. 22.* vbi specialiter Ægidius *quæst. 2.* Durandus *quæst. 1.* primum peccatum Adæ fuisse Superbiam: Hos sequuntur omnes Thomistæ, ac multi Iesuitarum, inter quos Suarez, *lib. 4. de amissione innocentiæ, cap. 3. à num. 4.* Pererius, *lib. 6. num. 96.* vbi multos Patres adducit. 66

Secunda Sententia est D. Bonauenturæ, primum peccatum Adæ fuisse nimium amorem erga Euam, ex quo deductus est ad esum Pomi, cum spe veniæ facilè consequendæ, in quo fuit elatio, dum se tanti æstimauit, vt pœnam indictam non incurreret: Eum sequitur Scotus *in 2. distinct. 2. quæst. 2.* Arriaga, *disputat. 45. sect. 2. subsec. 1. num. 17.*

Assero primò cum hac sententia, primum peccatum non fuisse superbiam ambiendo Deitatem, vel aliud impossibile.

Probatur à D. Bonauentura, primò ex illo prima Timoth. 2. *Adam non est seductus; mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* 67

Probatur secundò à D. Bonauent. *in corpore*, argumento, quo vsi sumus, *tract. de Angelis, disput. 3. quæst. 7.* Electio non est ad impossibilia, ex Aristotele ibi adducto; sed esse Deum, est impossibile creaturæ: Ergo. Alias rationes habes in argumentis *primo loco.*

Assero secundò, primum peccatum Adæ fuisse ex nimio amore erga Euam.

Probatur primò à Diuo Bonauentura ex illo Apostoli ad Timoth. *Adam non est seductus*; quem locum Diuus Augustinus 11. *Genes. ad litt. cap. 42.* & *lib. 14. De Ciuitate Dei, cap. 11. & sequent.* exponit, Euam esse seductam: Adamum verò nequaquam; sed scientem, amore fœminæ deliquisse: Confirmatur ex Diuo Augustino 14. *de Ciuitate Dei, cap. 13.* vbi ait: *In occulto autem mali esse cœperunt, vt in apertam inobedientiam laberentur* (quod magis declarat ibi, dicens:) *Vt vel illa verum crederet dixisse Serpentem; vel ille, Dei mandato, vxoris proponeret voluntatem:* Quem locum pro se affert Suarez; cùm tamen pro nobis sit, vt notat Arriaga *sect. 1. subsect. 1. num. 16.* 68

Probatur secundò à Diuo Bonauentura; quia Adam sic confessionem criminis explicat: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de Ligno, & comedi*; vbi aliquantulum minuere peccatum intendebat dicendo, se amore coniugis victum errasse: Et addit: *Quam dedisti mihi*: In Deum reiiciens occasionem exhibitam tam venustæ mulieris, vt adnotauit Sanctus Dorotheus *in Biblioth. Veterum Patrum*: Hac authoritate nititur Arriaga, *loc. cit. num. 17.* Confirmatur à Diuo Bonauentura; quia non conqueritur Adam de Serpente: Confirmatur secundò à Sancto Doctore; quia non est probabile, Adam credidisse, se in Deum immutandum: Confirmatur tertiò ex illis verbis: *Quæ comedit, deditque viro suo*; vbi muliebrem

muliebrem actum, vt causam, ponit. Confirmatur quartò; quia Deus obiicit Adæ: *Quia audisti vocem vxoris tuæ*, exprobrans eum, tanquam effœminatum.

69 Rationem verò nullam efficacem afferri notat D.Bonauent. *initio corporis*, cùm sit res *Facti*, de quo Scriptura non decernit expresè.

Scotus hanc affert: Sicut Angelus primò cognouit se, deinde reliqua; & ideò primò peccauit nimio amore sui; ità è contra: Adam, qui primò intellexit res externas, quippè vtens ministerio sensuum, primò debuit peccare amore alicuius rei externæ; non autem amore suæ excellentiæ; atque adeò superbiendo, & ambiendo.

Hoc sanè Argumentum potest deduci ex Diuo Bonauentura *in 2. dist. 22. argumento 3. quæstionis primæ*, vbi de primo peccato Euæ agit; quod sic potest formari: Impossibile erat, hominem deordinari in potentia superiori, nisi priùs deordinaretur in inferiori; quia deordinatio supponit præcedentem aliquam apprehensionem; prius autem apprehendebantur externa per sensus, quàm interna per intellectum, qui a sensibus pendet: Ergo prius amandum erat bonum externum, quàm internum; putà excellentia propria: Illud sanè argumentum obscurum est, & oppositum etiam decerpsi *quæstione præcedenti, argumento tertio*, pro prima assertione.

70 Enim verò, vt notat S. Bonauentura, hæc non est ratio efficax, eamque, vt leuissimam contemnit Arriaga *loc.cit. num.* 15. quia actus voluntatis mali non sequuntur ordinatè ad actus intellectus; itavt post primam cognitionem illicò sequatur primum peccatum, & post secundam, secundum: Nam potuit, vt verè creditur, Adam post cognitionem multarum rerum actus bonos elicere, sicuti in videndis creaturis, maximè, quibus nomina imposuit, potuit exurgere ad Deum laudandum: Imò etiam post cognitionem sui: Sic multi Patres dicunt, eum exultantem exclamasse: *Domine probasti me, &c. Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam: Mirabilis facta est scientia tua ex me, &c.* Maximè verò, si multos dies in gratia permansit, vt multi Patres dicunt.

Probatvr verò ad hominem, contra Suarez ex Diuo Bonauentura, *dist. 22. quæst. 2. in corpore.* Adam peccauit audiendo vxorem remisè, & indulgenter, vt ait Suarez, *num.* 13. & ex sententia Dei patet: *Quia audisti, &c.* Ergo ante perfectam auditionem peccauit ex indulgentia; quia tenebatur filum abrumpere sermonis: Imò priusquam aliquid audiret, cùm vidit eam portantem fructum illum, debuit iubere ei, vt illum proiiceret; cùm esset Caput mulieris; hæc autem non sunt peccata superbiæ, sed amoris nimij, vt notat etiam Arriaga *disput. 45. sect. 2. subsec. 1. num. 20. & 21.*

Assero tertiò, Adamum etiam superbiâ elapsum.

71 Probatvr à Diuo Bonauentura ex Glossa ad illum Psal. 118. *Superbi iniquè agebant vsquequaque:* Deinde ex Glossa D. Gregorij *ad Iob.* 41. & ex Glossa ad illud *Philip.* 2. Quoniam verò ea bona explicantur de Muliere; affert illud Diui Augustini super Psal. 68. *Quæ non rapui, tunc exsoluebam*; vbi ait: *Sed quid rapuit Adam?* Et infrà: *Rapere voluerunt Diuinitatem, & perdiderunt fœlicitatem*; Vbi expresè de vtroque loquitur vt notat Diuus Bonauentura, & post eum Suarez, *num.* 11.

Confirmatvr à Diuo Bonauentura *in corpore*, ex eodem Diuo Augustino, *lib. de Genes. ad litt. cap.* 30. & habetur à Magistro, initio *distinct.* 22. Non est putandum, quod homo deiiceretur, nisi præcessisset in eo quædam elatio comprimenda.

Assero quartò; Adamum non appetiisse esse sicut Deum, vt mulier appetierat. 72

Probatvr à D. Bonauent. argumentis *primo loco*: Primum est ex prima Timoth. *Adam non est seductus*; At si appetiisset esse sicut Deus, seductus fuisset, credens impossibilia: Quem locum eo sensu ipse Suarez nobis aduersarius, *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 12. Sic optimè exponi cum Diuo Augustino ait: *cap.* 4. *num.* 12. Idem asserit Bellarminus *Tomo* 3. *Controu. lib.* 3. *de amissone gratiæ, cap.* 6. *col.* 173.

Enim verò; quia multi Patres visi sunt asserere, Adam seductum; illos retuli, & exposui, *quæst.* 11. *disputationis primæ*, ibi secutus sum Diuum Augustinum suprà allegatum, verè non esse seductum Adamum, id est dolo circumuentum, siue à Serpente, siue à muliere; licèt aliquid ex propria inordinatione passionum crediderit, à veritate alienum, quod tanti se æstimauit, vt sibi parcendum putaret, ac veniale peccatum crederet, vt notat Diuus Bonauentura post Diuum Augustinum 14. *de Ciuitate Dei, cap.* 11. *&* 13. Secundò, quòd Cibum vetitum manducans non esset moriturus, cùm experiretur viuam Euam iam ream: Ità Diuus Augustinus 11. *de Genes. ad litt. cap.* 30. Vel, si dubitaret de morte, voluit experiri, An ità foret; an verò aliquid magnum adipisceretur; quam Auaritiam vocat Sanctus Bonauentura *in corpore.* Hæc verò nimio amore coniugis excæcatus facilè credidit: Ità D. Bonauentura cum Diuo Augustino, *loc. cit. cap. vlt.* quos sequitur Bellarminus *loc. cit. cap.* 6. *&* 7. Suarez *cap.* 4. *num.* 13. Vide quæ dixi *quæst.* 11. 73

Probatvr secundò è Diuo Bonauentura ex Diuo Augustino super *Genes. ad litt. lib.* 11. *cap. vlt.* quo nititur etiam Suarez, num. 16. *Non tamen eum* (scilicet Adam) *arbitror, si iam spiritali mente præditus erat, nullo modo credere potuisse, quod Deus ab esca illius Ligni inuidendo vetuisset*: Id est, vt priùs dixerat, quòd ideò Lignum illud tangere prohibuerit, quod sciret, eos, si comedissent, veluti Deos futuros: Ideò S. augustinus 14. *de Ciuitate Dei, cap.* 11. ait: *Adam sciens, prudensque peccauit.* 74

Probatvr tertiò à D.Bonauentura: Si Adam appetiit esse, sicut Deus; sequitur ipsum grauius peccasse, quàm Luciferum, qui in exemptione quadam operum volebat Deo assimilari; atque adeò sequitur, eum irremissibiliter peccasse.

Probatvr quartò à Diuo Bonau. Si Adam appetiit esse, sicut Deus: Aut ergo suggerente muliere; aut suggerente Serpente; Non suggerente serpente; quia Adam non conqueritur de serpente, sed de Muliere, Genes. 3. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi*: Si suggerente muliere: Ergo deceptus est à muliere, & debuit dicere: Mulier decepit me; sicut ipsa ait: *Serpens decepit me*: Hac auctoritate nititur etiam Bellarm. *cap.* 6. *col.* 173.

Obiicit primò Perer. communem Patrum sensum dicentium, primam Adæ culpam fuisse Superbiam: Adducit D. Augustinum 14. *de Ciuitate Dei, cap.* 13. *&* 15. *lib.* 11. *de Genes. ad litt. cap.* 30. *&* 42. *in Dial.* 65. *qq. quæstione* 4. super *Psalm.* 68. 70. *&* 82. Chrysostom. *homil.* 16. *in Genes.* 75

Genes. & *homil.* 11. *ad pop. Antioch.* & *lib.* 1. *de Provid.* Greg. *lib.* 13. *Mor. cap.* 17. Damasc. *lib.* 2. *cap.* 10. Bernardum, *serm.* 2. *de Adu.* Magistrum 2. *dist.* 22. & ibi Scholasticos, D.Thom. 2. 2. *q.* 163.

Affert verò, vt cæteris præclariores suæ assertores sententiæ, August. *loc. cit. de Ciuitate Dei, cap.* 13. Gregor. *lib.* 34. *Mor. cap.* 17. Bernardum, *loco citato.*

Et quidem D.August. primum peccatum Euæ, quod fuit simpliciter initium aliorum, Superbiam asserit; at Adami peccatum fuisse nimium in Euam amorem: Sic enim ait: *Non inde ad sibi placendum auerteretur, & ex hoc intenebresceret, & frigesceret; vt vel illa verum crederet dixisse Serpentem; vel ille Dei mandato vxoris praeponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse praecepti, si vitæ suæ sociam non desereret, etiam in societate peccati:* Hanc ait esse malam voluntatem, quâ inobedientia incurrit: Mox verò explicat hominis Superbiam; quia Adam Dei iussa contempsit.

76 D. Gregorius, Exposito Luciferi lapsu è superbia, subdit: *Per hanc enim ipse succubuit, per hanc se sequentem hominem strauit: Eo etenim telo salutem nostræ immortalitatis impetiit, quo vitam suæ beatitudinis extinxit.* Alludit ad tentationem Serpentis, Euæ factam illis verbis: *Nequaquam moriemini; eritis sicut Dij*: Sed de Adamo nihil insinuat.

Idipsum ait D.Bernardus: *Vnde protinus* (ait) *quam conceperat, peperit iniquitatem* (supple superbia) *suadens, vt Lignum vetitum gustans, fieret sicut Deus.* Mox ait: *Luciferum superbientem dixisse: Similis erò Altissimo; & hoc venenum homini infudisse dicendo: Eritis sicut Dij*: En luce clariùs isti Patres asserunt, Initium omnis peccati tàm Angelorum, quàm hominum esse Superbiam; Angelorum sanè in Lucifero: Hominum in Eua. Quare nobis mirificè fauent.

77 Hinc S. Doctor *in corpore*, de aliis loquens ait, variè eos de hoc locutos; nullum verò dixisse primum Adæ peccatum esse Superbiam.

Hinc eluitur illud argumentum; Adamum primò infectum esse Euæ relatis promissis: *Eritis sicut Dij*; quod latiùs confutaui, *quæst.* 11.

Respondetur: Antecedens esse falsum, vt notat Pererius *lib.* 7. *in Genesim*, ad ea verba: *Deditque viro suo*: Neque ex Scriptura id colligitur, vt notat D.Bonauentura *in corpore.*

Obiicies secundò: Deus ironicè ad Adam conuersus, ait: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*; Vbi alli dit ad peccatum Adæ, ambientis Deitatem, quod euidens esse ait Pererius.

78 Respondet D. Bonauent. *in corpore*, primò appetiisse, esse sicut Deus; quia Diuinum contempsit Imperium, & delectatus est morosè in quadam excellentia independentiæ à Diuina voluntate.

Respondet secundò, hoc dictum per Synecdochen; quia cùm id appetiisset mulier, ipsáque putauerit in maritum, tanquam in partem sui redundaturam excellentiam (: Sic enim coniux de coniugis participat dignitate, & titulo: Sic Comitis vxor, dicitur Comitissa; sic Maritus Ducissæ hæredis, dicitur Dux) ideò amaro Carientissimo Deus ait: Ecce Princeps iste maritus tuus, quasi Deus factus tecum sciens bonum, & malum ex esu, quem illi sollicitasti; Confirmatur hæc expositio; nam tunc ad ambos loquebatur, & præcipuè ad Euam.

Respondet tertiò dici ad Adam; quia cùm esset Caput mulieris credulæ, & petulantis, tenebatur eam compescere: Forsitan enim Eua narrauit marito sponsiones Colubri; tametsi ipse peccauit nonspe Deitatis in scientia; sed amore tenero, ne contristaret delicias suas, id est, Euam; quæ forti moritura erat, si maritus secum non consentiret, vt ait D.Augustinus *lib.* 11. *de Genes. capite* 42. *Noluit enim* (inquit Augustinus) *eam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, & omnino illâ interire discordiâ.* 79

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Adam *amiserit Fidem.*

D. Bonauent. loco citato.

Ex dictis, *quæst.* 11. *disp.* 1. habemus, Adamum non fuisse seductum, ad aliqua contra fidem credenda, vt notat Diuus Bonauentura *dist.* 23. *art.* 2. *quæst.* 2. Suar. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 14.

Aliqua tamen opinatus est: Primò, suum peccatum veniale esse, id est, remittendum, vt ait Diuus Augustinus 14. *de Ciuitate Dei, cap.* 11. & 13. & notat D.Bonauent. *distinct.* 22. *quæst.* 2. Diuus Thomas 2. 2. *quæst.* 163. *art.* 4. *ad* 3. Suar. *num.* 14. Imò Arriaga *disp.* 45. *sect.* 2. *subsect.* 3. qui Adamum seductum conclamat, fatetur, Adamum habuisse probabiles rationes opinandi, se in pristina restituendum, si statim veniam implorasset: Id enim asserunt sanè rationabiliter D.Augustinus, *serm.* 19. *de Sanctis*, allato à Suar. *num.* 28. & ad fratres in Eremo, vt dixi, *quæst.* 11. & Beatus Laurent. Iustin. *de Triumphali Christi agone, cap.* 21. nempè, quia ex fragilitate deliquit. 80

Sperauit etiam, se non moriturum, si ederet; quia Decretum erat: *In quacunque hora comederis*; At Euam videbat epastam adhuc viuam: Itaque opinatus est, sententiam esse comminatoriam, vt ait Diuus Augustinus 11. *Genes. ad litt. cap.* 30. & *cap. vlt.* Et hoc S. Doctor adscribit superbiæ, quod se tam pretiosum arbitraretur, vt non esset tantus Rex morti tradendus, vt indicat S.August. *cap. vlt.* dicens: *Virum propter aliquam mentis elationem sollicitauit aliqua experiendi cupiditas*: Non autem quod inde Deitatem speraret, vt putat Suarez, *num.* 13. 81

In his verò non fuit Hæreticus; quia non constabat, illud decretum esse absolutum, & irreuocabile, vt dixi *quæstione præcedenti*, & *disp.* 1. *quæst.* 11.

Ad Patres, qui videntur infidelem Adamum proclamasse, respondet S.Doctor *dist.* 22. *quæst.* 1. *ad arg.* & *quæst.* 2. *in corpore*, neutrum è Protoplastis in fidelem; sed nescientia, vel practico errore deficientem, vt ait idem Sanctus Doctor *dist.* 21. *quæst.* 3. *ad arg.* quem sequitur Suarez, *num.* 19. ità seductum Adamum dici ad Phrasim, quâ Paulus *Rom.* 7. ait: *Peccatum seduxit me*; Et Dan. 3. *Species decepit te.* 82

Alii infidelitatem, lato modo, Adæ adscribunt, vt notat S.Doctor *dist.* 22. *quæst.* 1. Sic expendendus Tertull. *lib.* 2. *contra Marcionem, cap.* 2. & alij apud Suar. *num.* 20. Alij verò per Synecdochen

chen accipiunt, vt pro altera accipiatur vterque seductus, vt ait S. Doctor. *dist.* 22. *quæst.* 2. Attribuendo toti, quod est alterius partis.

83 S. Avgvst. dixit *ad Psal.* 68. eos voluisse Diuinitatem rapere. Sic autem explicat Arriaga, id verum, quatenus id tentauit mulier, qua mediante Adam elapsus est. inobedientiâ, illi complacito amore obsequutus; sicut dicitur, Inuidia Diaboli mortem introiisse in orbem, licet Adam à Diabolo non fuerit tentatus.

Sed hæc non est expositio apta; nam hoc dictum non indicat, immediatè Diabolum inuidia inuexisse per Adamum culpam; sed huius authorem fuisse tentando Euam, & per Euam, & cum Eua Adamum gratiori quam Serpentis linguâ at ibi dicitur vterque raptor. Melius igitur respondet S. Doctor, vt dixi *quæst. præced. ad vlt.*

Mvlta opponit Arriaga *dist.* 45. *sect.* 2. *subsect.* 2. Vrgens, Adamum in rebus fidei errantem, & multo magis Euam. Et quo ad Euam, id probat, quia credidit aliquid contra verba, vel contra sensum verborum Dei: Ergo fuit hæretica. Totum argumentum è Suarez colligit. De Adam probat, quia credidit, se non moriturum, cum Deus dixisset, eum moriturum.

84 Exponit autem Apostolum sic, Euam non esse aptam docendo, tum quia seduxit virum, tum quia credens inimico, leuitatem ingenij ostendit. At Adam non seduxit, nec credidit hosti, sed amicæ vxori, de qua non erat prudens suspicio. Adde eum credidisse, se non moriturum ex esu pomi, quia videbat, eam epastam adhuc viuam. At illa credidit ante omne experimentum. Ideo dic ineptam fuisse ad docendum virum.

85 Hæc leuioris sunt momenti. Primò Euam non fuit infidelis, quia decepta; Adam vero opinatus est aliqua probabiliter deducta, vt dixi *quæst. præcedenti* & *disp.* 1. *quæst.* 11. Addit S. Doctor. *dist.* 22. *quæst.* 1. Euam dubitasse de qua morte Deus loqueretur, ideo non hæretica fuit. Vide S. Doctorem *vlt.*

Qvoad ad Apostolum; Eua non seduxit virum tum quia putabat, se vera nunciare; tum quia Adam non ebibit fabulas illas. Neque illa credidit inimico agnito, cui neque crederet quæuis rudis in hoc statu muliercula. Neque est argumentum Apostoli, cauendum à muliere, quia seduxit virum, ac propterea illi silentium indici. Sed mulieri non esse dandum docere, quia inexpertior, lenior, & incruditior est, vt agnouit serpens, quam ideò aggressus est, ac facile decepit, cum non sit ausus virum adoriri fabellis; *Non moriemini. Eritis sicut Dij.* Itaque frustra Arriaga ex more sectiones insumit ad quasdam opiniones insinuandas.

86 Mvltas congerunt Patres in Adamo, & Eua culpas.

Pererivs *lib.* 6. *à num.* 96. Octo grauia crimina infelici Adamo inurit; Diuus Bonauent. *in* 2. *dist.* 22. *quæst.* 2. multa enumerat.

Primvm est quædam ad mulierem alloquentem nimea propensio; quâ motus noluit eam contristare, quam credebat sine suo solatio, & consensu contabescere, & à se alienatam interire. Hoc amore fit sæpe, vt homo Deum offendat, ne lædat amicum, vt ait diuus Bonauentura cum D. Aug. 14. *de ciuit. cap.* 11. & *lib.* 11. *de Genes. ad litt. cap.* 42. Et in hoc fuit Adam grauiter elapsus, anteponens mulierem Deo, à quo omnia fuerat consecutus. Hanc lasciuiam amicabilem vocat S. Doctor cum D. Aug.

Secvndv fuit superbia, præsumens, se tanti à Deo æstimatam, vt non damnaret morte, nec tanti regis sobolem, ob esum pomi deleret; cùm potius teneretur sapiens id Iob disserere. *In Angelis suis reperit prauitatem.* Hebræus *abstulit lucem.* Vatablus *Indidit vesaniam*; *Quantò magis, qui habitant domos luteas consumentur?*

Tertivm fuit Auaritia, curiosè scire intentans; an aliquod bonum latens ex esu pomi eueniret, quam Pererius vocat pestiferam auiditatem, sic Diuus Aug. supra. 87

Qvartvm, quia vidit Euam post esum pomi viuam, cœpit dubitare de illa Dei sententia: *In qua hora comederis, morte morieris.*

Qvintvm fuit inobedientia. Hanc ruinæ nostræ originem plangit Paulus *Rom.* 5. Non fuit tamen formalis inobedientia, vel præcepti contemptus (ait Perer.) quia non concedit, vt præceptum violaret, sed vt vxori morem gereret, vt ait etiam D. Boneuentura.

Sextvm fuit excusatio peccati: *mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi.* Inferens: Tu mihi ansam tanti criminis exhibuisti, tam speciosam mihi dans mulierem. Quis non fuisset tantæ pulchritudinis armis emollitus?

Id altè insectatur D. Aug. *serm.* 3. *de Festo Annunc. Domini*, qui est decimus nonus de sanctis: *Cùm enim Adam de perpetrata à Domino argueretur inobedientia, non se humiliter, vt culpa exigebat, accusauit, sed auctorem superbè accusauit, dicens: mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi fructum, & comedi. Hæc dicendo, se putauit excusatum, & sic accusauit conditorem mulieris, quæ ad peccandum, virum traxerat in culpam. Cui si humiliter se accusasset, & in auctorem suum culpam non retorsisset, à Paradiso non exulasset.* 88

Hic habes, & decretum fuisse reuocabile, quod tamen non vult Pererius concedere, *num.* 102. nec Suarez adduci potest, vt hoc credat, vt dicam *quæst.* 14. S. Doctor *in* 2. *dist.* 22. *quæst.* 1. Tria Euæ peccata ponit superbiam Auaritiam, Gulam.

Proponit S. Doctor *dist.* 22. *dub.* 1. quid fieret de nobis, si Eua sola peccasset. 89

Respondet S. Doctor, peccatum, seu decretum de transferenda innocentia in nos, initum esse cum Patre Adamo, vt eo stante, qui est Stipes, & Caput, omnes nascerentur innocentes. Itaque si Eua sola cecidisset, vir cum ea non esset copulatus; sed Deus aliam ei condidisset vxorem: Eua autem morte damnata remansisset. Addit S. Doctor *dist.* 33. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 2. friuolam esse hanc quæstionem.

Docet etiam *dubio* 5. quod si dæmon non cecidisset, neque homo esset lapsus; quamuis enim nullus alio authore fiat deterior, vt ait D. August. *lib.* 83. *qq.* Et posset homo sponte nullo suadente peccare; tamen, si dæmon non sibilasset, non esset data peccandi ansa.

QVÆSTIO IX.

Vtrum grauius fuerit peccatum Adæ: *an* Evæ.

D. Bon. dist. 22. quæst. 3.
Diu. Thom. 2. 2. quæst. 163. art. 4.

Potest quæstio agitari, vel comparando singula vtriusque peccata, vel omnia simul. Quæstio est præcipuè in sensu posteriori.

Primo

90 PRIMO aliqui dicunt, Euam grauius peccasse. Ita D.Thomas *loc.cit.* Inclinat Scotus *in 2.dist.21. quaest.2.art.3.* Richar. *art.1.quaest.3.* Ægid. *ibidem*, Pererius *lib. 6. in Genesim, disp. de grauitate peccati primorum Parentum, quaest.* 2. Post Diuum Chrysostomum, *homil. 7. ad pop.* & *epist. 3. ad Olimpiadem*; Et super *Psalm. 6.* quos allegat, & sequitur Arriaga *disp.45. sect.3. num.* 31. Suarez, *cap. 5. num. vlt.* Hi duo tamen aliquas distinctiones interponunt.

SECVNDA opinio est Caietani, *Genes.* 3. Bellarmini, *lib. 3. de Amissione gratiæ, cap. 9.* Post Diuum Ambrosium, *lib. de Instit. Virg. cap.* 4. Anast. Synaitam, *lib.* 10. *Hexaëmer.* circa medium; Adamum grauius peccasse.

D. BONAVENTVRA pluribus præmissis distinctionibus, quibus peccatores isti se inuicem excedunt, & exceduntur; quasque per conclusiones distribuam, tandem peccatum Euæ grauius astruit.

ASSERO primò, Ex ingrati animi nota, iniquiorem fuisse Adamum.

91 PROBATVR à Diuo Bonauentura, *argumento primo*; quia in naturalibus, & gratuitis præcellebat mulieri, suamque nouerat præcellentiam, & debuit vti sapientiâ, & prudentiâ: Ità etiam Arriaga *loc.cit. num.* 31.

ASSERO secundò, Adamum, ex damno illato humano generi, enormiùs peccasse.

PROBATVR à D. Bonauent. *argumento vltimo, primo loco*; quia peccauit, non vt priuata persona; sed etiam vt Caput humani generis: Ità ergo peccatum Adæ totum genus infecit, institiâ originali, & multis aliis bonis spoliauit, omnes filios occidit, damnauit in æternum: Hoc verò maximum malum, vt culpam aggrauaret, debuit notum esse Adæ in præcepto, & verè notum factum fuisse credendum est, vt sciret quid in præcepto contineretur, vt dixi, *quaest.* 1. Quidquid dubitet Suarez *num.* 8. Hanc circumstantiam magni facit cum Diuo Bonauentura *loc. cit.* D. Thomas *2.2. quaest. 163. artic. 3. ad 2. & 3.* Bellarm. *lib. 3. de Amissione gratiæ, cap. 9.* Perrerius *lib. 6. adducto, quaest.1.* Arriaga *loc.cit. num.30.*

92 ASSERO tertiò, ex maiori contemptu Adamum magis peccasse.

PROBATVR à Diuo Bonauentura, quia immediatè susceperat à Deo præceptum; & ideò debebat magis à peccato recedere: Ità etiam Arriaga, *num.30.*

ASSERO quartò, grauiùs Adamum peccasse; quia erat Caput mulieris, prælatusque; atque adeò tenebatur eam corrigere.

PROBATVR à D. Bonauent. *argumento secundo.* Tantò maius est peccatum, quantò peccans est in altiori gradu constitutus: Ità etiam Arriaga *loc. cit.* Id argumentum habet S. Doctor *dist. 22. quaest.2.* Ità & Bellarm. *loc. cit.*

93 ASSERO quintò, Euam enormiùs peccasse ex maiori libidine, & vehementi appetitu.

PROBATVR à Diuo Bonauentura 1. ex Diuo Augustino *adducto*, à Magistro *ibi*.

PROBATVR secundò à D. Bonauentura: Id est peius, quod est similius peiori; sicuti id est melius, quod magis simile est meliori; sed peccatum Euæ fuit magis simile peccato Luciferi in ambitu; voluit enim esse similis Deo, credens verbis, quæ debuit maturius considerare, & viro dignitatem illam forsan voluit communicare, explicans serpentis promissiones; licèt non sit certum, & illa permansit in illo affectu à prima deceptione, vsque quo euertit virum, & à Deo correcta est, vt ait Arriaga *num. 30.*

ASSERO sextò. Occasionem, & ansam mali præbendo, & Adamo, & toti generi humano, grauiùs Eua peccauit; ideò peccatum Viri adscribitur Euæ. 94

PROBATVR à D.Bonau. *argumento vltimo*; quia peccauit, & induxit etiam virum ad pecandum, ex cuius crimine totum humanum genus deiectum est: Scandalum igitur fuit grauissimum. Confirmatur ex pœna, quæ fuit grauior, id est, Partus, &c. vt dicam *quaest.* 13. Nam pœna viro, & filiis inflicta, etiam mulierem obstringit.

OBIICIES cum Suarez, & Bellarnino *loco citato* ex D. Augustino 11. *Genes. ad litt.* cap.31. *Eua peccauit pari fastu*: Ergo par fuit Superbia.

RESPONDET Diuus Bonauentura, intelligi peccasse pari inobedientiâ, vel proportionali, & simili.

QVÆSTIO X.

An ADAMVS, & EVA *grauius cæteris Peccatoribus deliquerint.*

D.Bonau. distinct. 22. quæst. citata.
D. Thom. 2.2. q.163. artic. 3.

ASSERO primò, peccatum primorum Parentum non fuisse grauius ex genere suo. 95

PROBATVR à Diuo Bonauentura: Primò, quia fuit remissibile, vt dicam *disput. hac, quaest.* 12. Secundò; quia excusabile: Tertiò; quia ex minori libidine manauit.

PRÆCIPVVM argumentum S. Doctoris est vltimum, quo nititur Bellarmin. *lib.3. de amissione gratiæ, cap.* 10. Illud peccatum est grauius ex genere, cuius obiectum opponitur maiori bono; sed plura sunt peccata opposita maiori bono: Ergo. Minor probatur à Diuo Bonauentura; quia, quæ sunt contra Deum ipsum, vt odium formale Dei; atque Christi occisio, sunt opposita directè summo bono; Similiter & peccatà in Spiritum Sanctum: Eadem ratione vtuntur Suarez, *lib.4. cap.6.* Arriaga *disp.45. sect.3. num.32.* Maximè verò occisio Christi; quia eius vita infiniti valoris præferenda erat omnibus vitis Hominum.

ASSERO secundò: Aliis ex capitibus fuit grauius cæteris peccatum primorum Parentum. 96

PRIMÒ patet ex facilitate ad non peccatum, ex leuitate præcepti, ex auxiliis gratiæ, ex comminationibus Dei Ità S. Bonauent. *primo*, ex Diuo Augustino 14. *de Ciuitate Dei, cap.12.*

CONFIRMATVR secundò à Diuo Bonauent. *ab oppositis*; Sicut enim magna est perfectio obedientiæ Christi vsque ad mortem; ità maxima est inobedientia Adæ vsque ad mortem, id est, qui non destitit mortis contestatæ timore.

SECVNDÒ grauissimum fuit ex damno illato toti humano generi, quod morte, & damnatione profligauit: Ità D. Bonauent. *argumento tertio*, & *in corpore*, vbi vocat hoc peccatum extensiuè grauissimum; quia omnes homines damnauit; non intensiuè, quia alia alios magis deprauant.

TERTIÒ

97 Tertiò fuit grauissimum ex ingratitudine. Ità Diuus Bonauentura ex Diuo Augustino 21. *de Ciuitate Dei, cap.* 12. & *lib.* 14. *cap.* 15. Vbi notat Sanctus Doctor, non fuisse ingrati animi notam deteriorem in Homine, quàm in Angelo; quia imò Angelus pluribus donis præditus fuit: Ità etiam Suarez: Attamen Arriaga *loco citato*, ratione infiniti damni putat maius esse peccatum Adæ: At certè plures Angelos morte æternâ irreparabili damnauit Lucifer, astu pessimo; ideò videtur peior.

Qvoad comparationem verò cum peccato Iudæ, & occidentium Christum, sanè ex obiecto infinito videtur minus: Attamen mihi admodum probatur Arriaga, qui notat, peccatum Adæ non modò mortem; sed etiam peccata induxisse innumera; atque adeò etiam Deicidium, quod ex fomite accensum est in Deicidis: Ideò damnum maius, quod consonum est Diuo Bonauenturæ: Cum Sancto Doctore sunt alij Scholastici, *distinctione* 21. Richardus, *articulo tertio, quæstione secunda*, Ægidius, *quæstione secunda, articulo* 2. Scotus, Durandus, & alij *ibi*, Alensis, 2. *part. quæstione* 103. *membr.* 3. Et Patres Societatis Iesv, & Thomistæ.

QVÆSTIO XI.

An Peccatum Hominis *remissibile fuerit magis, quàm culpa* Angeli.

98 Assero affirmatiuè.

Probatvr à Diuo Bonauentura; quia Homo erat in carne mortalis, in voluntate facilè vertibilis, in transgressione excusabilis: Quia ergo mortalis erat, potuit morte corporis luere pœnam: Angelus verò, quia immortalis, solâ æternâ morte poterat soluere debitum: Similiter, quia homo erat liberi arbitrij magis vertibilis, quamdiù esset Viator, decebat multum tempus ob tarditatem intellectus, & voluntatis mutabilitatem sustinere; ideò poterat conteri: Angelus verò, cui via breuissima erat præscripta ob voluntatem operandi; ideò transacto illo instanti non dabatur tempus: Ità etiam Suarez, *libro quarto, capite* 9. *num.* 4. Tertiò excusabilis erat; quia alio suadente cecidit; ideò congruum erat, ipsum per alium leuari: Angelus verò cecidit per semetipsum.

99 Dices: Lucifer sanè à seipso cecidit; alij verò seducti à Lucifero fuêre.

Respondent multi, incertum esse; an Lucifer aliis suaserit rebellionem: Attamen, *Tractatu de Angelis, disputatione septima, quæstione sexta*: Id concessi; ideò Lucifer solus à seipso cecidit.

QVÆSTIO XII.

An primum Hominis *peccatum potuerit esse Veniale.*

D.Bon.d.21.art.4 q.1.
D.Th.1.2.q.89.art.3.

Late quæstionem hanc pertractant Patres, Thomistæ, Scotistæ, ac Iesuitæ, præsertim Bellarmin. *lib.* 3. *de amiss. gratiæ, cap.* 8. Suarez *lib.* 3. *de Hominis creatione, cap.* 13. *à num.* 15. Arriaga *disp.* 39. *sect.* 2.

Notandvm, duplex esse genus peccati venialis: Alterum, quod ex subreptione vocatur; quia ex imperfecta deliberatione per motum aliquem illam præuenientem committitur; quomodo etiam in materia graui contingit peccare venialiter: Alterum, quod cum perfecta deliberatione fit; & ideò solum in materia leui locum habet. 100

Prima opinio censet, Adamum potuisse primò venialiter peccare: Ità Scotus *dist.* 21. *quæst.* 1. vbi Bassolis, Lichet. Tartaret. Rada, *parte* 2. *controu.* 15. *art.* 3. Vulpes *de pecc. disp.* 140. *artic.* 3. Poncius *disp.* 17. *quæst.* 2. Mastrius, *disp.* 4. *quæst.* 3. & alij Scotistæ, ac Nominales passim: Inter hos est aliquod discrimen; nam aliqui absolutè loquuntur absque vlla distinctione, vt Maior. *disp.* 21. *quæst.* 1. Scotus verò, Gabriel, & alij dicunt hominem in statu Innocentiæ potuisse peccare peccato veniali ex genere, & ex leuitate materiæ, ac etiam ex imperfecta deliberatione, non ex subreptione appetitus sensitiui, qui in eo statu perfectè subiiciebatur rationi: Idem sensit Altisiodorus *lib.* 2. *Summæ, Tract.* 10. *cap.* 3. *quæstione* 4. principali, Almai. *Tract.* 3. *Moral. cap.* 22. Sequitur Arriaga *disp.* 39. 101

Secvnda sententia est, hominem in eo statu potuisse ex natura rei etiam absolutè primò venialiter peccare; Attamen ob Diuinam Prouidentiam, & perfectionem extrinsecam, habuisse necessitatem consequentem non peccandi venialiter. Ità Vasquez, *disputat.* 148. Salas, *tractatu* 13. *disp.* 17. *sect.* 3. Ouiedo *tract.* 6. *de peccat. controuers.* 3. *part.* 10. Auersa, *quæst.* 88. *sectione* 9. Suarez, *lib.* 3. *de Homine, capite decimo tertio*, & alij Moderni.

Tertia sententia est negans absolutè, insontem Adam potuisse primò venialiter delinquere: Ità SS. Doctores cum suis Magistris Alensi 2. *part. quæst.* 103. *membr.* 6. Alberto Magno 2. *distinct.* 2. *quæst.* 10. quos adducit, & sequitur Valentia ad locum D. Thomæ, *prim.* 2. vbi Thomistæ, Caiet. Conradus, Medina, Zumel, Porretta, & Aluarez *disp.* 196. Capr. *in* 2. *disput.* 21. Hispal. *ibi*, Soto *lib.* 1. *de natura, & gratia, cap.* 6. *in fine*, Durand. *dist.* 21. *art.* 3. *quæst.* 4. Richard. *art.* 3. *quæst.* 1. Marsil. *in* 2. *quæst.* 14. *art.* 1. *part.* 1. Ægid. *dist.* 21. *quæst.* 2. *artic.* 3. Argent. *quæst.* 1. *art.* 1. Eamque communem Theologorum Sententiam a Diuo Bonauentura meritò assertam, ait Sectator Pererius, *lib.* 5. *de statu Innocentiæ, num.* 59. 102

Assero primò, non potuisse primum peccatum Adæ esse veniale è subreptione.

Probatvr à D. Bonau. *argumento* 2. secundo loco, & *in corpore*. Ad peccatum veniale huiusmodi requiritur, vt ratio quodammodo subripiatur, & præoccu 103

præoccupetur à concupiſcentia, ſicuti eſt imperfectum deſiderium adulterij, vel ex præuentione intellectus ad partem ſuperiorem, ſicut eſt repentinus motus hæreſis; ſed talis ſubreptio repugnat ſtatui innocentiæ: Ergo. Maior patet ex D. Auguſtino, & aliis Patribus. Minor probatur ex illo *Geneſ.* 2. vbi, cùm eſſent nudi innocentes primi homines non vereeundabantur; at poſt lapſum cognouerunt, ſe eſſe nudos, & operiebant verenda: Idem colligitur ex illo Eeeleſiaſtici 3. *Deus fecit hominem rectum*; Et ſic exponitur à D.Hiero-
104 nymo *lib.* 1. *cont. Iouin.* Idem oſtendi ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 5. *can.* 5. ex Apoſtolo *Rom.* 7. ex D. Auguſtino 13. *de Trinitate, cap.* 3. & 4. & *lib.* 14. *cap.* 10. 15. & 19. & *lib.* 15. *cap.* 7. & *primo retract. cap.* 10. & *lib. de corrept. & gratia, cap.* 10. & 11. & *primo de nuptiis, & concupiſ. cap.* 23. & *lib.* 1. *contra duas Epiſtolas Pelag. cap.* 13. & 14. *de Ciuit. cap.* 10. vſque ad 26. D.Gregor. *lib.* 26. *Moral. cap.* 13. Ruperto 2. *de Trinit. cap.* 40. & alij Patres *in Geneſ.* Vide ſuprà *diſp.* 1. *quæſt.* 10. Hoc fundamento nititur Suar. *loc. cit. num.* 17.

Respondent Aduerſarij, ſubreptionem ex motu ſenſualitatis; non verò ex repentina repræſentatione intellectus, repugnaſſe illi ſtatui; atque adeò ex hac ſubita repræſentatione alicuius rei, putà honoris, aut opum, veniale peccatum primò potuiſſe patrari.

Contra tamen arguit Suarez *num.* 18. ex D Bonauent. quia D. Auguſtinus vniuerſaliter negat omnem ſubreptionem; nam 14. *de Ciuitate, cap.* 10. ait: *Nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipiſceretur, nec inerat quod carnem, animumve fœliciter viuentis offenderet?* Notetur Verbum, *Animumve*: Addit S.Auguſtinus: *Amor erat imperturbatus in Deum.* Et infrà: *Erat deuitatio tranquilla peccati, quâ manente, nullum omninò aliunde malum, quod contriſtaret, irruebat*: Ergo nulla erat ſubreptio.

105 Deinde implicat, perturbari intellectum, aut aliam potentiam ſuperiorem, niſi priùs perturbetur inferior, putà Senſus phantaſiæ, à quo pendet intellectus, vt arguit S. Bonauent. *in corpore*, & Suarez *num.* 19. Arriaga *num.* 18. Bellarminus *loco citato.*

Assero ſecundò, nullum peccatum veniale potuiſſe eſſe primum Adæ: Ità S.Bonauent. hic & 3. *part. Breuil. cap.* 8. circa finem.

Probatur à D. Bonauent. *argumentis primo loco*: Primum eſt. Omne peccatum veniale oritur ex aliquo inordinato amore, vel alio affectu prono ad malum; atque aliqua rebellione, vel carnis à voluntate, vel voluntatis à ratione: Sed in eo ſtatu nulla potterat eſſe talis rebellio; quia Iuſtitia originalis omnia perfectè ſubordinabat: Ergo. Minor probatur ex Diuo Auguſtino 14. de Ciui-
106 tate, cap. 10. *Erat in Paradiſo deuitatio tranquilla peccati, quâ manente nullum aliunde malum, quod contriſtaret, irruebat: An fortè cupiebant prohibitum lignum ad veſcendum contingere, ſed mori metuebant; ac per hoc & cupiditas, & metus iam tunc illos homines etiam in illo perturbabat loco? Abſit vt hoc exiſtimemus fuiſſe, vbi nullum erat omninò peccatum.* Et eap. 26. ait: *Sicut in Paradiſo nullus Æſtus, aut frigus; ſic in eius habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat voluntatis offenſio: Nihil omninò triſte, nihil erat inaniter lætum; gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta: Atque inter ſe Coniugum fida ex honeſto amore ſocietas, concors mentis, corporiſque vigilia, & mandati ſine labore cuſtodia.*

Respondet Arriaga *num.* 16. per inanem lætitiam, quæ à Paradiſo exeludebatur, non intelligi peeeatum veniale; ſed lætitiam ſumptam ex aliquo bono ficto, indigno lætitia; quia non poterat ibi eſſe error, aut deceptio; ac ſi diceret: Non lætarentur, niſi de re digna lætitia.

Hæc tamen expoſitio extorta eſt: Nam Diuus Auguſtinus dicit, nihil fuiſſe inaniter lætum ex cupiditate; hoc autem non oritur ex deceptione, quæ ab extrinſeco doloſè, imò agente venit, vt ipſe Arriaga docet *diſputatione* 45. *ſect.* 2. *ſubſec.* 2. *num.* 26. Neque intelligit de inani aliqua lætitia mortali, vt ſenſus fiat, quamdiù homo non peccaſſet, non gauderet de peccato; ſed de veniali: Nam copulat eam cum aliqua triſtitia vana, oppoſita gaudio vero. 107

Probatur ſecundò à Diuo Bonauentura conſequenter ex conditione ſtatus Iuſtitiæ originalis, in quo non erat, nec eſſe poterat ignorantia, vel motus paſſionis, totque interna auxilia actualia retrahebant à quocumque malo deliberando; & ità deliberatio ab omni noxia delectatione, & commodo vetito longè aberat: Similiter & Deus vocatione, quantum ex ipſo eſt, efficaei reuocabat: Itaque moraliter non poterat veniale peeeatum deliberatè eligere, quin niteretur in contemptum Dei, vel legis, vel ſtatus maximè illius, à quo occaſiones proximæ ad ruinam remouebantur; & ideò velle profundere illam fœlicitatem, ac ſecuritatem, maximè ſpiritus, paruulam ob delectationem, atque contemnere tot Dei beneficia, ac per ſummam erudelitatem deplorandæ ealamitatis ſe agere in profundum miſeriarum, ac in euidentiſſimum perieulum damnationis: Confirmatur; nam ex his eapitibus, etiam primum actuale peccatum fuit valdè aggrauatum, vt docet Diuus Chryſoſtomus, *homil.* 18. *in Geneſim*, Vbi indueit Deum loquentem Adæ his verbis: *Propter hoc contempſiſti mandatum meum? Ecce quod expectaſti, factus es, imò non quod expectaſti; ſed qualem te fieri dignum erat*: Id notat Suarez ipſe *lib.* 4. *de amiſſione ſtatus innocentiæ, cap.* 3. *num.* 10. Tametſi id prius negauerit, vt hanc rationem Sancti Bonauenturæ euerteret, *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 23. 108

Ex his habes, rationem Diui Bonauenturæ, non niti in ſola intrinſeca perfectione virtutum, & dignitatis eminentia, nec in mera carentia paſſionis, vt putat Suarez, *num.* 21. Pererius, *num.* 65. & Arriaga à *num.* 11. Sed in toto ſtatu Iuſtitiæ originalis, quod Aduerſarij non aduertentes, flocci pendunt Seraphici argumentum, quod eſt Diui Auguſtini 14. *de Ciuitate Dei, cap.* 10. & *cap.* 26. ſuprà relato; vbi ex perfectione illius ſtatus, qui carentiam etiam cupiditatis, vel aliarum paſſionum excludit; omne leue peccatum negât, afferens pro exemplo inane gaudium, timorem, &c. vt paret ex teſtimonio Diui Auguſtini ſuprà adducto: Ideò confirmatur à Diuo Bonauentura *argumento tertio*, ex Diuo Auguſtino ibi, *capite* 10. Vbi etiam à priori probat, eum non fuiſſe cupiditatibus agitatum; alioqui fuiſſet infœlix, naturali beatitudine ſpoliatus, dolore, timore, aliiſque paſſionibus preſſus, quæ ſtatui illi iucundiſſimo repugnabant. Hinc regnum animæ, ab omni leui macula immune prædicat *cap.* 26. quandiù ſeruaret Adam præceptum, 109

ceptum non comedendi, à quo pendebat salus, vel ruina.

110 Hinc malè Arriaga *subsect. 3.* ait, sensum Augustini esse; Quod Adam in ea tranquillitate viueret, quamdiù volebat, quod Deus iusserat: Itaque si in leuibus defecisset, & leues molestias esset passus: Nam D. Augustinus loquitur de Praeceptis Dei, siue quoad esum pomi; siue quoad alia, quae iure naturae includuntur: Itaque vult dicere: Nisi peccasset mortaliter, &c. inferens non modò peccato esus pomi vetiti, sed etiam alio mortali, amissurum Iustitiam illam, vt probabilius tenet S.Bonauentura *in 2. dist. 33. dub. 3. litt.* Et post eum Arriaga *loc. cit. num. 15.* Suarez, *lib. 3. cap. 13.* & infrà dicam.

Addit S.Bonauent. aliud medium, quod tamen est pars superioris argumenti: Luciferi enim peccatum ex ingrati animi culpa fuit irremediabile, & ideò veniâ priuatum, vt enormissimum: Cùm igitur status innocentiae esset nobilissimus è Diuina protectione, summa rectitudine, & foelicitate, vt explicat: Ideò hominis videtur aggrauare peccatum quodcumque ad mortem; quia erat ex contemptu ortum.

Aduerte, D. Bonauenturam plurima hucusque capita attulisse, seu plures conditiones status originalis, quae simul omnes probant intentum, esto singulae non sufficiant: Ideò praecedentes simul connectit; quintam verò à capite ponit, vbi alias resumit.

111 Probatur tertiò à D.Bonauent. Omne peccatum auferebat innocentiam: Ergo & impassibilitatem; Ergo & immortalitatem: Ergo inferebat mortem: Ergo erat graue, sicuti poena est granis: Quod enim ait Arriaga, Veniale illaturum passibilitatem modicam, nouum est, & contra D. Augustinum; nam in omnimoda carentia mali constituit statum illum. Confirmatur à Diuo Bonauentura; quia si Adam venialiter peccasset, potuisset poenitere: Ergo & dolere, & pati: Ergo potuisset conteri vsque ad vltimum halitum vitae: Si verò non poterat poenitere: Ergo peccatum erat irremediabile.

Neque aptè Mastrius *num. 56.* cum Scoto admittit in eo statu poenitentiam, dolores, &c. Quod est contra D. August. *loco citato.* Quod etiam, ait Scotus, satisfacturum actum amoris Dei: Esto sufficiens esset ad poenitentiam, vt vrget Arriaga *num. 18.* contra Suarez: Attamen futura esset afflictio ex Synderesi, &c. Quod erat contra illum statum, cuius oppositum non audet asserere Arriaga, *subsect. 4.*

112 Tannervs *primâ 2. disp. 4. quaest. 5. dub. 4. num. 73.* ait: Omissâ ratione Bonauenturae, quasi, id, quod naturâ suâ est veniale, ob status excellentiam, futurum esset mortale; Probatur assertio: Nam, vel homo, siue Angelus in statu Innocentiae per peccatum veniale excidisset ab eo statu, vel non: Non primum; quia nimia poena esset peccato veniali: Neque secundum; quia illi statui repugnat omninò miseria, consequenter & culpa, vt habet D.August. 14. *de Ciuitate, cap. 10.* & *lib. de corrept. & gratia, cap. 11.*

Ex via iste arripit rationem Diui Bonauenturae *ad tertium*, & fingit aliam, quae est responsio ad argumentum, esse solam eius rationem: Et quod magis doleo excellentiam status non accipiunt Aduersi, vt explicita est à Sancto Doctore.

113 Assero vltimò: è solis auxiliis Dei congruis, non satis probatur impossibilitas peccandi venialiter pro eo statu innocentiae, contra Suarez.

Probatur primò; quia talia auxilia sunt exquisitissima, vt docet Concil. Trid. etiam si potuit lethaliter: Ergo.

Probatur secundò; quia auxilia non ponunt necessitatem, nisi in sensu composito, suppositâ voluntate: Ergo adhuc voluntas habens ex antecedentibus repugnantiam, libera relinquebatur ad veniale patrandum.

Obiicies primò cum Scoto: Homo potuit in eo statu peccare mortaliter: Ergo multo magis venialiter.

Probatur consequentia; quia mortale maius est; qui verò potest in maius, potest & in minus. Et si perfecta illa hominis harmonia non impediuit mortale: Ergo, &c.

Respondet D. Bonauentura, negando consequentiam, & probationem; nam potest quis aliquem occidere; non tamen febrim immittere. Similiter potest generare hominem, non autem Leonem, vel Aquilam.

Respondet etiam Valentia, potuisse quidem Adamum primò peccare mortaliter, non tamen persistendo in eo statu iustitiae: Similiter nec poterat primò peccare, venialiter persistendo in eo statu, quatenus ad perfectionem illius status pertinuit, non modo carere posse omni culpa veniali (vt Scotus concedit;) sed de facto carere: Itaque, si consideretur iustitia originalis, vt antecedens peccatum veniale, non repugnat; repugnat verò, vt permanens in tota sua perfectione non absolutè: Ità praecluditur Mastrij instantia. Adde, peccatum illud fore mortale ex dictis: Addo, hoc argumentum vrgere contra Suarez: Nam, si auxilia habuit, ne peccaret venialiter, multò magis ne laberetur in mortale. 114

Obiicies secundò: Excellens gratia gratum faciens non minus coniungit hominem Deo, quàm coniungebat iustitia originalis; sed illa stat cum peccato veniali: Ergo.

Respondet Caiet. ex D. Bonau. ad *tertium* argumentum peccare secundùm non causam, vt causam, vel secundùm figuram dictionis, mutando (*Sic*) in (*Magis*) Iustitia enim originalis, non quia magis; sed quia sic, seu tali modo coniungebat Deo, repugnat cum peccato originali; non autem ratione perfectionis; quia magis Deo coniungeret, sed quia tali modo disparato excellenti: Quod enim Mastrius replicat primum argumentum, nihil facit.

Instat Scotus: Peccatum veniale committitur etiam in parte superiori, vt patet de primis motibus infidelitatis; atque adeò non impediebat superna illa coniunctio cum Deo. Id vrgent Rada, Aretinus, & Mastrius. 115

Respondetur, quod ipsa pars superior, vt habens motus indeliberatos habet rationem inferioris, respectu sui ipsius, vt deliberantis; vnde per superius, & inferius non sunt intelligendae potentiae animae, sed officia. Addo, indeliberationes esse imperfectiones lapsae naturae, ex perturbatione inferiorum facultatum, à quibus pendent Superiores.

Obiicies tertiò: Esto non potuerit indeliberatè labi venialiter; attamen quid vetuit, quominus deliberatè diceret verbum otiosum? Et si potuit edere pomum vetitum, etiam potuit curiosè spectare, cur, &c.

Respondet S. Bonauentura, futurum illud mortale, vt suprà dixi, ex perfectione, modo explicito, quem ineptè explicant, & impugnant.

Instat Valentia ex D. Thoma, dignitatem

personæ non mutare veniale in mortale, nisi fortassè ratione Voti, vel Obedientiæ, &c. Idem redarguunt Arriaga, Suarez, & alij.

VERUM iam suprà ostensum est, quomodò S. Bonauentura rectè loquatur.

116 OBIICIES quartò transeunti ab extremo ad extremum, transitur per medium; sed veniale est medium inter innocentiam, & peccatum mortale: Ergo transeunti ab innocentia ad mortale, priùs transitur per veniale.

RESPONDET Caietanus, maiorem esse veram, vbi verum est medium essentialiter ordinatum; at peccatum veniale non est medium tale: Ergo, &c.

RESPONDET D. Bonauentura, peccatum veniale, esto sit medium secundùm recessum à Deo inter innocentiam, & mortale; tamen non erat medium, comparatum ad statum innocentiæ; quia status ille, ità Deo adiungebat, vt si aliquid inordinatum patraretur, repugnaret ei; & ità non est simile; quo fit, vt argumentum transeat à simili, ad tale esse, quod est peccatum Sylogisticum, quod Caietanus obiicit Scoto *ad primum argumentum*.

117 OBIICIES quintò: Magis repugnat statui innocentiæ peccatum mortale, quam veniale; sed peccatum mortale fuit simul cum illis donis: Ergo. Minor probatur; quia Eua peccauit superbiâ, nec tamen amisit innocentiam, nisi postquam edit pomum; alioqui eodem modo illam amisisset Adam etiam filiis, quamvis non comedisset, quod est falsum; nam pactum erat pro esu pomi.

RESPONDET D. Bonauent. *in 2. dist. 33. dubio 3. litt.* quæstionem esse: An per aliud peccatum, quàm esus pomi, perderetur iustitia originalis, & refert aliquos negantes, quos secuti sunt Tostatus *Genes. 3. quæst. 6. & 7.* Catherinus *ibidem*.

118 ALII verò asserunt, per quodcunque mortale perdendam iustitiam: Ità D. Thomas *p. p. quæst. 95. art. 1. & quæst. 100. art. 1. & 2. 2. quæstione 83. artic. 2. ad 2.* Soto, *de natura, & gratia: cap. 5.* Et quotquot ponunt, Iustitiam originalem esse gratiam sanctificantem, vel ab ea pependisse: Imò D. Bonauent. etiam id tenet, qui vult esse distinctam; nam esto separabilis esset gratia sanctificans à Iustitia originali, vt dixi *disp. 1. quæst. 19.* Attamen non poterat hæc stare cum culpa mortali; quà perdebatur gratia, homo fiebat reus æternæ mortis, consurgebat sensus contra rationem; imò præualebat; & rectitudo rationis subuertebatur; Sic igitur Eua per primum peccatum superbiæ amisit iustitiam; Ideò dicit Augustinus *11. Genes. ad litt. cap. 30.* eam statim deceptam, quia peccauerat; Deceptio autem repugnat cum statu iustitiæ originalis, vt dixi *disp. 1. quæst. 8.* Neque potuit perdi secundùm tantùm aliquid, vt putant Caietanus, & Arriaga.

119 DICENT, eam non erubuisse; donec etiam vir comederit.

RESPONDETUR, distractam fuisse Euam circa esum pomi; nec satis attendisse rebellioni sensus, quam postea cognouit, dum viro, suscitatis concupiscentiæ motibus, & ipsa actu ad concupiscentiam prouocata est. Ità Suar. *lib. 3. cap. 13. num. 6.* Igitur priùs ob catentiam obiecti prouocantis, non aduertebat.

TANDEM opponit Herrera *2. disp. 22. quæst. 1.* Euam, & Adamum primò venialibus lapsos; Sed hæc vana sunt: Addit Mastrius, eos emeritos abstinendo à venialibus. Ergò fuêre liberi: Salas negat Antecedens.

QUÆSTIO XIII.

An conuenienter PRIMI HOMINES *fuerint puniti à Deo.*

PRIMÒ quidem Deus maledixit serpenti, dicens: *Quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia, & bestias terræ: Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* 120

HÆC verba aliqui asserunt dicta Serpenti soli bruto: Ità Dydimus apud Lippom. *Genes. 3.* & Moyses Barcepha, *lib. de Paradiso, part. 1. cap. 27.* Qui refert etiam D. Ephrem.

ALII astruunt dicta ad Dæmonem, quamvis per quandam Metaphoram explicuerit statum eius miserrimum: Ità D. Thomas *2. 2. quæst. 165. art. 2. ad 4.* post D. August. *lib. 2. in Genes.* contra Manichæos, *cap. 17. & 18.* & *2. Genes. ad litt. cap. 36.* Beda *in Hexaëmer.* Rupert. *lib. 3. in Genes. cap. 18.* Hugo de S. Vict. *in Genes. super cap. 3.* Et est communis Expositorum, quos referunt Suarez *lib. 4. cap. 7. num. 4.* Arriaga *disp. 45. sect. 4.* Estque Sententia D. Bonau. *in Opusculis, serm. 2. de B. Virgine,* 121 & *in 2. dist. 21. quæst. 2.* & *in dubiis litt.* fuisse serpentem, & diabolum maledictos: Est autem Sententia D. Chrysostomi, quoad Serpentem. D. August. *11. in Genes. cap. 36.* non excludendo alterum; Et quoad vtrumque sequitur Bellarminus *lib. 3. cap. 11.* Ità & Perrerius *lib. 6. in Genes. disp. de Serpente, quæst. 4. in fine*: Sic igitur sermo est ad Serpentem eundem, qui deceperat: Is autem fuerat Diabolus, loquens ore Serpentis, vt monet D. Bonauent. *dist. 21. dubiis littera*: De quo egi *quæst. 3.* Sic igitur à Suarez *num. 6.* asseritur.

DICES: Vocatur maledictus, & comparatur animantibus terræ: Hoc verò non stat in sententia Suarez, qui *lib. 4. de amiss. innoc. cap. 1. num. 4.* hoc medio probat, fuisse verum Serpentem tentatorem; quia dicitur *callidior cunctis animantibus terræ*: Ergo & ipsum erat animal; nam si fuisset Diabolus, non fieret congrua illius comparatio cum bestiis: Hoc igitur argumentum hic applicitum vrget ipse Suarez ad dicendum eum, cui Deus maledixit, non fuisse Dæmonem, sed animal; quia comparatur bestiis terræ, dicitur enim: *Maledictus inter animantia, & bestias terræ*: Ergo vel fuit Serpens animal solùm, vel cum Diabolo inclusus: Sic enim etiam in tentatione prælibatur callidissimus ad nocendum corpori Serpens assumptus à diabolo astutissimo ad decipiendas, seu feriendas animas, vt dixi *quæst. 3.* Ideò argumento ad hominem Suarez retunditur. 122

RESPONDET Suarez hìc *num. 6.* hanc comparationem esse Dæmonis ad eius confusionem, qui miserabilior bestiis euasit, vt notat D. Augustinus *lib. 2. contra Manichæos, cap. 17.*

ENIM verò, cùm sit descriptio hæc historia, debet historicè sumi, vt notat ipse Suar. *cap. 1.* adducto; vel ideò infert verum animal: Ergo etiam hic comparatio est inter bestias; Alioqui etiam in illo loco potuisset Caietanus ad Metaphoras tutò confugere dicendo, fieri comparationem Dæmonis ad bestias ad ignominiam eius, qui feris peior, totum Genus hominum, non læsus; sed sola inuidia aggrediebatur: Quod tamen effugium 123

ibi

ibi Suarez Caietano præcludere nititur: Igitur includitur verus Serpens.

Qvod includatur etiam Dæmon, probatur; quia obiicitur ei crimen: *Quia fecisti rem hanc*; hoc verò principaliter à Dæmone patratum est; Serpens enim fuit solùm instrumentum; dignum tamen ob id pœnâ, sicut *in Pentateucho*, sæpè bestiæ morte damnantur; quia fuerunt hominibus instrumenta in patrandis peccatis.

4 Sic etiam sequentia verba explicantur: *Super pectus tuum gradieris, &c.* Quæ verba ad verum Serpentem applicata satis clara sunt, vt notat Suarez *num.*7. Per Metaphoram verò, & pœnam dæmonis explicatur: Sic igitur historicè tangit Serpentem, & metaphoricâ explicatione dirigitur ad Diabolum; vt ait Pererius post D.Bonauenturam. Confirmatur; nam simpliciter ad Diabolum solum non diceretur rectè: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, cùm Dæmon sit æuiternus: Similiter; *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, &c.* Serpentem tangit, qui exosus fuit postea hominibus: Et in diabolo exponit inimicitias cum sanctis mulieribus, præcipuè verò Beatissima Virgine, vt latè explicat *in opusculis* sæpè S. Doctor, præcipuè in *eo serm.* 2. *de Beata Virgine*: Et est expositio multorum Patrum, quos adducit Suarez *tom.* 2. *tertiæ partis*, *disp.* 3. *sect.* 5. Et per semen mulieris intelligit, cum Patribus, Perrerius Christum, qui sola è muliere est conceptus, non è viro: Ideò dicitur semen mulieris, & ipse verè contriuit Dæmonem.

125 Qvoad mulierem, singulares pœnas ea subiit: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*; id est, in conceptibus tuis: Nam licèt fœcunditas sit benedicta; tamen affert secum numerum ærumnarum maiorem in pluribus grauidantibus, &c. *In dolore paries filios, & sub viri potestate eris*; Licèt enim subiecta esset viro, tanquam Capiti etiam in statu innocentiæ quoad directionem; attamen etiam quoad vim coërcitiuam nunc subiicitur, vt notat D. Bonauent. *adductus disput.* 1. *quæst.* 20. vbi de hoc egi: Eum sequitur Suarez hìc *num.*16. Arriaga *num.*36.

16 Maledictio verò lata ad Adam est: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, &c. Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ: In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: Quia puluis es, & in puluerem reuerteris*: De his vide Expositores.

Nihil autem mirum, si Deus pœnas Spirituales non recenset; quia iam spoliati illi homines iustitiâ originali, eas se subiisse agnouerunt, quando aperti sunt oculi amborum: Ità Bellarminus, *lib.* 3. *de amissione iustitiæ*, *cap.* 11. Suar. *loco citato*, *num.*12.

QVÆSTIO XIV.

De eiectione Protoplastorvm *è Paradiso.*

Post lapsum eiectus est Adam de Paradiso; de qua eiectione agit S.Bonauent. *in* 2. *dist.* 29. *dub.* 3. *litt.* vbi egregiè Diuinam misericordiam & iustitiam, in hoc opere obuiantes inuicem reperit.

Qvanto verò tempore fuerit in Paradiso, vel quando eiectus fuerit, multi multa dicunt apud Suar. *lib.* 4. *cap.* 8. Omnia tamen, vt incerta fatetur; atque ideò ea silentio inuoluam. Plausibilis opinio est, Adamum feria sexta, quâ conditus est, etiam peccasse, atque eiectum: Ità Irenæus *lib.* 5. *contra hæreses*, *cap.* 23. Anastasius Synaita, *in Hexaëmer. lib.* 7. Eadem verò die Christum ideò mortuum ad redimendum Genus humanum plurimi Patres prosequuntur, ac D.Bonauent. *in suis Meditationibus*, & (ni fallor) *in Euangelia*. 127

QVÆSTIO XV.

An Primi Parentes *veniam peccatorum sint finaliter consecuti.*

Iam *quæstione* 11. vidimus, peccatum Hominis fuisse remissibile; nunc quæritur vtrùm actu fuerit remissum. 128

Aliqvi hæretici dixère, Adamum esse damnatum: Ità Tatianus, quem referunt Irenæus *libro primo*, *cap.* 31. & *lib.* 3. *cap.* 39. Tertullianus *lib. de præscript. hæret. cap. vlt.* Epiphanius, *hæresi* 47. Augustinus, *hæres.* 25. Philastrius *in Catalogo Hæresum*.

Assero tamen de fide primò, Adamum esse assecutum veniam peccati.

Probatvr ex D. Bonau. *ad* 10. *Sap.* ex illis verbis: *Hæc* (id est Sapientia) *illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo.* Hic locus vnicus est, & efficacissimus, vt notat Suar. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 15. Vbi *num.* 7. improbat expositionem Cantacuzeni dicentis, eductum esse Adam è delicto, id est, datum ei præceptum, quo peccatum vitaret; tale enim præceptum est potiùs inductio, & occasio peccati, quam eductio, vt de lege veteri ait Apostolus.

Rvpertvs *lib.* 3. *in Genes. cap.* 31. Respondet, Librum non esse Canonicum, & mendacij argui; quia statim de Adamo dicit: *Dedit illi virtutem continendi omnia.* Hoc verò de solo Christo est verum. 129

At Liber Sapientiæ iam Canonicus est, vt definit Concil. Trid. *sess.* 4. Imò multò ante Rupertum, Liber iste à plutibus Conciliis, & à D. Augustino, aliisque Patribus Canonicus habebatur, vt ostendi *tract.* 1. *disp.* 2. *Proæm.* 2. *quæst.* 2. Verba autem illa facilè explicantur, dedisse Deum Adæ virtutem dominandi, ac regendi hæc inferiora; nam verbum continendi in Græco *Dominari* significat: Vide D. Bonauent. ad hunc locum.

Assero secundò, verissimum esse, Adamum fuisse saluatum: Sic tenet etiam de Eua tota Ecclesia. Ideò. D. August. *lib.* 2. *de peccatorum meritis*, *cap.* 34. ait: *Post peccatum iustè viuendo meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati.* Idem de Adamo habet Hilar. *in psal.* 119. Hieron. *ad Ephes.* 1. & *ad* 20. *Matth.* & *cap.* 16. in fide dicit, primum Adam liberatum per Adam secundum: Et de vtroque coniuge ait Nazianzenus, *orat.* 31. circa cap. 19. Matth. *Vtrumque Serpens decepit; vtrumque Christus passione suâ salute donauit*: Idem ferè habet, *orat.* 39. Idem habent alij Patres relati à Suarez, *num.* 17. & 18. 130

Idem colligitur ex loco citato Sapientiæ; concludit enim in cap. 9. *Per Sapientiam sanati*

sunt

PROBATVR à D.Bonau. *argumentis primo loco*: Primò ex illo Genes. 2. *faciamus ei adiutorium simile sibi*; de quo adiutorio dicitur: *masculum, & fœmineam creauit eos*; atque testatur ipse Deus: *Non est bonum, hominem*, seu masculum, *esse solum*, sed necessarium est, adiutorio fœmellæ vti, &c. ad generationem. Hoc fundamento nititur Suarez *loco citato num. 6.* Arriaga *disp. 42. sect. 2.* Valentia infra citandus.

RESPONDET Damascenus, & Nyssen. Deum, præscium futuri peccati, præparasse coniuges ad generationem.

4 CONTRA arguit S.Bonauentura ex D.Aug. 14. *de ciuitate, cap. 23.* vbi ait: *Quisquis dicit non coituros homines, nisi peccassent, quid aliud dicit, nisi propter numerositatem Sanctorum necessarium hominis fuisse peccatum?* Ergo sexuum distinctio ad copulam antè peccatum facta est: Confirmatur; nam vt ait D. Bonauent. *argumento 3.* absolutè Deus ante peccatum decernit: *Non est bonum, hominem esse solum*; Et sexus distinctos ponit: Eum sequitur Suarez *num. 6.* Confirmatur à D.Bonauent. *argumento vltimo*; nam vir habuit vim generatiuam, membraque virilia ante peccatum, sanè ob generationem.

PROBATVR à D. Bonauentura *in corpore* ex præcepto Dei, Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini.* Hoc autem factum est absolutè ante peccatum, vt notant etiam supradicti Theologi.

RESPONDET Damascenus, sensum esse: Crescite passiuè, & multiplicamini. Ita, vt sit benedictio augurans, eos multiplicandos à Deo.

5 CONTRA, nam eodem modo loquitur bestiis. CRESCITE, quibus actiuam generationem exprimit.

IDEM confirmatur à D.Bonau. *in 4. dist. 26. q. 2.* & *dist. 40. quæst. 2.* Ex illis verbis Adæ, vbi de matrimonio loquitur: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo Patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.* Fiunt autem vna caro per copulam; nec ante eam possunt dici vna caro, vt definit Alexander III. *in cap. 2. de conuersatione coniugatorum.* Et Benedictus Papa *in cap. ex Diuina dist. 27 quæst. 2.* Et in C.Lateran. *part. 6. cap. 27.* Alexander III. postquam verba Adami retulit, subdit: *Quibus verbis innotuit, non aliter virum, & mulierem fieri posse vnam carnem, nisi carnali copula sibi cohæreant.* Et Apostolus *prima Cor. 6.* id asserit. Hæc autem verba dixit Adam, nesciens suum lapsum futurum, vt omnes concedunt. Ita arguunt etiam citati PP. Iesuitæ.

6 CONFIRMATVR à Diuo Bonauentura *in 4. dist. 20. quæst. 1.* ex illo *Matth. 19.* vbi Christus ait: *Non legistis, quia qui fecit hominem, ab initio, masculum, & fœminam fecit eos: & dixit propter hoc, &c.* vbi exponit locum illum Genesis de matrimonio, tunc futuro. Qua authoritate nititur Bellarminus *lib. 3. de Amissione gratiæ, cap. 11. colum. 181.* Confirmatur; nam *Marci 10.* dicitur, id factum esse ab initio creaturæ.

7 CONFIRMATVR à D. Bonauentura hîc ex D. Aug. 14. *de ciuitate, à cap. 21.* vsque *ad 26.* & *lib. 9. Genes. ad litt. cap. 3. & sequentibus*, & *primo retract. cap. 10.* emendat id, quod dixerat *lib. 1. Genes. contra manichæos*, & *cap. 13.* retractat id, quod dixerat, *lib. de vera Relig. cap. 46.* non futuras in statu innocentiæ consanguinitates, quæ nunc sunt. Consentit D. Gregorius *in Psal. 5. pœnit.* Rupertus, Beda, Abulens. in Genes. Probatur etiam ratione D. Bonauentura *in corpore*, qua vtitur Suarez *num. 26.* Arriaga *num. 4.* Valentia *p. p. disp. 7. q. 5. p. 1.* Bellarm. *loco citato* Naturale est hominibus, vt per commixtionem sexuum multiplicentur, vt patet: & ex Anatome constat. Neque enim post peccatum Deus addidit membra generatione deseruientia; Neque statu illi inconueniens est, vt dicam: ergo. Hoc est vltimum argumentum S.Bonauent. *primo loco.*

AD Patres respondet S. Doctor, eos non negare, futuram in eo statu generationem; sed non futuram ea turpitudine, & libidine, quæ nunc est; addereque potuisse, Deum etiam absque generatione homines multiplicare, vt patet in D. Damasceni verbis. Itaque non benè supradicti Theologi omninò fatentur, eos PP. sibi aduersari. 8

OBIICIES. Commixtio sexuum est opus carnale, dedecens eum statum.

RESPONDET Diuus Bonauentura, carnale vno modo sonare vitium, vt dicitur Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum*: alio modo sonat naturam, vt dicitur Ephes. 5. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit*: est autem coitus opus carnale secundo modo. Reliqua soluentur infra per quæstiones.

HINC colligitur, generationem tunc faciendam per seminis decisionem.

Probatur à Diu. Bonauentura *tota quæst. 2.* quia Generatio est productio de propria substantia. Vide S.Doctorem.

QVÆSTIONE tertia totâ, soluit obiectionem, quæ fit ab authoribus primæ sententiæ, illum statum non decere delectationem intensam copulæ. 9

PRIMO quidem affert D. Augustinum, *de ciuitate Dei, lib. cit.* vbi ait: *Adeo temperata delectatione tunc membra applicanda ad generationem, sicut manus applicatur ori*; neque esset vlla deordinatio, ille pruritus, &c. Sed ad nutum rationis applicaretur Mas Fœminæ honestè.

QVÆSTIO II.

An in generatione, pro illo statu, Seruarentur Claustra Virginalia.

D. Bonauentura quæst. 4.

DIVVS THOMAS *in 2. dist. 20.* negat, tunc amittendam virginitatem, quia mentis integritas seruaretur, quæ est per se: Ità & Capreolus *ibi*: Alensis verò *2. part. quæst. 85. membr. 4.* dicit, virginitatem esse tunc soluendam, quò ad mentis integritatem; non autem quò ad corpus. 10

ÆGIDIVS *dist. 20. quæst. 1.* Et Richard. *artic. 1.* dicunt, soluendam initio virginitatem, quia in copula etiam naturali frangerentur claustra Virginitatis, attamen posteà statim raparanda, hymenesque firmandas.

AT D. BONAVENTVRA, & cæteri dicunt, virginitatem soluendam, nec aliud reseruant. Ita etiam Altisiodor. *2. part. sum. lib. 2. tract. 10. cap. 2. quæst. 4.* Pererius *lib. 4. in Genes. disp. de Propag. quæstione 4.*

ADVERTIT Diuus Bonauentura *in corpore*, & cum eo Diuus Thomas *2. 2. quæst. 151. artic. 1.* In virginitate tria considerari. Primum est claustrorum integritas. Secundum inexperientia libi-

dinis ex decisione seminis, seu immunitas à voluntaria resolutione seminis cum delectatione venerea. Tertium est integritas mentis per propositum abstinendi à tali delectatione: Sic è contra, in violatione sunt tria, idest; Ruptio claustrorum, pœnalis dolor; & fœda delectatio. Primum est naturæ: Secundum pœnæ: Tertium corruptionis vitiosæ, quæ tenet medium inter pœnam, & culpam; si autem sit volita indebitè, est culpa.

Assero, tunc claustra virginalia frangenda.

12 Probatur à D. Bonauentura, quia naturaliter absque penetratione, vt fiant illi actus, debet corpus aperiri: atque hoc miraculum est soli Diuinæ Virgini reseruatum in partu, locum dare fœtui absque aperitione claustri Virginalis, sed per penetrationem. Ita etiam Suarez *lib. 5. cap. 2.* Arriaga *disp. 42. sect. 2. subsect. 1. num.* 8. vbi non ad rem monent, contra Richardum, & Ægidium, quod si quis diceret, claustra Sanctissimæ Virginis aperta in partu, & postea firmata, diceret hæresim, contra Virginitatem Beatissimæ Virginis; hoc enim Richardum, & Ægidium non lædit; nam ipsi concedunt non seruandam initio fuisse Virginitatem, etiam si iterum claustra claudenda; nec de B. Virgine agunt.

13 Quæres: An eo tempore aliqui Virginitatem seruarent.

Videtur negatiuè respondendum. Probatur à Diuo Bonauentura *in 2. dist. 20. dub. 7. litt. & quæst. 6. argumento* 4. Ex illo Genes. *Crescite & multiplicamini*, quod non est sola concessio, vt putat Arriaga *disp. 42. sect. 4. subsect. 2.* vel Solis primis parentibus lata lex, vt putat Suarez *lib. 5. cap. 2. num.* 10. Contra enim est D. Thomas *p. p. quæst. 98. artic. 2. ad tertium,* Altisiodor. *lib. 2. summæ, tract. 10. cap. 2. quæst.* 4. cum D. Bonauentura *ll. cc.* qui ait id esse præceptum omnibus.

QVÆSTIO III.

Vtrum in omni copula fuisset generatio.

D. Bon. loc. cit. q. 5.
D. Thom. p. p. q. 59. art. 2. ad 3.

Assero affirmatiuè cum SS. DD. quos sequuntur Durandus *in 3. dist. 20. quæst. 1. num. 7.* Ægidius *quæst. 1. artic. 3.* Richar. *art. 1. quæst. 2.* Suarez *lib. 5. cap. 3.* Arriaga *disp. 42. sect. 3.*

14 Probatur à D. Bonauentura, quia homines in illo statu non coirent, nisi ex recta intentione prolis habendæ; non enim ibi erat intentio remedij concupiscentiæ. Vbi autem agens non caret debita intentione, nec actus debet carere debito suo fine vbi in actione est etiam sufficiens virtus: In illo autem statu esset sufficiens virtus generatiua. Hac ratione vtitur etiam Durandus.

Suarez *num. 3.* hanc rationem impugnat, quia naturalis est sterilitas quibusdam nunc complexionibus; neque repugnat statui illi: Tum etiam, quia [illegible] personæ aliquæ sint fœcundæ; tamen possunt [illegible] tempore habere impedimentum ad generan[illegible] quod posset latere vtrumque coniugem. Quapropter recurrendum ait ad peculiarem Dei prouidentiam assistentem.

Enim verò ratio optima est, nec satis Elisa; 15
nam sterilitas est pœna peccati, vt notat etiam D. Thomas *2. 2. quæst. 164. art. 2. ad 3.* ex quo infert Suarez *num. 1.* sterilitatem non fuisse in statu innocentiæ futuram secundùm Diuum Thomam, & meritò; nam sterilitas est imperfectio indiuiduorum magna, & eò maior, quò declinat à fine vniuersali naturæ conseruandi speciem; tunc autem omnes generarentur perfecti; non igitur sterilitate infecti, quæ in lege Diuina inter maledictiones numeratur, vt ait Vasquez *num. 5.* atque certo certius supponit Suarez, *cap. 5.* initio cum Diuo Bonauentura *argumento vltimo.* Neque satisfit dicendo, aliquo tempore posse aliunde esse impedimentum; nam, vt notat D. Bonauentura *ad argumenta*, quem laudant Suarez *num.* 4. & Arriaga *num.* 19. Si aliquod impedimentum esset, notum esset illis sapientibus, ac vitaretur accipiendo tempus, opportunum fini sancto generationis. Quod si hæc cognitio ad peculiarem Dei prouidentiam reuocatur, sanè astruitur à D. Bonauentura, vt fatetur Suarez *loco citato.*

QVÆSTIO IV.

An æquali numero Mares, & Fœmellæ tunc gignerentur.

D. Bonauentura quæst. 6.

16 Fvit hæresis Almerici, negantis in statu innocentiæ sexuum disparitatem. Ita refert Prateolus, *verbo Almericus.* Castro, *verbo Adam, hæres. 5.* Turrecrem. *lib. 4. summæ, cap. 35.* Hoc tamen stultissimum est; nam scriptura asserit, initio creatos masculum, & fœminam ad generationem, vt habet S. Bonauentura *locis adductis quæst. prima.* & hîc, quibus nititur Suarez *lib. 5. cap. 3. num. 7.* Idem de filiis dicendum probat S. Doctor *fundamento primo & secundo*; quia homines erant eo statu naturaliter propagandi per generationem, vt ostendi *quæst. 1.* cum Seraphico: Sic enim Deus instituit genus humanum dicens: *Masculum, & fœminam creauit eos; & dixit: Crescite & multiplicamini, &c.* Neque poterat generatio continuari per solum Adamum, & Euam, qui erant transferendi ad gloriam. Oportebat igitur esse masculos, & fœminas exequentes præceptum, &c. De quo *quæst. 2. in calce* dictum est.

Ex quo colligit S. Bonauentura *ad primum,* 17.
fœminam non esse per accidens productam, vt dicunt aliqui ex Aristotele *primo Phys. tex. 81. & 2. de Generat animalium, cap. 4.* Probatur à D. Bonauentura *in fundamentis*, quia fœmella simpliciter est necessaria ad finem summè à natura intentum, idest, conseruationem speciei: Ergo est primò intenta etiam fœmella; Sic ait Deus: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus adiutorium simile sibi.*

Imo addit S. Bonauentura, fœminam tempore 18
Innocentiæ futuram ex intentione, non modò naturæ vniuersalis, sed etiam directè ex intentione personarum generantium, quod sapienter explicat idem S. Bonauentura, vt notat Suarez *num. 10.* nempè, quia

quia intentio generantium futura erat recta ad conseruationem speciei, & generatio subesset eorum voluntati rectæ. Ideò voluissent etiam Fœmellas gignere; & ipsi nouissent ea, quæ necessaria sunt, *verbi gratia*, electio lateris dexteri ad masculum, quia est validius ob communicationem cum hepate: electio ciborum producentium semen calidius ad Masculos; minus calidum ad Fœmellas gignendas, obseruando influentias cœlorum, ventorumque varietatem. Nam Aquilo ad mares; Auster ad Fœminas gignendas prodest. Denique etiam imaginatio prodest, vt ex *Genes.* 30. probat S. Bonauentura, & Pererius *lib.* 4. *in Genes. disp. de hac re, quæst.* 3. ac Bartholin. *lib.* 1. *cap.* 22. vsus rationibus S. Bonauenturæ.

19 Ad Aristotelem respondet S. Bonauentura, Fœminam non asseri mancam ab Aristotele, sed respectu viri, imperfectam; ita tamen, vt in genere Fœminæ sit perfecta, & intenta: Hæc, & alia habet Suarez à *num.* 9. ex Diuo Bonauentura deducta.

Ad quæstionem verò S. Doctor asserit, futuras æquales filiorum multiplicationes quoad sexum. Idem sentit D. Thomas *loc. cit.* & *quodlibet.* 3. *art.* 25. & *in* 2. *dist.* 20. *quæst.* 2. *art.* 1. *ad primum* Richard. *art.* 2. *quæst.* 1. Aureolus *art.* 2. Ægid. *quæst.* 2. *art.* 1.

Fundamentum huius assertionis multa complectitur principia. Primum est D. Bonauenturæ *in corpore*, sumptum ex fine; Cum enim distinctio sexuum esset ob humanam generationem ad multiplicandum generis humani indiuidua, maximè ob beatitudinem, & illa multiplicatio ad omnes spectaret, & hoc intra limites legis matrimonij, in qua non esset Polygamia, necesse erat multiplicari in sexu æquales, quia nulla mulier careret viro, nec vllus vir muliere; seruarent enim in eo statu præceptum: *Crescite, & multiplicamini*, vt ait S. Bonauentura *in corpore*, nec plures haberi possent.

20 Polygamiam enim, seu pluralitatem vxorum, simul viuentium, non esse futuram probatur; quia nunquam per se licita fuit, sed ex Diuina dispensatione, vt habetur *in cap. Gandemus, de diuortiis*: Neque erant plures necessariæ, cùm omnes essent fœcundæ, & per plures annorum centurias viuentes, possent generare, incipientes ab adolescentia ob perfectionem materiæ: Ergo.

Confirmatur: Nam præceptum de vna vxore est iuris naturalis ob seruandam iustitiam inter virum, & vxorem; sicut enim vxor est viri, ita vir totus vxoris. Ad hoc videtur alludere dicens, Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem, &c. Et adhærebit vxori.* Itaque fundamentum Diui Bonauenturæ est solidum, vt fatetur Suarez *num.* 16.

21 Secundum est, quod semper vnus esset, existente etiam altero, ita vt, vno translato, etiam coniux transferretur, quod si pluribus, *verbi gratia*, viris translatis, remanerent fœminæ plures vni, hoc sanè dedecens esset eum statum; quod si transferrentur tot viri, quot mulieres, adhuc necessarius esset æqualis numerus, quod Suarez non aduertit. Adde, secundas nuptias minus esse decentes etiam in hoc statu; Ergo minus decebant statum innocentiæ: nec viduitas videtur eum statum decere.

22 Ex his fundamentis solidis, non labilibus, vt carpunt Arriaga *num.* 21. & Suarez *num.* 22. deducitur conclusio hæc: ergo fuissent tot masculi, quot Fœmellæ.

Quod si dicas, potuisse in eo statu homines peccare, fornicari, & sic plures habere concubitus vagos.

Respondetur primò, naturam non fore tunc in statu innocentiæ; atque adeò nec futuras copulas aptas ad filiorum aptam generationem, forent enim cæci, petulantes, &c.

QVÆSTIO V.

An iidem in statu innocentiæ essent generandi, qui nunc.

Aliqui Diuinam prædestinationem considerantes dixere, eosdem omninò futuros fuisse in eo statu, qui & nunc. Quoniam verò non videtur credibile, tot reprobos futuros in eo statu, addunt alij, omnes fuisse futuros prædestinatos. Ita refert, & applaudit Bassolis *in* 2. *dist.* 20. *quæst.* 2. Addit Scotus *in* 2. *dist.* 20. *quæst.* 2. eos solos, qui saluandi sunt, futuros, durante Adamo in innocentia; eos verò, qui nunc damnantur, non fuisse futuros. 23

Alii verò executionem prædestinationis perpendentes, quam ab æterna prædestinatione variari credunt, dixerunt, Adamo perseuerante, non fuisse eosdem homines generandos, qui nunc sunt, sed alios numero. Videtur D. Thomæ *quodlib.* 5. *art.* 8. Et inclinant maior, & Capreol. *in* 2. *dist.* 20. & aliqui moderni, inter quos Valentia *disp.* 7. *quæst.* 5. *puncto* 1. *ad finem.*

Alii dicunt, animas futuras easdem, saltem maiori in parte. Ita Suarez *lib.* 5. *cap.* 4. molina *de operibus sex dierum, disp. vlt.* referens Gregorium, & Adamum apud Capreolum *in* 2. *dist.* 20. *art.* 3. *ad vltimum.* 24

Sententia, mihi perspicui, Seraphica *in* 2. *dist.* 30. *quæst.* 2. est, easdem futuras animas. Ratio eius, qua vtitur Suarez *num.* 10. & Arriaga *num.* 30. est, quia Adam institutus est Caput totius humani generis; ita vt eo perseuerante in accepta innocentia transfunderetur in omnes, ac singulos filios; eo verò elabente, omnes ac singuli filij nascerentur filij iræ: Non est autem credibile, Diuinam prouidentiam, quæ exactissima est, distribuisse hæc dona; hasque pœnas in genere, & in confuso; aut aliis præparasse Dona, stante Adamo, aliis pœnas, Patre labente; quamuis enim in hoc non inueniam euidenter iniustitiam, ea tamen est impropria, & indigna Dei prouidentiâ. 25

Timent aliqui hac vti ratione, quasi nimis probet, nempe, futura quoque eadem corpora, eò quòd ad ea etiam Iustitia originalis suas gratias diffundat; & reitas pœnas effundat; attamen facilè est respondere, non sequi hoc necessariò: quia, sicut anima principalis est in participatione donorum; ita etiam in passione pœnarum, atque adeò ex ea mensurandum est pactum. Fateor enim, corpora non futura eadem, quia ex diuersis concubitibus, diuersisque parentibus oriundi erant, vt notat etiam D. Thom. *loco citato.* 26

Neque verò timendum est, ne hoc, vel illo corpore disposito variis modis, variæ etiam animæ requirantur infundendæ; quia, cùm anima non sit propter corpus, sed corpus propter animam; sicut materia est propter formam, non è contra; aut Deus ita adaptat corpora, sicut vult infundere animas 27

animas substantialiter diuersas numero, vt dixi *Tract. de anima, disp.* 1. *quaest.* 10. Vel dic, liberè Deum, posita qualibet dispositione organica, creare atque infundere animam. Quæ cum ita sint, non satis sufficiens ratio adducitur, cur talis anima in tale corpus infundatur ex tali dispositione organorum; sed hanc determinationem à libera Dei voluntate agnoscere libet, vt probat etiam Suarez *disp.* 5. *Metaphysica, sect.* 6. *num.* 6. *& seq.* & *hic num.* 9.

QVÆSTIO VI.

Vtrum in statu Innocentiæ generarentur HOMINES *perfecti secundùm corpora.*

28 SVPPONO certissimè, generandos homines cum omnibus partibus similaribus, ac dissimilaribus, sensibus, facultatibusque perfectis, vt docet D. August. *lib.* 1. *de peccatorum merit. & remiss. cap.* 37. *&* 38. & post eum D. Bonauentura *dist.* 20. *dubio.* 8. Suarez *lib.* 5. *de statu hominum, in innocentia, cap.* 5. cum D. Thom. *p. p. quaest.* 96. *art.* 3. *& quaest.* 99. *art.* 1. *ad* 1. defectus enim talis integritatis est pœna.

QVÆSTIO est: Dareturne eis magnitudo, aptitudo ad currendum, &c. paulatim successiuè, vt nunc.

ASSERO affirmatiuè.

PROBATVR à Suarez *num.* 4. *& sequentibus,* ratione D. Bonauenturæ, quia homines nascerentur, propagarentur, crescerentque modo naturali; sed modus naturalis in nostro casu est, vt fiat primò infans; deinde puer, &c. Ergo. Minor probatur; nam tunc egerent cibo, potu, &c. Ergo. Quare aliter fieri, aut monstrosum esset, aut miraculosum concipi tantum puerum, &c. Ita & Arriaga *disp.* 43. *sect.* 6.

29 OBIICIES D. August. *loco citato* docet: *Quamquam etiam ipsa tanta carnis infirmitas nescio quid quantum arbitror pœnale demonstrat.* Eum refert Magister.

RESPONDET S. Bonauentura, Magistrum ad nutum D. Augustini nil definire, sed tantùm inquirere, quam responsionem accipit Suarez *num.* 7. Addit S. Bonauentura, D. Augustinum loqui de infirmitate paruulorum, non quo ad ea, quæ patitur pueruli ætas, sed quoad ea incommoda nunc concomitantia illam, vt sunt ægritudines, gemitus, & alia, quæ pueruli patiuntur. Neque obstant verba sequentia, vt putat Suarez, solùm enim dicit, mouere videndo filios innocentes, nec posse ambulare, nec loqui: hoc enim dicit superaddendo prædicti, quasi aliqualiter moueat, videre infantes absque Solis pœnalibus infirmitatibus.

30 DEINDE subdit, potuisse Deum id facere, sicut fecit Euam perfectam ex costa Adæ, imò, sicut aliqua animalia generantur, quæ statim ac nata sunt, gradiuntur, vt patet legenti, nil tamen de facto dicit.

QVOD autem aliqua animalia statim nata gradiantur, oritur ex varia organizatione, quæ ad sui perfectionem tot dispositiones non requirit, sicut humana, vt notat D. Bonauentura *loc. cit.* At D. Aug. solùm proponit; cur firmitatem ab initio dederit bestiis quibusdam, non autem homini.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Pueri tunc nascerentur absque vsu rationis.

ASSERO affirmatiuè. Ita D. Bonauentura 2. *dist.* 20. *dub.* 9. D. Thom. *p. p. quaest.* 101. *art.* 2. Hugo de S. Victore *lib.* 1. *de sacram. part.* 6. *cap.* 26. Inclinat Magister *in* 2. *dist.* 20. vbi Durand. *quaest.* 4. *ad* 1. Suarez *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 11. Arriaga *disp.* 43. *sect.* 6. 31

PROBATVR à D. Bonauentura ratione, quam sequuntur allegati Theologi; quia tunc fuisset etiam naturalis ordo generationis; at carentia vsus rationis venit ex ordine naturali generationis; prouenit enim ex nimia humiditate Cerebri, in quo, cum sint sinus Phantasiæ, non possunt imprimi species intentionales; sicuti videmus imaginem in aqua mota non relucere; cùm autem intellectus pendeat à phantasia, non potest pro ea ætate discursu, & ratione vti. Neque possumus cum fundamento miraculum inducere.

OBIICIES primò. Anima non alteratur in tempore. Respondet S. Bonauentura alterandam ratione corporis, & in se etiam alteratione perfectiua. 32

OBIICIES secundò. Deus fecit animam Adæ perfectam scientiâ: Ergo etiam fecisset animas filiorum.

RESPONDET S. Bonauentura, filiorum animas fore perfectas quoad habitus, non quoad vsum actualem, considerationemque propter organi ineptitudinem, sicut etiam non habent dormientes. Vnde, sicut paruuli baptizati habent virtutes in munere; non in vsu, vel actu, sic dicendi sunt paruuli illi habituri scientiarum habitus, donec temperato cerebro eis valerent vti: Idem docet S. Doct. *dist.* 23. *art.* 2. *quaest.* 1. in calce, contra Pererium.

QVÆSTIO VIII.

Quibus cibis Homines, cæteraque Animalia nutrirentur in statu illo.

SVPPONO ex dictis *disp.* 1. *quaest.* 12. Adamum ex Dei præcepto comesturum de fructibus Paradisi. Suppono etiam, infantes tunc nutriendos lacte, ob rationem S. Bonauenturæ suprà allatam, quia nutriendi erant modo naturali: at pueri tales; sunt, quibus lacte opus est, non solido cibo, vt dicit Apostolus; Ideò & mammæ datæ sunt mulieri ab initio. 33

ASSERO primò, adultos nutriendos fore etiam fructibus Paradisi. Sic enim dictum est Genes. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.* Qua authoritate vtitur ad hoc Suarez *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 3. addens illam Genes. 1. *Præcepitque ei dicens: de omni ligno Paradisi comede*; ex quo sequitur, præceptum illud (quod meram concessionem putat Suarez, vt dixi *loc. cit.*) extensum etiam ad posteros. 34

ASSERO secundò, non vsuros carnibus. Hæc est sententia communis antiquorum PP. Basilij, Bedæ, &

& aliorum *in Genesim.* Anastasij , Nysseni *in quæstionibus sacr.quæst.*24. ex Nemes. *de natura hominis, cap.* 1. Abulens. *in cap.* 13. *Genes. quæst.* 228. Et aliorum Theologorum, ex quibus D. Bonauentura *loc.cit.* nam si factum est præceptum de comedendis herbis , &c. videntur alligati primi Homines,ne carnes comederent.

Qvamvis autem ex mera concessione olerum non inferatur,vetitas fuisse carnes;attamen ex præcepto solidiùs infertur, si addas, non fuisse carnes necessarias, vt dixi *disp.*1. *quæst.*13. Vnde ex hoc arguitur , homines primos non fuisse vsuros carnibus, quia fuisset vsus carnium inordinatus , & contra naturæ , saltem ac iustitiæ originalis rectitudinem.Ita etiam Arriaga *disp.*43.*subsect.*2.

35 Dices Scriptura includit in decreto edendorum olerum etiam animalia : Ergo neque bestiis carniuoris licuisset carnibus vesci.

Propter eum locum multi negant, bestias vsuras carnibus. Ita Basil. *homil.* 15. *Hexaëmer.* Beda *ibi in Hexaëmer.* Rupert. *lib.*2. *cap.*10. Abulens. 13. *Genes. quæst.* 272. Torniellus 1. *Tomo Annal.ætate* 1.*die* 6. Pererius *lib.*4. *in Genes.in disput.ad.vers.*29.

Oppositvm docet D. Thom. *quæst.*96.*art.*1. *ad* 2.Caiet.& Ystella *ibi.*Abulens. *in cap.*1.*Genes. quæst.*3.Vide Suarez *lib.*5.*cap.*6.

36 Ratio est S.Bonauenturæ adducta *quæst. præcedenti* , quia nutritio animalium fuisset modo naturali ; maximè autem verum est vniformiter id faciendum à bestiis, in quibus non est facta mutatio; at sunt quædam animalia carniuora , quæ habent intrinsecè appetitum ad tales cibos : Ergo. Hac ratione vtitur etiam Rodericus Arriaga *disputatione* 43.*subsect.*3.

QVÆSTIO IX.

Quod genus vitæ politicæ Homines *tunc exercerent.*

D.Bon.in 2.dist.44.art.2. quæst.2.
D.Thom.p.p.q.96.art.4.

37 Iam, *disp.*1.*quæst.*22. ostendi,futurum in eo statu aliquod aliquorum dominium.

Et quidem,filios Adæ in statu innocentiæ in aliqua domestica societate passim conuicturos , vt vir cum vxore,& filij cum parentibus habitarent, certo patet ex ipsa constitutione matrimonij,quam Adam etiam in statu innocentiæ cognouit ; & de hoc infrà ponam argumentum primum *assert. primæ.* Suppono etiam inuicem habitaturos in aliqua Vicinia, seu in aliquo Pago , vt cum Aristotel : loquar , *primo polit. cap.* 1. siue in domibus, siue sub dio , absque tamen vicissitudine dependentiæ.

Qvæstio autem est : An esset futura mutua societas in forma Monarchiæ , aut Aristocratiæ, aut Democratiæ , quæ est vnio cum aliquo pacto iuuandi se inuicem , & cum subordinatione ad gubernatores,aut Regem.

38 Assero primò , futuram conuentionem Politicam in statu innocentiæ. Ita SS. DD. hîc , vbi Caiet.*ad art. D. Thom.* Lippom. *in Catena Genes. cap.*9. Pererius *lib.*4.*in Genes. disp. de imperio hominis.* Suarez *lib.*5. *cap.*7. Arriaga *disp.*43.*sect.*2. Valentia *disp.*7.*quæst.*3. in fine.

Probatvr à D. Bonauentura primò ex illo Genes. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram : & præsit,&c.*

Dices, concessum fuisse imperium tantùm super alia animalia , & alias creaturas inferiores, ex D.Aug.19. *de ciuitate Dei*, vt refert D. Bonauentura *argumento* 2.*ex secundo loco.*

Contra arguit S. Doctor ex *secunda Corinth.*12.vbi dicitur ; *Caput mulieris vir*,cum ergo caput debeat præcedere corpori ; sequitur, futuram aliquam subordinationem inter homines , ita vt vir familiæ dominaretur ad bonum regimen, atque hinc colligitur probabiliter , ad eiusdem regiminis firmitatem dandum esse caput etiam super plures familias,quod politicè gubernaret, vt notat S. Bonauentura *in corpore,& ad primum.*

Probatvr à D. Bonauentura secundò. Perfectior est societas Angelorum , quàm hominum etiam in statu innocentiæ ; Sed inter Angelos est societas cum subordinatione inter se,vt ait D.Dionysius : Ergo.Hoc argumento nititur etiam Suarez *num.*6. 39

Arriaga *num.* 12. dicit , incertum esse : an inter Angelos fuerit vnquam talis societas subordinationis. At Apocal.12.dicitur : *Michael præliabatur, & Angeli eius* ;at quo pacto dicerentur Angeli Michaëlis, pugnante Michaële, pugnasse, nisi ipse eorum esset Dux ? Hoc argumentum sensit Arriaga *num.* 15. & impulit ad probabilitatem rei confitendam. Imò *Tract. de Angelis, disp.*4. *sect.*3. *num.* 17. fatetur ex D. Dionysio *cap.*9. dari iurisdictionem alicuius Angeli in alios. Insuper Principatibus sine controuersia concedit iurisdictionem in alios inferiores. Idem concedit in cæteris inferioribus , quod etiam S. Bonauentura *in corpore* adnotauit. 40

Probatvr tertiò à D. Banauentura:Quod est alicuius dignitatis, nec aliquam indecentiam secum fert, & conuenit statui naturæ lapsæ ; multò magis conueniret institutæ ; sed hæc subordinatio vnius sub regimine alterius , est huiusmodi : ergo. Minor probatur : Nam,vt dixi, conueniebat etiam vxori respectu mariti ; tempore naturæ institutæ, vt supra dixi,& Adam confitetur Genes.2. *Propter hoc relinquet homo, &c.* Hæc ratio assumitur etiam ab Arriaga *num.*14.fatetur verò S.Bonauentura *ad tertium*,dominium seruitutis arguere indignitatem, vt dixi *quæst.*22. *cit.* initio. 41

Probatvr quartò à D.Bonauentura : Quod confert ad conseruationem ordinis naturalis , pertinet ad institutionem naturæ : talis est subordinatio allata : Ergo. Minor probatur ex Diuo August.15. *de ciuitate*, *cap.* 16. vbi ait : *pœnalis seruitus ea lege ord natur, qua naturalem ordinem conseruari iubet, & perturbari vetat*:Sed ad idem ordinatur potestas dominandi : Ergo,&c.Confirmatur, nam iucundum est simul conuenire , & secundùm naturæ appetitum,& vnum ab altero suauiter emanare, erudiri,dirigi ; non enim omnes essent æqualis eruditionis,&c.Neque sufficienter à parentibus tantùm erudirentur omnes , vt putat Arriaga *num.* 13. nam sæpe vnus extraneus egeret erudiri ab alio extraneo sciente id , quod pater eius ignorasset.

Hinc igitur sequitur , fore, vt in statu innocentiæ esset dominium iurisdictionis , seu gubernationis , latè iurisdictionem intelligendo , quale est in Principe directiua respectu subditorum , quia hæc 42

hæc ad conseruationem naturæ facit, vt notant D. Bonauentura, D. Thom. hîc, & Suarez *num.* 12. Neque hæc iurisdictio esset molesta, cùm non esset coactiua, sed tantùm directiua ad maius bonum.

Hæc tamen iurisdictio non oritur immediatè ex ipsa politica vnione in communitatem eo modo, quo ex natura rei, statuto matrimonio, conuenit vxori subiici marito, & nato filio obedire parentibus: sed iurisdictio, ipso iure, conuenit communitati: at verò statuere adhuc determinatam personam; oportet vt ei iurisdictio conueniat.

43 Assero secundò, non futurum dominium proprietatis, quod potestatem confert in personam subiectam, tanquam seruam, ad vtendum persona serui in omnem conuenientem vsum, & vtilitatem eius. Ita SS. DD. & communiter.

Probatvr primò à D. Bonauentura ex D. Gregorio 21. *moral. cap.* 10. secundò ex D. August. 19. *de ciuitate, cap.* 15. qui ponderat, primò seruitutem incepisse, cùm Noë maledicens nepoti, eum seruum constituit fratrum. His authoritatibus nititur Suarez *num.* 10. Alias authoritates Diui Augustini infrà addit S. Doctor, quem vide.

Probatvr tertiò à D. Bonauentura, quia, quod naturæ repugnat, non est secundum statum aureum naturæ; sed seruitus est talis; nam repugnat executioni liberi arbitrij, quod est potestas naturalis, & eâ priuari magna pœna est. Status verò innocentiæ careret omni pœnalitate: ergo. Et de hoc dominio locutus est Dominus, quando illud contulit homini in bruta animalia, non in homines, vt docet D. August. 19. *de ciuitate*, vt notat D. Bonauentura, *argumento secundo citato*, quem sequitur Suarez *num.* 10. vbi hac ratione S. Bonauenturæ innititur.

44 Si qvi verò hominum peccarent, possent in seruitutem redigi, & in ergastula.

An verò in eo statu esset rerum diuisio; multi diuersè loquuntur.

Commvniter negant. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 1. Soto, & alij de Iustitia, & iure post D. Clementem I. *epistola* 5. & habetur *in cap.* 12. *quæst.* 1. Chrysostomus *oratione de S. Philogone*, vbi *meum*, & *tuum*, frigidum verbum, incentiuum omnium malorum appellat. Eadem ferè habet Ambrosius *lib.* 7. *in Lucam, cap.* 12. De hoc tamen nullum præceptum extitisse tenet Lessius *de Iustitia, lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 2. Suarez *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 18. qui tamen ita explicat, vt in contradictionem videatur consentire, vt notat Arriaga *disp.* 43. *sect.* 2.

45 *num.* 18. Videtur tamen aliqualiter admittenda, vt si aliquis collegisset fructus, certè in eos habuisset ius; vel si domicilium extrueret, non posset alius eum expellere, vt notat Arriaga. Hæc est opinio D. Bonauenturæ *in Opusculis de Paupertatis natura, & statu.*

QVÆSTIO X.

An Pueri in eo statu nascerentur Sancti.

Assero primò, paruulos nascituros fuisse cum Iustitia originali, quæ sanè differt à gratia Sanctificante, vt ostendi *disp.* 1. *quæst.* 19. 46

Probatvr à D. Bonauentura *in* 2. *dist.* 33. *quæst.* 1. *in corpore*, & *art.* 2. *quæst. vlt. ad vltimum*, & *in Prologo tertij*, & alibi sæpè. In eo statu nascerentur filij, à quo per Adam ceciderunt; sed per Adam ceciderunt à statu innocentiæ, qui immortalitatem, & fœlicitatem naturalem, aliaque dona relata *quæst.* 29. *disp.* 1. concludebat: Ergo non peccante Adamo, nati fuissent in statu innocentiæ, constituto per iustitiam originalem. Maior est Apostoli Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit*; quem locum exposui *quæst.* 25. *disputationis primæ.* Maior verò probatur, quia statum oppositum per peccatum sortiti sumus; sicut enim in Adamo eramus secundùm vnum statum, illo permanente; ita in illo ad alium statum oppositum eo cadente, vt dixi *disput.* 1. at Iustitia originalis opponitur peccato originali, quod est carentia iustitiæ debitæ, vt dicam *prima* 2. *disput. de peccato originali*, cum D. Bonauentura Hac ratione vtitur Arriaga *disp.* 43. *sect.* 3. *num.* 21.

Assero secundò, filios Adæ habituros gratiam etiam sanctificantem à natiuitate, contra Hugonem. 47

Probatvr à Suarez *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 2. quia nunc homines generantur in peccato, propter peccatum Adæ: Ergo, Adamo non peccante, homines non conciperentur in peccato: Ergo, conciperentur in gratia. Antecedens est Apostoli *Rom.* 5. allegati suprà. Prima consequentia patet; nam remotâ causâ, remouetur effectus. Secunda consequentia probatur, quia secundum ordinariam Dei prouidentiam non datur status medians inter statum gratiæ, & peccati. Secundò, quia non datur status peccati absque priuatione gratiæ sanctificantis. Hæc ratio placet etiam Arriagæ, *num.* 20.

Est tamen friuola; nam falsa est secunda consequentia, daretur enim pro statu innocentiæ status medius, idest, rectitudo originalis iustitiæ; neque peccatum originale consistit formaliter in priuatione gratiæ sanctificantis, sed rectitudinis originariæ, iustitiæ debitæ, cui formaliter opponitur culpa originaria, vt notat S. Bonauentura, initio adductus. Quòd verò peccatum originale sit cum carentia, etiam gratiæ sanctificantis, & non detur nunc aliquis in peccato mortali, & inimicus Deo, qui non sit priuatus gratia; hoc tantùn facit, vt gratia aliquo modo consequutura esset iustitiam originalem, ex pactis Dei; at verò quòd in eodem instanti, vel simul esset, non sequitur; sicuti non fuit primò, in Adam, vt ostendi *disp.* 1. *quæst.* 22. Et hoc tantùm probant ex Concil. Arausic. II. *cap.* 19. dicente, Nos perdidisse in Adamo, & per Adamum stolam animæ, quæ in nobis per Christum reparatur; & Concil. Trid. *sess.* 5. *cap.* 2. dicente, Adamum peccando, non sibi tantùm, sed etiam nobis sanctitatem, 48 49

tatem, quam acceperat, perdidisse; & ideò peccatum, quod mors est animæ, in posteros transfudisse; quem locum discussi *quæstione citata.* Vnde non sequitur, in primò instanti illis infundendam gratiam, licet in primo instanti nos contrahamus originis labem.

INSTAT pro hac consequentia Suarez *num.* 4. quia oppositorum eadem est ratio, & pronior est Deus ad gratiam, quam ad pœnam. Nec potest ratio differendi gratiam inueniri.

50 RESPONDET, gratiam, & peccatum originale non esse propriè opposita, vt dixi. Ad id, quod de Diuina liberalitate opponitur. Respondet Diuus Bonauentura *in secundo, distinctione* 29. *articulo secundo, quæstione secunda ad vltimum*, Diuinam liberalitatem esse in ordine cum sapientia, & iustitia ideò neque Adæ in primo instanti dedit gratiam sanctificantem, quia maiorem idoneitatem expectabat. Posset igitur dici, dari in primo instanti vsus rationis, in quo per auxilium gratiæ, se homo præpararet.

51 INSTAT Suarez, sequi ex hac responsione, hominem non contrahere originale vsque ad vsum rationis, in quo non se ad gratiam disponet; neque ad id auxilium recipiet propter peccatum Adæ. Secundò sequitur, eos, qui in primo instanti rationis disponuntur ad gratiam, non contrahere peccatum originale.

RESPONDETVR tamen, has sequelas ex falso fundamento Suarezij esse inductas; putat enim Originale esse formaliter carentiam gratiæ sanctificantis, quod est falsum; est enim carentia Iustitiæ originalis, vt dicam *prima secunda, disput. de peccato Originali.* Iustitia autem originalis distincta est à gratia sanctificante, vt dixi *loco* suprà *citato*.

EODEM modo soluuntur PP. testimonia, deducta ex eo, quod Adam sit creatus in gratia; hæc enim sunt pro nobis explicita *disputat.* 1. *quæstione* 19. Quod si Adam non fuit in gratia creatus: Ergo non sunt filij melioris conditionis.

52 QVOD enim dicunt SS. PP. nos recuperare per Christum, quod in Adam perdidimus; recuperamus autem gratiam; & filios nascituros iustos, Adamo non peccante, non probant, nos id acquirere à natiuitate, sed in Baptismo, qui sæpè datur in ætate adulta: Nullus autem PP. ait, nos recuperare à natiuitate, nec potest dicere, cum id pendeat à Baptismo. Imo cùm gratia per Christum superabundet delictum, in quo amissa sunt bona, vt sæpè Apostolus ait *ad Rom.* & Sanctus Bonauentura *Prologo tertij sent.* & ipse Suarez *in tertiam partem*; *Tom. primo*, & *cæteris*, repetit; potiùs sequitur, quod si aliquibus pueris per Christum gratia sanctificans datur in infantia, non esset danda in eo statu.

53 FATEOR, filios nascituros iustos iustitiâ originali, sed non gratiâ sanctificante, perfectâ iustitiâ imbutos. Neque tunc daretur gratia ex merito Adæ, cum in hoc non sit CAPVT, vt notat Suarez *num.* 6. Neque ex meritis CHRISTI qui non fuisset incarnatus; vt dicam 3. *parte, disp.* 3. *quæst.* 1. Vnde malè Arriaga *num.* 20. arguit, dandam gratiam sanctificantem infantibus à conceptione, quia sicut Deus constituit Adamum Caput hominum, vt si ipse peccaret, filij contraherent peccatum Originale; ita connaturale fuit, vt constitueretur Caput in hoc, vt si non peccarent po[...]ri quasi contraherent iustitiam idest, gratiam sanctificantem, & idem de habitibus supernaturalibus dicendum.

54 PROBATVR ergo firmiori argumento, quod est Diui Bonauenturæ *in* 4. *dist.* 4. *part.* 2. *quæst. vltima ad vltimum.* Paruuli enim, statim concepti, debebant esse apti, ad gloriam, ad quam requiritur, tanquàm necessaria dispositio, gratia sanctificans: Si enim solam habuissent Iustitiam originalem, non fuissent ad gratiam apti, & absque culpa multo tempore durare debuere; ideò debebant esse ornati stola gratiæ ad finem supernaturalem, cui gloria respondet. Imò vrgeo alio argumento, deducto ex Diuo Bonauentura *in* 2. *di[st].* 20. *dub.* 6. *litt.* Nam infantulus habuisset habitus scientiarum infusos, qui iustitiæ originalis sunt partes, vt dixi *disp.* 1. *quæst.* 23. & 24. habuisset autem eam ab initio, etiam sine vsu, vt dixi *quæst* 7. Ergo multò magis gratiam, quæ tunc erat fini salutis necessaria.

55 HOC tamen male negat Suarez *num.* 17. Arriaga *numero* 22. At Richardus *distinctione* 20. *quæstione quarta*, est cum Diuo Bonauentura.

CONFIRMATVR à Diuo Bonauantura *in* 2. *dist.* 10. *dub.* 6. quia Deus in iustitia originali constituit Adamum Caput hominum, vt docent Concilia allata, sed nos ex hoc deducitis, quòd, cùm iustitia originalis contineat, secundùm vera fundamenta, gratiam sanctificantem, quæ vti non poterant ad actus, hanc etiam infusam à conceptione: Ergo ex eo quòd continet etiam scientias, idem de his dicendum.

Ex quo ruit effugium Suarez *num.* 20. Arriagæ *num.* 22. dissimilem esse rationem inter Adam, & posteros; tum quia Adam creatus est in ætate adulta, & carere scientiis, fuisset indecorum, probrosaque esset ignorantia; at pueri non egent scientiis ea ætate; tum quia Adam creatus est, vt Doctor aliorum. Tandem de Adamo habemus scripturas id asserentes; non sic de filiis.

56 ENIM verò hæc sunt inania; Et quidem, cùm filij essent hæredes iustitiæ originalis, tanquam membra è capite, debuit eis concedi etiam scientiarum multitudo, quæ, nisi essent infusæ, debuissent labore acquiri à pueris; scientiæ enim includuntur in priuilegio iustitiæ originalis, vt dixi *disp.* 1. *quæst.* 19. *Assert.* 3. Neque verò Adam erat constitutus omnium Doctor, sicuti neque omnes regere potuisset, & eorum Princeps non est constitutus, vt fatetur Suarez *cap.* 7. *num.* 14. licèt eum eligendum diuinet. Tandem

57 omnes scripturæ, & PP. authoritates definientes, Adam constitutum Caput, per quod deriuarentur & iustitia, & peccatum, etiam inferunt, deriuanda esse priuilegia iustitiæ originalis. Tandem ignorantia est pœna peccati. Ecquis autem negabit, futuros tunc filios tanquam tabulas rasas, & idiotas?

57 QVAMVIS enim faciliùs, quam nos acquirerent scientias; attamen multo tempore essent ignari; ex quo ruit etiam responsio Perrerij, *lib. 5. in Genesin, disputatione de excellentia status innocentiæ, quæstione vltima.* Alioqui autem scientiæ forent ornamento animæ pueri, vt statim, ac vsum rationis attingerent, doctissimi essent, ac possent scientiis vti; sicuti etiam, licèt non vtantur virtute fidei, & spei, tamen ab infantia in Baptismo recipiunt harum virtutum habitus, vt notat Diuus Bonauentura *loco citato.*

58 NEQVE satis assignat Suarez *cap. 8. num. 17.* disparitatem, ex eo, quòd fides est fundamentum, sine quo gratia non infunditur; & quia sine fide impossibile est placere Deo; nam etiam ad ornamentum infunditur fides, qua vti nequeunt infantes, & quia non possunt Deo per proprium actum placere. Deinde incedit eo falso fundamento, gratiam in primo instanti infundendam, quod supra est reprobatum.

QVÆSTIO XI.

Vtrum FILII ADÆ *nascerentur confirmati in gratia.*

59 NON agitur hic de illa Confirmatione, qua quis ita in gratia confirmatur, vt in ipsa consummetur, ac libertate peccandi prorsus careat Beatorum enim in patria fortunata hæc sors est: Sed de illa agitur confirmatione, qua cum super posse peccare, nunquam peccare contingat, Diuina ita perpetim assistente gratia.

PRIMA sententia est negatiua. Ita Diuus Thomas *p. p. quæst. 100. artic. 2. & quodlibet. 5. num. 8. & in 2. dist. 20. quæst. 2. art. 3. ad 5.* Vbi etiam Durandus *quæst. 5. num. 9.* idem indicat Ægidius *quæst. 2. artic. 4. §. Aduertendum. & ad 2.* Richardus *ibi artic. 2. quæst. 3.* Caietanus, Zumellus, Molina, Valentia ad eum *art. Diui Thomæ,* Suarez *lib. 5. de hac materia, cap. 9. num. 3.* Arriaga *disp. 43. sect. 4.*

60 SECVNDA sententia videtur Diui Bonauenturæ *in primo, dist. 40. artic. 2. quæst. 1. ad 2.* vbi ait, non futuram fuisse electionem bonorum à malis; sed bonorum à minus bonis, si homo perstitisset; vbi de Adamo videtur loqui. Sequitur Scotus *in 2. dist. 20. quæst. 2.* Gabriel *ibi, art. 1.* Maior *ibi, dub. vlt.* Bassol. *art. 3. & 4.* Perrerius *lib. 4. in Genes. quæst. de procreatione mulieris* ad ea verba: *Non est bonum hominem esse solum.* Hi aliquam inter se diuersitatem iniere; nam Scotus vult, non statim confirmandos in gratia, sed deuictâ primâ tentatione, sicuti etiam pater ipse Adam fuisset; & addit, solos electos nascituros eosdem, qui nunc sunt: Gabriel verò de hoc vltimo dubitat. Maior autem id negat; Bassolis tandem, & Perrerius cum Scoto incedunt, cui assistunt Mastrius *in 2. disp. 4. quæst. 2.* & alij discipuli.

ASSERO primò, homines fuisse confirmandos in gratia. 61

PROBATVR primò ex Diuo Gregorio *libro quarto Moral. capite 36.* aliàs 28. vbi ait: *Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios generaret Gehenna, seu Soli electi ab illo nascerentur.*

PROBATVR secundò ex Diuo Anselmo *lib. primo.* Cur Deus homo, *cap. 18.* post medium: *Videt enim, quod si vicissent, confirmarentur cum tota propagine sua, quod vltra peccare non possent. Quia nemo dicet, plus valere iniustitiam, ad alligandum in seruitutem hominem, in prima persecutione sibi consentientem, quàm valeat iustitia ad consumandum in libertate, sibi in eadem tentatione adhærentem.* Ex quo arguit sic Scotus: Sed per primam iniustitiæ persuasionem, tota natura victa est: Ergo per primam iustitiam tota etiam natura vicisset, & in libertatem perfectam vindicaretur.

RESPONDET Diuus Thomas ad Diuum Gregorium, eum tantum velle, non geniturum filios peccatores, qui sunt filij gehennæ. Sed geniturum, filios iustitia originali præditos; non tamen negare, quin hi possent postea fieri filij Gehennæ per propria peccata. 62

AT Diuus Gregorius non solùm dicit. *Nunquam ex se filios gehenna generaret,* verum addit: *Sed hi, qui nunc per redemptionem saluandi sunt, soli ab illo electi nascerentur,* vt notat etiam Suarez *numero nono.* Mastrius *num. 37.* dicens, nil clariùs dici posse.

RESPONDET secundò Diuus Thomas quod si fortè in eo statu filij non peccarent, non esset, quia in iustitia confirmati essent, sed ex Diuina prouidentia, per quam à culpâ præseruarentur.

CONTRA, quia sic fatetur nobiscum, eos nunquam peccaturos ex speciali dono Dei, quomodocumque vocetur, & sic nostram sententiam fatetur. 63

RESPONDET tertiò Diuus Thomas *quodlibeto adducto,* quod Diuus Gregorius vult, solos electos nascituros, non absolutè, sed vi originis.

CONTRA: nam Diuus Gregorius ait: *Soli electi nascerentur, eosque electos aspiciat (vtique vir sanctus:) atque cum eis quomodo quiescere potuisset, intendat.* Quibus vltimis verbis, testatur, se loqui de electis finaliter, ad quorum beatitudinem aspicere debemus, vt cum illis quiescamus, vt notat etiam Suarez, *loco citato.*

RESPONDET Valentia *disput. 7. quæst. 5. puncto 3.* Diuum Gregorium significasse, si neque Adam, neque posteri peccarent, solùm eos tales nasciturus, quales nunc per Christum Saluantur: Enim verò Diuus Gregorius non dicit: *si posteri non peccarent*; sed solùm. *Si Parens, &c.*

QVARE Suarez *numero 10.* & Molina *loco citato* ingenuè fatentur, Diuum Gregorium pro nobis esse. Idem confitetur Arriaga *loco citato, num. 27.* 64

AD Diuum Anselmum, respondet Diuus Thomas,

Thomas, illum locutum esse dubitando, & rationem eius non cogere; solùm enim concludit, quòd, sicut natura humana per primam inobedientiam Adæ in captiuitatem reducta est; ità per obedientiam in libertate conseruaretur; Attamen, sicuti per culpam Adæ non ita sumus alligati, vt non possimus in libertatem vindicari; ita etiam possemus originariam, seu hæreditariam iustitiam per idem arbitrium perdere; cum hoc tamen discrimine, quòd amissam iustitiam, non possumus solo arbitrio recuperare, quia bonum est perfectius, & fit ex integra causa, & malum ex quocumque defectu, & natura ad malum magis est potens, quàm ad bonum.

65 Enim verò Diuus Anselmus in hanc sententiam inclinat, vt patet. Ratio autem eius est valida, quia sic arguit: Non est validior iniustitia ad alligandum in seruitutem hominem consentientem, quam sit iustitia ad conseruandam hominis libertatem: Sed iniustitia ita alligauit, vt non posset liberum arbitrium vnquam recuperare iustitiam illam; neque ex Diuina misericordia esset recuperanda: Ergo & iustitia ita confirmasset, vt nunquam ex libero arbitrio, vel ex Diuina parcimonia esset amittenda. Quare Valentia concludit præferendo sententiæ Diui Anselmi, sententiam Diui Augustini.

66 Ex verbis Diui Anselmi ruit etiam ratio Diui Thomæ, quâ nituntur Suarez *num.* 4. Arriaga *numero* 27. Valentia *colum.* 1125. vbi optimam eam acclamat; nempè, quia homines illi fuissent viatores ab intrinseco liberi, mutabiles ad peccandum; neque ex aliqua authoritate constat, illis dandum hoc priuilegium sicuti datum fuit Apostolis in Pentecoste, ac B. Virgini in conceptione immaculata: Neque maior gratia debuit esse in filiis, quàm in parente, cùm non sit nobilior effectus, quàm causa. Adam verò, qui est causa originaria, nec fuit confirmatus in gratia, vt patet, quia peccauit mortaliter; neque fuisse confirmandum credibile est cùm generatim comminatum sit ei à supremo Domino: *In quocumque die comederis, morte morieris.*

67 Respondetur enim cum Diuo Anselmo, per iustitiam conseruatam homines non amissuros libertatem; imò eam perficiendam ad bonum, permanendo; nam posse ad malum, non est libertas; sed defectus libertatis, vt docui cum Diuo Bonauentura, & Diuo Anselmo, *Tractatu de anima, disput.* 9. *à quæstione* 12. neque ita est intrinsecum viatori, posse peccare, vt non posset illud posse per extrinsecam confirmationem ei adimi, sicuti patet factum in Beatissima Virgine, & Apostolis in Pentecoste; & de hoc habemus authoritatem Diui Gregorij, Summi Pontificis ac Doctoris Ecclesiæ, & Diui Anselmi. Quod verò non esset concedendum hoc priuilegium Adæ, asseritur ab istis Patribus. Genesis verò authoritas nil pro Valentia, vel aliis facit; non enim vult dicere, quoties replicata tentatio non fuerit à te deuicta, semper eris in eodem periculo, sed quanis die primò tentatus comederis, morte morieris. Itaque pronomen *quacumque* non distribuit vices peccatorum, neque aliud, sed assignat executionem sententiæ immediatè post peccatum; & hoc non gratis, sed authoritate illorum Patrum sic explicandum. Quidquid dicat Suarez *num.* 7. Valentia *colum.* 1125.

Adversariorum Achilles est Diuus Augustinus *lib.* 14. *de ciuitate Dei*, *cap.* 10. vbi ait: *Quàm igitur fœlices erant primi homines; tam felix vniuersa societas esset humana, si neque illi malum, quod etiam in posteros trajicerent, nec quisquam in eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet.* Vbi satis apertè vult, potuisse homines, filios Adæ peccare. Idem habet *lib.* 1. *Retract. cap.* 13. ad finem & *lib.* 9. *Genes. ad litt. cap.* 3. dicens, omnes in vitam beatam transferendos fuisse, *si iustè omnes, obedienterque viuerent.* Vnde Hugo de Sancto Victore *lib. primo de Sacramentis*, *part.* 6. *cap.* 24. ait: *Si Adam non peccasset, filios eius in iustitiâ nascituros*, sed non perfectâ, donec in finem eam seruarent. 68

Respondetur, Diuum Augustinum in *primo loco* solùm velle, filios Adæ non perturbandos, manentes in gratia, in qua non audet eos certò confirmatos asserere, cùm hæc securitas certa (præcisa reuelatione) in patria solùm possideatur certò, & de hoc certum sit, nam etiam in via poterant esse confirmati in gratia, nec tamen id ipsi certo scire; atque adeo solliciti esse, vt sic cautiores incederent, sed non esset sollicitudo pœnalis; neque tamen dicit definitè Diuus Augustinus, eos potuisse peccare. 69

In libro autem *Retractationum*, solùm de peccato primorum Parentum, ac deriuatione in posteros per originem loquitur; & ideò ait: *Si in parentibus, & in filiis felicitas mansisset vsque ad certum sanctorum numerum, quem prædestinauit Deus, nascerentur homines non parentibus successuri morientibus, sed cum viuentibus regnaturi*; nempè, vt supra dixit id futurum, *Si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura.* Ex hoc igitur loco, in quo Suarez vult, Diuum Augustinum loqui de peccabilitate filiorum, habemus, eos permansuros, in gratia, quam ab initio accepissent; nisi vitiati forent ab Adami magno peccato. Ideò pro nobis stat Diuus Augustinus. 70

Locus verò *de Genes. ad litteram* nil fauet aduersariis; nam postquam dixit, omnes etiam filios perducendos ad gloriam, si obedienter viuerent, subdit: *Potuit hoc fieri, si non præcepti transgressio mortis supplicium mereretur*; quasi ex solo Adæ peccato, vel innocentia eius, totum hoc esset dependens. 71

Ex his concludo, probabilius esse, cum Diuo Bonauentura, nascituros Solos electos non dependenter à prima singulorum victoria de prima tentatione, vt clarè docet Diuus Gregorius; imò etiam Diuus Anselmus, vt notat Arriaga *loco citato* initio; ait enim *quod si vicissent*, idest, Adamus, & Eua coniuges, &c. *Confirmarentur cum tota propagine sua, quod vltra peccare non possent.* Itaque Scotus loquitur absque solido fundamento.

An verò futuri essent iidem, qui nunc sunt, hoc satis non probatur eâ Scoti ratione, scilicet, quòd prædestinatio facta est ante 72

præuisum peccatum originale: Hoc enim falsum est, vt dixi *Tractatu primo. Disp.* 21. *quæst.* 10.

73 PROBABILIOREM autem iudico sententiam nostram, etiam ob alias difficultates, quas aduersarij coguntur subire; si enim aliquis peccasset, quomodo subuenietur eorum redemptioni? quia Christus solùm post præuisum peccatum originale prædestinatus est, vt probabo *Tertia Parte, Tractatu de Incarnatione, disput.* 3. *quæst.* 1.

74 DEINDE, quonam modo potuisset cohabitare mater peccatrix cum marito iusto, & Infantulo iustitia prædito originaria? Dicere enim cum Arriaga *sect.* 5. *num.* 31. permansuros peccatores in Paradiso, repugnat experimento: nam Adam statim eiectus; est neque rationem vllam solidam diuersitatis affert. Alias difficultates, quibus inuoluuntur, vide in Suarez *lib.* 5. *cap.* 10. & Arriaga *loco citato*, qui perbellè his argumentis torquetur.

75 DICERE verò quòd priuari possent solùm gratiâ, & non Iustitia originali, vt colligitur ex Catherino *opusc. de pecc. orig. disp.* 4. *in fine*, maius infert incommodum, nam inde sequeretur, semel peccantes, pœnitentiam numquam acturos; nam corporum Impassibilitas, Immortalitas, & subiectio appetitus inferioris, aliaque Iustitiæ originalis iura ab omni pœna eximerent, & subinde ab omni pœnitentia; vel pœnitendo illa priuilegia amitterent: Vt enim ex duobus vnum sequatur, necesse est; quod si vltimum concedatur, sequeretur peccatum vnius aliis omnibus liquido patere; nam cùm Iustitiæ originalis status facile ex variis indiciis innotesceret, eâ priuatus, etiam ob peccatum internum, omnium censuris exponeretur; vel cito citius pœnitendo pristinum statum recuperaret; ac sic sciret vtrum amore vel odio dignus esset, dum experiretur modò se pati, modò impunem esse.

76 HIS rationibus non habet Suarez quod respondeat, nisi quod hominibus altum & difficile apparet, posse à Deo facilè componi, & conuenientem modum omnibus allatis casibus posse ab eo assignari; nam etiam si Eua sola peccasset, incertum, & insolubile est, quid de ipsa fieret, an è Paradiso eiiceretur, & alia Adæ vxor crearetur; quod si eiiceretur, &c. par absque incommodo consequentia pro aliis infertur.

VERVM à Deo posse quodcumque difficile facilè solui, nemo non asserit; Philosophi tamen non est ad Deum recurrere excogitando difficultates, quas ipsi remittat; cum alius modus humano ingenio obuius suppetat; aliàs nihil non difficile absque vlteriori indagine sic solueretur; nec esset cur tantopere rationibus assignandis Philosophi, Theologiuè insudarent.

77 QVOD verò de Eua dicitur, pari consequentia non potest ad alios trahi, cum ex modo quo Deus se erga vnum, aut alterum gerat, non possit inferri, eum in omnes ita acturum: Aliàs in illo Innocentiæ statu negata filiorum in gratia confirmatione, nil nisi crebra Diuortia, & plurimæ è Paradiso expulsiones actitarentur; quod quomodo non redundet in pœnam etiam innocentium non video, vt ipse etiam Suarez annotat: cum pater naturaliter doleat propter natorum damna; nisi dixeris, naturam in eo statu violentari, vel contra suum appetitum ab omni doloris, alteriusve animi ægritudinis actu suspendi; Quod tamen nullus Suaui Diuinæ gratiæ modo conuenire dixerit, cum perficiendæ potius naturæ se inclinet. Nisi etiam dixeris, ob affinitatem status Innocentiæ cum impassibilitate beatorum, omnem mali sensum feliciter auferendum; Hoc tamen pro statu viæ est nimium, præsertim quandò mala, naturæ valde contraria, sæpius ante oculos obuersarentur; quod in patria non accidit; vbi tota mens in Diuina bonitate contemplanda absorbetur.

TANDEM ad finem *cap.* 10. concludit Suarez, forsan peracta pœnitentia, & Iustitia recuperata, denuò Paradisum redeuntibus patendum; & sic illata incommoda facilè vitanda; verum aliud incommodum Suarez non ignotum *num.* 9. & supra tactum, incurritur, vnicuique scilicet suam iustitiam, & gratiam certò innotescere, quod tamen à Concilio Tridentino reuelationi solùm adscribitur. 78

DICES forsan, hoc in lege gratiæ adscribi à Concilio Diuinæ reuelationi: Contrà, in fine *c.* 9. concludit, neminem posse certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, scire se gratiam consecutum: Deinde similia absolutè per varios canones *eadem sess.* definit: Nec video, cur pœnitentia illius temporis pœnitentiæ nostræ per Christum præponderaret.

SVPPOSITA tamen altera opinione, homines non nascendos in gratia confirmatos, Suarez varia dubia resoluit *num.* 7. vsque ad finem.

PRIMO: An peccantes mox reprobarentur, aut veniam pœnitendo possent consequi, & huic vltimo subscribit; quia per peccatum viæ vel vitæ, terminus tempestiuus non accederet; ac proinde voluntas semper flexibilis potuisset ad bonum conuerti; eam etenim, inter, Angeli & Hominis voluntatem differentiam ferunt Theologi; vt post primam electionem Angelus maneat inflexibilis; Homo verò non. Deinde non statim post primum meritum consequeretur Iustus gloriam; ergo nec iniustus pœnam.

DEINDE; vtrum pro peccantibus instituerentur Sacramenta in eo statu; de quo agam *tract.* 4. *de legibus, disp.* 10. 79

DEMVM: An fieret in eo statu remissio culpæ absque restitutione Iustitiæ originalis, cum gratia ablatæ. Et pro vtrauis parte probabiliter concludit: pro parte quidem affirmatiua; quia Iustitia originalis esset pro tunc veluti proprietas gratiæ annexa; ergo illam vbique comitaretur; deinde peccata essent tunc personalia, non totius naturæ; ergo Iustitia originalis non esset irreparabilis; ideo enim nobis non restituitur, quia totam Naturam Adam suo peccato vitiauit: Partem verò negatiuam suadet exemplo Adæ, qui gratiam, simul & originalem iustitiam perdidit aliisque congruentiis, quas apud ipsum vide.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

Vtrum in statu innocentiæ excellentior esset hominum SANCTIFICATIO, *quàm sit in statu naturæ lapsæ.*

D.Bonau.in 2. dist.29.art.3.

DIVVS Bonauentura primò instituit titulum quæstionis : *An homo tot virtutes habuerit post lapsum, quot ante.*

DEINDE. *An dona gratiæ æquè efficacia fuerint ad merendum ante, & post lapsum.*

80 ASSERO primò, loquendo de virtutibus, quæ dicunt simpliciter perfectionem viæ, tot fuere in vtroque statu.

PROBATVR à Diuo Bonauentura, primò ex Diuo Damasceno, ita asserente. Secundò, quia virtutes sunt inuicem connexæ, vt ostendit *dist. 36. quæst. 1.* Cùm ergo Adam habuerit virtutes : Ergo habuit omnes. Tertiò, quia status Adæ fuit in via perfectus secundùm cognitionem, & reliquas perfectiones. Si verò aliqua caruisset, eamque post lapsum acquisisset, creuisset per peccatum in donis virtutum.

81 OBIICIES : Perseuerantia est virtus, dicens in vtroque statu perfectionem; sed Adam eam non habuit; à iustitia enim cecidit: Perseuerantia verò est in Iustitia continuatio, quam multi in statu Naturæ lapsæ tenent : Ergo non tot erant virtutes in vtroque statu, quæ dicunt perfectionem viæ.

RESPONDET Sanctus Doctor *ad vltimum* perseuerantiam dicere propositum permanendi in bono, & sic virtus est, cum aliis virtutibus inseparabiliter connexa; dicere verò præterea statum, & actualem continuationem in bono vsque ad finem; & sic non est habitus, sed potius habitus ad finem perductio; hanc non habuit Adam; bene tamen propositum, in quo ratio huius virtutis consistit.

82 ASSERO secundò. Quo ad aliquas virtutes, quæ includunt imperfectionem viæ, sunt aliquæ virtutes in hoc statu, quæ non fuerunt in statu innocentiæ; vt Pœnitentia, quæ supponit peccatum : temperantia, quæ coërcet prauas carnis passiones : Fortitudo, quæ consistit in perpessione terribilium, &c.

83 RATIO assignatur à Sancto Doctore *in corpore.* Quia illæ virtutes non competunt homini, nisi secundùm statum præsentis miseriæ, vt patet discurrenti per singulas; non negat tamen Sanctus Doctor, *ad vltimum*, fuisse aliquas virtutes in eo statu, quæ imperfectionem habent solum in suis actibus pro hoc statu; vt Iustitia, castitas, &c. quarum actus ait producendos conformiter ad modum, quo in patria producuntur, ita vt Iustitia excludat, non corrigat, omnem obliquitatem; Idem dic de prudentia, errorem excludente, non corrigente, &c. vt habet Diuus Bonauentura *3. dist. 33. quæst. 6. in corpore.*

84 ASSERO Tertio quoad gratias gratis datas, eas se habere, sicut excedens & excessum: Habuit enim Adam impassibilitatem, immortalitatem, & similia, quæ posteris non obtigerunt; Sed aliæ gratiæ, vt pote operatio virtutum, genera linguarum, & alia, cum statu innocentiæ non bene cohærentia, data sunt posteris; Ratio habetur à posteriori ex statuum diuersitate, quibus illa diuersimodè competebant, ita Sanctus Doctor *in corpore.*

ASSERO quartò. Quo ad abundantiam gratiæ sanctificantis, & auxiliorum, multi in statu hoc copiosiorem receperunt. Et quidem de Beatissima Virgine patet, & docent omnes, præcipuè D. Bonauentura *in 3. dist. 3.* vbi id agemus.

ASSERO quintò. Infans in natura integra fuisset copiosioris gratiæ ex additione Iustitiæ originalis, quam nunc non habemus : Attamen probabilius est, gratiam sanctificantem inesse copiosiorem nunc infantibus baptizatis, ex abundantia Diuinæ misericordiæ; nunc enim ex Incarnatione dicitur assimulatus nobis, vt misericors fieret, & ex meritis additis passionis, ac mortis pretiosissimæ christi. Ita Diuus Bonauentura *quæstione 2. in argumentis, & corpore,* quem sequitur Suarez *lib. 5. cap. 11.* Arriaga *disp. 43. sect. 6.* Tunc enim vel filius Dei non esset incarnatus, vel saltem non esset passus, quod Sanctus Bonauentura remittit definiendum *in tertio.* 85

ASSERO sextò : Comparando statum ad statum; probabilius est, in natura lapsa, maiora hominum merita esse, & essentialia præmia. Ita Sanctus Bonauentura *quæstione secunda*, quem sequitur Gabriel *ibi, art. 2.* contra Diuum Thomam *p. p. quæst. 95. art. 4.* Durandum *in 2. quæst. 3. dist. 29.* Et hoc probabilius putat Suarez *num. 8.* licèt incertum dicat. 86

PROBATVR ergo solidè à Diuo Bonauentura, quia meritum augetur ex difficultate operis; Ideò ait Apostolus : *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, secunda Timot. 2.* & Aristoteles *secundo Ethica, textu 3.* ait : *Ars & virtus est circa difficilia.* Deus autem, & natura non deficit in his, quæ sunt necessaria ad finem vltimum supernaturalem consequendum; sed talia sunt auxilia gratiæ ad meritum; maximè autem, quia ob id Christus mortuus est, & infinitè meruit : Ergo maiora cum fuerint auxilia necessaria ad maiora impedimenta remouenda, & maiores difficultates superandas, & cum illa ipsa auxilia data sint, quibus homo naturâ suâ infirmus stupenda opera perficeret; cum denique ex his omnibus meriti cumulus exsurgat; sequitur in hoc statu maiora esse merita, & essentialia etiam præmia. Hanc rationem affert Suarez *loc. cit. num. 15.* Pererius *lib. 5. in Genes. disput. de gratia status innocentiæ, quæst. vltima.* Imo Diuus August. *lib. de correptione, & gratia cap. 11.* vbi ait *per hanc gratiam fit vt homo velit, & tantum, velit tanto ac ardore diligat, vt carnis voluptatem, contrariam concupiscentiam voluntate Spiritus vincat.* Et hæc quidem vera sunt, siue gratia consideretur in actuali excitatione, siue in cooperatione, iuxta Diuum Augustinum citatum, qui subdit; *proinde etsi non interim lætiori nunc, verumtamen potentiori gratia indigemus.* 87 88

89 Id probat Suarez *num.* 16. eò quòd plures sint gratiæ gratis datæ in hoc statu, quam essent in statu innocentiæ: Ergo (infert) dantur etiam plures, & efficaciores gratiæ gratum facientes. Antecedens probat, manifestè, ait; quia multæ gratiæ, gratis nunc datæ, supponunt imperfectionem, quæ repugnabat statui Innocentiæ, *verbi gratia*, Gratia sanitatum supponit ægritudinem; genera linguarum prærequirunt earum diuisionem, & sic de aliis. Consequentiam probat; nam ideo dantur plures nunc eiusmodi gratiæ, quia hic status magis illis indiget, sed etiam indiget pluribus auxiliis gratiæ sanctificantis, vnde resultat totum augmentum, & maioritas meriti.

90 Verum hic discursus mihi sanè non probatur; primò quidem, quia probatio antecedentis supponit, easdem gratias gratis datas, quæ essent in statu innocentiæ, hîc cum nouis superadditis vigere, quod tamen omnino falsum est: Nam Impassibilitas, immortalitas, & similia, quæ Seraphicus Doctor vocat, *in corpore*, gratias gratis datas illius status, à nobis longe exulant, vt quisque in se experitur; & sane credibile est, cum Apostolus gratias gratis datas in hoc statu nouem tantum numeret, plures fuisse in statu innocentiæ, præsertim cùm eæ dicantur gratiæ gratis datæ, quæ, præter gratiam sanctificantem, aut eius dispositionem, cuique ad suum commodum fuerint datæ, non ad aliorum Salutem, vt nunc dantur.
91 Quare cum gratia sanctificans sit ad propriam salutem, gratis verò data sit ad alienam; ex pluralitate vnius, non ritè infertur pluralitas alterius; cum plura requirantur ad totam communitatem curandam, quam ad Spirituale vnius, a t. alterius emolumentum; & licet gratia sanctificans necessaria sit ad communem etiam salutem; non tamen, loquendo de maioritate meriti respectu cuiusque hominum, sub illâ consideratione hic cadit; sed vt plura auxilia actualia, vel disponentia ad Sanctificationem, vel excitantia ad maius meritum, in vnoquoque requiruntur: Quod verò sint plura huiusmodi necessaria ad vnum, eò quod plures gratiæ gratis datæ sint necessariæ ad totam multitudinem, non video, quo modo bene inferatur.

92 Efficacius hoc probat Sanctus Doctor ex maiori huic statui concessa charitate, cui meritum, tanquam suo principio, proportionatur; Hanc autem maioritatem gratiæ, & charitatis, ait probabiliter potius militare pro hoc statu; tum quod habeamus Aduocatum Christum interpellantem pro nobis, cuius intuitu probabile est, Deum plus gratiæ elargiri; quàm esset elargiturus in statu innocentiæ; tum quod Deum deceat ex malo maius elicere bonum, quàm sit illud, quod peccatum abstulit; illud autem bonum apparet in maioris gratiæ infusione, qua meritum cumulatur: Deinde id arguitur ex maiori nostra indigentia, quæ pro maioribus auxiliis, quibus magis mereamur, validiùs clamat.

93 Ad hæc confirmanda affert Seraphicus illud Ioan. 7. *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, vnde tunc sua dona distribuit, cum in altum ascenderat; vbi expressè ait innuit maiora esse hominum merita post Christi passionem: Idem hinc magni ait commendari Dei Iustitiam, misericordiam, & sapientiam, ob maxima filij sui merita, maiora huic statui impertiendo, quam filiis Adæ in statu Innocentiæ, item magis egentibus plus subueniendo, sicut & ex malo maius bonum eruendo.

Obiicies primò. Quantò maior est dilectio, tanto intensius est meritum; sed in Adam maior erat dilectio; quia quantum quis cognoscit, tantum diligit: in Adam autem maior erat cognitio: Ergo in statu innocentiæ, ad quem in filios deriuanda erat Adæ cognitio; maius esset meritum.

Respondet Sanctus Doctor *ad primum*, dilectionem, ex parte potentiæ concupiscibilis, sequuturam pari tunc proportione scientiam in potentia cognoscitiua; sed non ex parte gratiæ, animam eleuantis quæ facit, vt intus intendatur affectus, dum foris attendit intellectus.

94 Qvod si vrgeas cum Seraphico, vtramque dilectionem debere commensurari cognitioni; cum nihil volitum sit, nisi prius cognitum: Respondet, id vniuersaliter solùm verum esse de cognitione experimentali. Deinde licet necesse sit, volitum prius cognosci; non tamen vt volitio & cognitio pari passu procedant in dilectione, saltem cùm voluntas magis ducatur gratia mouente, quam illuminante; vt patet in illis, qui ex modica superna luce in amoris incendium ocyus erumpunt.

Obiicies: Sicut est albius, quod est Nigro impermixtius, vt dicitur 3. *eth. cap.* 4. ita status ille plus habet meriti, quod minus demeriti: sed status innocentiæ, quamdiu durauit, nihil habuit demeriti; merita verò nostra sunt quodammodo culpis permixta, Isai 64. *Sicut pannus menstruata, omnes Iustitiæ nostræ*: Ergo.

95 Respondet Sanctus Doctor, ex parte promptitudinis, qua expeditiùs voluntas, adhuc culpa non contracta, nec carne corruptione grauatâ, in bonum ferebatur, fuisse quidem ibi maius meritum comparatiuè ad illam lassitudinem, & subreptionem, qua modò à benè operando retardatur: Tamen difficultates hæ aliundè abundè compensantur; dum enim voluntas impugnatur, impugnando probatur; & virtus, duriùs nunc examinata, clariùs emicat: His aliæ obiectiones ibidem soluuntur.

96 Hinc habes, quamuis status innocentiæ eâ ex parte, quâ ab omnibus corporis necessitatibus, ac sollicitudinibus rerum temporalium liber erat; aptior fuerit ad contemplationem, & peruius ad conseruandam gratiam; quia nec fomite accensum hominem patiebatur; nec torpore tepescentem; attamen status lapsus ex gratia Redemptoris vincit ardua, &c. & actus fidei ampliores, spei extensiores confert, ac charitatis ex antiperistasi ardentiores, ad pluresque effectus patientiæ, Martyrij, &c. Vnde se habent, sicut excedens, & excessum; simpliciter tamen videtur excellentior hic status, vt probatum est. Ita Suarez à *num.* 17. ex Diuo Bonauentura, hîc, *quæstione secunda*.

97 Ex his deducit Sanctus Bonauentura, comparando singulos huius status cum singulis status innocentiæ, aliquos in eo statu fore excellentiores; aliquos verò, & plures in hoc, vt patet ex tot millibus Sanctorum insignium, Ioannis Baptistæ, Apostolorum, ac Martyrum, qui sunt proprij fœtus sanguinis Christi. Ita cum Diuo

Bonauen

Bonauentura Suarez, *loco citato*, qui tamen non rectè addit, quòd si singuli, qui nunc prædestinati sunt in statu naturæ lapsæ, prædestinati fuissent sub statu innocentiæ, dubium est; an futuri essent maioris meriti: vt benè notat Arriaga, *numero quadragesimo secundo*. Si enim Ioannes Baptista, & Apostoli, *verbi gratia*, maiorem habent gratiam, quam tunc vllus haberet; sequitur, etiam ipsos futuros inferioris meriti, cùm non adessent merita Christi, etsi concederemus ipsum incarnandum, & infinita merita cumulaturum; attamen deesset virtus passionis, & auxilia specialia, ac dona ex ea deriuata.

99 VERVM; Si tota, & vulgaris saluandorum collectio in eo statu comparetur cum multitudine saluandorum in hoc statu; dicendum illos, sicut frequentius fuisse benè acturos, ita plura, & maiora merita habituros; quia tunc rara esset oscitandi occasio, & peccandi periculum nullum, cum in gratia à Natiuitate confirmarentur, vt ex dictis suppono; in excellentia tamen meritorum, multitudine, & varietate, illos ab his superandos probabilius asserendum, vt colligitur è Sancto Doctore *loco citato*; tot enim præclaris martyribus, virginibus & Confessoribus, qui tam præclara pro fide christi exantlarunt opera, multitudo saluandorum in illo statu non immeritò postponitur.

100 DE Christo vero Domino ait Suarez, ex hypothesi quòd in eo statu esset incarnandus, illum habiturum eandem meritorum multitudinem, & infinitatem; ex occasione tamen peccati & carnis mortalis assumptione, eum illustriora gessisse opera & mirabiliora cumulasse merita, nemo ambigit, quantum est ex opere (vt ita dicam) operato, non ex operantis dignitate, quæ eadem vtrobique est; Quod si non venisset Christus, vt non venturum probabo *tom.6. de saluatore, disp.4. quæst.1.* ait Suarez, & meritò, nullum purum hominem in meritis ei æquandum, quod idem proportione seruata de B. Virgine concludit *num.23.*

101 SI vero comparatio fiat inter vtriusque status iustos, conferendo maxime emeritos inter se, sicut & illos, qui vtrobique minùs mererentur; dicit Suarez, summos huius status superare summos illius, propter abundantiorem gratiam, & eximiora facta: verum è contra accidit inter minus emeritos, nam in hoc statu plures iusti sine vllo merito ad finem vitæ perueniunt, qui absque vsu rationis moriuntur, qui proinde omnibus, etiam minùs meritis in statu innocentiæ, sunt postponendi; horum enim nullus absque quantulocumque merito viam finiret.

102 DE longitudine autem Vitæ, & Viæ ad meritum in innocentia, Suppono, omnes peruenturos ad ætatem perfectam; attamen quot annos essent victuri, incertum est. Vide Diuum Augustinum *9. de Genesi ad litt. cap. 4.* Suarez *lib. 5. capite 12.* Arriagam *disput. 43. sect. 8.* Diuum Bonauenturam *in 2. dist. 19.*

E S.Doct. colligitur, *hic, in corpore, quæst. 1.* Satis diuturnam fore viam, & vitam in illo statu, antequam in patriam transferrentur; Cùm enim immortalitas, quâ possent non mori, orienda esset è tribus, è corpore scilicet benè complexionato, quod elementorum dissidio non poterat dissolui; è superaddito gratiæ dono, quo anima corpori præsideret, & in quadam amicitia elementa continerentur; & denique è speciali Dei prouidentia, quæ extrinseca offendicula præcaueret, quibus possent mortem incurrere; sequitur, terminum meriti, & translationis in alterum statum à sola Dei voluntate fuisse assignandum.

PERGIT autem Seraphicus ibidem probare, tria illa fuisse ad vitæ diuturnitatem necessaria contra tres modos, quibus ordinariè mors contingit, elementorum scilicet pugnâ, humidi consumptione, & externa læsione; nam licèt corpus esset optimè constitutum, tamen si in simili corpore poneretur anima peccatrix, non immunis esset à separatione; quare necessarium esset donum gratiæ, quod posset elementa in summa pace moderari; & hinc compleretur illa posterorum Adæ viuendi longinquitas; sicut & ab illa corporis æqua constitutione inchoaretur. Similiter contra humidi consumptionem data esset à naturâ filiis Adæ vis sufficienter nutritiua, & à conditoris beneficio, vti notat Sancte Doctor è Diuo Augustino *lib. 6. de Genes. cap. 25.* indita fuisset ligno vitæ vis specialis reparatiua, quæ statim humidum absumptum restauraret. 103

DENIQVE contra externam læsionem vigilaret naturalis ipsorum prudentia, & fortitudo, repellens, & præcauens Nociua: præterea assisteret Iugiter specialis Dei prouidentia pro complemento omnis illæsionis. Quare concludo cum Seraphico Soli Deo constare, quanto tempore in statu viæ permanerent; nec aliunde, quam motalibus coniecturis aliquid aliud posse dignosci, quas vide apud Suarez *loco citato* cum quo non renuo successiuè eos ad gloriam fuisse transferendos. 104

NEC obstat, quod non successiuè Angeli eò sint translati: Nec etiam quod Sanctorum corpora sint simul post vltimum diem eò transferenda.

NAM ideò Angeli simul beatitudinem sunt adepti, quia etiam simul sunt creati, tum ob naturalem speciei incorruptibilitatem, tum ob generandi sibi simile incapacitatem. In corporibus etiam obstat culpa, qua meruerunt, vt in cinerem reuerterentur, vnde simul resuscitata, simul etiam, vel gloriam, vel pœnam, prò vt in eis quisque gesserit, obtinebunt. 105

CONCLVDIT tandem Suarez, homines tunc immediatè transferendos, tam ad gloriam Corporis, quàm animæ, absque vllo medio statu; quamuis aliter potuisse fieri dubitarit, apud ipsum, Diuus Augustinus, exemplo Eliæ, & Henoch.

VERVM quicquid Deus absolutè potuisset facere; Clarum est nullum tunc futurum statum medium inter viam, & patriam; status etenim ille medius nunc admittitur propter peccatorum satisfactionem, quæ hic gratia quidem quoad culpam, & æternam pœnam remisit; sed non totaliter quoad temporalem: In statu verò Innocentiæ, sicut peccatum nullum esset; ita nulla fieret à mercede retardatio.

DEINDE; Completo cumulo meritorum, & expleto viæ termino; decuit, vnumquemque absque mora remunerari, cùm absque mora sine gratia iam decedentes puniantur, quisnam verò fuisset



INDEX RERVM, ET VERBORVM magis Notabilium, quæ in hac Tomi tertij Parte secunda de Anima, continentur.

Prior Numerus Paginam, posterior Numerum denotat Marginalem.

A

Actus.

Index Rerum ,

Anima

Anima sensitiua.

Anima vegetatiua.

Animal.

C

Calor.

Capilli

& Verborum.

D

Dæmon.

Deus.

Diſcurſus.

Dolor.

Dominium.

E

Echo.

Embrio.

Ens rationis.

Euchariſtia.

Euidentia.

Experientia.

An

L

Liberum arbitrium.

Lignum vitæ.

Locutio.

Lumen.

Quomodo

O

Obiectum.

Oculus.

Odoratus.

Odor.

Organizatio.

P

Passiones.

Peccatum.

Resoluun

Serpens.

Somnium, Somnus.

Quænam



FINIS.


LEGATORIA A. PANDIMIGLIO
ROMA

